



R. P. D. THOMÆ

DELBENE,

DE OFFICIO

S. INQVISITIONIS

CIRCA HÆRESIM,

TOMI DVO.

R. P. D. THOMÆ

DELBENE,

CLERICI REGVLARIS,

S. THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

Examinatoris, S. Rom. Vniuersalis Inquisitionis Qualificatoris, aliarúmque SS. Congreg. in Vrbe Consultoris.

DE OFFICIO S. INQVISITIONIS CIRCA HÆRESIM.

Cum Bullis, tam veteribus, quàm recentioribus, ad eandem materiam; seu ad idem Officium spectantibus.

PARS PRIOR.

SYNOPSI MATERIARVM, ET INDICE RERVM notabilium in hoc Volumine contentarum illustrata.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.



LVGDVNI,

Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN.

M. DC. LXVI.

CVM APPROBATIONE ET PERMISSV.



EMIN.^SSIMO. ET REVER.^SSIMO PRINCIPI,

FLAVIO CHISIO

S. R. ECCLESIÆ CARDINALI.

THOM. DELBENE, CLERICVS REGVLARIS,

F. P.



VA tua, quà Maximi, eiusdemque optimi, ac sanctissimi Patrui tui luce ita omnium iam animos, Romanamque Aulam imples, ac occupas (FLAVI EMINENTISSIME CARDINALIS,) vt haud sanè liberum cuique sit, alteri se, suique obsequium animi, quàm Tibi, atque excelsissimo tuo Nomini mancipare. Maiestas illa supremi mortalium, cui Tu, vt sanguine, ita & imperio, ac virtutis indole proximus; tantùm enim verò dignitatis, splendorisque tuæ fronti afflat, vt nihil planè augustius in Quiritium oculos incurrat, Teque vnum summi, infimi, ceu grande Purpuratorum sydus inspiciant. A summa quidem Infula habes in Amplissimo Senatu Compares. At enim consiliorum omnium, curarumque communione Christi in terris Vicario, hoc est, Athlanti illi maximo perinde adstas, vt secunda sustentando Christiano Orbi ceruix; atque Alcides alter cùm sis, quos tibi lux Purpuræ æquales facit, eosdem potestate, ac facibus antecellas: atque adeò, ceu disertissimus primarum partium actor, Orchestram Aulæ totam tibi vendicas; Tibique vni abreptum in Tui studium, admirationem, cultum, Theatrum hoc plaudit. Neque

putes in speciem hæc à me dici, ceu mendax splendidus, seruire tuis auribus velim. Expertus eloquor. Nam quos pridem, de Hæresi, & de iis quæ ad hæresim, & S. Officium pertinent, *Commentarios absolui, exponere luci publicæ cùm decreuissem, quo illos potißimum splendore magni nominis exornarem, haud mihi deliberandi tantisper tempus, ac locus fuit. Tu statim ea quidem dignitatis amplitudine, ea decorum laude, tanta item oris maiestate, & gratia occurristi, vt deflectere, euagarique aliò mens, aliumque præter Te vnum quærere vigiliis meis patronum, ac auspicem planè nequiuerim. Quid? si citra purpuram, ac titulos, is item es, qui præclaris animi partibus gentium omnium obsequia præripis. Traditam Tibi ab vetustißima, nobilißimaque stirpe Generis, veluti per manus, ac succeßionis quodam iure hæreditariam Maiorum indolem, quantùm ipse egregio tuarum virtutum corollario amplificas? Ingenio vt grauitas, ita grata quædam amœnitas inest. Studiis namque seuerioribus vacas, humanioribus faues: Neque doctrinarum præsidiis, quas Romanis subselliis mirificè adprobasti, ad earum veluti pompam, sua deest Tullianæ dictionis mundities, ac nitor. Quis aureos deinde mores pro dignitate dicendo exæquauerit? Quis illam magnarum animarum clientelam, ac famulitium? Coniunctam videlicet cum summa fortuna modestiam, citra fucum humanitatem, magnitudinem animi sine fastu, æqui, ac recti studium, dictorum fidem, amorem, cultumque Religionis? Quis volucrem illam vim mentis, incredibili cuidam prudentiæ attemperatam, qua Romani Principatus curas, ac terrarum negotia ita administras, vt in ipso tyrocinio repentè summus, aspectu quidem, ac singulari quadam in rebus agendis, explicandisque alacritate, atque ardore animi iuuenis videaris. Cæterùm, nemo Te in rerum maximarum tractatione consenuisse, non affirmauerit: Ita vt, quæ deest, florente nimirum æuo, canities, ac maturitas annis; adulta iam sapientia, præcox iudicij pondus, ac festinata solertia abundè suppleat. Scilicet, è sapientißimi Pontificis affinitate, disciplina, vsu erudiri profectò in maturiorem quandam prudentiam flos iste præstantißimæ tuæ indolis statim debuit. Fieri siquidem minimè poterat, vt lux illa magnæ mentis nacta opportunam adeò, vicinamque materiam, tuum illicò non accenderet, inflammaretque ingenium. Vides (Amplißime Cardinalis,) de Te aliquid dici vix posse, quin ad sanctißimum Patruum tuum, ac parentem omnium recurrat stylus ac veneratio. Quippe, vt genus ac sanguinem, ita & decora, laudesque miscetis. Quocirca dum Te in huiusce Dedicatione Operis appello, obiiciunt sese mihi ALEXANDRI ter Maximi Pontificis in nostrum Ordinem, atque in meipsum promerita; quæ sanè, vt hanc in sinum tuum scriptionem deferrem, Tibique nuncuparem, vehementer impulere. Nam præter cæteram in nos beneuolentiam, quantum illud est, in ipso statim Pontificatus initio, beneficentiæ veluti primitias nostro Diui ANDREÆ Templo consecrasse*

crasse? Debet quidem percelebris Ædes hac Senensibus plurimùm, à quibus rudimentum illi, & coronis. Vt enim Piccolominei collata amplissima domo sua, ac laxata area, qua Senensis etiam nuncupatur, initium fecere praclaro Operi; ita ALEXANDER SEPTIMVS, suprema Francisci Cardinalis Montalti vota perhumaniter complexus, quos ille prouentus annuos ex Ecclesiastico suo censu legat, probat ipse, obsignatque annulo, nutuque suo: quo quidem dum exornandam aspectabilem augusta eius molis faciem curat, quod est in ea pulcherrimum, perficit, imposita editissimo huic templo coronide. Planè cùm inter sumptuosa, ac splendida Vrbis adificia haud vltimum nostrum hoc sit, amplissimo nunc ALEXANDRI Pontificis nomine, munificentia, affectuque auctum nescio quonam pacto assurgit grandius, ac praestare iam cateris à tanti Pontificis splendore videatur. De me verò nihil est quod prolixiùs loquar. Ita enim extendi vltra purpuram humanitatem in me suam voluit, vt summus Sacrorum Princeps renunciatus, illam in tanto rerum culmine congeminauerit: admissumque non semel ad beatissimorum pedum oscula, quàm me comiter (Deus bone!) ac quanta cum beneuolentia, honorifique significatione excepit. Faciles nempe semper, ac molliter acclines CHISII Montes. Astra item magni stemmatis nunquam non arridentia, ac fausta. Quid, si aurum etiam vltronea quadam, ac supra votum munificentia è Quercubus aureis largè depluit? Demùm, quod non sanè dissimulandum, si materiam lucubrationis huiusce mea spectas, de Hæresi, *prasertim agitur. Quid igitur inclyto ALEXANDRI SEPTIMI Nepoti dicari congruentius potuit.? Certè Orthodoxa Fidei Interpres, Christiana Religionis Oraculum, Cortina veri, perfidia scopulus, Romana Sedes cùm sit; tum Maximus Patruus tuus naturâ, ac genio quodam monstra haresum, ac praua Nouatorum ingenia, corruptamque eorum mentem acerrimè insectatur. Testis Roma, ac Cœtus ille Summorum Patrum, doctorumque hominum, (inter quos ego, sed minimus) quem examinandis, profligandisque Iansenianis placitis INNOCENTIVS Pontifex Decimus excitauit. Aderat inter pracipuas Purpuras, atque erudita Capita Cardinalis CHISIVS: Et quà nominis auctoritate, quà doctrinarum opinione, quà Zeli supercilio, quos non addere nostris Theologorum ingeniis stimulos, facesque videbatur. Et confodit quidem peracri telo absurda illa, atque insolentia Christianis auribus opinionum portenta INNOCENTIVS. Is verò ad eundem Pontificatus apicem euectus, repetito è Petri Cathedra fulmine, non eadem modò dicta petiit, conuellitque; sed alia etiam, qua regerminauerant, feralis hydra capita incredibili cum fructu pietatis, plausuque orbis resecuit, ac luem eam omnem penitus contumulauit. Igitur, vt ad Te redeam, (Princeps Eminentissime) qua maximè mediocris ingenij mei monumentis conciliare beneuolentiam tuam videntur, & ipsa tua dignitas, ac virtus est,*

cui dicata ea volui; & incomparabilis Maximi Pontificis amplitudo, eiusque in Theatinum Ordinem, atque in me commendata immortalibus beneficiis humanitas, quæ impulit vt dicarem. Quapropter ea vt benignè excipias, tuoque cohonestes patrocinio; & Teipsum auctorem, suasoremque habes, & Patruum tuum. Neque verò ea intimè complecti dedignaberis, in quibus Tu Tibi statim occurris; & quæ adamatum terris ALEXANDRI SEPTIMI Nomen condecorant. Interim ad Christianæ rei triumphum ac decus, diuturnum Vobis Imperium, Vos Imperio diu incolumes, vt Deus seruet, prolixiùs precor, ac voueo. Romæ,



D. D. I A C.



D. D.
IAC. PIGNATELLI
SENTENTIA DE HOC OPERE.

VIRI
In Ecclesia, in Republica Magni, Quicumque vos estis,

OPERAM DATE ET LEGITE.



THOMÆ DELBENE, Viri clarissimi, Religionis Theatinæ alumni immensum hoc, & Herculeum opus est. Quod lyricus Vates extulit:

Fortes creari fortibus & bonis.

Eius exemplo virtus confirmauit. Ab arbore, id est, à Paulo Quarto, Theatino, Sacræ Inquisitionis Fundatore hic ramus non dissentit. Fælix pater etiam in filio viuit. Bis fælix filius Patrem repræsentat. Heros ipse est hæres ac æmulus virtutis maiorum, qui sic scribit: & par ipsi Pontifici, dum ingenio vsurpat, quantum ille capite solebat circumferre. Hic doctrina, ille potestate: stylo hic, diademate ille cælestia Religionis arcana propugnat. Siue rerum copiam propè incredibilem spectetis: siue in penetrandis, & veluti è nucleo extundendis abditis rerum, ac quæstionum dispiciendarum sensibus subtilitatem consideretis, omnino vos dubitare necesse sit, vtram potiùs, humanarumne, an diuinarum rerum scientiam in eo debeatis admirari. Argumentationibus ingenij acumine inuentis, arte dispositis, sua adstruit, fulcitque theoremata. Ingeniosa omnia, erudita, exacta quæ notat, iudicat, emendat. Vetera, & simul noua explorata habet, seria, & curiosa: Etiam libros, scriptoresque de hac re sibi familiares, qui olim ac nuper floruerunt, ex quibus, vt apes confert, & stipat doctrinæ liquentia mella: quosque tanquam Iudex maximus pro Tribunali sedens ad partes vocat, pulcherrima, & vtilissima industria eruditos simul, & bonos suos Lectores reddit. Breuiter dicam, esse virum

——— *Mores vetereſque, nouoſque tenentem:*
Multorum veterum leges, Diuumque, hominumque
Prudentem.

¶ Virum

Virum, *Per quem Latium nomen, & Itala*
Creuere vires, famáque.

Planè Sapientiam si inspicietis, philosophatur: Si Mathesim, eminet inter primos: Si Iurisprudentiam, leges veteres, nouasque perlustrat: Si Theologiam, si omnia, laudem adeptus est, imò & palmam. Is est, qui Catholicæ velificationi hanc Arcton, ac vtroque periculo laborantibus hanc Pharum extruxit, qui siue sicco pede terram obieritis, Imperator erit: siue humido mare tentaueritis, plus Geminis erit polare astrum, Cynosura Orthodoxorum. Alij Socraticæ dubitationis pertinaces hæredes, versatiles, & cauti, omni se parti permittunt, & velut in duello neutri, inimicitias fugientes, amicitias vitant, veritatemque fuga insequuti, ne errent, errant. At is verò, quem dico, Auctor, Helicen veritatis, vtriusque prudentiæ Delius Apollo noctem istam temporum, & opinionum tandem euicit. Non vnum omnes astrum qui nauigant respiciunt. Alij Helicen, alij Vrsam. Plures in Sacræ Inquisitionis Cælo stellæ sunt; at istis stellis, luminibusque sol noster stipatur. Non lucet tantùm, sed ardet, nouis facibus nouas tenebras expugnat. Legite, exclamabitis protinus Senecæ verbis: *Non à summis labris ista venerunt: habent hæ voces fundamentum: iste homo non est vnus è populo, ad salutem spectat.* Sed nunc magis, cùm se hominem, virum, ciuem ostendit, hoc est, verè magnum. Sic enim scribit tanquam viuat, atque adeò scribendo vitia proscribit: Ciniflones de chrysopœia, mirabiliarios, nugiuendos, clandestinas artes, & remotas disciplinas, arcana, & lucifuga mysteria, impostores, sycophantas, magicas præstigias, auguria, auspicia, alia à cælo & stellis, ab elementis, à speculo, à peluibus, à fumo, circumforaneam vanitatem, laruam monstrorum.

Nugipolyloquides, argenti extenebronides,
Technipolyloquides, nummorum expalponides,
Quod semel arripides, nunquam posteà eripides.

Elidit, infringit, euertit ea vbertate, vt cùm nihil addi possit, nihil supersit, ea varietate, vt fastidium profliget: Ita in omnibus ad numerum assilit, vt aut ipsi res ipsæ, aut ipse rebus meditatò se videatur attemperasse. Tam ingeniosè implexa explicat, ita solidè obstantia irrumpit, obtusa acumine asperat, acuta grauitate obtundit, pugnantia dispescit, coëuntia nodat, dubia librat, arcana rimatur, vt penitus, funditusque parienti Sapientiæ obstetrix assedisse videatur. Videbitis lenitatem in dicendo, in interpretando sine ambitione vlla candorem, in errorum confutatione planam, & neruosam argumentorum copiam, mare eruditionis, Oceanum disciplinarum omnium, ingenuarum artium promum condum, & quasi bibliothecam, quæ diuersitate rerum sola humanam occupare potest ætatem, ordine omnium conatum excedit. In hoc Opere Politici Rempublicam Christianam habent, sacras Literas diuini interpretantur viri, Leges Pontifex, & Imperator sanciunt nouas illas & postremas. In hoc habet ambulacrum Aristoteles, Plato Academiam, porticum Stoici, Arithmetici abacum, Musici modos, Geometræ puluerem, Astronomi imagines, cælum Astrologi. Hoc est Opus Sapientiæ, schola eruditionis, forum prudentiæ, Catholicorum Gymnasium, palæstra credentium, Tribunal inuictum, æternum, immortale. Ad ciuilem vitam Auctor factus, non vt leguleius semidoctus, sed vt iuris simul

&

& prudentiæ consultus, quæ hominis Inquisitoris officia vocantur, eorum cognitione probè instructus, Reipublicæ confert. Inspicite quomodo sacrilegiorum vindex, pietatis, ac fidei assertor fulmina enthimematum, ac tonitrua in hostes vibrat: quomodo occultas, & tamen vsitatas tyrannorum artes in apricum producat, quàm callidè depingat eas & excutiat, quomodo de iis iudicet, & triumphet: quomodo formas Inquisitionum, Magistratus, leges, iudicia, consilia, consuetudines, ritus, Sacerdotes, ac Religionem operosè prosequatur, non vt singulas ponderet, sed vt nihil relinqueret. Oberrantes miserè mortales in viam reducit, familias dirigit, Respublicas restituit, mores priuatorum emendat. Recenset scelera, vt pœnam ostendat, promit virtutes, vt præmio honoret: illa vt lectorem absterreat, istas vt inflammet. Hæc si quis nesciuerit, relegatus è diuino isto Museo, nullus nisi ex arbitrio alieno cum consultis sapientiæ commercium habeat, sit peregrinus inquilinus, barbarus, alienæ ignorantiæ, fatuitatis, stuporis, ac delirij mancipium. Sed DELBENE quid vltra commendo, cùm cognomen ipsum pro encomio sit? Bona scriptio est, bonum argumentum, vno verbo, Auctor ipse totus vndique bonus. Eia igitur:

VIRI

In Ecclesia, in Republica Magni, quicumque vos estis:

Absoluto iam Operi gratulamini fatum & fortunam, quod superstes, & saluum per tot sciolorum manus, tot ineptias scriptorum, ac fastidia, tot glossas, obeliscos, stellulas, deliria, ineptias, sordes ad hoc vsque tempus peruenit. Ex hoc sapientiæ securissimo sacrario tanquam è publico agro copiosam messem colligite. Hic ille vester Doctor est, & ductor, quem velut sydus in hoc studiorum cursu, & opinionum æstu semper respicite, ne aberretis. Dicta & facta vestra ad hoc examen veniant, vt rectè instituatis, errorem, periculum, lapsum declinetis. Quæcumque legetis, digna stylo sunt, quia prudentiam referunt: digna lectione, quia ad formandum iudicium valent. Cibus alibi, hîc verò & deliciæ sunt: voluptas alibi, hîc doctrina iungitur. Hoc semel statuite, aurum merum esse quidquid è doctissimo eius pectore, calamoque emanat; nec posse sine hac face Museum vestrum lucere. Hic vnus vobis instar omnium sit, qui tot vnus abundat virtutibus, vt omnium facilè laudes exhauriat. Quod Vlyssi Minerua, id vobis hic sit, indiuiduus periculi comes. Hunc Herculem amate, ne noua rerum monstra subpullulent. Legite, iuro vobis, Viri optimi, nihil simile vsquam in hoc genere legetis. Hæc mea sententia.

IACOBVS PIGNATELLVS, Parochus
in Vrbe Ecclesiæ S. Mariæ de Planctu.

APPROBATIO

Consultoris Clericorum Regularium.



GREGIVM Opus de Hæresi, & de iis quæ ad hæresim, & sanctum Officium pertinent, in Partem priorem, & posteriorem diuisum, dilucidè, doctéque compositum à P. D. THOMA DELBENE, nostræ Congregationis Sacræ Theologiæ Professore, & nomine multiplici claro, publica luce ad omnium vtilitatem dignum existimo. Romæ, die decima octaua mensis Iulij, Anno 1662.

Don THOMAS SERSALIS,
Consultor Cler. Reg. S. Theolog.
Professor.

APPROBATIO

Visitatoris Galliæ Cisalpinæ.



VSSV Nostri admodum Reuerendi Patris D. Angeli Pistachij, Præpositi Generalis Clericorum Regularium attentè, & omni studio lustratus sum *Tractatum in Partem priorem, & posteriorem diuisum, de Hæresi, & de iis quæ pertinent ad hæresim, & S. Officium*, nuper compositum à R. P. THOMA DELBENE, nostræ Congregationis Auctore Insigni, iamque satis noto: Et pro veritate testari queo, quod nedum *Benè*, sed *Optimè* Thomas scripserit, & sic seipsum in hoc Opere Thomas superauerit. Siquidem, quidquid in præsenti labore reperitur, dilucidè, breuiter, & subtiliter, sanam, optimamque doctrinam, Sacris Conciliis, & Canonibus conformem redolet. Quare meo voto totus litterarum Orbis impatienter expectat, vt luci demandetur hoc tam vtile, tamque dignum studium. Romæ in nostra Domo Sancti Andreæ de Valle, die vigesima Iulij, Anno millesimo sexcentesimo sexagesimo secundo.

D. IOAN. BAPTISTA DE DECE,
Clericus Regularis, Galliæ Cisalpinæ Visitator,
& S. Officij de Vrbe Qualificator.

LICENTIA

Præpositi Generalis Clericorum Regularium.



HOC Opus *de Heresi, & de iis quæ ad heresim*, & *S. Officium pertinent*; in Partem priorem, & posteriorem diuisum, à P. D. THOMA DELBENE Theologo Congregationis nostræ compositum, & à Patribus quibus id commisimus, recognitum, & approbatum, vt typis mandetur quoad nos spectat, facultatem concedimus. In quorum fidem has litteras manu nostra signatas, & solito nostro sigillo munitas damus. Romæ, in Ædibus Sancti Syluestri Montis Quirinalis, hac die decima octaua mensis Iulij, Anno 1662.

D. ANGELVS PISTACHIVS
Præpositus Generalis Cler. Regul.

Loco † Sigilli.

D. CAROLVS LOBELLVS
Cler. Regul. Secretarius.

PERMISSIO

Magistri Sacri Palatij Apostolici.



VIDI iussu Reuerendissimi P. Raymundi Capisucchi, sacri Palatij Apostolici Magistri, ac maxima cum voluptate accuratè totum perlegi *Tractatum de Heresi, & de iis quæ ad heresim, & S. Officium pertinent*, Auctore A. R. P. THOMA DELBENE, Clerico Regulari: Et quia illum nedum sacris Canonibus, summorum Pontificum constitutionibus, Oecumenicorum Conciliorum, ac sacrarum Congregationum decretis, & declarationibus in omnibus apprimè consentientem, sed & summa eruditione refertum, & optima, facilique methodo mirè digestum, ac dispositum inueni, dignissimum iudicaui, qui ad communem omnium, præsertim moralis Theologiæ studiosorum vtilitatem quàm primùm in lucem edatur. In Quir. hac die 31. Iulij 1658.

Fr. HIERONYMVS NICOLAIS Notarius,
S.Theol. Lector, I. V. D. ac Parochus S. M. de Pop. Vrbis Met.

Imprimatur.

Loco † sigilli.

SA. CAPISVCC. Mag. S.A.P.

APPROBATIO

Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis.

NOS infrà scripti Doctores Theologi Facultatis Parisiensis fidem facimus, nihil in hoc Opere R. P. D. THOMÆ DELBENE, in quo de iis quæ ad hæresim, & Sanctæ Inquisitionis Officium pertinent fusè differit, quodque in duos Tomos est distributum, contineri quod Fidei Orthodoxæ aduersetur, in cuius rei testimonium lubentes subscripsimus hac die quinta Maij 1666.

Fr. IOANN. ROBE'. Ordinis Prædicatorum.

Fr. HVGO NOE' MARCHAND, Ord. Prædic.

Alia approbatio.

EGO infrà scriptus Doctor sacræ facultatis Theologiæ attestor, legisse librum cui titulus est, *R. P. D. THOMÆ DELBENE, de Heresi, & de iis quæ ad S. Officium pertinent*, in quo nec quid contra fidem catholicam, nec contra bonos mores inueni: imò plenum affirmo summa eruditione. In cuius rei fidem approbaui, dignumque qui typis mandetur, iudicaui. Datum Lugduni die decima octaua Maij, ann. 1661.

P. AVTOSERRE, Pr.

Consensus Procuratoris Regij.

VIsis supradictis Doctorum attestationibus, librum à R. P. DELBENE compositum prælo subiici permitto, cum prohibitionibus in huiusmodi casibus requisitis, & consuetis. Lugduni die 7. Maij 1662.

BOVILLOVD MERMET

PERMISSIO.

COnclusionibus Procuratoris Regij adhæreo. Lugduni die decima nona Maij, Anno 1662.

DV SAVZAY.

SYNOPSIS



SYNOPSIS MATERIARVM,

Quæ in Dubitationibus huius Primæ Partis de Officio S. Inquiſitionis circa hæreſim continentur.

I DE prima cenſura Bullæ Cœnæ Domini, aliiſque pœnis ſpiritualibus, in ordine ad perſonas, quas complectitur. Qui ſint propriè hæretici, & alij. De eorumdem irregularitate, atque infamia: & qui poſſit diſpenſare. De denunciationibus, & librorum lectione, atque impreſſione prohibita.

II. De priuatione & inhabilitate ad beneficia, atque officia publica: & qui poſſit habilitare.

III. De pœnis temporalibus quoad bona; nempe, de confiſcatione prædiorum, iurium, alimentorum, maioratus, iuriſpatronatus, emphytheuſeos, dotis, peculij, & ſimilium: Etiam propter crimen læſæ Maieſtatis humanæ.

IV. De pœnis temporalibus quoad dominium in dicta bona, in vaſſallos, filios, ſeruos, & debitores; ſicque an hæretici poſſint contrahere, vel teſtari: Et, an ſint capaces, vel non capaces donationis, hæreditatis, ſucceſſionis, vel legati alimentorum, &c.

V. De pœnis temporalibus quoad alia iura, & alias obligationes, etiam iuramento vallatas: Et de fide hæreticis in conſcientiæ libertate, in bello, ſaluoconductu, matrimonio, & ſimilibus ſeruanda, vel non ſeruanda.

VI. Quouſque licitum ſit communicare cum hæreticis, tam quoad Sacramenta, quàm quoad eorum Templa, conciones, de fide diſputationes, & alia ſimilia. An denunciari debeant: an ad fidem retinendam cogi poſſint, & an Eccleſiæ membra ſint.

VII. De pœnis temporalibus quoad vitam, & corpus. De degradatione (ſi reus fuerit Clericus) & de ſepultura.

VIII. De pœnis in excommunicatione per anum inſordeſcentium, hæreticorum tardè pœnitentium, pœnitentias ab Inquiſitoribus impoſitas omittentitm, relapſorum, Hæreſiarcharum, nec non & dogmatiſtarum: Et quinam tales ſint.

IX. De pœnis ſuſpectorum de hæreſi: Et quinam ſint de hæreſi ſuſpecti.

X. De pænis filiorum, & nepotum, tam quoad ſucceſſionem, quàm quoad amiſſionem Nobilitatis, & ſimilia; etiam propter

ter crimen læſæ Maieſtatis humanæ.

XI. De qualitate, & triplici modo procedendi; via ſcilicet accuſationis, denunciationis, inquiſitionis: Et de Iudice, etiam in aliis delictis præter hæreſim.

XII. De modo, quo reus debeat citari, defenſiones obtinere, appellare, vel Iudicem recuſare.

XIII. De tortura tam in fidei, quàm in aliis criminalibus cauſis inferenda.

XIV. De probatione in eiſdem cauſis requiſita, & de ſententia ferenda.



R. P. D. TH.



INDEX

DVBITATIONVM, SECTIONVM, *Petitionum, Corollariorum, Aduertendorum, & Obiectionum huius primæ Partis de Officio Sanctæ Inquisitionis circa Hæresim.*



DVBITATIO PRIMA.

PETITIO PRIMA.

COROLLARIVM I.

PETITIO II.

COROLLARIVM I.

DVBITATIO III.

PETITIO PRIMA.

DVBITATIO IV.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO XIV.

PETITIO.

DVBITATIO XX.

PETITIO.

Corollaria ex Dubitationis dicto primo.

DVBITATIO XXVII.

xxxiv. An

Index Dubitationum,

DVBITATIO XLIII.

ADDENDA

DVBITATIO XLV.

PETITIO PRIMA.

DVBITATIO XLVI.

PETITIO PRIMA.

DVBITATIO XLVII.

SECTIO

SECTIO PRIMA.

PETITIO PRIMA.

DVBITATIO XLVIII.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO XLIX.

PETITIO PRIMA.

DVBITATIO L.

De pœnis hæreticorum spiritualibus.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO LIV.

DVBITATIO LXVII.

DVBITATIO LXX.

DVBITATIO LXXII.

DVBITATIO CXIX.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO CXXIII.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO CXXIV.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO CXXV.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO CXXVI.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO CXXVII.

COROLLARIVM I.

DVBITATIO CXXXII.

DVBITATIO CXXXIV.

PETITIO PRIMA.

DVBITATIO CXXXV.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO CXXXVI.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO CXXXVII.

De pœnis hæreticorum quoad corpus, siue de pœnis hæreticorum corporalibus.

DVBITATIO CLV.

SECTIO PRIMA.

DVBITATIO CLXIII.

DVBITATIO CLXIX.

PETITIO PRIMA.

De pœnis filiorum, & nepotum tam diuina, quàm humana læsæ Maiestatis crimen committentis.

DVBITATIO CLXXII.

COROL

PETITIO PRIMA.


DVBITA

DVBITATIO CXCIII.

DVBITATIO CXCIV.



R.P.D. TH.



R. P. D. THOMÆ DELBENE,

TRACTATVS DE IIS QVÆ AD HÆRESIM & Sanctæ Inquisitionis Officium pertinent.



DVBITATIO PRIMA.

Quid dicendum de prima excommunicatione, seu censura Bullæ Cœnæ aduersùs Hæreticos, & Schismaticos?

SVMMARIVM.

1 *Censura Bulla Cœna ità dicuntur, quia feria quinta in Cœna Domini promulgantur.*

2 *Bulla Cœna non obligat in locis, in quibus non est recepta.*

3 *Bulla Cœna censura vt firmitatem habeant, non aliud requiritur, quàm ipsarum authentica publicatio; quia est processus, seu constitutio generaliter lata contra futurum delinquentem; non autem contra determinatam personam, contra quam necessaria esset citatio, vtpote de iure natura.*

4 *Bulla Cœna censura durant quousque noua Bulla expedita fuerit; adhuc enim mortuo Pontifice dicta censura subsistunt.*

5 *Bulla Cœna censuras quidam existimant, latas dicendas esse à iure, eo quod, mortuo auctore, non extinguuntur.*

6 *Bulla Cœna censuras quidam existimant, latas dicendas esse ab homine, eo quod feruntur pro tempore determinato.*

7 *Bulla Cœna censura neque sunt à iure, neque ab homine propriè, & cur; sed sunt media inter sententias latas à iure, & ab homine, & participant de natura ambarum, quibuscumque non obstantibus.*

8 *Bulla Cœna censura non multiplicantur, eo quod à Pontifice in hac Bulla expediantur, & in corpore iuris inserta sint, quia res præcepta non est diuersa, sed eadem & sub eodem fine.*

9 *Bulla in noua si omittatur aliquis casus, qui erat in Bulla antiqua, in ipso ex vi Bulla nullam inducit obligationem, quam tamen inducet si in corpore iuris contentus fuerit: quia esse casum expressum, vel omissum in Bulla, non variat iuris dispositionem.*

10 *Limita, cùm ius illud, seclusa bulla, vim suam obtinebat; at secùs si aliunde reuocatum esset: quia stante tali reuocatione non potest robur accipere ex vi Bulla. nisi dum in Bulla fuerit reuocatus.*

11 *Priuilegia aliqua si fuerint in Bulla reuocata, quorum reuocatio in subsequenti Bulla omissa fuerit, reuiuiscunt, & robur accipiunt, ac si nunquam fuerint reuocata, præsertim si in iure communi dicta priuilegia fuerint inserta.*

12 *Priuilegium in casu nostro reuocatione Bulla non est absolutè extinctum; sed solùm suspensum, dum scilicet reuocatio Bulla vim suam obtinet.*

13 *Heretici cuiuscunque secta, ipsorum credentes, receptatores, fautores, & generaliter quilibet ipsorum defensores, Hareticorum libros heresim continentes, vel de Religione tractantes, sine auctoritate Sedis Apostolica scienter legentes, retinentes, imprimentes, vel quomodocumque defendentes ex qualibet causa, &c. necnon schismatici, & recedentes à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia, sunt excommunicati per primam excommunicationem Bulla Cœna.*



VPPONO primò censuras Bullæ Cœnæ sic dici, quia summus Pontifex eas profert, & promulgat feria quinta in Cœna Domini. 1

Suppono secundò, nos loqui pro locis, in quibus Bulla Cœnæ locum habet. non autem pro locis, in quibus forsan locum non habet, eo quod ibi recepta non sit; quia non est Theologi augere, vel minuere priuilegia locorum. 2

Suppono tertiò, vt hæc censuræ firmitatem habeant, non aliud requiri, quàm ipsarum authenticam publicationem; quia licèt processus contra determinatam personam non possit fieri sine illius citatione (nam cuilibet iure naturali competit ius defensionis) tamen secus est de processu, seu constitutione, vel præcepto generaliter lato contra futurum delinquentem, quia à nullo eius efficacia impediri potest: Doctores communiter apud Sayrum 3

Sayrum *lib. 3. cap. 3. n. 4.* & Bonacinam *tom. 3. de censur. quæst. 1. punct. 3.* circa finem.

4 Suppono quartò, dictas censuras durare, quousque noua Bulla expedita fuerit, vt patet ex verbis eiusdem Bullæ, circa finem, ibi: *Volentes, nostros processus, ac omnia & quæcunque his literis contenta, quousque alij huiusmodi processus à nobis, aut à Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, suosque effectus omninò sortiri.* Vnde satis patet, quod adhuc mortuo Pontifice, dictæ censuræ subsistant.

An autem dicendæ sint censuræ latæ à iure, vel ab homine?

5 Quidam, vt Syluest. *verb. Excommunicatio 7. n. 76.* Nauarr. *cap. 21.* & *cap. 23.* Viualdus Salas *de legib. disput. 1. sect. 9. n. 62.* & alij, quos citat, & sequitur Bonacina *tom. 3. de censur. in particul. disp. 1. q. 1. punct. 5. n. 1.* putant, dicendas esse latas à iure, eo quod mortuo auctore non extinguuntur, & promulgantur ad perpetuam rei memoriam, & in vim constitutionis.

6 Alij, vt Sotus *in 4. dist. 22 quæst. 2. art. 3.* Toletus *lib. 1. cap. 18.* Suarez *disp. 21. de censur. sect. 1. num. 2.* censent, dicendas esse latas ab homine, eo quòd feruntur pro tempore determinato (donec scilicet noua Bulla promulgetur) cessantque, ea promulgatione facta, absque vlla reuocatione.

7 Alij, vt Sayrus *loco suprà citato, cap. 1. n. 18.* & Reginald. *lib. 9. n. 130.* (etsi quæstio potiùs sit de nomine, quàm de re; cùm constet, ob mortem Pontificis dictas censuras durare, cessare tamen absque vlla reuocatione à tempore, quo noua Bulla fuerit promulgata) rectiùs aiunt, tales censuras neque propriè esse à iure (cùm non sint ex se perpetuæ, sed cessent absque vlla reuocatione, noua Bulla expedita) neque propriè esse ab homine (cùm, mortuo authore, non expirent) sed esse medias inter sententias latas à iure, & ab homine, & participare de natura ambarum.

Non obstat, ipsas latas esse ad perpetuam rei memoriam, quia ea verba sunt apposita, non ad concedendam Bullæ firmitatem perpetuam, sed ad excitandam illius memoriam.

Neque obstat vox illa *Constitutionis*; quia vox talis communis est, tam sententiis latis à iure, quàm ab homine: præterquàm quod in principio Bullæ, hæc constitutio vocatur processus annalis.

8 Suppono quintò, has censuras non multiplicari, eo quod à Pontifice in hac Bulla expediantur, & in corpore iuris insertæ sint, quia res præcepta non est diuersa, sed eadem, & sub eodem fine; quapropter non est caput, vnde multiplicatio sumi possit: Nauarr. *in cap. ita quorumdam, de Iudæis*, Suarez *de censur. disp. 21. sect. 1. n. 3.* & Reginald. *loco suprà citato, n. 128.*

9 Hinc sequitur primò quod si in Bulla noua omittatur aliquis casus, qui erat in Bulla antiqua, eo ipso ex vi Bullæ nullam inducit obligationem; quam tamen inducet, si in corpore iuris contentus fuerit: quia, esse casum expressum, vel omissum in Bulla, non variat iuris dispositionem; Nauarr. *vbi suprà, notabil. 11. num. 25.* Sayr. *lib. 3. cap. 1. n. 5.* & Reginald. *citato num. 128.*

10 Quod tamen intellige, cùm ius illud, seclusa Bulla, vim suam obtinebat: at secus, si aliunde reuocatum esset; quia, stante tali reuocatione, non potest robur accipere ex vi Bullæ, nisi dum in Bulla fuerit renouatum.

11 Sequitur secundò, quod si aliqua priuilegia fuerint in Bulla reuocata, quorum reuocatio in subsequenti Bulla omissa fuerit, reuiuiscant, & robur accipiant, ac si nunquam fuerint reuocata; Præsertim si in iure communi dicta priuilegia fuerint inserta: Sayrus *cit. cap. 1. n. 5.* contra Bonacinam *disput. 1. de censur. in particul. q. 1. punct. 5. n. 3.*

12 Obicies: Posita reuocatione priuilegij, priuilegium extinctum est; At priuilegium semel extinctum non reuiuiscit absque noua ipsius concessione; Ergo, quamuis reuocatio cesset, quia non adest noua priuilegij concessio, priuilegium denuò robur accipere non potest.

Respondetur: Nego maiorem: quia in caso nostro priuilegium illud reuocatione Bullæ non est absolutè extinctum, sed solùm suspensum, dum scilicet reuocatio Bullæ vim suam obtinet; siquidem priuilegium illud non alia ratione extinguitur, quàm reuocatione, quæ in Bulla continetur. At reuocatio Bullæ non est absoluta, sed quousque noua Bulla expedita fuerit. Ergo vsque ad illud tempus priuilegium reuocat; alio autem tempore adueniente, reuocatio cessat, sicque priuilegium reuiuiscit. His suppositis.

Respondetur: Per hanc primam excommunicationem sunt excommunicati primò Hæretici cuiuscumque sectæ. Secundò ipsorum credentes. Tertiò ipsorum receptatores. Quartò ipsorum fautores, & generaliter quilibet ipsorum defensores. Quintò, qui hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes sine auctoritate Sedis Apostolicæ scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodocumque defendunt, ex qualibet causa publica, vel occulta, quolibet ingenio, vel colore. Sextò Schismatici, & qui se à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, recedunt. Omnia hæc patent ex contextu ipsius Bullæ Cœnæ Domini. 13



DVBITATIO II.

Quinam sint Hæretici, qui hac prima excommunicatione primo sunt excommunicati?

SVMMARIVM.

1 *Credentes voluntariè aliquid fidei catholicæ contrarium, vel de eo pertinaciter dubitantes, sunt excommunicati prima excommunicatione Bullæ Cœnæ lata contra Hæreticos.*

2 *Pertinacia requiritur, vt quis dicatur Hæreticus, quæ consistit in eo, vt quis firmiter non credat, vel dubitet de veritate illius, quod ab Ecclesia proponitur.*

3 *Hæresis est error voluntarius, & pertinax contra doctrinam & veritatem fidei Catholicæ.*

4 *Hæresis dicitur error voluntarius, quia sine voluntate non est peccatum.*

5 *Hæreticus dicitur pertinax, quia videns se aduersari doctrinæ Ecclesiæ, adhuc adhæret propriæ opinioni, nec paratus est emendari.*

6 *Error pertinax est ille, qui est ex cognitione oppositionis cum fide, quia dum non cognoscitur assensus doctrinæ ab Ecclesia Romana receptæ contrariari, pertinax censeri non debet. At secùs est posita huiusmodi cognitione, quia resistitur Ecclesiæ Romanæ, & per illam non emendatur.*

RESPONDETVR: Sunt, qui voluntariè credunt aliquid fidei catholicæ contrarium, vel de eo pertinaciter dubitant, iuxtà textum *in cap. 1. de hæretic.* & *cap. 1. de summa Trinitate, & fide catholica.* 1

Debet etiam adesse pertinacia, iuxtà textum *in cap. dixit Apostolus,* & *cap. qui in Ecclesia 24. q. 4.* quæ consistit in eo, vt quis firmiter credat, vel dubitet de veritate illius, quod ab Ecclesia proponitur, Canus *lib. 12. de locis Theologic. cap. 6.* Vasquez *1. 2. disput. 26. cap. 4.* Sayr. *lib. 1. cap. 4 n. 15.* & alij passim. 2

Ex his sequitur, quod hæresis sit error voluntarius, & pertinax contra doctrinam, & veritatem fidei catholicæ: Canus *loco suprà citato, cap. 8.* Suarez *disp. 19. de fide, sect. 1. n. 5.* Coninch. *disp. 18. dub. 7.* & Farinac. *de hæresi q. 178. §. 1. in principio.* 3

Dicitur, *Error voluntarius*, quia sine voluntate non est peccatum. 4

Dicitur

5 Dicitur secundò, *Pertinax*, quia videns aduersari doctrinę Ecclesiæ, adhuc adhæret propriæ opinioni, nec paratus est emendari.

Et quidem pertinaciam ad hæresim requiri, patet ex dictis suprà, & ex dicendis infrà, *Petitione secunda*, & conueniunt Doctores omnes cum Augustino relato *in cit. cap. qui in Ecclesia* 24. q. 3. & in Concilio Viennensi relato *in Clement* 1. *de Summa Trinit.*

6 Secundò, etsi varient in eius explicatione; Ego tamen cum Valentia 2. 2. *disput.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. *diffic.* 4. *ad* 2. Vasquez *p.* 1. *disput.* 126. *n.* 6. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 2. *& seqq.* & alijs arbitror, pertinacem errorem esse illum, qui est ex cognitione oppositionis cum fide; quia dum non cognoscis assensum tuum doctrinæ ab Ecclesia Romana receptæ contrariari, pertinax censeri non debes; qua tamen cognitione posita, si propriæ opinioni contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ adhæreas, pertinax eris; quia Romanæ Ecclesiæ resistis, & per illam non emendaris.

PETITIO PRIMA.

Quinam verè, seu propriè sit Hæreticus, & incurrat Excommunicationem, & alias censuras, vel pœnas Ecclesiæ latas contrà Hæreticos?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus vt quis propriè sit, necessariò requiritur, quod aliquando fidem Christianam professus fuerit; qui enim eam nondum professus est, vel acceptauit, non est propriè Hæreticus.*

2 *Cathecumenus quamuis baptizatus non fuerit, potest esse Hæreticus, cùm non necessariò requiratur quod fidem Christianam professus fuerit, vel acceptauerit in Baptismo.*

3 *Hæreticus propriè est qui sub nomine Christiano, & retinendo Christi confessionem, in fide Christi falsa dogmata sequitur, & eius fidem corrumpit.*

4 *Cathecumenus, quamuis Baptizatus non sit, credit tamen in Christum, & est illi vnitus per fidem, potestque per Baptismum flaminis, vel sanguinis saluari, & exterius etiam Christum confitetur.*

5 *Cathecumenus si à fide recedat, quod non sit Hæreticus, vtpotè non baptizatus, satis probabiliter docent alij fundati in Diuo Thoma, docente Hæreticum esse illum, qui à fide in veritate suscepta recedit. At S. Thomas per fidem in veritate susceptam non intelligit fidem susceptam in baptismo, sed susceptam in veritate, idest, non in vmbra, & figura, sed in manifestatione, & exhibitione veritatis.*

6 *Cathecumenus quamuis sit propriè Hæreticus, si à fide recedat, non tamen incurrit excommunicationem, nec alias censuras, & pœnas Ecclesiæ contra Hæreticos latas.*

7 *Baptismus est ianua per quam homines ingrediuntur in Christi Ecclesiam visibilem, ita vt character baptismalis sit signum, per quod homines subijciantur iurisdictioni Ecclesiæ.*

8 *Cathecumenus Ecclesiæ non se obligauit, neque ei promisit, quod Religionem Christianam sit amplexurus.*

9 *Cathecumenus si velit redire ad Iudaismum, vel Paganismum, &c. cogi non potest ab Ecclesia quod non vadat; neque cogi ab Ecclesia, quod baptismum suscipiat.*

10 *Qui cœpit credere in Christum interiùs, & etiam exteriùs, si tamen nondum petiit baptismum, cogi non potest ad petendum baptismum, neque si à fide recedat, puniri potest ab Ecclesia.*

11 *Inquisitores quandocumque volunt in aliquem procedere propter crimen hæresis, inquirunt, an ille fuerit baptizatus.*

12 *Cathecumeni non sunt membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia, re, seu quoad effectum; sunt tamen in Ecclesia voto & desiderio.*

13 *Cathecumeni non sunt membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia re, seu quoad effectum, sunt tamen voto & desiderio, seu quoad affectum: Nempe saluari potest extra Ecclesiam, si sit extra eam tam re, seu quoad effectum, quàm voto & desiderio. At secus, si sit extra eam tantùm re, & quoad effectum.*

14 *Cathecumeni licet sint membra Christi per fidem internam, & inuisibilem, non tamen sunt membra Ecclesiæ.*

15. *Baptizatus baptismo tamen inualido, defectu scilicet materiæ, formæ, vel Ministri intentionis essentialis, si à fide postea recedat, est verè & propriè hæreticus. Quod ex Concilijs, & Patribus probatur.*

16 *Hæretici huiusmodi, quidquid in contrarium dixerint alij, non possunt ab Ecclesia puniri, quia ipsa non potest punire eos, in quos iurisdictionē non habet.*

17 *Ecclesia non recipit homines in sua membra, nisi per signum sensibile à Christo institutum, quale est Baptismus.*

18 *Baptizati prædicti, si habuerint intentionem suscipiendi Baptismum, qui tamen fuit inualidus ob defectum materiæ, formæ, vel Ministri intentionis essentialis, secundum aliquos cogi possunt ab Ecclesia ad suscipiendum verum Baptismum: At probabilius est oppositum.*

19 *Hæreticus verè & propriè quis potest esse, quamuis fidelis fuerit, multi enim baptizantur in infantia, & viuunt inter hæreticos, & errorem errores sequuntur, & propriè nunquam fideles fuerunt.*

20 *Baptizati taliter sunt infideles, & cùm Christum profiteantur & credant, etsi fide non diuina, sed humana, non sunt Pagani, neque Iudæi.*

21 *Interdum contingit, quod quis ab infantia baptizatur, & ab hæreticis educetur, & nunquam verum Baptismum, nec habitum fidei infusa propter defectum materiæ, formæ, vel Ministri intentionis essentialis receperit: At iste talis, cùm Christum profiteatur, non est Paganus, neque Iudæus, licet credat fide non diuina sed humana.*

22 *Credens totum id quod fide catholica credendum est, non tamen credens aliquam specialem reuelationem sibimet ipsi factam, quam certò & firmiter iudicat, vel euidenter in attestante cognoscit esse diuinam, est propriè hæreticus, quia talem specialem reuelationem tenetur credere fide diuina, supernaturali & theologica, sicut alias res fidei reuelatas.*

23 *Reuelationes huiusmodi speciales, seu particulares, quod homo teneatur credere fide theologica, satis indicat Tridentinum Concilium* sess. 6. cap. 12.

24 *Adã, Abrahã, & alijs fuerunt à Deo immediatè reuelata aliqua, quæ illi infallibiliter, & non nisi fide theologica crediderunt, cùm ipsorum fides fuerit eiusdem rationis cum nostra.*

25 *Reuelationes prædictas non credens reprehenditur in sacris Literis.*

26 *Reuelationes particulares, speciales, seu priuatæ fide theologica credendæ non sunt, ex Caietano & alijs quibusdam, ex eo, quod Innocentius III. dicat, non esse fidem habendam alicui reuelationi: At Innocentius loquitur in ordine ad eos, qui reuelationes particulares audiunt ex alijs, non autem in ordine ad eos, qui eas habent ex seipsis.*

27 *Reuelationes particulares, speciales, seu priuatæ licet credendæ sint, aduertendum tamen est, vtrum sint à Deo, an aliunde.*

28 *Reuelationem specialem, priuatam, seu particularem non credens, licet propriè sit hæreticus, non incurrit, nec trahit pœnas ab Ecclesia aduersus hæreticos latas.*

29 *Ecclesia non imponit pœnas nisi illis qui recedunt à Fide Catholica, scilicet recedunt ab iis rebus, quas Ecclesia proponit credendas omnibus Fidelibus, contra nonnullos sentientes oppositum.*

30 *Iste talis contrahit quidem pœnas ab Ecclesia latas aduersus Hæreticos, si exteriùs asserat, Deum posse mentiri in priuatis reuelationibus, & non esse credendum, cùm in particulari aliquid reuelat, sed ordinariè non contrahit pœnas ab Ecclesia latas aduersus hæreticos, qui priuatam reuelationem non credit.*

31 *Iudæus in infantia, quamuis ignorans Baptismum recipiat, & postea ad Iudaismum reuertatur; est etiam propriè hæreticus.*

32 *Iudæus, qui non sponte, sed coactè Baptismum suscipit, si posteà similiter ad Iudaismum reuertatur, dummodo coactio non fuerit absoluta, sed conditionalis, propriè hæreticus est.*

33 *Item etiam est propriè hæreticus is, qui falsò putans aliquid ab Ecclesia definiri, illud non credit, quia sic putat, quod vera non sint omnia, quæ ab Ecclesia sunt definita.*

1 Respondetur iuxta ea quæ dicam infra *dubit.* 10. Ad hoc vt quis sit propriè hæreticus, necessariò requiritur quod aliquando fidem Christianam professus fuerit, S.Thom. 2.2.*q.*11.*art.*1. quatenus ait, quod hæresis sit eorum qui fidem Christi profitentur, sed eius dogmata corrumpunt: quem sequuntur communiter DD. &

Probatur, quia qui nunquam fidem Christianam professus est, vel acceptauit, etiamsi erret, non est propriè hæreticus, sed Iudæus, vel Paganus est: Ergo.

2 Non tamen etiam necessariò requiritur, quod fidem Christianam professus fuerit, vel acceptauerit in Baptismo: sed potest hæreticus esse, quamuis non fuerit baptizatus (qualis est cathecumenus) Alphons. de Castr. *lib.* 1. *de inst. hæreticor. punit. cap.* 8. Bannez 2. 2. *q.*11.*art.* 2. Suarez *tract. de fide, disput.* 19.*sect.*5.*n.*4. & *tom.*5.*de censur. disput.*21.*sect.*2. & *contra Regem Angliæ lib.*1.*cap.*24. Turrianus *de fide disput.*55.*dub.*1.*vers. Verùm si*, Reginaldus *lib.* 17.*q.*3.*n.* 51. Becanus *tract. de fide, cap.*14. *q.* 2 *n.*4. Azor *tom.*1.*Inst. moral. lib.*8.*cap.*9. *q.*3.& Farinac. *de hæresi q.*178.*n.*133.& 135.

3 Probatur, quia propriè hæreticus est, qui sub nomine Christiano, & retinendo Christi confessionem, in fide Christi falsa dogmata sequitur, & eius fidem corrumpit (vti cum Augustino *lib.*18.*de Ciuit.c.*51. Gregorio *lib.*3.*moral cap.* 14. & *lib.*5.*cap.*10. & *lib.*23. *cap.*1. Ambros. *ad Titum* 3. Beda *Luc.*7.& aliis docet S.Thom. *cit. art.*1.) Sed cathecumenus potest sub nomine Christiano, & retinendo Christi confessionem, in eius fide falsa dogmata sequi, & eius fidem corrumpere. Ergo &c.

4 Confirmatur, quia cathecumenus, quamuis baptizatus non sit, credit tamen in Christum, est illi vnitus per fidem, potest per Baptismum flaminis, vel sanguinis saluari, & exteriùs etiam, cùm Baptismum petat, Christum confitetur: Ergo est propriè fidelis; atque adeò, si postea recedat à fide retinendo Christi confessionem, erit infidelis, sicque, cùm non sit Iudæus, vel Paganus, &c. erit propriè hæreticus.

5 Quamuis contrarium (quod scil. cathecumenus, si à fide recedat, vtpote non adhuc baptizatus, non sit verè hæreticus) etiam satis probabiliter doceant Abb. *in cap. firmissimè. de hæretic.* Marian. Soccin. *ibid. n.*6.& *seqq.* Io. Andr. *in cap. ad abolendam, de hæretic. n.* 3. Zabarella *ibid. n.*6. Ancharan. *n.*1. Butrius *num.* 14. Caietanus 2.2. *q.*11.*art.*2. Aragonius *ibid.* Vgolinus *de censur. Pontific. reseruat. part.*2.*cap.*1.§.1. Sanchez *tom.*1.*moral. lib.*2.*c.*7. *num.*4. Toletus *lib.*4.*cap.*3. Valentia 2.2. *disput.*1.*q.*11. *punct.*2. Sayrus *de censur. lib.*3.*cap.*4.*num.*10.& 11. & Turrecremata *lib.*4.*summ. part.*2.*c.*1. Ex eo quia S.Thomas 2.2.*q.*10.*art.*5. ait, hæreticum esse illum, qui à fide in veritate scilicet (inquiunt ipsi) in Baptismo suscepta recedit. Ad quod respondere quis posset, quod per fidē in veritate susceptam non intelligat S. Thomas fidem susceptam in Baptismo, sed susceptam in veritate, id est, non in vmbra & figura, cùm afferat S.Thomas ibi discrimen inter hæreticum & Iudæum, quod hæreticus recedat à fide suscepta in manifestatione & exhibitione veritatis, Iudæus autem recedat à fide suscepta in vmbra & figura.

At quidquid sit de hoc, id tamen dicendum erit, quod cathecumenus, quamuis sit propriè hæreticus, si à fide recedat, non tamen incurrat excommunicationem, nec alias censuras & pœnas Ecclesiæ contra hæreticos latas. Bannez 2.2.*q.*11.*art.*2. Suarez *locis sup cit.* Simanch. *de Cathol. Inst. tit.*31.*n.*6. Sanchez *lib.*2.*moral.c.*7.*n.*54. Becan. *de fide, cap.*14.*q.*2.*n.*3. Reginald. *lib.*17.*q.*3.*n.*51. Azor *tom.*1.*Instit moral. lib.*8.*cap.*9.*q.*3.& Turrianus *de fide disput.*55.*vers. Verùm si*, contra Alfonsum à Castro *lib.*1.*de inst. hæret. punit. cap.*8. & quosdam alios. 6

Probatur quia Baptismus est ianua, per quam homines ingrediuntur in Christi Ecclesiam visibilem, itavt character baptismalis sit signum, per quod homines subiiciuntur iurisdictioni Ecclesiæ. Ergo, qui non habet caracterem baptismalem, non est Ecclesiæ subiectus, ac proinde non potest ab Ecclesia puniri, cùm Ecclesia in illum iurisdictionem non habeat. 7

Confirmatur, quia iste Ecclesiæ non se obligauit, neque ei promisit, quod Religionem Christianam sit amplexurus: Ergo propter Christi fidem sic inchoatam Ecclesia non acquirit in illum iurisdictionem. 8

Confirmatur secundò, quia si velit cathecumenus redire ad Iudaismum, vel Paganismum, etsi cogi non potest ab Ecclesia, quod non redeat, neque cogi potest ab Ecclesia quod Baptismum suscipiat: Ergo signum est, quod in cathecumenum, vtpote nondum baptizatum Ecclesia iurisdictionem non acquisiuerit, siue quod illum defectu iurisdictionis punire non possit. 9

Confirmatur tertiò, quia is qui cœpit credere in Christum interiùs, & etiam exteriùs, si tamen nondum petiit Baptismum, cogi non potest ad petendum Baptismum, neque si à fide recedat, puniri potest ab Ecclesia: Ergo quamuis petierit Baptismum, cogi non post ad illum suscipiendum, neque si à fide recedat, potest puniri ab Ecclesia; cùm per solam petitionem baptismi non acquisiuerit Ecclesia iurisdictionem in illum, qui petiit baptismum. 10

Confirmatur quartò, quia Inquisitores quandocumque volunt in aliquē procedere propter crimē hæresis, inquirunt, an ille fuerit baptizatus: ergo signum est, quod Ecclesia iurisdictionem non habeat in eum, qui nunquam adhuc baptismum suscepit. 11

Obiicies ex aduersariis: Cathecumeni sunt membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia; ergo potest eos, si à fide recedant, Ecclesia punire censuris, & aliis pœnis, quæ statutæ sunt contra hæreticos. Consequentia patet. Antecedens probatur: quia S. Augustinus *tract.* 4. *in Ioannem* apertè ait, quod Cathecumeni sint in Ecclesia; & *in cap. veniens, de presb. non baptizato,* apertè dicitur, quod homo fiat membrum Christi non solùm per Sacramentum, sed etiam per fidei sacramentum. 12

Respondetur, distinguo antecedens: Cathecumeni sunt membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia, re, seu quoad effectum, nego; quia nondum per Baptismum, qui est ianua ad Ecclesiam, ingressi sunt in Ecclesiam. Tum quia, vt quis dicatur membrum Ecclesiæ visibilis, debet esse coniunctus ei per signum visibile, scilicet per Baptismum institutum à Christo. Tum quia nondum habent ius ad Sacramenta Ecclesiæ, & ad alia quæ sunt communia inter membra Ecclesiæ, seu inter fideles Ecclesiæ. Sunt membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia voto, & desiderio, seu quoad affectum, concedo; sed nego consequentiam.

Instabis; Cathecumeni possunt saluari: Ergo sunt membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia. Antecedens patet, quia possunt habere fidem, charitatem, & alias virtutes. Consequentia probatur, quia nemo potest saluari 13

uari extra Ecclesiam, sicuti habetur in Concilio Lateranensi *cap. 1.* ibi. *Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus potest saluari*, & in Extrauag. *Vnam sanctam, de maiorit. & obed.*

Respondetur, distinguendo etiam, vt suprà: sunt membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia, re, seu quoad effectũ, nego; ob rationes iam dictas: Voto, & desiderio, seu quoad affectum, concedo, & ad probationem consequentiæ respondetur: Nemo saluari potest extra Ecclesiam, si sit extra Ecclesiam tam re, seu quoad effectum, quàm voto, & desiderio, seu quoad affectum, concedo: At secus si sit extra Ecclesiam tantum re, seu quoad effectum, non item voto & desiderio, seu quoad affectum, quemadmodum nemo saluari potest sine baptismo, si sit sine baptismo tam re, seu quoad effectum, quam voto, & desiderio, seu quoad affectum. At secus, si sit sine baptismo tantum re, seu quoad effectum, non item voto, & desiderio, seu quoad affectum, cum saluari possit solum per baptismum in voto, & desiderio, seu quoad affectum.

14 Vrgebis: Cathecumeni sunt membra Christi per fidem: Ergo etiam sunt membra Ecclesiæ.

Respondetur: Nego consequentiam, quia licet quidem cathecumeni sint membra Christi per fidem internam, & inuisibilem, non tamen sunt membra Ecclesiæ, cùm homo (sicuti dicebam) fiat membrum Ecclesiæ visibilis per signum visibile (scilicet per baptismum) institutum à Christo. Vide quæ dicebam *supra sect. 10. & 21.*

COROLLARIVM PRIMVM.

An quis baptizatus, Baptismo tamen inualido, si à fide posteà recedat, sit propriè hæreticus?

15 EX dictis sequitur primò, quod qui fuit baptizatus, baptismo tamen inualido, defectu scilicet materiæ, formæ, vel Ministri intentionis essentialis, si à fide postea recedat, sit verè, & propriè hæreticus, Patet ex dictis, & vlterius

Probatur ex Conciliis, & Sanctis Patribus, quatenus habent quod aliqui hæretici, si conuertantur ad fidem catholicam, sint baptizandi: quibus verbis Concilia & sancti Patres significant, quod ij quidem fuerint baptizati, baptismo tamen inualido, defectu materiæ, formæ, vel Ministri intentionis essentialis. Et quidem taliter baptizati vocantur hæretici in Concilio Nicæno *cap. 19.* Vbi definitur, quod baptizari debeant illi; qui ex hæresi Pauli Samosateni redeunt ad fidem Catholicam (de quo canone mentionem facit S. Augustinus *hæresi* 49. asserens etiam Paulianos istos baptizandos esse in Ecclesia Catholica.) Et similiter prædicti vocantur hæretici in Synodo generali *can. q. 5.* Vbi etiam statuitur, quod aliqui hæretici, quando redeunt ad fidem catholicam, baptizari debeant: Taliter etiam baptizati vocantur similiter hæretici à S. Augustino *lib. de vnico baptismo, contra Donatistas, cap. 3.* & *lib. de hæresib. in princ.* & *hæres.* 44. & ab aliis Sanctis Patribus.

16 Non tamen etiam ex dictis tales hæretici, quidquid in contrarium dixerint Gabriel *in 4. dist. 12. q. 2. art. 1. not. ab. 2.* & Simanch. *de cathol. Institut. tit. 31. n. 5.* possunt ab Ecclesia puniri, quia (sicuti dicebam) Ecclesia non potest punire eos, in quos iurisdictionem non habet, sed in tales hæreticos iurisdictionem non habet; Ergo. Maior, prærerquam ex dictis, constat etiam *ex cap. Gaudemus, de diuortiis*, & ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 2.* iuxta illud Apostoli *in epist. 1. ad Corinth. cap. 5. De his; qui foris sunt, nihil ad nos.* Minor probatur, quia (sicuti etiam dicebam) Ecclesia iurisdictionem acquirit in homines per Baptismum, & per characterem baptismalem: At Baptismus inualidus, non est Baptismus, nec per eum, vtpote inualidum, imprimitur character baptismalis: Ergo in taliter baptizatos Ecclesia iurisdictionem non habet.

17 Confirmatur, quia etiam ex dictis Ecclesia non recipit homines in sua membra, nisi per signum sensibile à Christo institutum (qualis est baptismus) sed isti reuera baptismum (vtpote inualidum, & nullum) non receperunt: Ergo non fuerunt ab Ecclesia recepti in sua membra, atque adeò non poterunt ab Ecclesia puniri.

18 An autem taliter baptizati, si habuerint intentionem suscipiendi baptismum (qui tamen fuit inualidus ob defectum materiæ, formæ, vel Ministri intentionis essentialis) cogi possint ab Eccclesia ad suscipiendum verum baptismum?

Respondetur, quod (quamuis affirment Henriquez *lib. 2. de baptismo, cap. 25. n. 6.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 4. n. 11.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 7.* ex eo, quod ex parte sua illum susceperint, tamen ex dictis probabilius sit oppositum, quia, sicuti dicebam, Ecclesia in illos, qui non sunt reuerà baptizati, iurisdictionem non habet.

COROLLARIVM II.

An possit quis esse propriè hæreticus, quamuis nunquam fuerit fidelis?

19 SEquitur secundò, quod possit quis esse verè, seu propriè hæreticus, quamuis nunquam fuerit fidelis. Patet etiam ex dictis, & vlterius

Probatur, quia multi baptizantur in infantia, & viuunt inter hæreticos, & eorum errores sequuntur, & propriè nunquam fideles fuerunt, nec per habitum fidei infusæ articulum aliquem nostræ fidei crediderunt, qui, si posteà ipsis fides catholica sufficienter proponatur, & tamen eam non amplectantur, incipiunt esse hæretici, ita vt & contrahant etiam pœnas latas contra hæreticos. Ergo potest quis esse propriè hæreticus, quamuis nunquam fuerit fidelis.

20 Confirmatur, quia taliter baptizati & educati sunt infideles, & (cum Christum profiteantur, & credant, etsi fide non diuina, sed humana) non sunt Pagani, neque Iudæi: Ergo sunt hæretici.

Confirmatur secundò, quia interdum contingit, quod quis ab infantia baptizetur, & ab hæreticis educetur, & nunquam verum Baptismum, nec habitum fidei infusæ propter defectum materiæ, formæ, vel Ministri intentionis essentialis receperit: At iste talis, cum (sicuti dicebam) Christum profiteatur, & credat, etsi fide non diuina, sed humana, non est Paganus, neque Iudæus: Ergo est hæreticus, quapropter rectè dicit S. Augustinus *de Ciuit. lib. 18. cap. 51.* quod hæretici sint illi, qui sub nomine Christiano à vera fide recedunt.

21 Hinc fit, quod ad hoc, vt quis sit hæreticus, sufficiat, quod in Christum credat, vel crediderit, ita vt si ipsi postea sufficienter proponatur aliquis articulus fidei, de quo priùs notitiam non habuerit, teneatur illum credere, quem si non credat, labatur in propriam hæresim, & fiat propriè hæreticus. Cum enim, sicuti dicebam, iste sit infidelis, & non sit Paganus, neque Iudæus, erit propriè hæreticus: qui igitur saltem per fidem humanam res fidei, vt per Christum, & Apostolos reuelatas & propositas, recepit, admittendo scripturas sacras veteris, & noui Testamenti, & admittendo Christum vt Messiam nobis datum, vtque datorem fidei, & salutis, integrè tamen fidem non recipit, erit propriè hæreticus; quia (sicuti dicebam ex Augustino *cit. lib. 18. de Ciuit. cap. 11.*) hæreticus est, qui sub nomine Christiano à vera fide recedit.

Corollarium III.

An qui credit aliquam specialem reuelationem sit propriè hæreticus?

22 Sequitur tertiò iuxta ea, quæ dicam infrà *dubit.* 8. quod qui credit totum id, quod fide catholica credendum est, non tamen credit aliquam specialem reuelationem sibimetipsi factam (quam certò, & firmiter iudicat, vel euidenter in attestante cognoscit esse diuinam) sit propriè hæreticus; Vega *lib.* 5. *de iustificat. cap.* 3. Catharinus *in Apologia de certitudine gratiæ cap. vlt.* Suarez *tract. de fide disp.* 19. *sect.* 5. *n.* 11. Azor. *tom.* 1. *Institut. moral. lib.* 8. *cap.* 9. *q.* 4. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 31. & alij passim (quamuis Viualdus *in Bullam Cœnæ cas.* 1. *n.* 30. Corduba *lib.* 1. *q.* 17. *dub.* 2. & Rodericus *in Bullam Cruciatæ* §. 9. *n.* 74. sentiant, quod iste talis committat quidem peccatum infidelitatis, non tamen hæresis) contrà Caietanum, Sotum, Canum, & Valentiam in locis infrà citandis. Patet ex dictis etiam, & vlteriùs

Probatur; quia talem specialem reuelationem tenetur credere fide diuina, supernaturali, & Theologica, sicut alias res fidei reuelatas: Ergo si illam non credat, est propriè hæreticus, sicut & propriè hæreticus est, qui non credit alias reuelationes diuinas ab Ecclesia sufficienter propositas. Consequentia patet; quia talis dissensus opponitur fidei supernaturali, & est in homine Christiano: Ergo talis dissensus est propriè hæresis, sicque constituit propriè hæreticum illum, in quo dictus dissensus reperitur; Tum quia talis dissensus expellit ab homine, & ab homine Christiano, fidem: Ergo talis dissensus est propriè hæresis, sicque constituit propriè hæreticum illum, in quo dictus dissensus reperitur, vti dicebam. Antecedens docent Vega *lib.* 9. *in Tridentinum cap. vlt.* Catharinus *in citato opusculo de certitudine gratiæ*, Bellarminus *lib.* 3. *de iustificat. cap.* 3. Aragonius 2.2. *qu.* 1. *artic.* 1. *& q.* 3. *art.* 3. & Corduba *cit. q.* 17. Et probatur; quia tenemur huiusmodi reuelationes diuinas speciales, seu particulares credere eadem fide theologica, qua credimus quicquid à Deo fuerit reuelatum, quamuis non proponatur toti Ecclesiæ credendum. Nam diuinas reuelationes credimus ob Dei reuelantis authoritatem, quæ æqualis est in qualibet re, quam reuelauerit, siue eam reuelauerit toti Ecclesiæ vniuersali, siue personæ alicui particulari, cùm prima veritas sit æquè infallibilis in qualibet reuelatione, siue illa fuerit vniuersalis, siue particularis, siue specialis. Tum secundò; quia qui talem reuelationem non credit, censetur non credere in vniuersum primam veritatem reuelantem; & censetur sentire, quod non semper, nec in omnibus credenda sit prima veritas aliquid reuelans, & dicens: quod est propriè hæresis. Tum tertiò; quia qui reuelationem aliquam particularem (quam firmiter, & certò iudicat, vel euidenter in attestante cognoscit esse diuinam) non credit, censetur sentire, quod Deus possit mentiri, quando in particulari aliquid reuelat: quod multò magis est errare in doctrina catholica, atque adeò multò magis est propriè hæresis.

23 Confirmatur, quia quod tales speciales, seu particulares reuelationes teneatur homo credere fide theologica, satis indicat Tridentinum Concilium *sess.* 6. *cap.* 12. (vbi decernit, non nisi ex speciali reuelatione sciri posse, quos Deus sibi elegerit) *& in can.* 16. vbi sic definit: *Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certò habiturum absolutè, & infallibi certitudine dixerit, nisi hoc speciali reuelatione didicerit, anathema sit.* Quibus verbis significat, quod si Deus alicui personæ particulari aliquid in particulari reuelet, debeat illud credere infallibili certitudine, sicque fide theologica; cum non dicat Concilium, dictam reuelationem esse credendam alia fide diuersa ab illa, qua creduntur res fidei, quas Ecclesia omnibus fidelibus credendas proponit.

24 Confirmatur secundò, ex eo, quod Adæ, Abrahæ, & aliis fuerunt à Deo immediatè reuelata aliqua, quæ illi infallibiliter, & non nisi fide theologica crediderunt (cum ipsorum fides fuerit eiusdem rationis cum fide nostra.) Ergò, quando Deus aliquid reuelat in particulari, tenetur is, cui fit talis reuelatio, illud (si firmiter & certò iudicet, illam reuelationem esse diuinam) credere fide theologica; itaut si pertinaciter non crediderit, propriè sit hæreticus.

25 Confirmatur tertiò, quia, qui prædictas speciales reuelationes modo, quo suprà dicebam, non credit, reprehenditur ex sacris literis, vti patet de Sara, *Genes.* 18. & de Zacharia, *Luc.* 1. Ergo &c.

26 Non obstat, si dicas cum Caietano 2.2. *quæst.* 1. *art.* 1. *& quæst.* 3. *artic.* 3. Soto *lib.* 3. *de natura & gratia, cap.* 11. Cano *lib.* 12. *de locis theolog. cap.* 3. *&* 4. & Valentia 2.2. *quæst.* 1. *punct.* 1. *difficult.* 3. quod reuelationes particulares, speciales, seu priuatæ, fide theologica credendæ non sint ex eo, quia Innocentius III. *in cap. Cum ex adiunctis, de hæreticis*, ait, non esse fidem habendam alicui reuelationi particulari, nisi illa miraculo confirmetur.

Respondetur enim, Innocentium loqui in ordine ad eos, qui reuelationes particulares audiunt ex aliis, non autem in ordine ad eos, qui reuelationes particulares habent in seipsis, vti rectè præter alios adnotauit Abulensis *in capit.* 4. *Matthæi, quæstione* 120. *& quæst.* 121.

27 At quamuis particulares, speciales, seu priuatæ reuelationes modo, quo supra credendæ sint (adeò quod qui illas non crediderit, reprehendatur in sacris literis, vti dicebam) aduertendum tamen est, vtrum eæ sint à Deo, an aliunde, sicut admonet Apostolus *ad Tessalon.* 5. *ibi: Prophetias nolite spernere.* Subdens, *Omnia autem probate.* Quibusnam autem signis dignoscatur, vtrum reuelationes sint à Deo, an aliunde, docent S. Thomas *in* 2. *ad Corinth. cap.* 11. super illa verba; *Sathanas transfigurat se in Angelum Lucis*, & Io. Gerson 1. *par. Alphab.* 24. *lit. F. & in Alphabet.* 19. *lit. V.* & Medina 1.2 *q.* 11. *circa finem.*

28 Cæterùm qui specialem, priuatam, seu particularem reuelationem non credit (quamuis propriè, sicuti dicebam, sit hæreticus) non tamen contrahit pœnas ab Ecclesia latas aduersus hæreticos, Corduba *lib.* 1. *quæst.* 17. Suarez *de fide disput.* 19. *sect.* 5. *num.* 12. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 4. & alij passim. Patet etiam ex dictis, & vlteriùs

29 Probatur, quia Ecclesia non imponit pœnas, nisi illis, qui recedunt à fide catholica, scilicet recedunt ab eis rebus, quas Ecclesia proponit credendas omnibus fidelibus (fides enim catholica dicitur illa, quæ toti Ecclesiæ vniuersali credenda proponitur, cum doctrina catholica sit idem, quod doctrina vniuersalis) At qui non credit specialem, priuatam, seu particularem reuelationem, non recedit à fide catholica, sed à fide speciali, priuata, seu particulari; Ergo, &c.

Quamuis nonnulli (quos sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 129. sentiant oppositum, quod scilicet contrahat pœnas ab Ecclesia latas aduersùs hæreticos, ex eo, quia Ecclesia proponit omnibus credendum, quod Deus sit summa Veritas, quam iste talis deneget; cùm eius reuelationem non credat: Ergo.

30 At Respondetur, istum talem contrahere quidem pœnas ab Ecclesia latas aduersùs hæreticos, si exteriùs asserat, Deum posse mentiri in priuatis reuelationibus, & non esse credendum, cùm in particulari aliquid reuelat; sed nos dicimus, ordinariè non contrahere pœnas ab Ecclesia latas aduersùs hæreticos eum, qui priuatam reuelationem non credit; quia ordinariè huiusmodi malitia est in mente latens; sicque, cum exteriùs non prodatur, non subiicitur pœnis ab Ecclesia latis aduersùs hæreticos.

Sequitur.

31 Sequitur quartò, quod si iudæus in Infantia, quamuis ignorans, baptismum recipiat, & posteà ad Iudaismum reuertatur, sit etiam propriè hæreticus. Patet ex iisdem dictis; & habetur *in cap. contra Christianos, de Hæretic. in 6.* & notat glossa ibi, verbo *Infantes*, & Paulus *ibidem num.* 2. Syluester verbo *Hæreticus* 2. *num.* 4. & Peña *in Directorio Inquisit. part.* 2. *quæst.* 4. *comment.* 69.

32 Item est propriè hæreticus Iudæus, qui non sponte, sed coactè Baptismum suscipit, si posteà similiter ad Iudaismum reuertatur, dummodo coactio non fuerit, (ita vt Baptismus fuerit nullus, & inualidus) sed conditionalis, ex eodem *cap. contra Christianos*: & notat glossa ibidem, verbo *Absolutè*, Syluester *loco suprà citato*, Calderinus *tract. de hæreticis, in rubrica de iis, qui condemnantur vt hæretici, num.* 1. & Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 10. *n.* 11.

33 Item etiam est propriè hæreticus is, qui falsò putans aliquid ab Ecclesia esse definitum, illud non credit; quia sic putat, quod vera non sint omnia, quæ ab Ecclesia sunt definita; Petrus de Ledesma *in summa tom.* 2. *tract.* 1. *cap.* 6. *conclus.* 3. Paramus *de origin. S. Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 3. *num.* 20. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 17. *num.* 3. Aragonius 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. *verb. Hoc constituto*, Sayrus *de censur. lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 14. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 3. Farinac. *de hæresi q.* 179. *num.* 2. Ricciull. *de iur. person. lib.* 5. *cap.* 3. *num.* 1. & Bannez 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. *corollar* 3. Qui subdit, hunc contrahere etiam pœnas ab Ecclesia latas aduersùs hæreticos; quia sic credit aliquid, quod est contra fidem, scilicet Ecclesiam errare posse, quando proponit aliquid Fidelibus omnibus de fide credendum.

PETITIO II.

An vt quis sit propriè hæreticus, requiratur, quod contra fidem sit pertinax?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus propriè est, qui contra fidem est pertinax pertinacia, quæ quoad materiam fidei consistit in eo, quod voluntariè resistat doctrinæ, quæ credenda de fide ab Ecclesia proponitur, & quod nolit suum iudicium auctoritati Ecclesiæ subiicere.*

2 *Hæreticus ex sacris Canonibus est ille, qui deinceps asserere, defendere, seu tenere præsumpserit, quod Anima rationalis non sit forma corporis humani.*

3 *Præsumptio non est sine pertinacia.*

4 *Idem probatur auctoritate sanctorum Patrum, præsertim Augustini dicentis: Constituamus aliquem sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem scilicet, Photini ipsam esse Catholicam fidem: nondum illum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina Catholicæ fidei, resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit, & alibi &c.*

5 *Qui vult iudicium suum iudicio Ecclesiæ subiicere, non est hæreticus.*

6 *Fides consistit in eo, quod quis captiuet intellectum suum in obsequium Dei, qui per Ecclesiam ordinariè proponit quod est de fide credendum.*

7 *Paratus obedire Ecclesiæ, eo ipso Ecclesiam in proponendis rebus fidei errare non posse arbitratur, eique res fidei proponenti, de facto subiicitur.*

8 *Errans in rebus fidei, si paratus sit, si Ecclesia aliter iudicauerit, talem errorem deponere, non est hæreticus.*

9 *Errans circa aliquem fidei articulum, si tamen Ecclesiæ obedire velit, non deperdit fidem.*

10 *Ad pertinaciam requiritur, & sufficit, vt quis sciens, aliquid esse de fide, deliberatè illud non credat, seu vt quis sciens suam opinionem esse contra sensum Ecclesiæ Catholicæ, neglecta tamen auctoritate Ecclesiæ persistat in sua opinione.*

11 *Vt quis possit habere actum fidei requiritur, & sufficit, vt ipsi proponatur id, quod est de fide credendum, & vt ipsius intellectus ei assentiatur.*

12 *Hæresis peccatum potest subitò, & in instanti sine vlla temporis mora committi.*

13 *Ad peccatum hæresis committendum non requiritur admonitio exterior, sed sufficit admonitio interior, quæ habetur per fidei rerum notitiam, qua habita potest in instanti propositioni Catholicæ non credere.*

14 *Ad hæresim, & pertinaciam sufficit, vt quis contra id quod Ecclesia proponit ad credendum, sentire velit, siue id faciat ex intentione directa contradicendi Ecclesiæ, siue ex vana gloria, siue ex lucro, siue ex Argumentorum vi, siue tandem ex aliqua alia causa, quia quomodocumque contradicat, semper anteponit iudicium suum priuatum, iudicio Ecclesiæ, &c.*

15 *Pertinacia hîc non sumitur pro obduratione, vel obstinata malitia, prout contradistinguitur ab infirmitate, seu passione, sed sumitur, vt satis est ad veram, & propriam hæresim, &c.*

Respondetur iuxtà ea, quæ dicebam suprà *dubit.* 2. 1
affirmatiuè (si scilicet sit pertinax pertinacia, quæ quoad materiam fidei consistit in eo quod voluntariè, vtpote sciens, sicuti dicebam *cit. dubit.* 2. resistat doctrinæ, quæ credenda de fide ab Ecclesia proponitur, noliteque suum iudicium auctoritati Ecclesiæ subiicere) S. Thomas 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. *ad* 3. Durandus *in* 4. *dist.* 15. *q.* 3. Gabriel *ibidem q.* 2. Caietanus *in summa, verbo Hæresis, &* 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. Castro *lib.* 1. *de iusta hæretic. punit. cap.* 9. Canus *de locis Theolog. lib.* 12. *cap.* 8. *ad* 4. *Argumentum*, S. Antoninus *part.* 2. *tit.* 12. *cap.* 5. Albertinus *de hæretic. q.* 1. *n.* 19. *& q.* 13. *num.* 4. Simanch. *de Catholic. instit. tit.* 48. *n.* 7. Corduba *lib.* 1. *q.* 17. Vasquez 1. 2. *q.* 76. *art.* 3. *disput.* 126. *cap.* 3. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. *vers. quarta difficultas*, Turrianus *de fide disp.* 55. *dub.* 2. Turrecremata *lib.* 4. *de Eccles. part.* 2. *cap.* 1. *&* 11. Becanus *tractat de fide, cap.* 14. *quæst.* 2. *n.* 10. Turreblanca *de elect. lib.* 3. *cap.* 8. *n.* 23. & alij passim.

Probatur primò ab extrinseco auctoritate *ex cap. Ad* 2
abolendam, in princ. de hæretic. & *Extrauag. Ioan XXII. Cum inter, de verbor. signif. ex cap. Damnamus, de summa Trinit.* & *ex Clement. vnica, eodem tit.* ibi: *Hæreticus est ille, qui deinceps asserere, defendere, seu tenere præsumpserit, quod anima rationalis non sit forma corporis humani:* Et ex *cap. vnico de summa Trinit.* ibi: *Temerariò ausu præsumpserit.* Cùm præsumptio non sit sine pertina- 3
cia. Et ex *cap. dixit Apostolus* 24. *q.* 3. ibi: *Qui sententiam suam quamuis falsam, & peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt, sed à seductis, atque in errorem lapsis Parentibus acceperunt; quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.*

Confirmatur ex Patribus, quia S. Augustinus *epist.* 168. 4
& *lib.* 4. *de Baptismo contra Donatistas, cap.* 16. inquit, *Constituamus aliquem sentire id de Christo, quod Photinus opinatus est, existimantem scilicet, Photini ipsam esse catholicam fidem, nondum illum hæreticum dico, nisi manifestata sibi doctrina, catholicæ fidei resistere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit.* Et *de Ciuit. Dei lib.* 18. *cap.* 51. ait, *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid, prauumque sapiunt, si correpti, vt sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici sunt, & foras exeuntes, habentur in exercentibus inimicis.* Idemque docent S. Hieronymus *tom.* 9. *epist.* 17. *ad Damascen.* S. Bernardus *serm.* 80. *in Cantic.* & alij sancti Patres communiter.

Secundò probatur ab intrinseco, ratione: quia qui 5
vult iudicium suum iudicio Ecclesiæ subiicere, non est hæreticus.

hæreticus : Ergò, vt sit hæreticus requiritur, quod sit pertinax pertinacia, quæ quoad materiam fidei consistit (sicuti dicebam) in eo, quod pertinaciter nolit iudicium suum iudicio Ecclesiæ subiicere.

6 Confirmatur : quia fides consistit in eo, quod quis captiuet intellectum suum in obsequium Dei (qui per Ecclesiam ordinariè proponit, quod est de fide credendum.) Ergò è contra, hæresis consistit in eo quod quis nolit captiuare intellectum suum in obsequium Dei, quotiescumque per Ecclesiam, quod est de fide credendum proponit, in quo formaliter, & intrinsecè consistit pertinacia, sicuti dicebam.

7 Confirmatur secundò, quia qui Ecclesiæ paratus est obedire, eo ipso Ecclesiam in proponendis rebus fidei errare non posse arbitratur, eique res fidei proponenti de facto subiicitur : Ergò non potest esse hæreticus, sed vt sit hæreticus, requiritur, quod sit pertinax pertinacia, quæ in materia fidei ex dictis consistit in eo, quod homo non velit obedire Ecclesiæ res fidei proponenti, & doctrinam catholicam tradenti, & docenti.

8 Confirmatur tertiò; quia qui errat in rebus fidei, sed tamen paratus est (si Ecclesia aliter iudicauerit) talem errorem deponere, non est hæreticus (Tertullianus *lib.* 1. *contra Marcionem cap.* 1. & *de præscript. cap.* 6. & 37. quem sequuntur cum S.Thoma *prima parte, q.* 12. *art.* 4. communiter Doctores.) Ergò pertinacia in casu nostro consistit in eo, quod quis resistere velit, seu voluntariè resistat doctrinæ, quam Ecclesia Catholica docet, & proponit.

9 Confirmatur quartò : quia, qui circa aliquem articulum fidei errat, attamen Ecclesiæ obedire vult, non deperdit fidem : Ergò non est hæreticus; sed, vt sit hæreticus, requiritur, quod sit pertinax pertinacia, quæ consistit in eo, quod homo non velit iudicium suum particulare iudicio Ecclesiæ subiicere, nec eius auctoritati obedire, sicuti toties dicebam.

Corollarium Primum.

Quidnam ad pertinaciam requiratur?

10 EX dictis sequitur, quod ad pertinaciam requiratur, & sufficiat vt quis sciens aliquid esse de fide, deliberatè illud non credat, seu vt quis sciens, suam opioionem esse contra sensum Ecclesiæ Catholicæ, neglecta tamen auctoritate Ecclesiæ, persistat in sua opinione, Durandus, Gabriel, Caietanus, Vasquez, Valentia, Castro & Turrianus in locis suprà citatis. Patet ex dictis. Et vlteriùs.

11 Probatur ; quia vt quis possit habere actum fidei, requiritur, & sufficit, vt ipsi proponatur id quod est de fide credendum, & vt ipsius intellectus ei assentiatur: Ergò similiter etiam ad habendum actum hære sis requiritur, & sufficit, vt ipsi proponatur id, quod est de fide credendum, & vt ipsius intellectus ei non assentiatur, sed contradicat.

Corollarium II.

An peccatum hæresis possit subitò, & in instanti committi?

12 SEquitur secundò, quod peccatum hæresis possit subitò, & in instanti sine vlla temporis mora committi; Doctores, quos sequitur Turrianus *citato dub.* 2 *vers. Item ex doctrina*; quia in instanti elici potest actus fidei; Ergò etiam in instanti elici poterit actus hæresis oppositus fidei : Tùm quia hæresis consistit in eo, quod quis nolit credere veritati catholicæ, seu suum iudicium subiicere iudicio Ecclesiæ; sed iste actus elici potest in instanti; Ergo, &c.

13 Non obstat, si dicas, quod ad peccatum hæresis committendum requiratur temporis mora, ex eo, quia sic videtur sentire glossa *in Clement. vnica de summa Trinitat. §. Porrò, verbo Pertinaciter*, (quatenùs inquit, pertinacem dici illum, qui est durus, irreuocabilis, obstinatus :) & Syluester, *verbo, Hæresis* 1. *quæst.* 2. *num.* 5. (quatenùs ait, hæreticum dici illum, qui diù in errore persistit :) cùm ad hæresim requiratur pertinacia; & pertinax sit, qui admonitus non vult resipiscere, neque sententiam mutare; ad quod requiritur temporis mora. Ergo, &c.

Respondetur enim : Nego Antecedens; quia ad peccatum hæresis committendum non requiritur admonitio exterior, sed sufficit admonitio interior, quæ habetur per fidei rerum notitiam; qua fidei rerum notitia habita, potest homo in instanti propositioni catholicæ non credere Quapropter Doctores in contrarium citati videntur loqui non de peccato hæresis (quod interius committitur; cùm hoc committi possit in instanti, sicuti dicebam) sed loqui de ordine ad forum exterius.

Corollarium III.

Quidnam ad hæresim, & pertinaciam sufficiat?

SEquitur tertiò, quod ad hæresim, & pertinaciam 14
sufficiat, vt quis contra id, quod Ecclesia proponit ad credendum, sentire velit, siue id faciat ex intentione directa contradicendi Ecclesiæ, siue ex vana gloria, siue ex lucro, siue ex Argumentorum vi, siue tandem ex aliqua alia causa, quia quomodocumque contradicat Ecclesiæ, semper anteponit iudicium suum priuatum iudicio Ecclesiæ, tenétque iudicium Ecclesiæ, non esse sufficiens, vt homines rebus fidei infallibiliter assentiantur : quod est hæreticum : Vasquez 1. 2. *quæst.* 75. *art.* 3. *disput.* 126. *cap.* 3. *in principio.* Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 4. Becanus *de fide cap.* 14. *quæst.* 2. *num.* 19. & alij communiter.

Corollarium IV.

Pro quonam pertinacia hìc sumatur?

SEquitur quartò, quod pertinacia hìc non sumatur 15
pro obduratione, vel obstinata malitia, prout contradistinguitur ab infirmitate, seu passione; sed sumatur, vt satis sit ad veram, & propriam hæresim, siue quis ex infirmitate, seu ex passione contradicat auctoritati Ecclesiæ : Caietanus 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *notabil.* 1. Torres *de Trinit. q.* 32. *art.* 4. Sanchez *loco suprà citato, n.* 5. & Becanus *citata q.* 2. *circa finem.*

DVBITATIO III.

An cum ignorantia vincibili, crassa, vel affectata stet peccatum hæresis?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis peccatum stat cum ignorantia vincibili, crassa, vel affectata, secundum aliquos.*

2 *Limita secundùm Valentiam, & alios ad ignorantiam crassam, quia talis ignorantia constituit culpam latam, & videtur sententia æquiparari.*

3 *Limita secundùm alios ad solam ignorantiam affectatam, ita vt cum tali ignorantia sola, & non cum alia consistat hæresis; quia sic affectans ignorare, affectat errare, & consequenter Ecclesiæ contradicere, & pertinaciter se opponere.*

4 *Ignorantia affectata peccatum non minuit, sed aggrauat, & in omni materia scientiæ æquiparatur.*

5 *Ignorantia qualibet etiam affectata, in sententia Auctoris alios referentis, excusat ab hæresis peccato, cui*

cui excommunicatio, aliaque pœna Ecclesiastica inferuntur.

6 *Contradicere auctoritati Ecclesiæ implicat aliquem voluntariè, nisi cognoscat Ecclesiam sibi esse contrariam.*

7 *Pertinax non dicitur in suo errore voluntatem habens mutandi sententiam propriam, quotiescumque nouerit Ecclesiæ definitioni contradicere, quæ quidem voluntas potest stare cum ignorantia affectata.*

8 *Affectans ignorare non affectat errare directè, sed indirectè tantùm, quatenus scilicet sequitur error ex omissione obligationis sciendi quæ sunt ab Ecclesia proposita: Vnde non potest cum dicta ignorantia stare formalis hæresis, sed tantum materialis.*

9 *Ignorantia affectata non minuit grauitatem peccati in sua specie, non tamen transfert peccatum ad aliam speciem hæresis, sed relinquitur peccatum in specie erroris contrarij obligationi sciendi quid sit propositum ab Ecclesia.*

10 *Ignorantiam affectans ex eo quod paruipendat auctoritatem Ecclesiæ, est verius hæreticus, siquidem non est paratus corrigi ab Ecclesia, & si errat ex affectu liberiùs errandi, error est summè voluntarius, ex quo hæresis constituitur: In his enim casibus committitur hæresis non in errore procedente ab affectata ignorantia, sed in errore voluntario, qui procedit ex scientia, quo contemnitur auctoritas Ecclesiæ.*

11 *Ignorantia vincibilis etiam non crassa vel affectata, non excusat in furto, homicidio, & aliis delictis, siue contra iustitiam, siue contra charitatem, vel honestatem. Ratio est, quia ignorantia non mutat obiectum peccati, sed modum agendi magis vel minus voluntarium. At in materia fidei mutat obiectum ignorantia vel scientia.*

12 *Fidei obiectum cùm sit diuina reuelatio ab Ecclesia proposita, & hæc reuelatio in errore commisso ex ignorantia etiam affectata occultetur, non potest error tunc commissus contradicere tali reuelationi ignoratæ, ac proinde non potest habere oppositionem cum fide, cùm non habeat oppositionem cum illius obiecto: Quare potius error commissus non est peccatum directè contra fidem, sed contra obligationem sciendi res fidei.*

13 *Errans in fide, si in foro externo alleget ex ignorantia errasse, non creditur ei in casu quo error commissus sit in iis quæ ex officio scire tenetur, vel quæ passim, & communiter omnes eius qualitatis homines sciunt, quales essent Sacerdotes, Episcopi, vel alij viri docti, qui si errent in articulis fidei, &c. præsumuntur errare ex malitia, non autem ex ignorantia.*

1 QVIDAM, vt Sotus *in 4. dist. 22 quæst. 2. art. 3.* Lorca *2.2 quæst. 11. disput. 41. num. 15.* & Lopez *1. part. Instruct. cap* 20. simpliciter affirmant.

2 Alij tamen, vt Valentia *loco sup. cit.* & Say1. *lib. 3. cap. 4. n. 15.* limitant ad ignorantiam crassam, vt facillimè superari possit; quia talis ignorantia constituit culpam latam, & videtur scientiæ æquiparari.

3 Alij, vt Canus *cit. lib. 12. cap. 9.* Petr. Nauar. *de restit. cap. 4. dub. 9. num. 89.* Corduba *lib. 1. quæst. 17. §. 17.* Torres *de Trinitate quæst. 32. art 4.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 7. num. 23.* limitant ad solam ignorantiam affectatam, ita vt cum tali ignorantia sola, & non cum alia consistat hæresis: quia sic affectans ignorare, affectat errare, sed qui affectat errare, affectat Ecclesiæ contradicere: Ergo se illi pertinaciter opponit, atque adeò

4 hæreticus est. Quapropter dici consueuit, ignorantiam affectatam peccatum non minuere, sed aggrauare, & in omni materia scientiæ æquiualere. His tamen non obstantibus.

5 Respondetur absolutè & simpliciter negatiuè, ita vt quælibet ignorantia etiam affectata, quæ tamen causa sit erroris, excuset ab hæresis peccato, cui excommunicatio aliæque pœnæ Ecclesiasticæ inferuntur. Sic ex probatiori sententia Doctorum docent Bannez *2.2. quæst. 11. art. 2.* Aragonius *art. 1.* Coninch *disput. 18. dub. 7. conclus. 4.* Suarez *disput. 19. sect. 3. num. 9. & sequentibus,* Azor *tom. 1. lib. 1. cap. 14. quæst. 9.* & Farinac. *de hæresi quæst. 179. num. 29. & 30.*

Probatur, quia implicat te voluntariè contradicere auctoritati Ecclesiæ (in quo propriè consistit pertinacia) nisi cognoscas, Ecclesiam tibi esse contrariam. At 6
cum ignorantia affectata, quæ causa sit erroris non stat ista cognitio: Ergo non stat pertinacia.

Confirmatur, quia si voluntatem habeas mutandi 7
sententiam propriam, quotiescumque noueris Ecclesiæ definitioni contradicere, nullo pacto dici poteris pertinax in tuo errore, quia paratus es emendari: sed cum ignorantia affectata potest esse talis voluntas, quia potes affectare nescire quod docet Ecclesia, ne cogaris aliud sentire, sicque affectare ignorantiam, quæ non obstat, sed potius includit voluntatem obediendi Ecclesiæ, quãdo Ecclesia rem tibi clarè proposuerit. Ergo.

Atque hinc patet ad fundamentum supra oppositum 8
de ignorantia affectata: nego enim ex dictis, affectantem ignorare, affectare errare directè, sed indirectè tantùm, quatenus scilicet sequitur error ex omissione obligationis sciendi quæ sunt ab Ecclesia proposita; ex quo affectu erroris indirectè, non sequitur quod affectet contradicere Ecclesiæ formaliter (in qua contradictione formali sola stat hæresis) sed solum materialiter. Ad illud autem quod subdebatur in prædicto fundamento; Respondetur, concedo ignorantiam affectatam non mi- 9
nuere grauitatem peccati in sua specie, nego tamen transferre peccatum ad aliam speciem hæresis, sed relinqui peccatum in specie erroris contrarij obligationi sciendi quid sit propositum ab Ecclesia.

Instabis; si affectas ignorantiam, ex eo quod paruipendas auctoritatem Ecclesiæ, es verus hæreticus, siquidem non es paratus corrigi ab Ecclesia. Accedit, si erras ex affectu liberius errandi, error est summè voluntarius. Ergo ignorantia affectata constituit hæresim. 10

Respondetur, in his casibus te committere hæresim, non in errore procedente ex affectata ignorantia, sed in voluntario, qui procedit ex scientia, quo contemnis auctoritatem Ecclesiæ, talis enim contemptus est hæresis, quia est negatio infallibilis auctoritatis Ecclesiæ. Similiter dico, cùm erras ex affectu liberiùs errandi. Vel enim scis te errare, vel ignoras: si primum, scire debes assensum tuum esse Ecclesiæ contrarium, & sic cessat ignorantia, & succedit scientia: si secundum, & ita es affectus errori, vt quamuis scias Ecclesiam esse in contrarium, adhuc non derelinquas, committes hæresim: si autem habeas voluntatem relinquendi errorem, casu quo cognoueris esse Ecclesiæ contrariam, censeri non debes pertinax.

Obiicies fundamentum primæ sententiæ, quam se- 11
quebatur Sotus, Lorca, & Lopez *loc. sup. cit.* Ignorantia vincibilis, etiam non crassa vel affectata non excusat in furto, homicidio & aliis delictis, siue contra iustitiam, siue contra charitatem, vel honestatem. &c. Ergo neque excusabit in peccato hæresis. Accedit, quod qui vincibiliter & culpabiliter ignorat, peccat contra fidem: ergo peccat vel paganismo, vel iudaïsmo, vel hæresi, cùm non sint aliæ species infidelitatis. Accedit secundò, quod eiusdem speciei est peccatum ex ignorantia ac ex malitia, cùm species peccati sumatur ex obiecto, non ex modo: sed error contra fidem ex malitia est peccatum hæresis. Ergo etiam error contra fidem ex ignorantia culpabili erit peccatum hæresis.

Respondetur: concedo antecedens, at nego conse- 12
quentiam; & disparitas est, quia in materia iustitiæ, charitatis, vel honestatis, &c. non excusat ignorantia à peccato proprio contra illas virtutes, eo quia ignorantia non mutat obiectum peccati, sed modum agendi magis, vel minus voluntarium. At in materia 13
fidei

fidei mutat obiectum ignorantia, vel scientia; nam cùm obiectum fidei sit diuina reuelatio ab Ecclesia proposita, & hæc reuelatio in errore commisso ex ignorantia, etiam affectata, occultetur, non potest error tunc commissus contradicere tali reuelationi ignoratæ; ac proinde non potest habere oppositionem cum fide, cùm non habeat oppositionem cum illius obiecto. Quare potiùs error sic commissus non est peccatum directè contra fidem, sed contra obligationem sciendi res fidei, siquidem tota eius malitia non tam in errore positiuo, quàm in defectu huius obligationis, ex quo talis error proficiscitur, consistit, vti dicebam.

13 Aduerte tamen pro foro externo, quod si errans in fide alleges, te errasse ex ignorantia, non crederis casu quo error commissus sit in iis quæ ex officio scire teneris, vel quæ passim & communiter omnes eiusdem qualitatis homines sciunt. Vnde si Sacerdotes, Episcopi, vel alij viri docti errent in articulis fidei, vel præceptis Decalogi, præsumuntur errare ex malitia, non autem ex ignorania. Decianus *in tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 15. Pegna 1. *part. quæst.* 7. *comment.* 22. Menochius *consil.* 82. *num.* 175. & Farinac. *de hæresi quæst.* 179. *num.* 27.

PETITIO PRIMA.

An vt quis sit propriè hæreticus, requiratur quod circa fidem erret ex scientia.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus propriè non est qui errat circa fidem ex ignorantia, necesse enim est vt erret ex scientia.*

2 *Ignorantia quamuis sit crassa vel supina (quæ tunc est quando quis non ex industria & proposito, sed ex vincibili seu culpabili negligentia quadam magna ignorat ea quæ potest, & debet scire) excuset à peccato hæresis.*

3 *Ad hæresim requiritur pertinacia, quæ non est vbi est ignorantia: licet enim quis ex ignorantia vincibili magna circa fidem erret, implicitè tamen credit quidquid tenet Ecclesia.*

4 *Item de ratione hæresis est scire Ecclesiam determinasse aliquid esse de fide credendum, si enim hoc nescit qui contrarium credit, non est pertinax.*

5 *Ignorans si sciret quod tenet Ecclesia paratus esset errorem suum deponere, consequenter implicitè credit quidquid credit Ecclesia.*

6 *Amplia, id procedere etiam in ignorante ignorantia affectata, quæ tunc est cùm quis ex industria & proposito vult aliquid ignorare, contra dicentes vniuersaliter & absolutè dictam ignorantiam non excusare.*

7 *Habens ignorantiam affectatam habet voluntatem obediendi Ecclesiæ quotiescumque sciuerit, quid de aliquo fidei articulo definiuerit.*

8 *Si quis crederet aliquid verum, sed ita paratus esset persistere in sua opinione, esset propriè hæreticus propter illam pertinaciam.*

9 *Habens ignorantiam affectatam alicuius articuli fidei, ideò vult quod Ecclesia docet ignorare, quia non vult ab ea dissentire.*

10 *Habens prædictam ignorantiam affectatam, est in tali voluntate, quod crederet illum articulum si propositus sibi fuisset, & vellet sentire cum Ecclesia.*

11 *Ignorans ignorantia affectata credit articulos fidei, & credit etiam Ecclesiam non posse errare in definiendo aliquid de fide.*

12 *Ignorantia non excusat ab hæresi, tametsi fuerit affectata, quando quis est ita affectus opinioni suæ, vt quamuis sciuerit Ecclesiam Catholicam aliter docere, adhuc nolit illam mutare.*

13 *Ignorantia affectata neque excusat ab hæresi, quando ista oritur ex falsa opinione contra Ecclesiam, nempe quia habens talem ignorantiam putat parui momenti esse quod Ecclesia ad credendum proponit.*

14 *Habens talem ignorantiam, licet non aduertat se sentire contra Ecclesiam in particulari, aduertit tamen se sentire contra Ecclesiam in commum.*

15 *Ignorantia culpabilis non excusat ab aliis peccatis, vt furtum, sacrilegium, vel homicidium, excusat tamen à peccato hæresis; quia pertinacia est de essentia hæresis, & in rebus fidei nemo est pertinax nisi sciat & aduertat.*

16 *Errans contra fidem committit peccatum quod aduersatur fidei, & ad malitiam peccati sufficit ignorantia culpabilis, præsertim si fuerit affectata: At non sic in peccato hæresis, quia error circa materiam fidei ex ignorantia culpabili, & hæresis differunt inter se, & quomodo.*

17 *Ad hoc vt aliquis sit Iudæus vel Paganus sufficit si erret circa fidem ex ignorantia culpabili circa fidem Catholicam. At non inde sequitur: Ad hoc vt aliquis sit hæreticus, sufficere si erret ex ignorantia culpabili, quia infidelitas priuatiua potest esse sine pertinacia, &c.*

18 *Voluntarium directum vel indirectum non faciunt diuersitatem specificam. At faciunt in casu, de quo agimus.*

19 *Ignorantia affectata non minuit, sed auget malitiam peccati augendo malitiam erroris voluntarij, secus augendo, vel etiam inducendo malitiam hæresis.*

20 *Qui vult ignorare quid in aliqua re sentiat Ecclesia, ex eo quod putet parui momenti esse quæ Ecclesia proponit ad credendum, hoc ipso non vult sentire cum Eclesia, secus si velit ignorare ex alio capite.*

Respondetur ex dictis affirmatiuè, & docent S. Thomas 1. *part. q.* 32. *art.* 4. & 2. 2. q. 11. *art.* 2. *ad* 3. & 1. *ad Corinth. lect.* 4. & *ad Titum* 3. *lect.* 3. Gabriel *in* 4. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *notab.* 3. & *q.* 3. *dub.* 1. & 3. Durand. *ibid. quæst.* 5. *num.* 6. Paludanus *q.* 3. *art.* 1. *num.* 4. Caietanus 2. 2. *cit. quæst.* 11. *art.* 2. *ad* 3. Angelus *verb. Hæreticus, in pr.* Armilla *verb. Hæresis, num.* 1. Vasquez *part.* 2. *disp.* 126. Nauarrus *in summa cap.* 11. *num.* 22. Couarruuias *lib.* 3. *variar. cap.* 1. *in pr.* Syluester *verb. hæresis, in pr.* Corduba *lib.* 1. *quæst.* 17. §. 7. Castro *lib.* 1. *de iust. hæreticor. punit. cap.* 1. *circa finem,* & *cap.* 9. & *lib.* 2. *cap.* 118. Toletus *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 7. Driedo *de libert. Ecclesiastic. lib.* 1. *cap.* 14. Pegna *in director. part.* 2. *q.* 7. *commentar.* 22. *in princ.* & *part.* 2. *cap.* 1. Clarus *in* §. *hæresis, num.* 2. Paramus *de origine Sanctæ Inquisitionis lib.* 3. *quæst.* 3. *num.* 25. Albertinus *tract. de agnoscend. assertion. quæst.* 36. *num.* 2. & Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 31. *num.* 10. & *tit.* 48. *num.* 14. 1

Et quod dixi adeò verum est, vt etiam ignorantia, quamuis sit crassa & supina (quæ tunc est quando quis non ex industria & proposito, sed ex vincibili seu culpabili negligentia quadam magna ignorat ea quæ potest & debet scire, *leg. quod te, ff. si cert. petat.* & docet Abbas *in cap. Innotuit, de elect. n.* 9. Decius *consil.* 160. *num.* 5. Rolandus *consil.* 72. *num.* 20. *lib.* 3. Bellamer. *consil.* 10. *num.* 23. Romanus *consil.* 481. *num.* 4. & *seqq.* Aymon. *cons.* 225. *num.* 8. Albanus *consil.* 18. *num* 4. Alexander *cons.* 103. *n.* 15. *lib.* 2. Menoch. *de præsumpt. lib.* 6. *præsumpt.* 23. *n.* 76. Mascard. *de probation. lib.* 2. *conclus.* 637. *num.* 23 Lapus *allegat.* 51. *num.* 17. & Grammaticus *decis.* 103. *num.* 36.) excuset à peccato hæresis, Durandus *in* 4. *distinct.* 13. *q.* 5. *num.* 6. Paludanus *ibidem q.* 3. *art.* 1. *conclus.* 1. Alensis *part.* 2. *q.* 161. *membr.* 1. Zumel. *part.* 2. *quæst.* 56. *art.* 4. *disput.* 1. Bannez 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. & 2. Aragon. *ibid. art.* 1. *vers. Dices secundò* Vasquez *part.* 2. *disput.* 2

*disp.*126.*cap.*2. Canus *de loc. Theolog.lib.*12. *cap.*9. *vers. Illud deinde*, Nauarrus *in summa cap.*11 *num.*22. Henriquez *lib.* 12. *cap.*17. *num.*3. Turrianus *de fide disput.* 55. *dub.* 2. Valentia 2. 2. *disput.*1. *punct.* 1. Torres *de Trinit. quæst.*32. *art.*4. Becanus *de fide cap.*14. *quæst.*2. *num.*15. & Azor. *tom.*1. *lib.*1. *cap.*14. *quæst.*9. & *lib.*8. *cap.*9. *quæst.*7. contra Felinum *in cap.*1. *de hæretic. num.* 2. Zarabellam *ibidem in principio, verbo Ignorantia*, Ioannem Andream *num.*2. Butrium *num.*2. Ancharanum *n.*5. Sotum *in* 4. *dist.*22. *quæst.*2. *art.*3. Palacium *in* 4. *dist.*25. *disput.*2. Toletum *lib.* 1. *cap.*19. *num.*2. Saytum *de censur. lib.*1. *cap.*4. *n.*15. & alios.

3 Ratio est, quia ad hæresim requiritur pertinacia, sed hîc non est pertinacia: ergo. Maior patet ex iis quæ dicebam *dubitatione præcedenti, petitione secunda.* Minor probatur, quia ex Isidoro *lib.*10. *ethymolog. cap.* 15. & Sancto Thoma 2.2. *quæst.* 118. *artic.* 2. quos sequuntur communiter Doctores, pertinax non est, nisi quis impudenter sit tenax: sed non dicitur impudenter tenax qui paratus est ab Ecclesia corrigi & sententiam suam mutare, quin sic potius, licet ex ignorantia vincibili magna circa fidem erret, implicitè credit quidquid tenet Ecclesia: ergo non est propriè hæreticus, cùm ad hæresim necessariò requiratur pertinacia, sicuti dicebam.

4 Confirmatur, quia de ratione hæresis est, vt sciatur Ecclesiam determinasse aliquid esse de fide credendum, cùm si hoc non sciatur, qui contrarium credit non sit pertinax: sed ignorantia crassa seu supina tollit talem scientiam; ergo tollit pertinaciam, atque adeò tollit etiam hæresim.

5 Confirmatur secundò, quia hic si sciuerit quid teneat Ecclesia, paratus est errorem suum deponere: ergo potiùs implicitè credit quidquid tenet Ecclesia, sicque non est propriè hæreticus. Quapropter *in cap. dixit Apostolus* 24. *q.*3. dicitur, eos qui à parentibus sunt decepti, sed ita errant contra fidem, vt parati sint corrigi, hæreticos nequaquam esse.

6 Quin & quod dixi adeò etiam verum est, vt ignorantia etiam affectata, quæ tunc est cùm quis ex industria & proposito vult aliquid ignorare, vei bi gratia in casu nostro, ex industria & proposito vult non adhibere diligentiam in inquirendo quid doceat Ecclesia, vt sic euitet laborem in assequenda veritate fidei Catholicæ, vel vt sic possit persistere in sua sententia. Mascard. *de probation. lib.*2. *conclus.*879. *num.*33. Andr. Gayll. *lib.*2. *obseruat.*48. *num.*18. Ioan Baptista Costa *de facti scient. & ignorant. inspect.*81. & alij, excuset similiter à peccato hæresis: Aragonius 2.2. *q.*11. *art.*2. Suarez *de fide disp.* 19. *sect.*3. *num.*18. Vasquez 1.2. *disput.*126. *cap.*2. Pezantius 2.2. *q.*11. *art.* 1. *disput.* 1. *conclus.*5. *vers. Secunda pars*, Azorius *tom.*1. *lib.*1. *cap.*14. *q.*9. & *lib.*8. *cap.*8. *q.*4. & *cap.*9. *q.*8. Becanus *de fide cap.*14. *q.*2. *n.*16. Ledesma *in summa tom.*1. *cap.*6. *concl.*4. *difficult.* 2. Sayr. *in Claui regia lib.*2. *cap.* 9. *num.* 20. Riceiul. *de iur. person. lib* 5. *cap.*7. *num.*13. & alij multi, contra Nauarrum *in summa cap.*11. *num.*89. Cordubam *lib.*1. *quæst.* 17. §.7. Zumel *part.*1. *quæst.* 26. *artic.*4. *disput.* 1. Torres *de Trinitate quæst.* 32. *art.*4. Valentiam 2.2. *disput.*1. *q.*11. *punct* 1. *difficult.* 4. & Canum *de locis Theologic. lib* 12. *capit.* 9. *vers. Illud deinde*, quibus fauent etiam Glossa *in cap.*:os, *de tempor. ordinat. in* 6. *verb. Affectata*, & *in Clement.* 1. *de consanguinit. & affinit. verb. scienter*, Felinus *in cap. à nobis, de except. num.*1. & *in cap. vltimo, de testib. n.*5. Iacobus Rebuffus *in leg.* 1. *Cod. de colonis, num.*3. Tuscus *pract. conclus. verbo Ignorantia, conclusione* 21. *num.*3. Mascardus *de probation. lib.*2. *conclus.* 869. *num.*31. Seraphin. *de priuileg. iurament. priuilegio* 4. *num.* 102. & *sequentibus*, Iason *in leg. si seruus*, §. *si quis autem, de leg.*1. *num.*6. Andreas Gayll *obseruat.*48 *num.*18. & Ioannes Baptista Costa *inspect.*81. *num.*9. Quatenus vniuersaliter & absolutè dicunt, quod ignorantia affectata non excuset.

7 Ratio est, quia qui habet ignorantiam affectatam habet quotiescunque sciuerit quid de aliquo fidei articulo Ecclesia definiuerit, voluntatem obediendi Ecclesiæ: ergo non est pertinax, ac proinde non est propriè hæreticus.

Confirmatur, quia si quis crederet aliquid verum, 8 sed esset ita paratus persistere in sua opinione, vt quamuis Ecclesia aliter doceret, in dicta sua opinione tamen persisteret, esset propriè hæreticus propter illam suam pertinaciam: ergo à contrario, si quis ob ignorantiam affectatam crederet aliquid falsum, sed similiter esset ita paratus persistere in sua opinione, vt quamuis sciuerit quod Ecclesia aliter doceat, adhuc tamen persisteret, non esset hæreticus, quia non esset pertinax: quinimo esset cum affectu subiiciendi se auctoritati Ecclesiæ.

Confirmatur secundò, quia qui habet ignorantiam 9 affectatam alicuius articuli fidei, propterea vult quid docet Ecclesia ignorare, quia non vult ab Ecclesia dissentire: ergo cùm sit paratus obedire Ecclesiæ, non erit propriè hæreticus.

Confirmatur tertiò, quia qui habet prædictam ig- 10 norantiam affectatam, est in tali voluntate, quod si talem articulum ab Ecclesia propositum haberet, crederet illum, & vellet sentire cum Ecclesia: ergo propter talem ignorantiam affectatam excusatur ab hæresi, cùm talis ignorantia affectata tollat pertinaciam, quæ necessariò requiritur ad propriam & veram hæresim.

Confirmatur quartò, quia taliter ignorans credit 11 alios articulos fidei, & credit etiam quod Ecclesia, quando definit aliquid non possit errare: ergo non est propriè hæreticus, cùm hæretici omnes putent, quod Ecclesia in definiendis rebus fidei possit errare.

Hinc sequitur, quod è contra ab hæresi non excuset 12 ignorantia, tametsi non fuerit affectata, quando quis est ita affectus opinioni suæ, vt quamuis sciuerit quod Ecclesia Catholica aliter doceat, adhuc nolit illam mutare, quia tunc est verè pertinax, cùm habeat voluntatem resistendi Ecclesiæ aliter docenti, & nolit iudicium suum priuatum subiicere auctoritati Ecclesiæ, & non agnoscat in Ecclesia infallibilem auctoritatem in proponendis, sicut & in definiendis rebus fidei.

Sequitur secundò, quod neque ab hæresi excuset 13 ignorantia affectata, quando ista oritur ex falsa opinione contra Ecclesiam, nempe quia habens talem ignorantiam, putat parui momenti esse quæ Ecclesia ad credendum proponit. In quo sensu Vasquez 1. 2. *quæst.*76. *art.*4. *disput.*1. *ante quintam conclusionem*, Turrianus *de fide disp.*55. *dub.*2. Sanchez *lib.*4. *moral. cap.*7. *num.*3. & alij loquuntur, quod ignorantia affectata non excuset ab hæresi.

Non obstat si dicas: Qui habet huiusmodi ignoran- 14 tiam, non aduertit se sentire contra Ecclesiam, quod tamen in materia fidei necessariò requiritur ad pertinaciam: ergo nec etiam iste erit propriè hæreticus.

Respondetur enim, quod iste licet non aduertat se sentire contra Ecclesiam in aliquo articulo particulari, aduertit tamen se sentire contra Ecclesiam in communi, cùm aduertat se paruifacere ea quæ ab Ecclesia proponuntur ad credendum, quod sufficit ad pertinaciam, atque adeò & ad inducendam veram & propriam hæresim.

Obiectiones.

Obiicies: Ignorantia culpabilis non excusat ab aliis 15 peccatis, cùm furtum, sacrilegium, vel homicidium, & similia semper sint peccata, siue fiant ex scientia, siue non ex scientia, sed solùm ex ignorantia culpabili: ergo neque etiam excusabit ab hæresi, cùm error circa fidem semper sit similiter peccatum hæresis, siue fiat scienter, siue fiat ignoranter, modò ignorantia sit culpabilis.

Respondetur, vt omittam quæ dicebam sup. concedo antecedens, nego consequentiam: & disparitas est, quia pecc

pertinacia est de ratione, seu de essentia hæresis. Et ex dictis nemo in rebus fidei est pertinax, nisi sciat, & aduertat se sentire contra Ecclesiam. Quapropter qui hoc non aduertit, sed ignorat, non est pertinax, & consequenter neque etiam est propriè hæreticus. At verò pertinacia non est similiter de ratione, seu de essentia aliorum peccatorum, & ideò: cùm committuntur alia peccata, non requiritur in peccante vt aduertat se delinquere contra legem Dei, sed sufficit si aduertat, vel potens & debens aduertere culpabiliter non aduertat.

16 Obiicies secundò: errans contra fidem committit peccatum, quod aduersatur fidei: sed ad malitiam peccati sufficit ignorantia culpabilis, præsertim si fuerit affectata: Ergo & ad peccatum hæresis sufficit similiter ignorantia culpabilis.

Respondetur, nego etiam consequentiam, & disparitas est, quia error circa materiam fidei ex ignorantia culpabili, & hæresis differunt inter se: Nam error circa materiam fidei ex ignorantia culpabili non opponitur directè auctoritati Ecclesiæ, sed opponitur directè obligationi sciendi articulos fidei. At verò hæresis opponitur directè auctoritati Ecclesiæ, & propterea ille error non est infidelitas, ac proinde neque est etiam hæresis. Tum quia ille error non excludit fidem, cùm is qui talem errorem habet, paratus sit obedire Ecclesiæ, quam fidem tamen excludit hæresis. Tum quia ille error est peccatum omissionis, hæresis autem peccatum commissionis: differunt igitur inter sese error circa res fidei, & hæresis formaliter.

17 Instabis: Ad hoc vt aliquis sit Iudæus vel Paganus sufficit, si erret circa fidem ex ignorantia culpabili circa fidem catholicam: ergo similiter ad hoc, vt aliquis sit hæreticus, sufficit etiamsi erret ex ignorantia culpabili circa aliquem articulum fidei particularem.

Respondetur, Nego etiam consequentiam: & disparitas est, quia infidelitas priuatiua potest esse sine pertinacia, per solam scilicet carentiam totius fidei, sed infidelitas positiua, quæ fidei opponitur, qualis est hæresis, semper requirit pertinaciam, quæ non reperitur in eo qui culpabiliter errat circa fidem, si quotiescumque sciuerit, quòd Ecclesia aliter sentiat, errorem suum deponere paratus sit.

18 Reinstabis: Voluntarium directum, vel indirectum non faciunt diuersitatem specificam, sed error oppositus fidei directè est hæresis: Ergo etiam & error oppositus indirectè hæresis erit (in quo errore necessariò includitur ignorantia culpabilis) consequenter & qui ex tali ignorantia errat in fide, est etiam propriè hæreticus.

Respondetur, distinguo antecedens: Voluntarium directum vel indirectum non faciunt diuersitatem specificam in aliis, concedo: in casu nostro, nego, quia quando quis indirectè habet errorem circa fidem, cùm tunc ignorantia occultet obiectum à quo peccatum hæresis specificatur, potest voluntarium indirectum mutare speciem peccati. Nam ignorantia, quod Ecclesia aliquid definiat de fide credendum, occultat proprium obiectum hæresis, & facit, quod error non opponatur formaliter auctoritati Ecclesiæ, & propterea impedit peccatum hæresis, & solum inducit peccatum ignorantiæ, quod est specie diuersum à peccato hæresis.

19 Vrgebis: ignorantia affectata non minuit, sed auget malitiam peccati: ergo non excusabit ab hæresi, quia si ab hæresi excusaret, non augeret, sed valdè minueret malitiam peccati.

Respondetur, distingo antecedens: Ignorantia affectata non minuit, sed auget malitiam peccati, augendo malitiam erroris voluntarij, concedo: augendo vel etiam inducendo malitiam hæresis, nego: quia cùm ignorantia, sicuti dicebam, occultet obiectum hæresis, tollet consequenter peccatum hæresis.

20 Reurgebis: Qui vult ignorare, quid in aliqua re sentiat Ecclesia, hoc ipso non vult sentire cum Ecclesia, quod est formaliter hæresis: Ergo.

Respondetur, distingo antecedens: si vult ignorare quid in aliqua re sentiat Ecclesia ex eo quod putet parui momenti esse quæ Ecclesia proponit ad credendum, concedo: si vult ignorare ex alio capite, nego, quia ex dictis esse potest ignorantia absque pertinacia, & cum effectu credendi totum id quod sentit Ecclesia.

PETITIO SECVNDA.

Quænam pertinacia sufficiat ad constituendum quempiam hæreticum non solùm in foro interiori, sed etiam in exteriori.

SVMMARIVM.

1 *Hæresis nulla est sine pertinacia.*

2 *Hæreticus secundum aliquos in vtroque foro vt quis reputetur, sufficit si sciens & aduertens opinionem suam esse contra fidem, seu definitionem Ecclesiæ, ea tamen neglecta persistat in sua opinione.*

3 *Hæreticus secundum alios non est huiusmodi, nisi priùs sit admonitus, & spreta admonitione persistat in sua opinione: quia pertinacia est quæ hominem hæreticum facit.*

4 *Qui in Ecclesia Dei, ex sancto Augustino, morbidum aliquid prauumque sapiunt, resistunt contumaciter, suaque pestifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt.*

5 *Opinio prima, secundum aliquos procedit in foro interiori, secunda autem in exteriori.*

6 *Distinctio hæc est minùs recta, quia si vera esset, Tribunal sancta Inquisitionis in detrimentum fidei, & Reipublicæ, quampaucos puniret hæreticos. Omnes enim se defenderent, asserendo quod non fuerint priùs admoniti.*

7 *Opinio Theologorum recensita suprà numer. 2. locum habet non solùm in foro interiori, sed etiam in exteriori, sicque seruatur in praxi, & meritò, quia per se, & ex natura rei, vt quis sit hæreticus pertinax etiam in foro exteriori, necessaria non est alicuius specialis admonitio, quippe errat ex electione, & deliberatione in his quæ manifesta sunt.*

8 *Sacra Scriptura, & Ecclesia definitio, quibus fides catholica continetur, plus valet quàm complures iudicis vel alterius viri admonitiones, & plus quàm complures legis humanæ prohibitiones. Et sicut qui facit contra legitimas hominum admonitiones, est pertinax, ita etiam & multò magis qui contra sacram Scripturam, &c.*

9 *Aragonij, & Tanneri opinio refellitur, nisi forsan intelligant casu quo hæreticus sit rudis aut simplex, quia in his casibus est præmittenda specialis alicuius admonitio.*

10 *Nemo est hæreticus nisi sit pertinax in suo errare, & nemo est pertinax nisi sciat, seu aduertat se sentire contra Ecclesiam: Vnde si hoc quis ignoret, non est pertinax, atque adeò neque hæreticus.*

11 *Ignorantia inuincibilis, atque adeò nō culpabilis excusat non solùm ab hæresi, sed etiā ab omni peccato.*

12 *Ignorantia vincibilis, sicque culpabilis duplex est. vna affectata, quando quis ex industria, seu proposito vult aliquid ignorare: altera crassa & supina, quando quis non ex industria seu proposito, sed ex quadam negligentia ignorat ea quæ habens, de eis saltem dubium potest & debet scire. Prior est voluntaria directè & formaliter, secunda indirectè & virtualiter, sicque vtraque culpabilis.*

13 *Ignorantia vincibilis nulla excusat, secundum aliquos, & multò minus crassa & supina, quia ignorantia vincibilis non excusat ab aliis peccatis, consequenter neque ab hæresi.*

14 Igno

14 *Ignorantia affectata licèt secundùm alios non excuset ab hæresi, excusat tamen ignorantia vincibilis, etiam crassa, & supina, itavt nullus error contra fidem ex ignorantia vincibili, etiam crassa, & supina sit hæresis; quia de ratione hæresis est, vt quis erret in fide, sciens, & aduertens se credere, & opinari contra communem sensum Ecclesiæ.*

15 *Ignorantia etiam affectata secundum alios excusat ab hæresi, dummodo non sit affectata ex falsa opinione, quam quis habet contra Ecclesiam.*

16 *Hæresim inter & alia peccata disparitas est, quia de ratione hæresis est pertinacia, quæ similiter non est de ratione aliorum peccatorum.*

17 *Prædicta habent locum in foro interiori tantum, non autem in foro exteriori, quia errans in fide si alleget, se ex ignorantia errasse in foro exteriori, non creditur.*

18 *Sacerdotes, & alij viri docti si errent in articulis fidei, & præceptis Decalogi, non ex ignorantia, sed ex malitia errare præsumuntur, contra nonnullos asserentes, non esse hæreticos pertinaces, si parati sint corrigi. At in foro exteriori est inducta violenta præsumptio.*

19 *Homo, qui probabiliter præsumitur non verè & perfectè scire catholicam aliquam veritatem, vt si v.g. sit simplex, rudis, vel rusticus, puniri potest arbitrio iudicis, non tamen vt formaliter hæreticus, ad pœnas scilicet hæresis.*

20 *Secus tamen dic, si præfatus rudis corrigi paratus non sit.*

1 SVppono, nullam esse hæresim sine pertinacia, sicuti supra dicebam, & patet *ex cap. dixit Apostolus* 14. *q.* 8. *ex cap. in Ecclesia, eadem qu. & causa, ex Clem. vnica de summa Trinit. & fid. cathol.* Et colligitur etiam *ex cap. damnamus, eodem tit. ex cap. excommunicamus, de hæret. & ex cap. cum contumacia, eod. tit. in* 6. & docet S. Thom. 2.2.*q.*11.*art.* 2. *ad* 3. quem sequuntur communiter Doctores. Hoc supposito.

2 Quidam tenent, sufficere in vtroque foro, ita vt in vtroque foro quis si sciens, vel aduertens, opinionem suam esse contra fidem, seu definitionem Ecclesiæ, & neglecta authoritate Ecclesiæ, persistat in sua opinione, fit hæreticus, sic Caietan. *in* 2.2.*q.*11. *art.* 2. Vasquez *in* 1.2.*q.*76.*art.*7.*disput.*126.*cap.*3. Suarez *de fide disput.* 19.*sect.*3.*n.*8. Lorca 2.2.*q.*1.*art.*2.*disp.*41.*n.*8. Param. *de origin. inquisit. lib.*1.*tit.*1. *cap* 4.*n.*5. Valentia *tom.*3. *disput.* 1.*q.*11. *punct.*1. Sanchez *lib* 2. *moral. cap.*7.*n.*4. Turrian. *tom.*1. *in* 2.2. *disp.*55. *dub.*2. Becanus *in* 2.2. *cap.*14. *quæsit.*2.*conclus.*3.*n.*10. Merolla *tom.*1. *disput.* *cap.*2. *dub.* 11.*n.* 181. Scortia *in Bullas Pontific. Epitom.*4. *theorem.*8. Azor *tom.*1. *lib.*8.*cap* 9 *quæsit.*1. Coninch. *de fide disp.*18.*dub.*7.*n.*78. Layman *lib.* 2. *tract.*1. *cap.*13.*n.*1. Filiuc. *tom.*1.*tract.*22.*cap.*6 *n.*153. Simanch. *tit.*48.*n.*7. & 8. & alij communiter Theologi, quos ego sequor.

3 Alij è contra tenent, id non sufficere in vtroque foro, sed requiri præterea in vtroque foro, vt quis prius admoneatur, & spreta admonitione, persistat in sua opinione, sic Alciat. *in l.* 2. *Cod. de summ. Trinit. & fid. cathol. n.* 3. quatenus inquit, quod pertinacia sit, quæ hominem hæreticum facit; ideoque si quis de Trinitate minus rectè sentiat, hæreticus non fit, nisi prius admonitus adhuc persistat in sua opinione priori. Menoch. *consil.* 149. *n.*49.*vol.*2. quatenus ait, quod vt quis dicatur hæreticus pertinax, constare debeat quod fuerit admonitus, quodque adhuc admonitione spreta, in eadem opinione persistat, & ex parte Palacius Rub. *in allegat. in materia hæresis*, §. 3. *per totum*, ex textu

4 *in cap qui in Ecclesia* 24.*q.*3. quod est S. Augustini *de Ciuit. Dei lib.*8.*c.*51. ibi: *Qui in Ecclesia Dei morbidum aliquid prauumque sapiunt, si correcti, vt sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hæretici sunt*: & ex *Clement. vnica de summ. Trinit.* Vbi definitur hæreticum censendum esse illum, qui defendere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis non sit forma corporis humani. At minùs rectè, sicuti infrà patebit.

Alij cum distinctione loquendo, tenent, opinionem primam procedere in foro interiori, secundam autem procedere in foro exteriori, sic Aragon. *in* 2.2.*q.*11. *art.*2.*conclus.* 2. & ex parte Tannerus *ibidem disput.*1. *q.*8 *dub.*5.*n* 91. *& seqq.* 5

At etiam minus rectè, etsi tolerabilius; quia si hæc distinctio vera esset, Tribunal S. Inquisitionis in detrimentum fidei, & Reipublicæ quampaucos hæreticos puniret: omnes enim se defenderent, asserendo, quod non fuerint priùs admoniti: Ergo dicendum, quod prima Theologorum opinio locum habeat non solùm in foro interiori, sed etiam in exteriori; sicque seruatur in praxi, teste Paramo de *origin. Inquisit. lib.*1.*tit.*1.*cap.*4. *n.*5. quatenus ait, in vsu & more Ecclesiæ positum esse, quod hæreticus decernatur is, qui errore ab Ecclesia damnato imbutus fuerit, tamen si nulla eum admonentis vox vnquam præierit: & merito, quia per se, & ex natura rei, vt quis sit hæreticus pertinax, etiam in foro exteriori, necessaria non est specialis alicuius admonitio, siquidem qui in his, quæ manifesta sunt, errat ex electione, & deliberatione, tamen si specialiter ab aliquo non fuerit admonitus (etiam in foro exteriori, cùm simus in manifestis, vti dicebam) hæreticus pertinax est, quin etiam si quæ admonitio necessaria foret, hæc ipsa per rei notorietatem sufficienter habetur: quemadmodùm in excommunicationibus à lege latis lex ipsa sufficienter admonet, vt quis etiam in foro exteriori subsit contumaciæ, quæ ad excommunicationem contrahendam requiritur: Ergo non solùm in foro interiori, sed etiam in foro exteriori potest decerni pertinacia, atque adeò hæresis sine aliqua speciali alicuius præuia monitione. 6 7

Confirmatur, quia sacra Scriptura, & Ecclesiæ definitio, quibus fides catholica continetur, plus valet quàm complures iudicis, vel alterius viri admonitiones, & plusquàm complures legis humanæ prohibitiones, Ergo sicuti is, qui facit contra legitimas hominum admonitiones, etiam in foro exteriori, pertinax est, & is qui facit contra legis humanæ prohibitiones, etiam in foro exteriori de facto incidit in excommunicationem, quæ non nisi præcedentibus admonitionibus inferri solet, ita vt legis humanæ solius authoritas, etiam in foro exteriori, pertinacem haberi faciat quemlibet ipsius legis humanæ transgressorem: sic similiter, & multo magis is qui contra sacram Scripturam, vel contra Ecclesiæ definitionem errat sciens, & aduertens, hoc solo sine alia speciali alicuius admonitione etiam in foro exteriori pertinax, hæreticus erit. 8

Minùs rectè igitur etiam (etsi tolerabilius, vti dicebam) tenent Aragonius, & ex parte Tannerus, vbi supra, nisi forsan intelligant, casu quo hæreticus sit rudis, aut simplex, vel saltem, quod non credit, non sit diuulgatus inter homines talis qualitatis, vel si sit sagax aut doctus, sit relaxandus brachio sæculari, quia in his casibus vltrò concedo, quod præmittenda sit specialis alicuius admonitio. 9

At, quoniam ex dictis nemo est hæreticus, nisi sit pertinax in suo errore, & nemo est pertinax, nisi sciat, seu aduertat, se sentire contra Ecclesiam; consequens est, quod si hoc is ignoret, non sit pertinax, atque adeò non sit hæreticus, ideo videndum nunc est, quænam ignorantia, scilicet vincibilis atque adeò culpabilis (ignorantia enim inuincibilis, atque adeò inculpabilis certò excusat non solùm ab hæresi, sed etiam ab omni peccato, quia cùm voluntas ex Philosopho sit potentia cæca, nihil est volitum, nisi sit cognitum) excuset à pertinacia, & consequenter ab hæresi. 10 11

Pro cuius rei intelligentia suppono, quod ignorantia vincibilis, sicque culpabilis ... 12

affectata, quando quis ex industria, seu proposito vult aliquid ignorare; Altera crassa, & supina, quando quis non ex industria seu proposito, sed ex quadam negligentia ignorat ea, quæ habens de eis saltem dubium potest, & debet scire. Prior est voluntaria directè, & formaliter; Posterior autem indirectè, & virtualiter, sicque vtraque vincibilis, atque adeò culpabilis. Hoc supposito.

13 Quidam, vt Felinus *in cap. 1. de hæretic. n. 2.* Ancharan. *ibidem n. 5.* Io. Andr. *n. 2.* Boërius *n. 3.* Sotus *in 4. dist. 12. q. 3. art. 3. post 3. conclusionem, cas. 1.* Lorca *in 2. 2. S. Thomæ, q. 11. art. 2. disput. 41. n. 15.* Toletus *lib. 1. cap. 19. n. 3.* Sayr. *de censur. lib. 1. cas. 14. n. 15.* & alij, quos alibi suprà citabam, putant, quod ab hæresi non excuset vlla ignorantia vincibilis, & multò minùs crassa, & supina, quia ignorantia vincibilis non excusat ab aliis peccatis; Ergo neque excusabit ab hæresi, ita vt (sicut furtum, vel homicidium, &c. semper est peccatum, siue fiat ex scientia, siue ex ignorantia culpabili) sic etiam error circa fidem semper sit peccatum hæresis, siue fiat scienter, siue ignoranter, modò tamen ignorantia fuerit vincibilis, sicque culpabilis, vti dicebam.

14 Alij, vt Zumel *in 1. 2. q. 76. art. 4. disp. 1.* Canus *de locis Theologic. lib. 12. cap. 9.* Castr. *de inst. hæreticor. punit. lib. 1. cap. 9.* Valentia *tom. 3. disput. 1. q. 11. punct. 1. difficult. 4. &* Merolla *tom. 1. disput. 1. cap. 2. dub. 12. n. 177.* & alij, quos alibi suprà etiam citabam, putant quod, licet ab hæresi non excuset ignorantia affectata, excuset tamen ignorantia vincibilis etiam crassa & supina, ita vt nullus error contra fidem ex ignorantia vincibili, etiam crassa, & supina, sit hæresis, quia de ratione hæresis est, vt quis erret in fide, sciens, & aduertens, se credere, & opinari contra communem sensum Ecclesiæ, sicque contemnat authoritatem Ecclesiæ: At qui habet ignorantiam, etiam crassam, & supinam, circa communem sensum Ecclesiæ, non errat sciens, & aduertens, se credere, & opinari contra communem sensum Ecclesiæ, sicque non contemnit authoritatem Ecclesiæ: Ergo non est verè hæreticus, quemadmodum si quis ignoret (etiam ignorantia crassa, & supina) se sentire contra suum magistrum, non censetur esse pertinax contra suum magistrum, neque contemnere auctoritatem sui magistri.

15 Alij, vt Ledesma *in summa tom. 1. cap. 6. concl. 4. difficul. 2.* Vasquez *in 1. 2. disput. 126. c. 2.* Pezantius *in 2. 2. q. 11 art. 1. disput. 1. concl. 1.* Becanus *tom. 3. in 2. 2. cap. 14. q. 2. n. 56.* Ricciull. *de iur. person. lib. 5. cap. 7. n. 13.* & alij quos alibi suprà similiter citabam, putant, quod ab hæresi excuset ignorantia, etiam affectata, dummodò non sit affectata ex falsa opinione, quam quis habet contra Ecclesiam, eo quod scilicet putet parui momenti esse ea, quæ Ecclesia credit, quæque credenda proponit. Tunc enim absque dubio est verè hæreticus, quia ex illa falsa opinione, quam habet contra Ecclesiam, affectat ignorantiam eorum, quæ credit Ecclesia, quæque credenda proponit Ecclesia: sed sit affectata, v.g. ex tædio addiscendi solum, velit scilicet ignorare solum, quia tædet ipsum addiscere. Tunc enim error in rebus fidei non est propriè hæresis, quia sic errans non contemnit, neque offendit auctoritatem Ecclesiæ, tanquam pertinax, & incredulus contra Ecclesiam, quamuis offendat Deum, tanquam culpabiliter ignorans quæ scire potest, & tenetur circa ea, quæ credit Ecclesia, quæque credenda proponit Ecclesia. Et consequenter ipsius peccatum non est pertinacia, vel propriè hæresis, sed aliud peccatum, quod quidem indirectè spectat, & reduci potest quodammodò ad hæresim.

16 Hinc patet ad argumentum, quod in contrarium suprà ponebatur. Est enim disparitas inter hæresim, & alia peccata, quia de ratione hæresis est pertinacia, sed nemo in rebus fidei est pertinax, nisi sciat & aduertat se sentire contra Ecclesiam: quapropter qui hoc ignorat, non est pertinax, & consequenter non est propriè hæreticus. At pertinacia non est similiter de ratione aliorum peccatorum, vt propterea quando committuntur alia peccata, in peccante non requiratur, vt sciat, & aduertat, se delinquere contra legem Dei, sicque eam contemnere, sed satis sit, si id vel aduertat, vel de ea se habens saltem dubium, possit, ac debeat aduertere.

Quæ verò modò dixi, intellige in foro interiori, seu 17 conscientiæ, quia in foro exteriori, fori, seu iudiciali, qui errat in fide, si alleget, se ex ignorantia errasse, non creditur, caso quo error commissus sit in his, quæ ex officio scire tenetur, vel in his, quæ passim, & communiter homines eiusdem suæ qualitatis sciunt, quapropter si Sacerdotes, vel alij viri docti errent in Ar- 18 ticulis fidei, & Præceptis Decalogi, non ex ignorantia, sed ex malitia errare præsumuntur. Doctores communiter quos sequitur Sousa *in Aphor. inquis. lib. 1. cap. 12. n. 14.* Videri etiam potest Simanch. *tit. 28. n. 13.* quatenus expresse ait, quod Christianus excusari non possit prætextu ignorantiæ, si errauerit in articulis fidei, vel in præceptis Decalogi, vel in aliis veritatibus diuulgatis, & quos quilibet Christianus scire tenetur, & multò magis excusari non possunt qui fuerint peritiores, & doctiores viri; & Albertin. *q. 30. n. 37.* quatenus inquit, quod si simus in casu, quo aliquis neget articulum diuulgatum, vel in Symbolo contentum, quem tenetur explicitè, & distinctè credere, tunc eo quod contra ipsum sit præsumptio violenta, illius articuli veritatem ipsum non ignorare, pertinax hæreticus sit iudicandus, quamuis asserat, quod paratus sit corrigi.

Quidquid in contrarium sentiat Io. Lupus in allegationibus hæresis, vbi tenet, quod negans assertionem catholicam apud Catholicos diuulgatam, non sit iudicandus hæreticus, si paratus sit corrigi. Minùs rectè enim sic sentit, quia, cum ex dictis dicta diuulgatio contra ipsum inducat dictam præsumptionem violentam, contrarium dicendum est in foro exteriori, fori, seu iudiciali, sicuti dicebam.

Non nego tamen, quod si quis probabiliter præsu- 19 matur, non verè, & perfectè scire catholicam aliquam veritatem, vt si v.g. sit homo simplex, rudis, vel rusticus, &c. aut si dogma non sit de Articulis fidei, qui in Ecclesia sunt diuulgati, quales sunt, qui non solent solemnizari, tunc puniri possit, & debeat arbitrio iudicis, non tamen vt formaliter hæreticus, ad pœnas scilicet hæresis, sed vt suspectus de hæresi, ad tantùm scilicet abiurandum de hæresi, si tamen paratus sit corrigi, Syluester *verb. hæresis, n. 1.* Armilla *eodem. verb. hæresis, n. 1.* Decian. *lib. 5. cap. 39. n. 11* Pegna *in director. inquisit. par. 2. comment. 1.* Io. Lopez *in alleg. hæret. §. 4. 5. &c.* Palatius Rub. *in alleg. in materia hæresis, §. 4.* & alij.

Non obstat, quod id non admittant Glossa *in capit.* 20 *Schisma 24. quæst. 1. verb. magis, & verbo ignorantia*, & alij, quos sequitur Albertinus *in rubric. de hæretic. in 6. quæst. 13. num. 23. & 24.* quia intelligi debent in casu, quo prædictus homo sic errans non sit paratus corrigi, iuxta ea, quæ mox suprà dicebam, & prætere aliter aduertit Angelus *verbo fides, n. 6.* & Tabiena *eod. verbo n. 7.*

DVBITATIO IV.

An si errans ex ignorantia moncaris ab Episcopo vel Inquisitore, vel aliis Viris doctis de tuo errore, & adhuc perseueres in illo, credens non esse contra Ecclesiæ definitionem, verè sis hæreticus, & fidem amittas?

SVMMARIVM.

1. *Errans ex ignorantia, si moneatur ab Episcopo, vel inquisitore, vel aliis Viris doctis de suo errore,*

errore, & adhuc perseueret in illo credens non esse contra Ecclesiæ definitionem tam in foro externo, quàm in foro interno, hæreticus pertinax censendus est, satis probabiliter contra nonnullos oppositum tenentes.

2 *Pertinax satis videtur esse in suo iudicio ductus, si contemnat auctoritatem Ecclesiæ per Magistros illius declaratam, siquidem declaratio illa solemnis, & publica, qua testantur viri tam graues mysterium illud receptum esse ab Ecclesia, facit euidentiam moralem, dictum mysterium ab Ecclesia receptum esse.*

3 *Ecclesia rarò immediatè proponit mysteria credenda: sed proponit mediis Episcopis, & Doctoribus, ita vt siquis mysteriis propositis non teneretur credere fide diuina, nunquam credere teneretur.*

4. *Hæreticus, & pertinax iudicatur qui mysterio ab Episcopis, & Inquisitoribus proposito discredit in foro externo, & etiam in foro interno, quia illud iudicium non nititur in aliqua falsa præsumptione, sed in veritate, qua iudicatur dissentiens mysteriis sic propositis auctoritatem Ecclesiæ contemnere.*

5 *Ecclesia sola, licèt sit Regula veritatis, & Episcopi, vel Inquisitores, aliique viri docti possint fallere, & falli, non tamen sequitur necessariè aliquem non teneri credere quæ sibi viri docti proponunt, quia non tenetur credere illam tanquam propositam ab ipsis, sed tanquam propositam ab Ecclesia per illos, vt per suos Procuratores. Ita vt dissensus ab illis sit sufficienter dissensus ab Ecclesia, & proinde constituat hæreticum.*

6 *Doctus, si dissentiat mysteriis fidei propositis, faciliùs pertinax iudicatur, quàm homo rudis, qui ignorare facilè potest regulas fidei, & obligationem credendi.*

1 RESpõdetur quod, quamuis Valentia *tom. 3. disp. 1. q. 11. punct. 1. difficult. 4.* Salas *in 1. 2. tract. 13. disput. 7. sect. 7. n. 53.* Sayr. *de censur. lib. 3. cap. 4. n. 17.* Torres *de Trinit. q. 32. art. 4.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 7. n. 16.* negent, Ecego docebam *libr. de Parlamentis dub. 4. sect. 19. subsect. 31. edit. 1.* ex eo, quia si semper credas, tuam opinionem non esse contra communem sensum Ecclesiæ, & ipsos Inquisitores & Episcopum, vel alium virum doctum, etiam ab illis ad hoc deputatum, decipi, non es verus hæreticus pertinax, cùm nisi credas, te opinari contra communem sensum Ecclesiæ, sicque contemnas Ecclesiam, non sis hæreticus pertinax, vti patet ex iis, quæ dicebam suprà dubit. præcedenti per totam; Tamen probabile sit etiam oppositum, quod docent Bartolus, Rebuffus, Vgolinus, Pegna, Suarez in locis infrà citandis, Simaoch *tit. 48. n. 18. & seqq.* Albertin *q. 30.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 1. q. 25. n. 4.* & Farinac. *de hæretic. q. 169. n. 10.* se scilicet tam in foro externo, quam in foro interno hæreticum pertinacem reputandum esse.

2 Probatur, quia satis pertinax videtur esse, qui suo iudicio ductus contemnit auctoritatem Ecclesiæ per magistros illius declaratam; siquidem declaratio illa solemnis, & publica, qua testantur viri tam graues, mysterium illud receptum esse ab Ecclesia, facit euidentiam moralem, dictum mysterium ab Ecclesia receptum esse: ergo, si euidentiam habeas, esse euidenter credibile quidquid ab Ecclesia proponitur, & adhoc discredis mysteriis sic propositis, verè & in rigore Ecclesiæ auctoritati contradicis, atque adeò verè, & in rigore hæreticus esse videris, aliàs nullus esset censendus hæreticus, quia nullus est, qui Ecclesiæ veræ, & à Christo institutæ non intendat credere, sed quia huic intentioni censetur contradicere (cùm negat quæ ipsi proponuntur esse recepta ab Ecclesia) ideò hæreticus censetur.

3 Confirmatur, quia rarò Ecclesia immediatè proponit mysteria credenda, sed proponit mediis Episcopis, & Doctoribus; Ergo, si mysteriis sic propositis credere non teneris fide diuina, nunquam credere teneris.

4 Confirmatur 2. quia in foro externo iudicaris hæreticus, & pertinax, si mysterio ab Episcopis, & Inquisitoribus, vel ab aliis viris doctis per illos ad hoc deputatis proposito discredas, vti docet Bartol. *in l. Tutor. §. Tutores, ff. de suspect. tutorib.* Rebuff. *in Bull. Cœn. excomm. 1. art. 1. verb. hæresis*, Pegna *1. par. comment. 26. ad q. 12.* Vgolin *in Bull. Cœn. 2. par. cap. 1. §. 1. n. 1.* Suarez *de fide disput. 19. sect. 3. n. 21.* Vasquez *in 1. 2. tom. 1. disp. 126. cap. 3. n. 7.* Lorca *in 2. 2. S. Thomæ q. 11. art. 2. disp. 45.* Merolla *tom. 1. disput. 1. tract. 2. n. 183.* & patet ex *cap. ad abolendam, de hæretic.* & ex iis, quæ dicebam suprà *dubit. præcedenti, petit. 2.* & ex alia vlterius ratione, quia ad iudicium cuiuscumque causæ, & cuiuscumque hæretici non oportet Ecclesiam congregari, neque summum Pontificem adiri, & oportuit, esse peculiares iudices, quorum iudicio causa finiatur, præsertim cùm hi semper prudenti, & maturo examine procedant, & non nisi in certis & manifestis sententiam proferant: ergo etiam in foro interno, quia illud iudicium non nititur in aliqua falsa præsumptione, sed in veritate, qua iudicatur dissentiens mysteriis sic propositis, auctoritatem Ecclesiæ contemnere.

5 Obiicies: sola Ecclesia est regula veritatis: Episcopi autem, vel Inquisitores, & alij viri docti possunt fallere, & falli; Ergo discredens illis & credens Ecclesiæ non est hæreticus, quia non pugnat cum Ecclesia.

Respondetur, concedo, solam Ecclesiam esse regulam veritatis, at non obindè necessariò sequitur, te non teneri credere illa, quæ tibi viri docti proponunt, quia non teneris credere illa tanquam proposita ab ipsis, sed tanquam proposita ab Ecclesia mediis illis viris doctis, quos Ecclesia, vt Procuratores suos assumit: quapropter ipsi non solum tibi proponunt mysteria credenda, sed etiam tibi proponunt, esse ab Ecclesia Romana proposita, & cum in hoc secundo nulla possit esse moralis dubitatio, fit quod sic dissentiens, dissentias sufficienter manifestatæ propositioni Ecclesiæ, ac proinde sis hæreticus.

6 Aduerte tamen, quod facilius vir doctus, si dissentiat mysteriis fidei propositis, pertinax iudicetur, quàm homo rudis, qui ignorare facilè potest regulas fidei, & obligationem credendi. Farinac. *q. 179. §. 2. n. 14.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 7. n. 26.* & patet ex iis, quæ dicebam suprà *cit. dub. præcedenti, petitione secunda.*



DVBITATIO. V.

An fidei protestatio, seu professio excludat pertinaciam?

SVMMARIVM.

1 *Fidei protestatio, seu professio excludit pertinaciam; ita vt excuset protestantem, si postea hæresim committat, ne præsumatur commisisse scienter, & cum pertinacia.*

2 *Limita in verbis dubiis, vel si materia, circa quam erratur, est obscura, & cuius non præsumebatur notitia, secus si præsumebatur, nam protestatio esset contraria facto.*

3 *Hæreticus propriè non est qui errans contra fidem, testatur se dissentire non velle ab Ecclesia Romana, si materia circa quam errat est dubia, & obscura, cuius notitia non præsumebatur ex Canone, & Canonistis.*

4 *Protestatio huiusmodi prodest illi, qui est in articulo mortis, & fuit aliquando suspectus de hæresi.*

5 *Protestatio huiusmodi excusat ab hæresi, cùm quis scribit, vel typis mandat aliquem librum, in quo contineatur aliqua propositio hæretica, quia in tali casu liber est comburendus, non tamen* ... ex libris ... excusan

6

6 *Protestatio non excusat, si materia circa quam erratur, non sit dubia, & obscura, sed eius notitia præsumebatur, v.g. si quis sciat aliquid esse contra fidem, & non obstante hoc illud tenent.*

7 *Protestatio neque excusat quotiescumque qui protestatur fuit à superiore admonitus quod hæresim proferret, & tamen monitus non vult resipiscere.*

8 *Protestatio neque excusat, cùm quis facit aliquid quod aduersatur ei, de quo facit protestationem, vt si v.g. protestetur se credere Messiam venisse, sentire in omnibus & per omnia cum Ecclesia Romana, & tamen sabbatha more Iudæorum coleret.*

9 *Protestatio neque excusat, cùm quis de hæresi est conuictus, quamuis asserat se cum Ecclesia Catholica, seu Romana semper sentisse, ac etiam sentire, quia tunc censendus est propriè hæreticus, & pœnis contra hæreticos latis puniendus, contrà Clarum, & alios.*

10 *Rustici, & idiotæ per simplicitatem in fidei rebus errantes etiam excusantur.*

11 *Proferens verba hæreticalia non ex mala intentione sed ex ioco, ab hæresi excusatur.*

12 *Sententia relata, & attributa à Magistro sententiarum sancto Hieronymo: Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis, non est S. Hieronymi, & quatenus sit eiusdem, non incurretur à proferente, sed ab audientibus imperitis.*

13 *Item sanctus Hieronymus ibi intelligitur, quod verbis inordinatè prolatis incurratur hæresis etiam ab ipso proferente, si scilicet pertinaciter contra morem Ecclesiæ velit talem modum loquendi defendere, aut si putet quod Ecclesia non possit determinare modum loquendi in rebus fidei.*

14 *Item intelligitur, quod verbis inordinatè prolatis incurratur hæresis, non quidem formaliter, sed solum dispositiuè.*

15 *Item intelligitur quod incurratur hæresis, solum quoad præsumptionem, & suspicionem in foro externo.*

16 *Qui tenet aliquid contrà fidem, & admonitus ab Episcopis, Inquisitoribus, & aliis viris doctis, non vult acquiescere, putans se rectè tenere cum Ecclesia, secundum aliquos probabiliter non est propriè hæreticus: at probabilius est oppositum secundum alios.*

1 RESPONDETUR affirmatiuè, ita vt excuset protestantem (si postea hæresim committat) ne præsumatur commisisse scienter, & cum pertinacia: sic ex textu *in cap. dixit Apostolus* 24.q.3. & *ibi* Glossa *verb. Pertinaci*, docet Albertious *q.12.n.2.* Pegna *par.2.q.12. comment.* 26. Simanch *tit.55. rubric. de potest.n.3.& 4.* Farinac. *de hæresi q.178.n.150.* & alij passim quos infrà citabo.

2 Quod tamen intellige, cùm verba sunt dubia, vel cùm materia circa quam erratur, est obscura, & cuius non præsumebatur notitia, secus, si præsumebatur, quia tunc protestatio non excusat ab hæresi: nam facto ipso protestationem dissoluit. Aliàs omnes Hæretici excusari possent, cum facillimè possint hanc protestationem facere, & sæpè faciant, vt sic faciliùs homines simplices peruertant, Director. Inquisit. *par.1.q.12. n.14. & seqq.* Castr. *lib.1. contra hæreticos, cap.9. circa finem*, Nauarrus *in summa cap.11.n.22.* Torres *de Trinit.q.32.art.4.* Penna, Simanchas & Farinacius *in locis suprà citatis.*

Qui igitur errans contra fidem protestatur, se dissentire non velle ab Ecclesia Romana, excusatur ab hæresi, si scilicet, vti dicebam, materia circà quam errat, sit dubia, & obscura, cuius notitia non præsumebatur,
3 v.g. si diceret aliquid de quo dubitaretur, an sit hæresis, & ipse illud assereret, protestans se in eo, vel in alia quacomqne se nolle recedere à fide catholica, sed semper se, quidqnid Ecclesia Romana credit, credere paratum esse, propter talem protestationem (inquam) excusatur ab hæresi.

Probatur ex *cap. dixit. Apostolus* 24.q.3. ibi. *Sed si qui sententiam suam quamuis falsam, atque peruersam nulla pertinaci animositate defendunt, quærunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati cùm inuenerint, nequaquam sunt inter hæreticos reputandi*, & notat ibi Glossa *verb. Pertinaci*, quatenus ait: *Qui contra fidem aliquid credit, paratus se corrigere, non est censendus hæreticus.* Quam glossam *in eo capite* sequuntur Turrecremata *n.5.* & alij Canonistæ, Archidiaconus *in cap.1. de hæreticis, in 6 n.1.* Geminian. *ibidem n.4.* Io. Andreas *n.1.* Albericus *in rubrica Cod. de hæretic. n.4.* Cepolla *cons. 155.* Nauarrus *consil.6. de hæreticis, n.24.* & Simanch. *de Catholic. institut. tit.55.*

Vbi aduerte, quod huiusmodi protestatio prosit illi, 4
qui est in articulo mortis, & fuit aliquando suspectus de hæresi, Albericus *loco suprà citato n.27.* Decanus *in tract. crimin. lib.5. cap.37.* & alij communiter.

Aduerte 2. quod dicta protestatio excuset ab hæresi, cùm 5
quis scribit, vel typis mandat aliquem librum, in quo contineatur aliqua propositio hæretica: quia in tali casu liber est comburendus, non tamen Author libri, Dd. quos sequitur Albert. *tract. de agnoscend. assertion. q.12. n.10. ex cap. damnamus, de summa Trinitat.* Vbi scripta Abbatis Ioachim damnantur tanquam hæretica, ipse verò non similiter damnatur, eo quod in suo libro protestetur, se in omnibus, & per omnia velle sentire cum S. Romana Ecclesia, & velle cum illa viuere, & mori, & semper cum illa vixisse, semperque illam tenuisse.

COROLLARIA.

Ex dictis sequitur, quod è contra, sicut etiam suprà 6
dicebam, protestatio non excuset, si materia circa quam erratur, non sit dubia & obscura, sed notitia eius præsumebatur, v.g. si quis sciat aliquid esse contra fidem, & non obstante hoc illud teneat, tunc quamuis protestetur, se velle credere quod Ecclesia Romana credit, ab hæresi non excusatur; quia alioquin posset quilibet, facta protestatione, hæreses proferre, ac docere, & quidem ipsimet etiam Hæretici asserunt, se nolle quid proferre, vel docere, quod sit contra fidem. Quapropter Episcopi & Inquisitores debent diligenter aduertere, vtrum protestatio fiat bona fide, an verò animo decipiendi, debentque habere rationem personarum, circumstantiarum, &c. Directorium Inquisit. *p.1.q.12.n.14. & 15.* Pegna *ibidem comment.* 26. Castro *lib.1. contra hæreticos, cap.9. circa finem*, Nauarrus *in summa cap.11.n.22.* Torres de *Trinitat. q.32. art.4.* Simanch. *de cathol. institut. tit.55. cap.12. & in Enchir. tit.50.n.10.* & alij communiter.

Seqoitur 2. quod protestatio neqoe excuset, quo- 7
tiescumque qui protestatur, fuit à superiore monitus quod hæresim proferret, & tamen monitus non vult resipiscere, Decian. *in tr. crimin. lib.5. cap.55.n.8.* Locat. *in iudicial. inquisitor. verbo credibilia, vers. si autem*, & alij.

Sequitur 3. quod protestatio neque excusat, cum 8
quis facit aliquid, quod aduersatur ei, de quo facit protestationem, vt si v. g. protestetur se credere, Messiam venisse, sentire in omnibus, & per omnia cum Ecclesia Romana, & tamen sabbatha more Iudæorum coleret & festiuitatem illorum celebraret, Gloss. *in cap. cum M. Ferrariensis, de constitution.* Simanch. *cit. tit. 55.n.5.* Pegna vbi suprà *vers. Hactenus explicui*, & alij passim, quia protestatio est facto contraria.

Sequitur 4. quod protestatio neque excuset, cum 9
quis de hæresi est conuictus (quamuis asserat, se cum Ecclesia Catholica, seu Romana semper sentisse, ac etiam sentire) quia tunc est censendus propriè hæreticus, & pœnis contra hæreticos latis puniendus, Ananias *in cap. Excommunicamus, de hæretic. §. Adiicimus,* Bursat. *lib.1. cons.7.n.2. & seqq.* Cantera *in quæstion. criminal. in rubrica de hæretic. cap.1.n.17. & 60.* Afflictus

in

in constit. Regni rubr. de hæresi, n. 35. Albertin. *de agnosc. assertion. cathol. q.* 8. *& q.* 34. *n.* 51. Calder. *tract. de hæret. rubr. de hæret. n.* 1. *& rubr. de mat. process. inquisit. num.* 1. Rebuff. *in praxi. tit. de modo amitt. benefic. n.* 3. Simanch. *de Cathol. Institut. tit.* 48. *n.* 25. Paramus *de origine offic. S. Inquisit. lib.* 3. *q.* 4. *rubr. de expedit. process. in caus. n.* 41. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *c.* 17. *num.* 138. *& cap.* 37. *n.* 16. Royas *de hæretic. part.* 1. *n.* 69. *& seqq.* Quia cùm quis legitimè conuictus est de aliis delictis, est verè & propriè reus, & potest vt talis condemnari, *cap. super quibusdam, de verbor. signif. cap. nos in quemquam* 11. *quæst.* 1. *& cap.* 1. *&* 2. 11. *q.* 4. Ergo idem dicendum erit de illo qui legitimè conuictus est de hæresi.

Quamuis contrarium tradant Clarus *in §. hæresis, vers. Et nota,* Boër. *decis.* 341. & alij, quorum opinio est quidem vera in foro interiori, quia si reuerà sentit cum Ecclesia Catholica in foro interiori, hæreticus non est, in foro tamen exteriori (de quo loquuntur Doctores quos supra citabam) hæreticus præsumitur, sicque hæreticus iudicatur, & vt talis condemnatur.

10 Sequitur quintò, quod multi rustici & idiotæ per simplicitatem in fidei rebus errantes etiam excusentur. Repertor Inquisit. *part.* 1. *q.* 4. *n.* 5. Rosella *verb. hæreticus, in princ.* Syluester *verb. hæresis* 1. *n.* 1. Armilla *eod. verb. n.* 1. Ostiensis *in sum. de hæret. § qualiter deprehendantur, n.* 4. Io. Lopez *in allegat. hæretical. lib.* 6. 4. 5. *&* 7. & Decianus *lib.* 5. *cap.* 37. *num.* 11. Quod si Glossa *in cap. schisma* 24. *q.* 1 *verb. magus, & verb. ignorantia,* Albert. *in repert. rubr. de hæret. in* 6. *q.* 13. *n.* 13. *&* 14. & quidam alij contrarium doceant, intelligi debent de iis rusticis & idiotis qui non sunt parati ab Ecclesia corrigi, sicuti rectè adnotarunt Repert. Inquisit. *verb. fides, vers. verum simplices,* Angelus *verb. fides, n.* 6. & Tabiena *eod. verb. n.* 7.

11 Sequitur sextò, quod etiam ab hæresi excusetur, si quis verba hæreticalia proferat, non ex mala intentione, sed ex ioco. Archidiac. *in cap. Inter schisma* 24. *q.* 1. *n.* 1. Bellamera *ibid. n.* 2. Rosella *verb. hæreticus, vers. Quod si aliquis,* Canus *de locis theolog. lib.* 12. *cap.* 9. & Simanch. *de Cathol. Institut. tit.* 17. *de defension. reorum, n.* 22. quia hæresis est error intellectus: ergo si cum verbis non sit coniunctus talis error, non est in eis hæresis.

12 Non obstat si dicas: ex S. Hieronymo (sicuti refert Magister *in* 4. *distinct.* 13. *circa finem,* & S. Thomas 1. 2. *quæst.* 11. *art.* 2.) ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis: Ergo.

Respondetur enim (vt omittam hæc verba non reperiri apud S. Hieronymum, quapropter Canus *cit. cap.* 9. *ad* 3. negat, tale dictum esse Sancti Hieronymi, præsertim cùm Sanctus Hieronymus potius contrarium docere videatur *Epist.* 17. *ad Damascum, de nomine Hypostasis,* hæresim non esse ex verbis, sed ex sensu iudicandam) sanctum Hieronymum intelligi, quod ex verbis inordinatè prolatis incurratur hæresis, non quidem à proferente, quia sicuti dicebam, & notat Hilarius *lib.* 2. *&* 8. *de Trinitate,* relatus à Magistro loco supra citato, prolatio verborum sine assensu interno, non est hæresis; sed incurratur hæresis ab audientibus imperitis, quia qui talia verba profert, præbet aliis occasionem labendi in hæresim. Quo sensu explicatur Sanctus Hieronymus à S. Thoma loco supra citato: & explicari etiam potest Sanctus Gregorius *lib.* 1. *epist.* 24. quatenus ait ibi, quod incauta loquutio protrahat in errorem: vel

13 Respondetur secundò, intelligi S. Hieronymum, quod *Verbis inordinatè prolatis incurratur hæresis,* etiam ab ipso proferente: si scilicet pertinaciter contra morem Ecclesiæ velit talem modum loquendi defendere: aut si putet quod Ecclesia non possit determinare modum loquendi in rebus fidei: vel

14 Respondetur tertiò S. Hieronymum intelligi, quod *Verbis inordinatè prolatis incurratur hæresis,* non quidem formaliter, sed solum dispositiuè; quia scilicet sic inordinatè, & temerè loquens in materia fidei, se disponit ad hæresim, constituendo se in periculo labendi in hæresim, iuxta illud Ecclesiast. 19. *Qui spernit modica paulatim decidet.* Vel

Respondetur quartò, Sanctum Hieronymum intelligi, quod *Verbis inordinatè prolatis incurratur hæresis,* solum quoad præsumptionem & suspicionem in foro externo, quia scilicet sic inordinatè & temerè loquens in materia fidei, præsumitur hæreticus, & est suspectus de hæresi in foro externo. 15

An autem qui tenet aliquid contra fidem, & admonitus ab Episcopis, Inquisitoribus, & aliis viris doctis non vult acquiescere, putans se rectè tenere cum Ecclesia, sit propriè hæreticus. 16

Respondetur, quod quamuis, maximè si de hoc protestetur, negent Canus *de locis theolog. lib.* 12. *cap.* 9. *vers. At quid pertinacia,* Vasquez *part.* 1. *disput.* 116. *cap.* 3. *num* 7. Torres *de Trinit. quæst.* 32. *art.* 4 Sayrus *de censuris lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 17. Valentia 2. 2. *disput.* 1. *quæst.* 11. *punct.* 1. *difficultate* 4. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 26. ex eo, quia ille talis putat se tenere cum Ecclesia, & est paratus corrigi & obedire Ecclesiæ; ita vt quotiescumque contrarium proposuerit Ecclesia, contrarium & ipse credere velit: Ergo non est pertinax, atque adeò non est propriè hæreticus. Præsertim cùm Episcopi & Inquisitores non habeant, ita vt nec falli nec fallere possint, assistentiam Spiritus Sancti, sed possint errare, putando aliquid de fide esse, quod reuerà de fide non est: probabiliùs tamen affirment Cardinal. *in Clem.* 1. *de Summa Trinit.* Pegna *in Director. part.* 1. *comment.* 26. *ad quæst.* 12. & alij quos sequitur Suarez *tract. de fide, disput.* 19. *sect.* 3. *num.* 11. iuxta ea quæ dicebam supra *corollario* 2. *num.* 7. & iuxta ea quæ dicebam etiam supra diffusiùs *Dubitatione quarta.*



DVBITATIO VI.

An dubium voluntarium habens de mysteriis fidei, censearis hæreticus.

SVMMARIVM.

1 *Dubium voluntarium habens de mysteriis fidei, secundum aliquos non est credendus hæreticus: nam in dubio non est propriè pertinacia.*

2 *Limita secundum alios hic intelligi, quoties intellectus perpensis rationibus pro vtraque parte, suspendit iudicium, quia tunc formaliter dubius manet: secus tamen si supra suum dubitandi actum reflecteret, & iudicaret rem esse dubiam, aut sub opinione, quia sic hæresim committeret.*

3 *Dubitans deliberatè de rebus fidei sufficienter propositis, satis probabile est, quod sit hæreticus.*

4 *Dubius in fide est infidelis, vbi declaratur textus in cap. 1. de hæreticis.*

5 *Infidelitas negatiua est solùm in illo qui fidem non recipit: si verò baptizatus est, non potest habere infidelitatem negatiuam, sed positiuam; cùm non possit fides amitti, nisi per actum fidei contrarium.*

6 *Dubitans, an anima rationalis sit forma corporis humani, & in tali dubio pertinaciter hærens, censetur hæreticus, & eius doctrina Catholicæ Religioni inimica, tam ex Concilio Viennensi, quàm Lateranensi, vbi non loquuntur de sola præsumptione fori externi, sed etiam de ipsa doctrina.*

7 *Iudicans res fidei non esse dignas, quod certò & infallibiliter credantur, deliberatè & peccaminosè dubitat de iis, quod hæreticum est.*

8 *Inuestigare quisque potest circa obiect*[illegible] *mum rationes pro vna & altera par*[illegible]

sensu, vel dissensu: vt autem committatur hæresis requiritur iudicium quo indicetur obiectum illud esse dubium & incertum, & indignum quod certò & infallibiliter credatur.

9 *Dubitans de fide fidem destruit, quia hæc necessariò supponit in homine fideli firmitatem ad credendum.*

20 *Fides non destruitur nisi per credulitatem positiuam, hæresim scilicet, paganismum, vel Iudaismum; huiusmodi enim dubitatio continet hæresim, paganismum, Iudaismum.*

11 *Dubium non includit assensum, neque dissensum circa veritatem obiecti de quo dubitatur: At quia cum actus suspensione rectè stat aliquem habere iudicium quo iudicet, illud obiectum non esse omnino certum, sed dubium: quod iudicium necessariò is debet habere, vt verè dicatur de illo obiecto peccaminosè dubitare: non enim potest dari dubium peccaminosum sine positiuo actu, vel errore intellectus.*

12 *Hæreticus est is qui de fide dubitat vt quod, seu indirectè & signatè, seu non negatiuè & præcisiuè, formando scilicet pertinaciter & deliberatè iudicium, fidem non esse omninò certam, sed dubiam, cui certò credatur.*

13 *Hæreticus non est is qui de fide dubitat vt quo, siue directè & exercitè, seu non positiuè, sed negatiuè, & præcisiuè à iudicio positiuo prædicto.*

14 *Doctores asserentes non esse hæreticum qui de rebus fidei dubitat, intelligi debent, si is de rebus fidei dubitet ex animi infirmitate, non autem si dubitet ex pertinacia, siue si dubitet vt quo, seu negatiuè, perpendat scilicet rationes vtriusque partis in materia fidei, & nullum iudicium formet, sed solum pendulus sit.*

15 *Fidelis non semper tenetur de rebus fidei assensum præbere, cùm non semper eius præceptum vrgeat, sed potest suspendere actum circa fidem, non de illa dubitando, sed de aliis rebus cogitando, vel ab illo actu desistendo.*

3 DIxi *dubium voluntarium*, quia sæpe contra voluntatem surgunt de mysteriis fidei dubia, quæ non destruunt fidem, sed potius præbent occasionem illam augendi: signum autem, te in his motibus non consentire, est si displicentia afficiaris cùm insurgunt, vel si recedunt. Quapropter aptior modus resistendi his motibus, est ipsis non respondere, sed potius contemnere, & pro nihilo habere. Difficultas igitur solùm est de dubio voluntario circa mysterium fidei tibi sufficienter propositum. His positis.

Quidam negant te sic dubitantem hæreticum esse. Ita dicebam *lib. 1. de Parlamentis dubit. 4. sect. 19 subsect. 51. edit. 1.* & docent Canus *lib. 12. de loc. theologic. cap. 9.* Malder. 2. 2. *q. 11. art. 2. membr. 2. §. Respondeo*, Sà *verbo hæresis, n. 1.* vbi expressè ait, quod dum quis dubitat, non sit censendus hæreticus, nam in dubio non est propriè pertinacia. Bannez 2. 2. *q. 11. art. 2.* Vasquez 1. 2. *q. 19. art. 6. disput. 61. cap. 1. n. 4.* Turrianus *de fide disput. 55. dub. 1.* Becanus *de fide cap.* 14. *q. 2. n. 8.* & Sanch. *lib. 1.*
2 *moral. cap. 7. n. 12.* qui limitat, vt id intelligatur quoties intellectus perpensis rationibus pro vtraque parte, suspendit iudicium, quia tunc formaliter dubius manet; secus verò si supra suum dubitandi actum reflecteret, & iudicaret rem esse dubiam, aut sub opinione. Nam in tali iudicio (quod moraliter loquendo, subdit ipse, semper cum dubitatione circa res fidei coniungitur) hæresim committeres. Vide quæ dicebam *lib. de Parlament. loco sup. cit.* His tamen non obstantibus.

3 Respondetur, te voluntariè, seu deliberatè & peccaminosè de rebus fidei sufficienter propositis dubitantem esse semper hæreticum. Sic ea probabiliori Doctorum sententia Suarez *de fide disput* 19. *sect. 4. n. 10.* Coninch. *disput. 18. dub. 7. concl. 6. n. 102.* Farinac. *in praxi crimin. part. 5. q. 124. num. 114. & seqq. & de hæresi q. 178. §. 4. n. 90.* & Barbosa *de potest. Episc. allegat. 40. num 16.* Sic etiam Glossa *in cap. 1. de hæretic. verb. dubius*, Ostiensis *ibid n. 1* Anchar. anus *n. 1.* Henricus *n. 3.* Butrius *n. 1.* Felinus *n. 8.* Adrianus *quodlib. 2. q. 1. in princ.* Caietanus 2. 2. *q. 11. art. 3. notab. 1.* Gabriel *in 4 distinct. 13. art. 2. notab 3.* Syluester *verb. hæresis q. 1.* Angelus *eod. verb. in princ.* Armilla *n. 17.* Cordoba *lib. 1. q 17. §. 7.* Pegna *in director. part. 2. comment. 1. conclus. 5.* Toleros *lib. 4. cap. 4. n. 3* Turrecremata *lib. 4. summa, part. 2. cap. 12.* Torres *de Trinit. q. 32. art. 4.* Aragon. 2. 2. *q. 11. art. 1. dub. 2.* Nauar. *in sum. cap. 11. n. 18. & seqq. & in cap. si quis autem, n. 18. & 19. de pœnit. dist. 7.* Castro *lib. 1. de inst. hæretic. punit. cap. 8. & seqq. & lib. 1. aduersus hæreses cap. 6. 7. & 10.* Valentia 2. 2. *disput. 1. q. 11. punct. 1.* S. Antoninus 2. *part. tit. 21. cap. 5. n. 10.* Albertin. *tract. de agnosc. assert. q. 3. n. 9. & in rubr. de hæretic. lib. 6. q. 13. n. 26. & seqq.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 9. q. 5. & 6.* Augustinus de Ancona *in sum. de potest. Eccles. q. 22. art. 1.* Perez *lib. 1. verb. sancta, tit. 2. lib. 1.* Clarus *lib. 5. §. hæresis, num. 2.* Menoch. *consil. 149. n. 48. & 51.* Azeuedo *lib. 8. n. 74. & seqq. tit. 3 lib. 8. nou. recopil.* Reginald. *in praxi lib. 17. n. 49.* Zerola *in praxi Episc. part. 1. verb. casus, vers. dubij.* Sic etiam apertè videtur sentire S. Thomas 2. *part. q. 32. art. 4. & 2. 2. q. 11. art. 1. & 2.*

Probatur *ex cap. 1. de hæreticis* ibi: *Dubius in fide est infidelis*, quod refertur à Stephano Papa, & habetur in *Epistola decretali Sixti I. & in Epist. 2. Iulij I. ad Orientales, cap. 11.* Nam si qui dubitat in fide est infidelis, sequitur quod si dubitet Christianus, sit hæreticus, & ideo dici non potest, quod Textus loquatur de infidelitate negatiua, quia hæc solùm est in illo qui fidem non recipit, qui verò baptizatus est, non potest habere infidelitatem negatiuam, sed positiuam, cùm non possit fides amitti nisi per actum contrarium fidei. 4

Secundò probatur ex Concilio Viennensi relato *in Clem. 1. de summa Trinit. & fid. Cathol. §. porrò*, & ex Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess.* 8. Vbi vertens in dubium, an anima rationalis sit forma corporis humani, & in tali dubio pertinaciter hærens, censetur hæreticus, & eius doctrina Catholicæ Religionis inimica. Neque dici potest, quod hæc decreta loquantur de præsumptione fori externi, quia non loquuntur solùm de dubitante, sed etiam de ipsa doctrina, quam dicunt esse Catholicæ fidei contrariam. At in doctrina non potest admitti præsumptio, sed veritas: Ergo, &c. 5

Tertiò probatur ex Patribus, quia S. Augstinus *lib. 8. de Trinit. cap. 5.* loquens de B. Virgine, ait: *Salua veritate dici potest, fortasse Virgo talem faciem habuit, non tamen salua fide Catholica dici potest. forte Christus de Virgine natus est*, quia cùm ly *fortè*, dubitationem inuoluat, fidei aduersatur. Idem S. Augustinus *in Enchir. c. 17. & c. 19.* inquit: *Is qui de fide dubitat, habet errorem positiuum circa fidem.* S. Bernard. *lib. 5. de consid.* asserit: *Fides ambiguum non habet, & si habet fides non est*; & Vgo de S. Victore *lib. 1. de sacram part. 10. cap. 2.* ait: *Vbi dubitatio est fides non est.* 6

Quartò probatur ratione, quia tunc deliberatè & peccaminosè dubitas de rebus fidei, cùm iudicas res fidei non esse dignas quod certò & infallibiliter credantur, sed deliberatè iudicare, res fidei tibi sufficienter propositas non esse dignas quod certò & infallibiliter credantur, est hæresis manifesta: ergo si deliberatè dubitas de rebus fidei, hæresim committis. Minor & consequentia patent, maior probatur, quia si tibi repræsentaretur obiectum fidei, & repræsentarentur rationes quæ ad eius assensum sufficienter mouent tempore quo non obligaris actum fidei elicere, potes absque vlla culpa actum suspendere: ergo actum fidei suspendere, non est dubitare peccaminosè de fide, atque adeò ad dubitationem peccaminosam aliquid amplius requiritur. At hoc non potest esse nisi iudicium quo iudicas, obiectum illud sic tibi propositum non esse dignum, quod certò & infallibiliter credatur, sed esse dubium & incertum. Ergo, &c. 7

Confir

Confirmatur, quia quando solùm perpendis rationes vtriusque partis in materia fidei, nullumque iudicium formas, sed quodammodo pendes, non dubitas de rebus fidei, sed suspendis actum circa articulos fidei, cùm qui suspendit actum vtriusque partis, non dubitet de veritate: quilibet enim potest suspendere actum suum circa fidem, non eo quod de illa dubitet, sed eo quod tunc velit de aliis rebus cogitare, vel eo quod tunc velit ab illo actu desistere: quia non semper tenetur fidelis fidei rebus assensum præbere, nec semper fidei actum elicere: ergo non omnis suspensio actus fidei est dubitatio. Tum is propriè dicitur dubitare de rebus fidei, qui putat motiua quæ Ecclesia proponit ad credendum non esse sufficientia: ergo suspendere actum fidei non est propriè dubitare. Tum qui actum circa articulos fidei suspendit, non assentitur parti quæ aduersatur illis articulis, neque iudicat articulos fidei esse incertos, nec vllum iudicium format: At dubitare de fide, est iudicare articulos fidei esse incertos, & illis posse subesse falsum: ergo suspendere actum intellectus circa fidem, non est de fide dubitare, sed sunt hæc duo inter se valde diuersa.

8 Confirmatur secundò, quia circa obiectum tibi certissimum potes inuestigare rationes pro vna & altera parte sine vllo assensu, vel dissensu; neque ex tali inuestigatione potes argui de dubitatione circa illud, aliàs sæpe sæpiùs sancti viri peccaminosè dubitarent de mysteriis reuelatis: ergo ad dubitationem peccaminosam non sufficit suspensio, sed vlterius requiritur iudicium, quo iudicetur obiectum illud esse dubium & incertum, & indignum quod certò & infallibiliter credatur.

9 Confirmatur tertiò, quia dubitans de fide fidem destruis, hæc enim necessariò supponit in homine fideli firmitatem ad credendum, iuxta illud symboli Athanasii: *Hæc est fides catholica, quam nisi quisque fideliter,*
10 *firmiterque crediderit, saluus esse non potest.* At fides non destruitur nisi per infidelitatem positiuam, hæresim scilicet, paganismum, vel iudaïsmum: ergo talis dubitatio continet hæresim, paganismum, vel iudaïsmum.

Confirmatur quartò, quia qui dubitat de fide, iudicat fidei per Ecclesiam propositæ posse subesse falsum, & illam non esse certam: At qui sic iudicat, habet errorem positiuum circa fidem: ergo est hæreticus, cùm de fide sit fidei non posse subesse falsum, & illam esse certã.

Confirmatur quintò, quia qui iudicat quid esse in-
18 certum quod est certum, habet errorem circa illud: At hic iudicat, fidem quæ est maximè certa, esse incertam: ergo habet errorem circa fidem, atque adeò est hæreticus. Quapropter Augustinus *in Enchirid. cap.* 17. *&* 19. inquit: *Is qui de fide dubitat, habet positiuum errorem circa fidem*; & Bernardus *lib.* 5. *de considerat. cap.* 1. ait: *Fides ambiguum non habet, & si habet fides non est*; & Vgo de S. Victore *lib.* 1. *de sacrament. part.* 10. *cap.* 2. dicit: *Vbi dubitatio est fides non est.*

Confirmatur sextò, quia qui circa fidem errat, est hæreticus: sed qui de articulis fidei dubitat, errat circa fidem: ergo est hæreticus. Maior patet, minor probatur, quia sicuti dicebam, de fide est articulos fidei esse omnino certos, & iis non posse subesse falsum: ergo qui iudicat articulos fidei esse incertos, errat contra fidem, atque adeò est hæreticus.

Obiicies: hæreticus est qui eligit siue sequitur opinionem fidei contrariam: At qui dubitat quam partem eligat, vel cui parti assentiatur, non potest dici eligere opinionem fidei contrariam: ergo non est hæreticus. Accedit quod qui dubius est an fidei mysteriis assentiatur, indifferens est illis assentiri, vel dissentiri: ergo non magis dici potest fidei contrariari, quàm fidẽ amplecti. Accedit secundò, quod fides importat positiuum assensum: ergo hæresis quæ est fidei contraria, importabit positiuum dissensum, sed dubium excludit assensum, vel dissensum: ergo dubium non est hæresis.

11 Respondetur, concedo dubium peccaminosum de quo loquimur, non includere assensum, neque dissensum circa veritatem obiecti de quo peccaminosè dubitas, quia neque assentiris ita esse, neque dissentiris, sed prorsus suspendis actum intellectus. At cum hac suspensione rectè stat, te habere iudicium quo iudices illud obiectum non esse omninò certum, sed dubium: quod iudicium necessariò debes habere, vt verè dicaris de illo obiecto peccaminosè dubitare, ac proinde nunquam dari potest dubium peccaminosum sine positiuo actu, seu sine positiuo errore intellectus.

Dici breuiter igitur potest, quod sit hæreticus is qui de fide dubitat, vt quod seu indirectè & ignatè, seu non negatiuè & præcisiuè, sed positiuè, formando scilicet deliberatè & cum pertinacia, iuxta ea quæ supra dicebam, iudicium, fidem non esse omnino certam, sed dubiam, seu non omnino non dignam cui certò credatur: 12
non verò sit hæreticus is qui de fide dubitat, vt quo, seu directè & exercitè, seu non positiuè, sed negatiuè & præcisiuè à iudicio positiuo prædicto. In quo sensu loquuntur Doctores contrariæ sententiæ prioris, si non omnes, saltem complures. 13

Non obstat si dicas; expressè docent prædicti Doctores, quod qui de rebus fidei dubitat, non sit hæreticus: ergo. 14

Respondetur enim (vt omittam illos intelligi posse, si de rebus fidei dubitet ex animi infirmitate quadam, non autem si dubitet ex pertinacia) quod intelliguntur, sicuti dicebam, si dubitet vt quo, seu negatiuè; scilicet perpendat rationes vtriusque partis in materia fidei, & nullum iudicium formet, sed pendulus sit: quod non est dubitare de rebus fidei, sed solùm suspendere actum circa res fidei, siquod quid valde diuersum, cùm qui suspendit actum vtriusque partis, non dubitet de veritate, neque assentiatur parti quæ aduersatur articulis fidei: quilibet enim potest suspendere actum circa fidem, non eo quod de illa dubitet, sed eo quod tunc velit de aliis rebus cogitare, vel ab illo actu desistere, cùm non semper, nisi de credendo præceptum vrgeat, fidelis teneatur fidei rebus assensum præbere, seu fidei actum elicere: non autem dubitet vt quod, seu positiuè; scilicet formet iudicium, seu positiuè iudicet motiua quæ Ecclesia proponit ad credendum, non esse sufficientia, & articulos fidei non esse certos, sed ambiguos, iisque posse subesse falsum: cùm suspendere actum intellectus circa fidem, & dubitare de fide sint duo valde diuersa, sicuti etiam supra dicebam. 15

DVBITATIO VII.

An circa obiectum fidei tibi sufficienter propositum possis habere opinionem.

SVMMARIVM.

1 *Opinatiuè assentiens obiecto fidei, vt per actum reflexum iudicet obiectum fidei non esse dignum assensu firmiori, tale iudicium est hæreticum: si verò à tali iudicio abstrahat, potest de obiecto fidei habere opinionem, considerans solum motiuum humanum, vel rationem probabilem circa dictum obiectum.*

2 *Credere fidei obiecto ob motiuum humanum, non est peccatum, sed potiùs vsitatum quid à fidelibus, cùm talis credulitas non pugnet cum fide. Quapropter cum fide stare potest opinio, non enim assensus opinatiuus est error, sed potius actus veritati conformis.*

3 *Opinans de obiecto fidei sufficienter proposito est hæreticus formaliter, prædictis non obstantibus.*

6 *Augustini auctoritas de Beata Virgine recensetur.*

5 *Assensus opinatiuus de aliquo obiecto necessariò iudicat, obiectum ita esse verum vt possit esse falsum: vel è contra iudicat, obiectum non esse omninò certum; qui quidem assensus includens errorem in fide, non potest esse cum obiecto fidei.*

6 *Assensus opinatiuus absolutè de aliquo mysterio non datur, sed tantum cum iudicio in actu exercito.*

7 *Hæreticus est is, qui de obiecto fidei opinatur vt quod, non verò qui de eodem opinatur vt quo, quia vltrà ea, quæ dicta sunt, non est hæreticus, quinimò sic credendo non peccat qui res fidei credit fide humana, nec qui assensu credit opinatiuo res fidei, cùm vterque assensus formidinem inuoluat.*

8 *Credens res fidei assensu opinatiuo; credit id, quod à parte rei est verum, & cùm assensus sit circà veritatem rei, non potest talis assensus esse hæresis, & consequenter per talem assensum homo non constituitur hæreticus, neque peccat.*

9 *Fidei assensus ob probabilem aliquam rationem, vel auctoritatem humanam, licèt non includat certitudinem fidei infusæ, non tamen formido in eo assensu inclusa est hæresis, immò, communiter loquendo, talis assensus fidei humanæ necessarius est ad assensum fidei diuinæ.*

10 *Hæreticus non est, qui res fidei credit assensu opinatiuo solitariè, præcisiuè, directè, exercitè, seu vt quo, secus si credat assensu opinatiuo non solitariè, non præcisiuè, non directè, non exercitè, sed reflexè, signatè, vel vt quod.*

1 QVIDAM, quos sequitur Suarez *de fide disp.* 19. *sect.* 4. *n.* 16. & Turrianus *de fide disp* 55. *dub.* 1. distinguunt, si ita opinatiuè obiecto fidei assentiaris, vt per actum reflexum iudices, obiectum fidei non esse dignum assensu firmiori, tale iudiciũ est hæreticum: si verò à tali iudicio abstrahas, potes de obiecto fidei habere opinionem, considerans solùm motiuum humanum, vel rationem probabilem circà dictum obiectum.

2 Probant, tum quia credere fidei obiecto ob motiuum humanum non est peccatum, sed potiùs frequenter vsitatum à fidelibus, cùm talis credulitas non pugnet cum fide: quapropter cum fide stare potest opinio, vt communiter tradunt Doctores: tum quia assensus opinatiuus non est error, sed potiùs actus veritati conformis: Ergo. His tamen non obstantibus.

3 Respondeo, melius dici, te non posse habere opinionem seu assensum opinatiuum absolutè de obiecto fidei sufficienter tibi ad credendum proposito, quin tu sis formaliter hæreticus, ita S. Thomas 1. *par. q.* 32. *art.* 4. Aragon. 2. 2. *q.* 11. *art.* 2. *dub.* 2. Lorca *ibidem disput.* 42. *n.* 7. Castr. *lib.* 1. *aduersus hæretic. cap.* 10. *in principio*, Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *q.* 6. & alij communiter.

4 Probatur ex S. Augustino *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 5. vbi loquens de B. Virgine ait: *Salua fide licet dicere, fortè talem habebat faciem, fortè non talem, fortè autem de Virgine natus est Christus, nemo salua fide christiana dixerit.*

5 Secundò probatur ratione, quia assensus opinatiuus de aliquo obiecto, necessariò iudicat, obiectum ita esse verum, vt possit esse falsum, vel è contra, cum iudicet obiectum non esse omninò certum, sed talis assensus includit errorem in fide: Ergo non potest esse cum obiecto fidei sufficienter proposito.

6 Atque hinc patet ad fundamentum contrarium, concedo enim, posse te assentiri mysteriis fidei sub aliqua ratione probabili, qualis est v.g. dictum alicuius docti viri; nego tamen habere te tunc assensum opinatiuum tuum absolutè de illo mysterio, quia non iudicas absolutè, illud mysterium esse probabile, seu non esse omninò certum, sed tantùm iudicas in actu exercito, scilicet ex vi illius rationis, non esse omninò certum: quod non est actus contrarius fidei, quia eius probabilitas potiùs versatur circa rationem motiuam, quàm circa mysterium, quod rationi motiuæ subest, quare semper dixi, te non posse habere opinionem, seu assensum opinatiuum absolutè de obiecto fidei sufficienter tibi ad credendum proposito, quin tu sis formaliter hæreticus.

Dici clarius igitur potest, quod sit hæreticus is, 7
qui de obiecto fidei opinatur vt quod, non verò sit hæreticus is, qui de obiecto fidei opinatur vt quo, quia præter dicta non est hæreticus, quinimmò sic credendo nõ peccat is, qui res fidei credit fide humana: Ergo nec etiam erit hæreticus, quinimmò nec etiam peccabit is, qui res fidei credit assensu opinatiuo, cùm tam assensus fidei humanæ, quàm assensus opinatiuus formidinem inuoluat. Tum quia interdum aliquis vir doctus asserit quid esse de fide, & tunc possumus illud credere fide humana propter auctoritatem illius viri docti di-
centis. Ergo credere rem fidei assensu opinatiuo non est 8
quid de se malum, & multò minus quid hæreticum. Tum quia qui rem fidei credit assensu opinatiuo, credit id, quod à parte rei est verum, & assensus est circa veritatem rei: Ergo talis assensus non est hæresis, & consequenter per talem assensum homo non constituitur hæreticus, quia potest quis considerare solum motiuum humanum, vel rationem aliquam naturalem, quæ probet, esse credendum aliquem articulum fidei, & ratione talis motiui tunc assentiatur, non cogitando de alio motiuo supernaturali, ob quod moueatur ad credendum de fide diuina infallibiliter illum articulum. Qui igitur in tali casu rem aliquam fidei credit assensu opinatiuo, non est hæreticus, quin etiam neque peccat. Et in hoc sensu loquuntur Doctores contrariæ sententiæ prioris, & patet, quia clarè Turrianus loco suprà
citato circa finem ait, quod quandò quis habet assen- 9
sum fidei ob probabilem aliquam rationem, vel auctoritatem humanam, in tali assensu non sit certitudo fidei infusæ; non tamen formido in illo assensu inclusa sit hæresis, immò communiter loquendo, talis assensus fidei humanæ necessarius sit ad assensum fidei diuinæ, & qui habet assensum fidei acquisitæ rerum fidei, non sentiat contra Ecclesiam, sed sequatur illam, licet in tali assensu non habeat pro ratione formali testimonium Dei, qui loquatur.

Non est igitur in sententia prædictorum Doctorum 10
hæreticus, si quis rem fidei assensu opinatiuo credat solitariè, præcisiuè, directè, exercitè, seu vt quo, sed si rem fidei assensu opinatiuo credat non præcisiuè, non directè, non exercitè, sed reflexè, signatè, vel vt quod, positiuè scilicet iudicando, rem fidei non habere infallibilem auctoritatem, vel non esse credendam alio assensu, quam assensu opinatiuo.

DVBITATIO VIII.

An dissentiens speciali reuelationi tibi sufficienter propositæ ad credendum, sis hæreticus, & punibilis ab Ecclesia?

SVMMARIVM.

1 *Dissentiens speciali reuelationi sibi sufficienter proposita ad credendum, secundùm Lorcam non est hæreticus, & punibilis ab Ecclesia, quia sic sentiens non est Ecclesiæ Catholicæ contumax, cùm ipsa talem reuelationem credendam non proponat.*

2 *Dissentiens specialiter reuelationi sibi sufficienter proposita ad credendum est hæreticus, quibuscumque nonobstantibus, quia tota malitia hæresis consistit in contemptu primæ veritatis sufficienter propositæ, qui enim sic discredit, mendacem Deum facit, Deus enim idem est, siue publicè, siue particulariter reuelet.*

3 *Hæresis*

3 *Hæresis non necessariò requirit contumaciam aduersus Ecclesiam formaliter, sed aduersus Deum reuelantem, si sufficienter reuelet.*

4 *Credere tenemur fide diuina supernaturali, & theologica, sicut alias res fidei sufficienter propositas ab Ecclesia, reuelationem particularem, seu specialem, & ideò illam non credens, est hæreticus.*

5 *Dissensus reuelationi particulari, seu speciali, opponitur fidei supernaturali, consequenter est hæresis.*

6 *Dissensus prædictus repellit ab homine Christiano fidem, & sic est hæresis.*

7 *Reuelationem particularem, quam certò putat esse diuinam non credens, censetur non credere primæ Veritati reuelanti, & censetur sentire quod possit mentiri, quando in particulari aliquid reuelat.*

8 *Reuelationes diuinas particulares tenemur credere fide theologica, quia credimus quicquid à Deo reuelatum fuerit, quamuis toti Ecclesiæ credendum non proponatur, contra Caietanum.*

9 *Reuelationes diuinas particulares tenemur credere fide theologica, ex Concilio Tridentino.*

10 *Innocentius tertius in cap.* Cum ex iniunctis, *de hæretic. vbi ait, non esse fidem habendam reuelationi particulari, nisi ea miraculo confirmetur, loquitur in ordine ab illos, qui reuelationes particulares audiunt, non autem in ordine ad illos, quibus dictæ reuelationes factæ sunt.*

11 *Reuelationes particulares diuinæ vt sint credendæ, examinandum est, an sint à Deo, explicantur enim à Theologis signa, quibus cognoscuntur.*

12 *Dissentiens reuelationi speciali sibi factæ non contrahit excommunicationem, & alias hæreticorum pœnas, contra Sanchez, & quosdam alios, si in actum externum prodeat, quia implicat, talem dissensum posse manifestare contrarium esse fidei, cum enim ea sit specialis, constare aliis non potest, dissentientem dictæ reuelationi, verè fidei dissentire, secus si dissensus sit reuelationi non speciali, sed generali, & à tota Ecclesia proposita, modò dissensus sit manifestus.*

13 *Ecclesia non imponit pœnas, nisi illi, qui recedit à fide Catholica, idest ab illis rebus, quas Ecclesia credendas proponit omnibus fidelibus, fides enim Catholica dicitur illa, quæ toti Ecclesiæ vniuersali credenda proponitur.*

14 *Dissentiens reuelationi speciali incurreret quidem pœnas statutas contra hæreticos, si exterius assereret, quod Deus in priuatis reuelationibus mentiri possit, & quod credendus non sit cum reuelat aliquid in particulari: At non incurrit qui priuatam reuelationem non credit, quia ordinariè talis malitia est occulta.*

15 *Idem dicendum casu quo negaret aliquam propositionem, putans esse ab Ecclesia definitam, quæ tamen non est.*

16 *Credens veram propositionem cum animo deliberato non credendi contrarium, tametsi Ecclesia illud definiat, quamuis rem creditam exteriùs proferat, si animum suum non declaret, non incurrit excommunicationem, quia nondum est hæreticus exterior.*

17 *Venerabilis Matris Vrsulæ Benincasæ diuina reuelatio diu Romæ discussa, Gregorij XIII. iussu, tempus inutiliter impensum in probando virginis spiritu, quando legatio ipsius diuina erat examinanda.*

1 QVIDAM, vt Corduba *lib.1.q.17.dub.2.* Rodetic. *in Bull. Cruciat. §.9 n.74.* Vuald. *in Bull Cœn. cas.1 n.30.* quos sequitur Lorca *2.2.q.11.disp.39 n.2. & seqq.* negant, quia sic dissentiens, non es Ecclesiæ Catholicæ contumax, cùm ipsa Ecclesia talem reuelationem credendam non proponat: Ergo, licet committas, inquiunt ipsi, peccatum infidelitatis, non es hæreticus, neque punibilis ab Ecclesia. His tamen non obstantibus.

Respondetur iuxtà ea, quæ dicebam suprà *dubit. 2. petit. prima, corollar. 3.* te fore hæreticum, si reuelationi diuinæ, tibi sufficienter propositæ dissentias, Vega *lib.5. de iustificat. cap.3.* Catherinus *in Apologia de certitudine gratiæ cap. vltimo,* Suar. *disp.19. de fide sect.5. n.11.* Azor. *lib.8. cap.9. q.4.* & complures alij, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.2. moral. cap.7. n.32.*

Probatur, quia tota malitia hæresis consistit in contemptu primæ veritatis sufficienter propositæ, qui enim sic discredit, mendacem Deum facit: At qui discredit reuelationi speciali sufficienter propositæ, eodem modo primam veritatem contemnit; & mendacem Deum facit, quia idem est, siue publicè, siue particulariter reuelet. Ergo est hæreticus. Neque hæresis necessariò requirit contumaciam aduersus Ecclesiam formaliter, sed aduersus Deum reuelantem, si sufficienter reuelet. 2 3

Confirmatur, quia talem reuelationem particularem, seu specialem tenemur credere fide diuina, supernaturali, & theologica, sicut alias res fidei sufficienter propositas ab Ecclesia, Corduba *lib.1.q.17.* Aragonius *2.2.q.1.art.1. & q.3. art.3.* Catherinus *vbi supra.* Vega *lib.9. in Tridentin. cap. vltimo,* & alij, quos sequitur Bellarmin. *lib.3. de iustificat. cap.3.* Ergo qui illam non credit, est hæreticus, sicut est hæreticus, qui non credit alias reuelationes diuinas sufficienter propositas ab Ecclesia. 4

Confirmatur secundò, quia talis dissensus opponitur fidei supernaturali, & est in homine Christiano: Ergo talis dissensus est hæresis, sicque constituit hæreticum illum, in quo dictus dissensus reperitur. 5

Confirmatur tertiò, quia talis dissensus repellit ab homine Christiano fidem: Ergo talis dissensus est hæresis. 6

Confirmatur quartò, quia qui reuelationem particularem quam certò putat esse diuinam, non credit, censetur non credere primæ veritati reuelanti, & sentire, quod non semper, nec in omnibus credendum sit primæ veritati aliquid reuelanti, & testificanti, sed quod possit mentiri quandò in particulari aliquid reuelat: Ergo est hæresis, cum sit id errare in doctrina catholica. 7

Dicendum igitur est, quod teneamur huiusmodi reuelationes diuinas particulares credere fide theologica, qua credimus quidquid à Deo reuelatum fuerit, quamuis toti Ecclesiæ credendum non proponatur; credimus enim diuinis reuelationibus propter Dei auctoritatem, quæ sicuti dicebam, æqualis est in quacumque re quam reuelat, siue eam reuelet toti Ecclesiæ, siue alicui personæ particulari. Nam prima veritas æquè est infallibilis in omnibus reuelationibus, siue vniuersalibus, siue particularibus. 8

Et quidem, quod tales reuelationes diuinas particulares teneamur (quidquid in contrarium videantur sentire Caietanus *2.2.q.1.art.1. & q.3.art.3.* Sotus *lib.3. de natura, & gratia, cap.11.* Canus *lib. 12. de locis Theologic. cap.3. & 4.* Valentia *2.2.q.1.punct.1.* & alij) credere fide theologica, satis etiam indicat Concilium Tridentinum *sess.6. cap.12.* Vbi decernit non nisi ex speciali reuelatione sciri posse, quos Deus sibi elegerit, & *canone 16.* Vbi sic definit. *Si quis magnum illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certò habiturum absolutè, & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali reuelatione didicerit, anathema sit.* Quæ verba significant, quod si Deus alicui personæ particulari reuelet aliquid in particulari, debeat illud credere infallibili certitudine, & consequenter sit illud credendum fide theologica, cùm non dicat Concilium, quod illi reuelationi sit credendum alia fide diuersa ab illa, qua credimus rebus fidei, quas Ecclesia omnibus fidelibus credendas proponit. Idem etiam colligitur ex eo, quod Adæ, Abrahæ, & aliis fuerunt à Deo aliqua immediatè reuelata, quæ tales viri sancti infallibiliter crediderunt, & non nisi fide theologica. 9

Theologica, cùm fides illorum fuerit eiusdem rationis cum fide nostra: Ergo, quandò Deus reuelat aliquid alicui *in* particulari, tenetur is, cui facta est reuelatio si firmiter putet illam reuelationem esse diuinam, illud credere fide theologica, vt propterea si dictam reuelationem pertinaciter non credat, sit hæreticus.

10 Non obstat, si dicas: Innocentius III. *in cap. Cum ex iniunctis, de hæretic.* ait, non esse fidem habendam reuelationi particulari, nisi talis reuelatio miraculo confirmetur.

Respondetur enim Innocentium III. loqui in ordine ad illos, qui reuelationes particulares audiunt, non autem in ordine ad alios, quibus ipsis reuelationes particulares factæ sunt, sicuti rectè præter alios adnotauit Abulensis *in cap. 4. Matthei q. 120. & q. 121.*

11 Cæterùm, quamuis reuelationes diuinæ particulares credendæ sint modo, quo suprà explicabam, & qui illas non credunt, reprehendantur in Scripturis sacris, vt patet de Sara *Genes.* 18. & de Zaccharia *Luc.* 1. Aduertendum interim tamen est, an sint à Deo, sicut admonet Apostolus *ad Thessalonicenses* 2. in his verbis: *Prophetias nolite spernere*, subdens: *Omnia autem probate.*

Quibusnam autem signis cognoscatur, verum reuelationes sint à Deo, an aliunde, dicam *infra par. 2.* & videri poterit S. Thomas *in 2. ad Corinth. cap. 11.* super illa verba: *Sathanas transfigurat se in Angelum lucis.* Gerson 1 *par. Alphab. 14. lit. C. & in Alphabet. 19. lit. V.* & Medina 1.2 *q. 22. circa finem.*

12 An autem sic dissentiens contrahas excommunicationem, & alias hæreticorum pœnas.

Respondetur iuxtà ea etiam, quæ dicebam *suprà cit. dubit. 2. petit. 1. corollar. 3.* quod, quamuis affirment Sanchez loco suprà citato, & quidam alij, si *in* actum externum prodeas, quia licèt Ecclesia *non* proponat credendam illam veritatem, proponit tamen credendam summam, & primam veritatem reuelantem, sicut, si negares aliquid, existimans esse ab Ecclesia propositum, cum tamen *non* sit, verè hæreticus esses, & pœnas contraheres, probabiliùs tamen negent Suarez *disput. 19. de fide sect. 5. n. 12.* Corduba *lib. 1. q. 17.* & Azor. *lib. 8. cap. 9. q. 4.*

Probatur, quia implicat, talem dissensum posse manifestari, contrarium esse fidei: nam (cum supponamus illam reuelationem esse specialem, neque alteri cognitam) constare aliis *non* potest, te, cum dissentis dictæ reuelationi, veræ fidei dissentire, quamuis secùs dicendum sit, si dissensus sit reuelationi *non* speciali, sed generali & à tota Ecclesia propositæ, quia tunc dissentiens, pœnas incurres, modò dissensus sit manifestus: vt si diceres, primæ veritati per priuatam reuelationem manifestatæ non esse credendum: nam negares propositionem à tota Ecclesia receptam, sicque hæreticus esses punibilis ab Ecclesia.

13 Confirmatur, quia Ecclesia *non* imponit pœnas, nisi illi qui recedet à fide catholica, id est, ab eis rebus, quas Ecclesia credendas proponit omnibus fidelibus, fides enim catholica dicitur illa, quæ toti Ecclesiæ vniuersali credenda proponitur, cùm doctrina catholica idem sit, quod doctrina vniuersalis: At qui *non* credit priuatam reuelationem, non recedit à fide catholica, sed à fide priuata: Ergo.

14 Non obstat si dicas cum Sanchez: Ecclesia credendum omnibus proponit, Deum esse summam veritatem: quod ipsum iste talis negat, Dei reuelationem particularem non credens: Ergo &c.

Respondetur enim ex dictis, quod iste talis incurrat quidem pœnas statutas contrà hæreticos, si exteriùs assereret, quod Deus *in* priuatis reuelationibus mentiri possit, & quod credendus non sit cum reuelat aliquid in particulari, sed nos tamen dicimus, quod pœnas hæreticorum non incurrat is, qui priuatam reuelationem non credit, quia ordinariè talis malitia est occulta, & interna, sicque cum exteriùs non prodeat, non subiicitur pœnis ab Ecclesia contra hæreticos inflictis.

Idem dicendum in casu, quo negares aliquam propositionem, putans esse ab Ecclesia definitam, quæ tamen non est, quod & tunc hæresim etiam committas, vt dixit Sanchez *loco suprà citato n. 30.* & Farinac. *q. 179. §. 1. n. 2.* At si manifestes, te nolle credere, quod scilicet existimas ab Ecclesia esse definitum, pœnas non incurris, vt tradit Suarez *disput. 21. sect. 2. n. 10.* Vbi apponens signa, quibus hæreticus exterior constituitur, inquit, *Si quis veram propositionem credat cum animo deliberato non credendi contrarium, tametsi Ecclesia illud definiat, quamuis rem creditam exteriùs proferat, si animum suum non declaret, non incurrit excommunicationem, quia nondum est hæreticus exterior.* 15

Hinc sequitur, quid dicendum sit de venerabilis Matris Vrsulæ Beniocasa diuina illa legatione, seu reuelatione, quam Romæ plurimi olim Patres, & Præsules, & *in* his S.R.E. Cardinales, ex Gregorij XIII. iusso discussam, & approbatam, non tamen executioni mandarunt? Planè ex dictis tot sanctissimos, ac sapientissimos viros, quin etiam & per inaduertentiam excusarem: cum enim septem mensium spatium in probando virginis spiritu consumpsissent, nouis, ac miris semper, & inauditis experimentis intenti, vt Pontificio mandato parerent, legationis ipsius monita non ampliùs aduerterunt, præsertim, cùm ipsa post legationem semel, & iterum Pontifici expositam, imposito sibi oneri satis à se factum existimans, legationis capita non ampliùs inculcaueritt.

DVBITATIO IX.

An negans conclusionem Theologicam committas hæresim.

SVMMARIVM.

1 *Negans conclusionem theologicam, licèt secundum Canum & alios sit hæreticus, quòd se opponat reuelationi diuinæ saltem mediatè, non tamen est, sed tantùm esse præsumitur.*

2 *Credere quidquid reuelatum est à Deo, stare potest cum negatione alicuius conclusionis theologicæ, eo quod ea non videatur rectè deduci ex principiis reuelatis, aut ex vno principio reuelato, & altero euidenti, &c.*

3 *Hæresis esse non potest, nisi sit dissensus obiecti reuelati.*

4 *Conclusio theologica est, quatenus est deducta ex principiis media forma sylogistica, & consequenter quatenus fundatur immediatè in ipsa forma sylogistica.*

5 *Conclusionem theologicam negare quis non præsumitur ex eo, quod principio euidenti, vel euidenti illationi non assentiatur.*

QVIOAM, vt Canus *lib. 12. de loc. theologic. cap. 9.* & Valentia *2.2. disput. 1. q. 11. punct. 1. difficult. 3.* affirmant, quia te opponis reuelationi diuinæ saltem mediatè. His tamen non obstantibus. 1

Respondetur negatiuè, te scilicet hæreticum non esse, benè tamen præsumi. Ita Suarez *cit. disput. 19 sect. vlt. n. 3.* Aragonius *2.2. q. 11 art. 2.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 7. n. 33.*

Prior pars probatur, quia rectè stare potest, vt credas quidquid reuelatum est à Deo, cum negatione alicuius conclusionis theologicæ, eo quod ea tibi non videatur rectè deduci ex principiis reuelatis, aut ex vno principio euidenti non assentiaris: Ergo negare conclusionem theologicam *non* est hæresis. 2

Confirmatur, quia non potest esse hæresis, nisi sit dissensus 3

dissensus obiecti reuelati, sed conclusio theologica non est reuelata: ergo eius negatio non est hæresis. Maior
4 & consequentia patent: Minor probatur, quia conclusio theologica est, quatenus est deducta ex principiis media forma syllogistica, & consequenter, quatenus fundatur immediatè in ipsa forma syllogistica, & sic nō certior, quàm ipsa forma syllogistica, quæ non habet nisi certitudinem naturalem, vt mox infrà clariùs apparebit.
5 Posterior pars patet, quia non præsumeris negare conclusionem theologicam, ex eo, quod principio euidenti, vel euidenti illationi non assentiaris, sed ex eo, quod non assentiaris principio supernaturali, seu reuelato fidei.

DVBITATIO X.

An ad hæresim requiratur Baptismus?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis non requirit Baptismum, quia tota malitia hæresis consistit in dissensu alicuius veritatis reuelatæ, quem dissensum habere potest sine baptizatus sine non baptizatus.*
2 *Infidelitatis solùm tres species requiruntur, Hæresis scilicet, Paganismus, & Iudaismus.*
3 *Iudæus non est, qui confitetur Christum, & negat eius sacramenta, quamuis baptizatus non sit, neque est Paganus.*
4 *Hæresis, Paganismus, vel Iudaismus, vt puniri possint ab Ecclesia, requiritur Baptismus.*
5 *Baptismus est ianua, per quam quis ingreditur in Ecclesiam, & iurisdictioni Ecclesiæ subditur.*
6 *Ecclesia non exercet iurisdictionem in quempiam, nisi priùs is in ipsam per Baptismi ianuam ingressus fuerit.*
7 *Cathecumenus si recedat à fide, quam intendebat suscipere, non potest ab Ecclesia puniri, quia iam verè non fuit ingressus in Ecclesiam.*
8 *Cathecumenus si recedat à fide post susceptum Baptismum inualidum ex defectu materiæ, formæ, vel intentionis, licèt secundum aliquos graues Doctores puniri possit ab Ecclesia, quia iam ex voluntate sua videtur subditus, &c. Contrarium tamen dicendum est cum Authore post plures alios, quia*
9 *Baptismus inualidus non imprimit characterem, neque constituit recipientem membrum Ecclesiæ visibilis, aliàs non esset repetendus.*
10 *Baptismum quocumque modo quis recipiat, etiam si per metum & iniuriam, Ecclesiæ iurisdictioni subiectus manet, quia verè est intra Ecclesiam, & membrum visibile illius.*
11 *In dubio, quod quis sit baptizatus, possunt Inquisitores in illum aliquando procedere.*

1 RESPONDETVR iuxtà ea, quæ dicebam *suprà dubit. 2. petit. 1.* negatiue, & probatur, quia tota malitia hæresis consistit in dissensu alicuius veritatis reuelatæ, quem dissensum habere potes, siue baptizatus sis, siue non: Ergo ad hæresim non requiritur Baptismus.
2 Confirmatur, quia tres solùm species infidelitatis reperiuntur, hæresis scilicet, Paganismus, & Iudaismus: At qui confitetur Christum, & negat eius sacramenta, quamuis baptizatus non sit, non est Iudæus,
3 neque Paganus: Ergo est hæreticus: Ergo ad hæresim non requiritur baptismus.
4 At licet ad hæresim non requiratur baptismus, requiritur tamen baptismus, vt hæresis, Paganismus, vel Iudaismus puniri possint ab Ecclesia, Simanch. *tit. 5. n. 6.* Suarez *disput. 19. de fide sect. 5. n. 8.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 7. n. 34* & alij passim, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæresi q. 188. n. 128. & seqq.*
5 Probatur quia homo per baptismum inualidum non fuit constitutus membrum Ecclesiæ visibilis, alias dictus baptismus non esset repetendus. Ergo Ecclesia non potest aduersus illum iurisdictionem exercere, cùm ad hoc vt hæresis, Iudaismus, & Paganismus, possint, seclusis aliquibus casibus, puniri ab Ecclesia, requiratur ex Concilio Tridentino *sess. 14. cap. 1.* Baptismus.
6 Confirmatur, quia baptismus est ianua, per quam quis ingreditur in Ecclesiam, & iurisdictioni Ecclesiæ subditur: vide Concilium Tridentinum *cit. sess. 14. cap. 2.* Dixit Ecclesiam non exercere iurisdictionem in quempiam, nisi priùs is in ipsam per baptismi ianuam ingressus fuerit: Ergo, cùm Ecclesia iurisdictionem non habeat in non baptizatum, non potest illum punire.
7 Hinc sequitur, quod si cathecumenus recedat à fide, quam intendebat suscipere, non possit ab Ecclesia puniri, quia iam verè non fuit ingressus in Ecclesiam. Doctores, citati vbi suprà.
8 Quod, si susceperit baptismum, sed inualidum ex defectu materiæ, formæ, vel intentionis, licèt nonnulli graues Doctores, vt Simancha *n. 5.* Farinac *n. 135.* Gabriel in *4. dist. 13. q. 2. art. 1.* Alphonsus de Castro *lib. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 8.* & Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 9. q. 3.* putent, sic recedentem à fide puniri posse ab Ecclesia, quia iam ex voluntate videtur subditus, & quasi obligatus mandatis Ecclesiæ obedire: quapropter Cæsaraugustæ Anno 1619. quidam Maurus, qui aductus nostram fidem deliquerat, reconciliatus fuit, etiamsi allegauerit, se baptizatum non fuisse, in cuius confirmationem in suæ Parochiæ libro non fuit inuentus scriptus: quorum opinionem tenent etiam Sayrus *de censur. lib. 5. cap. 4. n. 11.* Henriquez *lib. 2. cap. 25. n. 6.* & ex parte Rieciull. *tract. de iur. person. lib. 3. cap. 6.*
9 in casu, quo reus habuerit intentionem suscipiendi baptismum, contrarium tamen sit dicendum, quod docent Doctores, quos citat, & sequitur Suarez loco *suprà cit. & tom. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. n. 4.* & Sanchez *cap. 7. n. 34.* quia, si baptismus inualidus fuit, non imprimit characterem, neque constituit recipientem membrum Ecclesiæ visibilis, alias non esset baptismus repetendus: Ergo neque potest Ecclesiæ iurisdictioni recipientem subiicere. Tum quia fictè baptizatus verè est extrà baptismum: Ergo verè est extrà Ecclesiam, quia non fictio baptismi, sed verus baptismus est ingressus in Ecclesiam: Ergo ad hæresim, Paganismum, vel Iudaismum ab Ecclesia punibilem requiritur, quod hæreticus, Paganus, vel Iudæus priùs fidem acceperit in Sacramento baptismi.
10 Cæterùm, quocumque modo verè recipiatur baptismus, etiamsi per metum, & iniuriam, sic recipiens Ecclesiæ iurisdictioni subiectus manet, quia verè est intrà Ecclesiam, & membrum visibile illius, Pegna *2 par. q. 44. comment. 69.* Repertor. Inquisit. *verb. Baptismus*, & passim alij, quos citat, & sequitur Farinacius *de hæresi q. 178. §. 6. n. 141. & 142.* & patet ex Textu *in cap. maiores, §. nunc autem, de baptismo, & in cap. contrà Christianos, de hæreticis in 6.*
11 An autem possint Inquisitores procedere contra Reum, casu quo dubitetur, an ille sit baptizatus?
12 Respondetur iuxtà textum in *cap. 1. de baptism.* & ea, quæ ibi notant Doctores, & iuxtà etiam *Textum in cap. veniens, §. finali de Presbyter. non baptizat.* & ea etiam quæ ibi notant Doctores, distinguendo: vel ille est natus, & conuersatus inter Christianos, ita vt præsumatur baptizatus, & tunc poterunt procedere, si commisit aliquam hæresim: vel est natus, & conuersatus inter infideles, ita vt præsumatur non baptizatus, & tunc non poterunt procedere: vel est natus inter Christianos, & conuersatus inter infideles, & tunc subdistinguo: vel statim ac natus est antè annos discretionis est captus ab infidelibus, & tunc, licèt præsumatur baptizatus,

baptizatus, tamen etiamsi commiserit aliquam hæresim inter infideles, non poterunt facilè contra illum, tanquam contra hæreticum procedere, quia non fuit instructus in fide Catholica: vel fuit captus post annos discretionis, & sciebat fidem Catholicam, & tunc absquè dubio poterunt contra illum, tanquam contra hæreticum procedere.

Reus delictum confiteatur, & intentionem neget, torquendus sit super intentione, & non relaxandus, secùs verò, si non solùm confiteatur delictum, sed de illo conuictus sit: Tortus autem super intentione, si negans persliterit, non sit indicenda purgatio, & abiuratio, si sufficienter tortus sit (secùs verò, si non fuerit sufficienter tortus) quia per torturam indicia purgauit.

DVBITATIO XI.

An negans fidem verbo, vel facto tantum, interiùs tamen retinens assensum fidei, committat hæresim punibilem ab Ecclesia?

SVMMARIVM.

1 *Negans fidem verbo, vel facto tantum, interiùs tamen retinens assensum fidei, committit hæresim punibilem ab Ecclesia, secundùm aliquos, quia Ecclesia non iudicat de occulta intentione; sed de actu exteriori: Probabilius tamen est oppositum, videlicet hunc neque hæreticum esse, neque pœnas Ecclesiæ incurrere.*

2 *Hæresis est peccatum fidei oppositum, & fides consistit in voluntario assensu diuinæ reuelationi.*

3 *Hæresis peccatum si cesset formaliter, consequens est, vt & cessent pœnæ peccato hæresis imposita.*

4 *Neganti verbo, vel facto fidem, si alleget in foro externo, se fecisse sine intentione, non creditur, quia contra ipsum stat præsumptio, cùm nemo præsumatur dicere, vel facere, nisi quod sentit.*

5 *Reus hoc in crimine, si delictum confiteatur, & intentionem neget, torquendus est, non relaxandus, secùs verò si non solùm confiteatur delictum, sed de illo conuictus sit: Tortus autem super intentione; si negans persliterit, non sit indicenda purgatio, & abiuratio, si sufficienter tortus sit, secus verò si non fuerit sufficienter tortus, quia per torturam indicia purgauit.*

1 QVIDAM, inter quos Caietan. 2. 2. q. 11. *art.* 2. *in fine*, affirmant: quia Ecclesia non iudicat de occulta intentione, sed de actu exteriori. His autem non obstantibus.

Respondetur negatiuè, te scilicet in tali casu neque hæreticum esse, neque pœnas Ecclesiæ incurrere. Ita ex communi sententia Doctorum docet Suarez *de fide disput.* 14. *sect. vltima, n.* 3. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 2. *n.* 11. & Sanchez *lib* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 8.

2 Prior pars probatur; quia hæresis est peccatum fidei oppositum: At fides consistit in voluntario assensu diuinæ reuelationi: Ergo hæresis consistet in voluntario dissensu illius, atquè adeò, cessante dissensu, cessat peccatum hæresis formaliter.

3 Posterior pars patet, quia si cessat peccatum hæresis formaliter, consequens est, quod & cessent etiam pœnæ peccato hæresis impositæ, cum pœnæ non sint extendendæ ad alia delicta, præter ea, quibus impositæ sunt.

4 Aduerte tamen pro foro externo, quod si sic negans verbo, vel facto fidem, alleges, te fecisse sine intentione, non crederis, quia contra te stat præsumptio, cum nemo præsumatur dicere, vel facere nisi quod sentit, aliàs si excusatio hæc hæreticos iuuaret, omnes ij euaderent impuniti, quia omnes ij facillimè sic excusare se possent: Simanch. *tit.* 13. *n.* 15. *& tit.* 56. *rubric. de purgat. canonic. n.* 17. Pegna 3. *par. rubric. de tertio modo terminandi processum, n.* 157. *comment.* 39. Repertor. Inquisit. *verb. Probatio*, Rojas 1. *par. n.* 304. &

5 Farinac. de hæresi *q.* 179. *n.* 55. Vbi subdit, quod si

DVBITATIO XII.

An hæresis purè mentalis, quæ in corde consumatur, sufficiat ad pœnas Ecclesiæ contrahendas?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis purè mentalis, quæ in corde consumatur, licèt secundùm aliquos sufficiat ad pœnas Ecclesiæ contrahendas, multò tamen probabilius est oppositum, quia hæresis purè mentalis non est actus visibilis, & ideò subiici non potest Ecclesiæ visibili.*

2 *Ecclesia sicut non potest de actu interno iudicare, ita non potest illum punire, nisi hæresis interior prodeat in actum exteriorem, quamuis occultissimum, & nulli alteri à committente cognitum, quia actus ille per se cognoscibilis est ab Ecclesia, & solùm per accidens non cognoscitur.*

3 *Hæresim interiorem manifestantia verba vel facta sunt illa quæ sunt satis expressiua interioris hæresis, quia hæresis externa, cognoscibilis, & punibilis constitui non potest, nisi signis illam sufficienter manifestantibus.*

4 *Signa in materia hæresis sunt peccatum mortale, quia hoc solum est, quod excommunicatione, & aliis pœnis ab Ecclesia punitur.*

5 *Hæreticus exterior non est, si verba, vel facta sint indifferentia, & ex quibus præcisè sumptis colligi non potest, hæresis interna, vt si credens non esse Deum, proferat tantùm, Non est, quia hæc verba præcisè sumpta non sufficienter denotant hæresim mentalem.*

6 *Idem dic, si credens simplicem fornicationem non esse peccatum, de facto fornicetur, quia fornicatio similiter non sufficienter declarat hæresim mentalem, cum sæpè ex malitia committatur.*

7 *Pronuncians verbis ambiguis hæresim interiorem, vt sic peruersitatem suam meliùs occultet, efficitur hæreticus exterior, quia illa verba sufficienter manifestant hæresim, & ambiguitas solùm deseruit dissimulationi, quæ non videtur diminuere culpam, sed potiùs aggrauare.*

8 *Limita casu quo verba non sint perfectè ambigua, sed communiter accipiantur in malam partem, vel ita accipienda esse obligent nonnulla circumstantia, vt qualitas Personæ est.*

9 *Verba, vel facta, quæ duplicem sensum, catholicum scilicet, & hæreticum, habere possunt, interpretanda sunt in sensu catholico, vt ex communi sententia Doctorum.*

10 *Hæreticus exterior neque est, si credens non esse aliquod sacramentum ex septem, hunc interiorem errorem Confessori vel amico gratia petendi consilium manifestet, quia talis manifestatio non est peccaminosa, sed bona, & laudabilis, neque est formaliter hæresis professio, sed tantum hæresis interioris narratio.*

11 *Manifestans hæresim ex complacentia in hæresim, tunc demum est hæreticus exterior, si ex illa denotet in præsentia dissentire alicui articulo fidei. At si solùm manifestet aliquando dissensisse, & illius dissensus complacentiam habere, non est hæreticus exterior: Talis enim manifestatio non est*

hæresis

hæresis professio, sed hæresis habita narratio, quæ cum fide compati potest.

11 *Hæreticus non est qui petit consilium, aut refert hæresim, aut transcribit, etiamsi illam interim mente teneat.*

13 *Hæreticus externus neque est, si in somno vel ebrietate hæresim interiorem proferat, quia talis prolatio non est voluntaria, sicque peccaminosa hæresis professio.*

14 *Hæreticus verè exterior est, si proferat verbum, vel faciat, aut omittat opus ex quo hæresis suspicionem causet: vt si ritus, ceremonias, aliaque opera faciat, vel omittat, quæ communiter soli hæretici faciunt, vel omittunt, quia tunc sufficienter hæresim manifestat; secus si hæc verba, vel facta non sufficerent.*

15 *Ad Iudaismum transiisse præsumitur, qui cùm ex genere Iudæorum sit, festiuitates & ieiunia Iudæorum obseruet, cum Iudæis conuersetur, Christianos veteres fugiat, nomine Iudæo vtatur, &c.*

16 *Hæresis præsumptio sufficiens est, si matrimonio copulatus scienter alteri nubat: Quare de hoc crimine Inquisitores cognoscunt, & de leui suspicione abiurare reum faciunt.*

17 *Carnes diebus prohibitis comedens nulla habita occasione, suspectus redditur de præceptis Ecclesiæ non bene sentire, & ita si comedat, in hæresim exteriorem incidit.*

18 *Præsumptio aliqua quandocunque prætendi potest, cessat manifestatio hæresis.*

1 ESPONDETVR, quod quamuis alij negent, alij verò affirment, vt videre est apud Sanch. *lib. 2. moral. cap. 8.* Farinac. *de hæresi q.* 182. & Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 40. *n.* 6. multò probabilior sit sententia negatiua.

Probatur, quia hæresis purè mentalis non est actus
2 visibilis: ergo subiici non potest Ecclesiæ visibili.

Confirmatur, quia Ecclesia non potest de actu interno iudicare: ergo non potest illum punire.

Quod si tamen hæresis interior prodeat in actum exteriorem, quamuis occultissimum, & nulli alteri à committente cognitum, Ecclesiæ iurisdictioni subiicitur, & pœnas illius contrahit, quia tunc actus ille per se cognoscibilis est ab Ecclesia, & solum per accidens defectu testis qui abfuit non cognoscitur. Bannez 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. Valentia *ibid. art.* 3. Sanchez *cit. cap.* 8. *n.* 2. Suarez
3 *de fide disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 6. Barbosa *n.* 9. & alij passim.

Quæ verò sint verba, vel facta hæresim interiorem manifestantia.

Respondetur esse illa quæ sunt satis expressiua interioris hæresis, siue hanc expressionem habeant à se, siue ex circumstantiis adiunctis, & ex qualitate personæ proferentis, quia hæresis externa cognoscibilis & punibilis constitui non potest nisi signis illam sufficienter manifestantibus. Doctores communiter, quos citat & sequitur Suarez *disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 8. Sanchez *cap.* 8. *n.* 6. Bann 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. & Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 10. *q.* 4. & 5.

4 Aduerte tamen requiri etiam, vt signa quibus hæresim profiteris, in materia hæresis sint peccatum mortale, quia hoc solum est, quod excommunicatione & aliis pœnis ab Ecclesia punitur. Doctores etiam communiter, quos citant Suarez & Sanchez *in locis sup. cit.* & Sà *verb. Excommunicatio Bullæ, num.* 1.

5 Ex his sequitur, quod non sis hæreticus exterior, si verba vel facta sint indifferentia, & ex quibus præcisè sumptis colligi non possit hæresis interna; vt si credens, non esse Deum, proferas tantùm: *non est*, quia hæc verba præcisè sumpta non sufficienter denotant hæresim
6 illam mentalem: Idemque dico, si credens simplicem fornicationem non esse peccatum, de facto forniceris, quia fornicatio similiter non sufficienter declarat hæresim tuam mentalem, cùm sæpè ex malitia, & voluntate satisfaciendi sensui committatur.

7 Aduerte tamen, prædictos Doctores velle, quod si verbis ambiguis hæresim interiorem pronuncies, vt sic peruersitatem tuam meliùs occultes, efficiaris hæreticus exterior; quia illa verba sufficienter manifestant hæresim, & ambiguitas solùm deseruit dissimulationi, quæ non videtur diminuere culpam, sed potiùs aggrauare.

8 At hoc ego limitarem casu, quo verba non sint perfectè ambigua, sed communiter accipiantur in malam partem, vel ita accipienda esse obligent nonnullæ circumstantiæ, quia si verba, quæ bonum, ac malum sensum habent, & ex qualitate personæ proferentis, aut ex aliis circumstantiis ad malum sensum determinari non possunt, non est cur eorum prolatio hæresim externam constituere dicatur. Præsertim cùm verba, vel fa- 9
cta quæ duplicem sensum (catholicum scilicet & hæreticum) habere possunt, interpretanda sint in sensu catholico, vt ex communi sententia Doctorum tradit Farinacius de hæresi *quæst.* 187. *n.* 13. & Royas *in tract. de heret.* 1. *part. n.* 200.

Sequitur secundò, quod neque sis hæreticus exterior, 10
si credens non esse aliquod Sacramentum ex septem, hunc tuum interiorem errorem Confessori, vel amico, gratia petendi consilium, manifestes; quia talis manifestatio non est peccaminosa, sed bona & laudabilis. Neque est formaliter hæresis professio, sed tantùm hæresis interioris narratio: sicut si narrares hæresim alterius. Suarez vbi supra *n.* 10. Sanchez *n.* 19. & Barbosa *allegat.* 40. *n.* 10.

Aduerte tamen, quod si ex complacentia in hæresim, 11
hæresim manifestes (licet Barbosa *num.* 19. & alij putent, te fore tunc hæreticum exteriorem) melius distinguat Sanchez *num.* 21. vt si scilicet complacentiam manifestes, & ea illa denotes, te in præsenti dissentire alicui articulo fidei, sis hæreticus exterior. At si solum manifestes aliquando dissensisse, & illius dissensus complacentiam habere, non sis hæreticus exterior; quia talis manifestatio non est hæresis professio, sed hæresis habitæ narratio, quæ cum fides compati potest. Doctores
in locis supra citatis, & præcipuè Sà *verb. Excommunicatio Bullæ Cœnæ, num.* 2. quatenus ait: *Hæreticus non est qui petit consilium, aut refert hæresim, aut transcribit, etiamsi illam interim mente teneat.* 12

Sequitur tertiò, quod neque sis hæreticus externus 13
si in somno vel ebrietate hæresim interiorem proferas, quia talis prolatio non est voluntaria, sicque peccaminosa hæresis professio: Suarez & Sanch. *in locis sup. cit.*

Sequitur quartò, quod è contra sis verus hæreticus 14
exterior, si proferas verbum, vel facias, aut omittas opus ex quo hæresis suspicionem causas, vt si ritus, ceremonias, aliaque opera facias, vel omittas, quæ communiter soli hæretici faciunt, vel omittunt: quia tunc sufficienter hæresim manifestas, aliàs si hæc verba, vel facta non sufficerent, raro quis hæreticus manifestus dici posset. Doctores, quos citat & sequitur Sanchez vbi supra *num.* 15. & 16.

Quapropter, si cùm ex genere Iudæorum sis, festiui- 15
tates & ieiunia Iudæorum obserues, cum Iudæis conuerseris, Christianos veteres fugias, nomine Iudæo vtaris (de quibus signis videri poterit Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 15. *n.* 6. Menoch. *lib.* 2. *de arbitr. cas.* 547. Pegna 2. *part. q.* 44. *comm.* 69. & Farinac. *de hæresi, quæst.* 178. §. 6. *n.* 318.) ad Iudaïsmum transiisse præsumeris.

Item hæresis præsumptio sufficiens est, si matrimo- 16
nio copulatus scienter alteri nubas: quare de hoc crimine Inquisitores cognoscunt, & de leui suspicione abiurare reum faciunt. Menoch *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *n.* 37. Pegna *q.* 56. *comm.* 81. & Farinac. *cit. quæst.* 178. *n.* 68.) ac proinde si culpabiliter credens licere tibi duas vxores ducere, ducas, hæresim sufficienter manifestas.

Item si diebus prohibitis carnes comedas nulla habita occasione, suspectus crederis de præceptis Ecclesiæ non bene sentire, ac ideò si non bene sentiens carnes 17

comedas, in hæresim exteriorem incidis. Pegna 2.*part. fol.*87. Farinac.*n.*80. Sanchez *n.*15. & Repert. Inquisit. *verb. cognoscere.*

Dixi, *nulla habita occasione*, quia si aliqua prætendi potest, præsumptio & manifestatio hæresis cessat. Farinacius vbi supra, & Paris. *consil.*169. *n.*67.

At de hac dubitatione vide quæ dicam infra *dubitatione* 49. *petit.*2.



DVBITATIO XIII.

Quotuplex sit hæreticus punibilis ab Ecclesia.

SECTIO PRIMA.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus vt sit punibilis ab Ecclesia, requiritur vt pertinaciter, nempe firmiter credat aliquid fidei Catholicæ contrarium, vel de eo pertinaciter, nempe firmiter dubitet.*

2 *Hæreticus vt sit punibilis ab Ecclesia, requiritur vt hic assensus, vel dubitatio non sit purè interior, neque etiam sit purè exterior absque animo recedendi à fide, sed sit interior & exterior simul, quia excommunicatio fertur aduersus eos qui voluntariè à fide exterius recedunt.*

3 *Manifestans verbis, vel factis tantùm ambiguis, & indifferentibus suam hæresim, ab excommunicatione immunis est, licèt interiùs à fide recesserit, quia talis non est sufficiens hæresis manifestatio.*

4 *Hæreticus punibiles ab Ecclesia, interior scilicet & exterior, duplex est, vnus affirmatiuus, alter negatiuus: Affirmatiuus est qui hæresim interiùs conceptam verbo, vel opere sufficienter manifestat, negatiuus qui de hæresi legitimè conuictus, hæresim negat.*

5 *Vt quis tanquam hæreticus negatiuus condemnetur, & Curiæ sæculari puniendus tradatur, duo requiruntur. Primò, quod verbis, vel factis claris & patentibus hæresim manifestauerit. Secundò, quod talis manifestatio per testes contestes, & omni exceptione maiores conuincatur, quia his duobus stantibus, si quis hæresim neget, conuincitur nolle relinquere illam, sed impœnitens permanere.*

6 *Hæreticus negatiuus si pluribus testibus singularibus conuincatur, non debet tanquam negatiuus condemnari, & Curiæ sæculari tradi, sed expectandum est aliquod tempus, & inquirendum, an testes contestes inueniantur, & interim torquendus, vt veritas ex ore ipsius habeatur.*

7 *Hæreticus negatiuus si in negatiua perseueret, quia in tali casu non videtur per torturam indicia integrè purgasse, deueniendum est ad abiurationem, aliasque pœnitentias arbitrio iudicis imponendas: non autem ad relaxationem Curiæ sæcularis.*

8 *Accusatus de hæresi si asseruerit prædicta verba, vel facta se credere, & aliis credenda proposuerit, hæreticum sese manifestat, cùm nemo præsumatur contra mentem operari.*

9 *Manifestatio reflexa, & in actu signato ad hæresim non est necessaria.*

10 *Verba, vel facta hæreticalia attendi debent, si sint prolata, vel gesta de recenti, & non tempore antiquo, de quo præsumi potest obliuio.*

11 *Hæresis qualitas attendi debet, quæ imputatur, quia in quibusdam hæresibus hæc obliuio præsumi potest per decennium, quinquennium, vel triennium, & c. arbitrio Iudicis.*

11 *Obliuio in factis hæreticalibus in nullo tempore præsumitur, vt sunt imagines conculcare, sectam falsam prædicare, templum destruere, & similia.*

Dixi, *punibilis ab Ecclesia*, quia ea dictis, vt quis 1
excommunicationem, & pœnas alias Ecclesiæ
contrahat, requiritur quod pertinaciter, nempe firmiter
credat aliquid fidei catholicæ contrarium, vel de eo
pertinaciter, nempe firmiter dubitet, iuxta Text. *in cap.* 1.
de hæret. cap. 1. *de summa Trinit. & fide cathol. cap. dixit*
Apostolus, & cap. qui in Ecclesia 24. *q.* 1. Et prætereà re- 2
quiritur, quod hic assensus, vel dubitatio non sit purè
interior, neque etiam sit purè exterior absque animo re-
cedendi à fide, sed sit interior & exterior simul: quia
excommunicatio fertur aduersus eos qui voluntariè à fi-
de exteriùs recedunt, vti supra dicebam; & præter
Doctores ibi relatos docet etiam Toletus *lib.* 1. *cap.* 18.
*n.*5. Azor. *tom.* 1. *lib.* 3. *c.* 10. *q.* 3. & Sayrus *lib.* 3. *the*. *cap.* 4.
n. 13. Adeò vt ab excommunicatione immunis etiam sit, 3
esto interiùs à fide recesserit, si verbis vel factis tantùm
ambiguis & indifferentibus suam hæresim manifestaue-
rit, quia talis non est sufficiens hæresis manifestatio,
cùm ea vt illius ab Ecclesia hæreticus reputari non pos-
sit, vti etiam supra dicebam, & præter Doctores etiam
supra relatos, notat Viuald *in expositione Bullæ Cœnæ,*
n. 1. Lessius *de iust. & iur. cap.* 15. *dub* 8. *n.* 128. & Sayrus
lib. 3. *de excommunic particulari, cap.* 4. *n.* 6. His positis.
Respondetur: Hæreticus punibilis ab Ecclesia, in- 4
terior scilicet, & exterior, est duplex, vnus affirmatiuus,
alter negatiuus Hæreticus affirmatiuus est qui hæresim
interiùs conceptam verbo, vel opere sufficienter mani-
festat. Negatiuus est qui de hæresi legitimè conuictus,
hæresim negat. Repert. Inquisit. *verb. hæreticus. n.* 35. &
alij plures, quos citat & sequitur Farinacius *de hæresi,*
quæst. 178. §. 1. *n.* 19.
Aduerte tamen, vt quis tanquam hæreticus negati- 5
uus condemnetur, & Curiæ sæculari puniendus trada-
tur, requiri. Primò, quod verbis, vel factis claris, & pa-
tentibus hæresim manifestauerit. Secundò, quod talis
manifestatio per testes contestes, & omni exceptione
maiores conuincatur: quia his verbis stantibus, si quis
hæresim neget, conuincitur nolle relinquere illam, sed
impœnitens permanere, cùm illam neget, ne cogatur
abiurare, Royas *de hæretic.* 1. *part. n.* 34. & Farinac. *de*
hæret. quæst. 178. §. 1. *n.* 12.
Dixi, *per testes contestes*, quia si pluribus testibus 6
singularibus conuincatur, non debet tanquam negati-
uus hæreticus condemnari & Curiæ sæculari tradi, sed
expectandum est aliquod tempus, & inquirendum, an
testes contestes inueniantur, & interim torquendus, vt
veritas ex ore ipsius habeatur Quod si in negatiua per- 7
seueret, quia in tali casu non videtur per torturam in-
dicia integrè purgasse, deueniendum est ad abiuratio-
nem, aliasque pœnitentias arbitrio Iudicis imponen-
das, non autem ad relaxationem Curiæ sæcularis. Pe-
gna 3. *part. comment.* 121.
Aduerte secundò, prædictos Doctores subiungere 8
aliam duplicem conditionem. Prima est, vt sic accusa-
tus asseruerit, prædicta verba, vel facta se credere, &
aliis credenda proposuerit. At hæc conditio non est di-
uersa ab illa qua quis facta hæreticalia facit, quia tunc
in actu exercito asserit se illa credere, aliisque credenda
proponit, cùm nemo præsumatur contra mentem ope-
rari, reflexa autem manifestatio, & in actu signato ad hæ- 9
resim necessaria non sit. Altera conditio est, vt verba, 10
vel facta hæreticalia sint prolata, vel gesta de recenti,
& non tempore antiquo, de quo præsumi potest obli-
uio. At vt rectè dixit Pegna 2. *part. q.* 34. *comment.* 59. 11
& Farinac. *loco sup. cit. n.* 2. attendi debet qualitas hære-
sis, quæ imputatur, quia in quibusdam hæresibus hæc
obliuio præsumi potest per decennium, quinquen-
nium, vel triennium. &c arbitrio Iudicis, sed in factis 12
hæreticalibus, grauibus & solemnibus (vt sunt Imagi-
nes conculcare, sectam falsam prædicare, Templum
destruere

destruere, & similia) in nullo tempore obliuio præsumitur, Pegna *cit. comment.* 59.

Ex dictis, iunctis iis quæ dicebantur *dubit.* 11. *&* 12. fit sectio sequens.

SECTIO II.

COROLLARIVM PRIMVM.

Quid dicendum de illo qui finxit se hæreticum, Maurum, Iudæum, vel idololatram, &c.

SVMMARIVM.

1 *Qui vi & metu, vel dolo & fraudulenter finxit se hæreticum, Maurum, Iudæum, vel idololatram, atque adeò grauiter contra fidei professionem externam peccando exteriùs fidem negauit, pœnas hæreticorum non contraxit, & consequenter absolui potest à quolibet Confessario approbato, si Episcopus, vel Inquisitor sibi hunc casum non reseruauerit.*

2 *Qui vi & metu, vel dolo & fraudulenter finxit se hæreticum, Iudæum, &c. cùm non habeat errorem intellectus, non est verè & formaliter hæreticus, & ita non est comprehensus in bulla Cœnæ Domini, atque adeò neque innodatus censuris, & pœnis illius.*

3 *Idem ob eandem rationem dic de illis, qui propositiones hæreticas, blasphemias, vel verba hæreticalia effuderunt, qui Sanctorum imagines illuserunt, qui carnes tempore prohibito comederunt, qui Mahumeto cultum vel reuerentiam exhibuerunt, & similes, si fecerunt hæc metu compulsi, vel lucri spe adducti, vel ira, aut quacunque alia passione moti, nullum errorem ad fidem rectam in animo fouentes.*

4 *Limita prædicta habere locum in foro interno, secus autem est in foro externo, quia Ecclesia non iudicat de occultis, & propterea prædicti puniuntur ab Inquisitoribus, iisque denunciandi sunt ab iis qui peccatum eorum externum nouerunt, & aliunde nesciunt eorundem animum catholicum semper mansisse.*

1 Respondetur ex dictis, quod pœnas hæreticorum non contrahat, & consequenter absolui possit à quolibet Confessario approbato (si Episcopus, vel Inquisitor sibi non reseruauerit) is qui vi & metu, vel dolo & fraudulenter finxit se hæreticum, Maurum, Iudæum, vel idololatram, atque adeò grauiter contra fidei professionem externã peccando, exteriùs fidem negauit.

2 Probatur, quia ex dictis iste talis, cùm non habeat errorem intellectus, non est verè & formaliter hæreticus, & consequenter non est comprehensus in bulla Cœnæ Domini, atque adeò nec innodatus censuris & pœnis illius: ac ita contra Caietanum *in* 2.2. *quæst.* 11. *art.* 2. *in fine* docent communiter Doctores, Suarez *de fide disput.* 14. *sect. vlt. num.* 3. Less. *de iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 43. *dub.* 2. *num.* 11. Fagundez *præcept.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *num.* 39. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 8. Filliuc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 6. *num.* 164. Syluius *in* 2.2 *quæst.* 11. *art.* 3. *conclus.* 2. Valerus *verb. hæresis, difficult.* 2. *num.* 1. Homobonus *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 1. *quæst.* 4. Gyptius *de casib. reseruat. cap.* 6. *casu* 4. *num.* 83. *&* 84. Zanardus *part.* 2. *præcept.* 1. *cap.* 11. Granadus *in* 2.2. *controuers.* 1. *tract.* 15. *disput.* 23. *num.* 14. & Mercerus *de sacrament. in* 3. *part. q.* 66. *art.* 9. *n.* 4. Videri etiam poterit Bannez *in* 2.2. *q.* 11. *art.* 4. & Torreblanc. *de magia lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 90.

3 Idem ob eandem rationem dico de iis qui propositiones hæreticas, blasphemias, vel verba hæreticalia effuderunt, qui Sanctorum imagines illuserunt, qui carnes tempore prohibito comederunt, qui Mahumeto cultum, vel reuerentiam exhibuerunt, & similes, si fecerunt hæc metu compulsi, vel lucri spe adducti, vel ira, aut quacunque alia passione moti, nullum errorem in fidem rectam in animo fouentes.

4 Non obstat, quod tales homines in foro externo puniantur ab Inquisitoribus tanquam hæretici, id enim est ex eo, quia præsumuntur fidei dissensum internum habuisse, atque adeò hæreticos esse; cùm signa talia externa dederint, & Ecclesia non iudicet de internis, sed solùm de externis. Quapropter ob eandem rationem ab aliis etiam, qui peccatum externum nouerunt, & aliunde nesciunt eorundem animum catholicum semper mansisse, pro hæreticis haberi debent, atque adeò Inquisitoribus denunciari: sed in foro interno, cùm reuerà hæretici non sint (nam errorem intellectus non habent, vti dicebam) à quolibet Confessario approbato, si Episcopus vel Inquisitor sibi non reseruauerint, absolui possunt, quia propter rationem dictam non incidunt in censuras, & pœnas Bullæ cœnæ, & in reseruationem illius: siquidem censuræ & pœnæ delictum aliquod afficientes, cùm vtpote odiosæ, strictam habeant interpretationem, non contrahuntur nisi ob delictum verum & ex omni parte perfectè consummatum.

SECTIO III.

COROLLARIVM SECVNDVM.

Quid dicendum de illo qui dubius est in fide.

SVMMARIVM.

1 *In fide dubius seu pendulus neque incidit in pœnas hæreticorum, neque peccat, si de credendo præceptum non vrgeat, quamuis determinatè neque assentitur, neque dissentitur.*

2 *Hæresis propriè, strictè, seu perfectè sumpta est error contrarius fidei, seu assensus positiuus falsus contra fidem, qui non est in illo qui solùm dubitat modo supradicto.*

3 *Textus in cap.* 1. *de hæreticis, vbi dicitur, dubium in fide esse hæreticum seu infidelem, intelligi debet de illo qui est dubius conscientia dubia obiectiuè, qui propriè hæreticus est, non autem de eo qui est dubius conscientia dubia formaliter, qui non est propriè hæreticus.*

4 *Inter hæreticos nati & educati orthodoxam Religionem ignorantes, dubitare interim licitè possunt, donec instruantur, & donec argumenta, seu credibilitatem fidei nostræ rectè apprehendant, quia alioquin relinquendo sectam in qua nati sunt & educati, imprudenter agerent.*

5 *Scrupulus adhuc ab iis eximendus est, qui de fide catholica dubitare se putant, eo quod hæreticæ cogitationes ipsis occurrere consueuerint: nam si eas seriò detestentur, & nunquam in animum venire sibi velint, & protestationem faciant, nunquam se eis consensum præstituros, non possunt de culpa damnari, quin apud Deum habent materiam magis merendi. Vide quomodo patientibus prædictas cogitationes sit occurrendum.*

Respondetur etiam ex dictis, quod neque incidat in pœnas hæreticorum is, qui solum est dubius, seu pendulus in fide. 1

Probatur etiam ex dictis, quia cùm non adsit neque assensus neque dissensus positiuus contra fidem, non est propriè hæreticus hæresi ex omni parte perfectè consummata, contra quam solam pœnæ hæreticorum imponuntur. Hæresis enim propriè, strictè, seu perfectè sumpta est error contrarius fidei, seu assensus positiuus falsus contra fidem, qui non est in illo qui solum dubitat modo quo supra dicebam, atque ita docet Canus *de loc theol. lib.* 12. *cap.* 9. Malder. 2.2. *q.* 11. *art.* 2. *memb.* 2. *§. respondeo*, Sà *verb. hæresis, n.* 1. Sanch *lib.* 2. *moral. c.* 7. *n.* 12. Tann. *in* 2.2. *disp.* 1. *q.* 8. *n.* 169. Portell. *in addit. ad dub. Regul. verb. hæresis, n.* 4. & Putean. *in* 2.2. *q.* 11. *art.* 2. *dub.* 1, etsi dissentiant alij, quos refert Sanch. vbi supra. 2

& præterea Suar. *de fide disput.* 19. *sect.* 4. *n.* 10. Coninch. *disput.* 18. *dub.* 7. *concl.* 6. *n.* 102. Farinac. *de hæresi q.* 178. §. 4. *num.* 90. Barbosa *de potest. Episc. allegat.* 40. *num.* 16. Molfes. *in summa tom.* 1. *tract.* 8. *num.* 44. Lorca *in* 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 2. *disput.* 42. *num.* 5. Fabr. *de sacram. Ordin. distinct.* 25 *q.* 5. *disp.* 3. *cap.* 44. *num.* 112. Villalob. *tom.* 2. *tract.* 1. *dub.* 10. *n.* 3. Syluius *in* 2. 2. *q.* 11. *art.* 1. & Homob. *part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 9. *q.* 16. Qui tamen loquuntur, si quis sit dubius in fide vt quod, seu conscientia dubia obiectiuè, non autem si quis sit dubius vt quo, seu conscientia dubia formaliter, quia tunc neque etiam peccabit, iuxta ea quæ dicebam supra *dubit.* 6. *&* 7.

3 Non obstat quod Stephanus Papa *in cap.* 1. *de hæret.* dicat dubium in fide esse hæreticum, seu infidelem.

Respondetur enim id esse verum priuatiuè & impropriè, non autem positiuè & propriè, ita vt sufficiat ad contrahendas pœnas hæreticorum: vel id esse verum præsumptiuè & quoad forum externum, non autem verè & quoad forum internum. Vide quæ dicebam *citata dubit.* 6. *&* 7.

4 Aduerte tamen hic, quod ij qui inter hæreticos nati & educati Orthodoxam Religionem ignorant, dubitare interim licitè possunt donec instruantur, & donec argumenta, seu credulitatem fidei nostræ rectè apprehendant, vt colligitur ex August. *Epist.* 162. & tenet Valentia *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 10 *punct.* 4. Sanch. *lib.* 2. *moral. c.* 1. *n.* 8. & ratio est, quia alioquin relinquendo sectam in qua nati & educati sunt, impudenter agerent; ideoque dubitatio & virtuale iudicium ipsorum de incertitudine fidei nostræ cum pertinacia iunctum non esse videtur, quemadmodum iunctum est in illis qui nati & educati

5 sunt in fide Orthodoxa. His tamen adhuc eximendus est scrupulus si de fide Catholica dubitare se putent, eo quod hæreticæ cogitationes ipsis occurrere consueuerint: nam si eas seriò detestentur & nunquam in animum venire sibi velint, & protestationem faciant, nunquam se eis consensum præstituros, non possunt de culpa damnari, quin apud Deum habent materiam magis

6 merendi. Quapropter expediens erit, quod ipsi plerunque tales cogitationes, seu tentationes, tanquam ad consensum suum extorquendum inefficaces, gratia Dei contemnant. Quamuis in quibusdam hominibus prædictæ tentationes à Deo permittantur propter eorum scelera, præsertim inpunitatis: quibus proinde suadendum est vt vitam corrigant, quia sic ipsorum fides, atque fiducia in Deum constantior erit.

SECTIO IV.

Corollarium Tertium.

Quid dicendum de eo qui errorem contra fidem, etiam positiuum (non determinatè tamen) committit in interno, etiamsi perfectè explicet in externo? Vbi etiam Hæreticorum pœnæ recensentur.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum in pœnas neque incidit, quia neque peccat, saltem mortaliter is, qui errorem contra fidem, etiam positiuum, non determinatè tamen, sed propter motum primo primum, vel primo secundum in interno committit, etiamsi perfectè explicet in externo.*

2 *Hæresis propter imperfectionem actus non est ex omni parte perfectè consummata: & propter eandem rationem non adest tunc peccatum mortale, neque pertinacia. Quæ duo requiruntur ad incurrendas hæresis pœnas.*

3 *Hæresis prima pœna est excommunicatio maior.*

4 *Secunda est irregularitas.*

5 *Tertia est iuris infamia.*

6 *Quæ pœna extenditur ad hæreticorum filios vsque ad secundam generationem ex linea paterna, & vsque ad primam generationem ex linea materna.*

7 *Item extenditur ad hæreticorum fautores: & ad eam incurrendam requiritur Iudicis sententia saltem criminis declaratoria.*

8 *Quarta est confiscatio omnium bonorum à die commissi criminis.*

9 *Quinta est, quod hæretici, & ipsorum fautores, si per annum in excommunicatione perstiterint, fiunt intestabiles, ita vt testandi facultatem liberam non habeant, neque ad hæreditatis successionem admittantur.*

10 *Quæ pœna etiam contra percussores Cardinalium S.R.E. decernitur.*

11 *Ad prædictam pœnam incurrendam requiritur sententia criminis declaratoria.*

12 *Testamentum, donationes, & aliæ alienationes factæ ab hæreticis, & similibus criminosis, quorum bona ipso iure confiscationi subduntur, ante condemnationem de hæresi valent & subsistunt; sed superueniente sententia reuocantur & rescinduntur.*

13 *Couarruuias reiicitur à Doctoribus, vbi tanquam probabilius defendit, quod sodomita cum sit infamis, & omnium bonorum dominio priuatus, etiam ante condemnationem testari & disponere non possit.*

14 *Sexta pœna contra hæreticos est priuatio patriæ potestatis in filios, etiam ante Iudicis sententiam declaratoriam criminis.*

15 *Hæreticorum serui & alij subditi personali obligatione soluuntur.*

16 *Limita prædictas pœnas locum non habere in Lutheranis, Caluinistis & similibus hæreticis, qui licet ab Ecclesia Romana recesserint, tamen ob fœdus cum illis existens, Summo Pontifice permittente & tacitè consentiente, filios suos in potestate retinent, &c.*

17 *Septima pœna est priuatio Ecclesiasticorum beneficiorum ac dignitatum: item publicorum officiorum, quæ pœna incurritur ipso iure, quamuis contrarium satis probabiliter doceat Castrus.*

18 *Octaua pœna est mortis supplicium si hæresim abiurare nolint, aut relapsi sint. Et meritò, quia hæresis est crimen perturbans Rempublicam, non minus quàm furtum vel homicidium.*

19 *Pœnæ omnes contra hæreticos statutæ in iure, etiam in apostatis locum habent, non autem è contra.*

20 *Apostasia à fide, quæ est omnium grauissima, se habet in ordine ad hæresim, tanquam quid maius, seu quid extensius ad minus extensum.*

21 *Apostata dicitur qui Christum & fidem Catholicam, quam susceperat, penitus abnegat: Hæreticus verò non penitus, sed secundum vnum, vel alterum articulum, vel plures.*

Respondetur ex dictis, quod neque incidat in pœnas hæreticorum, quin neque peccet, saltem mortaliter, is qui errorem contra fidem, etiam positiuum (non determinatè tamen, sed per motum primo primum vel primo secundum) committit in interno, etiamsi perfectè explicet in externo. 1

Probatur, quia propter imperfectionem actus non est tunc hæresis ex omni parte perfectè consummata. 2

Confirmatur, quia propter eamdem rationem non adest tunc peccatum mortale, neque pertinacia, quæ duo requirunt & supponunt hæresis pœnæ: quarum

Prima est excommunicatio maior, quæ habetur *in cap. ad abolendam, cap. excommunicamus* 1. *&* 2. *de hæreticis, & cap. quicumque, eodem tit. in* 6. eaque nunc Pontifici reseruatur in bulla Cœnæ Domini, de qua Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 9. 3

Secunda est irregularitas, sicuti colligitur ex *cap. saluberrimum, & cap. conuenientibus* 1. *q.* 7. & tradunt Doctores, quos sequitur Layman *lib.* 1. *tract.* 4. *de censur. part.* 5. *cap.* 4. *n.* 12. iuxta ea quæ dicam infra *num.* 17. 4

5 Tertia

5 Tertia est iuris infamia, sicut habetur *ex Anthen. Gazaros, Cod. de haeretic. cap. infamis 6. q. 1. cap. alieni 2. q. 7. cap. infamibus, de Reg. iur. cap. excommunicamus 1. de haeretic. cap. 1. §. Haeretici, & cap. vt commissi, eodem tit. in 6.* Huic poenae annectitur inhabilitas ad omnem honorem, dignitatem, officium, & actionem ciuilem, vt scilicet haereticus non possit esse iudex nec testis, nec Actor, nec Tabellio, nec quid simile, quia haec omnia prohibentur infami, *cap. infamibus, de Regul. iur. in 6. & l. 2. Cod. de dignitatib.* & nominatim etiam prohibentur haeretico, *l. quoniam, Cod. de haeretic. l. si pupilli, §. si videamus. de negot. gest. cap. Excommunicamus 1. de haeret. cap. Quicumque, & cap. Cum secundum leges,*
6 *eodem tit. in 6.* iuxtà ea, quae dicam infrà *n. 17.* Quae poena extenditur ad haereticorum filios vsque ad secundam generationem ex linea paterna, & vsque ad primam generationem ex linea materna, *l. quisquis, Cod. ad leg. Iuliam maiest. & cap. quicumque, & cap. statutum 15. eodem tit. in 6.* Item extenditur ad haereticorum fautores, *cit. §. haeretici*, qua de re Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13.* & Sanchez, *loc. suprà cit. cap. 26. n. 1.* Vbi ait, quod ad
7 hanc poenam incurrendam requiratur iudicis sententia, saltem criminis declaratoria.

8 Quarta est confiscatio omnium bonorum à die commissi criminis, *l. Manichaeos, l. cognoscimus, l. Arrianos, Cod. de haeret. Anthen. idem est, Cod. eodem tit. cap. Iudaei, 1. q. 4. cap. vergentis, de haeret. & cap. cum secundum, de haereticis in 6.* qua de re Syluest. *verb. haeresis 1. n. 14.* Sanchez *cap. 24. & seqq.* Vasquez *p. 1. disput. 169.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap 7 q. 8.* & Simanch. *de cathol. institut. tit. 9. n. 7.* Huic poenae annectitur alia similis, quae est priuatio omnis dominij temporalis, iurisdictionis, & omnis debiti, quod ex fidelitate priùs quocumque titulo debebatur, *cap. vlt. de haeretic.* iuxtà ea quae dicam *infrà n. 19.* Poena priuationis bonorum extenditur etiam ad filios haereticorum: sic enim bona à Parentibus Haereticis auferuntur, vt filij, & haeredes eorum iis maneant perpetuò spoliati: quod non fiebat de iure antiquo; quia tunc bona parentum haereticorum applicabantur filiis haereticis, *l. Manichaeos, l. cognominus, Cod. de haeretic. Anthen. idem est, eod. Cod. & cap. Iudaei 1. q. 4.* At de iure nouo nunc applicantur fisco, *Anth. Gazaros, leg. vlt. Cod. de bonis proscript. cap. vergentis, de haeret. & cap. cum secundum leges, eod. tit. in 6.*

9 Quinta est, quod haeretici, & ipsorum fautores, si per annum in excommunicatione persliterint, fiunt intestabiles, ita vt testandi facultatem liberam non habeant, neque ad haereditaris successionem admittantur,
10 *cap. Excommunicamus, de haereticis:* Quae poena etiam contrà percussores Cardinalium Sanctae Romanae Ecclesiae decernitur *in cap. felicis, de poenis in 6.* Requiri-
11 tur tamen ad talem poenam contrahendam sententia criminis declaratoria, antè quam, si testamentum factum fuerit ab haeretico, valet, & subsistit illud, tametsi superueniente postea sententia, infirmetur. Sic
12 etiam donationes, & aliae alienationes factae ab haereticis, & similibus criminosis (quorum bona ipso iure confiscationi subduntur) antè condemnationem de haeresi valent, & subsistant, tametsi postea, superueniente similiter sententia, reuocentur, & rescindantur, qua de re Sanchez *lib. 2. moral. cap. 24 n. 3.* Molin. *tom. 1.*
13 *tract. 2. de iust. disput. 95.* & alij contra Couarruuiam *in Clem. si furiosus, par. 1, §. 1. n. 6.* Vbi tanquam probabilius defendit, quod sodomita, cum sit infamis, & omnium bonorum dominio priuatus, etiam antè condemnationem, testari, & disponere non possit.

Sexta est priuatio patriae potestatis in filios, etiam
14 antè iudicis sententiam declaratoriam criminis, iuxtà Textum *in cap. 2. §. vltimo de haeretic. in 6.* iuncta glossa *verbo desierint.* Qua ratione, etiam serui, & alij sub-
15 diti personali obligatione soluuntur, Sanch. *cit. cap. 24.* & habetur expressè *in cap. vlt. de haereticis, ibi. Absolutos se nouerint à debito fidelitatis, dominij, & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in haeresim aliquo pacto quacumque firmitate vallato tenebantur.* At haec, & aliae hu- 16
iusmodi poenae locum non habent in Lutheranis, Caluinistis, & similibus haereticis, qui, licèt ab Ecclesia Romana recesserint, tamen ob foedus cum illis existens, summo Pontifice permittente & tacite consentiente, filios suos in potestate retinent, aliisque iuribus & immunitatibus ciuilibus, quamuis non item Ecclesiasticis, vnà cum Catholicis fruuntur.

Septima est priuatio Ecclesiasticorum beneficiorum, 17
ac dignitatum, item publicorum officiorum, & inhabilitas ad ipsa; *cap. vt commissi, §. priuandi, de haeretic. in 6. cap. didicimus, cap. pudenda 24. quaest. 2. cap. praeter 32. dist. cap. quo iure, dist. 6. cap. ad abolendam, & cap. excommunicamus 1. de haeret.* Quae poena incurritur ipso iure, sicuti ex communiori sententia docet Nauarrus *lib. 5. cons. 6. de haeretic. edit. 2* Rodriq. *in summa tom. 1. cap. 130. n. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 13. q. 8.* Flamma *de resignat. benefic. lib. 3. q. 1. n. 32.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 26. n. 6.* quamuis contrarium satis probabiliter doceat Castrus *lib. 2. de haeretic. punit. cap. 9.* Vasquez *1. 2. disput. 172. cap. 2. n. 11.* & Simanch. *de cathol. instit. tit. 46. num. 72.*

Octaua est (si haeresim tanquam impoenitentes, & 18
incorrigibiles abiurare nolint, aut relapsi sint) mortis supplicium, sicuti habetur *in l. Manichaeos, l. Arriani, & in Codice Theodosiano leg. 56. de haeretic. in cap. ad abolendam, in cap. sicut ait, in cap. excommunicamus 1. de haeret. in cap. super eo, & in cap. vt commissi, eodem tit. in 6* & testantur Doctores apud Iul. Clar. *lib. 5. sententiarum, § haeresis, n. 7.* & meritò, quia haeresis est crimen perturbans Rempublicam non minùs quàm furtum, vel homicidium, &c. qua de re Becanus *cap. 15. q. 6.* Videri etiam poterit Couar. *var. lib. 2. cap. 8.* & Simanca *tit. 29.*

Sunt, & aliae poenae contra haereticos statutae, de quibus infrà *dubit. 49. & seqq.*

Aduerte tamen hic, quod omnes poenae, quae in 19
iure contrà haereticos decretae sunt, etiam in Apostatis locum habent, non autem è contra: sic communiter Canonistae *in cap. 1. de Apostatis,* & Syluest. *verb. Apostasia, n. 2.* Caietanus *eodem verbo,* Valentia *tom. 3. disput. 1. q. 12. punct. 1.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 21. q 7.* San- 20
chez *lib. 1. moral. cap. 7. n. 18.* Et ratio est, quia Apostasia à fide, quae est omnium grauissima, se habet in ordine ad haeresim, tanquam quid maius ad minus, seu quid extensius ad minus extensum, non solum, si consideretur per ordinem ad terminum à quo, quatenùs scilicet est recessus à vera fide (siquidem apostata dici- 21
tur, qui Christum, & fidem catholicam, quam susceperat penitus abnegat: Haereticus verò non penitus & omninò, sed secundum vnum, vel alterum articulum, vel plures) verùm etiam, si consideretur per ordinem ad terminum ad quem, quia sic inuoluit Iudaïsmum, Paganismum, vel Atheismum: quae infidelitates, cùm specie distinguantur inter se, a redeuntibus ad Ecclesiam in confessione Sacramentali explicari debent.

SECTIO V.

COROLLARIVM QVARTVM.

Quid dicendum de eo, qui errorem contrà fidem, etiam positiuum, ex ignorantia tamen quamuis crassa, committit in interno, etiam si perfectè explicet in externo?

SVMMARIVM.

1 *Committens errorem contra fidem etiam positiuum ex ignorantia tamen, quamuis crassa in interno, etiamsi perfectè explicet in externo, neque incidit in poenas haereticorum, & consequenter absolui potest.*

potest à quolibet approbato Confessario, si Episcopus, vel Inquisitor sibi non reseruauerit.

2 *Hæresis non est propriè, seu ex omni parte perfectè consummata, si non adsit pertinacia.*

3 *Pertinacia consistit in hoc, vt quis sciens, & aduertens resistere velit testimonio, & auctoritati Ecclesiæ proponentis, quæ resistentia fit per voluntatem non subdendi iudicium suum iudicio Ecclesiæ.*

4 *Errans in doctrina fidei non est hæreticus donec instruatur, quid doceat Ecclesia, eligatque potius Ecclesiæ resistere, quam à propria sententia recedere.*

5 *Qui quamdiu voluntate perseuerat in proposito subiiciendi iudicium suum iudicio Ecclesiæ, non potest errare pertinaciter, atque adeò non esse propriè hæreticus.*

6 *Fidei assensus sicut petit, vt habita notitia propositionis Ecclesiæ, quæ aliquam veritatem de fide proponat, voluntate quis se accommodando inclinet intellectum ad assentiendum: sic è contra hæresis propriè sumpta petit, vt dubia eadem notitia, voluntate quis se opponendo inclinet intellectum ad dissentiendum.*

7 *Ignorans si quis etiam vincibiliter se contra sensum Ecclesiæ proponentis aliquid opinari, contrarium credit, licèt grauiter peccet peccato quod quidem ad hæresim reducitur, seu indirectè ad hæresim spectat, non est tamen propriè hæreticus, vel infidelis.*

8 *Ignorantia vincibilis licèt excuset hominem à peccato hæresis, non tamen excusat à peccato homicidij, vel furti, &c. quia scientia, seu cognitio in peccato homicidij, vel furti, &c. non est circumstantia requisita ex parte obiecti, sed tantùm conditio requisita, vt actus sit liber, & humanus: At in peccato hæresis cognitio propositionis Ecclesiæ est circumstantia substantialiter requisita ex parte obiecti, sicut in sacrilegio est locus sacer.*

9 *Pertinacia, quæ ad hæresim propriè sumptam requiritur, sumitur ex scientia, seu cognitione, qua quis nouit opinionem suam esse propositioni Ecclesiæ catholicæ contrariam.*

10 *Ad pertinaciam non requiritur, vt quis de suo errore scienter admisso admoneatur, & ipse adhuc velit in illo persistere, sed sufficit, si scienter erret contrà id quod ab Ecclesia definitum esse opinatur.*

11 *Ad pertinaciam, satis quidem probabiliter ad mentem aliorum, non sufficit, vt quis de suo errore ignoranter admisso, à viris grauissimis, etiam ab Inquisitoribus, vel à proprio Episcopo moneatur. Nam si adhuc post monitionem arbitretur doctrinam suam non esse contra sensum Ecclesiæ, eosque viros oppositum sentientes errare, non est formaliter, & propriè hæreticus; quamuis in foro externo hæreticus præsumatur.*

12 *Pertinax non est, atque adeò non est propriè hæreticus in prædictorum sententia, nisi quis credat se contrà Ecclesiæ doctrinam opinari.*

13 *Excipe nisi putet se opponi Concilio cum Capite, vel Pontifici, quorum est rem de fide definire, & quibus opponi, est scienter toti Ecclesiæ aduersari.*

1 Respondetur, ex dictis, quod neque incidat in pœnas hæreticorum, & consequenter absolui possit à quolibet approbato confessario (si Episcopus, vel Inquisitor sibi non reseruauerit) is, qui errorem contra fidem, etiam positiuum, ex ignorantia tamen; quamuis crassa, committit in interno, etiam si perfectè explicet in externo.

2 Probatur, quia cum non adsit tunc pertinacia, non est propriè, seu ex omni parte perfectè consummata hæresis, atque ita clarè colligitur ex *Clement. §. Porro, de summa Trinit. & fide cathol.* ibi: *Quisquis defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit*, & docent communiter Doctores, Canus *lib. 12. de loc. Theolog. cap. 9.* Petr. Nauarr. *de restitut. cap. 4. dub. 9. n. 89.* Corduba *lib. 1. q. 17. §. 7.* Torres *de Trinit. q. 32. art. 4.* Sayr. *lib. 3. cap. 4. n. 15.* Nauarr. *in summa prælud. 1. n. 17.* Henriquez *lib. 13. cap. 7. n. 3.* Curiel. *1. 2. q. 76. art. 4. dub. 2. §. 3.* Zumel *ibidem disput. 1.* Suar. *de fide disput. 19. sect. 3. n. 8* Bannez *2. 2. q. 11. art. 2. coroll. 2.* Aragon. *ibidem art. 2.* Castr. *lib. 1. de iusta hæretic. punit. cap. 9. & lib. 2. cap. 8.* Azor. *tom. 1. lib. 1. cap. 24. q. 9.* Vasquez *1. 2. disput. 126. cap. 1.* Rodriquez *1. p. summ. cap. 130. n. 2.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 7. n. 32.* & Pasqualigus *decis. 162.* Quamuis contrarium teneant Sotus *in 4. dist. 22 q. 2. art. 3.* Lorca *2. 1. q. 11. disput. 41. n. 15.* Lopez *2. par. instruct. cap. 10.* Palat. *in 3. dist. 15. disput. 2.* & Toletus *lib. 1. cap. 19.*

Hæc autem pertinacia consistit in hoc, vt quis sciens, & aduertens resistere velit testimonio, & authoritati Ecclesiæ proponentis, quæ resistentia fit per voluntatem non subdendi iudicium suum iudicio Ecclesiæ, sicuti desumitur ex Augustino *lib. 4. de baptism. contra Donatistas, cap. 16.* Vbi ait, quod is, qui errat in doctrina fidei, non sit hæreticus, donec instruatur quid doceat Ecclesia, eligatque potiùs Ecclesiæ resistere, quam à propria sententia recedere. 3 4

Et in hoc cum Augustino concordant S. Thom. & cæteri Scholastici, & probatur à contrario, quia quamdiu quis voluntate perseuerat in proposito subiiciendi iudicium suum iudicio Ecclesiæ, non potest errare pertinaciter, atque adeò non est propriè hæreticus. Ergo signum est, quod pertinacia requirat voluntatem contrariam, quin quod potius in illa consistat formaliter. Tum quia hæresis propriè sumpta importat errorem fidei contrarium. Ergo, sicut assensus fidei petit, vt habita notitia propositionis Ecclesiæ, quæ aliquam veritatem de fide proponat, voluntate quis se accommodando inclinet intellectum ad assentiendum, sic è contrà hæresis propriè sumpta petit, vt habita eadem notitia, voluntate quis se opponendo inclinet intellectum ad dissentiendum. Sed ignorans etiam ignorantia crassa non se opponit testimonio, & authoritati Ecclesiæ proponentis: Ergo. Minor probatur; quia non quis videtur se opponere, atque adeò offendere authoritatem alicuius dicentis, cùm scienter dictis illius aduersatur: Nam si ignoranter, etiam contra suum magistrum dicentem opinetur, non dicitur eius authoritati per incredulitatem derogare. Ergo similiter, si quis ignorans etiam, vincibiliter, se contra sensum Ecclesiæ proponentis aliquid opinari, contrarium credit, licèt grauiter peccet peccato quod quidem ad hæresim reducatur, seu indirectè ad hæresim spectat, non est tamen propriè hæreticus, vel infidelis. 5 6 7

Cæterùm, ratio cur ignorantia vincibilis excuset hominem à peccato hæresis, non autem à peccato homicidij, vel furti, &c. illa est, quia scientia seu cognitio in peccato homicidij, vel furti, &c. non est circumstantia requisita ex parte obiecti, sed tantùm conditio requisita vt actus sit liber & humanus; Ergo, cùm ignorantia vincibilis non tollat voluntarium, vt *in 1. 2. q. 6. art. 8.* Consequens est, quod manente voluntario, & substantia homicidij, vel furti, &c. exterioris, sit peccatum eiusdem speciei, ac si homicidium, vel furtum, &c. esset directè volitum, & scienter perpetratum. At in peccato hæresis cognitio propositionis Ecclesiæ est circumstantia substantialiter requisita ex parte obiecti, sicut in sacrilegio est locus sacer: Ergo sublata hac cognitione, etiamsi, vt erroris actus sit humanus, maneat voluntarium sufficiens, non tamen manet substantia erroris cum circumstantiis requisitis, vt sit peccatum propriè sumptæ hæresis, vel infidelitatis. 8

Itaque pertinacia, quæ ad hæresim propriè sumptam requiritur, sumitur ex hac circumstantia, quam dicebam, scilicet ex scientia, qua quis nouit, opinionem suam esse propositioni Ecclesiæ catholicæ contrariam. Vnde, 9

Infertur

11 Infertur primò, non requiri ad pertinaciam, vt quis de suo errore scienter admisso moneatur, & ipse adhuc velit in illo persistere: sed sufficit, si scienter erret contra id, quod ab Ecclesia definitum esse opinatur.

11 Infertur secundò ad mentem aliorum, & satis quidem probabiliter, non sufficere ad pertinaciam, vt quis de suo errore ignoranter admisso à viris grauissimis, etiam ab Inquisitoribus, vel à proprio Episcopo moneatur: Nam si ipse adhuc post monitionem arbitretur, doctrinam suam non esse contra sensum Ecclesiæ, eosque viros oppositum arbitrantes errare, non est formaliter, & propriè hæreticus, quia, in-
12 quiunt ipsi, nisi quis credat, se contra Ecclesiæ doctrinam opinari, non est pertinax, atque adeò non est pro-
13 priè hæreticus, quantumuis, & à quouis (excipe nisi putet, se opponi Concilio cum Capite, vel Pontifici, quorum est rem de fide definire, & quibus opponi est scienter toti Ecclesiæ aduersari) moneatur, quamuis in foro externo hæreticus præsumatur, atque ita colligitur ex capitolo *ad abolendam, de hæretic.* & docet Canus de *loc. theolog. lib.* 12. *cap.* 5. Valentia 2. 2. *disput.* 1 *q.* 11. *punct.* 1. *difficult.* 4. Vasquez 1. 2. *disput.* 126. *cap.* 2. *n.* 7. Salas *ibidem tract.* 17. *disput.* 7 *sect.* 7. *n.* 5, Sayrus *de censur. lib.* 2. *cap.* 4 *n.* 17. Torres *de Trinit. q.* 32. *art.* 4. Sanchez *lib* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 25. Videri etiam poterit Bartol. *in l. tutor ff. de suspect. tutorib* Rebuff. *in Prax. benefic. Bull. Cœn. excommun.* 1. *art.* 1. *verbo hæreticus, vers. quæret aliquis*, Pegna 1 *p. commentar.* 26. *q.* 12. *n.* 14. Vgolin. *de censur. Pontif. re eru* 2. *part. cap.* 1. §. 1. *n.* 10. & Pasqualigus *in citata disp.* 162. & 163.

SECTIO. VI.

COROLARIVM QVINTVM.

Quid dicendum de eo, qui errorem contra fidem, etiam positiuum, & ex ignorantia affectata, committit in interno, etiamsi perfectè explicet in externo?

SVMMARIVM.

1 *Committens errorem contra fidem, etiam positiuum, & ex ignorantia affectata, in interno, etiamsi perfectè explicet in externo, neque incidit in pœnas hæreticorum, & consequenter absolui potest à quolibet approbato confessario, nisi sit casus reseruatus Episcopo, vel Inquisitori.*

2 *Scientia determinationis Ecclesiæ in peccato hæresis propriè sumpta est circumstantia substantialiter requisita ex parte obiecti, & ideò dicta de ignorantia crassa, habent locum etiam in ignorantia affectata, sublata enim scientia aufertur etiam hæresis substantia propriè sumpta.*

3 *Affectans ignorare quæ proponit Ecclesia, solùm ex negligentia, vel tædio illa addiscendi, sine dubio propriè hæreticus non est, neque hæreticorum pœnas contrahit, siquidem cum tali voluntate ignorandi quid doceat Ecclesia, rectè stare potest voluntas obediendi Ecclesiæ.*

4 *Ignorare etiam affectans, vt liberiùs, & absque scrupulo conscientiæ defendat opiniones, quæ sibi maximè placent, ne si fortè contingat illas esse contra sensum Ecclesiæ, necessitetur mutare, neque est propriè hæreticus, neque hæreticorum pœnas contrahit.*

5 *Virtualis voluntas obediendi rectè stare potest cum voluntate ignorandi præceptum.*

6 *Ignorare affectans quæ proponit Ecclesia ad hoc vt liberiùs, & absque remorsu conscientiæ erret in fide, & recedat ab Ecclesia, est propriè hæreticus, atque adeò si in externo proferat suam intentionem contrahit hæreticorum pœnas, quia hîc adest verè pertinacia, & talis ignorantia non minuit, sed potiùs auget peccatum.*

7 *Idem dic, si affectet ignorare en falsa opinione, quam habet contra Ecclesiam, quia & in tali casu etiam adest verè pertinacia.*

Respondetur ex dictis, quod neque incidat in pœnas hæreticorum, & consequenter absolui possit à quolibet approbato Confessario, modo quo supra dicebam, is qui errorem contra fidem (etiam positiuum, & ex ignorantia affectata) committit in interno, etiamsi perfectè explicet in externo. 1

Probatur, quia in ignorantia affectata locum habet eadem ratio, quam suprà dicebam de ignorantia crassa, quod scilicet in peccato hæresis propriè sumptæ sit circumstantia substantialiter requisita ex parte obiecti, scientia determinationis Ecclesiæ, qua scientia proinde sublata aufertur etiam substantia hæresis propriè sumptæ, atque ita docet Bannez *in* 2. 2 *q* 11 *art.* 2. Aragon *ibidem art.* 1. Coninch *disput.* 18. *dub.* 7. *conclus.* 4. Suarez *de fide disput.* 19. *sect.* 3. *n.* 9. & *seqq.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 14 *q.* 9. Farinac. *de hæresi q* 179. *n.* 29. & 30. Petr. de Ledesm. *in summ. tom* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. *difficult.* 2. Vasquez 1. 2 *disput.* 126. *cap.* 2. Pesant. 2. 2. *q* 11. *art* 2. *disput* 1. *conclus.* 5. dicens esse sententiam communem, Becanus *de fide cap* 14. *q.* 2. *n.* 16. & Santarellus alios referens *de hæresi cap.* 1. *dub.* 5. *n.* 23. Contra Sotum *in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 3. Lorca 2. 2. *q.* 11. *disput.* 41. *n.* 15. Lopez 1. *par. instruct. cap.* 20. Valentia 2. 2. *disput.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. *difficult.* 4. *ad* 1. Sayrom *lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 15. Canum *de locis theologic. lib.* 11. *cap.* 9. Zumel *par.* 1. *q.* 26. *art.* 4. *disput.* 1. Cordubam *in quæstionar. lib.* 1. *q.* 17. §. 1. Torres *de Trinit. q.* 32. *art.* 4. & Petr. Nauarr. *de restitut. lib.* 2. *cap.* 4 *par.* 2. *dub.* 8. *n.* 208. sed vt distinctius in hac re procedatur. 2

Aduerte, quod si quis, quæ proponit Ecclesia, affectet ignorare solum ex negligentia, vel tædio illa addiscendi, propriè hæreticus non sit, atque adeò pœnas hæreticorum non contrahat. Ratio est, quia in tali casu non adest pertinacia, quæ ad hæresim propriè sumptam requiritur, siquidem cum tali voluntate ignorandi quid doceat Ecclesia, rectè stare potest voluntas obediendi Ecclesiæ, quotiescumque de illius definitione constiterit. 3

Aduerte secundò, quod si etiam affectet ignorare, vt liberiùs, & absque scrupulo conscientiæ defendat opiniones, quæ sibi maximè placent, ne, si fortè contingat illas esse contra sensum Ecclesiæ, necessitetur mutare, nec etiam sit propriè hæreticus, atque adeò nec etiam contrahat hæreticorum pœnas. Ratio, quia nec in tali casu interuenit pertinacia, quæ ad hæresim propriè sumptam requiritur. Nam & cum tali voluntate ignorandi, rectè etiam stare potest virtualis voluntas obediendi Ecclesiæ, quotiescumque de illius definitione apparuerit: ideò enim talis homo vult ignorare quid doceat Ecclesia, quia non vult ab illius sententia recedere. Ergo excludit pertinaciam, atque adeò & hæresim propriè sumptam, Suar. *in cit. disput.* 15. *sect.* . *n.* 18. & alij passim. 4 5

Aduerte tertiò, quod si quis è contra affectet ignorare, quæ proponit Ecclesia, ad hoc vt liberiùs & absque remorsu conscientiæ erret in fide, & recedat ab Ecclesia, sit (vt rectè docent Canus, Zumel, Valentia, & Petr. Nauarr. *in loc. suprà cit.*) propriè hæreticus, atque adeò, si in externo talem suam intentionem proferat, contrahat hæreticorum pœnas. Ratio est, quia in tali casu adest verè pertinacia contra Ecclesiam, cùm in dicto casu nolit homo se subiicere Ecclesiæ, quo sic magis voluntariè, saltem per modum obiecti, recedat ab Ecclesia, & talis ignorantia, vt in 1. 2. *q.* 6 *art.* 8 non minuat, sed potiùs augeat peccatum, Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 23. Reginald. *tom.* 2. *lib.* 17. *cap.* 4. *q.* 2. *n.* 49. & Zumel 1. 2. *q.* 76. *art.* 4. *disput.* 1. 6

Vtrumque

7 Idemque dico, si affectet ignorare ex falsa opinione, quam habet contra Ecclesiam, quia & in tali casu etiam adest verè pertinacia, cum & in tali casu etiam non sit paratus corrigi ab Ecclesia, quinimmò contemnat authoritatem Ecclesiæ, Sanch. *in cit. cap. 7. n. 13.* Vasq. 1. 2. *disput. 126. cap. 2.* ad finem, & Turrianus *de fide disput. 55. dub. 2.*

SECTIO VII.

COROLLARIVM SEXTVM.

Quid dicendum de eo, qui per dispositionem habitualem ita adhæret suæ opinioni, vt etiamsi sciret, illam esse contra Ecclesiam, adhuc in illa persisteret? Vbi etiam de eo, qui tenet aliquid ex conscientia erronea contra Ecclesiam.

SVMMARIVM.

1 *Dispositionis habitualis nomine auctor intelligit tantum dispositionem quamdam, per quam homo in actu primo ita se habet ad aliquid, vt si id esse contra Ecclesiam cognosceret, nihilominus in sua opinione persisteret.*

2 *Is qui per dispositionem habitualem ita adhæret suæ opinioni, vt etiamsi sciret illam esse contra Ecclesiam, adhuc in illa persisteret, neque incidit in pœnas hæreticorum, neque peccat saltem mortaliter, quia in tali casu non adest actualis pertinacia.*

3 *Per dispositionem habitualem generaliter non dicitur homo peccare, cùm multi homines sint in ea dispositione, vt si ipsis occurreret occasio peccati, in peccatum laberentur, non tamen propterea sint rei peccati.*

4 *Suarez doctrina, vbi ait, quod ignorantia vincibilis etiam crassa, excuset quidem à peccato hæresis propriè sumpta, si ignorantia sit antecedens, seu causa actus, at secus si sit concomitans: Et addit, quod neque ignorantia vincibilis excuset, si sit concomitans, &c. non probatur, & cur.*

Ignorantia concomitans, & vincibilis duplex esse potest, habitualis tantum, vt si quis ignoranter tenens aliquid contra fidem, in ea habituali dispositione sit, vt si sciret, id esse contra Ecclesiam, adhuc in sua sententia persisteret, ita tamen vt cùm hunc errorem in mente fouet, non habeat actualem voluntatem, & hæc dispositio habitualis prorsus excusat à peccato hæresis.

6 *Ignorans etiam inuincibiliter, credens aliquid contra definitionem Ecclesiæ, potest illa dispositio esse actualis, si v. g. habeat is in voluntate hunc actum: Etiam si scirem, Ecclesiam aliud tenere, adhuc à mea sententia non recederem: & in tali casu homo esset verè, & propriè hæreticus.*

7 *Amplia, id verum esse, etiamsi contingat opinionem suam non esse contra definitionem Ecclesiæ, vt si quis v. g. falsò putans aliquid esse definitum ab Ecclesia, ipse tamen contrarium teneat.*

8 *Recedit ab Ecclesia is qui credit non esse vniuersaliter vera, quæ definita sunt ab Ecclesia, negat enim esse in proponendo Regulam infallibilem Ecclesiam, qui est vnus de Articulis fidei principalibus.*

9 *Atque ita contra Salas tenentem, quod talis homo, quamuis ob conscientiam erroneam non minùs peccet quam hæreticus, non sit propriè hæreticus, quia, vt inquit ipse, nihil falsum credit contra Ecclesiam.*

10 *Neque iste in casu dicto incidit in Excommunicationem Bullæ Cœnæ, & in alias hæreticorum pœnas, etiamsi ex conscientia erronea contra Ecclesiam proferat in externum, contra nonnullos motos ex eo, quod verè aliquid de fide, scilicet Ecclesiam esse certam Regulam fidei, neget exteriùs.*

11 *Ratio prædicta non benè applicatur, quia quamuis interiùs aliquid de fide neges, exteriùs tamen nihil contrà fidem & Ecclesiam profert, quod necesse esset ad incurrendas pœnas.*

Dixi, *per dispositionem habitualem*, quæ scilicet non proueniat ex actu præterito, & prauo affectu actuali, quo quis proposuit, sequi suam opinionem, etiamsi contraria esset Ecclesiæ: Hæc enim est manifesta actualis pertinacia, quæ ad hæresim propriè sumptam sufficiat; sed per dispositionem habitualem intellexi dispositionem quamdam, per quam homo in actu primo ita se habet ad aliquid, vt si id esse contra Ecclesiam cognosceret, nihilominus in sua opinione persisteret. Hoc posito. 1

Respondetur ex dictis, quod neque incidat in pœnas hæreticorum, immò nec peccet, saltem mortaliter, is qui per dispositionem habitualem ita adhæret suæ opinioni, vt etiamsi sciret, illam esse contra Ecclesiam, adhuc in illa persisteret. 2

Probatur, quia, cùm & in tali casu non adsit pertinacia actualis, neque in tali casu est ex omni parte perfectè consummatum peccatum hæresis, atque adeò secum non trahit pœnas hæreticorum, iuxta ea quæ suprà dicebam.

Confirmatur, quia generaliter per dispositionem habitualem non dicitur homo peccare, cùm multi homines sint in ea dispositione, vt si ipsis occurreret occasio peccati, in peccatum laberentur, non tamen propterea sint rei peccati. 3

Hinc mihi non probantur, quæ docet Suarez *in citt. tract. de fide, disput. 19. sect. 3. n. 16.* Vbi ait, quod ignorantia vincibilis, etiam crassa, excuset quidem à peccato hæresis propriè sumptæ, si ignorantia sit antecedens, seu causa actus, at secus si sit concomitans. Et addit, quod neque ignorantia inuincibilis excuset si sit concomitans: & rationem assignat, quia tunc illa ignorantia est talis, vt secum admittat, immò requirat voluntatem non mutandi sententiam, etiamsi constet, Ecclesiam aliud docere: ab hac enim voluntate illa ignorantia habet, quod sit concomitans. Quapropter non est causa errandi, nec excludit modum assentiendi pertinaciter contra authoritatem Ecclesiæ. Ita Suarez. 4

At hæc, inquam, quæ docet Suarez, mihi non probantur, præsertim quod addit de ignorantia vincibili concomitante, quia cum ignorantia inuincibilis concomitans causet non voluntarium (vt *in 1. 2. q. 6. art. 8.*) non apparet, quomodò actus cum huiusmodi ignorantia elicitus possit esse peccaminosus & malus, cum de intrinseca ratione peccati existat, vt sit voluntarium. Neque est id indistinctè verum de ignorantia vincibili concomitante; quia ex dictis ad peccatum hæresis propriè sumptæ non sufficit voluntarium in causa, seu indirectè, sed ignorantia vincibilis concomitans facit tantùm voluntarium indirectè, Ergo, &c.

Distinguendum igitur arbitror de affectu, seu dispositione ignorantis ignorantia concomitanti, & vincibili, nam hæc duplex esse potest.

Primo modo habitualis tantùm, vt si quis ignoranter tenens aliquid contrà fidem, in ea habituali dispositione sit, vt si sciret, id esse contra Ecclesiam, adhuc in sua sententia persisteret, ita tamen, vt cùm hunc errorem in mente fouet, non habeat actualem voluntatem; Et hæc dispositio habitualis prorsus excusat à peccato hæresis, quia, vt suprà dicebam, per dispositionem istam habitualem non peccat homo, donec in actum secundum prodeat. Neque obstat, quod ignorantia sit vincibilis, quia hæc facit tantum volun- 5

tarium

rium indirectè; quod non sufficit ad propriè sumptam hæresim, vt supra etiam dicebam.

6 Secundo modo illa dispositio potest esse actualis, vt si quis ignoranter, etiam inuincibiliter credens aliquid contra definitionem Ecclesiæ, habeat in voluntate hunc actum: *Etiam si scirem, Ecclesiam aliud tenere, adhuc à mea sententia non recederem*; & in tali casu homo esset verè, & propriè hæreticus, atque adeò pœnas hæreticorum contraheret. Ratio, quia in tali casu adest vera, & propria pertinacia, vt rectè aduertit Suarez *in citata disput.* 19. *sect.* 3. *num.* 13. Et probatur, quia talis voluntas actu opponitur voluntati parendi Ecclesiæ, & illius authoritatem infallibilem non admittit, quin potius excludit.

7 Hoc autem, quod modò dixi, verum est, etiamsi contingat, opinionem suam non esse contra definitionem Ecclesiæ; vt si quis v.g. falsò putans, aliquid esse definitum ab Ecclesia, ipse tamen contrarium esse teneat. Ratio, quia cum sit adhuc in dispositione, siue affectu actuali persistendi in sua opinione (tametsi aduerteret Ecclesiæ) est etiam adhuc in vera, & perfecta actuali pertinacia contra Ecclesiam.

8 Confirmatur; quia hoc ipso, quod credit non esse vniuersaliter vera, quæ definita sunt ab Ecclesia, recedit ab Ecclesia, & negat esse in proponendo Regulam infallibilem Ecclesiam: qui est vnus ex articulis fidei principalibus.

9 Atque ita contra Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 7. *sect.* 7. *in fin.* tenentem, quod talis homo, quamuis ob conscientiam erroneam non minùs peccet, quàm hæreticus, tamen non sit propriè hæreticus; quia, vt in quit ipse, nihil falsum credit contra Ecclesiam; ad cuius authoris tamen fundamentum patet ex dictis) docent communiter Doctores, Bannez 2. 2. *q.* 11. *art.* 2 Aragon. *ibidem num* 1. Castro *lib.* 1. *de iust. hæretic punit. cap.* 9. Henriq. *lib.* 13 *de excommunicat. cap.* 17. *num.* 3. Corduba *lib.* 1. *q.* 17. Rodriq. *in Bull.* §. 9 *dub.* 2. *n.* 10. Sayr. *de censuris lib.* 4. *cap.* 4. *n.* 14. Alter. *ad Bullam Cœna. clauf.* 1. *cap.* 2. *col.* 5. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 30. & Farinac. *de hæresi q* 179. §. 1. *n.* 2.

10 An autem iste talis in dicto casu incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & in alias hæreticorum pœnas, si quod tenet ex conscientia erronea contra Ecclesiam proferat in externum?

Respondetur, quod quamuis affirment Henriq. Sayrus, & Sanchez in locis suprà citatis, moti ex eo, quod verè aliquid de fide, scilicet Ecclesiam esse certam regulam fidei, neget externè: Probabilius tamen sit oppositum.

11 Probatur; quia, quamuis interiùs aliquid de fide neget, exteriùs tamen nihil contra fidem & Ecclesiam proferet: Quod, cùm pœnæ sint ab Ecclesia & strictam habeant interpretationem, ad incurrendas pœnas Ecclesiæ requiritur; atque ita præter alios docet Suarez *disp.* 21. *sect.* 1. *n.* 10. & Simanch. *de catholic. Instit. tit.* 31. *n.* 6. in quo sensu saluari poterit Salas in loco suprà citat.

SECTIO VIII.

COROLLARIVM SEPTIMVM.

Quid dicendum de eo, qui diuinæ reuelationi priuatim sibi factæ pertinaciter, cùm illam esse à Deo, sufficientia indicia habeat, dissentitur?

SVMMARIVM.

1 *Dissentiens diuinæ reuelationi priuatim sibi factæ, pertinaciter, cùm illam esse à Deo sufficientia indicia habeat, licet sit hæreticus, non tamen incidit in pœnas hæreticorum, neque in excommunicationem Bullæ Cœnæ.*

2 *Quicunque ob authoritatem Dei reuelantis tanquam ob vnicum formale motiuum credendi, reuelatam sibi propositionem prudenter, ac piè credit, fidei diuinæ actum elicit; ita quicunque reuelationi sibi à Deo factæ, & sufficienter explicatæ imprudenter, & pertinaciter dissentit, formaliter oppositum ei actum infidelitatis exercet.*

3 *Reuelationem esse à Deo publicè, vel priuatim non ad essentiales, sed ad accidentales fidei, & consequenter etiam infidelitatis differentias pertinere videtur.*

4 *Infidelitas, seu hæresis, propter quam pœnæ hæreticorum incurruntur, est error contra fidem ab Ecclesia propositam: & hæreticus, qui pœnas hæreticorum incurrit, est qui à sententiis, siue dogmatibus fidei ab Ecclesia propositis contumaciter recedit, quod non contingit in casu de quo agitur.*

5 *Dissentiens reuelationi sibi à Deo factæ, ita tamen vt neque rei reuelatæ, neque ipsius reuelantis claram, & intuitiuam notitiam habeat, non negat Deum in reuelando esse veracem (sic enim Atheus esset) sed negat sibi factam reuelationem, quam tamen esse à Deo sufficientibus indiciis cognoscere potest, esse veram, & certam; & sic patet responsio ad argumentum Sanchez.*

Respondetur ex dictis, quod licet iste talis sit hæreticus, non tamen incidat in pœnas hæreticorum, vt in excommunicationem Bullæ Cœnæ, &c. 1

Prior pars probatur, quia quemadmodum (vt omittam, quæ suprà dicebam) quicumque ob authoritatem Dei reuelantis, tanquam ob vnicum formale motiuum credendi, reuelatam sibi propositionem prudenter, ac piè credit, fidei Diuinæ actum elicit, ita quicumque reuelationi sibi à Deo factæ, & sufficienter applicatæ, imprudenter, ac pertinaciter dissentit, formaliter oppositum ei actum infidelitatis exercet. 2

Confirmatur, quia reuelationem esse à Deo publicè, vel priuatim, non ad essentiales (vt arbitratus est Sotus *lib.* 3. *de natura, & gratia cap.* 11.) sed ad accidentales fidei, & consequenter etiam infidelitatis differentias pertinere videtur: Atque ita docet Suarez *disp.* 19. *de fid. sect.* 5. *n.* 11. Azor. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæst* 4. & complures alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *num.* 22. contra nonnullos, quos sequitur Lorca 2. 2. *quæst.* 11. *disp.* 39. *num.* 2. & *seqq.* 3

Posterior pars patet, quia ex dictis etiam infidelitas, seu hæresis, propter quam pœnæ hæreticorum incurruntur, est error contra fidem ab Ecclesia propositam: Et hæreticus, qui pœnas hæreticorum incurrit, est qui à sententiis, siue dogmatibus fidei ab Ecclesia propositis contumaciter recedit: Quod in nostro casu non contingit. 4

Atque ita præter alios docet Suarez *disp.* 19. *de fide sect.* 5. *n.* 12. Corduba *lib.* 1. *q.* 17. §. 1 *dub.* 2. & Azor. *lib.* 8. *cap.* 9. *quæst.* 4. contra Vegam super Tridentinum *lib.* 9. *cap.* 3. & Sanchez *lib.* 1. *moral cap.* 7. *num.* 13.

Neque obstat, si dicas cum Sanchez: Qui negat articulum fidei ab Ecclesia propositum, is excommunicationem Bullæ Cœnæ, & alias pœnas hæreticorum incurrit: At qui reuelationi Diuinæ priuatim sibi factæ pertinaciter dissentit, is saltem virtualiter negat præcipuum articulum fidei ab Ecclesia propositum, scilicet Deum in dicendo esse veracem: Ergo, &c. 5

Respondetur enim, eum qui dissentit reuelationi sibi à Deo factæ, ita tamen, vt neque rei reuelatæ, neque ipsius reuelantis claram & intuitiuam notitiam habeat, non negare, Deum in reuelando esse veracem (sic enim Atheus omninò & Apostata esset, vtpotè ipsam formalem rationem, & fundamentum fidei prorsus abiiciens) sed negare sibi factam reuelationem, quam tamen esse à Deo, sufficientibus indiciis cognoscere posset, esse veram, & certam.

SECTIO IX.

COROLLARIVM OCTAVVM.

Quid dicendum de eo, qui negat conclusionem Theologicam?

SVMMARIVM.

1 *Negans conclusionem Theologicam, neque incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & in alias pœnas hæreticorum, vt si quis agnoscat, quod Christus sit homo, neget tamen, quod sit risibilis.*

2 *Negans conclusionem Theologicam vt deductam, non est hæreticus, sic enim non tam negat firmitatem testimonij Dei dicentis, quàm firmitatem formæ syllogisticæ, quod hæc scilicet non habeat firmitatem illationis.*

3 *Negans conclusionem Theologicam vt deductam etiam ex duobus præmissis de fide, v.g. si agnoscat per fidem, omnem hominem esse redemptum, & agnoscat etiam per fidem, Ioannem Baptistam esse hominem missum à Deo, negat tamen esse redemptum, neque est hæreticus, licet in foro externo hæreticus præsumatur in vtroque casu, quia cùm præmissæ naturaliter scita, & formæ syllogisticæ firmitas sit euidenter nota, merito in foro externo præsumitur non hanc firmitatem, sed potiùs alteram, vel etiam vtramque præmissam reuelantem negare.*

4 *Negans conclusionem Theologicam, vt explicatam per præmissam naturalem, & per formam syllogisticam tanquam per conditionem applicantem, & sic licet reuera sic hæreticus, quia sit negat testimonium Dei dicentis, in quo etsi implicitè fundatur conclusio Thologica per præmissam naturalem & formam syllogisticam explicata, & sic sumpta materialiter: Attamen quia non explicitè est proposita ab Ecclesia, adhuc non contrahit hæreticorum pœnas.*

5 *Inquisitores possunt procedere contra negantem conclusionem Theologicam, tanquam contra hæreticum formaliter; si illam neget, vt explicatam, seu sumptam materialiter, secus si illam neget, vt deductam, seu sumptam formaliter; quia tunc poterunt procedere contra eum, tanquam contra suspectum de hæresi tantùm.*

1 RЕspondetur ex dictis, quod neque incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, & in alias pœnas hæreticorum is, qui negat conclusionem Theologicam, quæ v.g. ex vna propositione naturaliter scita, & ex altera per euidentem illationem deducitur: vt si quis agnoscat, quod Christus sit homo, neget tamen, quod sit risibilis.

2 Probatur, quia vel negat is conclusionem Theologicam vt deductam, & sic non est hæreticus: sic enim non tam negat firmitatem testimonij Dei dicentis, quàm firmitatem formæ syllogisticæ, quod hæc scilicet non habeat necessitatem illationis, ob quod neque est hæreticus is, qui negat conclusionem Theologicam, vt deductam etiam ex duabus præmissis de fide, v.g. si agnoscat per fidem, omnem hominem esse redemptum, & agnoscat etiam per fidem, Ioannem Baptistam esse hominem missum à Deo, neget tamen esse redemptum; quamuis in vtroque casu hæreticus præsumatur, quia cùm præmissæ naturaliter scitæ, & formæ syllogisticæ firmitas sit euidenter nota, meritò in foro externo præsumitur, non hanc firmitatem vtpotè euidentem, sed potiùs alteram, vel etiam vtramque præmissam reuelatam, vtpote obscuram, negare: Ergo, &c. Vel negat is conclusionem Theologicam, vt explicatam per præmissam naturalem, & per formam syllogisticam, tanquam per conditionem applicantem, & sic, licet reuera sit hæreticus, quia sic negat testimonium Dei dicentis, in quo fundatur (etsi implicitè) conclusio Theologica, per præmissam naturalem, & formam syllogisticam explicata, & sic sumpta dicta conclusio Theologica materialiter; tamen quia sic adhuc non dicit is aliquid contrà Ecclesiam, suppono enim, quod non sit illa explicata, seu explicitè proposita ab Ecclesia, sicuti est explicata, seu explicitè proposita ab Ecclesia hæc, *esse scilicet Christum risibilem*: Et hæc altera, *naturam scilicet humanam Christi subsistere vna, eaque increata subsistentia*, adhuc non contrahit hæreticorum pœnas, quæ solùm sunt ab Ecclesia & non ab alio, sicuti supra dicebam.

3 (margin) 4 (margin)

Atque ita docet Suarez de fide *disp.* 19. *sect. vlt. n.* 5. Aragonius 2.2. *quæst.* 11. *art.* 2. Villalob. *in summ. tom.* 2. *tract.* 1. *diffic.* 10. *n.* 6. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 33. contra Canum *lib.* 12. *de locis Theolog. cap.* 9. & Valent. 2.2. *disp.* 1. *quæst.* 11. *punct.* 1. *diffic.* 3. quæ de videri etiam poterit Bañez 2.2. *quæst.* 11. *art.* 2. § *circa hoc*, & Corduba *quæst.* 17. *dub.* 3. *notabil.* 3. §. *Id etiam.*

Respondetur ex dictis affirmatiuè, si neget conclusionem Theologicam, vt explicatam per præmissam naturalem; & formam syllogisticam, vel si vtraque præmissa est reuelata, at explicatam per solam formam syllogisticam, seu si neget (quod idem est) conclusionem Theologicam sumptam materialiter, quia tunc est hæreticus formaliter, sicuti est hæreticus formaliter, si neget ipsam præmissam reuelatam, in qua dicta conclusio Theologica sumpta materialiter continetur quoad esse, & in qua dicta conclusio Theologica sumpta materialiter implicitè est à Deo reuelata: Hoc enim ipso, quod Deus v. g. explicitè reuelauit, Christum esse hominem, reuelauit implicitè Christum esse risibilem, vtpote quid, vel idem à parte rei cum humanitate, vel quid connexum cum illa; Quemadmodum etiam hoc ipso, quod Deus explicitè reuelauit, Christum esse hominem, implicitè reuelauit, Christum esse ens, substantiam, corpus, animatum, animal, &c. vtpotè quid essentialiter inuolutum in humanitate. Quapropter, cùm conclusio Theologica, vt explicata, seu sumpta materialiter modo quo suprà dicebam, fundetur in eodem testimonio Dei reuelantis, licèt implicitè, ac fundatur præmissa reuelatata explicitè, fit, quod si neget prædictam conclusionem sic sumptam, vti dicebam, sit hæreticus formaliter, sicuti est hæreticus formaliter, si neget præmissam reuelatam explicitè: Fundatur enim vtraque in eodem testimonio Dei reuelantis, licet solùm modo diuerso, scilicet quoad explicitum & implicitum. 5

Non tamen ex dictis etiam, est similiter hæreticus formaliter, si neget conclusionem Theologicam, vt deductam, seu sumptam formaliter; quia cùm tunc conclusio Theologica non tam fundetur in testimonio Dei reuelantis, quàm in præmissa naturali, & forma syllogistica, vel saltem, si vtraque præmissa est reuelata, fundetur etiam similiter in forma syllogistica, quæ non est summæ certitudinis, sicuti summæ certitudinis est authoritas Dei reuelantis; & ex alio capite conclusio sumpta formaliter sequitur semper debiliorem partem, fit, quod non sit similiter hæreticus formaliter, si neget conclusionem Theologicam sic sumptam, sit tamen suspectus de hæresi, quia cùm sic negans in foro externo non præsumatur negare præmissam naturalem, aut formam syllogisticam, quæ est euidens, vel si vtraque præmissa sit reuelata, in foro externo non præsumatur negare dictam formam syllogisticam, quæ est euidens, vti dicebam, meritò præsumitur negare præmissam aliquam reuelatam, quæ est obscura; vt propterea possint Inquisitores contra sic negantem procedere contra illum, non vt contra hæreticum formaliter, sed vt contra suspectum de hæresi, iuxta ea quæ dicebantur.

SECTIO

SECTIO X.

COROLLARIVM NONVM.

Quid dicendum de eo, qui hæresim actu consummauit perfectè in interno, eandem tamen nullo modo consummauit in interno, nullum scilicet signum de hæresi sua interna dedit in externo, ita vt restet hæreticus solùm internus, & purè mentalis?

SVMMARIVM.

1 *Qui hæresim actu consummauit perfectè in interno, eandem tamen nullo modo consummauit in externo, nullum scilicet signum de hæresi sua interna dedit in externo, ita vt restet hæreticus solùm internus, & purè mentalis, non incidit in pœnas hæreticorum, & consequenter absolui potest à quolibet confessario approbato, dummodò casus non sit reseruatus ab ipso Episcopo, vel ab Inquisitore.*

2 *Ecclesia non habet iurisdictionem in actus, qui per se non possunt exterius cognosci, quia eius regimen cum sit visibile, conferri debet circa obiecta visibilia, contra nonnullos Doctores.*

1 Respondetur ex dictis, quod neque iste talis incidat in pœnas hæreticorum, & consequenter absolui possit à quolibet confessario approbato, si scilicet Episcopus, vel Inquisitor sibi non reseruauerit, sicuti dicebā.

Probatur, quia, sicuti etiam dicebam, censura, atque pœnæ delictum aliquod afficientes, cum, vtpotè odiosæ, strictam habeant interpretationem, non incurrentur, nisi ob delictum verum, & ex omni parte perfectè consummatum.

2 Confirmatur, quia Ecclesia non habet iurisdictionem in actus, qui per se non possunt exterius cognosci: Nam cum eius regimen sit visibile, versari debet circa obiecta visibilia: ergo. &c.

Atque ita habet communis opinio Doctorum, etsi contrarium sentiunt Abbas, Io. Andreas, Felinus, & alij Canonistæ *in cap. vltimo de hæres.* Adrianus *in 4. quæst. 1. de confessione, §. alij probant*, Albertus Pighius *lib. 6. de Eccles. Hierarchia cap. 16.* Albertin. *de agnosc. assertion. q. 13.* Royas *de hæretic. part. 1. n. 246.* Azcued. *in Recopil. lib. 8. tit. 3. leg. 1. num. 157.* Menoch. *de arbitr. cap. 360.* & Spinus *in specul. testam. gloss. 7. num. 3. & seqq.*

SECTIO XI.

COROLLARIVM DECIMVM.

Quid dicendum de eo, qui actu consummauit hæresim perfectè in interno, eandem tamen, licet aliquo modo, perfectè non consummauit in externo?

SVMMARIVM.

1 *Is, qui de sua hæresi interna signum aliquod externum dedit, non tamen tale, quod secundum se, & ex circumstantiis sit sufficiens ad illā aliis perfectè denotandam, nempe nullus alius præter proferentem, si fuisset præsens, potuisset ex illo signo externo probabiliter illam apprehendere, non incidit in pœnas hæreticorum, & consequenter absolui potest à quolibet approbato confessario, nisi casus reseruatus sit Episcopo, vel Inquisitori.*

2 *Excommunicatio, cæteræque hæreticorum pœnæ vt incurrantur, omninò requiritur, quod verba, vel alia signa sint ex sua natura, vel institutione, vel circumstantiis personarum, loci, vel temporis hæresis internæ manifestatiua.*

3 *Ratio cur Ecclesia, lex, vel præceptum humanum non possit extendere se ad actus merè internos præcipiendos: Prima est, quod non possit humano iudicari examine, quod Dominus suo reseruauit iudicio.*

4 *Cogitationis pœnas nemo patitur, si sistatur infrà fines cogitationis: At secus si propositum exequendi externo signo, vel conatus, quamuis sine effectu, vel successu manifestetur.*

5 *Secunda ratio, propter quam Ecclesia non iudicat de occultis est, quia frustra & inefficaciter lex ad communitatem fertur, si Legislator ad eius obligationem compellere non possit, legem enim ferre, & secundum leges iudicare, ad eandem potestatē spectat.*

6 *Humanus Legislator iudicare non potest de actibus internis ex se latentibus; quia secretorum solus Deus cognitor, & iudex est.*

7 *Tertia ratio est, quia omnis humana potestas, siue iurisdictio fundatur in hominum societate, quæ materialis, & sensibilis est.*

8 *Homo non tenetur obedire homini, sed soli Deo in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, tenetur tamen è contra homo obedire homini in iis, quæ exteriùs per corpus agenda sunt. Tamen si quandoque huiusmodi exteriores actiones maneant occultæ per accidens.*

9 *Occultum est duplex, vnum per se, quod sua natura non potest probari, quales sunt omnes interiores hominis actus, quorum cognitor solus Deus est: Alterum per accidens, quod exterius expressum est, vt ex se deprehendi possit, licèt à nemine deprehendatur.*

Verbi gratia, licet dederit de sua hæresi interna signum aliquod externum, non tamen dedit signum tale quod secundum se vel ex circumstantiis sit sufficiēs ad illam aliis perfectè denotandam, nempè nullus alius præter proferentem, si fuisset præsens, potuisset ex illo signo externo probabiliter illam apprehendere. Hoc posito: 1

Respondetur, quod neque iste talis incidat in pœnas hæreticorum, & consequenter absolui possit à quolibet approbato confessario, modo quo suprà dicebam.

Probatur, quia ad excommunicationem, cæterasque hæreticorum pœnas incurrendas omninò requiritur, quod verba vel alia signa sint ex sua natura, vel institutione, vel circumstantiis personarum, loci, vel temporis hæresis internæ manifestatiua, sicuti *suprà dubit. 12. & corollario præcedenti* dictum est. 2

Confirmatur, quia ideò ab Ecclesia non punitur hæresis purè interna, quia non potest illa ab vllo cognosci, præterquam ab illo, qui illam fouet; ergo idem dicendum est, si ex signo externo non possit eadem ab aliis probabiliter apprehendi, vt proinde habenda sit talis, ac si esset solum interna.

Ratio autem cur Ecclesia, lex, vel præceptum humanum non possit se extendere ad actus merè internos præcipiendos ac puniendos, ad mentem S. Thomæ *p. 2. q. 91. art. 4. & q. 100. art. 9. & 2. 2. q. 104. art. 5.* Gersonis *part. 2. oper. in Reg. moral. §. solus Deus*, Caietan. *de potestate Papæ. & Concilij c. 19.* Castr. *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. 18.* Nauarr. *cap. 13. n. 38. & cap. 27. num. 56. & cap. cogitationis, dist. 1. de pœnit.* Suarez *de censuris disp. 4. sect. 1. & lib. 4. de legib. cap. 12.* Salas *disp. 11. sect. 2.* Vasq. *disp. 60. cap. 1.* Couarru. *Regul. peccatum part. 2. n.* Mirandæ *in Manuali Prælat. tom. 1. quæst. 26 art. 2.* & aliorum communiter, contra glossam *in cit. cap. cogitationis, dist. 1. de pœnit.* Adrianum *quodlibeto 8. art. 1.* Pighium *lib. 6. de Eccles. Hierarch. cap. 16.* Iul. Clarum *lib. 1. sent. §. vlt. quæst. 91.* Rosellam *verbo solutio 1. n. 28.* Medinam *Cod. de oratione quæst. 15.* & alios, quos cùm *in corollario præcedenti* referebam. 3

Prima est, quia in *cap. 1. dist. 15. quæst. 6*, dicitur, *Quod non possit humano iudicari examine, quem Dominus suo reseruauit in iudicio*; & in *cap. sicut, de simonia*, habetur, *Quod Ecclesia non iudicet de occultis*, & in *cap. Tua nos, eod. tit.* Innocentius III. ait: *Nobis datum est de manifestis solummodo iudicare*, & in *leg. 18. ff. de pœnis* (quæ allegatur apud Gratianum *dist. 1. de pœnit.*) dicitur,
4 *Quod cogitationis pœnam nemo patitur*, vbi glossa rectè monet, id verum esse, si stetur intra fines cogitationis: At secus, si propositum exequendi externo signo, vel conatu, quamuis sine effectu, vel successu manifestetur, quia etiam solum conatum in criminibus (præsertim grauioribus) prohiberi, ac puniri, saltem pœna extraordinaria, vel arbitraria iuxta criminis, & facti qualitatem, docent glossa & Doctores *in leg. quisquis, Cod. ad leg. Iul. Maiest.* & Nauar. *in cap. si quis non dicam, de pœnis dist. 1. num. 4.*

5 Secunda ratio est (quam indicat idem S. Thomas *quæst. 100. art. 9.*) quia frustra, & inefficaciter lex ad communitatem fertur, si Legislator ad eius obligationem compellere non possit: leges enim ferre, & secundum leges iudicare ad eandem potestatem spectat, eundemque ordinariè oportet esse Legislatorem, iudicem, & legum vindicatorem. At de actibus internis ex se
6 latentibus humanus Legislator iudicare non potest; quia *secretorum solus Deus cognitor, & iudex est*, *cap. erubescant, dist. 32.* & constat *ex cap. Reg. 16. ibi: Homines vident ea quæ patent, Deus autem intuetur cor*: ergo, &c.

7 Tertia ratio est (quam affert etiam S. Thom. 2. 2. *quæst. 104. art. 5.*) quia omnis humana potestas, siue iurisdictio fundatur in hominum societate, quæ materialis, & sensibilis est: ergo conueniens videtur, vt solum se extendat ad actiones humanas, quatenus in exteriorem materiam transeunt, & signo aliquo externo ma-
8 nifestantur: Vnde S. Thom. *cit. art. 5.* subdit, quod homo non tenetur obedire homini, sed soli Deo in iis, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, tenetur tamen è contra homo obedire homini in iis, quæ exteriùs per corpus agenda sunt.

Quod intellige tamen si quandoque huiusmodi externæ actiones maneant occultæ per accidens, vt quia à nemine videntur, sicque testibus destituuntur, quapropter Ecclesia punit excommunicatione in Bulla Cœnæ hæresim sufficienter explicatam signo externo, quamuis occulto, qua de re dicebam *suprà sect. 12.* & tradit
9 Nauarr. *cap. 27. num. 56. & cit. cap. cogitationis, num. 7. & in rubric. de iudic. n. 76.* Vbi rectè ait, occultum esse duplex; vnum per se, quod sua natura non potest probari, quales sunt omnes interiores hominis actus, quorum cognitor solus Deus est. Alterum per accidens, quod exteriùs expressum est, vt ex se deprehendi possit, licet à nemine deprehendatur.

Hinc soluuntur casus sequentes.

SECTIO XII.

CASVS PRIMVS.

Quid dicendum de eo, qui præstat opus præceptum, non tamen intendit finem Legislatoris præcipientis.

SVMMARIVM.

1 *Præstans opus præceptum, quatenus ex obiecto, seu secundum speciem bonum est, non violat legem humanam, etiamsi finem, seu intentionem Legislatoris præcipientis non intendat, nec assequatur; quia reipsa, & in indiuiduo opus malum, ob prauam scilicet circumstantiam finis exerceat.*

2 *Ieiunans vanæ gloriæ causa, vel vt gulam piscibus oblectet, ideoque legis intentioni repugnet, hoc non obstante, quamuis peccet saltem venialiter contra legem naturalem, ac diuinam, Ecclesiasticum tamen ieiunij præceptum non violat.*

3 *Intentio, ac finis præcepti non cadit, imò nec cadere potest sub præceptum, cùm modus agendi ex virtute, & proposito honestatis omninò intrinsecus sit, ac non apparens.*

4 *Legislator humanus quamuis præcipiendo rem aliquam, possit efficere, vt qui legem transgreditur, peccet contra eam virtutem, cuius intuitu lex lata est, non tamen potest efficere, vt qui legem obseruat, actum talis virtutis exerceat: Nam hoc pendet ex speciali interna intentione operantis, quam Legislator humanus non potest præcipere.*

5 *Legislator Ecclesiasticus præsertim in censuris ferendis, si aliquid externum prohibeat attento actu aliquo interno, prohibeat illud adiuncta conditione actus interni tanquam conditione solum sine qua non, talis conditio restringit censuram iuris, vt in conscientia non incurratur propter opus externum prohibitum; nisi solum ex tali affectu interno procedat tanquam conditione sine qua non.*

RESpondetur ex dictis corollario præcedenti: Qui 1
præstat opus præceptum, quatenus ex obiecto, seu secundum speciem bonum est, non violat legem humanam, etiamsi finem, seu intentionem Legislatoris præcipientis non intendat, nec assequatur, quin reipsa, & in indiuiduo opus malum, ob prauam scilicet circumstantiam finis exerceat, atque ita docet S. Thom. *cit. q. 100. art. 9.* & Caietan. Medin. & alij complures ibidem.

Verbi gratia, Ecclesia præcipit ieiunium, scilicet 2
vnicam refectionem sine carnibus (cuius præcepti finis est, vt caro spiritui subiiciatur, & gula frænetur) si quis ieiunet vanæ gloriæ causa, vel vt gulam piscibus oblectet, ideoque legis intentioni repugnet, is, hoc non obstante, quàmuis peccet, saltem venialiter contra legem naturalem, ac Diuinam Ecclesiasticam, tamen ieiunij præceptum non violat.

Probatur, quia ex dictis intentio, ac finis præcepti 3
non cadit, imò nec cadere potest sub præceptum, cum modus agendi ex virtute, & proposito honestatis omninò intrinsecus sit, & non apparens. Vnde vlterius se- 4
quitur, quod quamuis Legislator humanus præcipiendo rem aliquam, possit efficere, vt qui legem transgreditur, peccet contra eam virtutem, cuius intuitu lex lata est, non tamen potest efficere, vt qui legem obseruat, actum talis virtutis exerceat: Nam hoc pendet ex speciali interna intentione operantis, quam Legislator humanus non potest præcipere, vti dicebam. Vnde sequitur 5
etiam, quod quando Ecclesiasticus Legislator, præsertim in censuris ferendis, aliquid externum prohibet, attento actu aliquo interno, prohibeat illud adiuncta conditione actus interni, tanquam conditione solùm sine qua non Sic v.g. excommunicantur *in Clem. 1. de hæretic.* ille qui ex odio, gratia, vel auaritia omittunt procedere aduersus aliquem in causa fidei. In hoc enim casu talis conditio restringit censuram iuris, vt in conscientia non incurratur propter opus externum prohibitum, nisi solum ex tali affectu interno procedat tanquam conditione sine qua non, atque ita præter alios notauit Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 29. num. 10. & lib. 4. cap. 13. num. 3. & 30. & de censur. disp. 4. sect. 2.*

SECTIO XIII.

CASVS SECVNDVS.

Quid dicendum de eo, qui præstat opus præceptum secundum substantiam, quamuis non habeat voluntatem implendi præceptum, quin habeat voluntatem contrarium?

SVMMARIVM.

1 *Præstans opus præceptum secundum substantiam, quamuis*

quamuis non habeat voluntatem implendi præceptum, quin habeat voluntatem contrariam, reuera satisfacit præcepto.

2 *Audiens die festo Missam decenter, non aduertens esse diem festum, satisfacit præcepto.*

3 *Item si die festo Missam similiter decenter audiat, aduertens esse diem festum, habeat autem expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto, sed audiendi posteà aliam Missam, satisfacit præcepto, ita vt non teneatur audire aliam missam: eadem ratio est de horis canonicis, & similibus.*

4 *Lex tantùm præcipit voluntariam operis executionem, non verò quasi reflexam implendi præcepti intentionem, quam, cùm omninò intrinseca, & occulta per se sit, præcipere non potest.*

5 *Protestatio contraria facto vim nullam habet.*

6 *Præceptum vt impleatur non requiritur, vt vult Suarez, vt intra præcepti tempus retractetur actus, sed sufficit si quis desistat ab actu, idque solum ne peccet, Ecclesiam per affectum contemnat, vel etiam ne peccet ex conscientia erronea, si in falsa persuasione permanens, errorem non deponat, vel Missam iterum non audiat, &c.*

7 *Discrimen statuitur inter debitum ex voto, & debitum ex lege: debitum enim & obligatio voti, & cuiuscumque alterius promissionis, prouenit ex voluntate vouentis, vel promittentis, at debitum seu obligatio ex lege, vel præcepto prouenit ex voluntate legislatoris, vel præcipientis, vnde extendi non potest vltra intentionem, & facultatem ipsius legislatoris, vel præcipientis.*

8 *Immemor se Rosarium vouisse Deo, si illud recitet, voto soluitur.*

9 *Item si quis homini promisit rem donaturus, postea immemor promissionis donet, eximitur.*

10 *Item si quis omisit recitare officium, & propterea tenetur beneficij fructus pro rata pauperibus distribuere, postea immemor talis obligationis eleemosynas largiatur, obligatione eximitur.*

11 *Excipe si ex titulo rigoroso iustitiæ quis debitor existat, v.g. ex empto, permutato, &c.*

12 *Actus interni licet ab humana potestate non possint præcipi, vel prohiberi per se & directè, possunt tamen præcipi, vel prohiberi per accidens, & indirectè, seu concomitanter.*

13 *Actiones externæ, ac materiales non aliter præcipi, aut prohiberi possunt, quàm vt ab internis proficiscuntur, & his secundum esse morale informantur, & constituuntur.*

14 *Ebrius, dormiens, vel mentis impos, si horas canonicas recitet, Missam die festo audiat, &c. non satisfacit præcepto Ecclesiæ, sed tenetur postquam ad mentem redijt, si duret tempus præcepti, iterum Missas audire, quia leges & præcepta imponuntur homini, vt humano modo, non autem more brutorum impleat.*

15 *Opus præceptum sicut non potest violari nisi per actum, vel omissionem liberam, seu humanam, ita nec potest impleri, nisi per similem actum.*

16 *Idem dic de inuito, vel coacto, vt si vi recentus Missæ, vel Concioni intersit, non impleat legem, vel præceptum superioris, quia coactio tollit voluntarium, ac liberum, sine quo lex, vel præceptum nec impleri, nec violari potest.*

17 *Doctrina hæc vera est vniuersim, si loquamur de formali impletione legis, vel præcepti, secus si loquamur de materiali executione legis, vel præcepti. Et ratio*

18 *Est, quia sicut homo sine culpa legem materialiter violare potest, ita etiam sine merito legem materialiter implere poterit, vt in exemplis recensitis ibid.*

1 RESpondetur ex dictis eodem corollario præcedenti: Iste talis etiam reuera satisfacit præcepto. Ita Suar. *lib. 2. de Relig. lib. 4. de hor. canon. cap. 26. & 3. par. tom. 3. disp. 38. sect. 3.* Valentia *tom. 3. disp. 6. q. 10. in fine*, Lessius *de iust. & iur. lib. 2. cap. 7. dub. 10.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 13. n. & 51.* & alij, ex parte contra Nauarrum *de orat. cap. 16 n. 73.* Azor. *tom. 1 lib. 7. cap. 2. q. 3.* & Medin. *Cod de orat. q. 16.* qui negant partem posteriorem prædicti casus.

V. g. si quis die festo Missam decenter audiat, non aduertens esse diem festum, satisfacit præcepto, in quo conueniunt Doctores. Item si die festo missam similiter decenter audiat, aduertens esse diem festum, habeat autem expressam intentionem tunc non satisfaciendi præcepto, sed audiendi postea aliam Missam, satisfacit etiam præcepto, ita vt non teneatur audire aliam missam (in quo tamen discordant Doctores.) Eademque ratio est de horis canonicis, & simil.: quod aduerte pro scrupulosis, qui quando videntur sibi inter orandum distracti, recitant officium cum proposito postea iterum recitandi: Hi enim similiter in tali casu repetere nec tenentur, saltem quando distractio ipsorum fuit inuoluntaria. 2 3

Probatur ex dictis etiam, quia lex tantùm præcipit voluntariam operis executionem, non verò quasi reflexam implendi præcepti intentionem, quam, cùm omninò intrinseca, & occulta per se sit, præcipere non potest: Ergo cùm opus, quod præcipit, impleas, etsi putes per ignorantiam, vel errorem, te non implere, vel etiam nolis implere, non potes efficere quin impleas, quia protestatio contraria facto vim nullam habet. Nec vt impleas præceptum, requiritur (vti vult Suarez) vt intrà præcepti tempus retractes actum, sed sufficit, si desistas ab actu: Idque solum ne pecces, Ecclesiam per affectum contemnendo, quo modo solùm peccares, vel etiam ne pecces ex conscientia erronea, si in falsa persuasione, quasi præcepto non satisfeceris, permanens, errorem non deponas, vel Missam iterùm non audias, horas canonicas iterum non repetas, &c. 4 5

Neque obstat, si dicas: Qui obligatus est voto recitandi Rosarij v. g. si recitet animo tunc non soluendi votum, tenetur iterum recitare: Item qui obstrictus debito pecuniarum, si non vult, dum pecunias soluit, debito exolui, sed vult gratis dare, iterum tenetur soluere: Ergo idem dicendum erit in casu nostro. 6

Respondetur enim, disparitatem esse inter debitum ex voto, vel promissione, & inter debitum ex lege, vel præcepto superioris: debitum enim, seu obligatio voti, & cuiuscumque alterius promissionis prouenit ex volontate vouentis, vel promittentis, qui sicut ab initio pro arbitratu suo debitorem se constituere potuit, sic etiam in eo debito, siue obligatione pro arbitratu suo similiter perseuerare poterit. At debitum, seu obligatio ex lege, vel præcepto prouenit ex voluntate legislatoris, vel præcipientis, vnde extendi non potest vltrà intentionem, & facultatem ipsius legislatoris, vel præcipientis: Quare, cùm legislator hoc solùm præceperit, quinimmò ex dictis hoc solùm præcipere potuerit, vt scilicèt opus humano modo impleatur, consequens est, quod eo opere præstito, obligatio necessariò extinguatur. 7

Cæterùm, si quis immemor, se Rosarium vouisse Deo, illud recitet, voto soluitur: Item, si quis homini promisit rem donaturus, posteà immemor promissionis donet, eximitur: Item, si quis omisit recitare officium, & propterea tenetur beneficij fructus pro rata Pauperibus distribuere, postea immemor talis obligationis eleemosynas largiatur, obligatione eximitur, & sic de alijs, &c. Quamuis dispar ratio sit, si ex titulo rigoroso iustitiæ debitor existas, v.g. ex empto, permutato, &c. & immemor huius debiti tantundem liberaliter dones: Nam in tali casu non videris obligatione liberari, quia gratis dare, & ex tali debito dare (scilicet iustitiæ) pugnant inter se, iuxta illud Apostoli ad Roman. *Si autem gratia iam non ex operibus* (idest, ex operum merito) alioquin 8 9 10 11

aliequin gratia iam non est gratia, sed debiti retributio: Atque ita docet Ludouic. Lopez *lib. 2. contract. cap. vltimo, §. superest nunc*, Sanch. *in loc supra cit* & Pasqual. *in decisionibus, decis.* 455.

Aduerte tamen hic, quod licet ab humana potesta-
12 te non possint (vt suprà dicebam) præcipi vel prohiberi actus interni per se & directè, possint tamen præcipi, vel prohiberi per accidens, & indirectè, seu concomitanter, quatenus requirantur ad moralem substantiam actuum externorum.

Probatur, quia, cùm homines, qui sont membra Reipublicæ, partim interno animo, partim externo, & materiali corpore constent, fit vt & interiores hominis actiones non aliter sub gubernationem Reipublicæ cadere possint, nisi quatenus ad externas actiones dirigantur, & has aliquo modo informant. Fit etiam, vt
13 ipsæ actiones externæ, ac materiales non aliter præcipi, vel prohiberi possint, quàm vt ab internis proficiscuntur, & his secundùm esse morale informantur, & constituuntur: Atque ita docent Syluest. *verb. obedientia, q.1.* Sotus *de iust. & iur. lib.* 10 *q* 5 *art.*5 Medina *q.*100. *art.* 9. *§. Ad vltimum argumentum*, Miranda *in locis suprà citatis*, & Suarez *lib. 3. de legibus, cap.* 13. *n.* 2. *& seqq.*

14 Hinc, si Ebrius, dormiens, vel mentis impos horas canonicas recitet, Missam die festo audiat, &c. non satisfacit præcepto Ecclesiæ, sed tenetur postquam ad mentem redit, si durat tempus præcepti, iterum recitare, iterum Missam audire, &c. quia ex dictis leges, & præcepta imponuntur homini, vt ea humano modo,
15 non autem more brutorum impleat: Ergo, sicuti opus præceptum non potest violari, nisi per actum, vel omissionem liberam, seu humanam, ita nec potest impleri, nisi per similem actum, vel omissionem.

Idem dicendum est de inuito, vel coacto (vt si v.g.
16 vi retentus Missæ, vel Concioni intersit) quod & is etiam legem, vel præceptum superioris non impleat, quia coactio tollit voluntarium, ac liberum, sine quo lex, vel præceptum nec impleri, nec violari potest, vti suprà dicebam. Et videri poterit Sotus *de iust. & iur. lib.* 1. *q.* 3. *art.* 9. Medina *cit. art.* 9. Sanchez *cit. n.* 2. Suarez *lib.* 4. *de horis canonicis, cap.* 26. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *q.* 6.

17 Porrò doctrina hæc vera est vniuersim, si loquamur de formali impletione legis, vel præcepti, ad quam sicut & ad formalem transgressionem, omninò voluntarium requiritur, quod si loquamur de materiali executione legis, vel præcepti, per hanc absque actione propriè humana, seu libera satisfieri potest materialiter legi, v.g si dormiens ex sola imaginatione decimas ad Parochum suum deferat, vel adductus ad Altare primitias ponat materialiter, is in effectu satisfacit legi decimarum, & primitiarum, ita vt alias decimas, & primitias dare non teneatur. Ratio, est quia sicut homo sine
18 culpa legem materialiter violare potest, vt v.g. rem alienam ob inculpatam ignorantiam auferendo, ita etiam sine merito legem materialiter implere poterit, vt apparet in exemplis iam suprà positis, & in eo, qui à carnis esu, vel ab altera refectione se abstinet, eo quod per vim ab aliis id facere prohibetur, quamuis quædam præcepta versentur circa actiones, quæ in executione sui voluntarium & liberum intrinsecè inuoluunt, vt propterea à dormiente, ebrio, vel coacto, &c. non possint adimpleri. & sic nec possit ab illis legi satisfieri. Quò spectant exempla suprà posita de auditione Missæ, de recitatione Officij, &c. quæ voluntariam animi attentionem requirere videntur.

SECTIO XIV.

CASVS TERTIVS.

An casu, quo præceptum sub excommunicatione, vel alia iuris pœna sit impositum, is qui inuitus vel coactus illud implet, eam euitet?

SVMMARIVM.

1 *Opus ab Ecclesia præceptum, si spectata intentione legislatoris in executione non requirat concursum actionis voluntariæ, is qui illud coactus exequatur, euitat censuram, ac pœnam, vt si v.g. decimarum, vel primitiarum solutio sub pœna excommunicationis præcipiatur, & aliquis vi ductus illas soluat.*

2 *Opus ab Ecclesia præceptum, si spectata eius intentione in executione reali intrinsecè requirat concursum actionis voluntariæ, sicut contingit in auditione Missæ, &c tunc is qui inuitus, vel coactus Missæ interest, videtur pœnam impositam non euitare.*

3 *Qui opus qualecumque sub censura prohibitum inuitus intermittit, pœnam impositam euitat, vt si v.g. sub pœna excommunicationis interdictum sit alicubi vesci carnibus in diebus prohibitis, & quis per vim ab iis vescendis in iis diebus arceatur, quia leges pœnales intelliguntur secundùm effectum realem consummatum.*

4 *Metu quamuis graui ductus, si opus, quod in præcepto est, exequatur, censuram euitat, quia satisfacit, & præceptum implet formaliter, vt si v. g. puer metu magistri motus Missam die festo attentè audiat.*

5 *Metus non tollit voluntarium, seu liberum simpliciter, sed tantùm secundùm quid.*

6 *Puer, si metus sit causa principalis audiendi Missam die festo, ita vt expressam intentionem habeat non audiendi missam, si magister abesset: Item etiam, si oblectatio piscium sit causa principalis ieiunandi, ita vt si iam bonos pisces non haberet, non ieiunaret, implent quidem ij opus ab Ecclesia præceptum, sed peccant interno affectu contra Religionem, vel virtutem temperantiæ, cuius intuitu lex ab Ecclesia lata fuit.*

8 *Qui pœnitet sine rationali causa, quod Missam die festo audierit, vel quod sine bonis piscibus ieiunium seruauerit, peccat non contrà opus præceptum, sed contrà Religionem, & virtutem temperantiæ, quia Ecclesiæ lex directè tantum præcipit attentam Missæ auditionem, & eadem lex cum præcipit Missam audiri, ieiunare, &c. indirectè efficit, vt propositum tam absolutum, quam conditionatum, quin etiam simplex affectus non audiendi Missam, si non tollat malitiam obiecti, sit prohibitus.*

RESpondetur ex dictis: Si opus ab Ecclesia præceptum, spectata intentione legislatoris, in executio- 1
ne non requirit concursum actionis voluntariæ, is qui illud coactus exequitur, euitat censuram, ac pœnam; vt si v g. decimarum, vel primitiarum solutio sub pœna excommunicationis præcipiatur, & aliquis vi ductus illas soluat; Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 13. *num.* 6. & alij passim.

Quod si autem opus ab Ecclesia præceptum, spectata
eius intentione, in executione reali intrinsecè requirit 2
concursum actionis voluntariæ, sicuti contingit in auditione Missæ, &c. Tunc is, qui inuitus, vel coactus Missæ interest, videtur pœnam impositam non euitare, Sanch.

Sanchez *loco supra citato*, & Salas *disput.* 9. *section.* 2. *num.* 14. Contra Sotum *lib.* 2. *de iust. & iur. quaest.* 3. *art.* 9. & alios.

3 Caeterum is qui opus qualecumque sub censura prohibitum inuitus intermittit, poenam impositam euitat, vt si verbi gratia sub poena excommunicationis interdictum sit alicubi vesci carnibus in diebus prohibitis, & quis per vim ab iis vescendis in iis diebus arceatur, Sotus *loco supra cit.* Suarez *cit. c.* 16. contra Medinam *cit. quaest.* 100. *art.* 9. Ratio est, quia leges poenales, vti dicebam, intelliguntur secundum effectum realem consummatũ, loquutus sum autem suprà de inuito seu coacto:

4 Nam qui metu, quamuis graui ductus, opus quod in praecepto est exequitur, is censuram euitat, quin satisfacit & praeceptum implet formaliter: vt si verbi gratia, puer metu Magistri motus Missam die festo attentè audiat.

5 Ratio est, quia metus non tollit voluntarium seu liberum simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Atque ita docent Sotus *cit. lib.* 2. *quaest.* 1. *art.* 9. Sanchez *citato cap.* 13. *num.* 7. Salas *citata sect.* 2. Suarez *part.* 3. *tom.* 3. *disput.* 88. *sect.* 3. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 12. *quaest.* 9. quamis contrarium sentiat S. Antonin. 1. 2. *tit.* 9. *cap.* 10. §. 2.

6 Dices, quid si metus sit puero causa principalis audiendi Missam die festo, ita vt expressam intententionem habeat non audiendi Missam si magister abesset? Item quid, si oblectatio piscium sit causa principalis ieiunandi, itavt si quis tam bonos pisces non haberet, nollet ieiunare.

7 Respondetur, in his casibus totum opus quod ab Ecclesia praecipitur, impleri, peccari tamen interno affectu contra Religionis, vel temperantiae virtutem, cuius intuitu lex ab Ecclesia lata fuit. Ratio est, quia Ecclesiae lex directè tantùm praecipit attentã Missae auditionem (simile quid dico de opere ieiunij) quam si puer praestat, opus totum ab Ecclesia praeceptum implet, itavt non teneatur aliam Missam audire, &c. At eadem lex, dum praecipit Missam audiri, indirectè efficit, vt propositum tam absolutum quàm conditionatum, quin etiam simplex affectus non audiendi Missam, si non tollat malitiam obiecti, sit prohibitus, atque adeò malus moraliter. Sed qui propositum istud habet: si magister abesset, vellem negligere Missam; vel si tam bonos pisces non haberem, vellem non ieiunare, is interno affectu versatur circa obiectum prauum & lege prohibitum, neque tollit malitiam obiecti: ergo committit peccatum internum contra Religionis, vel Temperantiae virtutem ab Ecclesiastica lege praeceptam, quam legislator per suam legem hic & nunc ex iusta causa potest inducere, vti supra dicebam.

8 Simili ratione peccat is, quem postea sine rationabili causa poenitet, quod Missam die festo audierit, vel quod sine bonis piscibus ieiunium seruauerit. Suarez *lib.* 3. *de legibus, cap.* 13. *n.* 9. & *lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 1. Et habetur in *cap. Nulli, distinct.* 19. ibi: *Nulli fas est, vel velle, vel posse transgredi Apostolicae Sedis praecepta.*

SECTIO XV.

Casus Quartus.

An cùm lex Ecclesiastica praecipit externam orationem, praecipiat etiam consequenter internam animi intentionem, seu mentis in Deum eleuationem. Item cùm praecipit Sacramentalem confessionem, praecipiat etiam consequenter internam animi contritionem, vel saltem attritionem, &c.

Summarium.

1 *Lex Ecclesiastica cùm praecipit externam orationem, praecipit etiam consequenter internam animi intentionem, seu mentis in Deum eleuationem, quia essentia coorationis nequit consistere sine interna animi attentione.*

2 *Lex Ecclesiastica cùm praecipit sacramentalem Confessionem; praecipit etiam consequenter internam animi contritionem, vel saltem attritionem; quia neque essentia Sacramenti confessionis potest consistere sine interno animi dolore, & proposito non ampliùs peccandi.*

3 *Superior cum praecipit Sacerdoti vt sacrificet, vel sacramentum ministret, praecipit etiam consequenter, vt habeat internam intentionem sacrificandi, baptizandi, vel à peccatis absoluendi; quia alioquin Ecclesiae ministri non verè, sed simulatè orarent, & sacramenta ministrarent, &c.*

4 *Contrarium videtur non improbabiliter saltem ab extrinseco, dummodò adsit attentio, & deuotio externa, ad quam solùm, inquiunt Aduersarij, potest Ecclesia suos subditos obligare.*

5 *Sacrilegus in sententia aduersariorum implet praeceptum annuae confessionis, licèt eam praemittat voluntariè, inualidam contrà ius diuinum, & vitat etiam poenam excommunicationis, si ea imposita sit per constitutionem Episcopi contra non confitentes semel in anno.*

6 *Idque etiamsi absolutio, vel ob defectum contritionis confitentis, vel ob defectum, aut malitiam confessarij, non conferatur.*

7 *Legislator, aut Praelatus non potest sub peccato similiter obligare subditos ad habendam intentionem; vel aliam dispositionem accidentalem, seu non pertinentem ad substantiam moralem operis praecepti, v.g. vt ieiunia, & orationes fiant in statu gratiae.*

8 *Excipe Praelatos Regulares, qui maiorem in subditos suos potestatem habent ratione voti obediendi Praelato, quod habent subditi in omnibus, quae secundum Regulam, vel Ordinis consuetudinem sibi praecipiuntur.*

9 *Discrimen est inter Regularium obligationem ex voto obedientiae, & inter obligationem aliarum personarum ex lege ciuili, vel Ecclesiastica, quia lex quae fundatur in iurisdictione solùm, data est quantum expedit ad bonum communitatis, & consequenter solùm ad actus externos; At praeceptum Regularium fundatur in voluntate, pacto, & promissione vouentis.*

10 *Dispensatio concessa in matrimonio ab Ecclesia cum clausula, Si factum non fuerit sub spe dispensationis, si reuera factum fuerit sub spe dispensationis, nihilominus est valida, dummodò spes non fuerit manifestata.*

11 *Voti materia latiùs se habet, quàm materia legis, cùm votum maximè sit de consiliis, de quibus non est lex.*

12 *Potestas absoluendi tam à peccatis internis, quàm externis, potest limitari, seu cum restrictione conferri, & consequenter peccata mortalia externa, & etiam peccata mortalia interna possint reseruari; quamuis in vsu non sit, neque expediat, vt reseruentur etiam peccata interna, quia peccatorum internorum reseruatio non ita est necessaria ad gubernationem Ecclesiae, cùm ea potissimum spectare debeat externum.*

13 *Homo est sui iuris in iis quae ad naturam corporis conseruandam, & propagandam spectant, & alteri homini non subditus, sed soli Deo: quia omnes homines naturâ sunt pares in iis quae pertinent ad corporis conseruationem, & Prolis generationem.*

14 *Serui dominis, & filij parentibus in matrimonio contrahendo, vel virginitate seruanda, & similibus non tenentur obedire.*

15 *Subditus tenetur suo superiori obedire in iis, quae pri-*

pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, secundum rationem & qualitatem superioritatis. Vt miles duci in iis, quæ spectant ad militiam, &c.

1 REspondetur ex dictis affirmatiuè, quia neque essentia orationis potest consistere sine interna animi attentione.

2 Neque essentia sacramenti confessionis potest consistere sine interno animi dolore, & proposito non am-
3 plius peccandi, &c. quapropter similiter, cùm superior præcipit sacerdoti vt sacrificet, vel sacramenta ministret, præcipit etiam consequenter, vt habeat internam intentionem sacrificandi, baptizandi, vel à peccatis absoluendi, &c. quia alioquin Ecclesiæ Ministri non verè, sed simulatè orarent, & sacramenta ministrarent. Tum fideles omnes non verè, sed per fictionem Sacramenta peterent, atque adeò præcepto Ecclesiæ non satisfacerent.

Atque ita docent Maior *in 4. dist. 19. q. 7.* Caietanus *2. 2. q. 83. art. 3.* & 10 Summa *verbo Hora, §. Ad tertium,* Sot. *de iust. lib. 10 q. 5. art. 5.* Nauarr. *tract. de orat. cap. 13. n. 18. 19. & 20.* Suarez *tom 2. de Relig. lib. 4 de horis canon. cap. 16. & lib. 3. de legib. cap. 5. n. 10.* Lessius *lib. 2. de iust & iur. cap. 37. dub. 11. n. 67.* Azor. *tom. 1. lib. 10. cap. 8. q. 7. & cap. 12. q. 9.* Sanch. *lib. 1. moral. cap. 11. n. 3.* & alij communiter. Idemque sentire videtur S. Thom. *in 4. dist. 15. q. 4. art. 2. quæstiunc. 4. ad 2.*

4 Quamuis contrarium, & non improbabiliter, saltem ab extrinseco (dummodò adsit attentio, & deuotio externa, ad quam solùm, inquiunt aduersarij, potest Ecclesia suos subditos obligare) doceant alij quamplures, & graues Doctores, vt Gloss. *in Clement. 1. de celebrat. Missarum, verb. fructuum,* Durand. *in 4. dist. 15. q. 12.* Palud. *ibidem q. 5. art. 2. concl. 4.* S. Anton. *par. 3. tit. 13. cap. 4. §. 7.* (vbi pro ista sententia affert Ostiensem, Vmbertum, & Archidiaconum.) Syluest. *verb. Hora, quæst. 11.* Rosella *eodem verbo, §. 3.* Angelus *§. 27.* Tabiena *§. 3* Medina *Cod. de orat. q. 15. & 16.* Gabriel. *in canon. Missæ, lect. 62. proposit. 1.* Coninch. *3. par. q. 83. art. 6 dub. vnic. n. 292.* & Ioannes Valerus *in differ. vtriusque fori, verb. Hora canonica, diff. 1. per totam,* qui afferunt in terminis ad hanc doctrinam explicandam exemplum, tum de præcepto recitandi horas
5 canonicas, & audiendi Missam, tum etiam de præcepto annuæ confessionis, ita vt per talem confessionem, etiam sacrilegam, nedum contra ius diuinum voluntariè inualidam, vitetur non solùm pœna excommunicationis Constitutionibus Episcopalibus contra tale præceptum annuum transgredientes imposita (vt in terminis docet Henriquez *lib. 4. cap 4. §. 1.*) sed etiam sa-
6 tisfiat præcepto Ecclesiæ de annua confessione prædicta facienda; Idque etsi absolutio, vel ob defectum contritionis confitentis, vel ob defectum, aut malitiam Confessarij, non conferatur, sicuti præter alios docent Palud *in 4 dist. 17. q. 7.* Gabriel *ibidem q. 1. art. 3. dub. 5.* Syluester *verb. Confessio 4. n. 3. in fine,* & Victoria *n. 163.* Contra Gugliel. Parisiens. *de sacram pœnit. cap. 14.*

7 Non potest tamen legislator, aut Prælatus sub peccato similiter obligare subditos ad habendā intentionem, vel aliam dispositionem accidentalem, seu non pertinentem ad substantiam moralem operis præcepti, v. g. vt ieiunia, vel orationes fiant in statu gratiæ, vel vt orationes, vel sacrificia Deo offerantur ad aliquam particularem intentionem, quia non militat hic eadem ratio, sed potius diuersa, atque ita tenent Suarez *lib. 4. de leg. cap. 13. n. 16.* & *de censur. disput. 6. sect. 3. n. 20.* & alij.

8 Excipe Prælatos Regulares, qui maiorem in subditos suos potestatem habent, ratione voti obediendi Prælato, quod habent subditi in omnibus quæ secundùm regulam, vel Ordinis consuetudinem sibi præcipiuntur, qua de re Suar. *in cit. lib. 4. de leg. cap. 12. in fine,* Vbi rectè monet, discrimen esse inter obligationem
aliarum personarum ex lege ciuili, vel Ecclesiastica, 9
quia lex fundatur in iurisdictione quæ solùm data est, quantum expedit ad bonum communitatis, & consequenter solùm ad actus externos, quare si concedatur v.g. ab Ecclesia dispensatio in matrimonio, si factum
non fuerit sub spe dispensationis obtinendæ, vel sub 10
intentione contrahendi cum coniuge coniugis mortui, aliter dispensatio concessa sit nulla, locum id habet tantùm, si spes, vel intentio prodierit in externum, quia, si non prodiit in externum, licet interuenerit in interno, non officit dispensationi prædicto modo concessæ, sicuti rectè notauit Hurtad. *de matrim. disput. 3. diffic. 1. & disp. 26. diff. 5.* At præceptum Prælati Regularis fundatur in voluntate pacto, seu promissione vouentis, quæ quia principaliter fit Deo, & ab ipso vouente, fieri
potest etiam de actu mere interno. Accedit, quod ma- 11
teria voti latius se habet, quàm materia legis, cùm votum, maximè sit de consiliis, de quibus non est lex.

Simili ratione dicendum, quod quia iurisdictio non 12
minùs ad absoluendum à peccatis internis, quàm ab externis, conueniente ordine à superioribus ad inferiores Confessarios descendit, vtraque potestas possit limitatè, seu cum restrictione conferri, & consequenter non solùm peccata mortalia externa, sed etiam peccata mortalia interna possint reseruari: quamuis in vsu non sit, neque expediat, vt reseruentur etiam peccata interna, quia peccatorum internorum reseruatio non ita est necessaria ad gubernationem Ecclesiæ, cùm Ecclesia potissimùm spectare debeat externum; qua de re Maior *in 4. dist. 17. q. 5.* Bartol. Medina *lib. 1. instruct. cap. 10.* Graff. *part. 1. decis. lib. 1. cap. 15. n. 71.* Llamas *par. 1. method. cap. 7. §. 14.* Suarez *de pœnit. disput. 29. sect. 3.* Henriq. *lib. 6. cap. 14. §. 3.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. n. 4.* & Coninch *de pœnit. disput. 8. dub. 11.*

Cæterùm quoad ea, quæ ad naturam corporis con- 13
seruandam, & propagandam spectant, homo est sui iuris, & alteri homini non subditus, sed soli Deo, atque ita docet S. Thom. *2. 2. q. 105. art. 5. in corpore.* Ratio est, quia omnes homines natura sunt pares in iis,
quæ pertinent ad corporis conseruationem, & prolis 14
generationem. Vnde non tenentur serui dominis, nec filij Parentibus, obedire in matrimonio contrahendo,
vel virginitate seruanda, vel simili: in iis tamen, quæ 15
pertinent ad dispositionem actuum, & rerum humanarum, tenetur subditus suo superiori obedire secundùm rationem, seu qualitatem superioritatis, v. g. Miles exercitus Duci, in iis quæ pertinent ad bellum, seruus domino in iis, quæ pertinent ad opera seruilia, filius Patri in iis, quæ pertinent ad disciplinam vitæ, & curam domesticam.

SECTIO XVI.

Exempla, in quibus Hæreticorum pœnæ non incurruntur, ex eo, quod hæresis interna non sufficienter explicetur, vel consummetur in externo.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum pœnas non incurrit, qui intus assentiens huic hæresi, v. g. Christus non est homo, solùm proferat ista verba: Non est homo, quia hæc verba non sufficienter hæresim explicant in externo, non exprimens de quo subiecto loquatur, nisi forsan id ex adiunctis colligi possit.*

2 *Hæreticorum pœnas non incurrit qui hæresim in mente detentam scribit characteribus, qui à nemine quàm à seipso possint intelligi, ita vt ex tali scriptura ab Ecclesia conuinci non possit.*

3 *Hæreticorum pœnas non incurrit, qui interiùs hæreticus exteriùs moueat caput; vnde nemo possit,* colligere

colligere id ipsum facere ad hæresim profitendam, nisi priùs dixisset.

4 *Hæreticorum pœnas non incurrit similiter interius hæreticus, si libros hæreticorum legentem audiat, vel libros eorum imprimat, vel imprimi faciat, vt hæreticis in eorum hæresi fauorem præstet, quia huiusmodi signa passim communia sunt.*

5 *Item neque incurrit qui interius hæreticus recitatiuè solum hæresim suam profert, dicendo, in mente habui talem hæresim; nisi de præsenti ex circumstantiis colligi possit te eam habere.*

6 *Neque incurrit, etsi meritò puniri potest, si similiter interius hæreticus, dicas te hæresim quandam aliquando sectatum fuisse, vel propositum habere illam sectandi; quia nec in tali casu præsentem hæresim indicas, sed tantùm præteritam, vel propositum futuræ.*

7 *Neque incurrit, si hæresim quam in animo conceptam habet, in somno, vel ebrietate proferas, quia hæresis consistit, & perficitur in intellectu, per signa autem exteriora solùm manifestatur: Et consequenter prolatio dogmatis hæretici non est peccatum externum hæresis, nisi ab interna intellectus hæresi procedat, & exprimatur, quod fieri non potest in ebrio, &c.*

8 *Homicidium verò consistit & perficitur in externo opere, consequenter est verum peccatum homicidij, tametsi fiat ab ebrio, qui tunc nihil aduertit; dummodò aduerterit priùs.*

9 *Hæreticorum pœnas neque incurrit, si pariter interius hæreticus, reuera non dormiens, sed fictione somni occulta per se, & purè mentali, nullo signo eam probabiliter indicante significata, somnum fingens, ita vt omnes adstantes sibi persuadeant dormire, hæresim suam internam exteriùs proferat.*

10 *Neque simulans amentiam incurrit hæreticorum pœnas, licet hæresim suam proferat; vt quamuis in externum eam proferat, hæreticus tamen ex verbis ipsius non intelligatur.*

11 *Neque etiam incurrit is, qui similiter interius hæreticus hæreses suas internas profert in comœdia hæretici personam agens; cum ex circumstantiis comœdia per se hæreticus non appareat.*

12 *Limita, saltem esse, si quis humano modo posset prudenter colligere tales homines non dormire, non insanire, non comœdiam reuera agere, sed simulare, absque dubio hi sunt tunc hæretici externi, & Bullæ Cœnæ pœnas, ac reseruationem incurrunt; quia tunc hæresis esset occulta per accidens, non autem occulta per se.*

QVoad hæc tamen exempla vide, quæ dicebam suprà *corollario* 10. *in princ.* & quæ dicebam etiam suprà *dub.* 12.

1 Primò igitur ex dictis hæreticorum pœnas non incurris, si totus assentiens huic hæresi v. g. *Christus non est homo*, solùm proferas ista verba, *non est homo*, quia hæc verba non sufficienter hæresim explicant in externo, ita vt Ecclesia de ea cognoscere & iudicare possit: quandoquidem talia verba proferens non exprimis de quo subiecto loquaris; nisi forsan id ex adiunctis colligi possit. sicuti notauit Castr. *lib.* 5 *de hæret. punit. cap.* 18, Vasq. *tract. de beneficiis cap* 4. *num.* 90. & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 8. *num.* 8. & 10.

2 Secundò hæreticorum pœnas non incurris, si hæresim in mente detentam scribas caracteribus, qui à nemine, quàm à te ipso possint intelligi, ita vt ex tali scriptura ab Ecclesia conuinci, vel iudicari non possit.

3 Tertiò neque incurris, si interiùs hæreticus, exteriùs moueris caput; vnde nemo possit colligere, id te facere ad hæresim profitendam: Nisi priùs dixisses, te ad illam profitendam vti velle huiusmodi signo,

quia tunc per id iam satis eam explicuisses.

Quartò neque incurris, si similiter interiùs hæreticos libros hæreticorum legentem audias, vel libros eorum imprimas, vel imprimi facias, vt hæreticis in eorum hæresi fauorem præstes; quia huiusmodi signa cum passim communia sint inter hæreticos, & catholicos, ad hæresim internam explicandam non sunt sufficientia. 4

Quintò neque incurris, si etiam interiùs hæreticus recitatiuè solùm hæresim tuam proferas, dicendo: In mente habui talem hæresim, nisi ex circumstantiis colligi possit, adhuc de præsenti te talem hæresim in mente fouere. 5

Sextò neque incurris, etsi meritò puniri possis, vti docet Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 31. Azor. *tom.* 1, *lib.* 8. *cap* 10. *quæst.* 6 Simanch. *de cathol. institut. tit.* 42. *num.* 9. & 10. & Sanch *cit. cap.* 8. *num.* 21. & 22. si similiter interiùs hæreticus dicas, te hæresim quandam aliquando sectatum fuisse, vel propositum habere illam sectandi, quia nec in tali caso præsentem hæresim indicas, sed tantùm præteritam, vel propositum futuræ, cum quo rectè consistere potest, vt ita loquens veram de præsenti fidem retineas: Sanchez *cit. n.* 21. & alij. 6

Septimò neque incurris, si hæresim, quam in animo conceptam habes, in somno, vel ebrietate proferas; quia magnum discrimen est inter homicidium, furtum, & similia peccata, quæ consummantur opere externo, & inter hæresim, cuius materia consummatur in interno: Nam qui in ebrietate hominem occidit v. g. cum sciret, se in ebrietate rixari, & verberare consueuisse, & propterea à vino abstinere se debere, irregularitatem, excommunicationem, & alias pœnas incurrit, non sic easdem pœnas, vel similes incurrit, qui in ebrietate hæresim profert, licèt sciœrit, se, cum ebrius est, de fide disputare, & hæreticas suas opiniones proferre. Ratio discriminis est, quia hæresis consistit, & perficitur in intellectu, per signa autem exteriora solùm manifestatur; consequenter prolatio dogmatis hæretici non est peccatum externum hæresis, nisi ab interna intellectus hæresi procedat, & exprimatur: At in ebrio non procedit ab hæresi interna, seu mentali, sed solùm ex imaginatione, & consuetudine: Ergo &c. Homicidium verò consistit & perficitur in externo opere; consequenter est verum peccatum homicidij, tametsi fiat ab ebrio, qui tunc nihil aduertit; dummodò aduerterit prius, cum causam præbuit, ob quam indirectè, & imputatiuè censetur ipsi homicidium voluntarium. 7 8

Octauò neque pœnas hæreticorum incurris, si similiter interiùs hæreticus, re vera non dormiens, sed fictione somni occulta per se, & purè mentali, nullo signo eam probabiliter indicante significata, somnum fingens, ita vt omnes adstantes sibi persuadeant, te dormire, hæresim tuam internam exteriùs proferas. 9 Sicut neque incurrit is, qui hæresim suam profert, amentiam sic aptè simulans, vt quamuis in externum eam proferat, hæreticus tamen ex verbis ipsius non colligatur. 10 Nec etiam incurrit is, qui similiter interius hæreticus hæreses suas internas profert in comœdia, Hæretici personam agens; cum ex circumstantiis comœdiæ per se hæreticus non appareat, in quo satis differt ab hæretico externo; siquidem hæreticus externus ad summum est occultus per accidens, cùm si pro hæretico non cognoscatur ab aliis, fit ex defectu audientium, non ex defectu sui. At in casu nostro non est ex defectu audientium, sed ex defectu sui, loquitur enim in circumstantiis, in quibus non manifestantur hæreses ipsius, sed potius eius, cuius personam in comœdia agit: ergò. 11

Quod vlteriùs probatur, quia sicuti signa imperfecta solent ex circumstantiis hæresim, & animum occultum perfectè significare, ita è contra signa perfecta possunt ob circumstantias eadem occultare.

Confirmatur, quia nemo, quamuis studio fidei flagret,

gret, hæresim suspicatur in loquente, quem dormire, vel insanire credit, vel agere comœdiam videt, sed omnia verba illius cum risu recipit: At, vt hæresis sit externa, requiritur, quod ex signo aliquo possimus illam, tanquam quandam rem exteriùs significatam, prudenter colligere: Nam, si non per accidens, sed per se nequimus mentem loquentis hæreticam interpretari, hæresis est per se occulta & interna.

12 Interim tamen dicendum arbitror, quod si quis humano modo posset prudenter colligere tales homines non dormire, non insanire, non comœdiam reuera agere, sed simulare, absque dubio hi sunt tunc hæretici externi, & Bullæ Cœnæ pœnas, ac reseruationem incurrant. Ratio, quia tunc hæresis esset occulta per accidens, non autem, sicuti nunc est in casibus positis, occulta per se. Videri poterit Henriq. *lib.6.cap.14.n.6. littera I.* Castr. *de iust.heretic.punit.cap.18.* Azor.*lib.8. cap.10. quæst.6.* Granad. *in 2. 2. controuerſ.1. tract.15. diſp.13.n.14.* Simanch. *de cathol.instit. tit.42.n.10.* & Merolla *tom.1.diſp.1.cap.2.num.387.& 401.*

At de hac tota dubitatione vide quæ dicam infrà *dub.49. Petitione 4.*

SECTIO XVII.

COROLLARIVM VNDECIMVM.

Quid dicendum de eo, qui actu consummauit hæresim perfectè in interno, eandem tamen, licet aliquo modo, non tamen omni modo perfectè actu consummauit in externo?

SVMMARIVM.

1 *Qui actu consummauit heresim perfectè in interno, eandem tamen, licet aliquo modo, non tamen omni modo perfectè consummauit in externo, non incidit in pœnas hereticorum, & absolui ideò potest à quolibet approbato confessario, nisi casus sit reseruatus Episcopo, vel Inquisitori.*

2 *Censura quotiescumque in iure propter aliquod delictum fertur, semper, nisi aliud exprimatur, intelligi debet de delicto in genere suo ex omni parte perfectè consummato.*

3 *Attentans percutere Clericum, si in affectu non percutit illum, vel quia errauit in persona, vel quia detentus fuit ab aliquo, non contrahit excommunicationem Canonis si quis suadente diabolo.*

4 *Qui percutit, vulnerat, vel mutilat aliquem, si non sequitur mors, non contrahit censuram ob homicidium latam, quousque sequatur mors; adeò quod si nunquam sequatur mors, quamuis impedita miraculosè, nunquam censuram contrahit.*

5 *Scribens ad aliquem, v.g. ad Monialem, non contrahit censuram latam ob scribendum ad illum quousque perueniat ad illum scriptura, quia tunc solùm opus scribendi consummatum censetur.*

6 *Consulens, vel mandans opus, cui est annexa censura, censuram non contrahit; quamuis ex consilio, vel mandato sequatur opus, nisi censura etiam ad consulentes vel mãdantes extendatur; quia qui consulit, vel mãdat opus, physicè, & in rigore non efficit opus.*

7 *Censura quamuis feratur etiam ob consilium, vel mandatum, adhuc non contrahitur, nisi sequatur opus, & non antequam sequatur opus, & propterea ex consilio vel mandato sequatur opus, non autem aliundè.*

8 *Excipe, nisi censura principaliter feratur etiam ob consilium, vel mandatum ad opus, quia tunc statim dato consilio, vel mandato censura contrahitur, etiam antequam sequatur opus; quin & quamuis nunquam sequatur opus.*

9 *Mandantes aliquem occidi per assassinos incidunt statim in pœnam cap. de homicidio in 6. quamuis nunquam sequatur homicidium per assassinos; quæ excommunicatio non ampliùs nunc locum habet.*

10 *Religiosi mendicantes, qui animo scilicet exterius expresso retrahendi populum à solutione decimarum aliquid in concionibus docent, statim excommunicati sunt, licet à solutione decimarum populus non retrahatur in effectu.*

11 *Excommunicatio fertur in Bulla Gregorij XIII. aduersus eos, qui cum aliquo influxu vel affectu consulunt aliquibus duellum, quam excommunicationem licet non contrahant principales, nisi sequatur duellum, contrahunt tamen consulentes etiamsi non sequatur duellum, dummodò ex vi consilij ipsorum secutus fuerit accessus vtriusque principalis ad locum destinatum duello.*

12 *Hereticorum pœnas non incurrit, qui heresim suam manifestat solum ad petendum consilium, vel ad illam explicandam confessario: Neque qui heresim suam inter peccata scribit, vt eam confessionis Sacramento subiiciat; quia tales actus non sunt moraliter mali.*

13 *Neque pœnas hereticorum incurrit, qui heresim suam iocosè tantùm, & non assertiuè profert, ita scilicet vt de ipso heresis præsumi non possit.*

14 *Neque incurrit, qui heresim suam profert indeliberatè, eo quod ab que vlla aduertentia, quia huiusmodi actus non est humanus.*

15 *Neque incurrit qui profert etiam cum aliqua deliberatione, quæ tamen sola sufficiat ad peccatum veniale, non autem ad mortale.*

16 *Neque incurrit qui tantum prodit per opus externum, quod præscindendo ab actu interno, peccatum mortale non est, vt si quis motus heresi interna comedit in diebus prohibitis carnem in modica quantitate, quæ non sufficiat ad peccatum mortale, &c.*

17 *Præceptum Ecclesiæ de non vescendo carnibus est negatiuum, & præceptum naturale de non furando negatiuum est, & tamen sicut in isto excusat à mortali pecato paruitas materiæ, debet etiam excusare in illo, non enim maior est obligatio præcepti positiui, quàm naturalis.*

18 *Hereticorum pœnas non incurrit in sententia prædictorum, qui signa dat internæ heresis in quantitate tam leui, vt ex se sufficiens non sit ad peccatum mortale, siquidem excommunicatio & reseruatio non est de peccato mortali interno sumpto solitariè; sed de peccato mortali interno, prout est coniunctum cum mortali externo, quod explicet externum.*

19 *Percussor clerici, si percussio sit leuis, non incurrit excommunicationem Canonis si quis suadente diabolo.*

20 *Doctrina prædictorum authorum & exemplum totaliter, & vniuersim non omninò probatur, quia fieri potest, vt aliquando tales circumstantiæ concurrant, vt etiam modica carnis comestio sit sufficiens protestatio heresis internæ. Vt si v. g. inter alios cibos proponatur caro hac expressa intentione, vt Lutherani à Catholicis discernantur.*

21 *Occultus hereticus si sine contraria protestatione vel modicum carnis comedat, quamuis peccet solum venialiter aduersus Ecclesiasticam legem ex motiuo temperantiæ latam, peccat tamen moraliter, & excommunicationem incurrit, quatenus heresim suam sufficienter explicat, ac profitetur.*

22 *Lutheri heresim intus occultè fouens, si idcircò à Missæ sacrificio, vel sacra communione se abstineat, vel coram sanctissimo Sacramento genu non flectat, vel caput non denudet, si attentis circumstantiis personæ, loci, temporis, &c. talis omissio censeri possit virtualis professio sectæ hereticæ, excommunicationem incurrit, secus autem si circumstantiæ adsint, propter quas alicui iusta excusationi talis omissio adscribi possit.*

Lutheri

23 *Lutheri hæresim intùs tenens, si die ab Ecclesia interdicto carnem comedat, & ex circumstantiis personæ, loci, & temporis determinari possit, quod id faciat ad heretica sectæ professionem; hereticus censetur, & excommunicationem incurrit.*

1 Respondetur ex dictis, quod neque talis incidat in pœnas hæreticorum, & consequenter (modo, quo suprà dicebam) absolui possit à quolibet approbato Confessore.

Probatur ex dictis etiam; quia censuræ, & pœnæ delictum aliquod afficientes, cum, vtpotè odiosæ, strictam habeant interpretationem, non contrahuntur, nisi ob delictum verum, & ex omni parte perfectè consummatum. Accedit quod Ecclesia magis attendit externum, quàm internum, vt suprà etiam dicebatur.

Atque ita docent Suarez *de censur. disp. 4. sect. 3. n. 4.* Corduba *lib. 4. q. 13.* Simanch. *de catholic. instit. tit. 42. n. 9.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 11. quæst. 5.* Auila *part. 2. cap. 5. disp. 3. dub. 5. praeposit. in 3. part. quæst. 1. de censur. in communi dub 6. n. 45.* Sanch. *de matrim. lib. 3. disp. 1. n. 5. & lib. 2. moral. cap 8. n. 7. & seqq.* Sà *verbo hæres. n. 2.* & Becanus *de fide cap. 15. quæst. 1. n. 8.*

2 Quotiescumque igitur in iure fertur censura propter aliquod delictum, semper (nisi aliud exprimatur) intelligi debet de delicto in genere suo ex omni parte perfectè consummato: Atque ita colligitur etiam *ex cap. perpetuæ sanctitatis, de elect. in 6.* vbi dicitur, quod scienter eligentes indignum non incurrant iuris pœnas, nisi adeò in eo perstiterint, vt ex votis ipsorum electio in effectu sequatur. Vndè & dici consueuit, quod lex imponens pœnam strictè sit interpretanda; quia odia sunt restringenda.

3 Hinc, qui attentat percutere Clericum, si in effectu non percutit illum, vel quia errauit in persona, vel quia detentus fuit ab aliquo, non contrahit excommunicationem Canonis *si quis suadente diabolo.*

4 Item, qui percutit, vulnerat, vel mutilat aliquem, si non sequitur mors, non contrahit censuram ob homicidium latam, quovsque sequatur mors; adeò quod, si nunquam sequitur mors, quamuis impedita miraculosè, nunquam censuram contrahit; quia quamuis ante mortem actio mortis ex parte delinquentis sit consummata, consummata tamen non est, prout significatur nomine homicidij, quod propriè sumptum significat actionem delinquentis, quatenus coniunctam cum morte.

5 Item, qui scribit ad aliquem (v. g. ad monialem) non contrahit censuram latam ob scribendum ad illum, quovsque perueniat ad illum scriptura; quia tunc solum opus scribendi consummatum censetur.

6 Item, qui consulit, vel mandat opus, cui est annexa censura, censuram non contrahit, quamvis ex consilio vel mandato sequatur opus, nisi censura etiam ad consulentes, vel mandantes extendatur, quia qui consulit, vel mandat opus, physicè & in rigore non efficit opus.

7 Quin addo, quod, quamuis censura feratur, etiam ob consilium, vel mandatum, adhuc censura non contrahitur, nisi sequatur opus, & non ante quàm sequatur opus, & prætereà ex cõsilio, vel mandato sequatur opus,

8 non autem aliundè: Excipe nisi censura principaliter feratur etiam ob consilium, vel mandatum ad opus, quia tunc statim, dato consilio, vel mandato, censura contrahitur, etiam antequam sequatur opus, quin & quamuis nunquam sequatur opus: quia in tali casu, etiamsi non sequatur opus, consummatum est mandatum, vel consilium ad opus: quod consilium, vel mandatum principaliter etiam annexam censuram habet, sicut & opus.

9 Sic fertur excommunicatio *in cap. de homicidio in 6.* aduersus eos, qui mandant aliquem occidi per assassinos; quapropter tales mandantes statim dato mandato, excommunicationem incurrunt quamuis nunquam sequatur homicidium per assassinos. Hæc tamen excommunicatio non ampliùs nunc locum habet.

Sic etiam fertur excommunicatio in *Clement. de pœnis, cap. 1.* contrà Religiosos mendicantes, qui animo, scilicet externis expresso retrahendi populum à solutione decimarum aliquid in concionibus docent: Nam ideò statim excommunicati sunt, licet à solutione decimarum populus non retrahatur in effectu. 10

Sic etiam tandem fertur excommunicatio in Bulla Gregorij XIII. aduersus eos, qui cum aliquo influxu, vel effectu consulunt aliquibus duellum; quam excommunicationem licet non contrahant principales, nisi sequatur duellum, sicut ex probabili sententia Doctorum docent Sanchez *lib. 2. moral. cap. 49.* & Megalius *in 3. part. lib. 4. cap. 4. quæst. 2.* contrahunt tamen consulentes, etiamsi non sequatur duellum, dummodo ex vi consilij ipsorum secutus fuerit accessus vtriusque principalis ad locum destinatum duello, secus si secutus non fuerit talis accessus, & dummodò per ipsos consulentes non steterit, quominùs sequatur duellum, secus, si per ipsos steterit, qua de re videri poterit Sanch. *loco suprà citato,* Filiuc. *tom. 2. tract. 15. cap. 1. quæstione 5.* & Bonacina *tomo 3. disputat. 2. quæstione 3. punct. 48.* 11

Ex dictis igitur in principio huius corollarij sequitur, quod pœnas hæreticorum non incurrit, qui hæresim suam manifestat solùm ad petendum consilium, vel ad illam explicandam confessario: Neque incurrit, qui hæresim suam inter peccata scribit, vt eam confessionis Sacramento subijciat, quia tales actus non sunt moraliter mali, quin potius laudabiles, quos propterea Ecclesia non intendit impedire, & multo minùs punire. 12

Sequitur secundò, quod neque pœnas hæreticorum incurrit, qui hæresim suam iocosè tantùm, & non assertiuè profert, ita scilicet, vt de ipso hæresis præsumi non possit; quia talis actus, vtpotè non mortiferus, tot & tantis pœnis non subijcitur. 13

Sequitur tertiò, quod neque incurrit, qui hæresim suam profert indeliberatè, eo quod absque vlla aduertentia, quia huiusmodi actus non est humanus, ac proinde talis, vt ad tantam pœnam contrahendam sufficiens sit. 14

Sequitur quartò, quod neque incurrit, qui profert etiam cum aliqua deliberatione, quæ tamen solùm sufficiat ad peccatum veniale, non autem ad mortale: neque incurrit, vt docent Henriquez *lib. 6. cap. 14. num. 6. litt. I.* Sanchez *vbi suprà num. 17.* & Hurtad. de Mendoz. *de fide vol. 1. disp. 83. sect. 5 § 21.* qui tantùm 15

16 prodit per opus externum, quod præscindendo ab actu interno, peccatum mortale non est, vt si quis, v. g. motus hæresi interna, comedit in diebus prohibitis carnem in modica quantitate, quæ non sufficiat ad peccatum mortale; quod verum est, inquiunt ipsi, tametsi singulis diebus prohibitis modicam quantitatem carnis comederet, quinimò, tametsi à principio singulis diebus prohibitis modicàm quantitatem carnis comedendi voluntatem expressam haberet. Neque obstat, subdunt iidem, quod præceptum Ecclesiæ de non vescendo carnibus sit negatiuum: Nam præceptum naturale de non furando negatiuum est, & tamen in isto excusat à mortali peccato paruitas materiæ; ergo & in illo: Non enim maior est obligatio præcepti positiuì, quàm naturalis, quare dicendum est (inquiunt iidem) quod pœnas hæreticorum non incurrat, qui signa dat internæ hæresis in quantitate tam leui, vt ex se sufficiens non sit ad peccatum mortale, siquidem excommunicatio, & reseruatio non est de peccato mortali interno, sumpto solitariè, sed de peccato mortali interno, prout est coniunctum cum mortali externo, quod explicet internum. Et confirmant, quia excommunicationem Canonis *si quis suadente diabolo*, non incurrit percussor Clerici, si percussio sit leuis, & venialis, esto mortalis existat per relationem ad prauum internum. 17 18 19

20 At hæc istorum Authorum doctrina & exemplum
taliter & vniuersim mihi non omnino probatur, quia
fieri potest, quod aliquando tales circumstantiæ con-
currant, vt etiam modica carnis comestio sit sufficiens
protestatio hæresis internæ: vt si verbi gratia inter alios
cibos proponatur caro hac expressa intentione, vt Lu-
therani à Catholicis discernantur. In quo casu occul-
21 tus hæreticus, si sine contraria protestatione vel mo-
dicum carnis comedat, quamuis peccet quidem so-
lùm venialiter aduersus Ecclesiasticam legem ex mo-
tiuo temperantiæ latam, peccat tamen mortaliter, &
excommunicationem incurrit, quatenus hæresim suam
sufficienter explicat & profitetur. Quare discrimen est
inter externum peccatum percussionis, & externum
peccatum hæresis, quod illud in praui propositi exe-
cutione, hoc verò in hæresis internæ completæ mani-
festatione consistit: sicuti præter alios rectè notauit
Viualdus *in explanatione Bullæ, casu* 1. *num.* 3. & sic re-
torquetur contra aduersarios argumentum; nempe,
quod sicut excommunicationem incurrit qui propo-
situm percutiendi Clericum sufficienter exequitur, ita
similiter incurrit etiam excommunicationem, qui hæ-
resim in interno consummatam sufficienter explicat &
profitetur: secus si explicet & profiteatur insufficien-
ter, & imperfectè, sicuti supra dicebam.

22 Sequitur quintò resolutio illius quæstionis: An ex-
communicationem incurrat, qui verbi gratia Lutheri
hæresim intus occultè fouens, idcirco à Missæ sacrifi-
cio, vel sacra Communione se abstinet, vel etiam San-
ctissimo Sacramento genu non flectit, vel caput non
denudat, &c. Respondetur enim ex dictis cum Caie-
tano 2.2. *quæst.* 11. *artic.* 4. & Azor *tom.* 1. *lib* 8. *capit.* 9.
quæst. vltima, Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. & Sanch. *lib.* 2. *moral.*
cap. 8. *num.* 6. quod si attentis circumstantiis personæ,
loci, temporis, &c. talis omissio censeri possit virtua-
lis professio sectæ hæreticæ, excommunicationem in-
currat; secus autem si circumstantiæ adsint, vt huius-
modi omissio obliuioni, vel saltem iustæ excusationi
probabiliter adscribi possit, etiamsi reuerà ex animo hæ-
retico proficiscatur.

23 Sequitur sextò resolutio illius alterius quæstionis:
An excommunicationem incurrat, qui similiter tenens
intus hæresim Lutheri, die ab Ecclesia interdicto car-
nem comedat. Respondetur enim etiam ex dictis, quod
carnis comestio in die interdicto secundum se indiffe-
rens sit, & non protestatiua hæreticæ sectæ, sed tamen
per circumstantias personæ, loci, temporis, &c. deter-
minari possit ad hæreticæ sectæ professionem, siue in
parua, siue in magna quantitate fiat, vti supra dicebam,
quamuis in magna quantitate faciliùs res locum ha-
beat. Quod forsan intelligunt Henriquez, Sanchez &
Hurtadus de Mendoza, supra distinguentes de come-
stione carnis mortifera, vel non mortifera, seu in ma-
gna, vel modica quantitate, contra præceptum Eccle-
siæ carnis comestionem prohibentis. At de tota hac du-
bitatione, vide quæ dicam infra *dubit.* 49 *petitione* 4.

SECTIO XVIII.

COROLLARIVM DVODECIMVM.

Quid dicendum de eo, qui quamuis certò con-
summauerit hæresim perfectè in interno, du-
bitat tamen, an eandem consummauerit per-
fectè etiam in externo; vel è contra, quam-
uis certò consummauerit perfectè in exter-
no, dubitat tamen, an consummauerit per-
fectè etiam in interno. Verbi gratia si certò
protulit, Spiritum Sanctum non procedere à
Filio, dubitat verò, an pro tunc in mente ita
reuerà senserit?

SVMMARIVM.

1 *Dubitans, an consummauerit perfectè hæresim in externo, qui eam in interno certò consummauit perfectè, vel è contra: verbi gratia si certò protulit, Spiritum Sanctum non procedere à Filio; dubitat verò, an pro tunc in mente ita reuerà senserit, non incidit in excommunicationem Bullæ Cœnæ, cæterasque pœnas hæreticorum.*

2 *Casus siue facti, siue iuris dubius non venit appellatione casus reseruati, cùm reseruatio sit odiosa.*

3 *Incestus impuberum, & eorum qui extra vas semen emiserunt, non censetur: & meritò, quia crimen non intelligitur nisi demonstretur, neque intelligitur nisi sit perfectè consummatum.*

4 *Conatus, vel attentatio incestus, vel homicidij non est propriè incestus, aut propriè homicidium. & ideò non venit nomine casus reseruati, secus autem est, si ipsa criminis attentatio expressis verbis reseruetur, quia de peccatis etiam internis reseruatio fieri potest.*

5 *Casus, si dubium sit, an sit reseruatus, absolui potest etiam à Confessariis qui non habent potestatem super casus reseruatos: quia cùm reseruatio odiosa sit, strictè interpretanda est.*

6 *Limitatio quam adhibent Sanchez, & Bonacina in casu quo esset pro illius peccati commissi veritate præsumptio fori interni: quod tunc stante tali præsumptione possessio sit pro certitudine peccati, cùm pro eo sit possessio, pro quo est fori externi præsumptio; non probatur, & cur.*

7 *Summus Pontifex si reseruet hæresim, intelligi debet de hæresi certa, non autem de hæresi præsumpta.*

8 *Vouens castitatem perpetuam, seu Religionem approbatam, de quo voto non est certus, sed dubitat, an pro tunc habuerit animum se obligandi, tenetur votum seruare: quia possessio, vel præsumptio stat pro voto, nihilominus tale votum non censetur Pontifici reseruatum.*

9 *Episcopus non potest absolutionem dare publico Clerici percussori, si dubium sit, an percussio sit grauis, secus verò si dubium sit, an percussio sit leuis.*

10 *Casus Bullæ Cœnæ contra priuilegia Regularium reseruantur in Decreto Clementis VIII. quamuis sint dubij siue iuris, siue facti: secus tamen est in Decreto moderatorio prioris, vbi non exprimuntur, sed dempta sunt verba illa: Quamuis sint dubij siue iuris, siue facti.*

RESpondetur etiam ex dictis, quod neque iste talis 1
incidat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, cæ-
terasque pœnas hæreticorum, & consequenter modo
quo supra dicebam absolui possit à quolibet approba-
to Confessario.
Probatur vt supra corollario præcedenti.
Confirmatur, quia cùm reseruatio sit odiosa, appel- 2
latione casus reseruati non venit casus siue facti, siue iu-
ris dubius, sicuti docet Syluest. *verb casus, quæst.* 1. Hen-
riquez *lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 5. Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 1. *cap.* 13.
num. 71. & Finell. *cap.* 5. *cas. reseru. num.* 4. vbi afferunt 3
exemplum de incestu impuberum, & eorum qui extra
vas semen emiserunt. Et meritò, quia crimen non in-
telligitur nisi demonstretur, *argum. leg. in bello, §. facta,*
ff. de captiu. & postliminio reuersis, & leg. 2. *de probation.*
Itemque non intelligitur, nisi sit perfectè consumma-
tum, iuxta *cap. hac autem*, iuncta Gloss. *dist.* 1. *de pœnit.* 4
Conatus enim, vel attentatio incestus, aut homicidij
non est propriè incestus aut homicidium. Ac si ipsa
quoque criminis attentatio expressis verbis reseruetur,
certum est tunc apud omnes, quod talis attentatio re-
seruata sit, maximè quia de peccatis, etiam internis
reseruatio fieri potest, vti supra dicebam, & ex com-
muni

muni docent Maior *in 4.dist.17.q.5.propositione 2.* Graff. Henriquez, Finell. *in locis suprà citat.* Medina *lib. 1. cap.10.* & Sanch. *lib.1.moral.cap.8.n.4.*

5 Confirmatur secundò, quia propter eamdem rationem iam dictam, quando dubitatur, an peccatum reseruatum sit, illud absolui posse, etiam à Confessariis qui non habent potestatem suprà casus reseruatos, docet communis opinio Doctorum contrà Armillam *verb. casus, n.13.* Frias *in tract. de modo audiend. Confess. 1.par. cap.8.cas.2.* & Cordubam *in Regulam S. Francisci cap. 7.q.4.punct.1.cas.5.* & ratio huius communis opinionis est, quia cùm reseruatio, vti suprà dicebam, odiosa sit, strictè interpretanda est; atque ita docent Henriq. *lib.6.de sacram. cap.26.n.7.* Suarez *in 1.par.tom.5.disp. 40.sect 6.n.5.& tom.2.de Relig lib.4.de voto, cap.5.n.15.* Sanchez *lib.1 moral.cap.10.n.74.* Graff. *tom.1.cons.2. de pœnit. & remiss.n. 3. & seq.* Zecch. *de cas. reseruat. cas. 11.* Sà *verb. casus re*[illegible]*uatus, n.5.* & Bonacina *de sacram. pœnit.q.7.punct.5.§ 4.*

6 Nec mihi probatur limitatio quam adhibent Sanch. & Bonacina in locis suprà citatis, nisi scilicet esset pro illius peccati commissi veritate præsumptio fori externi, quia tunc, inquiunt ipsi, stante tali præsumptione, possessio est pro certitudine peccati, cùm pro eo sit possessio, pro quo est fori externi præsumptio, & cùm tali præsumptioni standum sit in vtroque foro, donec de veritate in contrarium constiterit, v.g. subdunt ipsi, si quis exteriùs protulit hæresim, dubitat verò nunc, an pro tunc temporis in mente ita re vera senserit, censebitur hæresis reseruata, quia, cùm verba sint naturaliter signa intentionis, & nemo præsumatur dicere quod non habet in corde, vel aliter, quàm habet in eo, *leg. Labeo, ff. de supell. legat.* præsumptio, ac possessio in tali dubio est, quod hæresis exteriùs processerit ex vero in ipsam hæresim consensu interiori, tum quia in tali dubio homo iudicaretur hæreticus in foro externo: Ergo idem dicendum in foro interno. Consequentiam probant, quia in vtroque foro idem iudicandum est, quando forum externum in falsa præsumptione non innititur, vt ex communi docet Bald. *in Authen. ingressi, Cod. de sacrosanct. Eccles. n.49.*

7 Non (inquam) talis limitatio mihi probatur, quia ex dictis non debet casus censeri reseruatus, nisi certò constet de reseruatione illius, nec sufficit, quod præsumatur reseruatus, quia, cùm reseruatio (sicuti dicebam) odiosa sit, strictè interpretanda est: Ergo quando Pontifex reseruat sibi hæresim, intelligi debet de hæresi certa, non autem de hæresi præsumpta.

8 Confirmatur à simili, quia licèt, quando quis est certus se emisisse votum Castitatis perpetuæ, vel Religionis approbatæ, dubitat autem, an pro tunc habuerit animum se obligandi, teneatur votum seruare, quia possessio, & præsumptio stat pro voto: Nihilominùs tale votum non censetur Pontifici reseruatum, vt concedit idemmet Sanch. *lib. 4. moral. cap.40. n.26. & cap. 44. n. 3.* idque non alia ratione, nisi quia, cùm reseruatio sit odiosa, restringenda est ad casus reseruatos certos. Ergo idem propter eamdem rationem dicendum est in casu nostro, vnde apparet responsio ad oppositas rationes aduersariorum.

9 Obiicies: siquis percutit Clericum, dubium est autem postea, an percussio sit grauis, sicque reseruata Pontifici, vel leuis, sicque talis, à qua Episcopus absoluere possit, iuxtà *text. in cap. Peruenit, de sententia excommunicationis*, non potest in tali casu Episcopus absolutionem dare, sicuti habetur *in Extrauag. Perlectis*, nondum typis mandata, quam ad verbum referunt Nauarr. *cap.27.n.91.* & Molin. *tract. 3. de iust. & iur. disput.17.* Ergo sic in casu nostro.

Respondetur: transeat antecedens, at nego consequentiam, & disparitas est, quia in dicta Extrauag. expressè reseruatur Pontifici percussio Clerici, non solùm quando est certum, sed etiam quando est dubium, an fuerit grauis. Vnde potiùs retorquetur contrà aduersarios argumentum, nempè, quod per reseruationem casus non veniat reseruatus casus dubius, nisi exprimatur.

Instabis: etiam in decreto Clementis VIII. contrà 10
Priuilegia Regularium reseruantur casus Bullæ Cœnæ, quamuis sint dubij siue iuris, siue facti; Ergo &c.

Respondetur: distinguo antecedens, in decreto priori, concedo, quia exprimuntur; in decreto posteriori moderatorio prioris, vbi non exprimuntur, sed dempta sunt verba illa (scilicèt, *quamuis sint dubij siue iuris, siue facti*) nego. Quare similiter retorquetur contrà aduersarios argumentum, quandoquidem in priori decreto Pontifex, quoniam casus dubios voluit comprehendere in reseruatione, expressit, secùs in posteriori moderatorio, in quo propterea eosdem casus dubios non expressit, quia scilicet in reseruatione eos comprehendere noluit.

DVBITATIO XIV.

Quinam sint hæreticis credentes, qui hac prima excommunicatione secundò sunt excommunicati?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticis credentes, qui hac prima excommunicatione secundò sunt excommunicati, sunt qui hæreticorum erroribus siue in particulari, siue in communi, siue expressè, siue confusè assentiuntur, assensu per aliquod signum externum sufficienter manifestato.*

2 *Neque obstat hos credentes verè, & formaliter esse hæreticos externos, atque adeò comprehendendos sub priori clausula Bullæ Cœnæ aduersus hæreticos lata, quia ne quis de istorum excommunicatione dubitare possit, gratia solius maioris declarationis expressi sunt.*

3 *Credens vt quis hæretico dicatur, sufficit, si in communi confusè, seu implicitè erroribus hæretici assentiatur, quia tunc etiam verè illi, vt hæreticus est, credit, & fidem præstat, quod contingit, si credat hæreticum, sciens talem esse, rectam fidem habere, licèt in particulari distinctè, seu explicitè nesciat eius errores.*

4 *Item si credat, se credere quidquid ipse credit, dicendo v.g. vera esse dogmata, quæ Lutherus, & Caluinus contra Romanam Ecclesiam docuit, seque pro iis mori paratum esse.*

5 *Item si animo assentiendi eius erroribus prædicationem vel lectionem illius audiat, immò etiam si non habeat animum assentiendi absolutè, habeat tamen illum sub conditione, si scilicèt rationes hæretici ipsi placuerint.*

6 *Punibilis ad hoc vt sit hæreticus tali modo, necesse est, vt signo aliquo externo, quo sufficienter animus ab aliis cognosci possit, assensum manifestet, aliàs non erit ab Ecclesia punibilis.*

7 *Signa sufficienter manifestatiua talia sunt ex quibus grauis suspicio hæresis nascitur.*

8 *Hæretico vt credens reputetur, probabilius est non sufficere, quod semel, aut bis ad audiendas conciones, aut lectiones hæretici accedat.*

9 *Limita, cùm quis Catholicus in terris hæreticorum existens semel, aut bis ad conciones, vel lectiones hæreticorum accedat, secùs verò, si in terris Catholicorum occulta ab hæreticis conuenticula fieri nouerit, & illuc etiam simul accedat, & non denunciet Episcopo, vel Inquisitori, nam tunc suspicione hæresis non carebit.*

Respondetur: sunt, qui hæreticorum erroribus, siue in particulari, siue in communi, siue expressè, siue confusè assentiuntur, assensu per aliquod signum externum 1

exterius sufficienter manifestato, vti supra dicebam, & docent Archidiaconus *in capit. Quicumque, de hæretic. in 6.* Paludan. *in 4. distinct. 13. quæst. 3. art. 1. conclus. 7.* Syluest. *verb. hæresis 1. num. 10. quæst. 7.* Sayr. *lib. 3. de censur. in part. cap. 5. num. 1.* Nauarr. *cap. 27. n. 35.* Vgolinus *de censur. reseruat. Papa. 2. part. cap. 1. verb. credentes, num. 1. & 2.* Suarez *de censur. disput. 21. sect. 1. num. 6. & disput. 24. de fide, sect. 1. num. 1. & 3.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 1.* Pegna *1. part. Director. quæst. 50. comment. 75.* Farinac. *de hæresi quæst. 181. num. 104.* Bonacina *tom. 3. de excommunic. in partic. disput. 1. quæst. 1. punct. 3. & de censur. in communi, disp. 1. q. 5. punct. 3. num. 1.* & alij, quos infra citabo. Et patet ex textu *in cap. excommunicatos, §. credentes, de sent. excommunic. & in cap excommunicamus. §. final. eod. tit.*

2 Neque obstat, hos credentes verè & formaliter esse hæreticos externos (sicut etiam Catholici censeri debent ij qui fidei articulos in communi, confusè, seu implicitè credunt, credendo quicquid Ecclesia Catholica credit) atque adeò comprehensos sub priori clausula Bullæ Cœnæ aduersus hæreticos lata: quia ne quis de istorum excommunicatione dubitare possit, gratià solius maioris declarationis expressi sunt, vti notarunt Archidiaconus *in cit. cap. Quicunque, de hæret. in 6.* Paludanus *in 4. distinct. 13. quæst. 3.* Syluest. *verb. hæresis 1. §. 10.* Toletus *lib. 1. cap. 18. n. 5. & seqq.* Suarez *de censur. disp. 21. sect. 2. num. 6.* Nauarr. *cap. 17. num. 55.* Simanch. *de Cathol. Institut. cap. 15. num. 1.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 2.* Sà *verb. hæresis, num. 11.* & Vgolinus *loco supra cit. n. 2. & seqq.* Vide etiam quæ dicam infra in corollario.

3 Dixi, sufficere vt credens hæretico dicaris, si in communi, confusè, seu implicitè erroribus hæretici assentiaris; quia tunc etiam verè illi, vt hæreticus est, credis & fidem præstas.

Quod contingit si credis, hæreticum, sciens esse talem, rectam fidem habere, licet in particulari distinctè seu explicitè nescias eius errores.

4 Item si dicas, te credere quicquid ipse credit, dicendo v.g. vera esse dogmata quæ Lutherus, aut Caluinus contra Ecclesiam Romanam docuit, teque pro iis mori paratum esse, licet in particulari nescias, quænam ea dogmata sint. Doctores in locis supra citatis, & præcipuè Farinac. *n. 104 in fine, & num. 124. & 125.*

5 Item si animo assentiendi eius erroribus prædicationem, vel lectionem eius audis? immò etiamsi non habeas animum assentiendi absolutum, habeas tamen illum sub conditione, si scilicet rationes & motiua hæretici tibi placuerint, quo casu adhuc illi credens es, saltem sub conditione: quod videtur sufficere, vt sub credente comprehendaris, siquidem ratione illius animi dubij fidem amittis, vti dicebam supra *dubit. 6.* & docent passim Doctores, quos sequitur Suarez *disp. 24. de fide, sect. 1. num. 1.*

6 Dixi secundò necessarium esse, vt signo aliquo externo, quo sufficienter animus ab aliis cognosci possit, assensum manifestes: aliàs non eris ab Ecclesia punibilis, vti dicebam etiam supra *dubit. 12. & 13.* & docent præter alios Suarez *in locis sup. cit.* Sanchez *n. 1.* & Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 9. q. 10.*

Petes, quibus signis, verbis scilicet, vel factis, hunc animum sufficienter manifestes?

7 Respondetur, te sufficienter manifestare, si signa illa talia sint, ex quibus grauis suspicio hæresis nascitur. Quæ autem sint ista, dixi supra *cit. dubit. 12. & 13.* per totas: & videri poterit Eymer. *2. part. Director. q. 50.* & ibi Pegna, & Farinac. *de hæresi q. 181. num. 11.*

8 Petes secundò, an si semel, vel bis ad audiendas conciones, aut lectiones hæretici accedas, sufficiens sit, vt illi credens reputeris.

Respondetur, licet complures Doctores affirment, ita vt ex duplici actu ad mentem ipsorum suspicio grauis oriatur: atque adeò, tanquam credens hæretico, condemnandus sis: Probabilius tamen esse oppositum, quod docent Decianus *lib. 5. in tract. crim. cap. 18. vers. 16.* Pegna *2. part. Director. quæst. 50. comment. 75.* Graff. *lib. 4. decis. cap. 18. n. 29 & 30.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæst. 8.* Suarez *disput. 14. de fide, sect. 1. num. 5. in fine,* & Farinac. *cit. quæst. 181. num. 115. & 116. & quæst. 181. num. 120.* Qui tamen, & rectè limitant hanc doctrinam, cùm quis Catholicus in terris hæreticorum existens, semel, aut bis ad conciones, vel lectiones hæreticorum accedit: secus verò si in terris Catholicorum occulta ab hæreticis conuenticula fieri nouerit, & illuc etiam semel accedat, & non denunciet Episcopo, vel Inquisitori: nam tunc suspicione hæresis non carebit, cùm in tali casu censeatur approbare quod potuit aduertere, si Iudici Ecclesiastico, sicuti debuit, significaret. Excipe, nisi considerata personæ qualitate, per ignorantiam excusetur. Vide etiam quæ dicam infra in corollario.

COROLLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Credentes hæreticorum sunt qui hæreticorum erroribus assentiuntur, & implicitè credunt quod credunt alij hæretici, cùm tamen nullum eorum errorem, aut hæresim in particulari, & explicitè credant, vt si quis v.g. se cum Caluinistis, & Lutheranis sentire dicat.*

2 *Credentes hæreticorum vbi excommunicentur.*

3 *Credentes hæreticorum sunt etiam hæretici.*

4 *Credentes hæreticorum licet sint hæretici, quia tamen non explicitè alicui errori, vel hæresi assentiuntur, sed doctrinam hæretici tantùm credunt, potiùs dicuntur credentes hæreticorum, quàm hæretici.*

5 *Credentes hæreticorum censentur, qui illorum concionibus, ac sermonibus sæpè interueniunt.*

6 *Hæreticorum concionibus, vel sermonibus qui interuenerunt semel, quamuis non reputentur credentes hæreticorum, sunt tamen de hæresi suspecti.*

7 *Credentes hæreticorum censentur ij, qui in infirmitate constituti petunt hæreticum, à quo per manus impositionem consolationem recipiunt.*

8 *Pœna statuta in iure contra hæreticos, extenduntur etiam contrà credentes hæreticorum.*

9 *Credentes hæreticorum si in excommunicatione per annum persistant, ipso iure sunt infames, neque admittuntur ad publica officia.*

10 *Item sunt omni officio, ac beneficio Ecclesiastico priuandi.*

CRedentes igitur hæreticorum sunt, qui modo, quo suprà dicebam, hæreticorum erroribus assentiuntur, & implicitè credunt quod credunt alij hæretici; cum tamen nullum eorum errorem, aut hæresim in particulari, & explicitè credant, vt si v.g. sicuti dicebam, quis dicat, se cum Caluinistis, vel Lutheranis in causa fidei sentire, vel Hæresiarcham aliquem fuisse virum probum, & se in illius fide velle mori; vel si dicat, hæreticos habere veram fidem, rectè sentire de fide, in sua secta posse saluari, esse bonos viros, bonæ conuersationis, & vitæ, vel peccare eos, qui tales personas persequuntur, &c. Paludan. *in 4. dist. 13. quæst. 3. concl. 7.* Caietan. *verb. excommunicatio, num. 45.* Tabiena *eodem verbo excommunicatio 5. num. 12.* Calderin. *in tract. de hæretic. rubr. de hæretic. credentib. num. 8.* Peña *in director. Inquisit. part. 1. quæst. 50. comment. 55. & comment. 75.* Nauarr. *in summa cap. 27. num. 55.* S. Antoninus *3. part. tit. 25. cap. 4. §. final.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 51. num. 15.* Sayrus *in thesaur. lib. 3. cap. 5. num. 1.* Castro *lib. 1. de iust. hæretic. punit. cap. 17.* Simanch. *de cathol. institut. tit. 15. n. 2.* Graff. *par. 1. decis. lib. 4. cap. 18. n. 30.* Toletus *lib. 1. cap. 19. n. 5.* Carrer. *tract. de hæretic. n. 175.* Vgolin. *in 1. clausul. Bull. Cœnæ vers.* 1

verſ. at eorum credentes, n.1. & ſeqq. Suarez *de fide diſp. 24. ſect. 1. n. 1. & ſeqq.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13. q. 1.* & alij, quos ſuprà citabam.

2 Huiuſmodi credentes excommunicantur *in cap. Excommunicamus 1. §. credentes, in cap. Excommunicamus. 2. §. finali, de hæretic. in cap. vt Officium, de hæretic. in 6.* in Bullis Martini quinti, *inter cunctas*, & in Bulla Pauli IV. *cum ex Apoſtolatus*, apud Pegnam inter literas Apoſtolicas, & in prima clauſula Bullæ Cœnæ Domini.

3 Hinc ſequitur, quod prædicti huiuſmodi credentes ſint etiam hæretici, Tolet. *lib. 1. cap. 19.* Nauarr. *loco ſuprà citato*, Simanch. *vbi ſuprà n. 1.* Suarez *tom. 5. diſp. 11. ſect. 3. n. 5.* & alij doctores omnes, quos ſuprà citabam, & patet ex dictis, & *ex cap. Excommunicamus 2. §. ſi qui autem, de hæreticis.*

4 Non obſtat, ſi dicas: Huiuſmodi credentes ſunt hæretici: Ergo fruſtrà in prima clauſula Bullæ cœnæ adduntur credentes hæreticorum, cum iam ſatis ſint excommunicati ſub nomine hæreticorum.

Reſpondetur enim, quod propterea illa verba fuerint omiſſa in Bulla Cœnæ Pij quinti, vti rectè præter alios adnotarunt Nauarrus in Summa *cap. 17. n. 55.* & Vgolinus *loco ſuprà cit. n. 2.* Fuerunt tamen poſteà addita ad maiorem declarationem, ſicuti dicebam: vt omittam, quod, licet huiuſmodi credentes ſint hæretici, quia tamen non explicitè alicui errori, vel hæreſi aſſentiuntur, ſed doctrinam, quam hæretici ſequuntur, tantùm credunt, potiùs dicantur credentes hæreticorum quàm hæretici, ad differentiam eorum, qui explicitè, & diſtinctè aſſentiuntur erroribus, qui ab hæreticis proponuntur.

5 Vbi aduerte, quod ex dictis ſuprà cenſentur credentes hæreticorum ij, qui illorum concionibus, ac ſermonibus ſæpè ſepiùs interueniunt, Geminian. *in cap. 2. de hæretic. n. 7.* Ananias *in cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæretic. num. 12.* Director. Inquiſit. *part. 2. quæſtion. 10. num. 3.* & ibi Pegna *commentar. 75.* Calderinus *tract. de hæretic. rubr. de hæret. credent. num. 13.* Syluest. *verb. hæreſis 1. num. 10.* Arelatenſis *in tract. de hæretic. num. 6.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 1. lib. 3. deciſ. cap. 18. num. 10.* & alij, quos ſuprà citabam.

6 Qui verò ſemel hæreticorum concionibus, vel ſermonibus interuenerunt, quamuis non reputentur credentes hæreticorum ſunt tamen de hæreſi ſuſpecti. Geminian. *in cap. Quicunque, de hæretic. in 6. num. 7.* Archidiac. *ibid. num. 2.* Ioann. Andr. *num. 3.* & alij, quos ſequitur Azor *loco ſup. cit.*

7 Item cenſentur credentes hæreticorum ij, qui in infirmitate conſtituti petunt hæreticum, à quo per manuus impoſitionem conſolationem recipiant *c. p. filij, de hæretic. in 6.* Gloſſa *ibid. verb. filij*, Geminian. *num. 6.* Angelus *verb. hæreticus, n. 2.* & Syluest. *verb. hæreſis 1. num. 10. & hæreſi. 1. num. 16.*

8 Aduerte ſecundò, quod eædem pœnæ, quæ in iure ſtatutæ ſunt contra hæreticos, extenduntur ad credentes hæreticorum Hostiens. *in cap. excommunicamus 1. num. 11. de hæretic.* Abbas *ibid. num. 12.* Ananias *num. 1. & ſeqq.* Soccin. *num. 36.* Roſella *verb. hæreticus, num. 16.* Angelus *eod. verb. num. 22.* Syluest. *verb. hæreſis 1. n. 10.* Et patet *ex cap. excommunicamus 1. de hæretic.* & notat ibi Gloſſa *verb. deprehenſi*, Oſtienſis, *num. 2.* Ioan. Andr. *num. 3.* & Soccin. *num. 7.*

9 Item credentes hæreticorum, ſi in excommunicatione per annum perſiſtant, ipſo iure ſunt infames, nec admittuntur ad publica officia. Patet *ex Auth. credentes, Cod. de hæreticis. & ex cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæretic.* & notat ibi Innocentius *num. 1. in verbo credentes*, Oſtienſis *n. 19.* Ancharano *n. 1. & ſeqq.* Locat. *in Iudic. Inquiſit. verb. credentes, n. 1. & verb. excommunicati, num. 3.* & alij, quos ſequitur Paul. Ghirland. *tract. de hæretic. q. 9. num. 1.*

10 Item ſunt omni officio & beneficio Eccleſiaſtico priuandi, Director. inquiſit. *part. 2. q. 47. n. 1. & 3.* Decian. *in tract. de crimin. lib. 5. cap. 52. n. 3.* & alij paſſim.



DVBITATIO XV.

An tenearis omnes hæreticos Iudici Eccleſiaſtico iudicialiter denunciare.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici non ſunt occultandi, ex Sacris Literis, ſed denunciandi, idque etiam liquet ex Pontificum conſtitutionibus: contra namque communes hoſtes pro ſalute communi, vna communis debet eſſe vigilantia, ne de alicuius membri vlcere, etiam alia poſſint membra corrumpi.*

2 *Hæreticum quis denunciare tenetur, ſi eius delictum probare poteſt: dubium enim ſolum eſt, ſi delictum ſit adeò occultum, vt nullus alius ſciat. Quo caſu plures Doctores tenent ſententiam negatiuam.*

3 *Hæreticum reuelare quilibet tenetur, etiamſi hæreticum eſſe ſecretò eum nouerit: delictum enim quandocumque eſt contra bonum commune, vt eſt delictum hæreſis, ſtatim denunciandum eſt, quamuis ſit occultum, adeò vt ſi quis ſciens hæreticum pertinacem eſſe, & non denunciauerit ſtatim Inquiſitoribus, incurrat excommunicationem contra non denunciantes impoſitam.*

4 *Errans non ex pertinacia, ſed ſolùm ex ignorantia, non eſt ſtatim denunciandus, ſed admonendus, quod ſi ſpreuerit admonitionem, iam erit pertinax & denunciandus.*

5 *Idem dicendum de eo, qui facit actum aliquem contra fidem; ſic enim habet praxis ſanctiſſima Inquiſitionis.*

6 *Praxis Sanctiſſimæ Inquiſitionis ex aduerſariis fundatur in probabilitate talis ſententiæ, quæ tamen tollit probabilitatem alterius.*

7 *Denunciatio prædicta eſt neceſſaria Reipublicæ, & ipſi delinquenti: impeditur enim per eam, ne hæreſis ſerpat, & alios inficiat; factaque denunciatione Iudex poteſt procedere ad inquiſitionem de tali delinquente, & recipere ipſum denunciantem in teſtem commiſſi criminis, cùm eius teſtimonium ſuſpectum eſſe non poſſit.*

8 *Denunciator licet de iure reputari poſſit calumniator, ſi non probet denunciationem quam de iure debet probare, ex conſuetudine tamen contrarium ſeruatur: Et meritò, quia is dicere poteſt, quod ſolo zelo boni communis motus delictum manifeſtauit, idque præcipuè locum habet in delicto hæreſis ob eius grauitatem.*

9 *Hæretici occulti quamuis ſint in malo ſtatu, ne tamen denuncientur Inquiſitoribus, hæreſim internam manifeſtare non audent: Quod cedit in bonum aliorum fidelium, & timore huius denunciationis multi non amplectuntur errores hæreticales.*

10 *Hæretici rariſſimè ad fidem catholicam redeunt, ſæpiſſimè autem è contra, vt experientia docet, redeunt quando denunciantur.*

11 *Manifeſtare quilibet tenetur crimen, quamuis occultum, ſi illud facilè Reipublicæ nocere poſſit, cùm bonum commune præferendum ſit bono particulari, & quilibet teneatur magis conſulere incolumitati communitatis, quàm famæ alicuius perſonæ particularis.*

12 *Quilibet tenetur manifeſtare ea, quæ ſibi etiam ſub ſecreto commiſſa ſunt, ſi pertineant ad correctionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel etiam ad graue damnum alterius, & nemo contra hoc debitum obligari poteſt.*

13 *Hæreſis eſt peſtilentiſſimum venenum, quod [...] & facilè*

facilè maximas, totasque prouincias & regna infestat.

14 *Error cui non contradicitur, approbatur: & qui alios cùm potest ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat, &c.*

15 *Inquisitorum edicta de hæreticis reuelandis originem duxerunt tum à Iure communi, tum à Constitutionibus Pontificiis.*

16 *Hæresis peccatum, ex Ioanne Andrea in cap. Nouit, de iudic. & ex nonnullis Doctoribus, licet non reuelandum quando est ita occultum, vt vnus tantùm id sciat: oppositum tamen est tenendum, quia prædicta denunciatio quammaximè prodest & denunciato, & aliis. Denunciato quidem, quia sic hæretici continentur in officio: aliis verò, quia saltem ex dicta denunciatione Inquisitores possunt generaliter inquirere.*

17 *Nemo inuitus cogitur accusare. Excipitur tamen crimen hæresis, vel quodcumque aliud crimen tendens in damnum commune, quod quilibet tenetur non solùm denunciare, sed etiam accusare. Vbi enim commune periculum est, id dissimulare peccatum non est leue.*

18 *Hæreticus denunciandus est, non autem necessariò accusandus: nam denuncians non tenetur denunciationem probare. Quod si non procedat de iure, procedit tamen de consuetudine.*

19 *Occulta diuino iudicio sunt relinquenda, & quilibet ex lege charitatis peccatum proximi debet reticere, &c. & sic occulta delicta non sunt denuncianda ordinariè, secus autem si sit delictum hæresis, vel quodcumque aliud vergens in damnum commune, vel etiam alicuius particularis innocentis.*

1 SVPPONO, quod ex Sacris literis etiam hæretici non sint occultandi, sed denunciandi. Sic colligitur ex Deutheron. *cap. 13. vers. 6.* ibi: *Si tibi persuadere voluerit frater tuus, vel filius, vel vxor, vel amicus, clam dicens; eamus & seruiamus Diis alienis* (quod idem intelligi debet de hæresi: quapropter, ait Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 19. num. 5.* ne putes, hanc legem loqui de apostatis dumtaxat, & idololatris, cùm Hieronymus, Augustinus, & Vincentius Lyrinensis hæreses, & aliena ab Ecclesia dogmata vocent Deos alienos, & hæresim æquipareot idololatriæ) *non acquiesces ei, nec audias, aut pareat ei oculus tuus, vt miserearis, & occultes eum, sed statim* (postquam scilicet tu cùm accusaueris, & Iudex publicè condemnauerit) *interficies: sit primùm manus tua super eum, & posteà omnis populus mittat manum.* Sic etiam legitur ex Deutheron. 17. *in princ.* ibi: *Cùm reperti fuerint apud te vir & mulier, qui seruiant diis alienis, & hoc tibi fuerit nunciatum, audiensque inquisieris diligenter, & verum esse repereris, lapidibus obruetur.* Quæ verba eundem habent sensum, quem habent præcedentia *cap. 13.* quia sicuti notat Caietan. *in dicto cap. 13.* hæc verba intelligi debent, seruato rationis ordine, & seruatis debitis circumstantiis: sunt enim isti non occultandi, sed denunciandi, & postquam à Iudice fuerint condemnati, lapidibus obruendi.

Idipsum tradit Leo *serm. 4. de collect.* ibi: *Manichæos vbicumque latentes vestris Presbyteris publicate, magna est enim pietas prodere latebras impiorum, & ipsum in eius cui seruiunt diabolum debellare.* Et paulò post: *Non sinantur latère homines, qui Prophetis, & Sancto Spiritui contradicunt.* Et infrà: *Cauendi sunt, ne in aliqua ciuitatis nostra parte consistant.* Et *serm. 5. de ieiun. X. mensis: Illud monemus, dilectissimi, vt si cui vestrum innotuerit vbi habitent hæretici, vbi doceant, quos frequentent, & in quorum societate requiescant, nostra sollicitudini fideliter indicetis. Contra communes hostes pro salute communi vna communis debet esse vigilantia, ne de alicuius membri vlcere etiam alia possint membra corrumpi. Et qui tales non prodendos putant, in iudicio Christi inuenientur rei de silentio, etiamsi non contaminentur assensu.* Ex Ambrosiua *lib. 2. offic. cap. 14.* ibi: *In causa Dei, vbi contaminationis periculum est, etiam dissimulare, peccatum est non leue.*

Suppono secundò, quod si delictum probare potes, 2
absque dubio tenearis. Docentes communiter *ex cap. Quapropter 1. q. 7. & ex cap. 2. de hæreticis.* Solùm est difficultas, si delictum sit ita occultum, vt nullus alius præter te illud nouerit. In qua difficultate:

Quidam negant, vt Ioan. Andr. *in cap. Nouit, de Iudais, & in cap. Nouiter, extr. de iudiciis.* Villadiego *in tract. de hæretic. quæst. 10.* Repert. Inquisit. *verb. denunciatio, & verb. occulta.* Gandisalu. *in tract. de hæretic. q. 10. num. 7.* Decian *in tract. crim. lib. 5. cap. 30. num. 40.* Paramus *de orig. S. Inquisit. lib. 3. q. 9. num. 45.* Reginald. *in Praxi tom. 1. lib. 24. cap. 2. sect. 6. n. 50. & 55.* Megal. *in 1. part. lib. 1. cap. 5. n. 21.* Palatius *in rep. notab. 1. §. 26. n. 9.* & alij, qui citant Speculatorem, Glossam, Angelum,
& Feinum. His autem non obstantibus: 3

Respondetur, oppositum esse dicendum, quod ex communi sententia Doctorum docent Cardinal. *in cap. Si peccauerit 2. q. 2. num. 29.* Sotus *lib. 5. de Iustit. q. 5. art. 1.* Nauarr. *in cap. Inter verba, concl. 6. num. 157. & consil. 5. de hæretic.* Castr. *volum. 1. consil. 25. colum. 3. vers. Cùm igitur,* vbi ait, quod quilibet tenetur reuelare hæreticum, etiamsi secretò eum esse hæreticum nouerit. Aragonius *2. 2. q. 33. art. 7. vers. Dico quartò.* Vega *in summa cap. 82.* Medina *in instruct. confess. cap. 14. §. 2. & 36.* Gutierr. *lib. 1. quæst. canonic. cap. 11. n. 53.* Bannez *2. 2. q. 11. art. 4.* Viguerius *cap. 12. institut. §. 1. vers. 10.* Valentia *2. 2. disp. 3. q. 10. punct. 5. §. Atque huiusmodi,* Suarez *tract. de fide, disput. 20. sect. 4. num. 7.* vbi inquit, quod quilibet sub peccato mortali tenetur reuelare hæreticum, quamuis qui reuelat, ipse solus sciuerit eum esse hæreticum, subditque quod sit communis, & certa sententia Doctorum. Auila *de censur. part. 2. cap. 5. disput. 4. dub. 5.* vbi docet, quod si delictum sit contra bonum commune, quale v.g. est crimen hæresis, statim denunciandum est: quamuis occultum sit, subditque, quod sic communiter sentiunt Doctores: & magis consulendum est bono communi, quàm famæ alicuius particularis. Laſ Zecch *in summ. part. 1. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 21. num. 10.* vbi tradit, quod quilibet tenetur sub pœna peccati mortalis reuelare non solùm hæreticos, sed etiam suspectos de hæresi, eorum fautores, eorumque libros legentes, vel retinentes: subditque, quod tenetur reuelare etiam eos qui ex ioco verba hæreticalia proferunt. Martinus Delrio *lib. 5. disquis. magic. sect. 4. num. 6.* vbi asserit, quod si hæreticus est dogmatista, protinus debet Iudici deferri, sicuti cauetur lege diuina *Deuther. 13. & 17. Isti enim sunt seductores, & proficient in peius errantes, & in errorem mittentes. 2. Timoth. 3. vers. 13.* subditque, quod hoc verum est de omnibus, quos constat errare ex malitia: quia hi solent esse pertinaces. Et quod propterea huiusmodi hæreticos tenetur quilibet sub peccato mortali deferre: subditque, quod in magiæ crimine similiter sub peccato mortali tenetur quilibet statim lamias manifestare. Penna *in direct. part. 2. comment. 18.* vbi scribit, quod qui secretò nouerit aliquem in hæresim incidisse, tenetur statim illum denunciare. Royas *singul. 3. & singul. 46. n. 1. & seqq. & tractat. de hæretic. part. 2. num. 55.* Farinac. *de hæresi quæst. 197. §. 2. num. 36.* vbi testatur, quod sic passim receptum sit, & seruetur in supremo totius Christianæ generalis, & Sanctæ Romanæ Inquisitionis Tribunali. Grassius *lib. 4. decis. cap. 18. n. 24.* Calderin. *tract. de hæretic. in rubr. de pun. recepator. num. 12.* Locatus *in iudicial. Inquisit. verb. fautor, num. 5.* Campeg. *ad Zanch. tract. de hæretic. cap. 9.* Alphonsus à Castro *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. 25.* Conradus Brunus *tract. de hæretic. lib. 1. cap. 7.* Rodericus Acuna *de confess. sollicit. quæst. 18. num. 16.* Victorellus *in addit. ad Tolet. lib. 5. cap. 57.* Toletus *lib. 4. cap. 5. num. 1.* vbi ait, quod qui sciunt aliquem

quem esse hæreticum pertinacem, siue secretum, siue publicum, tenetur sub peccato mortali reuelare & denunciare Inquisitoribus: adeò vt, si quis sciens non denunciauerit, incurret excommunicationem sæpe ab Inquisitoribus contra non denunciantes impositam. Dixi *pertinacem*, quia quando constat, vel probabile est, quod talis homo non sit pertinax, sed quod erret solùm ex ignorantia, non est statim denunciandus, sed potiùs admonendus. Quod si admonitionem spreuerit,
5 iam erit pertinax, & denunciandus. Idem arbitror dicendum de eo qui facit actum aliquem contra fidem, sed similiter constat, vel probabile est, quod id ex metu, vel ex aliqua alia passione fecerit, quod & talis similiter non sit statim denunciandus absque admonitione. Scaccia *de iudic. cap.* 56. *& cap.* 70. *num.* 1. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 32. *in fine.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *q.* 9. Barbosa 3. *part. Allegat.* 96. *n.* 51. Fagundez *de precept. Eccles. tract.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *n.* 31. licet limitet ad casum hæresis formalis, ita vt quoad cætera delicta sequatur opinionem contrariam. Peyrinus *in privil. Minimor. tom.* 1. *constit.* 9. *Paul. V.* §. 2. *num.* 25. Homobon. *part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 1. *q.* 14. Zanard. *part.* 3. *cap.* 31. Naldus *verb. hæresis, num.* 6. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resolut.* 1. Genuensis *in praxi cap.* 13. *n.* 5. Bonacina *disp.* 1. *q.* 6. *punct.* 1. *n.* 9. Lazarius *de monit. sect.* 2. *q.* 12 *n.* 22. Gallet. *in Marg. cas. conscient. verb. hæreticus*, §. 3. Thomas à Iesu *lib. de visit. Regular. tract.* 1. *cap.* 16. *num.* 2. licet probabilem fateatur esse sententiam oppositam. Portel. *in addit. ad dub. Regular. verb. sollicitare fœminas, num.* 19. Cenedo *part.* 2. *collect.* 101. *n.* 4. Berthazol. *in addit. consil.* 107. *n.* 13. *vol.* 1. Triuisanus *lib.* 2. *decis.* 51. *n.* 5. 6. *&* 7. vbi ait, ita sæpius fuisse decisum: & Ioseph. de Sancta Maria *in Tribunal. Religios. tract.* 12. *cap.* 3. §. 5.

6 Probatur, quia sic habet praxis Sanctissimæ Inquisitionis.

At hæc ratio non conuincit. Respondent enim aduersarij, quod (vt in simili dixit Fagundez *tract.* 2. *lib.* 8. *cap.* 8. *n.* 18. & Granad. *in princ.* 1. *controuers.* 7. *tract.* 3. *part.* 1. *disput.* 11. *sect.* 2. *n.* 14.) dicta praxis fundetur in probabilitate talis sententiæ, quæ tamen non tollat probabilitatem alterius.

7 Secundò igitur probatur efficaciùs, vnde & destruitur fundamentum oppositum: quia hæc denunciatio est necessaria Reipublicæ & ipsi delinquenti: Ergo ad illam teneris. Consequentia patet. Antecedens quoad priorem partem probatur, quia per denunciationem impeditur ne hæresis serpat, & alios inficiat. Tum quia facta denunciatione, vt rectè dixit Farinacius *de heresi q.* 185. *n.* 35. *&* 64. Simanch. *tit.* 19. *n.* 17. & Suarez *de fide disput.* 10. *sect.* 4. *n.* 9. Iudex potest procedere ad inquirendum de tali delinquente, & recipere ipsum denunciantem in testem criminis commissi, cùm eius testimonium suspectum esse non possit: siquidem illud crimen non est commissum in iniuriam denunciantis, sed in contumeliam Creatoris, & punitio non tam cedit in commodum denunciantis quàm aliorum. Tum etiam, quia hæreticus sciens (quamuis occultè hæresim manifestet) esse denunciatum, vel denunciandum, continebitur à crimine, timens correctionem & supplicium. Vnde & idem antecedens quoad posteriorem partem, quod scilicet denunciatio sit vtilis, etiam ipsi delinquenti, patet: quia continetur à peccato committendo, & à peccato commisso hac viâ reuocari potest.

8 Neque obstat, si dicas, quod denunciator reputari possit calumniator, & de iure debeat denunciationem probare, & ei assistere, cùm loco accusatoris habeatur, *l. eg. diuus, & leg. ab accusatore,* §. *nunciatores, ff. ad Turpillian.* & tradit Vmbert. *in indic. Inquisit. verbo denunciatio, num.* 2. & Repert. *verb. eodem, vers. an eo ipso.*

Respondetur enim non obstare, quia licet de iure denunciator debeat probare denunciationem, ex consuetudine tamen contrarium seruatur, *ex cap. super his, de accusation.* Et meritò, quia denunciator dicere potest, quod solo zelo boni communis motus, delictum manifestet, idque præcipuè locum habet in delicto hæresis ob eius grauitatem, & damni communis periculum: atque ita ex Salyceto, & Soccino docet Eymer. *Director. part.* 3. *de secundo modo procedendi in causa fidei, num.* 68. & ibi Pegna *commentar.* 15. Suarez *disput.* 10. *sect.* 4. *num.* 3. Paramus *lib.* 3 *quæst.* 8. *num.* 21. Scaccia *in tract. de iudic. cap.* 72. *n.* 4. Farinac. *de heresi quæst.* 185. §. 5. *num.* 71. Et ita decisum pluries fuisse, testatur Triuisanus *decis.* 51. & ita seruari in supremo totius Christianæ Inquisitionis Tribunali testatur Farinacius *loco supra cit.* Et cùm sicuti notat Vmbertus *cit. verb. denunciatio, num.* 3. & Farinac. *quæst.* 185. §. 5. *num.* 64. simplex denunciatio sufficiat ad inquirendum, fit quod licet denunciator non possit probare delictum, per illam tamen denunciationem diligentia, & inquisitione Dominorum Inquisitorum, & etiam aliis reuelationibus seu denunciationibus aduenientibus, illud probabitur in beneficium fidei, & totius Catholicæ Christianitatis.

Confirmatur, quia quamuis hæretici occulti sint in malo statu, tamen, ne denuncientur ad Inquisitores, hæresim internam manifestare non audebunt: quod cedit in bonum aliorum fidelium. Item timore huius denunciationis multi non amplectuntur errores hæreticales, vel saltem, vti dicebam, non audebunt illos manifestare, nec alios ad suam falsam sectam pertrahere: Ergo Inquisitorum edicta, quod scilicet hæretici, quamuis occulti, sint illis denunciandi, sunt iusta; cùm per ea tam aliorum, quàm etiam ipsorum hæreticorum saluti consulatur: sic enim prædicti hæretici non peccabunt, quia fortè resipiscent, vel saltem minùs peccabunt.

Confirmatur secundò, quia hæretici rarissimè ad fidem Catholicam redeunt, sæpissimè autem è contra, vt experientia docet, redeunt quando denunciantur: Ergo iustè præcipitur, quod hæretici, quamuis occulti denuncientur. 10

Confirmatur tertiò, quia quilibet tenetur manifestare crimen, quamuis occultum, si illud facilè nocere possit Reipublicæ, cùm bonum commune præferendum sit bono particulari, & quilibet teneatur magis consulere incolumitati communitatis, quàm famæ alicuius personæ particularis, *cap. Ratio nulla, de præbend. cap. Sed illud, vers. qua est, distinct.* 45. *leg. penultima, Cod. de primipilo, lib.* 12. *& leg. actione,* §. *Labeo, ff. pro socio.* Et Augustinus ait: *Qui veritatem occultat, & qui mendacium prodit, vterque est reus; ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat.* Et S. Thomas 2. 2. *quæstione* 70. *articulo* 1. *ad* 2. inquit: *Quilibet tenetur manifestare ea quæ sibi, etiam sub secreto commissa sunt, si pertineant ad correctionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel etiam ad graue damnum alterius, & nemo contra hoc debitum obligari potest.* Ergo cùm crimen hæresis sit valde perniciosum, & ex ipso grauissima mala sequantur, quilibet alterius crimen hæresis, etiamsi occultum, manifestare tenetur: præsertim, si superiores id præcipiant, vti de facto præcipiunt. 11 12

Confirmatur quartò, quia hæresis est pestilentissimum venenum, quod citò & facilè maximas totasque prouincias & regna infestat: Ergo iure optimo præcipitur, quod hæresis alterius, etiam occulta, superioribus manifestetur, vt prædictum pestilentissimum venenum præcaueri possit. 13

Confirmatur quintò, quia, *Error cui non contradicitur, approbatur, cap. Error, dist.* 83. Tum, *Qui aliis* 14 *cùm potest, ab errore non reuocat seipsum errare demonstrat, cap.* 2. *de hæretic.* Tum, *Negligere cùm possis perturbare peruersos, nihil aliud est quàm fouere. N*… *ret scrupulo societatis occultæ, qui facinori de*… *niare. cap. Negligere* 2. *quæst.* 7. Tum vt ait … illud Apost. *ad Rom.* 1. (*Non solùm digni sunt* … *malum faciunt, sed qui facientibus consentiunt* …

etiam possis arguere, est consentire.. Et vt ait etiam Glossa super illa verba *Leuit.* 20. (*Succidam omnes qui consenserunt ei* :) *Consentientes, qui possunt accusare, arguere, vel monere, & non faciunt, non effugient iudicium.* Ergo qui hæreticum, quamuis occultum non denunciat, censetur illius errori consentire : præsertim si fuerit interrogatus de illius crimine, vel per mandatum speciale, aut edictum generale fuerit requisitus ad manifestandum hæreticum, quamuis occultum.

15 Quod verò per edicta Inquisitorum præcipiatur, vt quilibet hæreticum, siue publicum, siue occultum illis reuelare teneatur, originem duxit, tum à Iure Communi, vt ex *cap. 2. de hæretic. & ex cap. Quapropter 2. quæst. 7.* tum ex Constitutionibus Pontificiis, vt ex *Constitutione Nicolai III. Nouerit Vniuersitas*, edita anno 1251. & ex *Constitutione Innocentij IV. Nouerit Vniuersitas*, edita anno 1254. apud Pegnam post Directorium, inter literas Apostolicas : in quibus ambabus Constitutionibus sic præcipitur : *Item si quis hæreticos sciuerit, eos studeat indicare Confessori suo, vel alij, per quem credat ad Prælati sui, & Inquisitorum hæreticæ prauitatis notitiam posse peruenire, alioquin excommunicationis sententia percellantur.*

Obiectiones.

16 Obiicies cum Ioanne Andrea *in cap. Nouit, de indic.* & Villadiego *tract. de hæretic. quæst. 10. num. 7. & 8.* docentibus, quod quando peccatum hæresis est ita occultum, vt vnus tantùm id sciat, non teneantur fideles illud denunciare, immò neque licitè possint : Et cum Reperr. Inquisit. *verb. accusatio, vers. sed vtrum, verb. denunciatio, vers. generale tamen, & verb. occulta vers. 1.* vbi ait : *In peccato omnino occulto, quod probari non potest, non habet locum denunciatio.* Et cum Deciano *in tract. crimin. lib. 5. cap. 30. num. 4.* & Simanch. *in Enchirid. tit. 33. num 1. & de Catholic. Institut. tit. 4. num. 1.* vbi inquit : *Non teneatur quis hæreticum accusare, nisi hæresim idoneis testibus combrobare possit.* Qui denunciat peccatum hæresis occultum, obest denunciato, & non prodest aliis : Ergo non tenetur, quia neque licitè potest denunciare. Consequentia patet, Antecedens probatur, quia obest denunciato, illum scilicet infamando : & non prodest aliis, quia, cùm delictum sit occultum, Iudex non potest procedere contra denunciatum.

Respondetur : Nego antecedens, quia ex dictis prædicta denunciatio quammaximè prodest & denunciato, & aliis. Denunciato quidem, quia sic hæretici continentur in officio : aliis verò, quia licet ex vi prædictæ denunciationis Inquisitor non possit procedere contra huiusmodi hæreticum in particulari, poterit tamen in generali inquirere, & maiorem certitudinem ac notitiam consequi : cùm sæpe contingat, vt qui suam hæresim vni manifestauit, eam postea alicui alteri manifestet. Et cùm prætereà Iudex, habita cognitione aliquali de alicuius hæresi, possit magis per se, vel per alias denunciatæ personæ qualitates, verba, opera, &c. obseruare. Nam qui est hæreticus interior, vix fieri potest, vt hæresim suam aliquibus signis non manifestet aliquando.

17 Obiicies secundò : Nemo inuitus cogitur accusare, *leg. creditor, Digestis de pigneribus, & leg. vnica, Cod. vt nemo inuitus agere, seu accusare cogatur.* Et ratio est, quia accusator graue damnum pateretur, si accusationem probare non posset. Ad quod periculum nemo inuitus cogi debet, *leg. qui crimen, Cod. qui accusare non possunt, leg. si cui crimen, Digestis de accusation. capit. Tunc, de procurator. cap. Qualiter, & quando 2. & cap. Super his, de accusat.* Et nemo tenetur ad id quod non potest debitè perficere : & qui denunciat, & non probat, præsumitur calumniator, *cap. Si Sacerdos, de offic. Ordinar.* Ergo præceptum, quo præcipitur, quod hæreticus occultus accusetur, non est iustum.

Respondetur (vt omittam, quod quilibet tenetur non solùm denunciare, sed etiam accusare crimen hæresis, vel quodcumque aliud crimen tendens in damnum commune, vel etiam alicuius particularis innocentis, si tamen illud possit probare. S. Thomas 2.2. *quæst. 68. art. 1.* ibi : *Si crimen fuerit tale, quod vergat in detrimentum Reipublicæ, tenetur homo ad accusandum, dummodo sufficienter possit probare.* Et Caietanus ibidem : *Caue ignorantiam illorum qui putant, neminem teneri ad accusandum.* Et Sotus *lib. 5. de iust. quæst. 5. art. 1. conclus. 1.* ibi : *Si quis scelus nouerit in Republica perniciem ire, quod idoneis testibus probari possit, tenetur noxium accusare : nam criminum vindictæ non propter ipsas expetendæ sunt, sed tanquam medicinæ procurandæ, vel ipsius qui supplicio afficitur, vel boni publici. Nimirum vt earum metu homines in officio contineantur, ne commune bonum perturbent. Quilibet autem communi bono succurrere tenetur, vbi viderit, vel contagiosè infici, vel sceleribus corrumpi : quod fit deferendo delictum ad iudices : Ergo quilibet tenetur reum & perniciosum hominem accusare.* Idem docent Cardinalis *in cap. si peccauerit 2. quæst. 1. num. 20. & in cap 1. 2. quæst. 7. num. 5.* Brunus *de hæreticis lib. 4. cap. 7.* & Royas *singul. 3. num. 3.* Et ratio est, quia, vt dixit Ambrosius : *Vbi commune periculum est, id dissimulare peccatum non est leue.* Et quia, vt inquit Apostolus *ad Romanos cap. 1.* & habet textus *in cap. 1. de offic. delegat. & in cap. Mulieres, & in cap. Nuper, & in cap Quanta, de sentent. excommunic. Non solùm sunt digni morte qui malum faciunt, sed etiam qui facientibus consentiunt.* Et quia, vt habet textus *in cap. Nonnullis, de hæretic. & in leg. 2. Cod. de Apost. Contra hostes publicos, quales sunt hæretici, omnes vigilare debent.* Nam quilibet debet pugnare, & mori pro Republica defendenda, *leg. veluti. ff. de iust. & iur. & leg. postliminium, §. filium. ff. de captiu. & postlim. reuersis.* At crimen hæresis est Reipublicæ perniciosissimum, & vocatur crimen publicum, *leg. Manichæos, §. 1. Cod. de hæretic.* ibi : *Ac primùm quidem volumus esse publicum crimen, quia quod in Religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam.* Et videri poterit etiam Glossa *in dicta lege crimen*, Azor *ibidem num. 9.* Odof. edus *num. 1.* Albericus *num. 2.* & Reperr. Inquisit. *verb. hæresis, §. 1. rubric. Quid sit hæresis, vers. item hæresis.*) Nego consequentiam, quia ex dictis sufficit hæreticum denunciari, & non necessariò requiritur, vt quis illum accuset, sed tantùm denunciet, qui denunciationem non tenebitur probare. Paramus *de origine S. Inquisitionis lib. 3. q. 8. num. 21. & 22.* Scaccia *tract. de iudic. causar. cap. 72. n. 4.* Director. Inquisit. *part. 3. in rubrica de secundo modo procedendi in causa fidei per denunciationem, num. 68.* Pegna *ibidem, commentar. 15. vers. his peractis*, & alij, quos supra citabam. Et quamuis quidam alij, vt Repertor. Inquisit. *verb. denunciatio, vers. an eo ipso*, & Locatus *in iudicial. Inquisit. verb. denunciatio, num. 1.* putent, quod qui denunciat, teneatur probare quod denunciat, ex *leg. diuus, & ex leg. ab accusatione ff. ad Senatusconsultum Trebellian.* cùm denunciator loco accusatoris habeatur *in dicta leg. ab accusatione, §. nunciatores* : Hodie tamen de consuetudine, si non iure, non tenetur denunciator probare quod denunciat. Angel. *tract. de malefic. vers. Hac ad denunciationem, num. 20.* Salycet. *in leg. ea quidem, Cod. de accusation.* Marian. Soccin. *in cap. Qualiter, & quando 2. num. 179. de accusat.* Clarus *in pract. crimin. §. fin. quæst. 7. vers. quæro nunc.* Pegna *in citato comment. 15.* Azor. *tom. 1. lib. 8. capit. 19. quæstione 9. circa finem*, & alij quos supra citabam. 18

Obiicies tertiò : Occulta diuino iudicio sunt relinquenda, *cap. omnia 6. q. 1.* Et quilibet ex lege charitatis peccatum proximi debet reticere, *cap. si sacerdos, de offic. ordin. & cap. Christus 1. q. 1.* Et non potest Iudex, qui super statum Ecclesiæ generaliter inquirit, restea 19

astrin

astringere ad occulta delicta reuelanda, *cap. Qualiter & quando* 1. *de accusation. in fine.* Et qui secretò nouerint aliquem deliquisse, arguere & corrigere debent in secreto: quia delictum quod probari non potest, iudici denunciari non debet. *Clement. Nolentes, de hæretic.* Ergo aduersatur omni iuri, quod hæresis alterius occulta denuncietur.

Respondetur, vt omittam, prædictos textus loqui non de denunciatione iudiciali, scilicet in ordine ad iudicem, sed de denonciatione Euangelica, scilicet in ordine ad Patrem, ad quam concedo, quod præcedere debeat correctio fraterna, iuxta Euangelium Christi Domini: distinguo antecedens.: Occulta diuino iudicio sunt relinquenda, & sic occulta delicta non sunt denuncianda ordinariè, concedo: Si sit delictum hæresis, vel quodcumque aliud vergens in damnum commune, vel etiam alicuius particularis innocentis, nego propter specialem rationem & grauitatem Clement. verò *Nolentes*, citata non loquitur de hæreticis, sed de Officialibus & ministris hæreticæ prauitatis, qui prætextu officij munera, vel pecunias recipiunt.

ADVERTENDA.

SVMMARIVM.

1 *Hæresim alterius, vel crimen aliud simile occultum quilibet tenetur Inquisitoribus denunciare, quamuis illam non possit probare: quia licet denuncians non possit probare esse hereticum, nec ipsius testimonium sufficiat, vt Inquisitores possint contra illum procedere, aperit tamen illis viam, vt diligentiùs in verba, actiones, & mores eius qui fuit denunciatus, inquirant.*

2 *Quilibet tenetur sub peccato mortali alterius delictum per quod infertur grauis iniuria, & damnum proximo, præsertim quando superior id præciperet, superiori manifestare, quamuis illud non possit probare.*

3 *Rosella, Angelus, Nauarrus, Henriquez, & alij Doctores asserentes, quod nemo tenetur denunciare, quod non potest probare intelligendi sunt quando ex non denunciatione non infertur damnum proximo, nec præcipitur à superiore.*

4 *Obligatio huius iudicialis denunciationis est de hæretico proprio, qualis est pertinax, non autem de illo qui per ignorantiam, vel per metum in hæresim incidit.*

5 *Concionator qui ex incuria, vel inconsideratione aliqua inter concionandum minùs consona fidei protulit, iudicialiter denunciandus non est: excipe nisi tibi contrarium constet.*

6 *Decretum Alexandri VII. editum anno 1660. mense Augusto, districtè mandat, vt tam hæreticus, quàm quilibet alius quomodocumque, vel leuissimè de hæresi suspectus, Locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus omninò, nulla præmissa correctione denuncietur.*

1 ADuerte igitur, quod quilibet tenetur hæresim, vel crimen aliud simile occultum alterius Inquisitoribus denunciare, quamuis hæresim illam non possit probare: quia sicuti supra dicebam, licet denuncians non possit probare alterum esse hæreticum, nec ipsius testimonium sufficiat, vt Inquisitores possint contra illum procedere, aperit tamen illis viam, vt diligentiùs in verba, actiones, & mores eius qui fuit denunciatus, inquirant. Qua via facilè cognoscere poterunt Inquisitores, an qui fuit denunciatus sit hæreti-
2 cus: quod est optimum medium ad hæreses præcauendas, & vitandas. Tum quia, sicuti docent Nauarrus *in summa cap. 22. num. 83.* Couarruuias *in 4. decretal. part. 2. cap. 6. §. 10. num. 21.* Vega *in summa lib. 3. casu* 536. Driedo *lib. 1. de libertat. Christian. cap. 7. in princip.* & Henriquez *lib. 11. cap. 14 num. 15.* quilibet tenetur sub peccato mortali alterius delictum, per quod infertur grauis iniuria & damnum proximo (præsertim si superior id præciperet) superiori manifestare, quamuis illud non possit probare: Ergo multo magis tenebitur sub peccato mortali hæresim alterius occultam Inquisitoribus, id per sua edicta præcipientibus, denunciare, quamuis illam non possit probare: cùm ex non manifestatione hæresis occultæ alterius grauissima iniuria inferatur Deo, & Ecclesiæ, & notabilissimum sequatur damnum fidelibus. Tum quia ideò in aliis delictis non tenetur quia denunciare quod non potest probare, quia per huiusmodi testimonium suum vitari non potest delictum. At si denuncietur hæresis occulta alterius, poterit illa vitari: sic enim timebit hæreticus, cùm sciat posse, & debere ipsius hæresim manifestari, nec requiri vt illa probetur, suam hæresim prodere. Ergo cùm per huiusmodi denunciationem vitetur hæresis, tenetur quilibet sub peccato mortali eam denunciare, quamuis sufficienter non possit eandem probare. 3

Cùm verò Rosella *verb. Confessionis celatio, num. 15.* Angelus *verb. Confessio 8. num. 23.* Nauarr. *de restitut. lib. 3. cap. 1. num. 358.* Henriquez *lib. 13. cap. 18. num. 5.* & alij dicunt, quod nemo tenetur denunciare quod non potest probare, intelligendi sunt, quando ex non denunciatione non infertur damnum proximo, nec præcipitur à superiore, aliàs eorum opinio mihi non probatur. Vel intelligendi sunt, quando damnum est iam illatum, vt contingit in homicidio, furto, vel adulterio, &c. Quæ delicta propterea si fuerint occulta, quamuis accedat superioris præceptum, denuncianda non erunt. Sotus *de iust. lib. 5. quæst. 5 art. 1* Nauarr. *in summa cap. 25. num. 46.* & alij, quos sequitur Auila *de censur. part. 2. cap. 5. disput. 4. dub. 3. conclus. 2.*

Aduerte secundò, quod obligatio huius iudicialis denunciationis sit de hæretico proprio, qualis est pertinax, non autem de illo qui per ignorantiam, vel per metum in hæresim incidit, & qui certò præsumi potest quod monitus statim corrigatur. Toletus *libro 4. cap. 5. num. 1.* Farinacius *de hæresi quæst. 197. §. 2. num. 39.* & Bonacina *disput. 2. de censur. quæst. 6. punct. 1. num. 20.* 4

Hinc sequitur, quod non sit denunciandus iudicialiter concionator, qui ex incuria, vel inconsideratione aliqua inter concionandum minùs consona Fidei protulit (excipe nisi tibi contrarium constet) quia in dubio non præsumitur iudicio Ecclesiæ voluisse se opponere. Doctores, quos sequitur Bonacina *loco suprà citato, num. 21.* 5

Cæterùm extat nunc Alexandri VII. decretum, anno 1660. mense Augusto (postquam hæc scripseram) editum, in quo districtè mandat, vt tam hæreticus, quàm quilibet alius quomodocumque, vel leuissimè de hæresi suspectus, Locorum Ordinariis, aut Inquisitoribus omnino, nulla præmissa correctione, denuncietur. Vide quæ dicam infra dubit. vlt. sectione 13. 6



Quando denunciatio iudicialis hæc facienda sit.

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio iudicialis fieri potest verbo, vel scripto, prout denuncianti magis placuerit. Et ita vsus obtinuit, neque requiritur vt fiat coram testibus, sed satis est si Inquisitor medio Secretario illam excipiat.*

2 *Denunciatio si fiat per epistolam, in qua denuncians nomen suum non subscribat, est nullius effe-*

ctus, reputari debet, ac si facta non fuisset ne improbis hominibus ansa detur infamandi viros probos, cùm sola examinatio testium, & inquisitio circa specialem personam sit quædam illius infamatio.

1 RESPONDETVR, eam fieri posse verbo, vel scripto, prout denuncianti magis placuerit. Sic Clarus *in Pract. crimin. §. fin. q. 7.* Pegna *cit. comment. 15.* Suarez *disp. 20. sect. 4. n. 3.* & ita vsus obtinuit. Neque requiritur, vt coram testibus denunciatio, vel depositio fiat, sed satis est, si Inquisitor medio Secretario illam excipiat.

2 Aduerte tamen hic, quod si denunciatio fiat per epistolam in qua denuncians nomen suum non subscripsit, non debeat, neque possit Inquisitor procedere ad inquirendum, vel examinandum testes, etiamsi testes aliqui in schedula nominati fuerint: quia talis denunciatio est nullius effectus, & reputari debet ac si facta non fuisset, ne improbis hominibus ansa detur infamandi viros probos; cùm sola examinatio testium, & inquisitio circa specialem personam sit quædam illius infamatio. Simanch. *in Enchir. violata Relig. tit. 21. rubr. de inquisit. ordinar. n. 8.* Zecch. *1. part. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. n. 12.* Paramus *lib. 3. quæst. 6. n. 91.* & Farinacius *de hæresi q. 185. num. 68.*



DVBITATIO XVII.

An excuseris iudicialiter denunciare, si per correctionem fraternam, vel denunciationem Euangelicam speres hæreticum, vel alium similem delinquentem emendandum?

SVMMARIVM.

1 *Denunciare iudicialiter, secundùm aliquos non tenetur, si per correctionem fraternam, vel denunciationem Euangelicam speret hæreticum, vel similem alium delinquentem emendandum, si scilicet peccatum sit ex malitia, non autem ex ignorantia, vel ex metu.*

2 *Denunciare secundùm aliquos non potest iudicialiter, si scilicet delictum sit occultum, & speret correctione secreta delinquentem fore emendandum: quia in tali casu denunciatio fieri non potest ad punitionem delinquentis, sed ad illius correctionem, & ad præseruationem damni Reipublicæ imminentis.*

3 *Ante denunciationem in Inquisitione permittenda est correctio fraterna, quæ adeò necessaria est, vt si sit spes quod illa proficiat, & non sufficiet, non sit crimen denunciandum Prælato, tametsi crimen ipsum sit contra communitatem, & sit peccatum hæresis.*

4 *Superior non potest præcipere, vt prætermissa correctione fraterna reus occultus denuncietur, neque illi tale quid præcipienti obediendum est: non idcò tamen damnandum erit quod ab Inquisitoribus fidei datur statim nulla præmissa correctione, denunciandi eum quem constat hæreticum esse: nam in crimine hæresis ordinariè nulla est spes emendationis. Debet tamen vti admonitione secreta, si credit illam certò profuturam.*

5 *Mulier sollicitata in confessione non absoluatur, dum non denunciat Inquisitoribus sollicitantem, nisi spes esset, quod ille secretò correctus emendabitur: quæ spes colligi potest ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi.*

6 *Denunciatio antequam fiat à muliere sollicitata in confessione, præmittenda est fraterna correctio, si detur spes emendæ, quia præceptum correctionis est de iure naturæ, & diuino. Præceptum verò huius denunciationis est humanum, vnde potest præualere aduersus præceptum iuris naturalis & diuini.*

7 *Correctio fraterna vt indicetur non profutura, non satis est semel fieri, & non prodesse; sed debet iterum atque iterum adhiberi, quamdiu iudicio prudentis speretur emenda, contra nonnullos asserentes, quod etiam à principio, in dubio, an correctio sit profutura, præmittenda sit.*

8 *Denunciatio absolutè fieri debet, secundùm aliquos, non facta correctione fraterna, si agatur de hæresi formali: secus autem si agatur de aliis criminibus quæ sapiunt hæresim.*

9 *Denunciatio hæresis formalis debet absolutè fieri, omissa correctione fraterna, si delictum etiam sit occultum: quia ordo correctionis fraternæ seruari debet inter fratres. At hæretici cùm non sint filij Dei, sed dæmonis, non sunt fratres.*

10 *Præceptum de correctione fraterna est naturale, & diuinum.*

11 *Hæretici ratione caracteris baptismalis sunt in Ecclesia, saltem secundum quid, ac proinde collocari possunt inter fratres.*

12 *Correctio est necessaria quando est probabilis spes, quod peccator emendetur, ita vt si non fuerit talis spes, cesset tale præceptum: rarissimè enim contingit, quod hæreticus emendetur.*

13 *Hæreticus, quando non est spes emendationis, ex communi sententia Doctorum est denunciandus. Idque commune est aliis delictis.*

14 *Correctionis ordo seruandus non est ex communi sententia Doctorum, quando peccatur in Rempublicam, cùm bonum Reipublicæ præferendum sit famæ vnius personæ particularis.*

16 *Correctio, seu admonitio fraterna in aliis delictis etiam vergentibus in damnum Reipublicæ, quando creditur, quod homo abstinebit in posterum ab inferendo damno, si quæ est probabilis spes emendationis, præmittenda est.*

16 *Hæreticus quia Ecclesiam non audit, sed tantùm suo iudicio innititur, ideò non comprehenditur in præcepto correctionis, quod tamen patitur instantiam, cùm etiam peccatores Ecclesiam, & Deum non audiant, & tamen secretò corrigendi sunt.*

17 *Correctio fraterna ideò non præmittenda cum hæretico, quia periculum est, ne alios suis erroribus inficiat: quia si admoneantur, timens se prodi, finget se esse emendatum. Et hæc ratio etiam patitur instantiam: quia id non solùm in hæresi, sed etiam in aliis delictis locum habet.*

18 *Textus in cap. Excommunicamus 1. §. adiicientes, de hæreticis, nihil loquitur de correctione fraterna non præmittenda, antequam denuncietur hæreticus.*

19 *Correctio fraterna in delicto hæresis ideò est omittenda, quia sic statutum est per Inquisitorum edicta, quibus præcipitur, quod hæreticus in omni casu, quamuis delictum sit occultum, denuncietur: licet enim in aliquo casu speretur delinquentis emendatio, præmissa secreta correctione fraterna, regulariter tamen præsumenda non est in delicto hæresis, sed potiùs credendum correctum dissimulaturum, vt sic faciliùs delinquat.*

20 *Denunciatio duplex est, altera Euangelica, altera iudicialis. Ante Euangelicam, quæ intendit emendationem fratris conceditur, quod præmittenda sit correctio: non autem ante iudicialem, quæ punitionem intendit, talisque est denunciatio, quæ in Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis fit.*

21 Hær

21 *Hæreticus occultus satis probabiliter debet denunciari etiam si fuerit emendatus, & multò magis si non fuerit emendatus.*

22 *Hæreticus, vel de hæresi suspectus etiam leuissimè locorum ordinariis, vel Inquisitoribus omninò, nulla præmissa correctione fraterna, denunciandus est ex decreto Alexandri VII. edito anno 1660. mense Augusto.*

23 *Denuntiatio licet præcipuè fiat ad correctionem delinquentis, nihilominùs quia rarò, vel nunquam hæc correctio potest obtineri per correctionem fraternam, meritò Ecclesia in defensionem præcipit, vt ea non obstante, delictum manifestetur.*

24 *Præceptum Ecclesiæ non pugnat contra præceptum Christi Domini de correctione fraterna præmittenda; quia Christi Domini præceptum est de peccatis, quæ non vergunt in damnum commune, vel damnum tertij, prout constat ex illa particula, si peccauerit in te. Vide plures rationes, quæ adducuntur ibidem.*

25 *Hæreticus licèt Apostolo ad Titum 3. post vnam, vel alteram correctionem sit vitandus, non tamen ea verba ita intelligenda sunt, vt correctio fraterna sit præmittenda; quia ibi Apostolus scribit non ad quamlibet personam priuatam, sed ad Episcopum Titum, qui tenebatur ex officio hæreticum corripere, & per excommunicationis sententiam deuitare.*

26 *Hæreticus vt corripiatur fraternè antequam denuncietur, neque obligat præceptum charitatis, neque Inquisitorum decreta de eis denunciandis præcepto charitatis aduersantur.*

1 QVIDAM negant, si scilicet peccatum sit ex malitia; non autem si sit ex ignorantia, vel ex metu, iuxta ea, quæ dicebantur *dub. 5. in fine*, ita Simanch *de cathol. instit. tit.* 19. Rubr. *de denunciat. num.* 10. *& seqq.* Scaccia *de iudiciis cap.* 16. *n.* 3. Royas *tract. de hæret. 2. part. assert.* 3. Pegna *1. part. comment 2. ad cap. qui alios, de hæretic. & comment.* 18. *ad cap. qualiter & quando, de accusat. circa finem*, Tolet. *lib. 4. cap. 5. num.* 1. Azor. *tom. 1. lib. 8. c.* 19. *quæst.* 9. Bañez 2. 2. *quæst.* 11. *Art.* 4. Suarez *disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 11. Farinac. *de hæresi quæst.* 197. *num.* 39. Bonacin. *disp. 2. quæst. 6. punct. 1. num.* 20. Sanctarell. *de hæres. cap. 9. num.* 5. Sancius *in select. disp.* 11. *num.* 56. Syluius *in 2. 2. quæst.* 33. *art. 7. concl.* 27. Diana *part. 1. tract. 4. resol.* 2. Villalob. *part. 2. tract. 4. diff. 11. num.* 3. Michael Iustinianus *in suis Constit. Ecclesiast.* Henriq. *lib. 2. cap. 14. num. 10. in gloss. litt. C.* Turrian. *in 2. 2. tom. 1. disp. 58. dub.* 3. Videri etiam poterit Lorca *in 2. 2. sect. 3. disp. 47. num.* 13. & Coninch. *de fide, spe, & charitate disp.* 18. *dub.* 8. *num.* 151.

2 Alij affirmant, ita vt & sentiant etiam, te non posse iudicialiter denunciare, si scilicet delictum quodcumque illud fuerit, sit occultum (de hoc enim solo loquimur) & speres, correctione secreta delinquentem fore emendandum. Sic ex S. Thoma 2. 2. *quæst.* 33. *art. 7. in corpore*, Sotus *de iust. & iur. lib. 5. quæst. 5. art. 1. vers. his tamen non obstantibus, & in libello de ratione tegendi secret. memb. 2. quæst. 1. concl.* 1. Paludan. *in 4. dist.* 18. *quæst.* 4. Adrian. *ibid. quæst. de correct. fratern. §. Probatur decis.* Nauarr. *in repet. cap. nouit, de iudic. notab. 4. num. 1. & in cap. inter verba 11. quæst. 3. concl. 2. num.* 113. *& cons. 1. de accusat.* Aragon. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 7. vbi ait, esse communem opinionem Theologorum, & Canonistarum, Sà *verb. correct. num.* 4. Graff. *in decis. part. 1. lib. 2. cap. 69. num.* 18. Comitolus *lib. 4. quæst.* 8. Philiarchus *tom. 1. de offi. sacerd. part. 2. lib. 4. cap.* 24. Syluester *verb. correctio, quæst.* 5. Angelus *verb. denunciat. quæst.* 2. Rosella *verb. Inquisitio, num.* 1. Canus *de locis Theolog. lib. 12. cap.* 9. Lopez *part. 4. cap.* 54. Ledesma *in summ. tom. 2. tract. 4. cap. 4. concl. 24. diffic.* 2. Zanard. *in direct. confess. part. 2. præcept. 1. cap. 23. quæst.* 13. Castrus *de hæretic. punit. lib. 2. cap.* 25. Lazar. *tract. de blasphemia quæst. 12. num.* 31. Homobonus *de casib. reseruat. part. 1. cap.* 2. Guodisaluo. *tit. de hæretic. quæst. 10. num.* 6. Repertor. Inquisit. *verb. denunciator, vers. An quando proceditur*, Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 30. num.* 3. & Martinus del Rio *tom. 3. lib. 5. de disquis. magic. sect.* 4. Sic etiam sentiunt ij, qui tenent, quod quando superior scriptis, vel edictis generalibus præcipit sub pœna excommunicationis aliqua delicta denunciari, talia præcepta intelligenda sint, præmissa correctione fraterna: S. Thomas *cit. art. 7. ad 5. & quodlib. 11. art. 3. & 12.* Sotus *de ratione tegend. secret. cit. memb. 2. quæst. 4. & membr. 3. quæst.* 1. Gutierr. *lib. 1. quæst. canonic. cap. 11. num. 20. & seqq.* Turrecremat. *in cap. si peccauerit 2. quæst. 1. num.* 3. & alij.

Mouentur, quia in tali casu denunciatio fieri non potest ad punitionem delinquentis, sed ad illius correctionem, & ad præseruationem damni Reipublicæ imminentis: At hic finis speratur obtineri per correctionem; ergo non est tunc denuntiatio iudicialis adhibenda. Maior, & minor patent. Consequentia probatur, quia Christus Dominus dixit, delictum proximi manifestandum esse Ecclesiæ, quando proximus correctionem secretam non audit, tum quia charitas obligat, quod minori, qua fieri potest, iactura medicina delinquenti adhibeatur.

Videri poterit S. Thom *cit. art.* 7. item Portell *in dub. regul. verbo correctio fraterna, num.* 1. vbi ait: Constat ex euangelio, ante denunciationem in Inquisitione præmittendam esse correctionem fraternam, quæ adeò necessaria est, vt si sit spes, quod illa proficiet, & sufficiet, non sit crimen denunciandum Prælato, tametsi crimen ipsum sit contra commonitatem, & sit peccatum hæresis. Item Reginald. *in praxi tom. 2. lib.* 14. *cap. 3. sect. 6. num.* 52. vbi inquit, superior non potest præcipere, vt prætermissa correctione fraterna, reus occultus denuncietur, neque illi tale quid præcipienti, obediendum est, non ideo tamen damnandum erit, quod ab Inquisitoribus fidei datur statim, nulla præmissa correctione, denunciandi eum, quem constat hæreticum esse; nam in crimine hæresis ordinariè nulla est spes emendationis; non est verò negandum, quod si quis firmiter credat, per secretam admonitionem se conuersurum hæreticum, ac impediturum omnia mala, quæ ab eo timeri possunt, ipse debeat vti præmonitione secreta. Item Ioannes de la Cruz *in direct. conscient. part. 1. precept. 5. quæst. 2. dub. 5. concl.* 2. vbi asserit: Mulier sollicitata in confessione non absoluatur, dum non denunciat Inquisitoribus sollicitantem; nisi spes esset, quod ille secretè correctus emendabitur: quæ spes colligi potest ex qualitate corrigentis, & ex conditione corrigendi; vndè, si mulier sollicitata nouit alicuius viri aptitudinem ad illam correctionem faciendam, posset cum eo hoc intendere. Item Fagundez *de præceptis Eccles. tract. 1. lib. 4. cap. 2. num.* 31. vbi docet: Antequam fiat denunciatio à muliere sollicitata in confessione, præmittenda est fraterna correctio, si detur spes emendæ, quia præceptum correctionis est de iure naturali, & diuino, præceptum autem huius denunciationis est humanum; vnde non potest præualere aduersus præceptum iuris naturalis & diuini. 3 4 5 6

Vt autem correctio fraterna iudicetur non profutura, subdunt ipsi, non satis est, semel fieri, & non prodesse; sed debet iterum, atque iterum adhiberi, quamdiu iudicio prudentis speretur emenda, ita præcipuè Fagundez *loco supra cit.* Peyrinus *in priuileg. Minimor. tom. 2. constit. 4. Gregor. XV. §. 9. num. 26. & constit. 9. Pauli V. §. 2. num. 26. & 27.* Et quidam alij apud Martinum del Rio *lib. 5. de disquisit. magic. sect. 4. num.* 6. qui putant, quod etiam à principio in dubio, an correctio sit profutura, sit præmittenda: quam opinionem ipse Martinus del Rio etsi existimet valde æquam, contrariam tamen sequitur. 7

Alij distingunt inter hæresim formalem, & alia cri- 8

mina, etiamsi sapiant hæresim, ita vt in priori casu negent, correctionem fraternam esse præmittendam; admittant tamen in posteriori. Ita Fagundez, qui loquens de hæretico formali *precept.2.lib.6.cap.4.num.*11. negat, eum esse præmonendum; cum tamen vt suprà visum est, doceat, confessarium sollicitantem in confessione esse corrigendum; ità etiam Molfes. *in summ. tom.*1.*tract.*7.*cap.*24.*num.*25. Ortiz *in summa cap.*21. *num.*17. Homobon. *de exam. Eccles. part.*1.*tract.*7.*cap.*6. *quæst.* 29. & inclinant complures alij, quos citabam suprà pro secunda opinione.

Videri etiam poterit Valent. *tom.*4. *disp.* 3.*quæst.*10. *punct.*5.§.1. Aldrete *de relig. discipl. tuend. lib.*1.*cap.*5. §.4.*num.*28. Petr. Nauarr. *de restit. lib.*2.*cap.*4.*n.*193. Filiuc. *tom.*2. *tract.*28.*cap.*8.*num.*151. & Honuphrius *opusc. de sigillo sect.* 2. *dub.* 4. His tamen non obstantibus.

9 Respondetur cum prima sententia, quæ est communior inter Doctores, re scilicet teneri, omissa correctione fraterna, delictum occultum, si spectet ad Tribunal sancti Officij, præsertim si fuerit hæresis formalis, Inquisitoribus fidei denunciare.

Probatur ab aliquibus, quia ordo correctionis fraternæ seruari debet inter fratres, vt colligitur ex illis verbis Matthæi 13. *Si peccauerit in te frater tuus, corrige eum inter te, & ipsum solum.* At hæretici, cum non sint filij Dei, sed dæmonis, non sunt fratres, sed Christiani solùm, cùm eundem Patrem habeant, nempe Deum, & eandem Matrem, nempe Ecclesiam Apostolicam, fratres vocari debent, Theophilactus *in cap.*18. Matthæi, Tertullianus *lib. de præscript. hæret.* & S. Augustinus *serm.*16. *de verb. Domini*, quatenus ait, ethnicos, sicque etiam hæreticos, cum hi sint extra Ecclesiam, sicut ethnici, non esse vocandos fratres: Ergo.

10 Sed contra, quia præceptum hoc de correctione fraterna est naturale, & diuinum: Ergò extenditur etiam ad ethnicos.

11 Contra secundò, quia hæretici, cum retineant caracterem baptismalem, & ratione caracteris baptismalis sint in Ecclesia, saltem secundum quid, etiam in numero fratrum collocari possunt: Ergo.

12 Secundò probatur ab aliis; quia correctio est necessaria, quando est probabilis spes, quod peccator emendetur, ita vt si non fuerit talis spes, cesset tale præceptum, cum tunc corrigere sit quid vanum, & inutile, & ad vanum, & inutile nullus obligetur. At rarissimè contingit, quod hæreticus corrigatur, ergo hæreticum non tenemur secretò corrigere: Maior patet ex dictis. Minor probatur, quia hæreticus cum sit pertinax, non est paratus corrigi, sed potiùs arguenti contradicere; & cum non audiat Ecclesiam, multo minus audiet personam particularem corrigentem; quaprópter Apostolus ad Titum 3. ait: *Hic subuersus est, & suo iudicio condemnatus*, hoc est, prorsus perditus est, & desperatus, ita vt in eo oleum, & operam necesse sit perdere, si cum eo pergas disserere; & Chrysostomus in dictum locum Apostoli inquit: *Cur obsecro pugnas in cassum? cur aërem cædis?* Quinimò quo magis hæreticus de suo errore admonetur, eo tenaciùs illum tueri conatur, sicque admonitus, & correctus, deterior euadit.

14 Sed contra, quia quando nulla est spes emendationis hæretici, tunc vltro concedo cum sententia Doctorum omnium, quod is non sit admonendus, & corrigendus, sed omissa correctione, & admonitione sit superiori denunciandus: Quod est commune aliis delictis, præsertim, si vergant in damnum Reipublicæ, vel etiam alicuius particularis innocentis: sed nos quærimus, si hic, & nunc sit probabilis spes emendationis: In quo casu, etiamsi simus in delictis, quæ vergunt in damnum Reipublicæ, locum habet correctio, & admonitio secreta: Ergo retorquetur potiùs argumentum; vel detur disparitas.

Tertiò probatur ab aliis, quia ordo correctionis ex communi sententia Doctorum seruandus non est, quando peccatur in Rempublicam, cùm bonum Reipublicæ præferendum sit famæ vnius personæ particularis, sed nullum est crimen, quod magis Reipublicæ possit obesse, quàm hæresis, cum aduersetur Religioni, quæ cunctis rebus debet anteponi: Ergo.

Sed contra, quia in aliis delictis, etiam vergentibus in damnum Reipublicæ, quando creditur, quod homo abstinebit impostetum ab inferendo damno Reipublicæ, sicque est spes probabilis emendationis, præmittenda est correctio, seu admonitio fraterna: Ergo retorquetur etiam potiùs argumentum, vel danda erit disparitas. 15

Quartò probatur ab aliis, quia Christus Dominus *in citato cap.* 18. Matthæi præcipit, quod qui Ecclesiam non audierit, non ampliùs corrigatur, vel admoneatur, sed tanquam ethnicus, & Publicanus habeatur. At hæreticus non audit Ecclesiam, sed suo tantum vult inniti iudicio: Ergò præceptum illud Christi non comprehendit hæreticum. 16

Sed contra, quia & alij peccatores Ecclesiam & Deum non audiunt, & tamen, antequam ad superiores referantur, sunt secretò admonendi, & corrigendi: Ergo.

Quintò probatur ab aliis, quia periculum est, ne hæreticus alios suis erroribus inficiat, si enim admoneatur ipse, ne prodatur finget, se esse emendatum, & in eadem hæresi persistet, sicque facilè alios suis erroribus inficiet:) Ergo merito, omissa omni correctione, & admonitione fraterna, debet Inquisitoribus denunciari. Accedit, quod cum per correctionem, & admonitionem secretam rarissimè resipiscat, frustrà correctio & admonitio secreta præmittitur. 17

Sed contra, quia quando est tale periculum, tunc quidem omittenda est admonitio, & correctio fraterna, quod idem contingit in aliis delictis nociuis, & perniciosis, etiam non publicis. At quando est spes probabilis emendationis, tunc è contra ex communi sententia Doctorum præmittenda est prædicta correctio, & admonitio: Ergo similiter etiam potius retorquetur argumentum, vel dari debet disparitas.

Sextò probatur ab aliis auctoritate Textus *in cap. excommunicamus* 1. §. *Adiicientes, de hæretic.* sic præter alios Royas *singul.*3.*num.*11. 18

Sed contrà, quia, quidquid dicat Royas *loco suprà citato*, talis textus nihil dicit de hac re; sicuti rectè præter alios adnotarunt Suarez de fide *disp.*20.*sect.*4.*n.*11. & Ludouic. Carter. *tract. de hæretic. num.*110. His igitur reiectis rationibus.

Septimò sic probatur meliùs nostra responsio: Ratio cur omittenda sit correctio fraterna in peccato hæresis est, quia sic statutum est per Inquisitorum edicta, quibus præcipitur, quod hæreticus in omni casu, quamuis delictum sit occultum, quamuis non alius præter eum, qui denunciat, sciuerit, & quamuis si secreto corrigatur, sit spes emendationis, denuncietur: Quæ edicta, cum sint in materia magni momenti, & sint valdè rationabilia, obligant sub peccato mortali: Ergo. 19

Quod sint in materia magni momenti patet, quod autem sint valdè rationabilia, probatur, quia cùm peccatum hæresis sit valde graue, & facilè inficiat totum regnum; & rarissimè contingat, quod hæreticus per secretam admonitionem corrigatur, quia si non audit Ecclesiam, multo minus audiet personam particularem; & cum præterea facilè possit fingere, se resipuisse, & adhuc tamen in eadem praua voluntate persistere, non potest, nec debet qualibet persona particularis diiudicare, & discernere, vtrum reuera secuta sit emendatio, an solum fingatur: Ergo non potest Ecclesia hanc cognitionem sibi reseruare, & non concedere, quod qualibet persona particularis possit de hoc iudicare, sed debeat hoc crimen statim, omissa omni correctione fraterna, sacræ fidei Inquisitoribus denunciare.

Confirmatur,

Confirmatur, quia licet in aliquo casu speretur delinquentis emendatio, secreta correctione fraterna, vel denunciatione euangelica, regulariter tamen ex dictis præsumi non potest, sed potius credendum, se correctum dissimulaturum, vt sic facilius delinquat, & errores diffundat; at ob hoc periculum boni communis potest Ecclesia præcipere, quin de facto præcipit, sicuti patet ex tenore edicti communiter publicati, vt sibi delicta immediatè denuncientur: Ergo posito tali præcepto (quantumuis speretur correctio in aliquo casu speciali) teneris peccata delinquentis, omissa correctione fraterna denunciare; quia non cessat finis legis absolutè, & in vniuersali.

20 Confirmatur secundò, quia duplex est denunciatio, vna Euangelica, altera iudicialis. Ante Euangelicam, quæ intendit emendationem fratris, conceditur, quod præmittenda sit correctio; non autem ante iudicialem, quæ punitionem intendit: sicuti constabit ex iis, quæ mox infrà dicentur in responsione ad fundamentum oppositæ sententiæ: sed talis est denunciatio, quæ in tribunali Inquisitionis efficitur, vt scilicet hæreticus non solùm corrigatur, & emendetur, sed etiam vt publicè puniatur, vt alij abstineant, & vt hæresis, tanquam cancer non serpat, & suo veneno fideles inficiat: quæ omnia per secretam admonitionem præstari non possunt: Ergo necesse non est, quod ante istam denunciationem correctio præmittatur.

21 Confirmatur tertiò, quia satis probabiliter, vt infrà dubitatione sequenti dicetur, hæreticus occultus debet denunciari, etiamsi fuerit emendatus: Ergo multo magis debebit denunciari, si non fuerit emendatus, & propterea poterunt Inquisitores edicta ferre, quod quilibet teneatur denunciare hæreticum occultum, etiam quando est probabilis spes, fore quod si admoneatur, resipiscat, & corrigatur.

22 Confirmatur quartò: Nunc extat Alexandri VII. decretum anno 1660. mense Augusto, postquam hæc scripseram, editum, in quo districtè mandat, quod tam hæreticus, quàm de hæresi, quamuis leuissimè suspectus, locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, omninò, nulla præmissa correctione fraterna, denuncietur. Vide quæ etiam dicam infra *dub. 118. sect. 21. & dub. vlt. sect. 13.*

23 Hinc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ: Concedo enim, denunciationem illam præcipuè fieri ad correctionem delinquentis, sed quia raró, vel nunquam hæc correctio potest obtineri per correctionem fraternam, meritò Ecclesia in defensione fidei præcipit, vt ea non obstante, delictum manifestetur.

24 Neque aduersus hoc præceptum Ecclesiæ pugnat præceptum Christi Domini de correctione fraterna præmittenda, quia Christi Domini præceptum est de peccatis, quæ non vergunt in damnum commune, vel damnum tertij, sicuti satis constat ex illis verbis: *Si peccauerit in te frater tuus.* Tum melius, quia loquitur spectatis rebus secundùm se; secus autem, si ob bonum commune lata sit aliqua lex, quæ casus communiter contingentes respiciat: Tunc enim bonum commune præferendum est particulari; & potius spectandum, vitare periculum boni communis communiter contingentis, quàm in vno, vel in alio casu vitare damnum alicuius delinquentis particularis. Tum etiam melius, quia Christus Dominus ibi loquitur de correctione, quæ fit solùm, vt frater emendetur, sicuti constat ex illis verbis: *Si te audierit, lucratus eris fratrem suum:* Quapropter Augustinus in illa verba ait, quod finis correctionis sit fratris emendatio, & vtilitas: sicuti etiam habetur *in cap. nouit, de iudiciis, cap. super his, de accusat. & cap. si peccauerit 2. quæst. 1.* Et in huiusmodi correctione quidem seruari debet ordo ille à Christo Domino præfixus, cùm secreta admonitio sufficiat, quod frater emendetur. At nos loquimur de denunciatione iudiciali, quæ fit, vt delinquens publicè puniatur, vt alij abstineant, & vt peccatum alios non inficiat: Non igitur Inquisitorum edicta sunt contrà præceptum Christi Domini, cum non loquatur Christus Dominus de hac denunciatione, scilicet iudiciali; & ideo Tertullianus *de præscript. cap. 16.* expressè docet, quod in hæreticis locum non habeat præceptum Domini de ordine seruando quoad correctionem fraternam, sicut & docet etiam S. Thomas *2. 2. quæst. 33. art. 7.* rationem assignans, quòd hæresis delictum non sit priuatum, nec debeat reputari tanquam secretum, sed ex vi obiecti tanquam publicum; cum repugnet Deo, & communi bono fidelium; sed tertia legitima ratio est, quam supra dicebam.

Neque obstat, quod ad Titum 3. dicatur, *hæreticum hominem post vnam, aut alteram correctionem deuita:* Ergo hæreticus, antequam denuncietur, est priùs admonendus. 25

Respondetur enim: nego consequentiam, quia ibi Apostolus scribit, non ad quamlibet personam priuatam, sed ad Episcopum Titum, qui tenebatur ex officio hæreticum hominem corripere, & per excommunicationis sententiam deuitare, reiicere, & prohibere, ne fideles cum illo, si post admonitionem non resipisceret, vllam communicationem haberent; sic explicant prædicta verba Lyranus, S. Thomas, & alij, quos sequitur Simanch. *de cathol. Institut. tit. 19. num. 14.*

Neque etiam obstat, si dicas: Potest quis hereticum secretò corripere: Ergo ex charitate tenetur id facere, 25
cum per accusationem, vel denunciationem frater multis incommodis, & molestiis exponatur: ergo etiam Inquisitorum decreta, quibus præcipitur, quod hæreticus absque præcedenti monitione accusetur, vel denuncietur, aduersantur præceptor charitatis.

Respondetur enim: Nego primam & secundam consequentiam, quia ex dictis cùm bonum commune præferri debeat bono particulari, & bonum spirituale præferri debeat bono temporali, iustè præcipitur, quod hæreticus in commune bonum fidei vniuersaliter, & in omni casu, omissa correctione fraterna, denuncietur, quia maior ratio haberi debet ad bonum commune, & spirituale, quàm ad incommodum, quod exindè pati potest persona aliqua particularis. Vt omittam, quod idipsum redundet etiam in bonum ipsiusmet personæ particularis, scilicet hæretici, quia sic vel resipiscet, vel saltem minùs peccabit, vti suprà etiam dicebam.



DVBITATIO XVIII.

An excuseris iudicialiter denunciare, si putes hæreticum esse iam emendatum?

SVMMARIVM.

1 *Denunciare iudicialiter quis tenetur hæreticum, licet putes hæreticum esse iam emendatum, quia præceptum denunciationis non est ob specialem correctionem delinquentis solam; sed præcipuè ob correctionem publicam, & securitatem fidelium.*

2 *Denunciare non tenetur iudicialiter quis hæreticum emendatum; quia in dicto casu cum non possit considerari hæresis formalis, non potest à iudicibus intendi punitio, quia punitio intenditur in satisfactionem iniuriæ factæ Reipublicæ crimine delinquentis: At quando crimen est occultum cessat iniuria.*

3 *Excipe hæreticum formalem, si dogmatizare consueuerit, quia tunc intulit iniuriam Reipublicæ, & præterea non est hæreticus occultus, sed publicus.*

4 *Denuncia*

4 *Denunciationis finis in delictis secretis non est correctio publica, quia cum non sit publicè damnum factum, non est cur publicè corrigatur. Et Ecclesia procedit per censuras, quæ præcipuè ordinantur ad correctionem delinquentis.*

5 *Delinquens emendatus præsumitur, si sacramentaliter fuerit confessus: At hoc saltem vniuersim non probatur, maximè in hæretico formali, & in sacerdote, qui sollicitauerit in confessione.*

6 *Delinquens emendatus præsumitur, si fuerit Iubilæum consecutus. Vel vt alij dicunt, si benè vixerit per triennium.*

7 *Alij verò id remittunt prudentis viri arbitrio.*

8 *Hæreticus occultus, quamuis iam emendatus, Inquisitoribus est denunciandus, maximè post Alexandri VII. decretum anno 1660. mense Augusto editum, tum ex vi prædicti decreti, tum ne hæreticus audeat manifestare suos errores, & alios inficere, tum quia hæreticus ne denuncietur, facilè finget emendationem, &c.*

9 *Doctores asserentes hæreticum superiori denunciandum non esse, quando constat prorsus emendatum & reuera, & ex animo pœnituisse, explicandi sunt de aliis delictis, cum ex dictis in delicto hæresis sit specialis ratio denunciandi.*

1 VIDAM, & quidem satis probabiliter, negant, ita vt & teneatis in tali casu iudicialem denunciationem facere. Sic Suarez *de fide disp. 40. sect. 6. num. 13.* Salonius *in 2. 2. quæst. 68. art. 1.* Royas *singul. 3. num. 33. & in tract. de hæret. part. 3. quæst. 54. & 55.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 19. num. 12.* Farinac. *de hæresi quæst. 197. §. 2. num. 52.* Paramus *de orig. sanct. Inquisition. lib. 3. quæst. 8. num. 90.* Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 9.* Emanuel Sà *verb. denunciatio*, Michaël Iustinianus *in suis constitutionibus Ecclesiasticis*, Sanc. *in select. disp. 11. num. 51.* Diana *part. 1. tract. 4. resol. 3.* & Bonacin. *disp. 6. punct. 3. num. 9. & punct. 2. num. 9.*

Mouentur, quia præceptum denunciationis non est ob specialem correctionem delinquentis solùm, sed præcipuè ob correctionem publicam, & securitatem fidelium; sed hic finis non videtur obtentus, delinquente emendato, nisi etiam ab Inquisitoribus sit correctus, & punitus: Ergo, &c. His tamen non obstantibus.

2 Respondetur cum Soto *lib. 3. quæst. 5. art. 5.* Zanard. *part. 3. cap. 31.* Acugna *quæst. 3. num. 15. & quæst. 18. de confess. sollic. num. 14. circa finem.* Freit. *num. 34.* Molfes. *tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 21.* Genuens. *cap. 18. num. 6.* Nald. *verb. accusare, num. 1.* Victorell. *in notis ad summ. Nauarr. cap. 25. num. 33.* Finell. *cas. 1. num. 8.* Megal. *part. 1. lib. 1. cap. 5. num. 26.* Portell. *in addit. ad dub. regul. verb. sollicitare fœminas, num. 18.* & Peregrin. *tom. 2. institut. Gregor. XV. § 6. num. 31.* affirmatiuè, adeò vt in tali casu non possis iudicialiter denunciare; quia in dicto casu, præsertim si non sit hæresis formalis, non potest à iudicibus intendi punitio, ex textu *in cap. Inquisitionis, 3. 3. de accusat.* Et ratio est, quia punitio intenditur in satisfactionem iniuriæ factæ Reipublicæ crimine delinquentis: At quando crimen est occultum, cessat iniuria Reipublicæ, & consequenter eius satisfactio: Ergo restat solum, vt intendatur delinquentis emendatio, & damni facti reparatio: ergo, si totum hoc præsupponitur factum, vel non est locus vt fiat; quia iam delinquens è vita discessit, cessabit obligatio denunciationis, cum cesset finis illius.

3 Hinc cum Genuensi *cap. 18. num. 6.* Molfes. *in summa tom. 1. tract. 7. cap. 14. num. 21.* Megal. *part. 1. lib. 1. cap. 5. num. 26.* excipe hæreticum formalem, si dogmatizare consueuerit, quia tunc intulit iniuriam Reipublicæ, & prætereà non est hæreticus occultus, sed publicus.

4 Hinc etiam patet ad fundamentum oppositum: Nego enim, finem denunciationis in delictis secretis esse correctionem publicam, quia cum non sit publicè damnum factum, non est, cur publicè corrigatur, securitas autem fidelium obtinetur, si delinquens sufficienter emendatus sit. Accedit, quod in dubio, an Iudex procedat ad satisfactionem Reipublicæ, & delicti commissi vindictam, vel ad delinquentis correctionem, probabilius est, quod procedat ad delinquentis correctionem; quia hic finis benignior est, & Ecclesiæ communior. Tum quia procedit per censuras, quæ præcipuè ordinantur ad correctionem delinquentis, Auila *de censur. 2. part. disp. 5. dub. 4.* Suar. *de censur. disp. 20. num. 8.* Barbos. *3. part. allegat. 96. num. 69.* & Filiuccius *tract. 14. cap. 2. quæst. 1. num. 28. & 30.*

Petes, quandonam præsumatur delinquens emendatus? 5

Quidam, vt Felinus *in cap. testimonium, de testibus*, putant præsumi delinquentem emendatum, si sacramentaliter fuerit confessus.

At hoc mihi, saltem vniuersim, non probatur, vt in hæretico formali, & in Sacerdote, qui sollicitauerit in confessione: nam cum semel Sacramento confessionis abvsus fuerit, præsumitur semper abvti, cum semel malus, semper præsumatur malus in eodem genere mali.

Alij, vt Genuensis *loco suprà cit.* putant delinquentem emendatum, si fuerit iubilæum consecutus. 6

Alij, vt Riccius *1. part. decis. 169. num. 14.* Freitas *in addit. ad tract. de confess. sollicit. quæst. 8. num. 35. & quæst. 8. num. 39.* Homobon. *de exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 7. quæst. 33.* putant, si benè vixerit per triennium.

Alij melius putant, id remittendum esse arbitrio prudentis viri, considerata qualitate personarum, &c. 7

Cæterum post Alexandri VII. decretum anno 1660. mense Augusto, quod postquam hæc scripseram exiit, mihi magis probatur sententia prior, quod scilicet tenearis hæreticum occultum, quamuis iam emendatum, Inquisitoribus denunciare, tum ex vi prædicti decreti, tum quia, cùm hæreticus sciat, se quamuis resipiscat, Inquisitoribus esse denunciandum, non audebit suos errores manifestare, nec alios pestifera sua doctrina inficere, quod cedit in bonum publicum fidei: tum quia hæreticus facilè, ne denuncietur, & puniatur finget, se esse emendatum, cum tamen reuera in eadem hæresi persistat, quod è contra cedit in damnum publicum eiusdem fidei: Ergo ad Inquisitores, & non ad quamcumque personam priuatam pertinere debebit, vt inquiratur, vtrum vera, an ficta sit emendatio: tum quia forsan hæreticus ab aliquo fuit ipse infectus, vel ipse alios infecit: Quod Inquisitores cognoscere debent, vt hæreses vitentur, & hæretici puniantur, & cæteri contineantur in officio: tum quia sicuti suprà dicebam, & præter alios notat Simanch. *de cathol. instit. tit. 19. num. 12.* iustissimis Inquisitorum edictis per auctoritatem Apostolicam sic præcipitur. 8

Non obstat, quod multi Doctores graues, vt S. Thomas *quodlib. 11. art. 13. ad 3.* Paludanus *in 4. dist. 19. quæst. 4. n. 3.* Sotus *de ratione tegendi secretum membr. 2. quæst. 4. dub. 3. concl. 4.* Nauarr. *in summa cap. 24. n. vlt. & in cap. inter verba 11. quæst. 3. concl. 6. coroll. 44. n. 115.* Syluest. *verb. denunciatio, quæst. 1.* Armilla *eodem verbo num. 1.* Adrianus *in 4. quæst. de correctione fraterna, §. probatus*, S. Antoninus *part. 2. tit. 9. cap. 6. §. 4.* Valentia *2. 2. disp. 3. quæst. 10. punct. 5. col. 15. vers. sed rectius*, Aragon. *2. 2. quæst. 3. art. 7. in fine*, & Petrus Nauarr. *lib. 5. de restitut. cap. 4. part. 2. dub. 15. num. 120.* in vniuersum doceant, hominem, quando constat esse prorsus emendatum, & reuera, & ex animo pœnituisse, superiori denunciandum non esse. 9

Respondetur enim, quod hi Doctores explicandi sint de aliis delictis: Nam in delicto hæresis est specialis ratio, vt quamuis occultum, & emendatum sit, denuncietur propter rationes dictas; vel quod loquantur de

de denuociatione Euangelica, in qua tota correctio, & admonitio ordinatur ad huoc finem, vt frater emendetur: Quapropter, quando constat, quod sit emendatus, non est vlterius progrediendum. Nos autem loquimur de denunciatione iudiciali, quæ ordinatur non solùm ad emendationem hæretici, sed etiam ad punitionem delicti, vtque hæresis delictum omninò præcaueatur.

Accedit, quod è contrà graues etiam Doctores, vt Richard. *in 4. dist. 18. art. 3. quæst. 1. in corpore*, Angel. *verb. denunciatio, num.* 10. Gabriel. *in canon. Miss. lect. 74. lit. V.* Rosella *verb. inquisitio*, Gerson *part. 2. tit. de correct. proximi*, *Alphab. 34. litt. I. vers. Item peccatur*, & Graff. *in decis. part. 1. lib. 2. cap. 69. num.* 30. sentiant, quod vniuersaliter quodcumqoe delictum etiam emendatum, possit denunciari, quando superior præciperet, vt denuncietur.



DVBITATIO XIX.

An excuseris iudicialiter denunciare, ratione damni grauis emergentis?

SVMMARIVM.

1 *Denunciare iudicialiter quis non tenetur, casu, quo aliqua via damnum commune Reipublicæ impediri potest; si ex denunciatione iudiciali sibi timeat grauem iacturam in vita, fama, vel re familiari; quia præcepta Diuina, & Ecclesiastica non obligant cum tanto rigore.*

2 *Denunciare iudicialiter quis non tenetur si dictum damnum commune Reipublicæ alia via impediri non potest secundum plures Doctores, quia scilicet præcepta Diuina, & Ecclesiastica cum tanto rigore non obligant, &c.*

3 *Denunciare iudicialiter tenetur quis, si damnum commune Reipublicæ sit multo grauius, & longè præponderet suo damno speciali; quia tunc bonum commune preferri debet priuato, si tamen damnum commune Reipublicæ non sit ità graue, neque longè præponderet, suum damnum speciale videtur excusari.*

4 *Denunciare nemo tenetur, nec testificare, quando probabiliter timet aliquod graue damnum spirituale, vel temporale, vel inimicitiam capitalem ex reuelatione sibi euenturam.*

5 *Nemo denunciare tenetur socium sui criminis, quia seipsum manifestaret manifestando socium criminis; tenetur tamen quis denunciare socium sui criminis, si ille in perniciem Reipublicæ dogmatizare consueuerit.*

6 *Denunciare tenetur quis propinquos hæreticos, & sanguine vinctos etiam fratres; tametsi non dogmatizent, & cur, & scriptura etiam probatur, necnon ratione, quia iniuria facta est Religioni.*

7 *Denunciare non tenetur filius patrem hæreticum, quia in dicta lege Deuteronomij non est facta mentio de filio respectu patris; tum quia reuerentia debita patri præponderare videtur cuilibet alteri obligationi; tum quia talis denunciatio cadit in damnum graue ipsius filij denunciantis, qui redderetur infamis, & priuaretur bonis.*

8 *Limita filium non teneri denunciare patrem hæreticum, benè tamen posse.*

9 *Limita secundò, nisi interrogetur à iudice, & præcipuè medio iuramento, quia tunc debet hæresim patris manifestare.*

10 *Limita tertiò, nisi hæresis patris perniciosa Reipublicæ sit, quia dogmatizare consueuit.*

11 *Limita, filium teneri denunciare patrem, si pater eum induxit ad hæresim, secus si non induxit. Probabilius tamen est oppositum, quod scilicet teneatur denunciare patrem etiam non dogmatizantem, si peccatum patris alia via impediri non possit.*

12 *Neque est contra reuerentiam debitam patri, eius vtilitatem spiritualem quærere, & peccatum impedire.*

13 *Patrem impugnantem patriam licet interficere, & multò magis licebit eundem catholicæ fidei reum denunciare.*

14 *Filius denuncians patrem hæreticum à pœnis in hæreticorum filios iure statutis ob præmium denunciationis liberatur, idque ne tale scelus ex defectu denunciationis restet impunitum.*

15 *Pater sic à filio denunciatus debet mitius puniri, ne scilicet ipse filius in Patre puniatur.*

16 *Filius denuncians patrem hæreticum non est cogendus ad testimonium ferendum contrà patrem, si alij testes haberi possint, quia cum sit persona priuilegiata, solum in subsidium cogi debet.*

17 *Vxor licet secundùm aliques non teneatur denunciare maritum hæreticum, vel è contrà, quia reputantur vna caro, & vna persona, tenetur tamen præciso graui damno denunciare, etiamsi non dogmatizet.*

18 *Hæreticus si abiurans apud Inquisitores iterum delatus, quod nonnullos complices in suo examine subticuisset, si respondeat id fecisse metu grauis mali, non est indistinctè puniendus, nec Curiæ sæculari tradendus, sed mitius puniendus.*

SVppono, quod casu, quo aliqua via damnum commune Reipublicæ impediri potest, iudicialiter denunciare excuseris, si ex denunciatione iudiciali tibi timeas grauem iacturam in vita, fama, vel re familiari; quia præcepta diuina & Ecclesiastica non obligant cum tanto rigore. Difficultas igitur est, si dictum damnum commune Reipublicæ alia via impediri non possit. In qua difficultate. 1

Quidam graues Doctores adhuc affirmant, te excusari ob rationem iam tactam, quia scilicet præcepta Diuina, & Ecclesiastica cum tanto rigore non obligant, cum lex Domini suauior sit, eiusque præcepta leuia. Tum quia, si cum aliis crimen, etiam hæresis commisisti, tamen quamuis tu ab illa desistas, ex communi sententia Doctorum non teneris socios criminis denunciare, quia obligateris denunciare teipsum, cùm tamen nemo teneatur se prodere, *cap. Aliquando, de pœnit. distinct.* 1. & docent communiter Doctores, Pegna, Simanch. & Suarez, quos citat, & sequitur Sanctarellus *de hæres. cap. 11. dub. vnic. num.* 19. Fernand. *part. 1. cap. 1. §. 5. num. 5.* & *part. 4. cap. 6. num. 5. §. 1.* Valer. *verb. hæresis, differ. 1. num.* 4. Riccius *part. 3. decis. 272. num. 1.* Acugna *in tract. de confess. sollicit. quæst. 10. num. 4.* & *quæst. 11. num. 2.* & ibi Freitas *in addit. num. 15. & 11.* Homobon. *part. 2. tract. 11. cap. 4. quæst. 4.* Zanard. *in direct. confess. part. 3. in fine*, Molfes. *in summa tom. 1. tract. 7. cap. 14.* Portell. *in Addit. ad dub. regul. verb. sollicitare fœminas, num.* 15. Zerola *in praxi Episcop. part. 1. verb. hæresis, quæst.* 35. Lorichius *tom. 1. verb. denunciatio, num.* 3. & Megal. *part. 1. lib. 1. cap. 5. num.* 30. Ergo quotiescumque graue damnum tibi imminet in vita, fama, vel re familiari ex denunciatione iudiciali, cessare poteris ab illa. His tamen non obstantibus. 2

Respondetur melius distinguendo: si damnum commune Reipublicæ sit multò grauius, & longè præponderet tuo damno speciali, iudicialiter denunciare teneris, quia tunc bonum commune præferri debet priuato, si tamen damnum commune Reipublicæ non sit ita graue, neque longe præponderet tuo damno speciali, videris excusari iudicialem denunciationem facere ob rationẽ dictam; quod scilicet præcepta diuina & Ecclesiastica nõ 3

obligant cum tanto rigore, Bonacin. *de censur. disp.* 2.
quæst. 6. *punct.* 1. *num.* 5. Royas *singul.* 3. *num.* 3. Pegna
2. *part. director. quæst.* 53. *comm.* 78. *vers. At non videtur*,
Scacc. *de iudic. cap.* 56. *num.* 4 Farinac. *de hæres. quæst.* 197.
§. 1. *num.* 53. & Barbos. qui complures citans ait, quod
4 nemo tenetur denunciare, nec testificare, quando
probabiliter timet aliquod graue damnum spirituale,
vel temporale, vel inimicitiam capitalem ex reuelatione
sibi euenturam.

5 Ex dictis sequitur, quod (licet ex Pegna, & Simancha,
quos citat, & sequitur Suar. *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *n.* 18.
M. gal. 1. *part. lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 30. & Portell. *in addit.
ad dub. regul. verb. denunciatio, num.* 10. non tenearis denunciare
socium tui criminis, quia non teneris manifestare
teipsum, vti dicebam. Et absque dubio teipsum
manifestares, manifestato socio tui criminis: siquidem
ille manifestatus, & à te denunciatus, debebit interrogatus
fortiori ratione te manifestare, quam tu illum)
tamen tenearis denunciare socium tui criminis, si ille
in perniciem Reipublicæ dogmatizare consueuerit,
quia, sicuti dicebam, bonum commune, si multo præponderet
priuato, præferri debet; & sumus in casu, quo
quilibet pro bono communi tenetur propriam vitam
ponere.

6 Sequitur secundò quod tenearis denunciare propinquos
hæreticos, & sanguine iunctos, etiam fratres, tametsi
non dogmatizarent: quæ est Dianæ *part.* 1.
tract. 4. *resol.* 5. & communis sententia Doctorum, etsi
in contrarium sentiant aliqui, & inclinare videantur.
Cantera *in rubr. de hæretic. vers. ex qua quidem glossa*,
Riccius *part.* 3. *decis.* 279. *num.* 6. & Ioan. Valer. *in differ.
vtriusque fori verb. hæresis num.* 4. & satis probatur ex
Deuteron. 13. vbi lex, tanquam à natura indicta dicit:
*Si tibi persuadere voluerit frater tuus, filius matris tuæ,
aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo,
aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clam dicens;
eamus & seruiamus diis alienis, &c. non miserearis, ne
occultes eum.*

Non obstat, si dicas, verba hæc solum indicare, te
denunciare teneri, si propinquus voluit te peruertere,
secus si sibi soli damnosus est.

Respondetur enim, quod quia crimen istud rarò
contingere potest, ne alios inficiat, ideò ex dictis verbis
sufficienter colligatur obligatio denunciandi propinquos.
Accedit, quod obligatio non tam oritur ex propria
iniuria, quàm ex incuria, quæ Religioni facta est,
& facienda timetur.

7 Sequitur tertiò, quod, licet Alexander de Alex.
part. 3. *quæst.* 13. *membr.* 4. *art.* 2. *dub. vlt.* Royas *singul.* 11.
num. 2. *& singul.* 5. *num.* 29. Riccius *part.* 3. *decis.* 178.
num. 8. Ioan. Valer *cit. verb. hæresis, num.* 4. & Simanch.
de cathol. instit. tit. 19. *num.* 47. *&* 48. & *tract. de patre
hæretico, num.* 14. *& seqq.* sentiant, te non teneri denunciare
patrem hæreticum; quia in dicta lege Deuteronomij,
non est facta mentio de filio respectu patris.
Tum quia reuerentia debita patri præponderare videtur
cuilibet alteri obligationi. Tum quia talis denunciatio
8 cedit in damnum graue ipsius filij denunciantis: redditur
enim exindè infamis, & priuatur bonis, &c.
Quam tamen sententiam limitat præcipuè Simanchas
9 *cit. tit.* 19. *num.* 43. *&* 44. & *cit. tract. num.* 41. Primò
ità vt intelligatur, filium non teneri denunciare patrem
hæreticum, benè tamen posse. Secundò, nisi interrogetur
à iudice, & præcipuè medio iuramento;
10 quia tunc debet hæresim patris manifestare. Tertiò
nisi hæresis patris perniciosa Reipublicæ sit; quia
dogmatizare consueuit: Royas verò *cit. singular.* 12.
11 admittit filium teneri denunciare patrem, si pater
eum induxit ad hæresim, secùs si non inducebat. Probabilius
tamen sit oppositum, te scilicet teneri denunciare
patrem, & etiam non dogmatizantem, si peccatum
patris alia via impediri non possit; quod docet
Castr. *de iust. hæretic. punit. lib.* 2. *cap. fin.* Zecch. *in
summa* 1. *part. tit. de fide rubr. de hæresi, cap.* 11.
num. 12. Mascard. *de probat. lib.* 2. *concl.* 857. *num.* 18.
& seqq. Paramus *de orig. S. Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 8.
num. 83. Farinac. *de hæres. quæst.* 197. *num.* 40. *&* 42.
in fine, Pegna *lib.* 2. *directory, comment.* 15. *ad cap.
litteras.* Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 21. Tolet.
lib. 5. *cap.* 1. *num.* 10. Azor. *part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 2. *quæst.* 3.
Comitolus *in resp. moral. lib.* 4. *quæst.* 8. *num.* 3. Lopez
in instruct. 1. *part. cap.* 54. Portell. *in dub. regul. tom.* 1.
verb. correctio fratrum, num. 11. Sanctarellus *de hæres.
cap.* 9. *num.* 15. Bonacin. *de censur. disp.* 2. *quæst.* 6.
punct. 1. *num.* 5. Diana *part.* 1. *tract.* 4. *resol.* 4. &
Barbos. *de potest. Episc.* 3. *part. alleg.* 96. *num.* 56. Quia,
sicuti dicebam, damnum commune præferri debet 12
speciali. Neque est contrà reuerentiam debitam patri,
eius vtilitatem spiritualem quærere, & peccatum impedire.
Et, vt rectè dixit Pegna, potiùs est obediendum
Deo, quàm parentibus, *cap. relatum, de sent.
excomm. & cap. Quisquis metu* 11. *quæst.* 3. Et meritò, 13
quia, si licet interficere patrem impugnantem Patriam,
leg. minimè, ff. de Religios. & sumpt. funer.
multò magis licebit eundem Catholicæ fidei reum denunciare.

Aduerte tamen cum Pegna *loco supra cit.* quod filius 14
denuncians patrem hæreticum, à pœnis in hæreticorum
filios iure statutis ob præmium denunciationis
liberetur, *argum. leg. quisquis, §. vlt. Cod. ad leg.
Iul. majest.* Idque ne tale scelus ex defectu denunciationis
restet impunitum, *leg. commissi nobis cælitus*,
quam legem Innocent. IV. posteà probauit in Bulla,
Cum aduersus: prout refert Pegna *in vltim. part.
directorij, fol.* 9. Videri etiam poterit Castro
lib. 1. *cap.* 26. & Suarez *disput.* 20. *section.* 4.
num. 22.

Aduerte secundò, cum Royas *cit. singul.* 12. *num.* 6. 15
& Farinac. *de hæres. quæst.* 197. *num.* 45. quod pater sic à
filio denunciatus, debeat mitius puniri; ne scilicet ipse
filius in patre puniatur.

Aduerte tertiò, cum Genuensi *in praxi Archiep.
cap.* 18. *num.* 9. & Filiuccio *tom.* 1. *tract.* 40. *cap.* 8.
num. 233. quod, licet in sententia ipsorum, & aliorum
quorundam, vt suprà, debeat filius denunciare
Patrem hæreticum, saltem quando patris hæresis in
perniciem publicam tendit, vt si dogmatizaret, &
filium, aliosque doceret, vel quando filius interrogaretur
à iudice, tanquam testis, adhuc tamen in 16
isto secundo casu non sit filius cogendus ad testimonium
ferendum contrà Patrem, si alij Testes haberi
possint; quia, cum sit persona priuilegiata, solùm in
subsidium cogi debet; & ita in curia Archiepiscopali
Neapolitana practicatum esse, testatur Genuensis *loco
supra citato.*

Sequitur quartò, quod licet Pegna *in direct.* 2. *part.* 17
quæst. 53. *comment.* 78. *vers. At non videtur*, Cantera
in quæst. crimin. rubr. de hæres. cap. 1. *num.* 22. *vers. ex
qua quidem glossa*, Scaccia *de indic. caus. ciu. crim. &
hær. cap.* 56. *num.* 14. *in fine*, Farinac. *de hæres. quæst.* 198.
num. 49. *&* 53. Bonacina *de censur. disp.* 2. *quæst.* 6. *punct.* 1.
num. 4. Barbos. 3. *part. allegat.* 96. *num.* 59. Freitas *in
addit. ad tract. de confess. sollicit. quæst.* 19. *num.* 16. &
part. 1. *tract.* 4. *resol.* 5. negent, teneri vxorem denunciare
maritum hæreticum, vel è contra; quia reputantur
vna caro, & vna persona; Quapropter, sicut
nullus tenetur seipsum denunciare, ità neque teneri
videtur denunciare sic coniunctum: Probabilius tamen
ob rationem dictam sit oppositum; etiam si maritus
non dogmatizaret; ità vt, quod dicunt præcitati
Doctores, intelligatur solùm, quando vxor timeret
ex tali denunciatione sibi à marito mortem parari,
vel aliud graue damnum euenturum: secus si hæc
præcaueri possent; vel si maritus in perniciem Reipublicæ
dogmatizaret, iuxtà ea quæ dicebam *corollar.* 1.
num. 5.

Hinc, si hæreticus abiurans apud Inquisitores iterum 18
delatus, quod nonnullos complices in suo
examine

examine subtenuisset, respondeset, id se fecisse; quis ab ipsis complicibus, eo quod ditiores, & potentiores erant, sibi graue malum timebat, non est indistinctè puniendus, & curiæ sæculari, tanquam diminutus tradendus, sed mitiùs puniendus, vt rectè obseruauit Freitas *cit. quæst.* 19. *num.* 15. etsi dissentiat Bonacin. *disp.* 6. *punct.* 2. *num.* 6. & videri etiam poterit Royas *singul.* 3. *num.* 22. & ipse Freitas *loco supra cit. quæst.* 10. *num.* 15. *in fine.*

PETITIO.

In quibus casibus non tenearis hæreticum Inquisitoribus iudicialiter denunciare?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus non tenetur manifestare seipsum Inquisitoribus: Nemo enim tenetur prodere seipsum, nam cum nullibi ab hac regula is excipitur, standum est regula, donec probetur exceptio.*

2 *Hæreticus occultus si interrogetur à iudice, neque etiam tenetur prodere seipsum, quia non interrogatur vt reus, sed vt testis, vel vt denunciator.*

3 *Concilium Biterrense cap. 1. loquitur de tempore, quod Inquisitores vocant tempus gratiæ, intra quod magna indulgentia promittitur spontè venientibus ad Inquisitores.*

4 *Hæreticus non tenetur denunciare hæreticum socium criminis sui, quia non potest manifestare socium, quin non manifestet seipsum; secus tamen dic, si alter eorum sit iam accusatus.*

5 *Hæreticum esse aliquem quando quis audiuit ab homine fide non digno, non tenetur denunciare; quia tunc leue habet fundamentum; secus quando audiuit a viro fide digno; quia eo non reuelante, tenetur reuelare.*

6 *Denunciare neque quis tenetur, si non recordetur à quonam audiuerit, licet reuera audiuerit, contra Farinacium.*

7 *Denunciare neque quis tenetur eum, quem ob leuem suspicionem, vel ob leuia indicia (quæ scilicet fallere possunt) esse hæreticum suspicatur.*

8 *Vltramontanus si solùm sit conuersatus cum hæreticis vltrà montes, non tenetur denunciare illos, tenetur tamen è contra denunciare, si conuersatus fuerit in Italia, vel in Hispania, ita vt is in tali casu non debeat absolui, nisi denunciet, vel saltem omninò proponat denunciare.*

9 *Denunciare quis non tenetur ob metum cadentem in constantem virum, sicut neque tenetur fœmina ob metum cadentem in constantem fœminam, vt si timens propter hanc causam se occidi, vel malè tractari. Secus, si hæreticus tendat in damnum commune, spirituale, vel temporale.*

10 *Denunciare non tenetur, qui aliquem cognouit esse hæreticum in confessione Sacramentali, imò neque potest: Non enim id scit vt homo, sed vt Dei minister, & alioquin confessio redderetur odiosa, & homines retraherentur ab illa facienda.*

11 *Albericus de Rosata in rubr. Cod. de hæretic. in 4. reiicitur, quatenus ait esse specialissimum in crimine hæresis, vt sacerdos possit manifestare hæreticum, cuius confessionem audiuit. Idemque dic de Archidiacono, & Altisiodorensi.*

12 *Denunciare confessarius neque potest complices Hæretici, quando sciuit ab hæretico in confessione Sacramentali complices hæresis, eo quod etiam circumstantiæ peccati cadunt sub sigillum confessionis.*

RESpondetur: primò, si ipsemet sit hæreticus, quia ex dictis nemo tenetur prodere seipsum, S.Thom. 1
2.2. *quæst.* 69. *art.* 1. Bald. *in leg.* 1. *Cod. in quibus caus. & in integr. restit. non est necess. in fine.* Alex. *in leg. cum quidam, §. quod dicitur, ff. de acquir. hered. n.* 13. Felin. *in cap. cum olim, de accusat. n.* 3. Sotus *de ration. tegend. secret. membr.* 1. *quæst.* 7. Penna *in director. part.* 3. *comment.* 12. Suarez *de fide disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 18. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 42. *num.* 13. Royas *singul.* 3. *num.* 33. & Auila *de censur. part.* 2. *cap.* 5. *disput.* 4. *dub.* 3. *conclus.* 9.

Probatur: tum primò auctoritate *ex cap. quis aliquando, de pœnit. dist.* 1. quod est desumptum ex Chrisostomo super epistolam Pauli ad Hebræos, *homil.* 31. & 41. *ad populum*: vbi dicitur: *Non dico tibi, vt te tradas, sed reuela ante Deum viam tuam.* Quod in casu hæresis etiam locum habere rectè docet præter alios Nauarrus *cons.* 5. *num.* 3. *de hæretic.* quia, cùm nullibi ab hac regula excipiatur hæreticus, standum est regulæ, donec probetur exceptio: Glossa *in l. omnis definitio, de regul. iur. & in rubrica eodem titulo lib.* 6. Tum secundò probatur ratione; quia id naturæ valde aduersatur.

Quod si hæreticus occultus interrogeris à iudice, 2
nec etiam teneris prodere teipsum; quia non interrogaris vt reus, sed vt testis, vel vt denunciator. Caietan. 2. 2. *quæst.* 70. *art.* 1. Sotus *relect. de secret. membr.* 2. *quæst.* 7. Simanch. *tit.* 41. *num.* 13. quos citat, & sequitur Suar. *loco supra citato.*

Non obstat, si dicas: In Concilio Biterrensi *cap.* 1. 3
præcipitur, quod quicumque sciuerit, se, vel alios in crimine labis hæreticæ deliquisse, compareat veritatem dicturus: ergo

Respondetur enim, quod ibi sit sermo de tempore, quod Inquisitores vocant tempus gratiæ, intrà quod tempus magna indulgentia promittitur iis, qui spontè veniant ad Inquisitores, vt se corrigant; DD. quos sequitur Penna *dicto comment.* 12. & Suarez *dicto n.* 18.

Secundò non teneris denunciare hæreticum, si iste 4
sit socius tuus criminis; quia ex dictis etiam non potes manifestare socium, quin manifestes teipsum: Nam si denunciatus socius postea interrogaretur, teneretur manifestare te denunciatorem socium criminis; quia quando quis iuridicè interrogatur vt reus, tenetur manifestare se, & socios criminis, nec iste talis se prodit, cùm de crimine hæresis sit iam accusatus, & diffamatus: tum quia quando quis iuridicè interrogatur vt reus, in aliis delictis, tenetur manifestare socios criminis: ergo & in delicto hæresis etiam, quando interrogatur de sociis hæresis.

Tertiò non teneris denunciare; quando, aliquem 5
esse hæreticum audisti ab homine fide non digno; quia tunc leue habes fundamentum. Rodericus *de ordin. iudic. cap.* 4. *concl.* 10. *num.* 10. Guttier. *lib.* 1 *quæst. canonic. cap.* 11. *n.* 71. Corduba *lib.* 1 *quæst. quæst.* 43. *dub.* 2. §. 6. *quando, & in summa quæst.* 64. *circa finem*, §. 6. Petr. Nauarr. *de restit. lib.* 2. *cap.* 4. *part.* 2. *dub.* 10. *num.* 108. & alij; quatenus docent, quod in vniuersum, cùm quis obstringitur aliquid sub peccato mortali reuelare, excusetur à reuelatione, si id audiuerit ab homine leui, & indigno, cui habeatur fides: At si audiuerit ab homine fide digno, tunc teneatur, eo non reuelante, ipse reuelare; quia talis reuelatio multum valet; cum possit superior citare eum, à quo reuelator audiuit, eiusque testimonio vti ad procedendum contrà reum. Nauarr. *in cap. inter verba, coroll.* 66. *num.* 290. & *in summa cap.* 25. *num.* 46. Roderic. *in summ. tom.* 2. *cap.* 217. *num.* 9. & *de ordin. iudic. cap.* 4. *conclus.* 20. *num.* 12. & alij passim.

Ob eandem rationem non teneris denunciare, 6
si quidem audisti, non tamen recordaris à quo id audiueris;

audiueris; vel si ille, à quo audisti, nihil certè sciat; Nauarrus *dicto corollar.66. num.*191. & alij: Quamuis satis probabiliter Farinac. *de hæres. quæst.*197. §.2.*n.*51. sentiat, quod tenearis reuelare hæreticum, dummodo scientia sit personalis; quia tunc Inquisitores poterunt diligentiam maiorem adhibere. Aliter non, & citat Repertor. inquisit. *verb. hæretic. vers. nota quod in crimine.*

7 Ob eandem rationem etiam non teneris denunciare eum, quem ob leuem suspicionem, vel ob leuia indicia, quæ scilicet facilè fallere possunt, esse hæreticum suspicaris, Nauarr. *cons. 3. de hæretic.* vbi subdit, quod edicta, quibus iubetur, etiam sub pœna latæ excommunicationis, reuelare aliqua, quæ scimus, ad reuelandum non obligent eos, qui tantum aliquo modo ea audierunt, vel de illis suspicionem habent, sed solùm eos, qui certò ea cognouerunt, v. g. quia Reus id confessus est, vel quia visu viderunt illum delinquere, iuxtà Innocent. *in cap. cum causa, num.*7. *de iurament. calumn.* vel saltem ab aliquo viro fide digno, id tanquam rem certam, perceperunt, iuxta

8 glossam *in leg. Titio. ff. de condit. & demonstr.* vbi secundò subdit etiam Nauarrus, quod vltramontanus, si solum sit conuersatus cum hæreticis vltrà montes, non teneatur denunciare illos, teneatur è contrà denunciare illos, si cum illis conuersatus fuerit in Italia, vel in Hispania, ita vt vltramontanus in tali casu non debeat absolui, nisi denunciet, vel saltem omninò proponat denunciare, iuxtà stylum sacræ Pœnitentiariæ.

9 Non teneris quartò denunciare ob metum cadentem in constantem virum, sicut nec tenetur fœmina ob metum cadentem in constantem fœminam, vt si timeas propter hanc causam te occidi, vel malè tractari, Scaccia *de indic. caus. cap.*56.*num.*4. Pegna *part.*2. *director. quæst.* 53. *comment.* 78. quos citat & sequitur Farinac. *quæst.* 197. §. 1. *num.*53. & nos suprà dicebamus: Quamuis contrarium velint alij, vt præcipuè Royas *singul.* 3. *num.* 30. *vers.* 7. *ampliatur*, quorum sententia vera est, vt supra etiam dicebamus, si hæreticus tendat in damnum commune, spirituale, vel temporale, scilicet dogmatizando, vel pueros occidendo.

10 Quintò non teneris, quinimò non potes denunciare, si aliquem esse hæreticum cognouisti in confessione Sacramentali: Royas *singul.*3.*num.*56. Penna *in direct. part.* 2. *comment.*19. Suarez *de fide disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 16. Farinac. *de hæres. quæst.* 197. §. 1. *num.* 46. Item S. Thomas 1. 2. *quæst.*70. *art.* 1. quatenus ait, de his, quæ homini sunt commissa in secreto per confessionem, nullo modo debet is testimonium ferre, nec dicere, quia hæc ipse non scit vt homo, sed vt Dei minister: item & ij omnes, qui in vniuersum docent, quod in nullo casu, neque ob vllum finem, etiam ob Rempublicam à quovis grauissimo damno, siue temporali, siue spirituali liberandam, licitum sit reuelare peccatum auditum in confessione, S.Thomas *in* 4.*dist.*21. *quæst.*3.*art.*1. S.Bonauent. *ibidem part.*2.*art.*2.*quæst.*1. Sotus *quæst.*1.Durand.*quæst.*4.Capreol. *quæst.*2.Adrian. *quæst.vltima de confess.* Nauarr.*in cap.Sacerdos,de pœnit. dist.*6.*num.*116. Petr.Sotus *lect.*1 *de confession.* Michaël Iustinianus *in suis constitutionib. Ecclesiasticis*, & alij passim.

Probatur primò, auctoritate *ex cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* ibi: *Caueat autem omnino, ne verbo, vel signo, vel quouis alio modo prodat peccatorem, ex cap. dilectus, de excessib. Prælat. & ex cap. Sacerdos, de pœnit. dist.* 6. vbi dicitur, quod propter nullum scandalum, scilicet damnum, siue priuatum, siue publicum vitandum, manifestari debeat peccatum, quod in confessione sacramentali sacerdos excipit.

Probatur secundo ratione, quia præter id, quod dicit S.Thomas 1. 2. *cit. quæst.*70. *art.* 2. confessio redderetur odiosa, & homines retraherentur ab illa facienda, cum securè ad illam accedere non possent, quod totum redundaret in irreuerentiam Sacramenti & spirituale damnum fidelium.

Hinc reiiciendus est Albericus *in rubric. Cod. de hæretic. num.* 4. quatenùs ait, esse specialissimum in crimine hæresis, vt sacerdos possit manifestare hæreticum, cuius confessionem audiuit; citans pro sua opinione Archidiaconum *in dicto cap. sacerdos, num.* 3. vbi Author iste docet, quod quando hæreticus ab hæresi non vult recedere, vel si velit recedere, non velit tamen alios hæreticos, vel fautores manifestare, possit tunc confessarius reuelare iis, qui possunt prodesse, & non obesse; & possit etiam adire Episcopum, eique dicere: Vigila super gregem tuum, quia lupus est in grege: Qua de re, quod scilicet in hoc casu possit confessarius quid manifestare, dubitat etiam Altisidiorensis *lib.* 4. *cap.* 3. *quæst.* 4. At, vti dicebam, reiiciendus est Albericus cum Archidiacono, & Altisiodorensi propter rationes dictas. 11

Et quod dixi, si aliquem esse hæreticum audiuisti in confessione Sacramentali, quod non tenearis, quinimò non possis illum denunciare hæreticum; idem dico, quod si similiter in confessione Sacramentali percepisti complices hæretici, similiter etiam non tenearis, quinimò nec possis manifestare complices hæretici, quia socij hæresis, quin & cuiuscumque alterius criminis, cum sint circumstantiæ peccati in confessione Sacramentali manifestati, cadunt sub sigillum confessionis Sacramentalis, sicut & cadit ipsum peccatum, cuius sunt circumstantiæ; Sotus *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. & alij communiter, quos sequitur Suarez *loco supra citato sect.* 4. *num.* 16. 12



DVBITATIO XX.

An filius, vxor, & frater teneatur iudicialiter denunciare patrem, maritum, vel fratrem extra crimen hæresis formalis?

SVMMARIVM.

1 *Vxor non tenetur denunciare maritum in blasphemias hæreticales prorumpere consuetum, vel etiam hæreticalia facta committentem; si maritus sit homo austerus, & facilè possit vxorem perperam tractare, quia sublato timore, adhuc excusanda est.*

2 *Filius, secundum nonnullos Doctores tenetur denunciare patrem hæreticales blasphemias proferentem. Frater similiter tenetur denunciare fratrem, & vxor maritum; cum hoc crimen melius per domesticos, quam per alios probari possit.*

3 *Sanguine coniuncti, excepto hæresis crimine, ad denunciandum à iure non coguntur. Tum quia pater, & filius, maritus, & vxor, & fratres inter se censentur vna, & eadem persona, & iuri naturali repugnare videtur, quempiam seipsum prodere, seu manifestare.*

4 *Hæreticum quamuis sibi sanguine coniunctissimum quilibet tenetur Inquisitoribus denunciare in crimine hæresis formalis.*

5 *Frater tenetur denunciare hæreticum fratrem.*

6 *Pater tenetur denunciare hæreticum filium.*

7 *Filius tenetur denunciare hæreticum Patrem, quamuis eius delictum hæresis sit aliquo modo occultum.*

8 *Locus.*

8 *Locus Deuteron. 13. vbi præcipitur, quod pater denunciet filium, non tamen quod filius denunciet patrem, exponitur & declaratur; nam denominando patrem, virtute etiam denominat filium, & è contra, sicut denominando maritum, virtute denominat vxorem, &c.*

9 *Locus pariter Exodi 32. exponitur, & declaratur, vt suprà.*

10 *Filius non debet desistere à denunciatione Patris heretici ob timorem confiscationis bonorum; quia denuncians in tali casu Patrem suum, non punitur pœnis iure statutis in filios, & nepotes hæreticorum, sed in præmium virtutis, & operis pij, quod exercet, meretur, vt potius honore afficiatur.*

11 *Id etiam seruatur in crimine læsæ Maiestatis humanæ.*

12 *Filius denunciando hæreticum patrem, non infert ei grauem iniuriam, quia debet magis Deo & Ecclesiæ obedire, quàm patri, præsertim cum à superioribus præcipiatur, quod quilibet sub peccato mortali, & pœna excommunicationis in bonum fidei debeat hæreticos denunciare, & non excipiantur parentes.*

13 *Vxor tenetur ex dictis denunciare hæreticum maritum.*

1 Respondetur, de hac re videri poterit Lazarius de blasphemia *quæst. 12. num. 67.* vbi ait, quod vxor non tenetur iudicialiter denunciare maritum in blasphemias hæreticales prorumpere consuetum, vel etiam hæreticalia facta committentem, si maritus sit homo austerus, & facilè possit vxorem perperam tractare, quin, si sublato dicto timore non reuelat, adhuc excusanda videtur ob arctissimam coniunctionem, quæ inter ipsam, & virum intercedit.

Videri etiam poterit Homobonus in *exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 7. quæst. 32. & in tract. de cas. reseruat.*
2 *part. 2. cap. 1.* vbi ait, quod licet nonnulli Doctores censeant, quod filius teneatur denunciare patrem hæreticales blasphemias proferentem, frater similiter teneatur denunciare fratrem, & vxor maritum, cùm hoc crimen meliùs per domesticos, quam per alios probari possit, ipse tamen hanc sententiam in praxi
3 non facilè sequendam arbitretur; quia sanguine iuncti, excepto hæresis crimine, ad id faciendum à iure non coguntur. Tum quia pater & filius, maritus & vxor, & fratres inter se censentur vna, & eadem persona, & iuri naturali repugnare videtur, quempiam seipsum prodere, seu manifestare.

4 Dixi, *extra crimen hæresis formalis*; quia in crimine hæresis formalis quilibet tenetur hæreticum, quamuis sibi sanguine coniunctissimum, Inquisitoribus denunciare, ex loco *Deuteron.* 13. quem suprà *dubitat. 15. in princip.* citabam, & ex aliis rationibus, quas ibi, *& dubitatione precedenti* adducebam.

5 Quapropter frater tenetur denunciare hæreticum fratrem; Speculator *tit. de testib. §. de testium compuls. vers. sed nunc frater*, Hieronym. Gigas *tract. de crimin. læs. maiest. lib. 2. in part.* Quomodo & per quos, *quæst. 9.* Michaël Iustinianus *in suis constitutionib. Ecclesiasticis*, & alij passim.

6 Item tenetur pater denunciare hæreticum filium, Caietan. *in cap. 13. Deuteron.* Vmbert. Locat. *post iudicial. Inquisit. quæst. 5.* Penna *in director. part. 2. comment. 15.* Castr. *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. vlt.* Royas *singul. 3. num. 29. & seqq. & singul. 12. num. 1.* Læl. Zecch. *in summa part. 1. tit. de fide, in rubr. de hæres. cap. 11. n. 11.* Mascard. *de probat. lib. 2. conclus. 857. num. 18.* Paramus *de orig. S. Inquisit. lib. 3. quæst. 98. num. 83.* Azor. *tom. 2. lib. 2. cap. 8. quæst. 13.* Michaël Iustinia. *in suis constitutionib. Ecclesiast.* Suarez *de fide disp. 20. sect. 4. num. 21.* & Farinac. *de hæres. quæst. 197. num. 40.*

7 Item tenetur filius denunciare hæreticum patrem. DD. iidem, quos mox suprà citabam, quamuis contrarium sentiant in hoc casu, Abulensis *cit. cap. 13. Deuteron. quæst. 3. & in cap. 15. lib. 3. Regum quæst. 16.* & Simanch. *de cathol. instit. tit. 29. num. 47. & in tractatu de patre hæretico num. 34.* citans pro sua ista sententia Azorium *loco suprà citato*, & Alensem *part. 3. quæst. 33. membr. 4. art. 2. dub. vlt.* Qui tamen Author ibi solum dicit, quod filius debeat denunciare hæreticum patrem, quando delictum patris est aliquo modo publicum, non tamen si fuerit occultum: At dicendum est cum priori sententia, quod teneatur filius denunciare hæreticum patrem, quamuis etiam occultum.

Ratio, quia sic colligitur *dicto cap. 13. Deuter. vers. 9.* vbi ad laudem Leuitarum, scilicet in punitione idolatrarum, idest adorantium vitulum aureum, *Exodi 32. vers. 28.* sic dicitur: *Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus eius, ignoro illos, & nescierunt filios suos, & non sunt miserti amicorum & cognatorum, nec fratrum, nec filiorum, nec parentum, sed occiderunt eos non minùs, quàm alios, perinde ac si illos non nouissent, imò non vidissent, nec aspexissent:* Quò etiam referri potest illud *Matthæi 10. vers. 30. Qui honorat patrem & matrem, plusquam me, non est me dignus:* Tum quia magis debet obedire Deo, quam parentibus, *cap. relatum, de sent. excomm. & cap. quisquis metu 11. quæst. 3.* & Religio anteferri debet necessitudini, & pietas propinquitati; tum quia impunè potest filius interficere patrem, hostem Patriæ, vel Reipublicæ, *leg. minimè. ff. de relig. & sumpt. funer.* Ergo multo magis poterit filius denunciare patrem hæreticum, hostem Dei, Christianitatis, boni communis, salutis animarum, & denique omnium bonarum disciplinarum.

Obiicies: *Deuther.* 13. præcipitur, quod pater denunciet filium, non tamen præcipitur, quod filius etiam denunciet patrem: Ergo signum est, quod filius non debeat denunciare hæreticum patrem.

Respondetur: nego consequentiam, quia sicut notat Caietanus *in cit. loco Deuther. 13.* ibi non fit mentio 8
de filio in ordine ad patrem, vel quia non præsumitur huiusmodi scelus suasionis in patre in ordine ad filium, vel quia in lege non miserendi filij includitur etiam lex non miserendi patris; cùm licet magis sit obligatus filius patri, quàm pater filio: tamen ex alia parte magis pater diligat filium, quàm filius patrem. Accedit, quod *in eodem cap. 13.* dicitur, quod maritus debeat denunciare vxorem, non tamen dicitur, quod vxor etiam teneatur denunciare maritum, & tamen certum est, quod vxor etiam teneatur denunciare maritum. Sicut igitur Textus dicendo, quod maritus teneatur denunciare vxorem, virtute etiam dicit, quod vxor teneatur denunciare maritum: sic similiter & in casu nostro.

Instabis: *Exod. 32.* dicitur: *Consecrastis manus vestras* 9
Domino, vnusquisque in filio & in fratre. Nec quicquam dicitur de patre: Ergo.

Respondetur eodem modo vt supra, cùm Textus ibi nominando filium, virtute etiam similiter nominet patrem. Accedit, quod ibi fit mentio de propinquis, sub quibus continentur Matres & Patres.

Reinstabis: Si filius denunciat hæreticum patrem, 10
bona hæretici patris confiscantur, sicque filij efficiuntur pauperes, quin etiam & infames: ergo filius non tenetur denunciare hæreticum patrem, cùm leges humanæ non obstringant cum tanto incommodo.

Respondetur: Negō antecedens, quia in tali casu filius denuncians hæreticum patrem, non punitur pœnis iure statutis in filios, & nepotes hæreticorum, sed in præmium virtutis, & operis pij quod exercet, meretur, vt potius honore afficiatur, quàm vt damnum, vel infamiam aliquam incurrat, Castro *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. 26.* Royas *singul. 3. num. 30.* & Penna *in director. part. 2. cap. 14. comment. 15.* & meritò quia alioquin filij in detrimentum fidei catholicæ detraherentur à denunciandis parentibus hæreticis; qua de re extat etiam lex Federici Imperatoris, quæ incipit:

Commissi nobis cœlitùs, & sic habet: *Nec quidem à misericordia sinu duximus excludendos, vt si qui paterna hæresis non sequaces, latentem patrum perfidiam reuelauerint, quacumque reatus illorum animaduersione plectantur, prædictæ punitioni non subiaceat innocentia filiorum.* Et hanc Federici legem comprobarunt Pontifices, inter quos Innocentius IV. sicuti refert Penna *loco sup. cit. & in vltima parte Directorij, inter litteras Apostolicas pag. 6. & 9.*
11 Nec mirum, quia similiter contingit etiam in crimine læsæ maiestatis humanæ. Quandoquidem si pater commiserit tale crimen, & filius reuelauerit patrem, liberatur filius à pœnis iure statutis aduersus filios patrum dictum crimen tentantium, vel committentium, *leg. quisquis, §. vltimo, Cod. ad leg. Iul. maiest.*

12 Vrgebis: Filius denunciando hæreticum patrem, grauem ei infert iniuriam: Ergo non debet eum denunciare.

Respondetur: Nego antecedens, quia debet filius magis Deo & Ecclesiæ obedire, quàm patri: præsertim cùm à superioribus præcipiatur, quod quilibet sub peccato mortali, & pœna excommunicationis in bonum fidei debeat hæreticos denunciare, & non excipiuntur parentes. Quapropter huic præcepto in bonum commune, & spirituale promulgato filij contra parentes tenentur obedire, quia bonum commune, & spirituale præferri debet bono priuato, & temporali: præsertim cùm id etiam redundet in bonum spirituale parentis, sæpe sæpius enim contingit, quod quando denunciatur hæreticus, resipiscat, vel saltem minùs delinquet, sicuti supra pluries dicebatur.

13 Item ex dictis tenetur vxor denunciare hæreticum maritum, quamuis contrarium sentire videantur quidam, inter quos Cantera *in quæst. crimin. rub. de hæret. cap. 1. num. 22.*



DVBITATIO XXI.

An quis teneatur iudicialiter denunciare extra crimen hæresis formalis, si ex tali denunciatione graue damnum sibi in vita, fama, vel re familiari sua, vel suorum timeat?

SVMMARIVM.

1 *Denunciare iudicialiter extra crimen hæresis formalis quis non tenetur, si ex tali denunciatione graue damnum sibi timeat in vita, fama, vel re familiari, vel suorum.*

2 *Limita, nisi sit crimen hæresis formalis, vel nisi hæreticus dogmatizaret in magnum Reipublicæ detrimentum animas seducendo, vel corpora offendendo, vt si pueros occideret, vel similia faceret.*

3 *Mulier sollicitata à Confessore, vel Monialis, vel alia quæcumque, si non valeat absque infamia adire Inquisitores, satisfacit denunciando per epistolam missam ad illos, tradendo eamdem epistolam alicui familiari S. Inquisitionis, vel stando consilio alicuius viri docti.*

4 *Virgo quædam ex honestis parentibus, cuiusdam Dominæ ancilla, quæ seruum eiusdem domus frequenter blasphemias etiam hæreticales proferentem audierat, excusata fuit à denunciatione harum blasphemiarum, ob graue damnum quod sibi in fama timebatur Inquisitori. At secus esset, si scribere sciuisset, quia tunc tenebatur per literas, sicut & Monialis scribere S. Inquisitioni.*

5 *Fœmina si in Sacramento Confessionis sollicitata consenserit, non tenetur Confessorem sollicitantem denunciare, quia sic se exponeret periculo grauis infamiæ: poterit enim Confessor in Tribunali S. Inquisitionis fateri, se actus inhonestos cum illa habuisse, ipsa non repugnante.*

6 *Mulier, secundùm probabiliorem opinionem tenetur Confessorem sollicitantem denunciare, tametsi ipsa consenserit: non tamen tenetur proprium consensum explicare, neque potest de illo ab Episcopo, vel Inquisitore interrogari. Adeo quod, etsi vellet consensum suum explicare, adhuc non debet talis consensus scribi in actis.*

RESPONDETVR, quod hac de re videri poterit Penna & Scaccia *in locis supra citatis*, 1
Peyrinus *tom. 2. constitut. 4. Gregorij XV. §. 9. num. 28.* Homobonus *de casib. reseruat. part. 2. cap. 1.* & Fagundez *de præcept. Ecclesiast. præcept. 2. lib. 4. cap. 3. num. 31.* Vbi ait, quod non tenetur quis in tali casu denunciare cum probabili periculo mortis, infamiæ, vel grauis damni proprij, aut patris, aut matris, mariti, aut vxoris, fratrum, aut aliorum sanguine coniunctissimorum.

Quod tamen iuxta ea, quæ supra *dubit. 15. & 20.* dicebam, limita, nisi sit crimen hæresis formalis, vel 2
saltem ad mentem Simanch. *lib. de cathol. institut. tit. 29. num. 4.* Genuensis *in praxi cap. 18. num. 8. & 9.* & aliorum, nisi hæreticus dogmatizaret in magnum Reipublicæ detrimentum spirituale, vel temporale; animas scilicet seducendo, vel corpora offendendo: vt si pueros interficeret, vel similia faceret; quia tunc saltem, vti supra etiam dicebam, succedit id, quod scilicet quilibet tenetur pro patria propriam vitam ponere, iuxta commune dictum, & sententiam.

Hinc infertur Portell. *in addit. ad dub. Regul. verbo sollicitare fœminas, num. 21.* Acugna *tract. de confessor. sollicit. quæst. 19. per totam*, Molfes. *in sum. tom. 1. tract. 7. cap. 24. num. 24.* & Homobonus *de exam. Eccles. part. 1. tract. 7. cap. 7. quæst. 32.* quod si mulier sollicitata à Confessore, vel Monialis, vel alia quæcumque non valeat 3
absque infamia adire Inquisitores, satisfaciat denunciando per epistolam missam ad illos, tradendo eamdem epistolam alicui familiari Sanctæ Inquisitionis, vel stando consilio alicuius viri docti, quia sic faciens, facit quantum in se est.

Videri etiam poterit Lazarius *in tract. de blasphemia,* 4
quæst. 12. num. 264. Vbi excusat virginem quamdam ex honestis parentibus, cuiusdam Dominæ ancillam, quæ seruum eiusdem domus frequenter blasphemias etiam hæreticales proferentem audierat, non debere scilicet accedere ad Sanctæ Inquisitionis officium, ad illum denunciandum; quia graue damnum posset probabiliter in fama ex tali denunciatione sibi timere: siquidem ipsam videntes ad dictum Tribunal accedere, facilè suspicari possent, de aliquo delicto inquisitam fuisse. Quapropter in tali casu potest (sicut & potest quælibet Monialis) quin & tenetur, vel suo chirographo, si scribere nouerit, denunciare, vel de tali blasphematore per certum hominem ad Inquisitores missum attestari, vel Confessario dictum blasphematorem indicare.

Infert secundò Portellius *in addit. ad dub. Regular.* 5
verb. denunciatio, n. 10. & verb. sollicitare fœminas, n. 15. quod si fœmina in Sacramento Confessionis sollicitata consenserit, non teneatur Confessorem sollicitantem denunciare, quia sic exponeret se periculo grauis infamiæ. Poterit enim confessor in Tribunali Sanctæ inquisitionis fateri, se actus inhonestos cum illa habuisse, ipsa non repugnante: Ergo fœmina denunciando Confessorem delicti complicem, proderetet seipsam.

Etsi meliùs Acugna *in tract. de confess. sollicit. quæst. 10. num. 10.* Sanctarell. *de hæresi cap. 44. dub. vnic. n. 12.* Bonacina *in tract. var. disput. 6. punct. 3. num. 10.* & Peyrinus *tom. 2. constit. Gregorij XV. §. 3. num. 11.* sentiant, quod teneatur mulier Confessorem sollicitantem de- 6
nun

nuociare, tametsi ipsa consenserit; noo tamen teneneatur proprium consensum explicare, nec possit de illo ab Episcopo vel Inquisitore interrogari: adeò quod, etsi vellet consensum suoio explicare, adhuc non debeat talis consensus scribi in actis, vtpote quid oon spectans ad Tribunal Sanctæ Ioquisitionis.

DVBITATIO XXII.

An, si Inquisitorum edictum fundetur in præsumptione, & tu scias præsumptionem illius in tali casu deficere, tenearis iudicialiter denunciare?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitorum edictum si fundetur in præsumptione, licet aliquis sciat præsumptionem in tali casu deficere, nihilominus contra aliquorum Doctorum opinionem, tenetur reuelare.*

2 *Chiromantici, & Necromantici, & alij qui ex inquisitione rimularum, aut linearum manuum aliqua prædicunt, si quis certò sciat, illos non habere pactum cum dæmone, iudicialiter denunciare non tenetur, quia motus Sixti V. aduersus istos editus fundatur in præsumptione, secundum aliquos.*

3 *Lex fundata in præsumptione non obligat, si cesset præsumptio; secus tamen est, si iudicium illud discernendi, an intret dicta præsumptio, non competat Confessariis, vel aliis, sed solùm Inquisitoribus.*

4 *Iudicium discernendi circa suspicionem de fide Confessarij sollicitantis, non competit nisi Inquisitoribus.*

5 *In dubio quisque tenetur in casu posito iudicialiter denunciare.*

1 RESPONDETVR, quod licet Valerus *verb. hæresis, differ.* 1. *num.* 4. Riccius *part.* 2. *decision.* 178. *num.* 6. & alij negent, verbi gratia, quod non tenearis iudicialiter denun-
2 ciare chiromanticos, negromanticos, & alios, qui ex
inspectione rimularum, aut linearum manuum aliqua
prædicunt, si certò scias, eos non habere pactum vllum cum dæmone: quia motus Sixti V. aduersus istos
3 editus, fundatur in præsumptione, & lex fundata in
præsumptione non obligat, si cesset præsumptio: multò probabiliùs tamen affirment alij, vt Freitas *in addit. ad tract. de Episc.* Acugna *de confess. sollicit. quæst.* 11. *num.* 26. quia iudicium illud discernendi circa suspicionem de fide, quæ resultat supposita Pontificij, vel alicuius edicti præsumptione, non competit Confessariis, vel aliis, sed Inquisitoribus. Vnde licet Bulla Grego-
4 rij XV. fundetur in præsumptione, vt patet ex illis ver-
bis: *Nos in animum inducere nequeuntes*, sequitur, iudicium discernendi circa suspicionem de fide Confessarij sollicitantis, non competere, nisi Inquisitoribus.

5 At quidquid sit de ista posteriori sententia Acugnæ & aliorum, illud tamen certum est, & conueniunt Doctores, etiam sententiæ prioris, quod si simus in dubio, tenearis in casu posito iudicialiter denunciare: quia discutere hoc dubium multò magis non spectat ad personas priuatas, sed ad superiorem, iuxta ea quæ supra dicebam.

DISPVTATIO XXIII.

An tenearis iudicialiter denunciare, si sub secreto hæresim, vel simile crimen habueris?

SVMMARIVM.

1 *Nemo excusatur à denunciatione iudiciali hæretici, vel similis pertinacis delinquentis, quantumuis sub secreto iurato, excepto sigillo Sacramenti pœnitentiæ.*

2 *Secretum seruare quis obligare se non potest in detrimentum fidei, bonique communis, cùm talis obligatio sit illicita, & contra ius natura: & iuramentum de tali obligatione seruanda, vtpote illicita, sit nullum.*

3 *Denunciare quis tenetur hæresim, vel simile crimen alterius, quamuis sub secreto strictissimo, non tamen sub sigillo confessionis sacramentalis sciuerit; quia alioquin præceptum de manifestando hæreticum etiam occultum, esset inutile.*

4 *Reuelare quilibet tenetur quæ sibi sub secreto commissa sunt, si vergant in damnum publicum, vel etiam innocentis particularis.*

5 *Amplia etiamsi promiserit sub iuramento, se non reuelaturum, quia tale iuramentum est de re mala, contra bonos mores, ac proinde non obligatorium, habetque insertam hanc conditionem, videlicet nisi superior aliud præceperit.*

6 *Amplia id verum esse, etiamsi quis tibi dixerit, manifesto hoc tibi sub confessione, seu sub sigillo confessionis, quia talis confessio, seu sigillum confessionis non est quid sacramentale.*

RESPONDETVR negatiuè, adeo quod excepto 1
sigillo sacramenti Pœnitentiæ semper obligeris hæreticum, vel similem delinquentem pertinacem manifestare, quantumuis sub secreto iurato hæresim, vel simile crimen habueris. Sic ex communi sententia Doctorum Pegna *in Director.* 2. *part. comment.* 18. *ad cap. Qualiter & quando, de accusation. versic. & obligatio denunciandi*, Royas *singul.* 3. *num* 23. *& seqq.* Suarez *de fide disput.* 20. *sect.* 4. *num.* 16. *&* 17. Lazar. *de monitor. test.* 2. *quæst.* 16. *num.* 6. Bonacina *disput.* 2. *quæst.* 6. *punct.* 1. *num.* 7. *&* 23. & Barbosa 3. *part. allegat.* 96. *num* 63.

Probatur authoritate, ex Textu *in cap. intimauit, de testib. & in cap. non est obligatorium, de regul. iur. in* 6. in quibus id expressè habetur.

Secundò probatur ratione, quia non potes te obliga- 2
re seruare secretum in detrimentum fidei, bonique communis, cùm talis obligatio sit illicita, & contra ius naturale: & sacramentum de tali obligatione seruanda, vtpote de re illicita, sit nullum.

Teneris igitur hæresim, vel simile crimen alterius, 3
quamuis sub secreto strictissimo, non tamen sub sigillo confessionis sacramentalis sciueris, reuelare, sicuti patet ex dictis: &

Confirmatur, quia alioquin præceptum de manifestando hæreticum occultum esset inutile, cùm quilibet posset alteri sub tali secreto suam hæresim detegere, & persuadere. Tum quia denunciatio hæretici ordinatur ad bonum commune & spirituale. Seruare verò secretum ordinatur ad bonum priuatum, & temporale. Ergo cùm bonum commune, & spirituale præferri debeat bono priuato, & temporali, denunciatio præferri debebit. Tum quia, sicuti docet S. Thom. 2. 2. *quæst.* 70.
art. 2. quem communiter sequuntur Doctores, quili- 4
bet, quæ sibi sub secreto commissa sunt, si vergant in
dam

damnum publicum, vel etiam innocentis particularis, tenetur reuelare: At hæresis vergit quamplurimum in damnom publicum: Ergo. Tum quia hîc agitur de præuitando malo grauissimo, & de præcauendo hæretico à peccato graui, & de consulendo communi bono fidelium: Ergo, cùm hæc præferri debeant cæteris rebus omnibus, lex de denunciando hæretico (tanquam fortior & maioris momenti) anteferri debet legi de seruando secreto naturali.

5 Et quod dixi verum est, etiamsi sub iuramento promiseris te non reuelaturum, sicuti patet etiam ex dictis, & docent cum S. Thoma 2.2. *quæst*. 70. *art*. 1. *ad* 2. Syluester *verb. denunciatio*, *in fine*, Pegna *in Director. Inquisit. part*. 2. *comment*. 18. *vers. & obligatio*, Suarez *de fide sect*. 4. *num*. 17. Royaa *singul*. 3. *num*. 23. Roderic. Acugna *de confess. sollicit. quæst*. 18. *n*. 16. & Farinac. *de hæresi quæst*. 197. §. 2. *num*. 50. Quia sicuti dicebam, tale iuramentum est de re mala: Ergo non obligat, neque seruari debet, *cap. Quintauallis*, *cap. Sicut* 2. *cap. Tua nos, de iureiur. cap*. 1. 22. *quæst*. 4. *& cap. Intimauit, de testib*. Tum quia iuramentum, quod est contra bonos mores, non est obligatorium, *de regul. iur. in* 6. Tum quia in malis promissis fides non debet seruari, *l. generaliter, ff. de verb. signific. l. iuris gentium*, §. *& generaliter, ff. de pact*. Tum quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis, *cap. Quanto, de iureiur. & cap. Inter cætera* 22. *quæst*. 4. Tum quia tale iuramentum, ne sit iniquum, includit tacitam conditionem, nisi superior aliud præceperit. Tum quia leges, & edicta feruntur, vt hæreticus, etiam occultus denuncietur. At leges, & edicta publica pactis, & promissionibus priuatorum non possunt mutari, *leg. inter debitorem*, *leg. ius publicum, ff. de pactis, leg. Testamenti factio, ff. de testamentis, leg. nec pignus, ff. de regul. iur. capit. Si diligenti, de for. compet. & cap. contingit, in principio, ff de sentent. excommunication*. Vide quæ dicam infra *dubitatione vltima, sectione* 13.

6 Item quod dixi etiam verum est, si quis dixerit: Manifesto tibi hoc sub confessione, seu sub sigillo confessionis: ita vt etiam in hoc casu tenearis hæresim, vel simile crimen alterius occultum, reuelare, quia talis confessio, seu sigillum confessionis non est quid sacramentale; cùm ille nec se tibi confiteatur, nec confitendi animum habeat. Caietan. 2.2. *quæst*. 70. *art*. 1. *ad* 2. Sotus *de sigillo membr*. 7. *q*. 7. *concl*. 4. Nauarr. *in summa cap*. 17. *num*. 55. Armilla *verb. confessor, num*. 6. Aragon 2.2. *quæst*. 70. *art*. 1. *ad* 2. & alij passim.

DISPVTATIO XXIV.

An excuseris iudicialiter denunciare, eo quod denunciandus sit exemptus à iurisdictione Inquisitorum.

SVMMARIVM.

1 *Ab Inquisitorum iurisdictione eximuntur Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinales, de quibus Inquisitores fidei non possunt iudicare, neque inquirere.*

2 *Episcoporum nomine veniunt quicumque sic consecrati, etiam Titulares: quia hi etiam sunt veri Episcopi, & verè dignitatem Episcopalem habent; quin etiamsi non sint consecrati, dummodo eorum electio à Sede Apostolica sit confirmata, quia iam habent iurisdictionem Episcopalem: secus verò si solùm fuerint electi.*

3 *Ab Inquisitorum iurisdictione eximuntur Nuntij, vel Officiales Pontificis, dum officio funguntur, quos non possunt Inquisitores, vel Ordinarij loci iudicare: possunt tamen aduersus illos inquirere, vt certiorem faciant Summum Pontificem.*

4 *Nunciorum, vel Officialium Pontificis, seu Sedis Apostolicæ nomine solùm veniunt qui in fauorem Sedis Apostolicæ, & pro causis ad illam spectantibus deputati sunt: Quapropter non venit Delegatus ad decidendum inter partes litem particularem.*

5 *Inquisitores comprehenduntur sub hoc priuilegio, quia Delegati sunt à Pontifice pro fide, quæ est causa ad Sedem Apostolicam quammaximè spectans.*

6 *Inquisitores omnes in Hispania speciales cùm sint ad nutum amouibiles, facile poterit si quis suspectus fuerit, ab officio deponi; & tunc aduersus illum ab Ordinario, & alio Inquisitore procedi: dum tamen suo officio fungitur, non potest saltem ex vsu aduersus illum procedi.*

7 *Ab Inquisitorum iurisdictione eximebantur olim aliqui Religiosi; sed iam vsus habet, vt nullus ipsorum eximatur, quin neque à suo Prælato iudicari possit, sed remittendus sit Inquisitoribus fidei, qui accuratiùs causam examinabunt.*

8 *Denunciare iudicialiter quis non excusatur, etiamsi denunciandus exemptus sit à iurisdictione Inquisitorum, si alia via commodè hæresis impediri non possit, & cui facienda, &c.*

9 *Denunciare tenetur quis exemptum, si non pateat accessus ad Summum Pontificem, fidei Inquisitoribus, & cur.*

10 *Inquisitores fidei iurisdictionem habent ad recipiendam depositionem testium, si qui sint qui velint deponere.*

11 *Amplia prædicta à fortiori procedere, quotiescumque timetur vel fuga exempti, vel graue aliquod damnum in Ecclesia; eo quod exemptus errores disseminaret, vel hæreticos defenderet.*



SVPPONO, quod à iurisdictione Inquisitorum eximuntur Episcopi, Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinales, de quibus Inquisitores fidei non possunt iudicare, neque inquirere, *cap. Inquisitores, de hæret. in* 6. & Doctores, Simanchas *de cathol. institut. cap*. 15. Repertor. Inquisit. *verb. Episcopus*, Villadiego *de hæresi quæst*. 7. & alij passim. 1

Sub nomine Episcopi veniunt quicumque sic fuerint consecrati, etiam Titulares: quia hi etiam sunt veri Episcopi, & verè dignitatem Episcopalem habent. Simanchas, Repertor. Inquisit. Villadiego in locis supra citatis, & Suarez *de fide disput*. 20. *sect*. 4. *num*. 25. Quin & etiamsi non sint consecrati, dummodo eorum electio à Sede Apostolica sit confirmata, quia iam habent iurisdictionem Episcopalem: secus verò si solùm fuerint electi, Simanch. *tit*. 15. *num*. 11. & Molina *tom*. 1. *de iust. & iur. tract*. 5 *disput*. 17. *n*. 19. 2

Eximuntur secundò Nuncij, vel Officiales Pontificij, dum officio funguntur, quos non possunt Inquisitores, vel Ordinarij loci iudicare, neque aduersus illos procedere, nisi de licentia expressa Summi Pontificis. Possunt tamen aduersus illos inquirere, vt certiorem faciant Summum Pontificem, vt habetur *in Extrauag. Ioan. XXII*. quæ incipit: *Cùm Matthæus, de hæret*. 3

Sub nomine Nunciorum, vel Officialium Pontificis, seu Sedis Apostolicæ solùm veniunt, qui in fauorem Sedis Apostolicæ, & pro causis ad illam spectantibus deputati sunt: quia cùm hæc excommunicatio in honorem, & reuerentiam Sedis Apostolicæ concessa sit, par erat, vt soli illi gauderent qui in negotiis Sedis Apostolicæ occuparentur. Quapropter si quis à Sede Apostolica delegatus sit pro decidenda aliqua inter partes lite particulari, cuius decisio ad Sedem Apostolicam non spectat, sed priuatorum vtilitatem respicit, is nomine Officialis hoc priuilegio gaudentis non venit. Doctores communiter, quos citat & sequitur Molina loco supra citato, *disputat*. 28. *num. vigesimo*: & 4

Pegna

Pegna 3.*part. Director. quæstione 26.commentario* 75.

5 Sub hoc priuilegio comprehenduntur etiam Inquisitores, quia delegati sunt à Pontifice pro fide, quæ est causa ad Sedem Apostolicam quammaximè spectans. Molina vbi supra *num.* 21. Pegna *comment.*79.& Suar. *de fide disput.* 20.*sect.*4.*n.*26.

6 In Hispania tamen, cùm omnes Inquisitores speciales sint ad nutum amouibiles, facilè poterit, si quis suspectus fuerit, ab officio deponi, & tunc aduersus illum ab Ordinario, aut ab alio Inquisitore procedi. Interim verò, dum suo officio fungitur, licet nonnulli, inter quos Simanchas *titul.*25. velint, aduersus illum posse procedi, quia non est Officialis Sedis Apostolicæ, sed subdelegatus à delegato, scilicet ab Inquisitore Generali: contrarium tamen est magis vsu receptum.

7 Eximebãtur tertiò olim aliqui Religiosi, sed iam vsus habet, vt nullus ipsorum eximatur, quin neque à suo Prælato iudicari possit, sed remittendus sit Inquisitoribus fidei, qui accuratiùs causam examinabunt. Pegna 3.*part. Director.* q.18. *comment.* 77. & Suar. *cit. sect.*4. *num.*22. His positis:

8 Respondetur negatiuè, ita vt semper tenearis iudicialiter denunciare de hæresi, quæ alia via commodè impediri non potest. Quæ tamen denunciatio vel fieri debet Tribunali Inquisitorum, si persona denuncianda illi subditur, sin minus coram illius Superiore, qualis est saltem summus Pontifex: quia hæc denunciatio iudicialis, de qua loquimur, semper coram superiore fieri debet.

9 Petis, quid si coram Pontifice non possis denunciare, eo quod ad illum tibi non sit accessus: an tenearis denunciare Inquisitoribus fidei?

Respondetur, quod licet in tali casu videaris denunciare non teneri Inquisitoribus fidei, quia denunciatio, ex dictis ordinatur ad Inquisitionem, & iudicium. Quapropter si Inquisitores, & Ordinarij non possunt inquirere, & iudicare exemptum, denunciationis obligatio videtur cessare: Oppositum tamen sit dicendum, te scilicet etiam in tali casu teneri denunciare exemptum Inquisitoribus fidei, ac si ab illis exemptus non esset. Suarez *cit.sect.*4. *n.*22. & alij.

Probatur, quia etiam in tali casu denunciatio coram Inquisitoribus fidei est efficax remedium impediendi damnum, quod ex hæresi prouenire potest. Siquidem remissa denunciatione ad Sedem Apostolicam, Sedes Apostolica, si denunciatio firma videatur, vices alicui committit inquirendi, & procedendi aduersus illum exemptum: Ergo, &c.

10 Confirmatur, quia Inquisitores fidei iurisdictionem habent ad recipiendam depositionem testium, si qui sint qui velint deponere, sicuti colligitur *ex cap. Inquisitores, de heret. in* 6. ibi: *Si sciuerint, vel nouerint.* Testium inquam depositione: aliàs non est sententia quæ fidem faciat in iudicio: Ergo denuncians, etsi vices denunciatoris non agat, vices tamen testis subire potest, & delictum exempti manifestare.

11 Et hæc omnia à fortiori procedunt, quotiescumque timetur vel fuga exempti, vel graue aliquod damnum in Ecclesia, eo quod exemptus errores disseminaret, vel hæreticos defenderet, & coërceri non posset, quia tunc, vt rectè adnotauit Molina, Pegna & Simancha in locis supra citatis, ex benigna interpretatione legis censetur Pontifex concedere Inquisitoribus fidei potestatem capiendi talem exemptum: Ergo in tali casu falsum omnino dicendum est, quod tenearis denunciare, quia denuncias superiori qui ex denunciatione potest causam inchoare, tametsi illam non possit terminare.

Atque hinc patet ad rationem dubitandi in oppositum.



DVBITATIO XXV.

Quænam sint pœnæ omittentium iudicialiter denunciare, cùm ad denunciationem tenentur?

SVMMARIVM.

1 *Denunciare iudicialiter omittentium prima pœna est excommunicatio, quæ secundum ius commune non est ipso facto lata, sed ferenda: ex Edictis tamen Sancti Officij est excommunicatio ipso facto lata, eaque reseruata, adeò vt denunciare omittens ab ea absolui non possit quousque denunciet.*

2 *Denunciare iudicialiter omittentium secunda pœna est, quod redduntur de hæresi suspecti, si omittentes denunciare, nulla se possint probabili causa excusare: vel si in iudicio interrogati veritatem celauerint: non tamen contrahunt violentam suspicionem.*

3 *Denunciare iudicialiter omittentium tertia pœna est, quod sint tanquam fautores hæreticorum puniendi, si nulla probabili causa excusentur, maximè si ex officio, vel iuramento præstito obligentur denunciare.*

4 *In Hispania tales sunt Crucesignati, qui Familiares vocantur.*

RESPONDATVR: Prima est excommunicatio, quæ secundum ius commune non est ipso facto lata, sed ferenda. DD. quos sequitur Suarez *de fide disp.* 20.*sect.*4.*n.*28. quamquam in contrarium dixerit Penna *in Director. parte* 2.*comment.*2. quia Extrauag. Gregorij IX. apud eundem Pegnam *dicta* 2.*part. comment.*2.*ad cap. Qui aliàs*, solùm habet: *Si quis hæreticos sciuerit, &c. studeat indicare Confessori suo, vel alteri, per quem credat ad notitiam sui Prælati peruenire, alioquin excommunicationis sententia percellatur.* Quæ verba indicant sententiam ferendam, non latam. Ex Edictis tamen Sancti Officij est excommunicatio ipso facto lata, eaque reseruata; Adeò vt denunciare omittens ab ea absolui non possit, quousque denunciet. Pegna *cit. part.* 2.*comment.* 18. & Suarez *cit.n.*28. 1

Secunda pœna est, reddi de hæresi suspectum. Castr. eo loco mox infra citando, & Repertor. Inquisit. *verb. fautores, vers. Item in indicatione.* Quod intellige, si omittens denunciare, nulla se possit probabili causa excusare, vel si in iudicio interrogatus veritatem celauit: non, tamen contra Castrum *de iusta hæretic. punit. lib.*2.*cap.*25.*in princ.* & Repert. Inquisit. *vbi supra* contrahit violentam suspicionem, quia id nimis rigorosum est, vt testatur Decian. *in tract. crimin. lib* 5.*cap.*30. *num.*7. Pegna 2.*part. Director.q.*56.*commment.*81.*vers. illis ex Ioanne.* Royas *singul.* 5.*n.* 17. Farinac. *de hæresi q.* 197. *n.* 38. Sed est de hæresi vehementer suspectus solùm; si scilicet, vti dicebam, nulla causa excusante veritatem occultauit, vel in iudicio interrogatus, scienter negauit. Vel iuxta ea quæ dicam infra, si denunciare ex officio teneatur. Pegna Royas, & Farinacius *in loc. sup. cit.* 2

Sententia igitur Alphonsi à Castro, & Repertor. Inquisit. *in locis supra citatis*, volentium, quod qui non denunciat hæreticum, reddatur de hæresi suspectus, non est (si aliæ circumstantiæ non concurrant) sententia vera: ita vt propterea sola omissio denunciationis non reddat hominem de hæresi suspectũ. Royas *sing.* 5.*n.*18. Suarez *cit.n.*18. & alij quos supra referebam. Et consequenter etiam (quin multò magis) sententia Pegnæ *part.*3. *Director. comment.*60. *vers plus tamen*, volentis,

quod vxor non denunciando maritum, neque est (si similiter aliæ circumstantiæ non concurrant) sententia vera, cùm vxor rationabilem causam habeat non denunciandi virum quem habet.

3 Tertia pœna est, esse tanquam fautorem hæreticorum puniendum. Doctores quos citat & sequitur Pegna vbi supra *supra q.53. comment.78. vers.postremò.* Si scilicet similiter, vti dicebam, nulla probabili causa excusetur: quin vt arbitror, neque id sufficit, sed prætereà requiritur, vt ex iuramento præstito, quin forsan ex officio obligetur denunciare. Vgolinus *de censuris Pontif.reseru.2.part.in gloss.Fautores,n.9.* Toletus *lib.5. cap.16.n.6.* Decian. *in tract.crimin. lib.5. cap.51. n.35.* Suarez *cit.n.28.* Sanchez *lib.2. moral.cap.10. n.15.* Farinacius *de hæresi q. 197. n. 47.* Et videri etiam poterit ipse idem Pegna cum Eymer. *cit.comment.78 versic.priuati*, quatenus ait: *Ergo priuati homines fautores hæreticorum erant, si cùm eis incumberet ex officio illos indi-* 4 *care, vel comprehendere, hæc omiserint. Tales sunt Crucesignati, quos in Hispania familiares vocamus.*

Sententia igitur Pegnæ *cit. comment. 78.* & aliorum volentium, quod qui hæreticum non denunciat, sit tanquam fautor hæreticorum puniendus, non est (si aliæ circumstantiæ non concurrant, vti dicebam) sententia vera. Ita vt propterea in tali casu, qui non denunciat hæreticum, non debeat puniri pœnis latis contra fautores hæreticorum, sed debeat solùm tanquam inobediens, vel ad summum tanquam suspectus leuiter puniri pœnis leuioribus, prout Inquisitores iudicauerint, & arbitrati fuerint. Vgolinus *in Bullam Cœnæ part.2.verb.fautores,n.9.* Tolet. *lib.1.c.19.n.6.vers.quartum genus*, Suarez *cit.n.58.* & alij quos supra citabam. At de his vide quæ dicam infra dubitat. 57. & 108.

DISPVTATIO XXVI.

Quinam sint receptatores, fautores, & generaliter hæreticorum defensores, qui hac prima excommunicatione conuenienter ad *cap.Sicut 1. & cap.Excommunicamus, §. credentes, de hæretic.* tertiò, & quartò sunt excommunicati?

SVMMARIVM.

1 *Fautorum nomine veniunt qui scienter hæretico fauent in causa hæresis: & fauor præstatur, vel recipiendo hospitio hæreticum, & tunc iidem sunt fautores, & receptatores: Vel defendendo hæreticum in iudicio, vel extra, ne puniatur, & tunc sunt defensores.*

2 *Hæretici receptator dicitur, si hæreticum ob causam hæresis fugientem, & se abscondentem, hospitio recipiat in aliquo loco, animo illum occultandi, ne à Iudicibus capiatur, vel ne hæreticorum pœnas patiatur.*

3 *Amplia non requiri ad hunc effectum, vt quis pluries hæreticum receperit: sufficit enim si semel receperit, etiamsi nomen Receptator importet frequentiam: quia stylus, & consuetudo Curiæ attenditur, quæ est in contrarium.*

4 *Amplia non requiri, etiamsi dicta receptatio occulta sit: quia si publica est, & ad hæresim fauorem cedit, grauius delinquit.*

5 *Amplia neque requiri, vt hæreticus sit denunciatus, sed sufficit, si nouerit esse hæreticum: quia iam fauet hæretico.*

6 *Receptator hæretici vt quis sit in foro interno, debet nosse sic receptum hæreticum esse: In foro autem externo, cùm sit quid facti, non præsumitur de hac re scientiam, sed potiùs ignorantiam habere, & suo iuramento creditur, excepto casu quo hæreticus vbi receptator est, non sit publicè denunciatus, vel notorius.*

7 *Scientia in tali casu neque præsumitur, si cùm denunciatio facta est, abfuit is à loco, vel erat in lecto infirmus, vel negotiis propriis occupatus.*

8 *Hæretici defensor est primò si defendat errorem hæretici: secundò si defendat personam illius ob causam hæresis.*

9 *Hæretici errorem defendere dicitur, si rationes in eius fauorem adducat, & difficultates dissoluat: si verbis, vel scriptis laudet: si vellet is aliquem hæreticalem actum facere, & impediatur ab aliis, tu remoueas impedientes, vt liberè suam prauam voluntatem exequatur.*

10 *Hæreticum defendendi modus iste perniciosissimus est, siue quis interiùs errori defenso assentiatur, siue non: In foro tamen externo violenter præsumitur assentiri, vt tanquam hæreticus omni hæretico peior damnari debeat.*

11 *Hæretici personam quis defendit ob causam hæresis, si impedit ne capiatur à Iudice, si captum ab illo liberet, si impediat ne puniatur: quod facere potest muneribus, vi, dolo, vel potentia.*

12 *Hæretici defensor in tali casu non est qui hæreticum defendit ob aliam causam, quàm hæresis, v. g. ne à latrone, vel ab alia persona priuata iniustè offendatur, quia talis defensio non est peccatum.*

13 *Hæretici fautor est, si ob causam hæresis hæretico fauorem præstat omissione, vel commissione.*

14 *Omissione, vel commissione quomodo dicatur quis fauere hæretico.*

15 *Hæretici fautor adhuc erit qui omnia officia faciat etiam circa hæreticum mortuum, vel emendatum, si adhuc cedunt in fauorem hæresis, si v. g. sit interrogatus aliquis pro danda hæretico sepultura, &c.*

SVPPONO, quod nomine fautorum veniunt qui scienter hæretico fauent in causa hæresis: potest autem fauor iste multipliciter præstari. Primò recipiendo hospitio hæreticum: & sic iidem sunt fautores, ac receptatores. Secundò defendendo hæreticum in iudicio, vel extra, ne puniatur: & tunc sunt defensores. Quomodocumque igitur fauor iste præstetur, is qui fauorem hæretico præstat in causa hæresis, fautor hæretici dicitur. At quia Doctores hoc distinguunt, ideo explicando singula sigillatim. 1

Respondetur, & dico primò: Est receptator hæretici, si hæreticū ob causam hæresis fugientem, & se abscondentem hospitio recipias in aliquo loco, animo illum occultandi, ne à Iudicibus capiatur, vel ne hæreticorum pœnas patiatur. Paludanus *in 4.distinct.13. art.1. conclus.7.* Syluester *verb.hæresis 1.num.10.quæst.7.* Tabiena *verb.excommunicatio 5.num.10.vers.9.* S. Antoninus *part.3.tit.25.cap.4. §.final.* Graff *part.1.decis.lib.4. cap.18. num.31.* Azor. *tom.1.lib.8. cap.15.q.2.* Tolet. *lib.1.cap.10 n.6.* Archidiac. *in cap.Quicumque, de hæret. in 6.n.3.* Ioan. Andr. *ibid.n.4.* Decian. *in tract. crimin. lib.5.cap.51.n.22.* Pegna *1.part. Director.q.51.comment.76.vers. hinc consequitur.* Suar. *de fide disput.24. sect.1. n.4.* Vgolinus *in verb. Receptatores,n.1.* & Sanch. *lib.2. moral. cap.10. num.10.* 2

Neque ad hunc effectum requiritur, vt pluries hæreticum recipias, quia sufficit etiam si semel receperis. Nam esto nomen *Receptator* in sua propria significatione significet frequentiam, iuxta stylum tamen Curiæ consuetudine receptum, etiam ex vnica receptione receptator iudicaris, quia etiam hæc sola sufficit, vt hæreticus pœnas hæresis euitet, Pegna, Vgolinus, Suarez, Sanch. *locis sup.cit.* & plures alij, quos citat & sequitur Farinacius *de heres. q.181. n. 152.* & Sayr. *citato lib.3.* 3

Thesauri

Thesauri, *cap.* 5. *num.* 3. Et fauet Textus *in leg.* 1, *ff. de Receptator.* & *in l. congruit*, *ff. de offic. Præsid.* & *in l. fin. Cod. de iis qui latrones occultauerunt.*

4 Neque etiam requiritur, quod hæc receptatio occulta sit, quia si publica est, & ad hæresis fauorem tendit, grauiùs delinquis. Calderinus *tract. de hæresi, rubr. de hæretic. volent. num.* 14. Pegna 2. *part. quæst.* 51. *commentar.* 76 & Farinac. *quæst.* 183. §. 7. *num.* 99. Quapropter cùm Doctores communiter aiunt, receptatorem esse illum qui hæreticum recipiens occultat, ne in manus Iudicis deueniat, non intelliguntur, vt sola receptatio occulta damnetur, cùm publica damnabilior sit; sed ideò de illa mentionem faciunt, quia frequentior est.

5 Neque etiam requiritur, vt hæreticus sit denunciatus, sed sufficit si noueris esse hæreticum: quia iam faues hæretico vt hæretico. Tum quia hæc pœna non in fauorem excommunicationis, sed in detestationem hæresis apposita est. Suarez *de censuris disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 9. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 19. *num.* 6. Bonacina *disput.* 2. *de censur. quæst.* 3. *punct.* 3. *in fine*, Duardus *in can.* 1. *q.* 3. *vers. secunda sententia*, & Filliucius *tract.* 16. *cap.* 1. *q.* 5. *n.* 36. & 39.

6 Debes tamen nosse, sic receptum hæreticum esse, aliàs receptator hæretici non eris in foro interno. Glossa *in cap. Accusatus*, §. *illi quoque*, *verb. non possit*, *de hæreticis in* 6. Archidiaconus *in cap. Quicunque*, *num.* 3. *eodem titulo.* Ioannes Andreas *ibidem num.* 4. Geminianus *in* §. *hæretici*, *num.* 8. Calderinus *tract. de hæretic. tit. de hæreticorum credentib. num.* 14. Syluester *verb. hæresis* 1. *num.* 10. Tabiena *verb. excommunicatio* 5. *casu* 4. *num* 10. Pegna *in Director. Inquisit. part.* 2. *question.* 51. *comment.* 76. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 15. *num.* 18. & *in Enchirid. tit.* 16. *num.* 4. & 6. In foro autem externo, cùm sit quid facti, non præsumeris de hac re scientiam, sed ignorantiam potiùs habere, & tuo iuramento creditur. Simanchas *de catholic. institut. tit.* 15. *num.* 19. Vgolinus *in prima clausula Bullæ Cœnæ*, *verb. receptatores*, §. 2. *num.* 4. Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 70. & Azor. *tom.* 1. *lib* 8. *cap.* 15. *quæst.* 8. Excepto casu quo hæreticus, vbi tu resides, publicè denunciatus, vel notorius sit. Pegna 2. *part. Director. quæst.* 51.

7 *comment.* 76. *vers. an autem.* Carrerius *de hæretic. num.* 170. & Farinacius *de hæresi quæst.* 181. *num.* 164. Quin etiam & in casu, quo publicè denunciatus, vel notorius sit, aliquando præsumeris etiam non scientiam, sed ignorantiam habere: si scilicet cùm denunciatio facta est absfuisti à loco, vel eras in lecto infirmus, vel negotiis propriis occupatus. Azor *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst* 8. Vgolinus *de censuris Papæ reseruatis* 2. *part. in glossa Receptatores*, §. 2. *num.* 4. & Farinacius *loco supra citato*, *num.* 164.

8 Dico secundò: Es defensor hæretici, vt videre est apud Eymeric. 2. *part. Director. q.* 52. Paludanum *in* 4. *distinct.* 13. *art.* 1. *concl.* 7. Syluestrum *verb hæresis* 1 *numero.* 10. *quæst.* 7. Angelum *eodem verb. hæresis*, *num.* 25. Castrum *lib.* 1. *de inst. hæret. punit. cap.* 17. Candelabr. *in exposit. Bullæ Cœnæ num.* 7. *in* 1. *clausula.* Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 17. Sayr. *in Thesaur. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 9. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 15 *num.* 11. Pegn. *in Director. Inquisit. part.* 2. *q* 53. *comment.* 78. Anan. *in cap. excommunicamus* 1. §. *credentes*, *num.* 35. *de hæret.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *q.* 6. & Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. primò, si defendas errorem hæretici: secundò si defendas personam illius ob causam hæresis.

9 Defendis errorem hæretici, si rationes in eius fauorem adducas, & difficultates contrarias dissoluas, si verbis, vel scriptis laudes, si vellet is aliquem actum hæreticalem facere, & impediatur ab aliis, tu verò remoueas impedientes, vt liberè suam prauam voluntatem exequatur. Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 51 *num* 9. Sayr. *lib.* 3. *de excommun. in partic. cap.* 5. *n.* 9. & Farinac. *de hæresi q.* 181. *n.* 63.

10 Modus iste defendendi hæreticum perniciosissimus est, siue interiùs errori defenso assentiaris, siue non. In foro tamen externo violenter præsumeris assentiri, vt tanquam hæreticus omni hæretico deterior damnari debeas ex Textu *in cap. hæreticorum* 24. *quæst.* 3. & tradit Eymericus *loco citato*, *quæst.* 52. Pegna *comment.* 77. *in principio.* Saytus *vbi supra*, & complures alij quos citat & sequitur Farinacius *de hæresi quæstione* 182. *numero* 62.

Defendis personam hæretici ob causam hæresis, si impedis ne capiatur à Iudice, si captum ab illo liberas, si impedis ne puniatur: quod facere potes muneribus, vi, dolo, vel potentia, &c. Doctores communiter, quos citat & sequitur Farinacius *loco supra citato.* 11

Dixi, *si defendas personam hæretici ob causam hæresis*: quia si defendas ob aliam causam, v. g. ne à latrone, vel ab alia persona priuata iniustè offendatur, non es defensor hæretici: quia talis defensio non est peccatum. Caietanus *verb. excommunicatio*, *num.* 1. Nauarrus *in summa cap.* 27. *num.* 56. Syluester *verb. hæresis* 1. *num.* 10. *quæst.* 7. Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticor. punition. cap.* 17. Candelabr. *in exposition. Bullæ Cœnæ num.* 7. *in prima clausula.* Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 6. Angel. *verb. hæresis*, *num.* 23. Saytus *vbi supra*, Suarez *de fide disput.* 24. *sect.* 1. *num.* 5. Farinac. *n.* 68. & Toletus *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 6. 12

Dico tertiò: Es fautor hæretici, si ob causam hæresis hæretico fauorem præstes omissione, vel commissione. 13

Omissione faues hæretico, si cùm teneris indicare, vel capere, non indicas, neque capis: si captum & tuæ curæ commissum diligenter non custodias: si tibi commissum puniendum non punias. 14

Commissione faues verbis, vel factis: verbis, si laudes hæreticum, vt talis est, affirmans illum esse virum probum, vel iniustè damnari, &c. Si consilium præbeas, vt possit errores occultare, vel condemnationem euitare. Factis faues hæretico, si eum domi occultas, si auxilium præbes, vt effugiat, si subministras alimenta, si processum falsificas, vel efficis quid aliud simile vnde Inquisitionis officium impeditur. Doctores communiter, vt Geminianus *in cap.* 2. *de hæreticis in* 6. Anchoranus *ibidem num.* 5. Innocentius *in cap. excommunicamus*, §. *credentes*, *num.* 1. Ananias *ibidem num.* 14. Ioannes Andreas *num.* 8. & *seqq.* Soccinus *num.* 29. Syluest. *verb. excommunicatio* 7. *num.* 11. & *verb. hæresis* 1. *q.* 7. Simanchas *de cathol. institut. tit.* 15. *num.* 14. Turrecremata 2. *part. de Eccles. lib.* 4. *cap.* 21. Bern. *lib.* 1. *de hæret. cap* 4. Suarez *de fide disput.* 24. *sect.* 1. *n.* 6. & *seqq.* Paludanus *in* 4. *dist.* 13. *q.* 3. Caietanus *verb. excommunicatio*, *cap.* 2. Pegna *in addit. Director. part.* 2. *q.* 53. *commentar.* 78. *vers. sed nec illi.* Locat. *in indic. Inquisit. verb. fautores*, *num.* 1. & *verb. magistratus.* Repert. Inquisit. *verb. iuramentum*, *vers. item omnes.* Decianus *in tractat. crimin. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 13. Calderinus *tract. de hæret. credent. n.* 17. & 18. Gundisalu. *tract. etiam de hæreticor. credent. q.* 16. *n.* 3. & alij, quos citat & sequitur Saytus *loco sup. cit.* & Farinac. *de hæresi q.* 182.

Aduerte tamen hîc, quod possis omnia hæc officia facere, etiam circa hæreticum mortuum, & emendatum: quæ si adhuc cedunt in fauorem hæresis, adhuc fautor hæretici eris. Vt si v. g. hæreticum mortuum in loco sacro sepelias, si interrogatus à Iudice ad illius delicti punitionem, veritatem cùm manifestare tenearis occultes, vel illius inquisitionem faciendam impedias. Saytus *vbi supra*, Suarez *de fide disput.* 24. *sect.* 1. *n.* 6. Vgolinus *cit. vers. fautores*, *n.* 18. & §. 2. *n.* 1. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 17. 15

PETITIO.

Quidnam dicendum de Aduocatis, & Procuratoribus hæretici. Vbi etiam, quidnam dicendum de Notariis pro hæretico instrumenta, vel alias scripturas conficientibus; an scilicet & isti similiter dicendi sint fautores, vel defensores hæreticorum?

SVMMARIVM.

1 *Patrocinium hæretico præstare in causa hæresis nemo potest, nec in dicta causa Aduocatus, vel Procurator admittitur.*

2 *Aduocatus, vel Procurator hæretici censetur fautor, & defensor eiusdem hæretici.*

3 *Aduocatus, & Procurator, qui hæretico patrocinium præstat, est etiam infamis, redditurque inhabilis ad patrocinandum.*

4 *Aduocatus, & Procurator hæretici est etiam excommunicatus in Constitutione Martini V. incipiente,* Inter cunctas.

5 *Aduocatus, vel Procurator non solùm redditur infamis, si præstet auxilium, fauorem, vel patrocinium hæretico; sed etiam si præstet eius fautoribus, defensoribus, & credentibus, redditur infamis, & inhabilis ad officium exercendum.*

6 *Notarius si pro hæretico, vel pro eius fautoribus, defensoribus, vel credentibus instrumenta, vel alias scripturas conficiat, afficitur similiter pœna infamiæ & priuationis officij.*

7 *Notarij, Aduocati, & Procuratoris sic priuati instrumenta, & scripturæ, si adhuc officium exerceat, nullius sunt valoris.*

8 *Aduocatus, Procurator, & Notarius non solùm non potest præstare patrocinium hæretico, eiusque credentibus, fautoribus, & defensoribus in causa hæresis, sed neque etiam in aliis causis & delictis.*

9 *Aduocatus, vel Procurator pro hæretico non admittitur, si constet, inquisitum esse hæreticum: secus verò si solùm dubitetur, an sit hæreticus; aut dubitetur, an id de quo inquiritur, sit hæresis: quia tunc concedendus est etiam Notarius, vt possit se defendere.*



1 RESPONDETVR: Non potest quis hæretico in causa hæresis patrocinium præstare, nec in dicta causa Aduocatus, vel Procurator admittitur: *cap. finali de hæretic. in 6.* & docet ibi Glossa *vers. nota secundò.* Geminianus *n. 2.* Ioan. Monach. *in princ.* Franchus *n. 1.* & alij Canonistæ communiter; Angel. *verb. hæreticus, n. 20.* Armilla *verb. hæresis, n. 13.* & alij Summistæ passim.

2 Adeò quod Aduocatus, vel Procurator hæretici censeatur fautor, & defensor hæretici: Anchatanus *in cap. Si aduersus, n. 2. de hæretic.* Ananias *ibidem num. 2.* Repertor. Inquisit. *verb. Aduocatus, & verb. fautores.* Syluester *verb. hæresis* 1 *n. 10.* Toletus *lib. 1. sectione 4.* Vgolinus *in Bull. Cœnæ, verb. fautores, in 1. clausul. num. 6.* & Grassius *lib. 4. decis. cap. 18. n. 39.* Qui duo vltimi Doctores addunt, quod propterea Aduocatus, & Procurator hæretici sit etiam excommunicatus in Bulla Cœnæ, ratione scilicet fautor & defensor hæretici, sicuti dicebam.

3 Et Aduocatus & Procurator qui hæretico patrocinium præstat, est etiam infamis, redditurque inhabilis ad patrocinandum, *cap. si aduersus, de hæretic.* ibi: *Aduocati ne hæreticis auxilium, consilium, fauorem, vel patrocinium præstent, etsi contra præsumpserint, ab officio suspensi, perpetuæ subiaceant infamiæ.* Et tradunt ibi præter Ostiensem *numero 2.* & Ioannem Andream *numero 2. & sequentibus*, & alij multi Canonistæ.

Et Aduocatus, & Procurator hæretici est etiam excommunicatus in Constitutione Martini V. incipiente, *Inter cunctas:* quam refert Pegna inter Litteras Apostolicas. Et tradunt Vgolinus loco supra citato. Decianus *in tract. de crimin. lib. 5. cap. 20.* & Carret. *tract. de hæretic. n. 114.* 4

5 Et ex *eod. cap. Si aduersus, de hæretic.* manifestè colligitur, & docent ibi communiter Canonistæ, quod Aduocatus, & Procurator iuxta dicta reddatur infamis, non solùm si præstet auxilium, consilium, fauorem, vel patrocinium hæretico, sed etiam si præstet eius fautoribus, defensoribus, & credentibus, reddaturque ob id inhabilis ad officium exercendum.

His adde, quod si pro hæretico, vel pro eius fautoribus, defensoribus, vel credentibus instrumenta, vel alias scripturas conficiat, afficiatur similiter pœna infamiæ, & priuetur etiam officio: *citato cap. Si aduersus, de hæretic.* & docent *ibi* Ananias *n. 3. & seqq.* Felin. *in 2. notab.* Soccinus *num. 4.* Syluest. *verb. hæreticus 1. num. 14.* Tabiena *eod. verb. n. 19.* Armilla *verb. hæresis, n. 13.* Et colligitur ex constitutione Innocentij IV. quæ incipit. *Nouerit Vniuersitas:* & ex alia constitutione Nicolai III. quæ incipit etiam, *Nouerit Vniuersitas:* apud Pegnam inter Literas Apostolicas. 6

Quod si Notarius (idemque dico de Aduocato, & Procuratore) per sententiam priuetur officio; & tamen adhuc officium exerceat, ipsius acta, & instrumenta nullius erunt valoris. Ancharanus *in eodem cap. Si aduersus, n. 4.* Zabarella *ibidem n. 1.* Henricus *num. 3.* Ananias *num. 3.* 7

Adde secundò, quod Aduocatus, & Procurator (idemque dico de Notario) non solùm non possit præstare patrocinium hæretico, eiusque credentibus, fautoribus & defensoribus in causa hæresis, sed nec etiam in aliis causis, & delictis. Ostiensis *in dicto cap. Si aduersus, de hæreticis, num. 1. & 2.* Henricus *num. 6.* Zabarella *num. 3.* Angelus *verb. hæreticus, num. 24.* & Carretus *tract. de hæretic. num. 119.* Non tamen ita, vt si non sit id in causa hæresis, sed in alia causa criminali, vel ciuili, censeatur similiter fautor, vel defensor hæretici, & propterea incurrat similiter excommunicationem Bullæ Cœnæ, Syluester *verb. hæreticus 1. num. 10.* & alij, quos sequitur Toletus *lib. 1. cap. 19. num. 7.* quidquid in contrarium sentire videantur Doctores, quos supra citabam. 8

Cæterùm, cùm dixi, quod non admittatur Aduocatus, vel Procurator pro hæretico, intellige quando constat, quod inquisitus sit hæreticus: quia quando dubitatur, an sit hæreticus; vel dubitatur, an id de quo inquiritur sit hæresis, dari debet illi Aduocatus, Procurator, & Notarius, debetque illi concedi, vt possit se defendere, & probare, se non esse hæreticum. Director. Inquisit. *part. 3. num. 117. rubr. de defensor. reor.* Pegna *ibidem comment. 28.* Carret. *tract. de hæret. n. 114.* Afflict. *in constit. Regn. de hæret. rubr. 1. n. 94.* & Clarus *in pract. § hæresis, n. 17.* vbi expressè ait, quod admittendus sit Aduocatus, cùm ex processu vult probare, quod inquisitus non sit hæreticus. Vide etiam quæ dicam infra dubitatione centesima octuagesima & septima. 9

COROLLARIA,

Ex dubitationis Dicto primo.

Quinam sint receptatores hæreticorum, & quasnam pœnas incurrant?

SVMMARIVM.

1 *Receptatores hæreticorum sunt qui hæreticos in domibus*

mibus vel terris suis, ne à ministris iustitiæ capiantur, nevè ab Inquisitoribus puniantur, recipiunt, & occultant, non solùm frequenter, sed etiam semel.

2 *Receptatores, qui sic recipiunt, & occultant hæreticos, nè à ministris iustitiæ capiantur, & puniantur, dicuntur etiam fautores, & defensores hæreticorum.*

3 *Eripiens hæreticum captum de manibus Curiæ, afficitur pœna perpetuæ relegationis, & confiscationis bonorum. Idemque dic de defendente, ne capiatur.*

4 *Receptores hæreticorum in domibus, vel terris suis, sunt etiam valdè de hæresi suspecti, præsertim si id faciant frequenter, eisque abiuratio, & purgatio canonica indici debet.*

5 *Hæreticis familiariter vtens debet suspendi ab officio, & debet etiam publicè abiurare amicitiam hæreticorum.*

6 *Receptores hæreticorum, & occultantes vt suprà, statim incurrunt excommunicationem: Quapropter licèt paulò post pœnitentia ducti illos denuncient, non tamen liberantur ab excommunicatione, iam incursa, nisi priùs ab illa absoluantur.*

7 *Receptor hæretici etiam dicitur, qui facit quantum potuit, ne à ministris iustitiæ hæreticus capiatur, etiamsi capiatur, & puniatur, isque pariter incurrit excommunicationem latam contra receptores, secus si excommunicarentur tantum accessoriè, quia tunc non essent excommunicati, quotiescumque secuta non fuisset realis occultatio.*

8 *Qui recipiunt, & occultant hæreticum, quem ignorant esse hæreticum, non incurrunt pœnas contra hæreticorum receptores latas. Quin iuranti se ex ignorantia hæreticum recepisse, ordinariè creditur.*

6 *Receptores, & occultatores hæreticorum sunt excommunicati non solùm in Bulla Cœnæ, sed etiam in aliis iuribus antiquis.*

10 *Receptores, & occultatores hæretici puniendi sunt eadem pœna, qua hæreticus, qui recipitur, plectendus est.*

11 *Receptores, & occultatores hæreticorum meritò excommunicantur, & cur.*

12 *Receptores, & occultatores hæreticorum, si per annum in excommunicatione perstiterint, ipso iure sunt infames, & reiiciuntur à publicis officiis.*

13 *Receptatores si fuerint ab Inquisitore, vel ab Episcopo excommunicati ex hac causa, quod receperint, & occultauerint hæreticos, & per annum in excommunicatione insorduerint, habentur pro hæreticis, & vt tales puniri poterunt. Quod si ij fuerint Clerici, sunt omni officio, & beneficio priuandi.*

1 EX dictis igitur receptatores hæreticorum sunt, qui hæreticos in domibus, vel terris suis, ne à Ministris Iustitiæ capiantur, neuè ab Inquisitoribus puniantur, recipiunt & occultant, non solùm frequenter, sed etiam semel; Paludanus, Syluester, Tabiena, S. Antoninus, Graffius, Sayrus, & alij, quos suprà in principio dubitationis, dicto primo citabam.

3 Vbi aduerte, quod, qui sic recipiunt, & occultant hæreticos, nè scilicet, vti dicebam, à Ministris Iustitiæ capiantur, neuè ab Inquisitoribus puniantur, dicuntur etiam fautores, & defensores hæreticorum: Angelus *verb. hæret. num.* 23. *& seqq.* Syluest. *verb. hæresis* 1. *n.* 10. Repertor. Inquisit. *verb. fautores*, quatenus ait: *Fautor hæreticorum est, qui hæretico præbet necessaria ad fugiendum.* Ranchin. *tract. de hæret. cap.* 5. *num.* 5. *&* 6. quatenus inquit: *Defensor & fautor hæreticorum est, qui hæretico præbet auxilium, consilium, & fauorem, vt fugiat.* Locatus *in iudic. Inquisit.* quatenus inquit: *Fautor hæreticorum est, qui monet consanguineum, vel amicum, vt fugiat, quando Ministri Iustitiæ illum inquirunt ad capiendum.* Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 10. & Vgolin. *in* 1. *claus. Bullæ Cœnæ, verb. fautores, num.* 11. quatenus docent, quod fautor hæreticorum, incidit in excommunicationem contra fautores hæreticorum in Bulla Cœnæ latam is, qui hæreticum amicum admonuit, vt fugeret, ne caperetur: & alij passim. 4

Aduerte secundò, quod in Constitutione Innocentij IV. *Ad extirpanda*: & in Constitutione Clementis IV. etiam *Ad extirpanda*, apud Pegnam inter litteras Apostolicas, statuitur pœna perpetuæ relegationis, & confiscationis bonorum in eos, qui hæreticum captum de manibus Curiæ eripere audent, vel eum, ne capiatur, defendunt.

Aduerte tertiò, quod qui hæreticos in domibus, vel terris suis recipiunt, & occultant, vt suprà, sunt etiam valdè de hæresi suspecti, præsertim si id faciant frequenter: Quapropter ipsis tanquam de hæresi suspectis, abiuratio, & purgatio canonica indici debet. Director. Inquisit. *part.* 2. *quæst.* 51. *num.* 3. Pegna ibidem *comment.* 76. & *eadem part.* 2. *quæst.* 56. *num.* 6. & Pegna *ibidem in additionib.* Locatus *in iudic. Inquis. verb. excommunicati, num.* 3. *& verb. pœna, num.* 11. Menoch. *de arbitr. cas.* 374. *num.* 15. & *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *num.* 19. Et patet *ex cap. excommunicamus,* 1 *§. siqui autem, de hæretic.* & *ex cap. Accusatus, de hæretic. in* 6.

His adde, quod *in cap. inter sollicitudines, de purgat. canonic.* dicitur, quod is qui familiariter vtitur hæreticis, debet suspendi ab officio, & debet etiam publicè abiurare amicitiam hæreticorum: Qua de re videri poterit præter alios Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 47. *num.* 5. & *cap.* 51. *num.* 84. 5

Aduerte quartò, quod qui recipiunt hæreticos, & occultant, vt suprà, statim incurrunt excommunicationem: Quapropter, licèt paulo post pœnitentia ducti illos denuncient; non tamen liberantur ab excommunicatione, quam iam incurrerunt, nisi prius ab illa absoluantur; Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 78. Vgolinus *in Bull. Cœn. claus.* 1. *verb. receptatores, §.* 1. *in princ.* & *in tract. de censur. tabul.* 1. *cap.* 13. *§.* 1. Sicut qui recipit bannitum, statim incurrit excommunicationem contra bannitorum receptatores latam, etiamsi postea pœnitentia ductus, statim eundem bannitum bracchio sæculari tradat, Vgolinus *cit. verb. receptatores, §.* 1. *num.* 1. Clar. *lib.* 4. *recept. sent. verb. emphyteusis, quæst.* 13. *vers. sed quid,* & alij, quos sequitur Nellus *tractat. de bannitis* 3. *part.* 2. *temp. num.* 14. 6

Similiter statim etiam incurrit excommunicationem contra hæreticorum receptatores latam is, qui hæreticum reciperet, & occultaret; quamuis adhuc hoc non obstante, à Ministris Iustitiæ dictus hæreticus caperetur, & ab Inquisitoribus puniretur, quia iste talis, cùm fecerit, quod in se est, nè à Ministris Iustitiæ hæreticus caperetur, neque ab Inquisitoribus puniretur, est receptator hæretici; Castr. *lib.* 1. *de iust. hæretic. punit. cap.* 17. Suarez *de fide disp.* 24. *sect.* 1. *num.* 4. & Graff. *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 34. Nam huiusmodi receptatores (idemque dicunt de fautoribus, defensoribus, & similibus) subdunt satis probabiliter prædicti Doctores, in detestationem hæresis excommunicantur principaliter, & non accessoriè, sicuti excommunicantur consulentes duellum ex condicto, & duellantes ex condicto. Item prædicantes non solui decimas, & non soluentes illas. Sicque actus sub pœna excommunicationis latæ prohibitus, atque adeò ad contrahendam excommunicationem sufficiens, completus, seu consummatus est in personis prioribus, absque eo quod compleatur, seu consummetur in personis posterioribus. Quod si excommunicarentur tantùm accessoriè, vt satis probabiliter volunt alij, & nos infrà *dubit.* 19. dicemus, non essent excommunicati, quoties- 7

cumque secuta non fuisset realis occultatio; eo quod scilicet iam de facto à Ministris Iustitiæ hæreticus fuerit captus, & illorum manus effugere non potuerit.

8 Aduerte quintò, quod qui recipiunt, & occultant hæreticum, quem ignorant esse hæreticum, non incurrunt pœnas contra hæreticorum receptatores latas; Glossa, Archidiaconus, Ioan. Andreas, Geminianus, Syluester, Tabiena, Calderinus, Pegna, Simanch. & alij, quos suprà citato dicto primo referebam; quia, cùm lex debeat esse de re possibili, *cap. erit lex, dist.* 4. non potest obligare ignorantes: Alioquin enim lex esset de re impossibili, sicque etiam iniqua, & contrà textum *in leg. impossibilium, ff. de regul. iur.* Tùm quia ignorantia facti, qualis est in casu nostro, cùm facta sint ferè infinita, excusat, *cap. ignorantia, de regul. iur. in 6.* & *leg. Regula, ff. de iur. & fact. ignorant.* Sicque excusabit, quod homo pœnas contrà hæreticorum receptatores latas contrahat in foro conscientiæ: Quin etiam excusabit, quod contrahat in foro exteriori, in quo propter rationes dictas, ea præsumi debet: Ideoque in hoc dicto foro exteriori hæreticorum receptori iuranti, se ex ignorantia hæreticum recepisse, ordinariè creditur, vt in eodem dicto primo dicebam, & docent Simanch. *de cathol. institut. tit.* 15. *num.* 19. Vgolinus, Decianus, Azorius, quos ibidem citabam. Quod præcipuè verum est in nautis, & stabulariis, qui communiter quoscumque omnes recipiunt, nec ad ipsos pertinet, quod ad sua hospitia aduenientium mores, & vitam perscrutentur, vt dicitur *in leg.* 1. *ff. de furt. aduersus nautas, &c.* Et tradunt Locat. *in iudic. Inquisit. verb. receptatio, num.*6. Pegna *in direct. Inquis. part.*1. *quæst.* 51. *comment.* 16. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 70. & Graff. *lib.* 4. *decision. cap.* 18. *num.* 33.

9 Aduerte sextò, quod qui recipiunt, & occultant hæreticos, vt suprà, sunt excommunicati non solùm in Bulla Cœnæ, sed etiam in aliis iuribus antiquis, vt *in cap. sicut ait, & in cap. excommunicamus, 1. §. credentes, de hæreticis, in cap. nouerit, de sent. excommunic.* & *in cap. quicumque, §. hæretici, de hæreticis in 6.* & excommunicantur etiam in Constitutione Nicolai III. *Nouerit vniuersitas*, & in Constitutione Pauli IV. *Cum ex Apostolatus*, apud Pegnam inter literas Apostolicas.

10 Aduerte septimò, quod qui recipiunt, & occultant hæreticos, vt suprà, plectendi sunt eadem pœna, qua hæreticus qui recipitur, plectendus est, *leg. Manichæos, §. præterea, Cod. de hæretic.* & docet Azor. *ibi num.* 11. Ostiensis *in cit. cap. excommunicamus,* 1. *n.* 17. Angel. *verb. Hæreticus, num.* 23. & Carrer. *tract. de hæreticis, num.* 165. quamuis Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 65. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 548. *num.* 6. & Simanch. *de cathol. institut. tit.* 15. *num.* 15. & *in Enchirid. tit. de receptatoribus, num.* 2. doceant, & forsan probabilius, quod plectendi non sint prorsus eadem pœna, sed solùm arbitrio iudicis.

11 Aduerte octauò, quod qui recipiunt, & occultant hæreticos, vt suprà, meritò excommunicantur, & aliis pœnis in iure afficiuntur; quia si hæretici non haberent, qui ipsos reciperent, & occultarent, facilè ipsorum hæresis vim habere cessaret, Glossa *eodem cap. excommunicamus* 1. *verb. receptatores*, Sayr. *in Thesaur. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 2. & alij passim.

12 Aduerte nonò, quod qui recipiunt, & occultant hæreticos, vt suprà, si per annum in excommunicatione perstiterint, ipso iure sunt infames, & reiiciuntur à publicis officiis, *ex auth. credentes, in princ. Cod. de hæretic.* & notat *ibi* Innocent. *num.* 1. *verbo credentes*, Ostiensis *num.* 19. Ancharan. *num.* 5. *& seqq.* & ex Constitutione Friderici Imperatoris, quæ incipit *Catharos*, & ex Constitutione Innocentij IV. quæ incipit, *Nouerit vniuersitas*, apud Pegnam inter literas Apostolicas.

13 Quod si huiusmodi receptatores fuerint ab Inquisitore, vel ab Episcopo excommunicati ex hac causa, quod receperint, & occultauerint hæreticos, & per annum in excommunicatione permanserint, habentur pro hæreticis, & puniri poterunt vt hæretici, Rancbin. *de hæretic. cap.* 17. *num.* 2. Læl. Zecch. *in summa part.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.* 11. *num.* 13. & patet ex *cit. cap. excommunicamus* 1. & ex *cap. vt Inquisitionis, §. prohibemus, de hæretic. in* 6.

Quod si tandem prædicti receptatores fuerint Clerici, sunt omni officio, & beneficio per sententiam iudicis priuandi, DD. quos sequitur Ghirlandus *tract. de hæret. quæst.* 9. *num.* 1.

COROLLARIA,

Ex eiusdem dubitationis dicto secundo.

Quinam sint defensores hæreticorum, & quasnam pœnas incurrant?

SVMMARIVM.

1 *Defensores hæreticorum sunt qui viribus, potentia, armis, vel fraude, &c. hæreticos defendunt, vt non deueniant in manus Inquisitorum, vel vt ob causam hæresis non puniantur, accusentur, denuncientur, vel interrogentur, vt tutò viuere possint.*

2 *Defensores hæreticorum sunt, qui hæreticos iuuant, quominus contra illos fiat executio sententiæ.*

3 *Defensores hæreticorum, eorumque fautores sunt, qui de manibus Curiæ hæreticum eripiunt, quibus etiam imponitur pœna perpetui exilij, & confiscationis bonorum, nec non ex Pio V. pœna mortis, & alia pœna imposita contra reos criminis læsæ Maiestatis.*

4 *Defensores hæreticorum, eorumque fautores in aliis criminibus extra causam, vel negotium hæresis non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, neque alias pœnas contra hæreticorum defensores impositas.*

5 *Defensores hæreticorum (similiter & fautores, credentes, & receptatores) sunt infames.*

6 *Defensores hæreticorum sunt priuandi omnibus officiis publicis.*

7 *Defensores hæreticorum sunt in perpetuum relegandi, eorumque bona publicanda.*

8 *Defensores hæreticorum sunt suspecti de hæresi, estque eis indicenda purgatio canonica.*

9 *Defensores hæreticorum sunt inhabiles ad testimonium ferendum.*

10 *Defensores hæreticorum nullam ex testamento, vel ab intestato hæreditatem possunt recipere, cum in iure reddantur incapaces.*

11 *Defensorum hæreticorum bona sunt ipso iure confiscata.*

12 *Defensores hæreticorum sunt inhabiles ad testamentum conficiendum.*

13 *Amplia supradicta de defensoribus hæreticorum ad fautores, credentes, & receptatores.*

EX dictis igitur etiam defensores hæreticorum sunt, 1
qui viribus, potentia, armis, vel fraude, &c. hæreticos defendunt, quod non deueniant in manus Inquisitorum, vel quod ob causam hæresis non puniantur, accusentur, denuncientur, vel interrogentur, &c. sicque quod tutò viuere possint; DD. communiter, vt Paludanus, Syluester, Angelus, & alij, quos suprà dicto secundo præsentis dubitationis citabam: Quapropter defensores, & fautores hæreticorum idem ferè sonant; DD. quos sequitur Simanch. *de cath. institut. tit.* 15. *num.* 11. Et ratio est clara, quia qui defendit hæreticos,

hæreticos, illis fauet, & qui fauet hæreticis, illos etiam defendit, DD. quos sequitur Pegna *in director. Inquisit. part. 2. quæst. 53. comment. 78.* & videri præter alios poterit Ananias *in cap. excommunicamus 1. §. credentes, num. 15. de hæretic.*

2 Secundò defensores hæreticorum sunt, qui hæreticos iuuant, quominùs contrà illos fiat executio sententiæ; Paludan. Syluester, Angelus, Castrus, Sayrus, Candelabrum, Graffius, Simancha, Azorius, & Toletus, quos ibidem citabam.

3 Tertiò defensores hæreticorum, eorumque fautores sunt, qui de manibus Curiæ hæreticum eripiunt; quibus etiam delinquentibus in Constitutione Innocentij IV. *Ad extirpanda*, & in Constitutione Clementis IV. itidem *Ad extirpanda*, imponitur pœna perpetui exilij, & confiscationis bonorum, quarum constitutiones confirmat Pius V. in alia sua Constitutione, quæ incipit, *Si de protegendis.* Vbi etiam Pius V. decernit, quod iidem puniantur pœna mortis, & aliis pœnis, quæ sunt impositæ contra Reos criminis læsæ Maiestatis; & has Constitutiones videre poteris apud Pegnam inter litteras Apostolicas.

4 Vbi tamen aduerte, quod non incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ, nec alias pœnas contrà hæreticorum defensores impositas *in Auth. credentes, Cod. de hæretic. in cap. Sicut, & in cap. excommunicamus 1. §. credentes, eodem tit.* & in Constitutionibus Nicolai III. Martini V. & Pauli IV. is, qui hæreticum defendit in aliis criminibus, extrà causam, vel negotium hæresis, vt si hæreticum defenderet, ne à latrone iniustè occideretur; quia tunc hæreticorum defensor censeri non debet; Caietanus, Nauarrus, Syluester, Castro, Candelabr. Azor. Angel. Sayr. Suarez, Farinacius, & Toletus, quos suprà dicto secundo in fine citabam; quia tunc non defendit hæreticum, vt hæreticum, sed eo modo, quo proximus defendi potest, vti supra ibidem dicebam.

5 Aduerte secundò, quod defensores hæreticorum (similiter & fautores, credentes, & receptatores) sint infames ex Constitutione Innocentij IV. *Ad extirpanda*, & ex Constitutione Clementis VIII. etiam *Ad extirpanda*, & aliorum Pontificum, apud Pegnam inter litteras Apostolicas; & tradunt præter alios Ananias *in cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæretic. num. 1.* & Decianus *in tract. crimin. cap. 51. num. 45.*

6 Item quod sint priuandi omnibus Officiis publicis *ex dicto cap. excommunicamus, & ex cap. quicumque, §. hæretici, de hæretic. in 6.* quatenus ibi prædicti redduntur inhabiles ad quodcumque officium publicum: & *ex cap. vt commissi, eodem titulo*, & ex citatis Constitutionibus Innocentij IV. & aliorum Pontificum, vt Honorij IV. quæ incipit: *Exibit*; Martini V. quæ incipit: *Inter cunctas*, & Pauli IV. quæ incipit: *Cum ex Apostolatus*: apud Pegnam *loco citato*, & docent Angelus *verb. hæreticus, num. 8.* Syluester eodem verbo hæreticus *1. num. 16. & hæreticus 2. num. 12.* & Armilla *verb. hæresis, num. 7.*

7 Item quod sint in perpetuum relegandi, eorumque bona publicanda ex citata Constitutione Federici Imperatoris, apud Pegnam *loco suprà citato*, & aduertit idem Pegna *in director. part. 2. quæst. 51 comment. 76. & quæst. 52. comment. 77.* & Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 51. num. 64.*

8 Item quod sint suspecti de hæresi, ita vt ipsis imponenda sit purgatio canonica: Ioan. Andr. *in cap. quicumque, de hæretic. in 6. num. 4.* & alij, quos sequitur Zanchin. *tract. de hæretic. cap. 17. num. 1.* & Martio. del Rio, *lib. 5. disquisit. magic. sect. 4.*

9 Item quod sint inhabiles ad testimonium ferendum ex citatis Constitutionibus Innocentij IV. & Clementis IV. & *ex cap. excommunicamus, §. credentes, de hæretic.* & notat ibi Ostiensis *num. 19* Ananias *num. 6.* Soccinus *num. 39.* & alij, quos sequitur Syluester *verb. hæreticus 1. num. 16.*

Item quod nullam ex testamento, vel abintestato hæreditatem possint recipere, eum in iure reddantur incapaces *ex Auth. credentes, Cod. de hæretic. & ex cap. excommunicamus 1. §. credentes, eodem tit.* vbi notant Ostiensis *num. 33.* Ananias *num. 6.* cæterique Canonistæ: & ex citatis Constitutionibus Innocentij IV. Clementis IV. & Federici Imperatoris. 10

Item quod eorum bona sint ipso iure confiscata, Gloss. *in cap. si aduersus, verb. auxilium, de hæretic.* & tradunt ibi Ostiensis *num. 1.* & alij, quos sequitur Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 51. num. 79.* & quidem in dicta Constitutione Federici Imperatoris dicitur, quod isti tales perpetuò relegentur, eorumque bona publicentur. Quapropter aliqui Doctores, quos sequitur Cantera *in quæst. crimin. rubr. de hæres. cap. 1. num. 55.* aiunt, quod non sint ipso iure publicata, sed sint solum publicanda. 11

Item quod sint inhabiles ad testamentum conficiendum, *ex citata Auth. credentes*, vbi expressè dicitur, quod sint intestabiles, vt nec testandi liberam habeant facultatem: & *ex cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæret.* vbi tradunt Gloss. *verb. sic etiam intestabilis*, Ioan. Andreas *num. 15.* Ancharan. *num. 3.* & alij, quos sequitur Syluester *verb. hæreticus 1. num. 16.* & Rolella *eodem verb. num. 16.* & etiam ex dictis Constitutionibus Innocentij IV. Clementis IV. & aliorum complurium Pontificum, & Federici Imperatoris. 12

Et quæ dixi de defensoribus hæreticorum, eadem dicas de fautoribus, credentibus, & receptatoribus, vt suprà innuebam. 13

COROLLARIA,

Ex eiusdem dubitationis Dicto tertio.

Quinam sint fautores hæreticorum, & quasnam pœnas incurrant?

SVMMARIVM.

1 *Fautores hæreticorum sunt qui cum possint, & teneantur ratione officij contra hæreticos procedere, eosque punire, omittunt id facere intuitu hæresis; quales sunt Episcopi, Inquisitores, eorumque Ministri, ad quos pertinet contra hæreticos procedere, & eosdem punire, si contra illos non procedant, & eosdem non puniant, vbi vide quas pœnas incurrant ob dictam omissionem.*

2 *Fautores hæreticorum sunt qui ex officio tenentur hæreticos accusare, vel denunciare, &c. & tamen id non faciunt. Tales sunt, quibus datur stipendium ad hæreticos denunciandos.*

3 *Fautores hæreticorum sunt qui legitimè de hæreticis ab Inquisitoribus requisiti, illos celant, & veritatem dissimulant.*

4 *Fautores hæreticorum sunt Domini sæculares, & officiales Ministri, qui omittunt hæreticum inuestigare, vel capere; contra nonnullos Doctores oppositum sentientes.*

5 *Domini sæculares, si in hæreticis per suas terras extirpandis, negligentes fuerint, præsumuntur hæretici.*

6 *Terræ Dominorum sæcularium, qui si requisiti, & moniti ab Ecclesia, post annum à tempore monitionis elapsum eas ab hæreticis purgare neglexerint, possunt à Catholicis occupari, saluo iure Domini principalis.*

7 *Domini temporales si terras suas ab hæreticis purgare neglexerint, excommunicantur, eorumque vassalli à summo Pontifice absoluendi sunt à iuramento fidelitatis, & terræ Catholicis occupandæ exponuntur.*

8 Domini

8 *Domini temporales excommunicantur ob dictam fautoriam.*

9 *Fautores, & defensores hæreticorum sunt publici Principum Officiales, nempe Prouinciarum, vel Terrarum, &c. Rectores, aut Gubernatores, si hæreticos ex negligentia capere, & à dictis Terris eiicere non procurent.*

10 *Fautores hæreticorum sunt qui in gratiam hæreticorum non faciunt custodias, in quibus hæretici custodiantur, suntque etiam ij ob talem causam excommunicati.*

11 *Fautores hæreticorum sunt qui hæreticos ab hæresi auocare possunt, & tamen non faciunt; quod tamen intellige de personis publicis, non de priuatis, quæ solum sub excommunicationis pœna tenentur accusare, vel denunciare.*

12 *Fautores hæreticorum sunt qui impediunt in hæreticis puniendis Episcopos, vel Inquisitores, vel eorum ministros.*

13 *Impedientes, & auxilium, consilium, vel fauorem ipsis dantes, ne hæretici puniantur, &c. ipso facto excommunicati sunt.*

14 *Impedientes prædicti si per annum in excommunicatione permanserint, condemnari debent tanquam hæretici.*

15 *Impedientes Inquisitores, vel Episcopos in negotio S. Inquisitionis sunt inuocato etiam brachio sæculari per censuras Ecclesiasticas monendi.*

16 *Impedientes prædicti sunt etiam de hæresi suspecti, & ideò abiuratio illis est indicenda.*

17 *Offendentes ministros, & Officiales S. Inquisitionis possunt ab ipsis Inquisitoribus puniri, verberantes enim & perterrentes Ministros sancti Officij, sunt puniendi pœna mortis, ipsorumque bona confiscanda.*

18 *Impedientes negocium S. Inquisitionis in materia fidei possunt in vniuersum ab Inquisitoribus puniri.*

19 *Fautores hæreticorum sunt Iudices, & Domini sæculares, qui nolunt dare milites ad capiendos hæreticos, vel qui requisiti ab Inquisitoribus, nolunt capere illos.*

20 *Iudices, & Domini sæculares prædicti sunt etiam de hæresi suspecti.*

21 *Comites, Barones, &c. tenentur ad iuramentum præstandum iuxtà commonitionem Episcoporum, quod requisiti fideliter, & efficaciter Ecclesiam contra hæreticos, eorumque complices adiuuabunt. Sed hoc iuramentum non est præstandum nisi in terris, in quibus hæretici dicuntur commorari.*

22 *Qui præsunt ciuitatibus, debent iurare obseruare, & facere à suis subditis obseruari constitutiones contrà hæreticos à Sede Apostolica promulgatas, & qui iurare noluerit, tanquam infamis, & de fide suspectus habetur.*

23 *Rectores ciuitatum, & Magistratus debent iurare se persecuturos, & effugaturos hæreticos.*

24 *Ciuitates, quæ ex negligentia omittunt punire hæreticos, priuari debent Episcopali dignitate.*

25 *Fautores hæreticorum sunt qui hæreticis pecunias, alimenta, arma, vel alia auxilia, vel consilia subministrant.*

26 *Fautores hæreticorum sunt qui hæreticis verbis fauent, vt si v. g. dicant: Inquisitores iniustè contra hæreticos procedunt, hæretici sunt viri boni, laude & honore digni.*

27 *Fautores hæreticorum sunt qui precibus, pecunia, vel alio modo, quod hæretic[illegible] liberetur, curant; item & qui pro hæreticis intercedunt, & supplicant.*

28 *Fautores hæreticorum sunt, qui se fingunt esse hæreticos illos, quos Inquisitores ad capturam procurant: vt sic se submittentes pro veris hæreticis veros hæreticos liberent. Qui tamen damnandi sunt ad perpetuum carcerem, & bonis omnibus spoliandi.*

29 *Fautores hæreticorum sunt, qui hæreticos, quando ab Inquisitoribus ad capturam perquiruntur, monent quod fugiant, vel quod se abscondant, licet id faciant non intuitu hæresis, sed ob cognationem, vel amicitiam.*

30 *Fautores hæreticorum sunt qui hæreticos docent modum, quo se falsò defendant, vel docent modum, quo veritatem celent, aut hæresim negent, tales enim sunt vehementer de hæresi suspecti.*

31 *Fautores hæreticorum sunt, qui processus contra hæreticum formatos lacerant, testes examinatos verberant, vel è manibus Iustitiæ, aut è carcere hæreticum eruunt.*

32 *Fautores hæreticorum sunt qui Iudicem vexant, perturbant, vel iniuria afficiunt, ad hoc vt hæreticum liberent.*

33 *Fautores hæreticorum sunt qui ob hæresim illos venerantur, comitantur, illisque munera mittunt, suntque etiam isti de hæresi suspecti: secus si facerent non ob hæresim, sed ob alias causas, non enim essent hæreticorum fautores, nisi in hæresis fauorem redundarent.*

34 *Fautores hæreticorum sunt qui hæreticos visitant, quique etiam sunt de hæresi suspecti, & multò magis qui cum hæreticis contrahunt affinitatem.*

35 *Fautores hæreticorum sunt qui hæreticos sepeliunt in loco sacro; secus si ob amicitiam, vel consanguinitatem. Fautores enim, defensores, receptatores hæreticorum, vel eorum credentes non possunt sepeliri in loco sacro, neque pro illis fieri deprecationes.*

36 *Sepelientes hæreticos in loco sacro non solùm eadem pœna puniuntur, sed etiam qui sepeliunt fautores, defensores, receptatores, vel credentes hæreticorum.*

37 *Fautores hæreticorum sunt excommunicati in Bulla Cœnæ, & si per annum permanserint, ipso iure sunt infames, & inhabiles ad publica officia.*

38 *Fautores hæreticorum si fuerint Clerici, & per annum in excommunicatione persistentes, priuandi sunt per sententiam iudicis omni officio, & beneficio.*

39 *Fautores hæreticorum si fuerint ab Episcopo, vel ab Inquisitore tanquam fautores hæreticorum excommunicati, & per annum in excommunicatione persistentes, debent tanquam hæretici haberi.*

EX dictis igitur etiam fautores hæreticorum sunt, qui cùm possint, & teneantur ratione officij contra hæreticos procedere, eosque punire, omittunt id facere intuitu hæresis; Geminian. Ancharan. Ananias, Innocentius, Ioan. Andr. Soccinus, Syluester, Simancha, Turrecremat. Brunus, Suarez, & alij, quos suprà dubitationis præsentis dicto tertio citabam. Tales sunt Episcopi, Inquisitores, eorumque Ministri, ad quos pertinet contrà hæreticos procedere, & eosdem punire, si contra illos non procedant, vel eosdem non puniant; & in *Clement. I.* de pœnis ob hanc causam Episcopi suspenduntur ipso iure ab officio per triennium, & excommunicaotur excommunicatione & suspensione summo Pontifici reseruata, sicuti habetur in dicta Clementina: Quin si prædicti id faciant ex odio, vel amore, vel ob lucrum temporale, iure communi excommunicatione summo Pontifici reseruata excommunicantur *in Clement. I. §. verum, de hæretic.* & docent ibi Glossa *verb. fraudulenter*, Imola *num. 3.* Zabarella *num. 2. & seqq.* Ancharan. *num. 11.* Caietanus *verb. excommunicatio, cap. 3.* & Nauarrus *cap. 27. num. 100.* Quin etiam, si prædicti fuerint negligentes in puniendis hæreticis, deponi debent ab officio Episcopali, *ex cap. excommunicamus 1. §. volumus, de hæretic.* & docet præter alios Pegna *in Director. part. comment 2. vers. Episcopi ergo.*

Secundò

2 Secundò fautores hæreticorum sunt, qui ex officio tenentur hæreticos accusare, vel denunciare, &c. & tamen id non faciunt. Tales sunt, quibus datur stipendium ad hæreticos denunciandos. Syluest. verb. hæresis 1. n. 10. Tabiena verb. excommunic. 5. vers. 7. n. 8. Vgolinus in exposit. Bulla Cœna, verb. fautores, n. 9. & alij, quos sequitur Grassius part. 1. lib. 4. cap. 12. n. 24.

3 Tertiò fautores hæreticorum sunt, qui legitimè de hæreticis ab Inquisitoribus requisiti, illos celant, & veritatem dissimulant: Angel. verb. hæresis, n. 14. Grassius loco suprà cit. n. 23. Castro lib. 2. de iust. hæreticor. punit. cap. 17. & alij, quos sequitur Sayr. in Thesaur. lib. 3. cap. 5. & 7. & quamuis si priuatæ personæ similiter sint requisitæ, quod capiant hæreticos, illosque ex negligentia non capiunt; censeant nonnulli Doctores, quod etiam illæ hæreticis faueant, sicut videtur definitum in Concilio Narbonensi apud Pegn. in addit. director. part. 2. quæst. 53. comment. 78. vers. sed nec illi: contrarium tamen censent præter alios Directorium, & Pegna in dict. quæst. 53.

4 Quartò fautores hæreticorum sunt Domini sæculares, & Officiales Ministri, qui omittunt hæreticum inuestigare, vel capere, &c. Paludan. in 4. distinct. 13. quæst. 3. Caiet. verb. excommunicatio, cap. 2. Ananias in cap. excommunicamus, §. credentes, de hæretic. n. 14. & Syluest. verbo hæresis 1. quæst. 7. contrà Archidiaconum in cap. Quicumque, de hæretic. in 6. n. 4. & 5. Geminianum ibid. n. 9. Ioan. Andr. n. 4. & seqq. & alios, quatenus expressè docent, quod Domini prædicti sæculares, non punientes hæreticum, non sint propterea vocandi hæreticorum fautores, vel defensores, &c.

5 Item prædicti Domini sæculares, si in hæreticis per suas terras extirpandis negligentes fuerint, præsumuntur hæretici DD. quos sequitur Pegna in addit. directorij part. 2. comment. 2. vers. si de Episcopus, ex Textu in cap. 2. de hæreticis.

6 Item prædicti Domini sæculares, si requisiti, & moniti ab Ecclesia, post annum à tempore monitionis elapsum terras suas ab hæreticis purgare neglexerint, possunt ipsorum terræ à Catholicis occupari saluo iure Domini principalis, casu quo prædicti Domini sæculares fuerint feudatarij, Auth. si verò, Cod. de hæretic. & communiter Doctores.

7 Item in cap. excommunicamus, §. moneantur, de hæretic. dicitur, quod Domini temporales, si terras suas ab hæreticis purgare neglexerint, excommunicentur, & posteà Summo Pontifici significetur, quod Vassallos à fidelitate iuramenti absolutos denunciet, & terras Catholicis occupandas exponat.

8 Item prædicti Domini sæculares excommunicantur in cap. Inquisitis, de hæretic. in 6. quamuis talis excommunicatio non sit Papalis, sed Episcopalis.

9 Quintò, fautores & defensores hæreticorum sunt publici Principum officiales, nempe Prouinciarum, vel terrarum, &c. Rectores, aut Gubernatores, si hæreticos ex negligentia capere, & à terris suis eiicere non procurent, Ioan. Andreas in cap. Quicumque, num. 5. de hæretic. in 6. Geminian. ibid. num. 10. Repertor. Inquisit. verb. iuramentum, vers. Item omnes, Locat. in iudic. Inquisit. verb. fautores, num. 1. & verb. Magistratus, Decian. in tract. crimin. lib. 5. cap. 51. n. 33. & Simanch. de Cathol. Instit. tit. 15. de credentibus, num. 13. Quinimò tales officiales, & Magistratus censentur etiam de hæresi suspecti: Doctores quos sequitur Menoch. de præsumptionib. lib. 5. præsumptione 6. num. 11.

10 Sextò, fautores hæreticorum sunt, qui in gratiam hæreticorum non faciunt custodias, in quibus hæretici custodiantur, suntque etiam tales ob hanc causam excommunicati: DD. quos sequitur Sayrus loco sup. cit. num. 7. quamuis secus si id omitterent solùm ob auaritiam ad vitandas expensas, Angelus verb. hæreticus, num. 14. Syluest. verb. hæresis 1. quæst. 7. & alij complures.

Septimò fautores hæreticorum sunt, qui hæreticos ab hæresi auocare possunt, & tamen non faciunt, argument. cap. vbi potest 24. quæst. 3. quatenus ibi dicitur, quod qui potest impedire improbos, ne quid malefaciant, & non impedit, illorum malitiæ fauet: & argumento cap. 2. de hæretic. quatenus ibi habetur, quod qui alios, cum potest, ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat. Ex quibus locis Glossa ibi verb. non reuocat, Ananias num. 1. & 4. Ostiensis in principio verb. non reuocat, Butrius num. 1. & seqq. Abb. in principio, Felinus etiam in principio, & alij multi Canonistæ deducunt, quod hæreticus censendus sit ille, qui ex negligentia hæreticum ab hæresi reuocare omittit; quamuis hoc intelligi debeat de personis publicis, scilicet de Episcopis, Prælatis, & Magistratibus, non autem de hominibus priuatis, qui solùm sub excommunicationis pœna tenentur accusare, vel denunciare, seu reuelare: Doctores quos sequitur Pegna in Directorio parte 2. commentario 2. versiculo Si de Episcopis. 11

Octauò, fautores hæreticorum sunt, qui impediunt in hæreticis puniendis Episcopos, vel Inquisitores, vel eorum ministros, ex cap. accusatos, §. Sacerdotes, de hæretic. in 6. ex Constitutione Innocentij IV. quæ incipit: Malitia huius temporis: ex Constitutione Vrbani IV. quæ incipit: Licet ex omnibus, & ex Constitutione Calixti III. quæ incipit: Iniunctum nobis: apud Pegnam inter litteras Apostolicas. Et notant Eymer. in Director. Inquisitor. part. 3. quæst. 54. num. 5. & alij communiter Doctores, quos sequitur Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæst. 6. 12

Item tales, qui sic impediunt, scilicet ne Inquisitores vel Episcopi possint capere, & punire hæreticos, ipso facto excommunicati sunt in cap. Vt Inquisitionis officium, §. fin. de hæretic. in 6. Ibi: Quod si quis in fidei negotio Episcopis, vel Inquisitoribus se opponere, vel aliquatenus impedire præsumpserit, seu auxilium, consilium, vel fauorem dederit, excommunicationis se nouerit mucrone percussum. Et tradunt ibi Glossa verbo Percussum, Geminian. num. 1. & seqq. Ioan. Monach. verb. prohibemus, & passim Canonistæ: excommunicati etiam sunt in Constitutione Pauli III. quæ incipit: Apostolici culminis: apud Pegnam loco suprà citato. Et non solùm excommunicati sunt prædicti impedientes, sed etiam auxilium, consilium, vel fauorem ipsis impedientibus dantes; Direct. Inquis. part. 2. quæst. 47. num. 2. & Calderinus tract. de hæreticis rubr. de his, quæ pertinent ad executionem S. Officij num. 5. 13

Item prædicti impedientes, si per annum in excommunicatione permanserint, condemnari debent tanquam hæretici ex citato cap. vt Inquisit. Officium. Vbi notat Glossa, quam sequuntur communiter Canonistæ. Et ex Constitutione Iulij III. quæ incipit a Licet à diuersis: apud Pegnam loco suprà citato. Dicuntur autem impedire Inquisitores, vel Episcopos non solum qui armis, vel aliis factis illos, ne hæreticum inquirant, impediunt, sed etiam qui illis hanc ob causam minantur; Doctores quos sequitur Pegna in Director. Inquisit. part. 2. quæst. 54. comment. 79. vers. His autem modis. 14

Item impedientes Inquisitores, vel Episcopos in negotio sanctæ Inquisitionis sunt, inuocato etiam brachio sæculari, per censuras Ecclesiasticas monendi, quod desistant, cap. vt officium, §. compescendi, de hæret. in 6. & notant ibi Glossa, quam sequuntur alij Canonist. 15

Item tales impedientes sunt de hæresi suspecti, ità vt tanquam de hæresi suspecti, illam abiurare teneantur. Direct. Inquisit. part. 2. quæst. 54. num. 4. Pegna ibidem, & Repertor. verb. abiuratio, vers. sed an impedientes. 16

Item offendentes Ministros, & Officiales sanctæ Inquisitionis 17

Inquisitionis possunt ab ipsis Inquisitoribus puniri, DD. quos sequitur Simanch. *de Cathol. Institut. tit. 41.* Et patet ex Constitutione Pij V. quæ incipit: *Si de protegendis:* apud Pegnam inter literas Apostolicas, vbi dicitur, quod verberantes, perterrentes Ministros sancti Officij sunt puniendi pœna mortis, ipsorumque bona confiscanda, & imponuntur etiam aliæ pœnæ, quæ imponi solent reis criminis læsæ Maiestatis.

18 Item puniri possunt ab Inquisitoribus in vniuersum omnes, qui impediunt negotium sanctæ Inquisitionis in materia fidei, *ex cap. vt officium, §. compescendi, de hæretic. in 6. ex cap. statutum, eodem titulo,* & ex Constitutione Alexandri IV. quæ incipit: *Quod super:* apud Pegnam inter literas Apostolicas. Et tradit directot. Inquisit. *part. 2. quæst. 64. num. 5.* & Pegna *ibidem comment. 79. vers. docuit autem,* vbi referunt pro hac materia constitutiones complurium Romanorum Pontificum.

19 Nonò fautores hæreticorum sunt Iudices, & Domini sæculares, qui nolunt dare milites ad capiendos hæreticos, vel qui requisiti ab Inquisitoribus, nolunt capere illos; Nauarr. *consil. 14. de hæretic.* Menoch. *de præsumption. lib. 5. præsumpt. 6. n. 31.* Grassius *lib. 4. decis. cap. 18. n. 22.* & Sayrus *in Thesauro lib. 3. cap. 5. num. 7.*

20 Item prædicti Iudices & Domini sæculares sunt de hæresi suspecti, DD. quos sequitur Menoch. *loco suprà citato.*

21 Item *in cap. Ad abolendam, §. statuimus, de hæretic.* habetur: *Statuimus insuper, vt Comites, Barones, &c. iuxtà commonitionem Episcoporum, præstito corporaliter iuramento, promittant, quod fideliter, & efficaciter, cum ab eis fuerint requisiti, Ecclesiam contrà hæreticos, eorumque complices adiuuabunt, si verò id obseruare noluerint, honore, quem obtinent, spolientur, & ad alios nullatenus assumantur.* Sic etiam habetur, *in cap. excommunicamus 1. §. moneantur, de hæreticis:* Et notant ibi Ostiensis, Ioan. Andreas, *num. 7.* Butrius *in principio,* & Ancharan. *num. 1.* subdentes tamen, hoc nunc non obseruari, vel quia Episcopi in hoc sunt negligentes, vel quia hoc iuramentum non est præstandum, nisi in terris, in quibus hæretici dicuntur commorari, non autem in alijs terris, quamuis alij Canonistæ, vt Zabarella *ibidem in principio,* affirment, dictum iuramentum esse præstandum in omnibus terris, etiam de hæresi non suspectis.

22 Item *in cap. vt officium, §. statuimus, de hæretic. in 6.* vt qui ciuitatibus præsunt, iurent obseruare, & faciant à suis subditis obseruari Constitutiones contrà hæreticos à Sede Apostolica promulgatas, & qui iurare noluerit, tanquam infamis, & tanquam hæreticorum fautor, & de fide suspectus, officio, & honore sui regiminis spolietur, nec vlteriùs in aliquam dignitatem, vel officium publicum assumatur.

23 Item in Constitutione Federici Imperatoris, quæ incipit, *Cathatros:* apud Pegnam inter literas Apostolicas, statuitur, quod Rectores ciuitatum, & Magistratus debeant iurare, se persecuturos, & effugaturos hæreticos. Idemque etiam statuitur in Constitutione Innocentij IV. quæ incipit, *Ad extirpanda:* apud eundem Pegnam *loco suprà citato,* & notat præter alios Direct. Inquisitor. *part. 3. n. 7. & seqq.*

24 Item ciuitates, quæ ex negligentia omittunt punire hæreticos, priuari debent Episcopali dignitate, *ex cap. Ad abolendam, §. ciuitas, de hæreticis.*

25 Decimò fautores hæreticorum sunt, qui hæreticis pecunias, alimenta, arma, vel alia auxilia, vel consilia subministrant: Ancharan. *in cap. de hæret. in 6. num. 5.* Geminianus *ibidem num. 12.* Ostiensis *in summa de hæretic. §. Qua pœna, num. 10. & seqq.* Syluester *verb. hæresis 1. num. 10.* & alij communiter; quia sic fauent hæreticis, vel quod è carcere fugiant, vel quod in manus Inquisitorum non deueniant. Et patet etiam ex Constitutione Innocentij IV. quæ incipit *Ad extirpanda:* & ex Constitutione Clementis IV. quæ similiter incipit *Ad extirpanda:* apud Pegnam *loco supra citato.*

26 Vndecimò, fautores hæreticorum sunt, qui hæreticis verbis fauent, vt si v. g. dicant: *Inquisitores iniustè contrà hæreticos procedunt: Hæretici sunt viri boni, laude, & honore digni; non sunt homines ita mali, quales dicuntur, non debent tam grauiter puniri:* vel si alios ad eorum amorem, reuerentiam, vel pietatem hortentur: Archidiaconus *in cap. Quemcumque, num. 6. de hæretic. in 6.* Ioan. Andreas *ibidem num. 5.* Geminianus *num. 10. & 11.* Angelus *verb. hæreticus, n. 24.* Syluester *verb. hæresis 1. num. 10.* Menochius *de arbitrar. lib. 2. casu 548. num. 3.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 35. num. 44. & 48.* Sayrus *in thesaur. lib. 3. cap. 5. num. 8.* & Grassius *lib. 2. decision. cap. 9. num. 11.*

27 Duodecimò, fautores hæreticorum sunt, qui precibus, pecunia, vel alio modo, quod hæreticus liberetur, curant, Item & etiam qui pro hæretico intercedunt, vel supplicant, &c. Angelus *verb. hæreticus, num. 14.* Tabiena *verbo excommunicatio 3. cas. 4. § 8. circa finem,* Repertor. Inquisit. *verb. fautores, vers. quid autem;* Calderinus *tractat. de hæreticis credentibus, num. 17. & 18.* Royas *singul. 174.* Gundisaluus *tract. de hæretic. quæst. 16. n. 3.* & Mandosius *in Repertor. Inquisit. verb. fautores, vers. An Aduocatus, in addit. lit. K.* vbi ait: *Non licet supplicare, nec veniam petere pro hæretico.* Et *verbo rogare, vers. Item nota:* vbi inquit: *Nemo potest intercedere pro hæretico, & ij, qui rogant pro hæretico, sunt fautores hæreticorum, & impediunt officium S. Inquisitionis, sicut etiam non licet supplicare pro eo, qui crimen læsæ Maiestatis humanæ commisit, lege Quisque, §. Denique, Cod. ad leg. Iul. Maiest.*

28 Decimo-tertiò, fautores hæreticorum sunt, qui se fingunt esse hæreticos illos, quos Inquisitores ad capturam procurant, vt sic se submittentes pro veris hæreticis veros hæreticos liberent. Quin & isti tales debent ad perpetuum carcerem condemnari, & bonis suis omnibus spoliari, ex Constitutione Clementis IV. quæ incipit, *Ad extirpanda;* apud Pegnam inter literas Apostolicas.

29 Decimo-quartò, fautores hæreticorum sunt, qui hæreticos quando ab Inquisitoribus ad capturam perquiruntur, monent, quod fugiant, vel quod se abscondant, Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 15. num. 11.* Castro *lib. 1. de iust. hæretic. punit. cap. 17.* & Turrecremata, *2. part. de Ecclesia, lib. 4. cap. 21.* Quod intellige, licet id illi faciant non intuitu hæresis, sed ob cognationem, vel amicitiam; quia talis fauor redundat in fauorem hæresis; DD. quos sequitur Arelaten. *tract. de hæretic. not. 29.* At quid ego de hac re sentiam, dicam infrà *dubit. 28.*

30 Decimo-quintò fautores hæreticorum sunt, qui hæreticos docent modum, quo se falsò defendant, vel docent modum, quo veritatem celent, aut hæresim negent; Repertor. Inquisit. *verb. impediens, vers. Item quoniam, & verb. pœna, vers. Item nota,* Rosella *verb. hæreticus, n. 38.* Syluester *eodem verbo Hæreticus 2. n. 16.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 51. num. 16.* Graff. *vbi suprà num. 27.* Director. Inquisit. *part. 2. quæst. 56. n. 4.* Vbi subdit, quod instruentes hæreticos, quod veritatem celent, sint vehementer de hæresi suspecti, *ex cap. Accusatus, §. Sacerdotes, de hæretic.* & docet ibi Glossa *§. porrò,* & Ioan. Monach. *num. 11. & 13.* & Campeg. *in Addition. ad Zanchin. tract. de hæretic. cap. 20. verbo suspecti, cas. 4.* vbi etiam subdit, quod & de hæresi suspecti sint illi, qui modo supradicto hæreticos instruunt, vel monent.

31 Decimo-sextò, fautores hæreticorum sunt, qui processus contra hæreticum formatos lacerant, testes examinatos verberant, vel è manibus iustitiæ, aut è carcere hæreticum eruunt; Eymericus *in direct. part. 2. quæst. 54. art. 5.*

art.1. & 3. Pegna *in addit. comment.* 79. & Nauarr. *consil.14. de haeret. num.3.*

32 Decimo-septimò hæreticorum fautores sunt, qui iudicem vexant, perturbant, vel iniuriâ afficiunt, ad hoc vt hæreticum liberet, Eymericus, & Pegna *in locis supra citatis.*

33 Decimo-octauo, hæreticorum fautores sunt, qui ob hæresim illos venerantur, comitantur, illisque munera mittunt; suntque etiam isti tales de hæresi suspecti, Director. Inquisit. *part. 2. quæst.56. num.* 8. Tabiena *verbo excommunicatio 5. cas.4. num.9.* Locatus *in indic. Inquisit. verbo suspicio, num.*30. & alij communiter.

Quod si prædicta facerent non ob hæresim, sed ob alias causas, non essent fautores hæreticorum, nisi illa in hæresis fauorem redundarent; Glossa *in cap. accusat. de haeretic. in 6. verb. non possunt*, Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæst.7.* & Suarez *tom. 5. de censur. sect. 2. num.8. disput.21.* qui subdit, quod etiam in foro exteriori non præsumatur semper hæreticus is, qui huiusmodi officia præstat hæretico, nisi superaddantur aliæ circumstantiæ: Atque adeò quod is, qui hæreticis opem, & auxilium præstaret, non tanquam hæreticis, sed tanquam amicis, vel cognatis, in foro exteriori etiam non semper iudicaretur fautor hæreticorum, nisi superaddantur aliæ circumstantiæ, sicuti suprà dicebat: At, quid ego de hoc sentiam, dicam infrà *eit.dub.*208.

34 Decimo-nonò, fautores hæreticorum sunt, qui hæreticos visitant, *cap. Accusatus, §. ille quoque, de haeretic. in 6.* Et tradunt Archidiacon. *in cap. Quicumque, n. 2. eodem titulo*, Geminianus *ibid. n.6.* Io. Andr. *n.3.* Angel. *verbo haereticus, n.22.* & Syluester *verbo haeresis 1. n.10.*

Item isti tales sunt de hæresi suspecti; Repertor. Inquisit. *verbo credentes, vers. sed circumscripta*, & Calderin. *tract. de haeret. rubr. de haereticis credentibus, n.11.* Et multò magis sunt de hæresi suspecti, qui cum hæreticis contrahunt affinitatem, fœdus, vel quid simile; DD quos sequitur Pegna *in director. part. 2. q.56. comment.* 80.

35 Vigesimò, fautores hæreticorum sunt, qui hæreticos sepeliunt in loco sacro; secùs, si ob amicitiam, vel consanguinitatem, &c. sepeliant alibi, DD. quos sequitur Nauarr. *consil. 12. de haeretic.*

Vbi aduerte, quod ex dictis fautores, defensores, receptatores hæreticorum, vel eorum credentes, sepeliri non possint in loco sacro, neque pro illis fieri precationes; *cap. sicut, de haeretic.* Vbi notant Glossa, Abbas *notabil. vlt.* & Zabarella *in princ.* & *cap. excommunicamus 1. §. credentes, de haeretic.* vbi notat Butrius *n.38* Ananias *n. 10.* & Suarez *de fide disp. 24. sect.1. num.15.*

36 Aduerte secundò, quod eadem pœna puniantur non solùm, qui in loco sacro sepeliunt hæreticos, sed etiam qui sepeliunt fautores, defensores, receptatores, vel credentes hæreticorum, *& cap. 2. de haeretic. in 6.* & ex Constitutione Innocentij IV. quæ incipit: *Nouerit vniuersitas*: apud Pegnam inter litteras Apostolicas.

Cæterum fautores hæreticorum sunt excommunicati
37 in Bulla Cœnæ, & in Constitutione Martini V. quæ incipit *Inter cunctas*: & in Constitutione Pauli IV. quæ incipit *cum ex Apostolatus officio*: apud Pegnam etiam inter literas Apostolicas.

Quod, si tales in excommunicatione per annum permanserint ipso iure sunt infames, & inhabiles ad publica officia *ex Auth. credentes, Cod. de haeretic. ex cap. Sicut, de haeretic.* vbi Abbas, Zabarella, Ananias, Butrius, & alij Canonistæ: & *ex cap. excommunicamus 1. §. credentes, de haeretic.* vbi Ostiensis *n.19.* & Ancharan. *n.5. & seqq.*

Idemque patet ex Constitutione Federici Imperatoris incipiente *Catharos*, apud Pegnam *loco suprà citato*, vbi tales redduntur non solùm infames & inhabiles ad publica officia, sed etiam inhabiles ad testimonium ferendum.

Item si fautores hæreticorum fuerint Clerici, & per 38
annum in excommunicatione persistentes, omni officio, & beneficio per sententiam iudicis priuari debent. DD. quos sequitur Ghirlandus *tract. de haeretic. quæst.9. num.1.*

Item si fautores hæreticorum fuerint ab Episcopo, 39
vel ab Inquisitore tanquam fautores hæreticorum, excommunicati, & per annum in excommunicatione persistentes, debent tanquam hæretici haberi, & tanquam tales condemnari, *cap. vt Inquisitionis, §. prohibemus, de haeretic. in 6.* & docet Ostiensis *in summa de haeretic. §. qualiter deprehendantur, num.1.* Directorium Inquisit. *part. 2. quæst.47. n.3. & quæst.53. num.1.* & Repertor. *verb. excommunicare, vers. Item fautores.*



DVBITATIO XXVII.

An dicaris ex omissione fauere hæretico, si cum sis persona priuata, omittis hæreticum indicare, vel capere, vel si iam captum, & tibi commissum, diligenter non custodias, cum facilè possis?

SVMMARIVM.

1 *Hæretico fauere non dicitur ex omissione, si qui est persona priuata, omittit hæreticum indicare, vel capere, aut si iam captum, & eidem commissum diligenter non custodiat, cum facilè possit; secùs si ex iustitia obligatus sit hæreticum denunciare, vel ex speciali mandato Inquisitoris.*

2 *Inquisitores, & Episcopi si in hæresis fauorem omittant delinquentem capere, torquere, punire, vel in carcere fideliter custodire, fautores hæreticorum sunt.*

3 *Idem dicendum de ministris, si omittant capere, cùm omnes isti ex officio id facere teneantur.*

4 *Ex speciali mandato auxilium contrà hæreticum præstare tenentur omnes, si requisiti fuerint; quo casu propterea si omittant, peccant contra iustitiam, quia peccant contra ius debitum superiori præcipienti.*

5 *Quamuis satis probabiliter alij teneant oppositum, & cur.*

RESpondetur negatiuè, nisi præterea quoad hoc aduersus iustitiam, & obligationem officij pecces, sic Suarez *disp.24. sect.1. num.6.* Sayr. *vbi sup.* Simancb. *tit.15. n.13.* Pegna *in direct. quæst.55. comment.78. versic. Ego.* Sanch. *lib.2. moral. cap.10. n.15.* & Farinac. *de haeres. q.182. n.27.* 1

Probatur, quia cessante obligatione iustitiæ, cùm ad te non spectet illum corrigere, tibi imputari non potest, hæreticum non corrigi, sed si ex iustitia obligatus sis hæreticum denunciare, vel capere, quæ obligatio nasci potest, vel ex officio, vel ex speciali Inquisitoris mandato, tunc fautor hæretici eris, si fauorem debitum non præstes.

Hinc sequitur, quod Inquisitores, & Episcopi, si in 2
hæresis fauorem omittant delinquentem capere, torquere, punire, vel in carcere fideliter custodire, fautores hæreticorum sint. Idemque dicendum de Ministris, si 3
omittunt capere, cùm omnes isti ex officio id facere teneantur: Ex speciali autem mandato auxilium contra 4
hæreticum præstare tenentur omnes, si requisiti fuerint, quo casu propterea si omittant, peccant contra iustitiam,

iustitiam; quia peccat contra ius debitum superiori præcipienti, atque adeò videtur sufficiens, vt etiam fautores hæreticorum dicantur; vt si quis v. g. interrogatus ab Inquisitoribus celet veritatem, vel requisitus capere hæreticum, non capiat, vel iussus manifestare illum, non manifestet; quia omittit facere ea, quæ ex speciali præcepto sui superioris facere debebat. Pegna & Sanchez *in locis supra citatis.*

Quamuis alij, vt Eymer. 2. *part. quæst.* 53. *num.* 3.
5 & Farinac. *de hæresi quæst.* 182. §. 2. *num.* 36. satis probabiliter teneant oppositum, non esse scilicet fautores hæreticorum priuatas personas, quibus ex officio non incumbit fidei fauere, & hæresim extirpare; sicque te à fautoria hæresis liberant, si solùm ex speciali præcepto, & non ratione officij, teneris fauorem præstare, eo quod tunc non videaris aduersus iustitiam, sed solùm aduersus fidem, & obedientiam in omittendo tali fauore peccare. Aliàs, quotiescumque subditus superiori præcipienti non obedierit, duplex peccatum committeret, vnum scilicet aduersus illam virtutem, cuius est materia præcepta, v. g. Religionis, vel temperantiæ, si Missa, vel ieiunium imperetur. Alterum aduersus ius superioris, quod ex omissione sui præcepti læditur, cum tamen contrarium videatur dicendum. Vide etiam, quæ dicebam *dubitatione* 25. & quæ dicam *dubitatione* 208.



DVBITATIO XXVIII.

An cum excommunicantur hæreticorum receptatores, fautores, & quilibet defensores, verba ista formaliter accipi debeant?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum receptatores, fautores, & quilibet defensores cum excommunicantur, verba ista formaliter acipi debent, ita vt solùm comprehendantur qui fauorem, vel auxilium hæretico præstant, quatenus hæreticus est, siue vt hæresim suam facilius docere, defendere, vel latius diffundere possit.*

2 *Amplia, id procedere, etiamsi non interueniat formalis, atque directa intentio propagandi hæresim, sed tantùm indirecta, seu interpretatiua.*

3 *Iudex si cùm ipsi ex officio incumbit, non capiat, vel non puniat hæreticum, siue ex affectu amicitiæ, vel consanguinitatis erga illos, siue ex tædio laboris, est excommunicatus prædicta bullari censura.*

4 *Quilibet recipiens hæreticum propter amicitiam, vel consanguinitatem in domum suam, si causa sit, quo minùs à Magistratu capiatur, & damnetur, incidit in dictam censuram.*

5 *Receptator latronis causa consanguinitatis, vel affinitatis puniendus est, licèt mitiùs, & inter receptatores numerandus.*

6 *Limita, id non procedere, quod mitiùs puniatur in receptatoribus hæreticorum.*

7 *Receptator personæ coniunctissimæ, nempe patris, filij, vxoris, vel etiam fratris, ne in manus Inquisitorum deueniat, licet aliquando peccet, excommunicationem tamen non contrahit; quia reputatur eadem persona cum patre, filio, &c.*

8 *Sacerdotes, & alij Clerici impedientes officium Inquisitionis, compelli possunt tanquam fautores hæreticorum.*

9 *Hæretico cognito conferens beneficium, etiamsi consanguineus sit, beneficiis priuatur, & alias pœnas incurrit.*

10 *Idem dic de recipiente ab hæretico.*

11 *Diluitur obiectum aliquod à Doctorum omnium sententia firmatum.*

RESpondetur affirmatiuè, ita vt solùm comprehen- 1
dantur, qui fauorem, vel auxilium hæretico
præstant, quatenus hæreticus est, siue vt hæresim suam
faciliùs docere, defendere, vel latius diffundere possit,
vti explicat Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 2. *art.* 3. *post quintam conclusionem.* Nauarr. *in summa cap.* 27. *num.* 55. *in fine*, Suarez *tom.* 5. *disp.* 21. *sect.* 2. *num.* 8. Roderiq.
tom. 1. *quæst. regul. quæst.* 3. *art.* 9. Quamuis ad hoc non 2
requiratur formalis, atque directa intentio propagandi
hæresim, sed sufficiat indirecta, seu interpretatiua:
Puta, si Iudex, cum ipsi ex officio incumbit, non ca- 3
piat, vel non puniat hæreticum, siue ex affectu amicitiæ, vel consanguinitatis erga illos, siue ex tædio laboris, &c. sicuti docet Syluest. *verb. hæresis* 1. *quæst.* 7. §. *fautores*, Viualdus *in explicat. Bull. cas.* 1. *n.* 4. Castro
lib. 1. *de hæretic. punit. cap.* 9. Item, si quis hæreticum 4
propter amicitiam, vel consanguinitatem recipiens in domum suam, causa sit, quominùs à Magistratu capiatur, & damnetur, sicuti ex communi docet Syluest. ibidem, Viuald. *n.* 7. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. §. *Tertium est.* Vgolinus *de cens. Pap. reseruat. part.* 2. *cap.* 1. *vers. receptatores*, §. 1. *n.* 3. Simanch. *de cathol. instit. cap.* 15. *n.* 20. Sayr. *in Thesaur. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 3. Suarez *disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 14. & Sousa *in Bull. Cœn. cap.* 2. *disp.* 10 *n.* 5. contra Caietanum *verb. excommunicatio, cap.* 1. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 5. & Bonacinam *disp.* 2. *de cens. q.* 5. *punct.* 3. *n.* 2. qui requirunt in receptatore, fautore, vel defensore hæretici formale motiuum, siue intentionem faciendi, vel promouendi hæresim, vt excommunicationem, cæterasque pœnas incurrat.

Probatur, quia hoc modo vix vlli essent hæreticorum receptatores, fautores, vel defensores, nisi simul etiam essent hæretici, cuius contrarium docent communiter Doctores.

Confirmatur, quia reipsa, & in affectu potest quis tali receptatione ad conseruandam, vel promouendam hæresim concurrere, ideoque verè, ac propriè hæretici receptator esse, quamuis id non faciat ex formali, seu directa intentione.

Confirmatur secundò, ex *lib.* 2. *ff. de receptatoribus*, 5
vbi dicitur, quod receptator latronis causa consanguinitatis, vel affinitatis puniendus sit, tametsi mitiùs. Vnde colligitur, talem verè, ac propriè inter receptatores numerandum esse.

Quod verò ibi dicitur de pœna mitiganda, id ad ex- 6
communicationem (cùm sit indiuisibilis) in hæreticorum receptatores simpliciter latam transferri non debet, quamuis valde probabiliter nonnulli Doctores, vt Simanch. *n.* 21. Viuald. *n.* 8. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 15. *quæst.* 4. Lorca *in* 2. 2. *S. Thomæ q.* 11. *art.* 4. *disp.* 48. *n.* 6. Peyrin. *in priuileg. Minim. tom.* 2. *constit.* 9. *Pauli V.* §. 2. *n.* 7. Scortia *in Bull. Pontific. epitom.* 9. *theorem.* 27. Megal. *in* 3. *p. lib.* 3. *cap.* 1. *quæst.* 2. *num.* 27. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *canon.* 1. *quæst.* 29. & *quæst.* 31. *num.* 21.
& Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 5. docent, recep- 7
tatorem personæ coniunctissimæ, nempe patris, filij, vxoris, vel etiam fratris, ne in manus Inquisitorum v. g. deueniat, licet aliquando peccet, excommunicationem tamen non contrahere, quia persona tam coniuncta alicui, quasi eadem cum ipso reputatur, quam non defendere, valde difficile est. Et ius Ecclesiasticum, ac positiuum ex alia parte non obligat cum tanto rigore, & incommodo, sicut ius naturale, ac diuinum. Vide etiam, quæ dicam infrà *coroll.* 5.

Confirmatur tertiò ex variis textibus *in dict. tit. de hæretic. in* 6. in quibus solus fauor hæretico præstitus, cedens in fauorem hæreticæ prauitatis, attenditur, vt hæresis fautoriam constituat, neque alia intentio formalis

malis requiretur; sicuti constat *ex cap. Accusatus,*
8 *§. Sacerdotes, de haeretic. in 6.* Vbi Sacerdotes, & alij
Clerici impedientes officium Inquisitionis, compelli
possunt tanquam fautores haereticorum; cum non sit
dubium, inquit textus, eos ipsa facere in fauorem hae-
9 reticae prauitatis. Item *ex cap. commissi,* vbi conferens
beneficium haeretico cognito, etiamsi consanguineus
10 sit, beneficiis priuatur, & alias poenas incurrit. Idem-
que est de recipiente ab haeretico, *ex cap. Quicum-
que, eodem tit. in 6.* quia in iis fauor haeresi praestatur,
etiamsi non animo vltimatè, & formaliter illi fauendi
fiat.
11 Obiicies ex aduersariis: Omnes ferè Doctores sen-
tiunt, ad fautoriam necessariò requiri, fauere haereti-
co, vt haereticus est: At si faues haeretico, quia est tibi
amicus, vel consanguineus, non faues illi, quia haere-
ticus est: Ergo non es fautor haeretici.

Respondetur, concedo omnes ferè Doctores senti-
re, ad fautoriam necessariò requiri, vt faueas haeretico,
vt haereticus est. At abundè hoc praestas, quotiescum-
que vis auxilium in fauorem haeresi, cedens illi praesta-
re; vis enim tunc illi fauere, vt haereticus est, etiamsi
non faueas illi, quia est haereticus, sed quia est amicus,
vel consanguineus, &c.

COROLLARIVM PRIMVM.

SVMMARIVM.

1 *Doctores asserentes, eos qui omittunt inquirere contra
haereticum, vel illum accusare, &c. non intuitu
haeresis formaliter, sed ex amore erga illum, vel
ex commiseratione, vel ex alia causa, non esse fau-
tores haereticorum, neque incurrere excommunica-
tionem Bullae Coenae, intelligendi sunt, nisi omittant
inquirere vel accusare, &c. intuitu haeresis for-
maliter.*

2 *Episcopi, vel Inquisitores fautores haereticorum non
sunt, neque excommunicationem Bullae Coenae in-
currunt, si omittant procedere contra haereticum
non ob odium, amorem, vel lucrum, sed solum ob
timorem, vel ob vitanda scandala.*

3 *Fautores haereticorum non sunt, neque excommunica-
tionem Bullae Coenae incurrunt, qui haeretico in ex-
trema, vel graui necessitate constituto, non vt ei in
haeresi faueant, sed ob Dei amorem eleemosynam
subministrant.*

4 *Fautores haereticorum non sunt, neque excommunica-
tionem Bullae Coenae incurrunt, qui fauent haereti-
co, ne occidatur, nevè offendatur. Vel si fauent
haeretico in furto, vel homicidio, quia hi potius
dicendi sunt fautores furis, vel homicidae.*

1 EX dictis sequitur, quod cùm Syluester *verb. haere-
sis 1. n. 10. q. 7.* Nauarrus *conf. 11. & 16. de haeretic.*
Graff. *lib. 4. decis. cap. 18. num. 2.* & Saytus *in Thesauro
lib. 3. cap. 5. num. 7.* dicunt, quod qui omittunt inqui-
rere contra haereticum, vel illum accusare, &c. non
intuitu haeresis formaliter, sed ex amore erga illum,
vel ex commiseratione, vel ex alia causa, non sint fau-
tores haereticorum, neque incurrant excommunicatio-
nem Bullae Coenae; intelligendi sunt, si non omittant
inquirere, vel accusare, &c. intuitu haeresis formaliter,
tam in sensu formali aduersariorum, Caietani, San-
chez, & Bonacinae, quàm in sensu formali nostro, quem
suprà in principio dubitationis explicabam. Tunc
enim vltro concedo, quod non sint fautores haeretico-
rum, neque incurrant excommunicationem Bullae
2 Coenae: Namque quidem fautores haereticorum non sunt,
neque excommunicationem Bullae Coenae incurrunt
Episcopi, vel Inquisitores omittentes procedere contra
haereticum non ob odium, amorem, vel lucrum, sed
solum ob timorem, vel ob vitanda scandala; Glossa
in Clement. I. verb. obtenta, de haeretic. Bonifacius *ibid.
n. 152.* Imola *n. 17.* Ancharan. *§. sanè n. 11.* & Locat.
in indic. inquis. verb. Inquisitor, n. 19.

Item secundò fautores haereticorum non sunt, ne- 3
que excommunicationem Bullae Coenae incurrunt, qui
haeretico in extrema, vel graui necessitate constituto,
non vt ei in haeresi faueant, sed ob Dei amorem eleemo-
synam subministrant; Glossa *in cap. accusatus, §. Illo
quoque, de haeret. in 6. verb. non possit.* Archidiacon. *ibid.
n. 3.* Io. Monach. *n. 6.* Ostiensis *in cap. inter eos, de haeretic.
num. 1.* Soccinus *ibid. n. 4. & 5.* Abbas *n. 1.* Butrius *n. 2.*
Nauarrus *in summ. cap. 17. n. 55.* Decian. *in tract. crimin.
lib. 5. cap. 51. n. 39.* & Suarez *tom. 5. de censur. sect. 2. n. 8.*

Item tertiò fautores haereticorum sunt, neque ex- 4
communicationem Bullae Coenae incurrunt, qui fauent
haeretico, ne occidatur, nevè offendatur, vel si fauent
haeretico in furto, vel homicidio, &c. quia hi potius
dicendi sunt fautores furis, vel homicidae, &c. quàm
fautores hominis haeretici. Quapropter ad hoc, vt quis
dicatur fautor hominis haeretici, requiritur vt fauor
ordinetur ad haeresim formaliter alterutro modo, ex iis
duobus modis, quos suprà dicebam. Syluest. *verb.
haeretic. 1. num. 10.* Angel. *eodem verb. 1. num. 25.* Nauar. *in
summa cap. 27. num. 55.* Tolentis *lib. 1. cap. 19. num. 8.*
Graffius *lib. 4. decis. cap. 18. num. 23.* & Azor. *tom. 1. lib. 8.
cap. 15. quaest. 6.*

COROLLARIVM II.

SVMMARIVM.

1 *Doctores asserentes, quod qui recipiunt filium haereti-
cum, vel fratrem, vel maritum, vel aliam personam
haereticam sibi maximè coniunctam ob consangui-
nitatem, non autem ob haeresim formaliter, non
sunt fautores haereticorum, neque incurrunt ex-
communicationem Bullae Coenae, intelligendi sunt,
si recipiunt ob consanguinitatem, & non ob haere-
sim formaliter.*

2 *Vxor recipiens virum bannitum non punitur poenis
contrà bannitorum receptatores statutis.*

SEquitur secundò, quod cùm Angelus *verb. haereticus* 1
n. 4. & 12. Nauarr. *in summa cap. 27. n. 55. & conf. 23.
n. 8. de sent. excommunic.* Calderin. *tract. de haeretic. tit. de
haeretic. credent. n. 1.* Pegna *in director. part. 2. quaest. 56.
comment. 81.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 438. n. 8.* De-
cianus *in tract. crim. lib. 5. cap. 51. n. 68.* Zanchin. *tract. de
haeretic. cap. 4. n. 3. & cap. 6. num. 3.* Candelabr. *in 2. claus.
Bullae Coenae,* agens de receptatoribus haereticorum *n. 8.
& 9.* Vgolinus *in eadem claus. verb. receptatores, §. 2. n. 1.*
Simanch. *de Cathol. Institut. tit. 15. n. 20. & seqq.* & Graff.
lib. 4. decision. cap. 1. n. 26. dicunt, quod qui recipiunt fi-
lium haereticum, vel fratrem, vel maritum, vel aliam per-
sonam haereticam sibi maximè coniunctam ob consan-
guinitatem, non autem ob haeresim formaliter, non sint
similiter fautores haereticorum, neque incurrant excom-
municationem Bullae Coenae; quibus etiam fauent ij,
qui tenent, vxorem recipientem virum bannitum, non 2
puniri poenis contra bannitorum receptatores statutis:
intelligendi similiter sunt, si recipiant ob consanguini-
tatem, & non ob haeresim formaliter, in neutro scilicet
sensu formali ex duobus, quos suprà dicebam, secus si
aliàs, quia si alias, tunc & fautores haereticorum essent,
& excommunicationem Bullae Coenae incurrerent ob
rationes iam dictas. Glossa *in cap. excommunicamus 1.
§. credentes, verb. receptatores, de haeretic.* Ostiensis *ibid.
n. 19.* Zabarella *n. 6.* Ioan. Andr. *n. 28.* Socin. *n. 75.* Lo-
catus *in indic. Inquis. verb. receptatio, num. 7.* Decian. *in
tract. crimin. lib. 5. cap. 51. n. 68.* Royas *singul. 171. n. 4.*
Carrer. *tract. de haeretic. num. 20.* Sayr. *in thesauro lib. 3.*

cap 5.n.5. Ghirlandus *tract. de heret. q.9. n.2.* Toletus *lib. 1. cap. 19.* Vgolinus *in 1. clauſ. Bullæ Cœnæ, verbo Receptatores, §. 2. n. 1.* & Suarez *de fide diſputat. 24. ſect. 1. n. 1. & ſeqq.*

Quamuis quoad excommunicationem, quod ſcilicet in tali caſu illam non incurrant, valdè probabiliter teneant Simanch. *de cathol. inſtitut. cap. 15. n. 21.* Viuald. *in explicat. Bull. caſu 1. n. 8.* Azor *tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 4.* & alij complures, ob rationes quas adducebam ſupra in principio dubitationis *n. 7.* Vide etiam infra *dub. 208. corollar. 1.*

An autem in dubio, qui recipit conſanguineum, vel amicum hæreticum, iudicari debeat, quod illum receperit, vt conſanguineum, vel amicum; an autem vt hæreticum, & ſic in fauorem hæreſis formaliter, dicam infra *dub. 31. circa finem, & citata dubit. 208. corollario primo.*



DVBITATIO XXIX.

An cenſearis fautor hæretici ad excommunicationem, cæteraſque fautorum pœnas incurrendas, ob auxilium, & fauorem hæretico præſtitum (etiam contra obligationem, & officium) ſi de facto fauorem tuum non eſt ſequutus effectus?

SVMMARIVM.

1 *Hæretici fautor ad excommunicationem, cæteraſque pœnas incurrendas ob auxilium, & fauorem hæretico præſtitum, ſi de facto effectum non obtinuit, non cenſetur, contra nonnullos alios Doctores. Vide ibi poſita exempla.*

2 *Hæreticis fauor prohibetur præſtari, ne in hæreſi foueantur, & qui non obtinuit effectum fauoris, non fouet hæreticum. Vbi vide alias rationes allatas.*

1 ERBI gratia, recepiſti domi hæreticum, vt illum à Iudice liberares; at non potuiſti effectum obtinere, quia iudex conſcius delinquentem quæſiuit, & inuenit. Item dediſti delinquenti pecuniam, vt fugeret, ne caperetur; at captus eſt. Item negaſti veritatem in iudicio interrogatus, at alij teſtes manifeſtarunt, ex quorum teſtimonio delinquens punitus fuit.

Reſpondetur, quod quamuis affirment ſatis probabiliter Caſtro *lib. 1. de iuſta hæretic. pun. cap. 17.* Suarez *diſput. 24. de fide ſect. 1. n. 14.* Saytus *tom. 1. in Theſaur. lib. 3. cap. 5. num. 4.* & Graff. *lib. 4. deciſ. cap. 18. num. 24.* ex eo quod putent in deteſtationem hæreſis non ſecundariò, ſeu acceſſoriè, ſed æquè principaliter excommunicari hæreticos, ac fautores, defenſores, vel receptatores, &c. ſicut non ſecundariò, ſeu acceſſoriè, ſed æquè principaliter excommunicantur ſuadentes, ſeu conſulentes duellum ex condicto, ac ipſi duellantes. Item prædicantes non ſolui decimas, ac ipſi non ſoluentes; ita vt in vno ſit actus completus, ſeu conſummatus, ſicque ſufficiens ad excommunicationem, cæteraſque pœnas incurrendas; licet non ſit completus, ſeu conſummatus in aliis: Oppoſitum tamen, quod docent Sanch. *lib. 2. cap. 10. n. 9.* Farinac. *de hæreſi q. 182. num. 102.* & Bonacina *diſput. 2. quæſt. 5. punct. 3. num. 2.* ſit probabilius; excommunicationem ſcilicet, cæteraſque pœnas non incurri ab hæretici receptatore, fautore, vel defenſore, niſi malus effectus ſequatur, vt ſcilicet hæreticus ob tale ipſi auxilium præſtitum, manus Iudicis effugiat, vel hæreſim magis diffundat.

Probatur, quia fauor prohibetur hæreticis præſtari, ne in hæreſi foueantur: Sed qui non obtinuit effectum fauoris: non fouet hæreticum in ſua hæreſi, etiamſi intenderit fouere: Ergo puniri non debet, vt talis. 2

Confirmatur, quia cùm in Canonibus Eccleſiaſticis principaliter excommunicatur quid mali faciens, acceſſoriè verò mandans, conſulens, vel fauens; tunc iſti excommunicationem non contrahunt, niſi ſequuto effectu, ſecundum communem ſententiam Doctorum. At hac prima Bullæ Cœnæ excommunicatione principaliter excommunicantur hæretici, acceſſoriè verò, & ſecundum quandam extenſionem, illorum receptatores, fautores, & defenſores, vti etiam fatetur Suarez *cit. ſect. 2. n. 8.* Ergo iſti non contrahunt excommunicationem, niſi ex receptatione, fauore, vel defenſione malus effectus ſequatur. Minor, & conſequentia patent. Maior explicatur, quia ideò ſi mandatum, conſilium, vel auxilium ad homicidium, vel ad Clerici percuſſionem dederis, & homicidium, vel Clerici percuſſio non ſequatur, ſcilicet ex tuo mandato, conſilio, vel auxilio, quamuis aliunde ſequatur, nullam pœnam contrahis, quia hæc non ratione ſui, ſed ratione homicidij, vel Clerici percuſſionis prohibentur, & puniuntur; & ceſſante principali, ceſſare debet acceſſorij prohibitio. At in præſenti principale prohibitum eſt hæreſis, acceſſoriè eſt receptatio, fauor & defenſio: Ergo ceſſante hæreſis perſeuerantia, ceſſare debent cætera omnia prohibita.



DVBITATIO XXX.

An vt fautor hæretici dicatis, debeas fauere hæretico, qui verè hæreticus ſit; vel ſufficiat fauere hæretico, qui talis iure præſumatur: Verbi gratia excommunicato, & in excommunicatione inſordeſcenti per annum?

SVMMARIVM.

1 *Hæretici fautor in foro externo dicitur etiam qui fauet hæretico, qui iure præſumitur: v. g. excommunicato, & in excommunicatione inſordeſcenti per annum: ſecus in foro conſcientiæ, quod veritatem attendit.*

2 *Limita quod dicimus quoad forum externum, debere intelligi de excommunicato ex cauſa fidei in excommunicatione inſordeſcenti per annum. Hic enim eſt, qui hæreticus reputatur.*

3 *Secus ſi non ſit excommunicatus ex cauſa fidei, quia tunc ſolùm redditur ſuſpectus de fide.*

4 *Inquiri poteſt in quemcumque per annum in excommunicatione perſiſtentem, tanquam ſuſpectum de hæreſi.*


5 *Inquiſitores ex conſuetudine generalis Inquiſitionis non ſolent procedere aduerſus ſic in excommunicatione perſiſtentem per annum, quando excommunicatio non eſt ob cauſam hæreſis.*

6 *Excommunicato huic fauens non poteſt dici, neque damnari, vt fauens hæreſi, ſed ſolùm vt fauens hæreſis ſuſpicioni.*

RESPONDETVR ex Suarez *de fide diſputat. 24. ſect. 1. n. 14.* & aliis communiter, te reputari fautorem hæretici in foro externo, ob præſumptionem: ſecus in foro conſcientiæ, quod veritatem attendit. At quidem de foro conſcientiæ vera eſt iſta reſponſio, ſed pro foro externo limitari debet ad excommunicatum ex cauſa fidei, in excommunicatione inſordeſcentem per annum. Hic enim eſt, qui hæreti- 1

cus





eus reputator, & tanquam hæreticus punitur, ex Tex-
tu *in cap. Excommunicamus* 1. §. *credentes*, *de hæretic.* &
ex Textu *in cap. Vt inquisitionis*, § *prohibemus*, *de hæretic.*
3 *in 6.* Secus verò si non sit excommunicatus ex causa fi-
dei, quia tunc solùm redditur suspectus de fide, ex Tri-
4 dentino Concilio *sess. 25. cap. 3. de reformat.* vbi statuit,
inquiri posse in quemcumque per annum in excommu-
nicatione persistentem, tanquam suspectum de hæresi:
& constat *ex cap. Grauem, de pœnis, & ex cap. Non bo-
næ, de æt. & qualit.* & tradunt communiter Doctores
5 cum Eymer. *Director. part. 2. q. 47.* Accedit, quod ex
consuetudine generalis Inquisitionis non solent Inqui-
sitores procedere aduersus sic in excommunicatione
persistentem per annum, quando excommunicatio non
est ob causam hæresis, vti tradit Pegna *2. part. director.*
6 *comment. 72. vers. quidam.* Ergo huic excommunicato
fauens non potest dici, neque damnari vt fauens hære-
si, sed solùm vt fauens hæresis suspicioni.



DVBITATIO XXXI.

An esse amicum, consanguineum, vel affinem hæretici cui faues, excuset te à fautoria hæresis?

SVMMARIVM.

1 *Hæretici amicus, consanguineus, vel affinis, licèt secundum aliquos in foro conscientiæ non excusetur, esto in foro externo excusatus præsumatur: secundum tamen Auctoris sententiam hoc crimen incurrit, si sine graui iactura, & damno proprio posset fauorem omittere.*


2 *Qui graui metu ducti fauorem præstant, etiamsi à peccato non excusentur, à fautoriæ tamen pœna excusantur: quia Ecclesia non videtur cum tanto rigore obligare.*

3 *A fautoria excusantur consanguinei in primo gradu, vt parentes respectu filiorum, fratres respectu aliorum fratrum, &c. cùm hi censeantur non fauore hæresis, sed ex obligatione sanguinis operari.*

4 *Consanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ quantumcumque strictæ titulus non excusat in hoc crimine ab excommunicatione, neque etiam ab aliis pœnis, quæ latitudinem recipiunt; quamuis temperari debeant pro maiori, vel minori sanguinis coniunctione.*

5 *Receptans consanguineum latronem, mitiori pœna punitur.*

6 *Hæretico consanguineo fauens in dubio præsumitur fauere ob consanguinitatem, &c. non ob crimen hæresis; quia factum præsertim delictum non præsumitur, nisi demonstretur.*



1 RESPONDETVR, si sequamur opinionem Ca-
ietani, Sanchez, & Bonacinæ *supra dubit. 28.*
affirmantium, ad hoc crimen committendum
necessariò requiri expressam voluntatem fa-
uendi hæresi, absque dubio in foro conscientiæ non ex-
cusaris: esto in foro externo excusatus præsumeris. Sic
Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. n. 8.* At iuxta nostram sen-
tentiam negantem necessariò requiri talem expressam
voluntatem, & insuper affirmantem, hos omnes obli-
gatos esse regulariter denunciare hæreticum, dicendum
est, hoc crimen eos incurrere, si sine graui iactura, &
damno proprio possent fauorem omittere. Sic commu-
niter Doctores, vt mox infra patebit.
2 Quod si graui metu ducti fauorem præstant, etiamsi
à peccato non excusentur, à fautoriæ pœna tamen ex-
1 cusantur; quia Ecclesia non videtur cum tanto rigore
obligare. Sic Vgolinus *2. part. de censur. reseruat. verb.*
receptatores, §. 2. n. 3. Pegna *2. part. comment. 17. vers.*
verum tamen. Simanch. *tit. 15. rubr. de credentibus, n. 17.*
& Farinacius *de hæresi q. 182. num. 162.*
Loquendo tamen pro foro externo, quia iura san- 3
guinis, & amicitiæ sanctissima sunt, & ratione illorum
quis coactus censetur recipere, fauere, vel defendere sic
sibi coniunctos: ideò nonnulli graues Doctores, vt De-
cianus *tract. crimin. lib. 5. cap. 51. num. 79.* Pegna *Direct.*
3. part. q. 111. comment. 160. verb. nunc autem. Simanch.
cit. tit. 15. rubr. de credentib. num. 25. & Sanchez *lib. 2.*
moral. cap. 17. n. 24. à fautoria excusant consanguineos
in primo gradu, vt parentes respectu filiorum, & è con-
tra, fratres respectu fratrum, & coniuges inter se: cùm
censeantur non fauore hæresis, sed ex obligatione san-
guinis operari.
Cæterùm communis sententia contra Simancham 4
de cathol. institut. cap. 15. n. 21. Viualdum *in explication.*
Bullæ casu 1. n. 85. ex quibus, & Azorium *tom. 1. lib. 8.*
cap. 15. q. 4. est, quod titulus consanguinitatis, affinita-
tis, vel amicitiæ, quantumcumque strictæ non excuset
in hoc crimine ab excommunicatione, neque etiam ab
aliis pœnis, quæ latitudinem recipiunt; quamuis tem-
perari debeant pro maiori, vel minori sanguinis con-
iunctione. Sic Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 51. n. 68.*
Pegna *2. part. Director. q. 56. commentar. 81. vers. rursus.*
Menochius *de arbitr. lib. 2. centur. 6. casu 548. num. 8.*
Graff. *lib. 4. decis. cap. 18. num. 35.* & Farinac. *de hæresi*
q. 182. §. 9. n. 144. & 149. & fauet Textus *in l. 2 ff. de re-*
ceptatoribus, vbi receptans consanguineum latronem 5
mitiori pœna punitur.
In dubio autem, an fauens hæretico consanguineo, 6
affini, vel amico fauorem præstiteris ob consanguinita-
tis, affinitatis, vel amicitiæ coniunctionem, aut ob cri-
men hæresis, præsumeris potiùs quod feceris ob con-
sanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ coniunctionem,
quam ob crimen hæresis, Graffius, Simancha, *vbi supra*,
Nauarrus *in summa cap. 27. n. 55.* & Farinac. *n. 41. &*
151. Et meritò, quia factum, præsertim delictum, non
præsumitur, nisi demonstretur, vti diffusè probabam
tract. de conscientia dubia, per totum. Tum quia in pœ-
nis benignior interpretatio fieri debet, *cap. in pœnis, de*
regul. iur. in 6 & leg. interpretatio, ff. de pœnis. Vide etiam
quæ dicam *cit. dubit. 208. corollario 1.*



DVBITATIO XXXII.

Quænam sint pœnæ receptatoribus, fautoribus, vel defensoribus hæreticorum impositæ?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum pœnæ enumerantur in cap. Excommunicamus, §. credentes, de hæretic.*

2 *Iudex si talis extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, neque causa aliquæ ad eius audientiam perferantur.*

3 *Aduocatus si talis fuerit, eius patrocinium nullatenus admittatur.*

4 *Tabellio si talis fuerit, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti.*

5 *Clericus si talis fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur, vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta.*

6 *Contemnentes euitare huiusmodi postquam ab Ecclesia fuerint denotati, excommunicationis sententia vsque ad satisfactionem idoneam percellantur.*

7 *Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eos præsumant Christiana tradere sepulturæ, nec eleemosynas, aut oblationes eorum percipiant, alioquin suo priuentur officio*

officio, ad quod nunquam restituuntur absque indulto Sedis Apostolicæ speciali.

8 *Regularibus, si huiusmodi ab ipsis committantur in ea Diœcesi, in qua hi excessus fiunt, eorum priuilegia non seruentur.*

9 *Pœnæ aliæ etiam inflictæ sunt contra receptatores, fautores, vel defensores hæreticorum.*

1 RESPONDETVR: De his latè tractant Canonistæ *in cap. Excommunicamus, §. credentes, de hæretic.* Eymeric. *Director. 2. part. q. 50. & seqq.* & ibi Pegna, & Farinac. *de hæresi q. 182. per totam*: quas ferè omnes enumerat Pontifex in citat. §. *credentes*, ibi: *Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere; firmiter statuentes, vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit infra annum, ex tunc ipso iure factus sit infamis, neque ad publica officia, seu consilia, neque ad eligendos aliquos ad huiusmodi, neque ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, neque ad hæreditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super* 2 *quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si fortè Iudex extiterit, eius sententia nullam habeat firmitatem, neque causa aliqua ad eius audientiam perfe-* 3 *rantur. Si fuerit Aduocatus, eius patrocinium nullate-* 4 *nus admittatur: si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum authore damnato damnentur. Et in similibus idem præcipimus obseruari; si ve-* 5 *rò Clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur, vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur vindicta. Si* 6 *qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, euitare contempserint, excommunicationis sententia vsque* 7 *ad satisfactionem idoneam percellantur. Sanè Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eos Christianæ præsumant tradere sepulturæ, nec eleemosynas, aut oblationes eorum percipiant, alioquin suo priuentur officio, ad quod nunquam restituantur abs-* 8 *que indulto Sedis Apostolicæ speciali. Similiter quilibet Regulares, quibus etiam hoc infligatur, vt eorum priuilegia in ea Diœcesi non seruentur, in qua tales excessus præsumpserint perpetrare.* Vide quæ dicebam supra dubitatione 26. in corollariis.

9 Præter has pœnas aliæ pœnæ inflictæ sunt contra receptatores, fautores, vel defensores hæreticorum, de quibus dicam dubitatione sequenti, circa finem.



DVBITATIO XXXIII.

An dictas pœnas receptatores, fautores, vel defensores hæreticorum incurrant antequam ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum insorduerint?

SVMMARIVM.

1 *Receptatores, vel defensores hæreticorum, secundum aliquos non incurrunt supradictas pœnas, antequàm ab Ecclesia denotati sint, & in excommunicatione publica per annum insorduerint.*

2 *Infamia, secundum Suarez, & pœna incapacitatis ad testandum, & ad officia publica requirunt, vt quis in excommunicatione per annum insorduerit: secus est in aliis pœnis spiritualibus.*

3 *Receptatores, fautores, vel defensores hæreticorum nullam ex supradictis pœnis incurrunt, nisi per annum in excommunicatione notati insorduerint.*

4 *Beneficiorum priuatio, quæ habentur, non fit ipso iure, sed per sententiam Iudicis saltem declaratoriam: ad alia verò obtinenda ipso iure inhabiles efficiuntur.*

5 *Limita in sepultura Ecclesiastica, orationibus faciendis pro iisdem receptatoribus, fautoribus, vel defensoribus hæreticorum, quamuis hoc raro constare possit, nisi fuerit condemnatus.*

6 *Receptatores, fautores, vel defensores hæreticorum eo ipso, quod crimina committunt, contrahunt etiam hæresis suspicionem leuem, aut vehementem pro qualitate circumstantiarum, & indiciorum, ob quam sic suspectis indici debet purgatio.*

Receptatores, fautores, vel defensores arbitrio Iudicis puniri possunt pœnis pecuniariis, atque ad confiscationem bonorum, exilio, fustigatione, & aliis corporalibus pœnis pro qualitate delicti.

8 *Pœnæ enumeratæ communes sunt omnibus receptatoribus, fautoribus, vel defensoribus hæreticorum.*

QVIDAM, vt Eymer. *3. part. Direct. q. 123. n. 2.* 1 negant ex illis verbis Textus *in cit. §. credentes, de hæretic. Postquam quis fuerit excommunicatione notatus, & per annum insorduerit.* Et ex illis: *Cum Authore damnentur.* Et ex illis: *Ab Ecclesia fuerint denotati.* Quia omnia ista verba indicant excommunicationis publicationem.

Alij verò, vt Suarez *de fide disp. 24. sect. 1. in fine* di- 2 stinguunt de pœna infamiæ, & incapacitatis ad testandum, & ad officia publica, & in his requirunt, in excommunicatione insordescere per annum: in reliquis verò pœnis spiritualibus, quales sunt priuatio beneficiorum, Ecclesiasticæ sepulturæ, orationum, & oblationum; hanc perseuerantiam, & excommunicationis publicationem non requirunt. His tamen non obstantibus.

Respondetur, ex vi illius Textus, & ratione excom- 3 municationis receptatores, fautores, vel defensores hæreticorum nullam ex supradictis pœnis incurrunt, nisi per annum in excommunicatione notati insorduerint, quod indicauit Eymer. cum dixit: *Non videntur alias pœnas incurrere, ex eo quod stant in excommunicatione per annum, nisi sic excommunicati notentur, & publicentur.* Quasi diceret, ex alio capite illos incurrere posse. Et de pœna infamiæ, priuationis officiorum, incapacitatis ad testandum, & ad succedendum, tradit Farinac. *de hæresi q. 183. n. 59. 60. & 106.* De beneficiorum pri- uatione tradit *n. 40. & 107.* Præter quam quod priua- 4 tio beneficiorum quæ habentur, non fit ipso iure, sed per sententiam Iudicis, saltem declaratoriam. Doctores, quos refert, & sequitur Pegna *3 part. Directo. commentar. 162. vers. de hæreticorum*, & Farinac. *de hæresi q. 189. n. 73. & seqq.* Ad alia verò obtinenda ipso iure inhabiles efficiuntur, *cap. Quicumque, de hæret. in 6.*

Limita tamen in sepultura Ecclesiastica, & oratio- 5 nibus faciendis pro iisdem receptatoribus, fautoribus, vel defensoribus hæreticorum; quia eo ipso, quod constat aliquem recipiendo, fauendo, vel defendendo hæreticum decessisse, non debet is inter Christianos accipere sepulturam, neque debet pro illo orari: quia in peccato mortali, & in excommunicatione decessit, *cap. Sicut, de hæretic. & cap. 2. eod. tit. in 6.* Et patet etiam ex Constitutione Innocentij IV. incipiente *Nouerit*, apud Pegnam *in vlt. part. Director.* quamuis hoc raro constare possit, nisi fuerit condemnatus.

Præter supradictas pœnas receptatores, fautores, 6 vel defensores hæreticorum, eo ipso quod crimen committunt, contrahunt etiam hæresis suspicionem leuem, aut vehementem, pro qualitate circumstantiarum, & indiciorum, ob quam sic suspectis indici debet purgatio. Doctores *in cap. Quicumque, de hæretic. in 6.* Eymer. *2. part. Director. q. 50. n. 4. & 5.* Pegna *ibid. comment. 75. & q. 52. comment. 77.* Repertor. Inquisit. *in verb. fautores, vers. nota*, & alij communiter, quos refert & sequitur Farinac. *de hæresi q. 182. n. 55.*

Item

7 Item arbitrio iudicis puniri possunt pœnis pecuniariis vsque ad confiscationem bonorum, exilio, fustigatione, & aliis corporalibus pœnis pro qualitate delicti, ex Textu *in cap. Accusatus, §. Sacerdotes, de hæretic in 6.* Et tradunt Decian. *in tract. crim lib. 5. cap. 51. num. 47.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. centur. 6. cas. 548. n. 1. & seqq.* & Fariniac. *de hæresi q. 182. n. 54.*

8 Cæterùm hæ enumeratæ pœnæ, de quibus supra *dubit. 16. in corollariis*, communes sunt omnibus receptatoribus, fautoribus, vel defensoribus hæreticorum. Sit tamen adhuc.



DVBITATIO XXXIV.

An pro specialibus personis, quæ fauorem, vel omittendo, vel committentendo, hæreticis præstant, sint præter dictas aliquæ aliæ speciales pœnæ?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi negligentes in puniendis, & extirpandis hæreticis, ab Episcopali dignitate deponi debent.*
2 *Depositio prædicta à nullo alio fieri debet, quàm à Pontifice.*
3 *Ciuitates negligentes, in puniendis hæreticis, Episcopali dignitate priuanda sunt.*
4 *Domini temporales & Rectores Prouinciarum, vel Ciuitatum requisiti ab Ecclesia pro hæresi extirpanda, si negligentes fuerint, & in sua negligentia per annum insorduerint, excommunicantur.*
5 *Domini temporales, & Rectores Prouinciarum, vel ciuitatum, si in supradictam negligentiam inciderint iuramento astringi debent, se fideliter, & efficaciter cùm ab Episcopo requisiti fuerint, Ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices iuxta officium, & posse suum adiuuaturos esse.*
6 *Domini temporales an omnes præstare debeant hoc iuramentum, est sententia pro vtraque parte.*
7 *Dominus quilibet, Rector, vel Magistratus temporalis dictum iuramentum præstare debet, si ab Episcopo, vel ab Inquisitore requisitus fuerit.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè, quia Episcopi negligentes in puniendis, & extirpandis hæreticis ab Episcopali dignitate deponi debent, ex Textu *in cap. excommunicamus 1. §. volumus, de hæretic.* ibi: *Si quis Episcopus super expurgando de sua Diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, cùm id certis indiciis apparuerit, ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confundere prauitatem.*

2 Hæc autem depositio à nullo alio fieri debet, quàm à Pontifice. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Pegna *2. part. Director. comment. 2. vers. Episcopi ergo:* & Farinac. *de hæresi q. 182. n. 14.*

3 Secundò; Ciuitates negligentes in puniendis hæreticis, Episcopali dignitate priuandæ sunt, ex Textu *in cap. ad abolendam, §. ciuitas, de hæretic.* ibi: *Ciuitas quæ his institutis duxerit resistendum, vel contra commonitionem Episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio ciuitatum, & Episcopali se nouerit dignitate priuandam.*

4 Tertiò contra Dominos temporales, & Rectores prouinciarum, vel ciuitatum requisitos ab Ecclesia pro hæresi extirpanda, si negligentes fuerint, & in sua negligentia per annum insorduerint. Est Textus *in cap. Excommunicamus, §. moneantur, de hæretic. & in Auth.* *si verò, Cod. eod.* Et videri poterunt etiam Pegna *2. part. Director. q. 53. comment. 78. vers. primo.* Simanch. *tit. 23. sub rubr. de Dominis temporalibus, n. 1. & seqq.* & Farinac. *de hæresi q. 182. n. 15.*

5 Ne autem Domini temporales, & Rectores prouinciarum, vel ciuitatum in supradictam negligentiam incidant, prouidit Textus *in cap. vt officium, §. statuimus, de hæret. in 6. & in cap. Ad abolendam, §. statuimus eod. tit.* vt iuramento se adstringant, se fideliter, & efficaciter cùm ab Episcopo fuerint requisiti, Ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices iuxta officium, & posse suum adiuuaturos esse.

6 Cæterùm, an hoc iuramentum omnes Domini temporales præstare debeant?

Quidam Doctores affirmant de solis illis, quorum Terræ hæresibus infectæ sunt.

Alij verò Doctores affirmant de omnibus vniuersim, & generaliter.

7 At quidquid sit de hoc, illud saltem certum est, quod quilibet Dominus, Rector, vel Magistratus temporalis dictum iuramentum præstare debeat, si ab Episcopo, vel Inquisitore requisitus fuerit, quia sic cauetur *in cit. cap. vt officium:* & quia sic expressè Innocentius IV. declarauit in Constitutione incipiente, *Ad aures nostras:* & in alia incipiente, *Ad extirpanda:* apud Pegn. *pag. 12.* & videri poterit etiam Eymer. *3. part. q. 32.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 51.* Simanch. *in Enchir. tit. 21. n. 7.* & Farinacius *de hæresi q. 181. n. 11.*

At de his pœnis vide supra dubitatione 16. in corollariis.



DVBITATIO XXXV.

Quinam sint hæreticorum libros scienter legentes, tenentes, imprimentes, vel quomodocumque defendentes, qui in hac prima excommunicatione sunt quintò excommunicati?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum libros legentes, tenentes, imprimentes, vel quomodocumque defendentes, ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore, excommunicantur in Bulla Cœnæ Pontifici excommunicatione reseruata.*
2 *Prohibitio prædicta extensa est in aliquibus Decretis Pontificiis, quia Sixtus V. in sua Bulla 21. sub excommunicatione sibi reseruata, prohibuit libros Astrologia, seu de diuinatione tractantes, quibus futura contingentia cognosci intenduntur.*
3 *Clemens VIII. in indice librorum prohibitorum sub excommunicatione, non tamen sibi reseruata, prohibuit hæresiarcharum libros, etiamsi de Religione non tractent, nisi priùs expurgentur.*
4 *Prohibuit etiam libros Auctorum, qui sint de hæresi suspecti, quin & Catholicorum, quibus aliqua hæreses sint admixta, & qui expurgatione indigent.*
5 *Paulus V. pro Regnis Hispaniæ prohibuit omnes libros, qui indigent expurgatione, sub censura Pontifici, vel Inquisitori Generali reseruata.*

1 RESPONDETVR: Vt hoc rectè intelligatur, sciendum est, quod in Bulla Cœnæ Domini, clausula prima, sub pœna excommunicationis Pontifici reseruata prohibitum sit omnibus Christi fidelibus, ne hæreticorum libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes sine authoritate Sedis Apostolicæ scienter legant, teneant, imprimant, vel quomodocumque defendant, ex quauis causa, publi-

publicè, vel occultè, quouis ingenio vel colore, ac proinde dicta excommunicatio ita reseruata est Summo Pontifici, vt neque Regulares virtute suarum priuilegiorum ab ea possint absoluere.

2 Portò hæc prohibitio extensa est in aliquibus Decre-
tis Pontificiis, quia Sixtus V. in sua Bulla XXI. sub ex-
communicatione sibi reseruata prohibuit libros Astro-
logiæ, seu de diuinatione tractantes, quibus futura con-
3 tingentia cognosci intenduntur. Et Clemens VIII. in
indice librorum prohibitorum sub excommunicatio-
ne, non tamen sibi reseruata, prohibuit hæresiarcha-
rum libros, etiamsi de Religione non tractent, nisi
4 priùs expurgentur. Prohibuit etiam libros Authorum
qui sunt de hæresi suspecti, quin & Catholicorum,
quibus aliquæ hæreses sunt admixtæ, & qui expurga-
tione indigent; prout in supradictis regulis habetur,
5 de quibus Azor. *tomo* 1. *lib*. 8. *cap*. 16. *quæst*. 14. Et pro
Regnis Hispaniæ extat Constitutio Pauli V. incipiens
Cùm sicut accepimus, in qua prohibentur omnes libri
qui indigent expurgatione, sub censura Pontifici, vel
Inquisitori Generali reseruata. Qui autem sint isti libri,
explicatur per tredecim Regulas, quæ appositæ sunt in
principio Expurgatorij.



DVBITATIO XXXVI.

Quinam libri istis Decretis Pontificiis, præsertim Bulla Cœnæ prohibeantur?

SVMMARIVM.

1 *Libri solùm hæreticorum in Bulla Cœnæ prohibentur, qui scilicet propriè sunt hæretici, quales sunt qui à fide per Baptismum suscepta defecerunt.*

2 *Libri eorum, qui non sunt baptizati, non comprehenduntur sub hac prohibitione, quia isti non sunt hæretici Ecclesiæ subiecti, in quorum detestationem, & punitionem hæc prohibitio decernatur.*

3 *Hæretici prædicti ad effectum de quo agitur, necesse non est vt fuerint denunciati, sed sufficit si tales esse cognoscantur.*

4 *Libri Græcorum, & Armenorum de suis ritibus tractantes, licèt secundùm aliquos non contineantur sub libris hæreticorum, quia hi ritus non sunt ab Ecclesia tanquam hæretici habiti: Oppositum tamen est probabilius, si Authores illorum librorum sunt verè hæretici.*

5 *Græci, & Armeni schismatici, cùm sint baptizati, & errent in articulis Fidei, de Incarnatione, de Trinitate, de Purgatorio, de suprema potestate Romani Pontificis, & de nonnullis aliis, sunt hæretici.*

6 *Legentes, retinentes, imprimentes, & defendentes libros infidelium, quamuis errorem contra fidem contineant, vel de Religione tractent, secundùm omnes Doctores, excommunicati non sunt, quia infideles cùm non sint baptizati, non sunt hæretici, & in Bulla Cœnæ solùm excommunicantur legentes libros Hæreticorum.*

1 RESPONDETVR: Bullâ Cœnæ prohi-
bentur solùm libri hæreticorum, qui sci-
licet propriè sunt hæretici: quales sunt
qui à fide per Baptismum suscepta defe-
2 cerunt. Vnde si sint libri aliquorum, qui
baptizati non sunt, sub hac prohibitione non conti-
nentur: quia isti non sunt hæretici Ecclesiæ subiecti,
in quorum detestationem, & punitionem hæc prohibitio decernitur. Suarez *de fide disputation*. 20. *sectione* 2. *num*. 11. Farinacius *de hæresi quæst*. 180. *num*. 10. & Sanchez *lib*. 2. *moral*. *cap*. 10. *num*. 22. Videri etiam poterit Saytus *lib*. 3. *Thesauri casuum conscientiæ*, *capite* 5. & Bonacina *tom*. 3. *de censuris disputatione* 1. *q*. 2. *punct*. 4.

Non tamen necessarium est, vt isti hæretici fuerint 3
declarati, & denunciati, sed sufficit, si tales esse cognoscantur. Suarez, Sanchez, Saytus, & Bonacina *in locis supra citatis*: quidquid in contrarium dixerint alij, quos sequitur Grassius *lib*. 4. *decisionum*, *cap* 18. *num*. 40. & 41. Vide etiam quæ dicam infra in Appendice.

COROLLARIVM PRIMVM.

Quid dicendum de libris Græcorum, Infidelium, & Cathecumenorum.

HInc sequitur, quod licet Sanchez *num*. 77. Fa- 4
rinacius *num*. 10. Duardus *in Bullam Cœn*. *lib*. 2. *can*. 1. *quæst*. 50. *n*. 2. Trolleneh. *lib*. 1. *in Decalog*. *cap*. 3. *dub*. 9. § 5. *num*. 15. Leander *de censur*. *tract*. 3. *disput*. 1. *quæst*. 49. & Azor. *tom*. 1. *cap*. 16. *q*. 8. putent libros Græcorum, Armenorum, aliorumque Orientalium de suis ritibus tractantes, non esse, nisi hæresim contineant, sub libris hæreticorum comprehensos, quia ritus hi non sunt ab Ecclesia hæretici reputati, sed tolerati: Oppositum tamen, quod docent alij vt Suarez *loco supra citato num*. 12. & Fagundez *præcept*. 3. *Eccles*. *lib*. 1. *cap*. 2. sit probabilius, si scilicet Auctores illorum sint (vt communiter esse solent) reuerà hæretici, quia cùm tunc ab Ecclesiæ Romanæ fide reuerà defecerint, reuerà sunt libri hæreticorum de religione tractantes.

Confirmatur, quia prædicti Græci, Armeni, aliique Orientales, cùm sint baptizati, & errent in articulis fidei de Incarnatione, de Trinitate circa processionem Spiritus Sancti, de Purgatorio, de suprema potestate Romani Pontificis, & de nonnullis aliis, reuera sunt hæretici: Ergo si scribant libros, qui contineant hæresim, vel de Religione, scilicet de suis ritibus Ecclesiasticis, quamuis illi ritus hæresim contineant, ex professo tractant, huiusmodi libri sub hac prohibitione Bullæ Cœnæ comprehenduntur: præsertim quia prædicti Græci, Armeni, aliique Orientales sic suos ritus defendunt, vt Romanæ Ecclesiæ ritus improbent, &
impugnent, quod ad minus sapit hæreticum. 5

Cæterùm, quia non omnes Græci, Armeni, aliique Orientales sunt hæretici; ideo non statim ac liber est alicuius Græci, Armeni, vel alterius Orientalis, haberi debet pro libro Authoris hæretici, atque adeò non statim intrat canon Bullæ Cœnæ, vt scilicet sub ipso canone comprehendatur prædictus liber, cùm canon Bullæ Cœnæ sit contra scientes legentem libros hæreticorum, qui hæresim contineant, vel de religione tractent, sicque requiratur, quod legens sciat Authorem libri esse hæreticum. Quapropter secus erit si non sciat.

Quod si liber ex lectura deprehendatur esse Authoris hæretici, erit prohibendus, ad hoc, vt fideles ab illo sibi præcauere possint.

At quidquid sit de hoc, in eo conueniunt Doctores, 6
quod excommunicati non sint qui legunt, retinent, imprimunt, vel defendunt libros Infidelium, scilicet Iudæorum, Turcarum: quamuis errorem contra fidem contineant, vel de Religione tractent. Quia infideles, scilicet Iudæi, Turcæ, cùm non sint baptizati, non sunt hæretici, & in Bulla Cœnæ solùm excommunicantur legentes libros hæreticorum. Vgolinus *in primam clausulam Bullæ verb. ac eorumdem libros*, §. 1. *n*. 3. Suarez *de fide disputat*. 20. *section*. 2. *num*. 11. Sanchez *lib*. 2. *moral*. *capit*. 10. *num*. 22. & Farinacius *de hæresi quæstion*. 180. §. 1. *num*. 10. Duardus *in Bull. Cœn*. *lib*. 2. *can*. 1. *quæst*. 35. *num*. 3. Sousa *cap*. 12. *disput*. 13. *num*. 8. Fagundez *præcept*. 1. *Decal*. *lib*. 1. *cap*. 14. *n*. 3. Alterius

lib. 5.

lib.5. de censur.disp.2.cap.6.in princ. Trullench. *lib.1.in Decal.cap.3.dub.9.§.5.n.15.* Bonac. *disp.2.de censur.in partic.q.2.punct.4.n.21.* & Leand.*part.4.tract.3.disp.1. quæst.56.*

Qui id extendunt etiam ad libros Cathecomenorum, quia cathecumeni, cùm non sint professi fidem in facie Ecclesiæ, quamuis deficiant à fide, non sunt propriè hæretici. Neque enim subsunt iurisdictioni Ecclesiæ, cùm non sint ingressi Ecclesiam per portam, quæ est Baptismus. Videantur præter alios Sanchez & Fagund. *vbi supra.*

COROLLARIVM II.

Quid dicendum de libris Catholicorum, si contineant hæresim per ignorantiam Authorum, vel per malitiam alicuius hæretici scholia, vel annotationes ibi interponentis.

SVMMARIVM.

1 *Liber Authoris Catholici non continetur sub hac prohibitione Bullæ Cœnæ, etiamsi errores aliquos per ignorantiam ipsius Authoris, vel per malitiam alicuius hæretici contineat: quia talis liber absolutè Catholici est, non hæretici.*

2 *Limita nisi scholia, & errores ita creuerint, vt ex illis maior pars libri constare videatur: quia tunc liber à parte maiori denominari debeat, licet dissentiat Sanchez, quia illa scholia, & errores sunt quid accessorium, &c.*

3 *Liber Authoris Catholici, licet commentarios copiosos alicuius hæretici habeat, adhuc dicitur liber Authoris Catholici, non autem hæretici commentantis.*

4 *Prædicta procedunt attenta prohibitione Bullæ Cœnæ, quia attenta prohibitione Clementis VIII. & Pauli V. quilibet liber Infidelis, vel Catholici, cui aliquis error insertus reperitur, legi, vel retineri non potest, quin priùs expurgatus fuerit.*

5 *Legentes, tenentes, vel imprimentes librum Authoris Catholici, qui liber haberet scholia, & annotationes Authoris hæretici, non incurrerent excommunicationem Bullæ Cœnæ, licet scholia, & annotationes Authoris hæretici legerent, quia ille liber non est Authoris hæretici: sed incurrerent aliam excommunicationem, quæ habetur in Indice librorum prohibitorum.*

6 *Legentes, tenentes, vel imprimentes librum Authoris Catholici, in quo Author hæreticus faceret scholia, & annotationes, si commentarius esset ita copiosus, vt potiùs indicaretur constare ex commentariis, quàm ex Textu, incurrerent excommunicationem Bullæ Cœnæ, si dictus liber contineret hæresim, vel tractaret de Religione, contra Sanchez & alios.*

7 *Liber si ex æquo sit compositus ab hæretico, & Catholico simul, non continetur sub censura Bullæ Cœnæ, quia tunc non potest strictè dici liber hæretici: cùm quod est commune cum altero, strictè, & propriè dici non possit meum, si lex prohibens libros hæreticorum sit odiosa.*

8 *Liber si ex æquo sit compositus ab hæretico & Catholico, si lex non sit odiosa, sed fauorabilis, continetur è contra sub censura Bullæ Cœnæ: quia tunc secundùm latam interpretationem potest dici liber hæretici.*

9 *Liber si sit compositus ab aliqua Academia ex Catholicis, & hæreticis simul si maior pars eiusdem sit catholica, non continetur sub censura Bullæ Cœnæ: continetur autem è contra si maior pars sit hæretica, quia quod factum est à maiori parte Communitatis, dicitur factum totius Communitatis.*

10 *Liber, si ex æquo compositus sit à Communitate tam Catholicorum, quàm hæreticorum, qui sint numero pares, militat ratio superiùs alla contra nonnullos, quos sequitur Suarez: quia malum (inquiunt ipsi) est ex singulari defectu, vt propterea quodlibet totum, licet vnam imperfectionem habeat, imperfectum dicatur.*

11 *Liber ideò continetur sub censura bullari, quia continet hæresim, vel tractat de Religione, in quem librum influit hæreticus.*

12 *Liber prædictus continetur sub censura, seu prohibitione Indicis librorum prohibitorum, non sub censura bullari.*

13 *Liber, quia continet hæresim, vel tractat de Religione, in quem librum influit hæreticus, satis est, quod contineatur sub ratione totali Indicis librorum prohibitorum, non sub censura bullari.*

14 *Liber non continetur sub censura, seu prohibitione Bullæ Cœnæ, si sit Authoris Gentilis, Iudæi, cathecumeni, vel etiam hæretici (non tamen notorij) & ex sententia nonnullorum etiam Authoris hæretici notori, non tamen denunciati: & etiam denunciati, dummodo scripserit scholia, & annotationes tantùm.*

SEquitur secundò, quod sub hac prohibitione Bul- 1
læ Cœnæ comprehensus non sit liber Authoris Catholici, etiamsi errores aliquos per ignorantiam ipsius Authoris, vel per malitiam alicuius hæretici addentis contineat: quia talis liber absolutè Catholici est, non hæretici. Nauar.*cap.27.n.56.* Vgolinus *in 1. clausulam Bullæ Cœnæ, verb.ac eorumdem libros, § 1.num.2.vers.5.* Azor.*tom.1.lib.8.cap.16.q.5.* Duard.*in Bull.Cœn.lib.2. canon.1.q.41.n.2.* Rodriq.*in Bull.Cruciat.§.9.num.78.* Fagundez *lib.1.in Decalog.cap.14.n.8.* Pellizar. *tom.2. Manual.tract.6.cap.5.n.6.* Tamborin. *lib.2 in Decalog. cap.1.§ 7. n.9.* Leander *de censur.tract.3. disput.1.q.48.* Graff.*lib 4.decision.cap.18.n.43.* Coninch. *disput.18.de fide dub.11.n.177.* Suarez *n. 13. & 14.* Sanchez *n.15.* Sayrus Bonacina *in loc sup.cit.* & alij passim. Vide quæ dicam infra in Appendice.

Limitant tamen Alterius *de censur. in explicat.can.1.* 2
Bullæ Cœnæ lib.5.disput.2.cap.6. dub.1. Suarez, & Coninch, nisi scholia, & errores ita creuerint, vt ex illis maior pars libri constare videatur; quia tunc liber à parte maiori denominari debet.

Licet dissentiant Sanchez *vbi supra*, Farinac.*de hæresi q.180.n.50.* Sousa *in exposit.Bull.Cœn.cap.2.disput.13. conclus.3.n.7.* Diana *part.3. tract.11. resolut.32.* Bonacina *disput.2. de censur.q.3.punct.4 num.6.* & alij ex iis, quos supra *num.7.* citabam. Et ratio esse potest, quia cùm adhuc illa scholia, & errores sint quid accessorium, adhuc non ab ipsis, sed à principali denominatio fieri debet.

Quod inde confirmatur, quia liber Authoris Catho- 3
lici, licet commentarios copiosos alicuius hæretici habeat, adhuc dicitur liber Authoris Catholici, non autem liber hæretici Commentatoris: sicut è contra liber Authoris hæretici, licet commentarios copiosos alicuius Catholici habeat, adhuc dicitur liber Authoris hæretici, non autem liber Catholici Commentatoris.

Cæterùm hæc dixerim attenta prohibitione Bullæ 4
Cœnæ, quia attenta prohibitione Clementis VIII. & Pauli V. quilibet liber Infidelis, vel Catholici, cui aliquis error insertus reperitur, legi, vel retineri non potest, quin priùs expurgatus fuerit ab illis, quibus in Expurgatorio expurgandi facultas concessa sit.

Qui igitur legeret, sicut & qui teneret, vel impri- 5
meret, &c. librum Authoris Catholici, qui liber haberet scholia & annotationes Authoris hæretici; non incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, tametsi scholia, & annotationes Authoris hæretici legeret: quia ille liber non est Authoris hæretici. Nauarrus *in summa cap.27.n 56.* Candelabrum *in primam clausul. Bull. Cœnæ num. 12.* Suarez *tom.5. de censur. disput.21.*

sect. 2 *num.* 11. Graff. *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *n.* 45. Roderic. *in Bull. Cruciat.* § 9. *num.* 78. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 25. & alij quos supra *num.* 7. citabam; incurreret tamen aliam excommunicationem, quæ scilicet habetur in Indice librorum prohibitorum, sicuti patet ex dictis, & etiam ex secuda regula eiusdem indicis librorum prohibitorum.

6 At si Author hæreticus faceret scholia, vel adnotationes in librum Authoris Catholici, & commentarius esset ita copiosus, vt potiùs iudicaretur constare ex commentariis, quàm ex Textu, is qui illum librum legeret, incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, si dictus liber contineret hæresim, vel tractaret de Religione. Doctores, quos sequitur Alterius, Suarez, & Coninch *in loc. sup. cit.*

Quamuis alij, quos sequitur Sanch. vbi supra *n.* 25. putent, quod legens neque dictam excommunicationem bullarem in isto casu incurreret; quia ex communi modo loquendi talis liber non diceretur esse illius qui scholia, vel annotationes, seu commentarium apposuit, sed potiùs diceretur esse Doctoris Catholici, qui illius textus Author fuit.

Vtraque opinio est probabilis, præsertim cùm sæpe propter copiosum commentarium contingat, vt potiùs liber denominetur à Commentatore, quàm ab Authore ipsius libri, sicuti contingit etiam aliquando in commentariis super Magistrum Sententiarum, S. Thomam, Ius Canonicum, vel Ciuile, &c. Vide quæ dicam *inf. in Appendice.*

7 At quid dicendum, si liber (qui scilicet contineat hæresim, vel tractet de Religione) ex æquo sit compositus ab hæretico, & Catolico simul?

Respondetur cum distinctione: Si lex prohibens libros hæreticorum sit odiosa, sicque strictè intelligenda, talis liber non continetur sub censura Bullæ Cœnæ. Quia tunc non potest strictè dici liber hæretici, cùm quod est commune cum altero, strictè & propriè dici non possit meum. Glossa *in l. id quod. ff. de regul. iur. & in l. pupillus, §. verbum suum, ff. de verb. signif.* Alciat. *ibid.* Iason *in in l. serui electione, § Labeo, n.* 22. *ff. de legat.* 1. Abbas *consil.* 83. *part.* 2. Calderin. *cons.* 243. *de præbend.* Francisc. *in cap. Cùm in illis, de præbend. in* 6. *n.* 2. & alij communiter, quos sequitur Thusc. *lit. C. concl.* 554. & *lit. V. conclus.* 224.

8 Si verò non sit odiosa, sed fauorabilis, sicque non strictè, sed latè intelligenda, dictus liber continetur è contra sub censura prædicta Bullæ Cœnæ, quia tunc saltem secundum latam interpretationem, potest dici liber hæretici, cùm in fauorabilibus quæ latè sumuntur, quod est commune cum altero dicatur esse meum. Glossa *in l. id quod nostrum, ff. de regul. iur.* Calderinus, Franciscus, Thuscus, & alij, quos supra citabam.

9 Quid autem dicendum si prædictus liber sit compositus ab aliqua Communitate, v.g. ab aliqua Academia, conflata ex Catholicis, & hæreticis simul?

Respondetur etiam cum distinctione: Si maior pars Communitatis, v. g. Academiæ sit Catholica, talis liber non continetur sub censura Bullæ Cœnæ: continetur autem è contra, si maior pars sit hæretica. Quia quod factum est à maiori parte Communitatis, dicitur factum totius Communitatis, *l. quod maior, ff. ad munic.* Ac proinde si maior pars sit catholica, liber erit Catholici, sicque non continebitur sub censura Bullæ Cœnæ. Si verò è contra maior pars sit hæretica, liber è contra erit hæretici, sicque continebitur sub censura Bullæ Cœnæ; sicut ex doctrina Bartoli *in l. fin. ff. de colleg. illic. num.* 14. quem sequuntur cæteri Iuristæ, Vniuersitas est Ecclesiastica, vel Laïca iuxta maiorem partem ipsius Vniuersitatis.

10 Quod si Communitatis, v. g. Academiæ, Catholici, & hæretici, à quibus ex æquo simul est compositus liber, sint numero pares, erit eadem ratio, ac si liber sit compositus à Catholico, & hæretico simul, ita vt contineatur, vel non contineatur sub censura, seu prohibitione Bullæ Cœnæ, iuxta ea quæ supra in primo casu dicebam.

Contrarium tamen in vtroque casu, tam scilicet, si liber ex æquo sit compositus ab hæretico, & Catholico simul, quàm si sit compositus à communitate, v.g. Academia conflata ex Catholicis, & hæreticis simul, tenent alij, quos sequitur Suarez *disput.* 20. *de fide sect.* 2. *num.* 13. quatenus volunt, quod simpliciter & absolutè in vtroque dicto casu liber contineatur sub censura, seu prohibitione Bullæ Cœnæ, etiamsi in Communitate, v.g. Academia, fuerit vnus hæreticus. Quia malum (inquiunt ipsi) est ex singulari defectu, vt propterea quodlibet totum, etiamsi vnam imperfectionem habeat, imperfectum dicatur. Tum quia tota ratio, cur liber con- 11 tineatur sub censura, seu prohibitione est, quia continet hæresim, vel tractat de Religione, in quem librum influit hæreticus: Ergo stante eadem ratione, quæ militat vtrobique, attendi debet ipsa ratio, & non à quo libri denominatio fiat, cùm ratio sit anima legis, quæ facit viuere legem, vbicumque locum habet ipsa ratio.

At respondetur ad primum, quod scilicet malum sit 12 ex singulari defectu, ita vt propterea prædictus liber contineatur sub censura, seu prohibitione Indicis librorum prohibitorum, concedo: ita vt propterea contineatur sub censura, seu prohibitione Bullæ Cœnæ, nego.

Respondetur ad secundum, distinguendo similiter 13 Antecedens (Tota ratio cur liber contineatur sub censura, seu prohibitione est, quia continet hæresim, vel tractat de Religione, in quem librum influit hæreticus) Tota ratio cur contineatur sub censura, seu prohibitione Indicis librorum prohibitorum, concedo: Tota ratio cur contineatur sub censura, seu prohibitione Bullæ Cœnæ, nego. Quia sicuti patet ex iis quæ dicebam 14 supra, liber quamuis contineat multas hæreses, vel diffusè tractet de Religione, non continetur sub censura, seu prohibitione Bullæ Cœnæ, si sit Authoris Gentilis, Iudæi, cathecumeni, vel etiam hæretici (non tamen notorij) & ea sententia nonnullorum, etiamsi sit Authoris hæretici, non tamen denunciati: quin etiam etsi sit Authoris hæretici denunciati, non tamen ab ipso Authore hæretico damnato (eo quod scilicet iste fecerit Scholia, vel Adnotationes, quæ sunt quid accessorium, vel fecerit partem libri minorem) sed à Catholico (eo quod scilicet iste fecerit Texum qui est quid principale, vel fecerit eiusdem libri partem maiorem) denominetur.

COROLLARIVM III.

Quid dicendum de Manuscriptis.

SVMMARIVM.

1 *Manuscriptum continetur sub nomine libri, quia cùm liber prohibeatur non ratione impressionis, sed ratione materiæ, vtrobique est eadem ratio: Prohibetur enim lectio libri in odium hæresis, & ob periculum ne fideles talem librum legentes hæresi inficiantur, &c.*

2 *Manuscriptum non venire sub nomine libri in hac prohibitione Bullæ Cœnæ tenet Tamburinus, & cur. Secus tamen est, quia licet causa prohibitionis impulsiua sit specialiter in libris impressis, quàm in manuscriptis, causa tamen finalis, scilicet odium hæresis, & periculum infectionis, vtrobique est eadem.*

3 *Dispositio extenditur ad casum etiam in stricta materia, qualis est præsens, quamuis non adaptentur verba.*

4 *Manuscripta dato quod non veniant nomine libri ex aliquo capite, cùm tamen veniant eo quod liber sit genus ad libros impressos, & manuscriptos ob identitatem*

titatem rationis, manuscripta comprehenduntur sub dispositione Bullæ Cœnæ.

5 *Non obstat, quod Concilium Lateranense mentionem faciat specialiter de scriptura.*

6 *Neque obstat, quod Tridentinum Concil. specialiter prohibeat communicationem librorum in scripto.*

1 SEquitur tertiò, quod sub nomine libri contineatur manuscriptum. Vgol. *in 1. clausu Bull. Cœn. vers. ac eorundem, n.* Suar. *disput. 2. de fide sect. 2. n. 10.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. n. 28.* Farinac. *de hæres. q. 180. n. 30.* Ricciul. *lib. 5. de iure person. cap. 23. n. 6.* Bonac. *disp. 1. de censur in partic. q. 2. punct. 4. n. 21.* Lezzana *in sum verb. libri, n. 10.* Duard. *lib. 2. in Bull. Cœn can. 1. q. 35. num. 32.* Hurtad. *disp. 10. de censur. diffic. 12.* Nald. *verb Bullæ Cœnæ, n. 8* Granad. *2. 2. controu. 15. disp 11. n. 7.* Trull. *lib. 1. in Decal. cap. 3. dub. 9. §. 5. n. 16.* Onied. *controu. 12. n. 4.* Fagundez *precept. 1. Decal. lib. 1. cap. 14. n. 11.* Leander *part. 4. tract. 3. disp. 1. q. 43* Roccaful. *part. 3. lib. 3. cap. 8. dub. 1.* & alij communiter.

Probatur, quia cùm liber prohibeatur non ratione impressionis, sed ratione materiæ, vtrobique eadem ratio est: prohibetur enim lectio libri in odium hæresis, & ob periculum, ne fideles talem librum legentes hæresi inficiantur. Quæ rationes æquè militant in libro typis mandato, ac in libro typis non mandato. Tum quia manuscriptum verè liber dicitur. Tum etiam quia alias facilè hæc prohibitio eludi, & eneruari posset. Vnde probabiliter, iuxta ea quæ dicam Dubit. sequenti, & notant præter alios Naldus & Lezana *loc. sup. cit:* id quod dixi procedit de libris tam impressis, quàm manuscriptis eiusdem materiæ, quamcumuis paruis, quia paruus liber est verè liber, & potest æquè inficere, ac liber magnus. Et alioquin daretur occasio hæreticis disseminandi errores suos, diuulgando libros paruos. Qua de re tamen vide quæ dicam infra dicta dubitatione sequenti.

2 Contrarium (quod scilicet sub nomine libri in hac prohibitione Bullæ Cœnæ non veniat manuscriptum) tenet Tamburin. *in Decalog. lib. 2. cap. 1. §. 7. n. 14.* quia manuscriptum, etiam transcriptum à libro, non est, inquit ipse, secundum communem vsum loquendi propriè liber. Tum quia (cùm contra manuscripta prouisum sit per aliam prohibitionem Pij IV. in Indice) non sequitur elusio præcepti, seu legis prohibentis, quam dicebam. Præsertim quia quando lex vult disponere etiam de manuscriptis, id explicat, vt per Leonem X. in Concilio Lateranensi, vbi de impressione librorum *sess. 10.* & per Trident. Concil. *sess. 14.* circa finem, vbi de impressione librorum sacrorum. Præsertim etiam, quia libri impressi faciliùs ad manus omnium deueniunt: Ergo quoad libros impressos est specialis ratio prohibitionis.

Sed contra: quia licet causa prohibitionis impulsiua sit specialior in libris impressis, quàm in manuscriptis, eo quod libri impressi, vt dicebatur, faciliùs communicantur, & faciliùs ad manus omnium deueniunt: causa tamen finalis, scilicet odium hæresis, & periculum infectionis, vtrobique est eadem: Ergo vtrobique locum habere debet eadem dispositio, *leg. pater filium, §. fundum, ff. de legat. 1. & l. Illud, ff ad leg. Aquil. & leg. regula, §. cùm quis, ff. de iuris & facti ignorant,* vbi præter alios Bartolos.

3 Et ideo fit, quod dispositio extendatur ad casum (etiam in stricta materia, qualis est præsens) quamuis non adaptentur verba. Doctores cum Glossa *in Clement. 1. de elect.* & alij quos sequitur Corneus *consilio 273. vol. 4.*

4 Ideo etiam fit, quod dato quod non veniant nomine libri manuscripta, ex aliquo capite (cùm tamen veniant, eo quod liber sit genus ad libros impressos, sicut & manuscriptos) ob identitatem rationis manuscripta comprehendantur sub dispositione Bullæ Cœnæ de libris hæreticorum, quam dicebam.

5 Non obstat, quod Concilium Lateranense mentionem faciat specialiter de scriptura; quia sicut ex contextu patet, dictam scripturam distinguit à libris, quatenus continent materiam non sufficientem pro libro, vt sunt folia volantia.

Neque obstat, quod Tridentinum Concilium specialiter prohibeat communicationem librorum in scripto; quia per hoc non contradistinguit manuscripta à libris, sed contradistinguit communicationem manuscriptorum ab impressione: quæ quidem sunt actiones distinctæ & diuersæ. 6

COROLLARIVM IV.

Quinam libri hæreticorum sub prohibitione Bullæ Cœnæ comprehensi sint?

SVMMARIVM.

1 *Libri illi solùm hæreticorum, qui vel hæresim continent, vel de Religione tractant, continentur sub prohibitione Bullæ Cœnæ, quia quelibet vna ex his conditionibus satis est, vt sub prohibitione comprehendantur.*

2 *Liber alicuius Authoris hæretici, si in plures Tomos esset diuisus, & vnus contineret hæresim, vel de Religione tractaret, non item alter, si Tomi essent distincti, & essent de diuersis argumentis, & inter ipsos non esset aliqua connexio, non esset prohibitus Tomus, in quo hæresis non contineretur, nec de Religione tractaretur: secus è contra.*

3 *Liber si solùm vnam hæresim contineret, etiamsi totus de re prophana sit, illa sola sufficit, vt totus liber prohibitus existat, quia verè liber continet hæresim, &c.*

4 *Non sufficit, si aliquis ab illo libro hæresim expungat, quia particularis expulsio non tollit communem libri prohibitionem.*

5 *Liber tractare dicitur de Religione, si tractet de Scriptura Sacra, vel aliqua illius parte si de Theologia Scholastica, vel Morali, vt de Mysteriis fidei, &c.*

6 *Prohibitio comprehendit tractantem ex professo, non autem obiter.*

7 *Secus est, spectatis Decretis Clementis VIII. & Pauli V. pro Regnis Hispaniæ, vbi prohibitus est quicumque liber hæreticorum, etiamsi non contineat hæresim, neque de Religione tractet, nisi priùs approbetur per ibidem signatos, quia Ecclesia intendit, ne filij sui spirituales ex fonte tam turbido veritatem eliciant, &c.*

SEquitur quartò, quod sub prohibitione Bullæ Cœnæ comprehensi sint solùm illi libri hæreticorum, qui vel hæresim continent, vel de Religione tractant, quia quælibet vna ex his conditionibus satis est, vt sub prohibitione comprehendantur, sicuti patet ex contextu primæ clausulæ bullæ Cœnæ, & dicam infra in Appendice, & notat Vgolinus in primam clausulam Bullæ Cœnæ, *vers. vel de Religione, num. 2.* Azor. *tom. 1. libro 8. cap. 16. quæst 5.* Suarez *de fide disputat. 20. sectione 2. num. 15. & tom. 5. de censur. disput. 21. sect. 2. num. 10.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 26.* & alij communiter. 1

Vbi aduerta, quod casu, quo talis liber aliquis Authoris hæretici in plures Tomos esset diuisus, & vnus hæresim contineret, vel de Religione tractaret, non item alter, si Tomi essent distincti, de diuersis Argumentis, & inter ipsos non esset aliqua connexio, tunc non incurreret excommunicationem qui legeret Tomum in quo hæresis non contineretur, nec de Religione tractaretur, quia non legeret librum hæresim conti- 2

nentem, vel de Religione tractantem. Suarez *tract. de de fide cit. disput.* 20. *sect.* 2. *n.* 9. Sanchez *cit. cap.* 1. *n.* 36. qui extendit, etiamsi ij in vnum essent colligati: quia id esset per accidens. Vgolinus *vbi supra verb. ac eorumdem librorum*, §. 1. *num.* 2. *vers.* 6. Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *canon.* 1. *quæst.* 39. *num.* 10. Fagundez *precept.* 1. *Decal. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 17. Teullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9. §. 5. *n.* 19. Ouied. 2. 2. *controu.* 12. *num.* 8. Diana *part.* 6. *tract.* 6. *resolut.* 55. & Leander *de censur. tract.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 42. & alij passim. At si ambo de eadem materia tractarent, & inuicem inter se connexionem haberent, tunc è contra qui legeret vnum Tomum, licet in illo nulla contineretur hæresis, nec tractaretur de Religione, excommunicationem incurreret, quia tunc quilibet Tomus esset pars eiusdem operis prohibiti, essetque solùm per accidens, ad euitandam scilicet libri molem, diuisus, seu seiunctus ab altero. DD quos sequitur Suarez.

Quamuis contrarium in hoc etiam casu velit præter quosdam alios Vgolin. *loc. supra cit.* quia iuxta regulam iuris, vtile per inutile non vitiatur: Ergo cùm libri continententes hæresim, legi prohibeantur ex eo quod hæresim contineant; quotiescumque idem tractatus diuiditur in plures libros, seu quæstiones, quamuis sint eiusdem tractatus, seu voluminis, non videntur prohiberi, quia (sicuti dicebam) tanquam quid vtile non videntur vitiari per aliud inutile; sicque ratio prohibitionis in ipsis locum non habet.

Non obstat si dicas: Prohibetur totus liber, ergo prohibentur singulæ partes.

Respondere enim quis posset negando consequentiam, quia cùm totum non prohibeatur ratione sui, sed ratione partis, detracta hac parte, cessat prohibitio, sicque cùm sit in hoc casu diuersa ratio totius & singularum partium; non valet argumentum à toto ad singulas partes, si seorsim sumantur, iuxta ea quæ notat Ioseph de Rusticis *in l. cum accus. ff. de condit. & demonstr. lib.* 8. *cap.* 4. *n.* 4. Surdus *consil.* 455. *num.* 22. & Cephalus *consil.* 601. *num.* 40. *volum.* 4.

3 Aduerte secundò, quod si liber solùm vnam hæresim continet, etiam si totus de re prophana sit, illa sola hæresis sufficiat, vt totus liber prohibitus existat; quia sic verè liber continet hæresim. Neque requiritur, vt liber ex professo tractet de hæresi, ita vt argumentum libri sit de hæresi, sed sufficit si hæresim contineat: quia hoc tantùm Bulla Cœnæ requirit. Quandoquidem in ea directè distinguitur, si vel liber hæresim (scilicet in singulari, non autem in plurali numero contineat) vel de Religione tractet. In alternatiuis autem sufficit alterutrum verificari. Suarez *tom.* 5. *de censur. disputat.* 21. *sect.* 2. *n.* 10. *& de fide disput.* 20. *sect.* 2. *n.* 16. Alterius *in Bull. Cœn. tom.* 1. *disput.* 2. *lib.* 5. *cap.* 6. Portell. *in addit. ad dub. Regul. vers. libri prohibiti, n.* 8 Bonac. *de censur. disp.* 1. *q.* 5. *punct.* 4. *n.* 19. Sanch. *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *n.* 35. Farin. *de hæresi q.* 180. *n.* 22. Coninch. *disput.* 18. *de fide, dub.* 11. *n.* 177. & alij communiter. Quamuis contrarium dixerint Graff. *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *n.* 40. & 80. Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 12. Filiuc. *tom.* 2. *tract.* 22. *cap.* 7. *n.* 204. Sousa *in exposit. Bull. Cœn. disp.* 13. *cap.* 2. *concl.* 2. & Dian. *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 31. qui requirunt, vt liber ex professo tractet de hæresi. Sed de hac re vide etiam infra in Appendice.

4 Neque sufficit, si tu ab illo libro hæresim expungas, quia particularis expulsio non tollit communem libri prohibitionem. Sanch *n.* 35. & Bonac. *n.* 19 Qua de re vide etiam quæ dicam infra *dubit.* 39. *petit.* 6.

5 Dicitur autem liber tractare de Religione, ita vt qui illum legat, etiamsi hæresim non contineat, Bullæ Cœnæ excommunicationem incurrat; si tractet de rebus ad fidem pertinentibus, vt de Scriptura sacra, vel de aliqua illius parte, de Theologia scholastica, vel morali, etiam de casibus conscientiæ, de mysteriis fidei, de cultu Dei & Sanctorum, de Sacramentis, de Pontifice, Episcopis, Cardinalibus, Clericis, de Religiosis, vel aliis ministris Ecclesiæ, de moribus Christianis, de recta, vel non rectà morum institutione, de Virtutibus & vitiis (in ordine scilicet ad finem supernaturalem, non autem in ordine morali tantùm) de Religionis ritibus ad Religionem siue Catholicam siue reprobatam spectantibus, & similibus. Toler *lib.* 1. *cap.* 19 Suar. *tom.* 5. *de censur. disput.* 21. *sect.* 2. *n.* 10. & *tract. de fid. disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 16. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 2. Fagund. *præcep.* 1. *Decal. cap.* 14. Ouied. 2. 2. *controu.* 12. *n.* 15. Pelliz. *tom.* 1. *Manual. tr.* 6. *cap.* 15. *n.* 10. & alij passim: quia Religio hic non accipitur strictè, prout scilicet est quædam specialis virtus, sed latiùs, prout complectitur materias religiosas, siue materias tam in ordine ad notitiam, quàm in ordine ad operationem hominis, ad salutem directionem importantes. Et ratio est, quia cùm ad Ecclesiam pertineat dirigere hominem ad salutem, ad Ecclesiam etiam pertinet auertere ea quæ possunt impedire consecutionem salutis, atque adeò auertere infectionem circa doctrinam quæ ducit ad bonos mores, & prædictam salutem. Quapropter solùm quoad hæc se extendit cura Ecclesiæ, dum prohibet libros tractantes de Religione.

Quapropter etiam libri tractantes de aliis materiis non dicuntur tractare de Religione. V.g. non dicuntur tractare de Religione historiæ, neque libri qui Philosophiam, vel alias Artes similes continent. Itaut is qui tales libros legeret, non incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, nisi in illis contineretur aliqua hæresis. DD. communiter, quos sequitur Suar. *vbi sup. num.* 10. & Sanch. *nu.* 21.

Requiritur tamen, vt liber de Religione tractet ex professo, & ex instituto, ita vt libri argumentum sit de Religione: non autem tractet obiter. Quapropter si liber ab hæretico compositus non tractaret sic ex professo, & ex instituto de Religione, sed de aliis rebus, obiter tamen aliquid diceret de Religione is, qui talem librum legeret (sicut & teneret, vel imprimeret, &c.) non incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia in Bulla Cœnæ prohibentur solùm libri tractantes de Religione Quorum verborum sensus est, quod libri ex professo, & ex instituto tractent de Religione, modo quo supra dicebam. Farinac. *loc. cit.* Sayr. *lib.* 3. *de censur. n.* 11. & Graff. *part.* 1. *decis. lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 40. & 42. 6

Limitant tamen (& rectè) Sanch. *lib.* 2. *moral cap.* 10. *n.* 34. Azor. *part.* 1. & *lib.* 8. *cap.* 26. *q.* 5. Alter. *de censur. lib.* 5. *disp.* 3. *cap* 6 Trull. *lib.* 1 *in Decal. cap.* 3. *dub.* 9. §. 5. *n.* 19. Suar. *de fide disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 16. Roderiq *in addit. ad Bull. Cruciat.* § 8. *n.* 68. Portell. *in rubr. Regul. verb. libri prohibiti, n.* 8. Fagund. *præcep.* 1. *Decal. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 15. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 2. *n.* 2. Bonac. *disp.* 2. *de censur. in partic. q.* 5. *punct.* 4. *n.* 19. Ouied. 2. 2. *controu.* 11. *n.* 16. Peliz. *tom* 2 *Manual. tract.* 6. *c.* 5. *n.* 20. Roccaful. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. & Leand. *de censur tract.* 3. *disp.* 1. §. 1. *q.* 39 si liber ex professo notabiliter tractet de Religione, licet libri de alia materia sit Argumentum: quia vt verificetur, quod liber tractet de Religione, non est necesse, quod libri Argumentum sit de Religione, sed sufficit si liber disserat de Religione ex professo notabiliter, & non obiter, seu incidenter, cùm possit liber per digressionem de pluribus negotiis ab Argumento proposito diuersis tractare ex professo notabiliter.

Obiicies contra Coroll. 4. Damnato Authore, etiam eius libri damnati censentur, *cap. Fraternitatis, cap. Excommunicamus*, § *credentes, vers. si tabellio, de hæret. cap. Nullus* 3. *q.* 4. *cap scientia Romana*, §. *Item origines*, & §. *hæc omnia, vers. Atque, cum Auth. credentes, in fine, de hæret.* & docet Ostiens. *in d. cap. fraternitatis, n.* 1. Innoc. *ibid. n.* 2. Abb. *n.* 1. Butr *n.* 2. Soccin. *n.* 1. & 3. Anan. *n.* 3. Felin. *in cap. Translato, de constit. n.* 1. Albertin. *de hæret. q.* 12. *n.* 14. Pegn. *in Direct. part* 2. *com.* 3. *vers.* 1. *damnato.* & alij passim. At hæretici sunt omnes ab Ecclesia damnati Ergo etiam omnes eorum libri damnati erunt.

Respondeo, distinguo Antecedens: Damnato Authore, etiam eius libri damnati censentur, absolutè & simpliciter, nego: si contineant hæresim, vel ex instituto

tuto

tmto tractent de Religione, iuxta ea quæ supra dicebam, concedo: vt omittam, doctrinam illam intelligendam esse, quòd damnato Authore, etiam eius libri damnati censeantur, si sint compositi ab illo, vt est damnatus, seu vt hæreticus, non item si sint compositi ab illo, vt est Philosophus, Medicus, Mathematicus, vel Iurisperitus, &c. vt omittam etiam nos dixisse tales libros (si scilicet hæresim non contineant, vel de Religione ex professo non tractent) damnato Authore, non damnari ex vi verborum Bullæ Cœnæ, damnari tamen ex Indice librorum, iuxta regulas ibi præscriptas.

7 Quapropter si spectetur etiam Decretum Expurgatorij Romani editi iussu Clementis VIII. & Decretum Pauli V. pro Regnis Hispaniæ., mandatumque Inquisitoris Generalis, prohibitus est quicumque liber Authoris hæretici, etiamsi non contineat hæresim, neque de Religione tractet, nisi priùs approbetur per ibidem signatos: quia Ecclesia intendit, ne filij sui spirituales ex fonte tam turbido veritatem eliciant, neve authoritatem aliquam tribuant illis qui à suo gremio recesserunt. Doctores communiter apud Farinacium *n.* 21. Sanchez *n.* 26. & Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *q.* 14.

APPENDIX,

Ad ea quæ supra dicebantur.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio bullaris vt contrahatur, duæ requiruntur conditiones, & vt liber sit alicuius Authoris hæretici, & vt sit de Religione tractans, vel continens hæresim.*

2 *Hæretici nomine non venit quicumque hæreticus, sed tantùm hæreticus publicus, seu notorius, vt proinde debeat esse vel denunciatus tanquam hæreticus, vel publicè profitens aliquam hæreticam sectam.*

3 *Dictio* Eorum, *refertur ad supra nominatos.*

4 *Excommunicatio bullaris cùm fertur contra scientes, debet legens scire, quod ipse legendo violet prohibitionem, & consequenter scire, quod libri Author sit hæreticus: quod nequit scire, nisi Author profiteatur aliquam hæresim, seu sectam damnatam, contra Grassium.*

5 *Excommunicatio bullaris locum non habet in dubio, an Author sit hæreticus: quia in dubio quisque præsumitur bonus, nisi constet de contrario.*

6 *Dicta contra Grassium non solùm habent locum quo ad libros hæreticorum recentiorum, sed etiam quo ad libros hæreticorum veterum, vt sunt Epistolæ Photij nuper suppressæ.*

7 *Libri magiæ, necromantiæ, sortilegiorum, & similes non comprehenduntur sub hac excommunicatione Bullæ Cœnæ: quia non sunt libri Authoris hæretici, & quamuis essent, non tamen ex iis cognosceretur vt talis, ac proinde deficeret conditio scientiæ requisita à bulla ad incurrendam hanc censuram.*

8 *Liber ad hoc, vt aliquis incurrat in censuram bullarem, non est necesse, quod simul contineat hæresim, & simul tractet de Religione: satis enim est si contineat hæresim.*

9 *Liber ad hoc, vt aliquis incurrat in censuram bullarem, sufficit si tractet de Religione hæretico modo, id est cum aliquo influxu hæresis in tractationem, scilicet cum aliqua proportione, & relatione ad hæresim: quia licet in Canone tractare de Religione stet disiunctim, accipi tamen debet iuxta subiectam materiam.*

10 *Liber de Religione si catholicè tractans ab hæretico edatur, non videtur comprehendi sub censura bullari.*

11 *Hæreticorum libri qui de Religione non tractant, approbati conceduntur ex eiusdem Indicis Regula secunda.*

12 *Excommunicatio bullaris prædicta vt locum habeat sufficit, si liber obiter, seu incidenter vnam, vel alteram hæresim contineat, contra Grassium, Sayrum, & alios: quia eo ipso, quod obiter vnam hæresim contineat, valet dici, quod hæresim contineat.* 5

13 *Lex cùm sit generalis, generaliter, præsertim in fauorem fidei accipi debet.*

14 *Excommunicatio bullaris prædicta locum habet, si liber hæresim contineat non quocumque modo, sed modo solùm doctrinali, ita vt hæresim, quam continet, rationibus probet: quia si hæresim non contineat tali modo, rationibus scilicet illam probando, vim non habet ad inficiendum, & trahendum legentis assensum.* 6

15 *Hæreticorum scholia ad libros hæreticorum, etiamsi sint maior pars libri, & hæresim contineant, vel de Religione ex professo tractent, sub prohibitione Bullæ Cœnæ non comprehenduntur: quia iuxta communem modum loquendi liber cum scholiis, non denominatur ab Authore scholiorum: secus tamen est, quin si hoc haberet locum, possent sine censura bullari legi commentaria hæreticorum in sacram Scripturam.* 7

16 *Genitiuum de sui natura importat personalitatem.*

17 *Liber si sit Authoris hæretici, commentaria autem Authoris Catholici, tunc simpliciter commentaria, sicut & liber sub prohibitione Bullæ Cœnæ continentur.*

18 *Catholici librum, in quo hæreses vel referantur historicè, vel inserantur cum suis explicationibus, & argumentis ad impugnandum legens, etiam eo animo, vt doctrinam hæreticorum sciat, quamuis ex hac lectione periculum infectionis sibi timeret, peccaret tantùm mortaliter, exponendo se scienter tali periculo, non tamen incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel aliquam alteram: quia non verificatur in ipso dispositio bullæ Cœnæ, cùm non legat librum hæretici, sed Catholici, etiamsi legat animo imbibendi hæreses.*

19 *Libri Compilatoris non comprehenduntur sub excommunicatione bullæ Cœnæ, nisi in compilatione inferatur aliqua materia alicuius Authoris hæretici, quæ contineret hæresim, vel ex professo tractaret de Religione: At id locum habet, si Compilator nihil inferat de suo; quia tunc liber censendus erit iuxta qualitatem Collectorum.*

20 *Legentes Catholicorum libros, in quibus sunt hæreses, quantumuis damnatæ, quas tamen ignoranter tradiderunt Authores, atque adeò solùm materialiter fuerint hæretici, non incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia in ipsis non verificatur dispositio Bullæ Cœnæ.*

21 *Amplia, id locum habere, etiamsi Author libri incidat posteà in hæresim ob eamdem rationem, quia adhuc non est liber hæretici.*

22 *Scientia quæ requiritur ad contrahendam excommunicationem Bullæ Cœnæ, debet esse non solùm de materia libri, quod videlicet contineat hæresim, vel tractet de Religione, sed etiam quod Author sit hæreticus.*

23 *Ignorantia qualibet etiam crassa, & affectata, excusat tunc ab excommunicatione, licet non semper excuset à peccato, quia quando lex loquitur de facientibus aliquid scienter, procedit de iis qui id faciunt exclusa quacumque ignorantia.* 8
24 *Secus tamen est, si interueniat notabilis temeritas; quia notabilis temeritas scientiæ comparatur.*

25 *Excõmunicatio Bullæ Cœnæ, stante scientia, & seclusa quacũque ignorantia locum habet contra sciẽter legẽtem libros prohibitos, etiã si legat absq; praua intentione, sed solùm ex curiositate; quinimo etiam*

nõ

ex bono, quia prohibitio legis non respicit finem legentis, sed solùm ipsam lectionem.

1 Ex dictis constat, quod ad contrahendam dictam excommunicationem Bullarum ex parte librorum duę conditiones requirantur. Prima, quod liber sit alicuius Auctoris hæretici. Secunda, quod liber de Religione tractet, vel hæresim contineat.

2 Quatenus spectat ad primam conditionem, nomine hæretici non venit quicumque hæreticus, sed tantùm hæreticus publicus, seu notorius, vt perinde debeat esse vel denunciatus tanquam hæreticus, vel publicè profitens aliquam hæreticorum sectam, vti colligitur ex ipso canone Bullæ: quia canon anathematizat hæreticos iuxta sectas, vt Hussitas, & omnes alios hæreticos cuiuscumque nominis, vel sectæ, posteà deueniens
3 ad libros subdit: *Ac eorum libros, &c.* Dictio autem *eorum*, refertur ad supra nominatos, & consequenter intelligitur de hæreticis alicuius nominis, vel sectæ. Et
4 ratio est, quia vt locum habeat prædicta excommunicatio bullaris, cùm feratur contra scientes, debet legens scire, quod ipse legendo violet prohibitionem, & consequenter scire, quod Author libri sit hæreticus; Non potest autem legens id scire, nisi Author libri profiteatur hæresim aliquam damnatam, & consequenter nisi sit alicuius sectæ damnatæ.

Et quamuis Grassius *part. 1. decision. lib. 4. cap. 18. num. 43.* putet, quod vt locum habeat excommunicatio Bullæ Cœnæ, necessarium sit, Authorem hæreticum esse damnatum, necessarium reuerà non est, si loquamur de condemnatione personali. Suarez *disput. 20. de fide sect. 2. num. 11.* Fagundez *præcept. 1. Decalog. lib. 1. cap. 14 num. 7.* & alij communiter, sed sufficit, iuxta ea quæ dicebam, quod sit alicuius sectæ, cuius hæresis damnata sit: quia tunc reuerà scitur Authorem hæreticum esse.

Hinc, si quis sciret librum esse Authoris hæretici, quamuis nesciret specialiter Authorem, & legeret tamen librum, incurreret tamen excommunicationem. Vgolinus *part. 2. de censur. reseruat. summ. Pontif. verb. ac eorumdem libros, n. 11.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. n. 30.* & alij passim.

5 In dubio tamen, an Author sit hæreticus, excommunicatio locum non habet, quia in dubio quilibet præsumitur bonus, nisi constet de contrario. Sanchez *vbi supra n. 24.* Ouied. *5. 2. controu. 12. n. 3.* & Palert. *part. 1. tract. 4. disput. 1. punct. 10. n. 1.*

6 Quod autem dicebam supra contra Grassium, non solùm locum habet quoad libros hæreticorum recentiorum, sed etiam quoad libros hæreticorum veterum, vt sunt Epistolæ Photij nuper impressæ. Doctores, quos sequitur Lezana *in summa, verb. libri, n. 20.* Quamuis nonnulli libri, vt libri Tertulliani, & Origenis, eo quod ex iis multa discantur, tolerentur: & generaliter quoad libros veterum, eo quod ex iis minus infectionis periculum timeatur, non tam rigorosè procedi consueuerit.

7 Sub hac tamen excommunicatione Bullæ cœnæ non comprehenduntur libri Magiæ, Necromantiæ, Sacrilegiorum, & similes. Nauar. *in sum. cap. 27. n. 55.* Vitald. *in Candelabr. Excommunicatio 1. Bulla Cœnæ, n. 13.* Fagundez *præcept. 1. Decalog. lib. 1. cap. 14. n. 10.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 14. n. 15.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 10. num. 32.* & Bonac. *disput. 1. de censur. in partic. q. 2. punct. 4. n. 4.* Quia non sunt libri Authoris hæretici: & quamuis essent libri Authoris hæretici, non tamen ex iis author cognosceretur vt talis, cùm non contineant aliquam hæresim; ac proinde deficeret conditio scientiæ, quam canon Bullæ Cœnæ requirit, ad hoc, vt excommunicatio contrahatur. Accedit, quod prædicti libri, quamuis doceant multa flagitia, non tamen tractant de Religione, neque continent hæresim, quam si contineant, subintrat prædictus canon Bullæ Cœnæ. Vide quæ dicam infra *dubit. 44. in Addendis.*

Quatenus verò spectat ad secundam conditionem, 8
dubium est inter Doctores, an liber debeat hæresim continere, & de Religione tractare coniunctim: an verò sufficiat alterutrum disiunctim. Et quidem certum est sufficere, quod solùm hæresim contineat, quia tota prohibitionis ratio, quæ est vitare, ne fideles ex lectione inficiantur, reperitur in libro, qui hæresim continet. Tum quia eo ipso, quod liber hæresim continet, aliquo modo de Religione tractat. Vnde solùm difficultas inter Doctores est, an sufficiat, quod liber solùm de Religione tractet, licet hæresim contineat.

Et quidem, quamuis nonnulli, quos sequitur Say- 9
tus *lib. 3. de censur. cap. 5. num. 12.* sufficere negent ex eo, quia si liber hæresim non continet, cessat prohibitionis ratio; cùm tunc non adsit periculum, quod legens ex lectione inficiatur, seu in hæresim labatur. Affirmant tamen præter alios, quos supra citabam, & sequebar, Farinacius *de hæresi quæst. 80. num. 32.* Fagundez *præcept. 1. Decalog. lib. 1. capit. 14. num. 5.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 13. dub. 9. §. 5. num. 9.* Duardus *in Bullam Cœn. lib. 1. canon. 1. q. 40. num. 2.* Pueron. *in Bull. Cœn. cap. 1. §. ac eorumdem. lib. 5. n. 184.* & Rocafull. *3. part. Praxis, lib. 3. cap. 8.* Quia canon loquitur disiunctim: Ergo vt locum habeat, satis erit, quod alterutrum, seu pars altera verificetur, vti supra dicebam.

Temperarem autem nunc hanc posteriorem nostram sententiam, vt procedat, & canon quoad libros de Religione tractantes, tantùm locum habeat quando libri de Religione tractant hæretico modo, id est, cum aliquo influxu hæresis in tractationem, scilicet cum aliqua proportione, & relatione ad hæresim, seu aliquo modo disponendo ad hæresim: Quia licet in canone tractare de Religione stet disiunctim, accipi tamen debet iuxta subiectam materiam, sicque de libris de Religione tractantibus, qui sint hæreticorum, quatenus hæreticorum, atque adeò cum aliquo influxu hæresis in tractationem, modo quo iam supra dicebam, cùm verba accipiantur iuxta qualitatem personæ ad quam referuntur, *leg. ex militari, ff. de testament. milit. & leg. plenum, §. equitij, ff. de vsu, & habitation.* & notant Fusar. *de substit. quæst. 319. num. 32.* Mangil. *de imput. quæst. 126. num. 8.* & Castill. *lib. 5. contron. part. 2. cap. 84. n. 6.*

Confirmatur, quia sic est periculum infectionis in 10
eo qui legit.

Confirmatur secundò, quia sic colligitur ex Indicis regula tertia, vbi Annotationes in sacram Scripturam, cuiuscumque Authoris sint, expunctis locis suspectis, permittuntur. Et ex regula octaua, vbi libri quorum argumentum principale bonum est, in quibus tamen obiter, seu incidenter, aliqua quæ ad hæresim, impietatem, diuinationem, vel superstitionem spectant, inserta sunt, à Catholicis Theologis generalis Inquisitionis authoritate expurgati concedi possunt. Quapropter si liber de Religione catholicè tractans ab hæretico edatur, non videtur sub præsenti canone comprehendi.

Neque dicas, quod prohibeatur in odium Autho- 11
ris, quia hæreticorum libri qui de Religione non tractant, approbari conceduntur ex eiusdem Indicis regula secunda.

Circa continentes hæreses etiam difficultas est in- 12
ter Doctores, an vt locum habeat excommunicatio prædicta bullaris, sufficiat si liber obiter, seu incidenter vnam, vel alteram hæresim contineat.

Et quidem, quamuis negent Grassius, Saytus, & Sousa, quos supra citabam, quatenus expressè aiunt, non sufficere, quod liber obiter vnam, vel alteram hæresim contineat, sed requirit quod ex professo tractet: Affirmant tamen præter alios Doctores, quos supra sequebar, Duardus *in Bull. Cœn. lib. 1. canon. 1. quæst. 39. num. 2.* Bonacina *de censur. in particul. disput. 2. quæst. 5. punct. 4. num. 9.* Filliuc. *tract. 15. num. 204.* Fagundez *præcept. 1. Decal. lib. 1. cap. 14. n. 15.* Granad. *5. 5. tract. 15. disput.*

disp. 10. *circa finem*, Ouied. *controu.* 12. *n.* 7. Petr. Hurtad. *disput.* 76. *de fide* §. 295. Tambur. *lib.* 2. *in Decal. c.* 1. §. 7. *n.* 7. Leand. *de censur. tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 39. Trull. *lib.* 1. *in Decalog. c.* 3. *dub.* 9. §. 5. *n.* 19. Rocaff. *part.* 3. *prax. lib.* 3. *c.* 8. Quia, sicuti dicebam, eo ipso, quod li-
13 ber obiter vnam hæresim continet, valet dici, quod hæresim contineat. Accedit, quod cùm lex sit generalis, generaliter (præsertim in fauorem fidei) accipi debet, *l.* 1. §. *generaliter. ff. de leg. præst.* Accedit etiam, quod neque Canon dicit libros tractantes de hæresi, sicuti dicit tractantes de Religione, sed continentes hæresim.

14 Conciliarem autem nunc has duas sententias, dicendo, quod excommunicatio Bullaris prædicta locũ habeat, si liber hæresim contineat, non quocumque modo, sed modo solùm doctrinali, ita vt heresim, quam continet, rationibus probet: sicque canon procedat solùm de libris hæresim hoc modo continentibus, siue ex professo, siue per disgressionem, obiter, vel incidenter; quia si liber hæresim non contineat modo doctrinali, rationibus scilicet illam probando, vim non habet ad inficiendum, & trahendum legentis assensum. Ergo cessat prohibitionis ratio, sicuti constat in libris, qui continent cathalogum hæresum absque impugnatione; cùm ij prohibiti minimè sint, eo quod non tendunt ad docendum hæresim: Tum quia, si liber hæresim non continet modo doctrinali, non videtur, quod hæresim contineat, nisi modo materiali: siquidem continentia libri, vt sit continentia vera, & formalis, debet esse iuxta naturam libri; ergo, cùm liber ordinetur ad communicandum aliis, quæ continet, ea solùm continere dicitur, quæ legẽtibus cõmunicare potest, sicque ea solùm, quæ cõtinet modo doctrinali, dum agitur de doctrinalibus.

15 Circa scholia hæreticorum ad libros Catholicorum, communiter vti suprà dicebam, Doctores docent, quod ea, etiamsi sint maior pars libri, & hæresim contineant, vel ex professo de Religione tractent; sub prohibitione Bullæ Cœnæ non comprehendantur; quia iuxta communem modum loquendi liber cum scholiis, etiamsi sint maior pars libri, nõ denominatur ab Authore scholiorum, cùm hæc sint accessoria materiæ; sed ab Authore, qui primò composuit librum: cùm licèt v.g. commentaria Caietani excedant summam S. Thomæ, non tamen dicatur liber Caietani, sed S. Thomæ: sed canon Bullæ Cœnæ loquitur solũ de libris hæreticorũ: Ergo.

At quia, si hoc haberet locum, possent sine censura Bullæ Cœnæ legi commentaria hæreticorum in sacram Scripturam, etiamsi quamplurimas continerẽt hæreses, ex eadem scriptura confirmatas, quod videtur absurdũ, ideò satis etiam probabiliter Alterius *de censur. in explicat. canon.* 2. *Bullæ Cœnæ lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 6. *dub.* 1. & Suarez *de fide disput.* 20. *sect.* 2. *n.* 13. docent, scholia hæreticorum, saltem si sint maior pars libri, quotiescumque hæresim continent, vel ex professo de Religione tractant, sub canone Bullæ Cœnæ comprehendi: Quòd (præterquam sæpè, vti suprà etiam dicebam, denominatio fit à parte libri maiori) vlteriùs probari posset ex eo, quia quando in Bulla Cœnæ ponitur excommunicatio contra legentes libros hæreticorum, ly genitiuum *Hæreticorum*, non tam importat denominatio-
16 nem, quàm personalitatem Scriptoris: cùm genitiuum de sui natura importet personalitatem, *cap. si gratiosè, de rescript. in* 6. vbi Glossa *verb. sue*, Ioan. Andr. *n.* 5. Geminian. *n.* 12. Franch. *n.* 7. & Rota *decis.* 29. *num.* 7. *part.* 3. *Recent.* sicque canon Bullæ Cœnæ procedit de libris, qui referuntur ad personas hæreticorum, tanquam ad Authores, seu scriptores; At liber constans ex scholiis hæretici, saltem si sint maior pars libri, quoad hæc, tanquam ad Authorem, seu scriptorem refertur ad hæreticum: Ergo, &c.

17 Cæterum, si liber sit Authoris hæretici, commentaria autem sint Authoris Catholici, tunc simpliciter cõmentaria, sicut & liber, sub prohibitione Bullæ Cœnæ continentur, Doctores, quos citabam suprà, & sequitur etiam Ouiedus 2. 2. *controu.* 12. *n.* 9. quia semper textus est liber Authoris hæretici, & cõtinet adæquatam prohibitionis rationem, ob quam secundum se ipsam seorsim prohiberetur: & multo magis, si in commentariis hæresis explicaretur: Quod si ea nihil hæreticum continerent, adhuc ratione textus liber idem prohiberetur. Vide, quæ dicebam suprà *in Dubit. Corollar.* 2.

18 Ex quibus sequitur, quod si quis Catholici librũ, in quo hæreses vel referantur historicè, vel inserantur cum suis explicationibus, & argumentis ad impugnandum, legeret, etiam eo animo, vt doctrinam hæreticorum sciret, quamuis si ex hac lectione periculum inferioris sibi timeret, peccaret mortaliter, cùm sciens tali periculo se exponat: non tamen incurreret excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel aliquam aliam, Nauarr. *in summa cap.* 27. *n.* 36. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *q.* 2. Suar. *tom.* 1. *de censur. disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 10. Alterius *de censur. lib.* 5. *disput.* 2. *cap.* 6. *dub.* 1. Fagùndez *præcept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 6. Coninch. *de fide disp.* 18. *dub.* 11. *n.* 177. Filliuccius *tom.* 1. *tract.* 15. *cap.* 2. *q.* 8. *num.* 4. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *canon.* 1. *q.* 43. *n.* 5. Sousa *in Bull. Cœn. cap.* 12. *disp.* 13. *n.* 7. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 23. Reginald. *in Praxi for. Pœnit. lib.* 9. *n.* 253. Vgolin. *de censur. reseru. part.* 1. *cap.* 1. *verb. ac eorum libros*, Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9. §. 5. *n.* 15. Bonacin. *de censur. in particular disput.* 1. *q.* 2. *punct.* 4. *n.* 11. & Leander *de censur. tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 47. Quia non verificatur in ipso dispositio Bullæ Cœnæ, cùm non legat librum hæretici, sed Catholici: Idque etiam, si legat illum, animo imbibendi hæreses, quæ in tali libro traduntur: quia per excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel quamcumque aliam, non punitur affectus, sciendi scilicet, vel etiã imbibendi hæreses, sed effectus, factũ scilicet ipsum legendi libros hæreticorum. Vide quæ dicam infrà *dubit.* 44.

Quid autem dicendum sit de libris compilatis ab hæretico, si hi contineant passim, vel tractent ex professo de Religione?

Respondent quidam cum Duardo *lib.* 2. *in Bull. Cœn.* 19
can. 1. *q.* 45. *n.* 6 & *seqq.* non cõprehendi eos sub excommunicatione Bullæ Cœnæ, nisi in compilatione insereretur aliqua materia alicuius Authoris hæretici, quæ contineret hæresim, vel ex professo tractaret de Religione; quia compilatio non est liber hæretici, sed illorum Authorum, ex quibus fit compilatio. Tum quia compilatio non est propriè liber, sed volumen quoddam continens plures libros.

At minùs rectè, quia hoc non tollit, quin sit propriè 20
liber, sicut propriè liber est sacra scriptura, quamuis contineat libros plurium Authorum: Responsio igitur istorum Doctorum cum Duardo vbi suprà, locũ habet, si compilator nihil inserat de suo; quia tunc liber censendus erit iuxta qualitatem Collectorum. At si ponat quid de suo, in quo hæreses modo doctrinali tradat, vel ex professo de Religione tractet, ex aliorum sententiis, scilicet opus suum cum influxu aliquo hæresis, seu cũ relatione aliqua ad heresim; Tunc qui legit, incurret excommunicationem Bullæ Cœnæ: Cùm sit eadem ratio, ac si tota materia esset ab ipso hæretico composita, seu conflata: quamuis, si pauca inserat de suo, & hæc indigeant expurgatione, expurgatione præmissa, concedantur, sicque multo magis, si non indigeant, iuxta Indicis regulam quintam. Ideoque locum tunc non habebit præsens excommunicatio Bullæ Cœnæ.

Circa Catholicorum libros, in quibus sunt hæreses, quantumuis damnatæ, quas tamen ignoranter tradiderunt Authores, atque adeò solùm materialiter fuerint hæretici; docẽt Nauarr. *in summa cap.* 27. *n.* 36. Rodor. *in Bull. Cruciat.* §. 9. *n.* 78. Fagund. *lib.* 1. *in Decal. c.* 14. *n.* 6. Vgol. *de censur. Pap. reser. part.* 2. *c.* 1. *verb. ac eorũd.* §. 1. *n.* 2. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 35. *n.* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *c.* 16. *q.* 2. Suar. *de fide disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 10. & Bonac. *de cens. in partic. disp.* 1. *q.* 2. *n.* 21. *vers.* 5. legentem tales libros non incurrere excommunicationem Bullæ Cœnæ; quia in ipso non verificatur dispositio Bullæ Cœnæ, cùm non legat libros hæretici.

Quod, vt notant Sousa *in Bull. Cœn. cap. 1. disp. 1 3. n. 11.* Ouied. 2.2. *controu.* 12. *n.* 5. Bonacin. *loc. suprà cit.* & Leander *de censur. tract.* 5. *disput.* 1. q. 48. locum etiam habet, si Author libri incidat postea in hæresim, ob eamdem rationem, scilicet, quia adhuc non est liber hæretici, eo quod Author non esset hæreticus, quando illum scripsit, cùm in tàtum liber dicatur Authoris hæretici, in quantum originē habet ab Authore hæretico.

21 Circa conditionem scientiæ, quæ requiritur ad contrahendam excommunicationem Bullæ Cœnæ; aduerte, quod talis scientia debeat esse non solùm de materia libri (scilicet quod liber contineat hæresim, vel tractet de Religione) sed etiam quod Author sit hæreticus; quia sicuti hæ duæ conditiones requiruntur ex parte libri, sic etiā requiruntur ex parte scienti, ad hoc vt scienter legens librum contraueniat prohibitioni, & incurrat excommunicationē Bullæ Cœnæ, Vgol. *part.* 2. *de censur. Pap. reseru. verb. ac eorundem libros*, §. 1. *n.* 1. Fagundez *precept.* 1. *D. calog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 21. Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 10. *n.* 39. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 39. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *canon.* 1. *q.* 36. *num.* 3. Sousa *disput.* 31 *n.* 8. & alij passim.

23 Hinc fit, quod quælibet ignorantia (etiam crassa, & affectata) excuset eruditum ab excommunicatione, licèt non semper excuset à peccato. Fagundez *precept.* 1. *decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 19. Anguian. *de legib. lib.* 4. *controu.* 4. *n.* 10. Metolla *disput.* 1. *cap.* 2. *dub.* 6. *num.* 232. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 38. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 36. *n.* 3. Suarez *disput.* 20. *de fide sect.* 2. *n.* 7. Hurtadus *disput.* 10. *de censur. difficult.* 12. Ouied. 2.2. *controu.* 12. *n.* 45. Bonacina *disput.* 1. *de censur. in particul. q.* 2. *punct.* 4. *n.* 9. Pellizzar. *tom.* 2. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 15. Diana *par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 7. & Tamburin. *lib.* 2. *in decalog. cap.* 1. §. 7. *n.* 27. Quia quando lex loquitur de facientibus aliquid scienter, procedit de iis, qui id faciunt, exclusa quæcumque ignorantia: Ergo quælibet ignorantia, quæcumque illa fuerit, excusat, iuxta ea quæ dicam infrà *dubit.* 38. *circa finem*, & *dubit.* 46. *petit.* 11. cùm verificari non possit, quod quis faciat aliquid scienter, si adsit quæcumque ignorantia.

24 Quamuis, si interueniat notabilis temeritas, locum habeat tunc excommunicatio; quia notabilis temeritas comparatur scientiæ: Doctores quos suprà citabam, præsertim Fagundez, Sanchez & Tamburinus: Non tamen videtur adesse notabilis temeritas, nisi adsit scientia, vel saltem cognitio ex testimonio alicuius viri fide digni.

25 Hinc etiam fit, quod stante scientia & seclusa quacumque ignorantia, locum habeat excommunicatio contra scienter legentem libros prohibitos, etiamsi legat absque praua intentione, sed solùm ex curiositate, quinimmò etiam ex bono fine; Vgolin. *part.* 2. *de censur. Papæ reseruat. parr.* 2. *verb. ac eorumdem libros, in principio*, Tolet. *lib.* 2. *in exposit. Bulla Cœnæ, excommunicatio* 1. *n.* 24. Fagundez *precept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 22. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 4. Trullench. *lib.* 1. *in Decalogum cap.* 3. *dub.* 9. §. 5. *n.* 22. Roccaful. *part.* 3. *Praxis lib.* 3. *cap.* 8. *dub.* 5. & alij communiter, quia prohibitio legis non respicit finem legentis, sed ipsam lectionem, quam prohibet, tamquam periculosam: ergo cùm finis legentis, tametsi bonus, non tollat è lectione, quod non sit periculosa, neque tollet à lectione, quod non sit prohibita.

DVBITATIO XXXVII.

An sub prohibitione Bullæ Cœnæ prohibentis libros scienter legi, retineri, vel imprimi, &c. contineantur breues annotationes, vel quæcumque alia breuis scriptura, vt Oratio, Concio, Quæstio, Epistola, Lectio, vel Disputatio, &c.

SVMMARIVM.

1 *Scriptura quacumque breuis, annotationes, vt oratio, concio, quæstio, epistola, lectio, vel disputatio, non continentur sub prohibitione Bulla Cœna prohibentis libros legi, retineri, vel imprimi.*

2 *Scriptura supradicta breues nomine libri propriè, & vsitatè comprehendi non solent; At verba legis pœnalis strictè & propriè desumenda sunt.*

3 *Lex Bulla Cœna prohibens, licet sit in fauorem fidei: Tamen quia ipsius immediata materia non fauorem, sed grauamen continet, scilicet priuare Catholicum etiam in fide firmum lectione, vel impressione librorum hæreticorum, & sub graui pœna, odiosa, & pœnalis reputari debet, non autem fauorabilis.*

4 *Lex Bulla non videtur extendenda vltra proprietatem verborum, esto sit fauorabilis.*

5 *Liber, sea tractatus diutius permanet, & magis euulgatur, & præterea facilius hæreses inuoluit, quæ difficilius cognoscantur.*

6 *Annotationes, lectiones, disputationes, conciones, & alia similia, necnon tractatus pertinentes ad deuotionem, & quietationem conscientiarum, simulationes fratrum, & catera huiusmodi, qua sibi inuicem communicant fratres, modo communicent ad effectum imprimendi, declarantur prohibita per interpretes sac. Concilij Tridentini, quod innouat Decretum Concilij Lateranensis sub Leone Decimo, non autem ex Bulla Cœna.*

7 *Scriptura breues prædicta dicuntur posse esse pars libri, sed quia neque sunt, neque vnquam fuerunt, ideo numquam sunt prohibita prohibitione ista Bulla Cœna: Secus de præfatione, qua de facto cum aliis partibus librum prohibitum composuit; quia prohibito libro, & partes prohibita manent.*

8 *Legens proœmium dumtaxat, vel epistolam ad lectorem, vel annexum indicem sufficiente quantitate incurrit excommunicationem, cum sint hæ partes libri, & proœmium, & epistola ad lectores declaret mentem Authoris, &c.*

9 *Quantitas, qua constituet librum, cum determinata non sit, incurret in censuram qui leget librum decem folia continentem, &c. At secus est, si sit scriptura breuis.*

10 *Scriptura omnes huiusmodi breues attenta prohibitione Expurgatorij Romani editi ex Decreto Tridentini Concilij, & attenta prohibitione Expurgatorij Hispani, si sint ab hæreticis composita, quamuis errorem non contineant, prohibita sunt sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quousque examinata, & approbata fuerint.*

RESPONDATVR negatiuè; atque ita ea probabili sententia Doctorum tenent 1
Sanch. *lib.* 2. *moral cap.* 16. *n.* 29. Bonac. *de censur. disp.* 2. *q.* 5. *punct.* 4. *n.* 18. Portell. *in additione ad dub. regular. verb. libri prohibiti, num.* 7. Sousa *in exposit. Bulla Cœna lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 55. *n.* 11. Hurtad. *disput.* 10. *de censur. difficult.* 11. Fagundez *precept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 12. Ouied. 2.2. *controu.* 12. *n.* 12. Leander *part.* 4. *tract.* 5. *disp.* 1. *q.* 44. Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *n.* 20. & Duard. *in Bull. Cœna lib.* 2. *in canon.* 1. *q.* 44. *n.* 6.

Quamuis contrarium probabiliter etiam tenent Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 10. Vgolin. *tract. de censur.* 2. *part. in glossa, ac eorumdem libros, num.* 2. Megala *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 2. *n.* 55. Farin. *de hæres. q.* 180. *n.* 30. Granat. 2. 3. *controu.* 15. *disput.* 10. *n.* 7. Trullench. *lib.* 1. *D calog. c.* 3. *dub.* 9. § 5. *n.* 16. Naldus *verb. Bulla Cœna, num.* 8. & Roccaful. *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. *dub.* 2. ex eo, quia liber paruus etiā est liber, *argum. l. schapha nauis, de euict.* Et in hoc canone Bullæ Cœnæ nomen libri nō significat

significat libri materialitatem, quatenus scilicet continet plura folia complicata, sed formalitatem, quatenus scilicet continet doctrinam, & aliquid legendum. Quod saluatur, siue sint Epistolæ, siue conciones, siue folia, siue quid aliud simile: Et in his quoque militat ratio legis, quæ est prouidere, ne ex lectione Fideles inficiantur, & hæreses propagentur. Et lex cum sit fauorabilis, non autem pœnalis: nam primò, & per se intendit fauorem fidei, & fidelium ad eos præseruandos in fide, non autem pœnam, nisi solum in subsidium suimetipsius legis prohibentis; extendi debet ad extensionem rationis; *cap. cum dilecta, de confir. vtil. vel inutil. & l. Adigere. §. quàmuis, ff. de iurepatron.*

2 Probatur tamen nostra responsio; quia supradictæ breues scripturæ nomine libri propriè, & vsitatè comprehendi non solent, at verba legis pœnalis (qualis est ista ex mox infrà dicendis) strictè, ac propriè desumenda sunt, *cap. odia, de regul. iur. in 6. l. cum quidam, ff. de liber. & posthum. l. constitutionibus, ff. ad municip. & l. 5. §. hæc verba, ff. de negot. gestis.* Tum quia ratio disparitatis afferri potest, quod in libro, seu tractatu maius periculum inuenitur; cum liber, seu tractatus latiùs diffundi, ac diutiùs conseruari soleat; & cum præterea in ipso facilius hæreses contexantur, difficiliusque cognoscantur.

3 Obicies: Hæc lex Bullæ Cœnæ prohibens, cum sit in fauorem fidei, & defensionem Catholicorum, non est lex odiosa, sed fauorabilis; Ergo debet extendi, & non limitari ad librum.

Respondetur; Nego antecedens, quia licet sit in fauorem fidei, & defensionem Catholicorum, tamen quia ipsius immediata materia non fauorem, sed grauamen continet, scilicet priuare Catholicum, etiam in fide firmum, lectione, vel impressione librorum hæreticorum, & sub graui pœna; odiosa, & pœnalis reputari debet, non autem fauorabilis. Aliàs omnis lex pœnalis, qua improbi homines puniuntur, cum sit ad bonum Reipublicæ, & defensionem innocentum, fauorabilis esset.

4 Respondetur secundò: Transeat antecedens, & sic esto sit fauorabilis, nego tamen consequentiam; quia adhuc non videtur extendenda vltra proprietatem verborum; sub nomine autem libri, seu tractatus hæ breues scripturæ non continentur.

Instabis: In his breuibus scripturis est eadem ratio, & periculum peruersionis: Ergo.

5 Respondetur: Nego antecedens, quia liber, seu tractatus diutiùs permanet, & magis euulgatur; & præterea facilius hæreses inuoluit, quæ difficilius cognoscantur. Accedit quod, esto militet eadem ratio, non comprehenduntur sub his verbis legis, vt mox suprà dicebam.

Vrgebis. Congregatio Concilij Tridentini, declarans decretum de editione librorum latum *sess. 4.* ait, comprehendere sub illo Decreto Annotationes, Lectiones, Disputationes, Conciones, & alia similia, necnon Tractatus pertinentes ad deuotionem, & quietationem conscientiarum, stimulationes fratrum, & cætera huiusmodi, quæ sibi inuicem communicant fratres, modo communicent ad effectum imprimendi, vt videre est apud Roderiq. *quæst. regular. tom. 2. q. 104. art. 1. in fine,* & Barbos. *de potest. Episcop. 3. part. allegat. 90. in fine*: Ergo.

6 Respondetur: Concedo antecedens, nempè sub illo Decreto Concilij Tridentini comprehendi Annotationes, Lectiones, Disputationes, & similes breues scripturas, ex eo, quod illud Decretum sit explicatio, & renouatio Decreti Concilij Lateranensis sub Leone X. vbi expresè ait; *Nullus librum aliquem, seu aliquam quamcumque scripturam, tam in vrbe nostra, quàm in aliis quibusuis ciuitatibus, seu diœcesibus imprimere, seu imprimi facere præsumat, nisi prius in vrbe per Vicarium nostrum, &c.* Quare non est mirum, quod tales breues scripturæ comprehendantur; quia Concilium Lateranense dixit quamcumque scripturam: Vnde potiùs retorquetur contra aduersarios Argumentum, quod è contra hic nomine libri sub prohibitione Bullæ Cœnæ hæ paruæ scripturæ non contineantur. Accedit, quod si sub nomine libri dictæ paruæ scripturæ continerentur, non liceret eos publicare sine nomine Authoris subscripti, vt Concilium expostulauit. At communis vsus obtinuit, vt hæ sine nomine Authoris communicentur, vt præter alios testatur Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 17. q. 4. in fine*, ergo. Quod autem hæ sine approbatione imprimi & cõmunicari non possint, non est, quia sub nomine libri continentur; sed quia continentur sub nomine cuiuscumque scripturæ, quæ imprimi, & publicari non potest absque approbatione ex supradicto Concilio Lateranẽsi, & tradit Azor *loc. suprà cit. q. 2.* qua de re tamẽ vide, quæ dicã infrà *dub. 46. per. 17.*

Reurgebis: Hæ omnes breues scripturæ possunt esse pars libri, saltem aptitudine, seu in potentia; Ergo hoc sufficit, vt sub prohibitione libri comprehendantur. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia quælibet pars libri hæretici, licet minima sit & diuisa ab aliis partibus, sub prohibitionem cadit; vt v.g. præfatio, vel Epistola, &c. Sed hoc non alia ratione, nisi quia prohibito libro, omnes partes, quæ fuerunt illius libri, quantumcumque diuidantur, prohibitæ manent: Ergo etiam prohibitæ manere debent partes libri, quæ possunt esse vel sunt in potentia pars libri.

Respondetur: Concedo, has omnes breues scripturas posse esse partem libri, sed quia nec sunt, nec vnquam fuerunt, ideò nunquam actu sunt prohibitæ ista prohibitione Bullæ Cœnæ; sed solum in potentia, scilicet poterant prohiberi; sicque potius retorquetur Argumentum. Secus de Præfatione, &c. quæ de facto cum aliis partibus librum prohibitum composuit; quia prohibito libro, etiam quæ sunt partes, actu prohibitæ manent. Vnde dixit Vgolinus. *loc. suprà cit.* Portell. *in dub. regular. verb. libri, in addition. n. 5.* Fagundez, *precept. 1. decalog. lib. 1. cap. 14. n. 12.* & Sanch. *cit. c. 10. n. 30.* te incurrere excommunicationem, etsi præfationem, vel proœmium dumtaxat, vel Epistolam ad Lectorem, vel annexum indicem sufficiente quantitate legas, cum hæc sint actu partes libri. Et præterea præfatio, vel proœmium, atque Epistola ad Lectorem, mentem Authoris, & simul ea, quæ in toto libro tractanda sunt, explanent, Index verò summam rerum in libro contentarum & præcipuè notandarum complectatur. 7

Quod quidem mihi certum est, si contineant hæresim, vel ex professo de Religione tractent: At dubito, si non contineant hæresim, nec ex professo de Religione tractent; quia non sunt propriè libri pars formaliter: cùm sint præparatoria quædam ad librum, & extra Argumentum, seu Tractatum libri; sed solùm dici possunt libri pars materialiter, quatenus scilicet sunt quædam folia libri. 8

Obicies secundò: Non est signata quantitas, quæ ad constituendum librum requiratur; ergo Disputatio, Concio, Quæstio, vel Annotatio, quæ decem folia contineat, liber dici poterit. 9

Resp. Transeat totũ, at secus, si sit scriptura breuior.

Obicies tertiò: Nomen libri hic, gratia frequentioris vsus videtur appositum, non quia partes, ex quibus liber componitur, excludantur: ita vt Bulla Cœnæ ideirco mentionem facere libri videatur, quia hæreses frequentius libris comprehendi, ac propagari solent: At cùm legislator vnius ex pluribus mentionem facit propter frequentiorem illius vsus, non ideo alia exclusisse putari debet, sed speciem præcipuam pro genere posuisse: Ergo.

Resp. Nego gratia frequentioris vsus, nomen libri hîc fuisse appositum, sed quia in libro malus periculum inuenitur ex rationibus, quas suprà adducebam.

Cæterum, si attẽdatur prohibitio Expurgatorij Romani editi ex Decreto Tridẽtini Concilij, vel attendatur prohibitio Expurgatorij Hispani, istæ omnes breues 10

scripturæ, si sint ab hæreticis compositæ, quamuis errorem non contineant, prohibitæ sunt sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, quousque examinatæ & approbatæ fuerint.



DVBITATIO XXXVIII.

Quænam actiones circa supradictos libros prohibitæ sint in Bulla Cœnæ, aliisque decretis Pontificiis?

SVMMARIVM.

1 *Prohibitæ sunt in Bulla Cœnæ, aliisque Decretis Pontificiis hæ actiones circa prædicta, videlicet lectio, retentio, impressio, defensio, venditio, emptio, asportatio, diuulgatio, & similes.*

2 *Excommunicatio ob istas actiones non incurritur, nisi scienter fiant quia ita statuitur in supradictis Decretis Pontificiis. Unde ignorantia prohibitionis, vel censuræ excusat à pœna.*

3 *Amplia, quod excusat etiam ignorantia crassa, & affectata, modo non sit ingens temeritas, quia laborans ignorantia etiam crassa, affectata, modo non sit ingens temeritas, adhuc scire dici non potest; si tamen adsit ingens temeritas iam adest scientia, quia ista non est sine graui suspicione malitiæ.*

4 *Excusat etiam metus cadens in constantem virum, vel proportionaliter in constantem fœminam.*

5 *Legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes librum hæretici, si ignorent librum illum esse compositum ab hæretico, excusantur ab excommunicatione.*

6 *Amplia in hoc casu excusare etiam ignorantiam crassam, & culpam latam secundum Suarez, quia in Bulla Cœnæ dicitur quod scienter hæc fiant.*

1 RESPONDETVR: Prohibitæ sunt lectio, retentio, impressio, defensio, venditio, emptio, asportatio, diuulgatio, & similes actiones. Patet ex contextibus.

2 Aduertere tamen, quod ob istas actiones non incurritur excommunicatio, nisi scienter fiant, quia ista statuitur in supradictis Decretis Pontificiis. Vnde si detur ignorantia prohibitionis, vel censuræ excusat à pœna; Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæres. q.* 180. *num.* 44. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 17. & Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 10. *n.* 38. & *lib.* 9. *de matrimon. disput.* 32. *n.* 36. & 39.

3 Aduerte secundò, quod excusat etiam ignorantia crassa, & affectata (modò non sit ingens temeritas) quia laborans ignorantia, etiam crassa, & affectata, adhuc scire dici non potest. Si tamen adsit ingens temeritas, iam adest scientia, quia ista non est sine graui suspicione malitiæ, Sanch. *cit. cap.* 10. *n.* 52. Bonac. *de censur. disput.* 2. *q.* 5. *punct.* 4. *n.* 3. & alij passim.

4 Aduerte tertio, quod excusat & etiam metus cadens in constantem virum, sicut & proportionaliter metus cadens in constantem fœminam, iuxta ea quæ *dicam dubit. sequenti num.* 10. 11. & 12.

5 Ex dictis igitur ab excommunicatione excusatur is, qui metum grauem pateretur, & qui legeret, retineret, imprimeret, vel defenderet librum hæretici, si ignoraret, librum illum esse compositum ab hæretico; Doctores quos sequitur Suarez & Sanchez *vbi supra.* Item Vgolinus in primam clausulam Bullæ Cœnæ *vers. Ac eorundem*, Pegna *in Direct. Inquisit. part.* 2. *comment.* 17. *in cap. Nouerit. de sent. excommun.* Rebuff. *in Prax. benefic. in explicat. eiusdem Bullæ Cœnæ, num.* 1. *verb. legentes*, Mascard. *de probat. lib.* 2. *concl.* 862. *n.* 7. & 17. Graff. *lib.* 4. *decis. cap.* 18. *n.* 40. & Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *q.* 1. quia talis ignorantia est ignorantia facti, quæ excusat, quando probabilis est; *cap. ignorantia, de regul. iur. in* 6. *cap. Apostolica, de cleric. excomm. ministr. l. Regula, ff. de iur. & fact. ignorant. l. Nec ignorans, Cod. de Donat. & l. Mater decedens, ff. de inofficios. testam.* & tenet Bartol. *in l. quæ dotis, ff. solut. matrim. n.* 20. Natta *lib.* 3. *cons.* 363. *n.* 3. & 4. Oldrad. *cons.* 329. *n.* 10. Corneus *lib.* 1. *cons.* 301. *n.* 14. & *lib.* 3. *cons.* 144. *n.* 10. Paris. *lib.* 1. *cons.* 20. *n.* 63. & *cons.* 60. *n.* 71. & *lib.* 1. *cons.* 12. *n.* 72. & *lib.* 3. *cons.* 69. *n.* 6. & *cons.* 99. *n.* 45. Cephal. *lib.* 1. *cons.* 29. *n.* 16. Soccin. Iunior. *lib.* 1. *cons.* 59. *num.* 6. Ioan. Baptista Costa *de fact. scient. & ignorant. inspect.* 85. & 86. Tuschus *verb. ignorans, concl.* 17. *ff. totam*, Lancellot. *de attentat. cap.* 1. *n.* 72. Gabriel *cit. de regul. iur. concl.* 6. & alij cõmuniter.

Quinimmo Suarez, Sanchez, & alij, quos suprà citabam putant, quod etiam ignorantia crassa, & culpa lata in hoc casu excuset; quia in Bulla Cœnæ dicitur 6
quod scienter hæc fiant: At quando excommunicatur qui fecerit aliquid scienter, tunc ab illa excommunicatione excusatur ob quamlibet ignorantiam, nisi esset illa notabiliter crassa, & lata: sicuti dicebam, & docet Bartol. *in l. si adulterium, in principio n.* 11. *ff. ad leg. Iul. de adulter.* Ancharan. *in Clement. vnica de consanguin.* Imola *ibidem n.* 4. Syluester. *verb. ignorantia, q.* 8. *dicto* 4. Couarruu. *in* 4. *Decretal. part.* 2. *cap.* 6. § 8. *num.* 21. & *in cap. alma mater, part.* 1. § 10. *n.* 17. Nauarr. *in summa cap.* 27. *n.* 121. & Henriquez *lib.* 13. *cap.* 23. Vide quæ dicebam suprà *dubit.* 36. *in Appendice circa finem*, & quæ dicam infrà *dubit.* 46. *petit.* 13.



DVBITATIO XXXIX.

Quid dicendum de Lectione.

SVMMARIVM.

1 *Legens libros hæreticorum licet secundùm aliquos Doctores incurrat excommunicationem Bullarem, etiamsi non intelligat, vtpotè si legens non intelligat linguam latinam, qua liber est conscriptus: Attamen secundum saniorem sententiam non incurrit; quia legere sine intelligentia sensus, est tantum legere materialiter, & Bulla prohibet legere formaliter, vltra quod legere, & non intelligere, cum non habeat effectum lectionis, est non legere.*

2 *Retinens libros hæreticorum, etiamsi eos non intelligat, incurrit censuram ob aliam specialem actionem contrariam ordinationi Ecclesiæ de non conseruandis dictis libris, quæ non militat in lectione tantum materiali.*

3 *Audiens legentem istos libros, licet non fuerit causa lectionis, neque induxerit aliquo pacto ad legendũ, probabilius est, quod euitet censurã, contra nõnullos.*

4 *Leges pœnales extendi non debent vltra propriam significationem verborum, at sub verbo legentis non comprehenditur audiens legere, tametsi ad legendum legentem induxerit; cum neque inductio ad legendum, neque auditus sit lectio; siquidem legere propriè est visu, & mente scripta percurrere.*

5 *Censura lata contra facientes non comprehendit mandantes, suadentes, vel iubentes, nisi exprimantur.*

6 *Periculum in modo legendi libros per alium non est idem, ac in lectione facta per propriam personam, contra Suarez; quia auditus non potest esse sine Tertio: secus autem lectio, &c.*

7 *Lectionem prohibendi ratio non est, ne quocumque modo percipiatur doctrina praua, sed media ita facili, & secreto, qualis est lectio.*

8 *Verborum*

8 *Verborum intelligentia, seu perceptio licet sit præcipua pars lectionis, dari tamen non potest per visum proprium sine perceptione.*

9 *Lectionis auditus impropriè, & metaphoricè dicitur lectio per alium: At in legibus pœnalibus fieri non debet extensio ad sensus improprios, & metaphoricos.*

10 *Famulus de mandato Domini legens, si sensum verborum percipit, absque dubio excommunicationem aduersus legentes latam incurrit, nisi forsan ignorantia, vel periculo damni grauis excusetur.*

11 *Excipe, nisi in contemptum fidei compulsus id faciat.*

12 *Hæresis malignus effectus si sequeretur ex eiusmodi mandato, vel suasione, excommunicatio contraheretur, quatenus illa in hæreticorum fautores decreta est.*

13 *Paruitas materiæ excusat etiam à dicta censura, etiamsi quisque intenderit plura folia libri prohibiti legere, & pœnitentia ductus post paucas lineas destiterit, contra aliquos.*

14 *Lectio illa licet sit peccatum mortale, non est tamen mortale ex ratione lectionis exterioris, sed ex voluntate, à qua orta fuit: At excommunicatio non punit intentionem, sed illius executionem, in qua executione non est materia grauis peccati mortalis.*

15 *Paruitas materiæ extenditur secundùm plures Doctores ex maioribus voluminibus, eo quod non videatur in tam breui lectione adesse regulariter graue periculum, quamuis dissentiant alij, vt Suarez, & Bonacina, quod hæc extensio sit minima.*

16 *Paruitas materiæ, quæ excuset à peccato mortali, & à censuris datur etiam in lectione prohibitorum, quia datur in aliis rebus, exceptis iis, quæ spectant ad virtutes theologales, quia tunc, cum immediatè attingatur Deus, iniuria nequit dici parua, sicut in iuramento assertorio.*

17 *Opinio asserentium, quod excommunicationem incurrat is, qui etiam legeret vnam lineam, si tamen contineret integram, & perfectam hæresim, quia tunc infici posset lector hæresi, & peruerti, non probatur, &c.*

18 *Hæretici authoris librum percurrens mente, absque voce, non euitat censuras, quia legere, etiamsi propriè, & non metaphoricè sumatur, non necessariò requirit, quod voce lectio proferatur.*

19 *Hæretici authoris librum legens non ob hæresim, quam continet, sed ob curiositatem, vel ob Doctoris elegantiam, non euitat censuras, & etiam si dictum librum legat ad impugnandum hæresim, quia non solùm ob periculum peruersionis, sed etiam ob alias causas lectio librorum hæreticorum prohibetur, contra aliquos Doctores.*

20 *Tenens memoria librum aliquem ab hæretico compositum, vel memoriter recitans, euitat censuras, quia id non est propriè librum legere: Et idem dic de audiente memoriter recitare.*

21 *Hæretici authoris librum legens in ea tantum parte, quæ hæresim non continet, nec de religione tractat, si in notabili quantitate, quæ excedat paruitatem materiæ, non euitat excommunicationem Bullæ Cœnæ, quia vniuersaliter, & non solùm ob periculum peruersionis, sed etiam ob alias causas huiusmodi lectio prohibetur.*

22 *Prohibitio de non legendo libros hæreticorum fit non solùm, ne quis legens huiusmodi libros incidat in hæresim, sed etiam ne se exponat periculo incidendi in illam.*

23 *Hæretici Authoris librum legens, etiamsi lector sit iam hæreticus, non euitat excommunicationem Bullæ Cœnæ, etiamsi legat librum à se compositum, vel illum retineat.*

24 *Hæretici Authoris librum legens, etiamsi lector sit Episcopus, Primas, Cardinalis, vel alius Prælatus, non euitat excommunicationem Bullarem.*

25 *Priuilegia concessa Episcopis, & aliis Prælatis legendi libros hæreticorum, reuocata fuerunt à Iulio III. Paulo IV. & Pio IV.*

26 *Inquisitores, & Commissarij à Sede Apostolica pro tempore deputati possunt legere, & retinere libros hæreticorum, si habeant specialem licentiam, vel à summo Pontifice, vel à Congregatione Cardinalitia, alias non, tùm priuilegia de dictis libris legendis sint iam reuocata, & alia esse concessa, nullibi constet: quod est probabilius.*

RESPONDETVR, quatenus spectat ad legentem, sed sensum verborum non intelligentem, vt si liber esset Latinus, & legens non intelligeret linguam Latinam, vel non intelligeret materiam, de qua tractatur in libro; licèt Megal. *part.3. lib.3. cap.1. num.145.* Nald. *in summa verb. Bulla Cœnæ, num.10.* Bonacina *disp.1. de censuris in particular. quæst.2. punct.4. num.13.* & alij putent, quod talis legens incurrat excommunicationem Bullæ: moti ex eo, quia legere stat sine intelligentia, *l.1. §. legi, ff. de his quæ in testam. delen.* ibi: *Legi autem sic accipiendum est, non intelligi, sed oculis prospici quæ scripta sunt.* Tum ex eo, quia retinens librum, etiamsi illum non intelligat, excommunicationem incurrit ex sola retinentia libri: Ergò & qui legit librum, etiamsi illum non intelligat, excommunicationem incurret ex sola lectione libri: Nihilominus oppositum, quod tenent Vgolin. *de censur. Papæ reseruat. part.2. verb. ac eorundem libros, §.1. vers.5.* Sanch. *lib.1. moral. cap.10. n.51.* Portell. *in addit. ad dub. regul. verb. libri prohibiti, n.11.* Suarez *de fide disp.20. sect.2. num.18.* Filiuccius *tom.1. tract.22. cap.7. num.207.* Diana *part.1. tract.11. resol.36.* Duard. *in Bull. Cœnæ lib.2. canon.1. quæst.47. num.5.* Sousa *disp.13. num.5.* Fagund. *præcept.1. Decalog. lib.1. cap.14. num.30.* Ouied. *2.1. controu.12. num.19.* Tamburin. *lib.2. in Decalog. cap.1. §.7. n.31.* Trollench. *lib.2. in Decalog. cap.3. dub.9. §.3. num.2.* Roccaful. *part.3. praxis lib.3. cap.8. dub.7.* & Leander *de censuris tract.3. disp.1. q.55.* est multò probabilius.

Probatur, quia legere sine intelligentia sensus eorum quæ leguntur, est tantum legere exterius, physicè, seu materialiter. At in Canone Bullæ Cœnæ prohibetur non hoc legere materialiter, sed prohibetur legere formaliter, scilicet cum intelligentia sensus eorum, quæ leguntur, cum non legere materialiter, sed solùm legere formaliter inferat infectionis periculum, & in doctrina cum hæreticis communicationem: quæ sunt ratio prohibitionis, ne libri tales legantur: Ergo, cùm in legere materialiter cesset ratio prohibitionis, cessat etiam in legere materialiter prohibitio; *cap. ratio nulla, de præbend. leg. cum pater, §. dulcissimis, ff. de legat. 2. & leg. non aliter, ff. de legat. 3.* Non sic autem similiter in legere formaliter cessat ratio prohibitionis, etiam si qui legit formaliter, certò putet, se non casurum, quia adhuc dubitare potest, ne cadat: Et quia sic communicans saltem cum hæreticis in eorum doctrina, eorum scilicet libros legendo.

Confirmatur, quia legere, & non intelligere, cùm non habeat effectum lectionis, est non legere: Ergo cùm paria sint, non fieri, & non sortiri effectum, *l.1. §. Nihil, ff. de interrogat. act. & l. ex consensu, §.1. de appellat.* legere, & non sortiri effectum lectionis, qui est lecta percipere, habebitur pro non legere.

Non obstat textus in contrarium adductus, quia procedit de legere exteriori, physico, seu materiali, quod dicebam.

Neque obstat ratio, quod scilicet retinens tales libros, etiamsi eos non intelligat, incidat in excommunicationem; quia retinere est alia specialis actio, quæ tanquam contraria intentioni Ecclesiæ de non con-

seruandis, sed destruendis his libris sub excommunicatione prohibetur specialiter.

Ex his sequitur, quod qui habet licentiam legendi tales libros, possit facere, eos sibi legi à quocumque, qui siue ex eo, quod sit imperitus materiæ, de qua tractatur in libro (sicuti suprà dicebam) non intelligat.

Petitio Prima.

An euites censuras, si alium istos libros legentem audias?

3 Conueniunt Doctores mox infrà citandi, quod si casu audias legentem, euites censuras, quia non influis in actionem vetitam, sed merè passiuè te habes, Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. Graff. *part.* 1. *decision. lib.* 4. *cap* 18. *num.* 45. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 48. Coninch. *disp.* 18. *de fide dub.* 11. *num.* 178. Naldus *in summa verb. Bullæ Cœnæ, num.* 14. Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *num.* 32. & alij communiter.

Si tamen accedas ad audiendum legentem; quidam vt Suarez *disput.* 20. *de fide sect.* 2. *num.* 19. Alterius *de censur. tom* 1. *disp.* 2. *lib.* 5. *cap.* 6. *col.* 2. Megal. *in* 3. *part. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 38. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 35. Roccaful. *part.* 3. *Praxis lib.* 3. *cap.* 8. §. *de legentibus, dub.* 15. & Leander *de censur. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 59. volunt, quod non euites censuras, quia tunc non merè passiuè te habes, sed quodammodò influis, vt is saltem legere perseueret.

Alij, vt Saytus *Thesaur. tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 14. *& lib.* 3. *de censur. cap* 5. *num.* 14. Graff. 1. *part. decis. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 45. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 4. Alterius *lib.* 5. *de censur. disp.* 1. *cap.* 6. *dub.* 2. Leander *part.* 4. *tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 58. Roccaful. *part.* 3. *Prax. lib* 3. *cap.* 8. *de legentibus, dub.* 14. Suarez *disp.* 20. *de fide sect.* 2. *num.* 19. Megal. 3. *part. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 38. & Naldus *vbi suprà*, distingount: Si tuo consilio, iussu, vel mandato non es causa lectionis, euitas censuras, secus, si aliquo modo legentem induxisti ad lectionem.

Probant, quia in priori casu dici non potes propriè legere, etiam per alium; cùm alius non nomine tuo legat, neque lectio illius tibi tribui possit. At quandò consulis, iubes, vel mandas, verè dici potes, legere medio alio. Quod videtur sufficiens, vt sub nomine legentis comprehendaris. Præsertim in prohibitione, quæ bonum commune, & fidei defensionem respicit. His tamen non obstantibus.

Respondetur, oppositum, quod docent Vgolin. *de casib. Papæ reseruat. part.* 2. *verb. Ac eorundem libros,* §. 1. *num.* 4. Reginald. *lib.* 9. *num.* 251. Fagund. *præcept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 27. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 10. *num.* 48. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *canon.* 1. *quæst.* 48. *n.* 5. Bonacina *disp.* 1. *de censur. in particular. quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 11. Scortia *in Bull. select. Theor.* 410. Coninch. *disp.* 18. *de fide num.* 178. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9 § 5. *num.* 14. Ouied. 2.2. *contron.* 12. *num.* 20. Tamburinus *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *num.* 33. Pellizarius *tom* 2. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 8. Filiuceius *tract.* 16. *cap.* 1. *quæst.* 8. *num.* 45. Sousa *in Bull. Cœnæ cap.* 2. *disp.* 14. *num.* 4. Portell. *in addition. ad dubia regularium verbo libri prohibiti, num.* 11. Nauarrus *in summa cap.* 27. *num.* 56. & Farinacius *de hæresi quæst.* 180. *circà finem.* Te scilicet lectionem audientem in vtroque casu euitate censuras, videtur mihi probabilius.

4 Probatur, quia leges pœnales extendi non debent vltrà propriam significationem verborum: At sub verbo *legentis* propriè, quidquid sit impropriè, & metaphoricè, non comprehenditur audiens legentem, quamuis legentem ad legendum induxerit, cum neque inductio ad legendum, neque auditus lectionis sit lectio, siquidem legere propriè est visu, & mente scripta percurrere: Ergo ob auditum lectionis, cuius audiens causa fuit, non potest sub prohibitione contrà legentes lata comprehendi.

5 Confirmatur, quia censura lata in facientes, non comprehendit suadentes, iubentes, vel mandantes, nisi exprimantur, vt communiter tradunt Doctores in materia de censuris, inter quos Caietanus *verb. excommunicatio, in principio,* Syluest. *eodem verbo excommunicatio vltimò, quæst.* 4. *dicto* 3. & Ledesma 2. *part. quæst.* 26. *art.* 2. *in principio.*

6 Obiicies ex Suarez. Idem est periculum in modo legendi libros per alium; ac est in lectione facta per propriam personam: Ergo, &c. Cum vbicumque militat eadem ratio prohibitionis, qualis est in casu nostro periculum infectionis, militet etiam eadem prohibitio, iuxta textum *in cap. ex parte, de postulando,* vbi prohibitio aduocandi facta Monachis, declaratur, quod comprehendat etiam Canonicos Regulares.

Respondetur. Nego antecedens, quia auditus non potest esse sine tertio, secus autem lectio. At non ita facilè committitur peccatum, cum indiges tertiò, quam cum solus potes præstare.

Respondetur secundò: Transeat antecedens: At nego consequentiam, quia cùm auditus non comprehendatur sub lectione, non potest prohibitio extendi ad auditum.

7 Obiicies secundò: Ratio prohibendi lectionem medio visu, est ne percipiatur doctrina praua, sed per auditum percipitur efficacius: Ergo lectio per auditum est saltem æque prohibita.

Respondetur: distinguo maiorem. Ratio prohibendi lectionem est, ne percipiatur doctrina praua, quocumque modo, nego; medio ita facili, & secreto, qualis est lectio, cuius facilitas, & secretum non potest esse in auditu, concedo.

8 Obiicies tertiò: Lectio duplicem actionem includit, prolationem verborum, & illorum intelligentiam, seu perceptionem: At hæc secunda est præcipua pars lectionis: Ergo ratione illius potes dici verè legere.

Respondetur: Concedo, verborum intelligentiam, seu perceptionem esse præcipuam partem lectionis: At nego, sine perceptione per visum proprium dari posse lectionem.

Obiicies quartò: Qui per alium facit, per seipsum facere videtur: Ergo.

Respondetur: distinguo antecedens: In contractibus, concedo, in aliis, subdistinguo: quoad culpam, seu peccatum, concedo: quoad pœnas, nego, nisi eædem pœnæ, quæ sunt impositæ contra facientes, expressè sint extensæ etiam ad mandantes, iubentes, vel consulentes, &c.

9 Atque hinc patet ad fundamentum secundæ sententiæ distinguentis: Respondetur enim ad illud ex dictis, impropriè, & metaphoricè dici auditum lectionis esse lectionem per alium, & in legibus pœnalibus (qualis est hæc, vti supra *dubit.* 37. dicebam) non debere fieri extensionem ad sensus improprios, & metaphoricos.

10 Aduerte tamen, quod famulus de mandato Domini legens, si scilicet sensum verborum percipit; excommunicationem aduersus legentes latam incurrit, cum magis teneatur obedire Ecclesiæ, quàm Domino, cui non obligatur seruire, nisi in rebus licitis, Fagundez *præcept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 28. Leander *de censur. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 57. Vgolinus, Duardus, Portellus, *in locis suprà citatis,* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 4. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 49. & Scortia *Theorem.* 410. Nisi ex ignorantia, vel ex periculo damni notabilis, sicque ex metu cadente in constantem virum excusetur, quia leges humanæ, qualis est hæc prohibitio sub pœna excommunicationis, seu præcepta Ecclesiæ, vtpotè de iure humano, seu positiuo, non obligant cum tanto incommodo, & rigore, Henriquez *lib.* 13. *cap.* 21. *num.* 1. Aragon. 2.2. *quæst.* 62. *art.* 3. *dub.* 1. Valentia *part.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 6. *quæst* 4. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap* 11. *quæst.* 1. Suarez *disp.* 6. *de censur.*

censur.sect.3.num.1. Sanchez *lib.1. moral.cap.18.num.4.* Sotus *de iustit.lib.1.q.6.art.4.* Couarruu. *in cap. Alma, part.1.§.3.n.vlt.* Corduba *in summa quæst.137. dicto 4.* & alij communiter.

11 Excipe, nisi in fidei, vel Ecclesiæ contemptum compulsus id faciat, quia tunc ne faciat, etiam vitam curare non debet, cùm vita hominis absque vlla comparatione sit in ordine inferiori ad fidem, & religionem: Quapropter tunc, si faceret, peccaret mortaliter contra præceptum profitendi fidem, quod cum sit de iure diuino, obligat etiam cum quocumque periculo vitæ; non tamen incideret in excommunicationem, quia cùm hæc ex dictis sit de iure humano positiuò, seu Ecclesiastico, non habet locum, quotiescumque subiretur magnum incommodum, nedum periculum vitæ, Vgolin. *part.1.de censur.reseruat. Summo Pontifici, verb. At eorundem libros, §.1. num.4.* Fagundez *precept.1. Decalogi lib.1. cap.14. num.28.* Sanchez *lib.2. moral. cap.10. num.49.* & Duard. *in Bull. Cœnæ lib.2. Canon.1. quæst.48. num.14.*

12 Aduerte secundò, quod si ex huiusmodi mandato, vel suasione, &c. malignus effectus hæresis sequeretur, tunc ex alio capite contraheretur excommunicatio, quatenus scilicet hæc in hæreticorum fautores directa est.

Ex dictis sequitur, quod si qui legit, habet licentiam legendi libros prohibitos, licitè sine peccato, & excommunicatione legit, & qui audit etiam sine prædicta licentia, licitè quoque sine peccato, & excommunicatione audit: Quod si talis, qui audit, exponit se periculo peruersionis ex lectione audita, tunc & qui audit, licet in excommunicationem non incidat, peccabit, quia scilicet exponit se tali periculo: Et qui legit similiter, licèt in excommunicationem similiter non incidat, etiam peccabit, quia sic proximo scandalum præbet: Quin etiam qui sic legit cum dicta licentia, si legendo exponit se periculo peruersionis, dupliciter peccabit, & quia scilicet sic se exponit periculo, & quia sic proximo scandalum præbet, vti dicebam.

Petitio Secunda.

An euites censuras ob paruitatem materiæ, præsertim si à principio intendisti legere multum?

13 Svppono, quod licet Vgolin. *part.2. de censur.reseru. Summo Pontifici, verb. Ac eorundem libros, §.1.* & Toletus *lib.1. in explicat. Bullæ Cœn. excommunicatio 1. num.24.* putent, quod hîc paruitas materiæ non excuset à censuris ex eo, quia in quacumque paruitate materiæ contineri potest hæresis, & imbibi ab eo, qui legit: Probabilius tamen excuset, sicut excusat à peccato mortali, quia ex genere suo paruitas materiæ, quæ hîc datur, vt dicetur infra circa finem petitionis sequentis, excusat à mortali. Ergo & à censuris in quocumque genere, quæ supponunt peccatum mortale, Suarez *disp.20. de fide sect.2.n.20.* Viuald. *in Candelabr. in expositinn. Bull.Cœn.n.11.* Sayr. *lib.3. de censur.cap.5. num.12.* Azor. *part.1. lib.8. cap.16. quæst.3.* Mendoza *de fide disp.76.§.311.* Roderiq. *in Bull.Cœn.§.9.num.68.* Sanchez *lib.2. moral.cap.10.num.31.* Graff. *part.1. decis. lib.4. cap.18. num.45.* Fagundez *precept.1. in Decalog. lib.1. cap.14. num.3.* Sà *verb. excommunicatio in Bull.Cœn. num.3.* Duardus *in Bull.Cœn.lib.2. canon.1. quæst.47. n.4.* Alterius *lib.5. de censuris cap.6. dub.1.* Becanus *tract.15. de fide quæst.8. num.8.* Bonacina *de censuris in particulari disp.1. quæst.2. punct.4. num.14.* Diana *part.5. tract.5. resolut.42.* Portell. *verb. libri prohibiti, num.7.* Filiuc. *tract.22. num.204.* Leander *de censur. tract.3. disp.1. quæst.60.* & alij mox infrà citandi. His suppositis.

Respondetur, quod licet quidam, vt Vgolinus *in tract. de censur.2.part.Gloss.ac eorundem libros, num.1.* & Tolet. *lib.1. cap.19. num.9.* negent, præsertim si à principio intendisti legere plura folia libri prohibiti, & posteà pœnitentia ductus post paucas lineas destitisti: moti ex eo, quia iam illa actio exterior est peccatum mortale, atque adeò sufficiens ad incurrendam censuram: Probabilius tamen sit oppositum, quod docent, Azor. *tom.1. lib.8. cap.16. quæst.3.* Suarez *de fide disp.20. sect.2. num.20.* Coninch. *disp.18. dub.11. num.179.* Sanchez *lib.2. moral. cap.10. num.31.* & alij passim: te scilicet, qui paucas lineas legeres, etiamsi priùs animum habuisses legendi plura folia, non contrahere, sed euitare censuras.

Probatur, quia licet lectio illa sit peccatum mortale, non est tamen mortale ex ratione lectionis exterioris, sed ex voluntate, à qua orta fuit, sicut si animo multum furandi, assem solum assumeres, & statim desisteres, peccatum quidem mortale committeres, non ex exteriori furto, sed ex praua intentione multum furandi: At excommunicatio non punit intentionem, sed illius executionem, in qua executione non est materia grauis peccati mortalis; cùm regulariter non videatur esse graue periculum peruersionis in lectione quatuor, quinque, vel etiam decem linearum: Ergo, &c. 14

Cæterùm paruitatem materiæ, ità vt legens libros hæreticorum excusetur à peccato mortali, & ab excommunicatione, quæ continetur in Bulla Cœnæ contra legentem libros hæreticorum, vel ab alia excommunicatione, quæ continetur in indice contra legentem alios libros prohibitos: 15

Quidam, vt Suarez *de fide disp.20. sect.1. num.10.* & Azor. *tom.1. lib.8. cap.16. quæst.3.* putant esse, cum sic non subsit magnum periculum infectionis in legendo, si quis legat paucas lineas, vnam scilicet, vel alteram.

Alij, vt Graffius *lib.4. decis.cap.18.* Mendoza *de fide disp.76. §.311.* propter eandem rationem putant, esse, siquis legat lineas tres, vel quatuor.

Alij, vt Sayr. *lib.3. de censur.cap.5. num.12.* Merolla *tom.1. disp.1. cap.2. corollar.7. difficult.3. num.344.* & Pesant. *2.2. quæst.56. art.2. disp.5.* propter eandem etiam rationem putant, esse; siquis legat lineas decem.

Alij, vt Viualdus *in explicat.Bull.Cœn.cas.1.num.11.* Roderiq. *in addit. ad Bull. Cruciat. §.6. num.68.* Fagundez *precept.1. Decalog. lib.1. cap.14. num.3.* Alterius *tom.2. de censur. dub.10. in Bull. Cœn.* Sà *verb. excommunicatio Bullæ, num.2.* Sanchez *lib.2. moral.cap.10. num.31.* Coninch. *disp.18. dub.11. num.179.* Duardus *in Bull. Cœn. lib.2. canon.1. quæst.46.* Filiucc. *tom.2. tract.22. cap.7. num.204.* Portell. *in addit.ad dub.regul. verb. libri prohibiti, num.7.* Farinac. *de hæresi quæst.180. num.13.* Diana *part.1 tract.11 resol.30.* Tamburin. *lib.6. in Decalog. cap.1. §.7. num.35.* Roccaful. *part.3. lib.3. cap.8. dub.3.* Baldell. *lib.1. de fide disp.45. num.14.* Leander *part.4. tract.3. disp.1. quæst.61.* & Trullench. *lib.1. in Decalog. cap.3. dub.9. num.17.* Propter & eandem etiam rationem putant esse, siquis legat (tametsi liber sit ex voluminibus maioribus) vnam paginam, quia non videtur scilicet, vti dicebatur, in tam breui lectione subesse magnum periculum infectionis in legendo: Quamuis Suarez, & Bonacina *in locis supra citatis*, censeant, quod hæc sit extensio nimis laxa, cùm simus in materia periculosa, in qua propterea non sint laxandæ habenæ, sed potiùs restringendæ. Videri poterit etiam Molfesius *part.1. lib.3. cap.1. num.49.*

Alij, vt Becanus *tract. de fide cap.15. quæst.8. num.7.* & etiam Suarez, Pesantius, & Diana putant esse, si quis legat tantum, vt per id, attentis aliis circumstantiis, se exponat notabili periculo infectionis in legendo, quia non in omnibus legentibus, cùm alij aliis facilius decipi possint, & cum præterea aliæ aliis partibus libri, qui legitur, peiora contineant, si tantundem legant, est æquale periculum, sicut non in omnibus patientibus furtum: cum qui patiuntur furtum, sint alij aliis pauperiores,

petiores, & in statu deteriori, si tantundem dependant, est æquale damnum. Neque in omnibus ieiunantibus, ex sententia multorum, cùm alij alijs sint maioris complexionis, & maioris ciborum indigentiæ; si in colatione serotina tantundem desumant, est æquale ieiunij fractionis periculum.

Sicut igitur in materia furti (vt etiam ex sententia multorum in materia ieiunij proportionaliter) illa dicitur materia parua, per quam, spectatis circumstantiis, non infertur graue damnum illi, cui res aufertur, ita in præsenti ea dicitur materia parua, per cuius lectionem, inspectis circumstantiis libri, legentis, &c. non infertur graue periculum peruersionis ipsi legenti.

Quæ explicatio fundatur in ratione prohibitionis; quia librorum lectio prohibetur, vt causatiua infectionis, & ideò illa lectionis quantitas erit parua materia, quæ nullam, vel minimam vim habet inficiendi; vt si qui legit, præsertim si non sit facilis deceptionis, legat librum in ea parte, quæ continet rationes, quibus probatur hæresis; quia talis lectio trahendi assensum vim magnam non habet. E contra verò illa lectionis quantitas non erit parua materia, quæ magnam vim habet inficiendi, vt si qui legit, præsertim si sit facilis deceptionis, legat librum in ea parte, quæ continet rationes, quibus probatur hæresis, quia e contra talis lectio trahendi assensum vim magnam habet. Videatur præter alios Merolla *vbi suprà num. 344.* Qui rectè propterea eum, qui legit in libro propositionem hæreticam, sed non rationes, quibus probatur propositio talis hæretica, à mortali, & excommunicatione excusat ratione paruitatis materiæ.

16 At quidquid sit de hoc, quantánam scilicet sit hîc paruitas materiæ, vt legens libros hæreticorum excusetur à mortali, & ab excommunicatione, quæ continetur in Bulla Cœnæ contra legentem libros hæreticorum, vel ab alia excommunicatione, quæ continetur in indice contra legentem alios libros prohibitos; dicendum interim est, quod detur hîc aliqua quantacumque illa sit, paruitas materiæ, quæ à mortali, & ab excommunicatione legentem excuset, quia datur paruitas materiæ in omnibus rebus, præterquam in iis quæ spectant ad virtutes Theologales, scilicet ad Fidem, Spem, & Charitatem, & etiam ad iuramentum assertorium; quia cum tunc, tanquam obiectum immediatum, & proximum, attingatur Deus, quamuis obiectum mediatum, & remotum sit paruum, v. gr. a, quamuis quoad Fidem in re parua non credatur Deus, & sic proportionaliter quoad Spem, & Charitatem, & quamuis etiam in re parua in testem falsi adducatur Deus, semper grauis iniuria infertur Deo.

Confirmatur, quia excommunicatur, qui legit librum Authoris hæretici, vel alium librum prohibitum: At qui legit paruam quantitatem libri, non dicitur legere librum: Ergo.

Confirmatur secundò, quia in legendo potest esse periculum infectionis maius, & minus, quin etiam nullum, vti suprà dicebam: Ergo, &c.

17 Hinc minùs mihi probatur opinio eorum, qui volunt, quod excommunicationem incurrat is, qui etiam vnam lineam, si ea vna linea contineat integram, & perfectam hæresim, legit, quia tunc, inquiunt ipsi, lector potest tali hæresi infici, & ex tali lectione peruerti. Quapropter, subdunt iidem, meritò voluit Ecclesia sub pœna excommunicationis id prohibere, vt sic scilicet, omne periculum infectionis, seu peruersionis à legente remoueret. At minùs rectè, vt patet ex iis, quæ dicebam suprà.

Et multò minùs mihi probatur opinio aliorum, vt Toleti *lib. 1. cap. 19. num. 9.* vbi ait, quod excommunicationem incurrat is, qui legit librum Authoris hæretici, vel quemcumque alium prohibitum, siue legat paucas, siue multas lineas, & Vgolini *in 1. claus. Bull. Cœn. verbo legentes, num. 1. vers. 9.* vbi inquit, quod excommunicationem etiam incurrat is, qui similiter legit librum Authoris hæretici, vel quemcumque alium prohibitum, siue liber sit magnus, siue paruus, ita vt simpliciter non detur hic paruitas materiæ, quæ à mortali, & ab excommunicatione legentem excuset. At multò minùs rectè, vti patet etiam ex iis, quæ dicebam suprà. Vide etiam, quæ dicam infrà *dubit. 44. num. 14. & seqq.*

Petitio Tertia.

An euites censuras, si oculis, & mente solum absque voce, siue pronunciatione librum Authoris hæretici percurras?

Respondetur negatiuè, quia legere, etiamsi propriè, & non metaphoricè sumatur, non necessariò requirit, vt voce seu pronunciatione lectio proferatur, sed sufficit, vt ex libro hauriatur notitia eorum, quæ in ipso continentur, quod fit sufficienter, dum liber oculis, & mente solum absque voce, seu pronunciatione percurritur, Vgolin. *in primam clausulam Bullæ Cœnæ, vers. Ac eorumdem, num. 2.* Suarez *tract. de fide disp. 20. sect. 2, num. 18.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 41.* & Grassius *lib. 4. decis. cap. 1. num. 45.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 9. §. 5. num. 11.* Rocaful. *part. 3. praxis lib. 3. cap. 8. dub. 6.* Leander *de censur. tract. 3. disp. 1. quæst. 54.* Sousa *in Bull. Cœn. cap. 12. disp. 13. num. 5.* Bonacina *de censur. in particular. disp. 1. quæst. 2. punct. 4. num. 12.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 1. quæst. 36. n. 31.* & Fagundez *præcept. 1. Decalog. lib. 1. cap. 14. num. 23.* 18

Petitio Quarta.

An euites censuras, si librum Authoris hæretici legas, non ob hæresim, quam continet, sed ob curiositatem, vel ob Doctoris elegantiam?

Respondetur etiam negatiuè. Quod adeò verum est, vt idem dicendum sit, si dictum librum legas ad impugnandam hæresim, quia vniuersaliter, & quomodocumque, scilicet non solum ob periculum peruersionis, sed etiam forsan ob alias causas, iuxta ea quæ dicam *dubit. 46. petitione 1.* non solùm ob periculum peruersionis, quod nunquam certo abest, iuxtà illud: *Qui putat, se non casurum, videat, ne cadat:* Sed etiam ob alias causas, iuxta ea, quæ dicebam suprà in principio dubitationis, & dicam infrà *dub. 46. petit. 1.* prohibetur lectio librorum hæreticorum. Vgolinus *vbi suprà num. 3.* Sanchez *num. 40.* Suarez *de fide disp. 20. sect. 2. num. 21.* Tolet. *lib. 1. cap. 19. num. 9.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 6.* Decian. *in tractat. crimin. lib. 5. cap. 17. vers. 33.* Farinac. *de hæresi quæst. 180. §. 1. num. 39.* & Riccinl. *de iur. person. lib. 5. cap. 25. num. 5.* 19

Quidquid in contrarium (scilicet licitum esse legere, & retinere libros hæreticorum ad refellendos eorum errores) dixerint Mascard. *de probation. lib. 1. conclus. 862.* Albertin. *tract. de agnoscend. assertion. quæst. 28. num. 4. & 5.* Carret. *tract. de hæretic. num. 125.* Felinus *in cap. si quis Episcopus, circà finem, de hæretic.* quatenus ait, non esse inconueniens, quod libri prohibiti legantur ad fidem confirmandam; & Addent. ad Roman. *singul. 326. vers. Limita*, quatenus inquiunt, esse licitum, retinere libros hæreticorum gratia eos confutandi.

Petitio Quinta.

An euites censuras, si memoria tenens librum aliquem ab hæretico compositum, etiam cum attentione ad librum illum, iam prius lectum, memoriter recites?

Respondetur è contra in tali casu affirmatiuè, quia id non esset, propriè legere librum, cum lectio 20
propriè

propriè requirat librum præsentem: Doctores mox infrà citandi & quamuis Graffius *part. 1. decis. lib. 4. c. 18. n. 45.* tenear, quod tu memoriter recitans talem librum, aut partem illius, non euites excommunicationem Bullæ Cœnæ, & ex parte approbet Saye *lib. 3. de censur. cap. 5. num. 13.* admittens solùm, quod euites, si recites bono fine: Nihilominùs absolutè dicendum est, quod euites, Nauarr. *in summa cap. 27. n. 56.* Sanchez *lib. 2. moral. c. 10. n. 47.* Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 16. q. 4* Fagundez *precept. 1. Decalog. cap. 14. num. 25.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. quæst. 19. n. 1.* Filliuc. *tract. 16. c. 2. q. 8. n. 45.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 9 § 5. n. 24.* Roccaful. *part. 3. Praxis cap. 8. §. de legentibus, dub. 16.* Leander *de censur. tract. 3. disp. 1. quæst. 5.* Vgolin. *part. 2. de censur. Papæ reseruat. verb. Ac eorundem libros, §. 5. num. 4.* & Suarez *disp. 20. de fide sect. 2. n. 18.* quia memoriter recitare librum, tametsi prauo animo fiat, non est propriè legere librum, sicque non est ratio, quæ sub dicta excommunicatione prohibeatur.

Idemque dicendum de eo, qui audit te memoriter recitantem, quin etiam & te propriè legentem libros hæreticorum, iuxtà ea, quæ dicebam suprà *petit. 1. circa finem.*

Petitio Sexta.

An euites excommunicationem Bullæ Cœnæ, si in notabili quantitate, quæ excedat paruitatem materiæ, legas librum Authoris hæretici in ea tantùm parte, quæ hæresim non continet, nec de Religione tractat?

21 RESpondetur negatiuè, si scilicet talis liber in aliqua parte hæresim contineat. Vgol. *in 1. claus. Bull. Cœn. verb. Ac eorundem, n. 1. §. 7.* Farin. *de hæres. quæst. 180. § 1. num. 16.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. n. 10. & in tract. de fide disp. 20. sect. 2. n. 11.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. n. 35.* & Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 34. n. 5.*

Probatur, quia in Bulla Cœnæ vniuersaliter, & non solùm ob periculum infectionis, seu peruersionis, sed etiam ob alias causas, vt dicam infrà *dubit. 46.* prohibetur, legi librum Authoris hæretici, si scilicet hæresim contineat, vel de Religione ex instituto tractet. Sed qui legit illam partem, quæ hæresim non continet, verè legit librum talem Authoris hæretici, qui scilicet liber hæresim continet: Ergo non poterit legens dictam excommunicationem euitare.

Confirmatur, quia Bulla Cœnæ prohibet, legi librum Authoris hæretici modo, quo suprà dicebam, vel saltem propter periculum, ne quis ex lectione talis libri in hæresim incidat: Ergo prohibet, illum legi, etiam quoad eam partem, quæ hæresim non continet.

Confirmatur secundò, quia non prohibetur legi hæresis contenta in libro, sed ipse liber: Ergo, si legatur libri pars notabilis, cùm tunc non excuset paruitas materiæ, locum habebit peccatum mortale, & excommunicatio prædicta.

22 Non obstat, si dicas: Huiusmodi prohibitio fit, ne quis legens huiusmodi libros, hæresi inficiatur: Ergo cùm non possit lector ex lectione illius partis, quæ hæresim non continet, hæresi infici, sequitur, quod si legat partem, quæ hæresim non continet, in excommunicationem Bullæ Cœnæ non incidat.

Respondetur enim: Nego antecedens, quia prohibitio fit non solùm, ne quis legens huiusmodi libros incidat in hæresim, sed etiam ne se exponat periculo incidendi in illam. Quod in casu nostro locum habet, quia si quis posset legere librum Authoris hæretici quoad illam partem, quæ hæresim non continet, facilè moueretur ad legendam etiam illam aliam partem, quæ hæresim continet: Ideoque propter tale periculum Bulla Cœnæ vniuersaliter prohibuit, ne quis legat libros hæreticorum. Accedit, quod libri hæreticorum prohibentur legi, non solùm ob periculum infectionis, seu peruersionis, sed etiam ob alias causas, vt dicam infrà *dubit. 46.*

Accedit, quod libri hæreticorum prohibentur legi non solùm propter periculum infectionis, seu peruersionis, sed etiam propter alias causas, vt dicam infrà *cit. dubit. 46.*

Et quod dixi suprà in responsione ad petitionem, dicas etiam, si de libro Authoris hæretici, continente hæresim, talem hæresim expungas, ita vt ea in libro legi non possit, Fagundez *precept. 1. Decalog. cap. 14. num. 16.* Suarez *disput. 21. de censur. sect. 2. num. 10.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 25.* Duard. *loco suprà citato num. 9.* Bonacina *disputat. 1. de censur. in particulari, quæst. 5. punct. 4. num. 19.* & Tamburinus *lib. 6. in Decalog. cap. 1. §. 7. num. 12.*

Contrarium tenet Cronsers *in Regul. sancti Francisci cap. 7. sect. 5.* ex eo, quia liber non est prohibitus, nisi ratione hæresis ob periculum infectionis, seu peruersionis: Ergo cessante ratione prohibitionis, videtur cessare prohibitio: Tum quia non est amplius ille liber, de quo procedit Canon Bullæ Cœnæ, cùm amplius non contineat hæresim: Tum quia liber legi potest in paruitate materiæ, quia tunc cessat finis prohibitionis: Ergo si idem finis prohibitionis cesset in toto libro, vt esset in casu nostro, si expungerentur hæresis, quantum est ex prædicto Canone Bullæ Cœnæ, non repugnabit, quod legatur totus liber.

At quod tenet talis Author, mihi certum est, si hæresis sit expuncta auctoritate Superiorum: At secus, si sit expuncta authoritate priuata, & liber sit iam prohibitus, quia non sufficit remedium priuatum contra damnationem publicam, iuxtà ea quæ dicebam suprà *dubit. 36.*

Petitio Septima.

An euites excommunicationem Bullæ Cœnæ, si legas librum Authoris hæretici, cùm tu iam sis hæreticus?

RESpondetur etiam negatiuè, ita vt non solùm 23
Catholicus legens libros hæreticorum, sed etiam hæreticus legens libros ab hæreticis compositos incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ, quin & ipsemet hæreticus legens librum proprium à se compositum, qui vel hæresim continet, vel de Religione tractat, incurrat eandem excommunicationem, eamque duplicem, ex duplici scilicet capite, & quia est hæreticus, & quia legit, aut retinet librum suum hæreticum, Vgolinus *in primam clausulam Bullæ Cœnæ, verbo Ac eorundem, num. 1.* Suarez *de fide disput. 20. section. 2. num. 26.* & alij passim.

Probatur, quia hæretici, cùm sint subiecti, seu subditi Ecclesiæ, tenentur eius leges obseruare, sicut Catholici, itave si eas transgrediantur, incurrant easdem pœnas, quas incurrunt & Catholici.

Petitio Octava.

An euites excommunicationem Bullæ Cœnæ, si legas librum Authoris hæretici, cum sis Episcopus, Primas, Cardinalis, vel alius Prælatus?

RESpondetur etiam negatiuè ex iis, quæ infrà di- 24
centur, & docent Vgolinus *vbi suprà in principio,* Suarez *de fide disp. 20. sect. 3. num. 26.* Graff. *lib. 4. decis. cap. 18. num. 46.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 45.* Azor. *part. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 13.* Fagundez *precept. 1. Decalog. lib. 5. cap. 14. n. 25.* Barbos. *de potest. Episcop. alleg. 90. num. 8.* Duardus *in Bull. Cœn. lib. 2. canon. 1. quæst. 34. num. 7.* Ricciul. *de person. extr. Eccles. grem. lib. 5.*

lib. 5. cap. 33. num. 5. Trollench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 9. num. 13.* & Farinac. *de hæresi quæst. 180. §. 1. n. 43.* Vide etiam infrà *dubitatione 45. petit. 1.* & *dubit. 46. petit. 33.*

25 Non obstat, si dicas: Episcopi, Primates, Cardinales, & alij Prælati habent licentias, & priuilegia legendi libros hæreticorum: Ergò.

Respondetur enim: Nego antecedens, quia huiusmodi licentiæ, & priuilegia reuocata sunt per Iulium III. in Constitutione, quæ incipit: *Cùm meditatio*: per Paulum IV. in Constitutione, quæ incipit: *Cùm in futurum*: & per Pium IV. in Constitutione, quæ incipit: *Cùm pro munere*: apud Pegnam inter litteras Apostolicas, in quibus Constitutionibus expresse dicitur, quod nemini licitum est, legere libros hæreticorum, quacumque præfulgeat dignitate, & expresse reuocantur facultates concessæ quibuscumque personis, cuiuscumque status, ordinis, & conditionis, etiamsi Episcopali, vel Archiepiscopali, vel alia maiori dignitate Ecclesiastica, seu sæculari præeminentia fulgeant, exceptis Inquisitoribus, & Commissariis. Sanchez, Azorius, Barbosa, & alij *in locis suprà cit.*

26 Cæterum non omninò improbabiliter ex vi vltimorum verborum prædictarum Constitutionum, putant nonnulli Doctores, quod Inquisitores, & Commissarij à Sede Apostolica pro tempore deputati possint legere, & retinere libros hæreticorum. Pegna *in director. Inquisit. cap. fraternitatis, de haeretic. vers. iam hoc prohibitio*. Naldus *in summa verb. Bulla Cœnæ, num. 11.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. quæst. 5. 1. in fine.* Farinac. *de hæres. q. 180. §. 1. n. 43.* qui pro hac sententia refert prædictas Constitutiones Iulij III. Pauli IV. & Pij IV. & Graffius *part. 1. decis. lib. 4. cap. 18. n. 45.* quatenus expresse ait, quod si Inquisitores, & Commissarij non solùm à Sede Apostolica, sed etiam ab ipsis Inquisitoribus deputati legant libros hæreticorum, excusentur ab hac excommunicatione, quia ex motu Iulij III. implicitè per exceptionem ibi appositam conceditur ipsis licentia legendi libros hæreticorum. Vide quæ dicam infrà *cit. dub. 45. petit. 1. & dubit. 46. petit. 23.*

Quamuis contrarium non omninò improbabiliter etiam, quin & forsan probabilius, sentiant alij, quia in dicto motu Iulij III. nihil Inquisitoribus, & Commissariis de nouo conceditur, sed solùm priuilegia legendi libros hæreticorum ipsis Inquisitoribus & Commissariis, dum Inquisitionis officium exercent, concessa non reuocantur, si prius habuerint talia priuilegia: Quapropter ex vi vltimorum verborum prædicti motus Inquisitores, & Commissarij non habent hanc facultatem: An verò aliunde habeant, nullibi reperiri videtur. Suar. *tract. de fide disp. 20. sect. 2. n. 13.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 10. n. 46.* Azor. *tom. 1. instit. moral. lib. 8. cap. 16. q. 13.* Barbosa *de offic. & potest. Episc. allegat. 40. num. 8.* Carena *de S. Offic. part. 2. tit. 10. num. 13.* Leander *part. 4. tract. 3. disp. 1. quæst. 73.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 9. num. 33.* & Riuceiull. *de iur. person. lib. 5. cap. 16. num. 14.* quatenus expresse ait, quod Inquisitores non possint legere libros hæreticorum, nisi hanc facultatem vel à Summo Pontifice, vel à Congregatione Cardinalium sanctæ Inquisitionis specialiter habeant.

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1. *Episcopi, Inquisitores, &c. non possunt aliis concedere licentiam legendi libros hæreticorum, si hæresim contineant, vel de Religione ex professo tractent, quia Summus Pontifex in Bulla Cœnæ sibi reseruat hanc facultatem, & per illam Regulam, quod nemo dat quod non habet.*
2. *Eminentissimi Cardinales Inquisitores possunt legere, & retinere libros hæreticorum, possuntque talem facultatem aliis concedere ex Indulto Pij IV. in plena Congregatione.*
3. *Collegium Eminentissimorum Cardinalium Sede vacante secundum probabiliorem non potest dare licentiam legendi libros hæreticorum, contra nonnullos Doctores.*
4. *Hæreticorum libros neque in terris eorundem (nisi ob aliquam iustam causam) licitum est legere sine facultate Sedis Apostolicæ, contra nonnullos asserentes oppositum, quia Bulla ibidem non fuit recepta.*
5. *Lex tunc dicitur vsu recepta, quando fuerit à maiori parte communitatis recepta, & obseruata.*
6. *Libros Artis magicæ qui olim habebant, & vtebantur, excommunicabantur in Bulla Cœnæ Pij V. Quamuis magicalium librorum Authores non fuerint hæretici.*

Hinc sequitur, quod Episcopi, & Inquisitores non possint aliis concedere licentiam legendi libros hæreticorum, si tales libri hæresim contineant, vel de Religione ex professo tractent, tum ob iam dicta, tum quia Summus Pontifex hanc facultatem in Bulla Cœnæ sibi reseruat, per illa verba, *sine authoritate nostra, & Sedis Apostolicæ*, Pegna *in director. Inquis. part. 2. comment. 3. in cap. fraternitatis, de hæretic. vers. Nunquid autem.* Petrus Binsfel. *in leg. culpa, Cod. de malef. & mathemat. vers. nec etiam Episcopi*, Nauarrus *consil. 1. de constitut. quæst. 36.* Suarez *tract. de fid. disp. 20. sect. 2. num. 27.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 16. quæst. 17.* Graff. *lib. 4. decis. cap. 18. num. 46.* Reginald. *tom. 1. lib. 9. num. 149.* quatenus inquit, quod dicti libri legi non possint, nisi auctoritate Pontificis speciali. Martin. del Rio *lib. 5. disquisit. sect. 17.* & alij passim. Vide, quæ dicam infrà *cit. dubit. 45. petit. 1. & dubit. 46. petit. 23.* 1

Quamuis per Constitutionem Pij IV. quæ incipit *Cùm inter crimina*: concedatur Eminentissimis Cardinalibus Inquisitoribus, quod possint legere, & retinere libros hæreticorum, possintque etiam talem facultatem legendi concedere aliis in plena tantum Congregatione ipsorum Cardinalium. 2

An autem Collegium Eminentissimorum Cardinalium, Sede vacante, possit dare licentiam legendi libros hæreticorum? 3

Respondetur, quod licet nonnulli, quos sequitur Vgolinus *in primam clausulam Bull. Cœn. verb. Ac eorundem libros, §. 1. num. 1. vers. 2.* affirment, probabilius tamen iuxta ea, quæ dicam infrà *cit. dubit. 45. petit. 1.* negent Suarez *in tractat. de fide disp. 20. sect. 3. num. 27.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 44.* quia in *cap. Vbi periculum, de elect. in 6.* prohibentur ipsi, ne in aliam causam, quam in electionem Summi Pontificis, nisi immineret aliquod graue periculum, & tunc omnibus, & singulis Cardinalibus conuenientibus, se intromittant.

Sequitur secundò, quod nec etiam in terris hæreticorum licitum sit, legi libros prædictos hæreticos sine facultate Sedis Apostolicæ, quod si in aliquo particulari casu propter bonum fidei, vel propter aliam iustam causam ad fideles in fide confirmandos necesse fuerit, illos legi, nec facilè consuli possit Summus Pontifex, tunc id per modum Epicheiæ licitum erit, præsertim cum licentia Episcopi illius loci, Suarez *vbi suprà n. 37.* & Sanchez *num. 43.* & alij, quos referam infrà *eadem dub. 45. petit. 1.* 4

Quamuis nonnulli, quos sequitur Becanus *de fide cap. 15. quæst. 8. num. 5.* velint, quod si Bulla Cœnæ in Terris hæreticorum non fuerit recepta, Catholici ibi legendo libros hæreticorum, licet si per hoc fuerit periculum, quod illorum erroribus inficiantur, peccent quidem mortaliter, non tamen fiunt excommunicati, quia leges, vbi non sunt vsu receptæ, non obstringunt, *cap. in istis, 3. leges. dist. 4. leg. de quibus, ff. de legib.* & docent Nauarr. *in summ. cap. 33. num. 41.*

Medina

Medina *prima 2. quæst. 90. art. 3. ad 2.* Valentia *tom. 1. disp. 7. quæst. 5. punct. 5. quæst 4.* Menochius *de præsumpt. lib. 2 præsumpt. 2 num. 3.* Roland. *de iur. dot. quæst. 99.* &
5 alij passim: Tunc verò dicitur lex vsu recepta, quando fuerit à maiori parte communitatis recepta, & obseruata. Iason *in l. Rem non nouam, num. 4. & seqq. Cod. de iudic.* Puteus *decis. 2. num. 1.* & alij, quos sequitur Azor. *tom. 2. lib. 5. cap. 4.* At de his omnibus vide, quæ dicam infrà, *dicta dubit. 45. petit. 1. & 2. & dubit. 46. petit. 23.*

6 Aduerte tamen hic, quod olim in Bulla Cœnæ Pij V. sub prima clausula excommunicabantur etiam ij, qui habebant libros artis magicæ, & iis vtebantur. Candelabr. *in cap. 1. Bullæ Cœnæ num. 13.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 46.* & alij communiter. At modò in ea non excommunicantur, nisi talium librorum Authores fuerint hæretici, Candelabr. *vbi suprà,* Sanchez *num. 32.* Nauarrus *in summa cap. 27. num. 55.* Martinus del Rio *lib. 5. disquisit. sect. 17.* & Farinac. *de hæresi quæst. 180. num. 20.* iuxta ea, quæ dicebam *suprà dubit. 9. & in eius Appendice.* Sixtus V. tamen adhuc in Constitutione, quæ incipit, *Cœli, & Terræ*; statuit quod Inquisitores hæreticæ prauitatis possint procedere contra legentem prædictos libros Artis Magicæ (quamuis talium librorum Authores non fuerint hæretici) quales libri magici prohibentur etiam retineri, & iubentur comburi per Constitutiones Pij IV. & Clementis VIII. in nona Regula Indicis.



DVBITATIO XL.

Quid dicendum de retentione?

SVMMARIVM.

1 *Retentio etiam prohibita est sub censura reseruata in Bulla Cœnæ: & finis huius prohibitionis est, ne tales libri in rerum natura conseruentur.*

2 *Retinens libros prohibitos, siue ij sint proprij, siue alieni, siue apud se, siue apud alios depositos habeat, peccat & censuras incurrit; quia Pontifex simpliciter prohibet tales libros asseruari.*

3 *Cauendum est Artistis, ne retinendo libros istos ad vendendum, vel compingendum, excommunicationem incurrant.*

4 *Retinens breui tempore, cùm excommunicationem non incurrat, requiritur ad eam incurrendam notabile temporis spatium, in breui namque tempore licet occasionem habuerit tradendi Inquisitori, vel Theologo, adeoque non sine aliqua negligentia, sed non mortali, censuram non incurrit.*

5 *Retinens etiam longiori tempore librum apud se, donec opportunum tempus tradendi habuerit, non peccat, neque excommunicationem incurrit, si scandalum absit.*

6 *Retinens huiusmodi libros ad confutandos errores, cum ex hac retentione non reddatur suspectus hæresis; quia hæc retentio non fauet, sed potiùs nocet hæresi, secundum aliquos Doctores non incurrit dictam censuram bullarem.*

7 *At oppositum est probabilius quocumque fine dictos libros retineat.*

8 *Retentio prædicta absolutè prohibetur, & lex non curat, qua intentione id efficiatur.*

9 *Firmus qui esse præsumitur, sæpè labitur.*

10 *Ecclesia intendit euitare periculum, si non proximum, saltem remotum, & ventum auferre.*

11 *Retinens libros, &c. si per vnum, & alterum diem retineat, supposito quod Inquisitori, vel Episcopo tradere possit, si animo retinendi absolutè retineat, etiamsi post horum animum mutet, & Inquisitori tradat, censuras non euitat, secus verò, si animo tradendi librum ex negligentia per breue tempus non tradat.*

12 *Peccatum, quod ex obiecto, & circumstantiis mortale est, in instanti committi potest, quia consistit in voluntate, non in motu, & voluntas absoluta retinendi librum secundum omnes est mortaliter peccaminosa.*

13 *Retinens ad corrigendos errores, probabilius est, quod euitet censuras.*

14 *Retentionis grauitas non desumitur solùm ex libro, qui retinendus est, sed etiam ex tempore, quo retinendus est, quod si est breue, retentio etiam illa dicetur breuis, etiamsi per longum tempus retinendi voluntatem haberet.*

15 *Censura non incurritur ex voluntate retinendi sola, sed ex voluntate executioni mandata, quæ cum non sit in materia graui exercita, sed in materia leui, non sufficit ad incurrendam censuram.*

16 *Censura prædicta extenditur ad illos, qui partem libri retinent, sicut extenditur ad illos, qui partem libri legunt.*

17 *Retinens vnum tantum folium excusatur à censura, secundùm Sanchez, cum non videatur tam grauis materia in retentione, quam in lectione.*

18 *Comburens librum statim atque scit esse prohibitum euitat quidem censuram Bullæ Cœnæ, quia combustio impedit retentionem: At non euitat excommunicationem latam in Bulla Iulij III. per Pium IV. confirmatam, &c. contra nonnullos Doctores, etiam hos comburentes excusantes.*

19 *Mandati huius finis est, vt Author libri cognoscatur, & errores, qui in illo continentur, melius corrigantur: Quapropter Inquisitores, cum ad ipsos liber defertur, interrogare debent deferentem, à quonam illum habuerit.*



RESPONDETVR, & retentio etiam expressè prohibita est, vti patet ex textu eiusdem primæ clausulæ Bullæ Cœnæ, finis autem huius prohibitionis fuit, ne ta- 1
les libri in rerum natura conseruarentur. Vnde, siue sint 2
tui, siue alieni, siue apud te, siue apud alium (vt ex communi sententia, Doctorum dicam infrà *petit. 5.*) depositos habeas, peccas, & censuras incurris, quia semper verè retines, ità vt nihil referat, an in tua domo, vel in aliena, an tuo nomine, vel alieno, an causa legendi, vel non, illos retineas, seu asserues, quia Pontifex simpliciter prohibet, tales libros asseruari, volens, vt ij penitus exterminentur. Ita ex communi: Adeò quod Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 37. num. 55.* & Farinac. *de hæres. quæst. 180. n. 40.* putent, quod retinentes libros hæreticorum reddantur suspecti de hæresi, tametsi dicant, quod eos nunquam legerint. Graff. *1. part. decis. lib. 4. cap. 18.* Suarez *de fide disp. 10. sect. 2. num. 21.* Sayr. *cit. cap. 5. n. 16.* Vgolin. *verb. aut retinentes, in principio num. 3. vers. 3.* Duard. *in Bull. Cœnæ lib. 2. canon. 1. quæst. 51. num. 1.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 52.* Fagundez *præcept. 1. Decal. lib. 1. cap. 14. num. 31.* Sousa *in Bull. Cœnæ disp. 5. num. 2.* Alterius *lib. 5. de censur. cap. 7. verb. retinentes,* & Bonacin. *de censur. disput. 2.*
quæst. 5. punct. 4. num. 15. vbi monent, cauendum esse 3
retinentibus, ne retinendo libros istos ad vendendum (vt v.g. carnes, pisces, aut aromata, & similia) vel ad compingendum, excommunicationem incurrant. Vgolinus, & Sanchez *in locis suprà citatis.* Qua de re vide quæ dicam infrà *petit. 6.*

Secundò requiri temporis spatium notabile, quo 4
quis librum aliquem ex istis retineat, cùm excommunicationem non incurrat, qui breui tempore reti-

nec tametsi in illo breui tempore occasionem habuerit tradendi Inquisitoribus, adeoque non sine aliqua negligentia, sed non mortali, librum interim retinuerit, Vgolinus *loco citato* §. 1. *num. vnico, vers.* 2. Suarez *cit. sect.* 2. *num.* 22. Graffius *lib.* 4. *decision.cap.* 18. *num.* 47. Sayrus *lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. & Sanchez *cit. cap.* 10. *num.* 55. qui duo vltimi Doctores subdunt excusari, si
5 per vnum, vel per duos dies retineret. Tertiò si quis etiam longiori tempore librum apud se retineat, donec opportunum tempus tradendi habuerit, non peccabit, neque excommunicationem incurret, si scandalum absit: Graff. *cit. num.* 47. Sayrus *cit. num.* 16. & Sanchez *citato num.* 55. vide supra *dubitatione praecedenti, petitione secunda & tertia*, quid dixerim de paruitate materiæ, quæ in casu nostro excuset ab excommunicatione.

Petitio Prima.

An euites censuras, si ad confutandos errores sine periculo peruersionis retineas?

6 Respondetur, quod licet quidam, vt Felin. *in cap. Si quis Episcopus, in fine de hæretic.* Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 35. *num.* 21. & *cap.* 46. *num.* 26. Addent. ad Roman. *singul.* 326. & Mascard. *de probat. lib.* 2. *conclus.* 862. *num.* 14. affirmare videantur, quatenus aiunt ex hac retentione non reddi suspectum hæresis tales libros retinentem, quia cùm hæc retentio non faueat, sed potius noceat hæresi, non est cur sub prohibitione retentionis hæresi fauentis comprehendatur:
7 Oppositum tamen sit dicendum, te scilicet, quocumque fine dictos libros retineas absque licentia illius, qui eam concedere potest, incurrere censuras, & suspicionem hæresis, vt infrà dicetur. Pegna *id addit. ad Eymeric.* 2. *part. comment.* 3. *ad cap. fraternitatis, de hæreticis,* Vgolin. *de censur. in gloss. aut pertinentes, vers.* 4. *excommunicatio,* Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 2. *n.* 21. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 19. *num.* 9. Farinac. *de hæres. quæst.* 180. *num.* 39. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 53.
8 Probatur, quia lex retentionem prohibet absolutè, ita vt non curet, qua intentione id efficiatur. Et præterea eam prohibet non solùm propter periculum peruersionis, sed etiam propter alias causas, vt dicam *dubit.* 46. post finem in petitione sequenti.
9 Confirmatur, quia in illa retentione, ex propria voluntate facta, potest esse periculum peruersionis, cùm qui firmus esse præsumitur, sæpè labatur.
10 Confirmatur secundò, quia licet in tali retinente nullum adsit periculum, sufficit generaliter adesse, & venenum conseruari, quod meritò intendit Ecclesia sua prohibitione annullare.

Petitio Secunda.

An euites censuras, si per vnum, vel alterum diem retineas?

11 Qvod intellige ex suppositione, quod Inquisitori, vel Episcopo tradere possis, quia si non potes, absque dubio retinendo non peccas, atque adeò censuras euitas, Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 55. & alij passim.

Quidam, vt Petr. Hurtad. *de fide disp.* 76. §. 317. & Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 1. *num.* 22. distinguunt: si animo retinendi librum absolutè retineas, etiamsi post horam animum mutes, & Inquisitori tradas, censuras non euitas: secùs verò, si animo tradendi librum, ex negligentia per breue tempus non tradas.
12 Probant, quia peccatum, quod ex obiecto, & circumstantiis mortale est, in instanti committi potest, quia consistit in voluntate, non in mora: sed voluntas absoluta retinendi librum secundùm omnes est mortaliter peccaminosa, ex qua procedit retentio exterior, etiam per breuissimum tempus: Ergo sufficit ad incurrendas censuras. His tamen non obstantibus.

Respondetur, probabilius esse, te vitare censuras ob talem retentionem, atque ita docet Sanch. *loco suprà cit.* Reginald. *lib.* 2. *num.* 256. Sayr. *tom.* 1. *Thes. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 16. Farinac. *de hæresi quæst.* 180. *num.* 42. Gaspard. Hurtad. *disp.* 10. *de censur. difficult.* 12. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 43. Ouied. 2. 2. *controu.* 11. *num.* 26. & Duardus *in Bull. Cœnæ lib.* 2. *in canon.* 1. *quæst.* 51. *num.* 33. 13

Probatur, quia grauitas retentionis non desumitur solùm ex libro, qui retinendus est, sed etiam ex tempore, quo retinendus est: Ergo, si tempus, quo de facto retines, est breue, etiamsi voluntatem haberes retinendi per longum tempus, retentio illa exterior leuis censeri debet, ad effectum censuras incurrendi. Antecedens patet, quia si haberes voluntatem retinendi per horam, & statim postea tradendi, peccatum mortale non committeres: Ergo ad retentionem grauem requiritur mora notabilis. Consequentia probatur, quia censura non incurritur ex voluntate retinendi sola, sed ex voluntate executioni mandata, quæ cùm non sit in materia graui exercita, sed in materia leui, non sufficit ad incurrendam censuram, sicuti dicebam de legente paucas lineas, & de percutiente Clericum animo mortifero, ita tamen vt actio exterior non attingat iniuriam grauem. Vide quæ dicam infrà *petitione* 10. 14 15

Hinc patet ad fundamentum oppositum contrariæ sententiæ. 16

Aduerte tamen, dictam censuram extendi ad illos, qui partem libri retinent, sicut extenditur ad illos, qui partem libri legunt, Bonaçin. *cit. quæst.* 5. *punct.* 4. *n.* 15. quamuis Sanchez *loc. cit. cap.* 12. *num.* 52. & Vgolinus *in primam clausul. Bull. Cœn. verb. retinentes, num.* 4. excusent eum, qui retinet vnum tantùm folium, cum non videatur tam grauis materia in retentione, sicut in lectione, siquidem non ita grauiter lædit retentio, sicut lectio. Videri poterit etiam Suarez *disp.* 20. *de fide, sect.* 2. *n.* 22. vbi ait, incurrere excommunicationem eum, qui retinet aliquam libri partem, quæ doctrinam hæreticam contineat, & huiusmodi peccatum ex parte materiæ semper esse mortale, sed de his omnino vide, quæ dicam infrà *cit. petitione* 10. 17

Petitio Tertia

An euites censuras, si cum primùm scis, librum esse prohibitum, comburas.

Respondetur, euitas quidem censuram Bullæ Cœnæ, quia combustio impedit retentionem in dicta Bulla damnatam, & dicta Bulla nihil dicit, quod liber sit deferendus ad Inquisitores. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 23. Sanchez *cit. cap.* 10. *num.* 56. Portell. *verb. libri prohibiti, num.* 13. & Farinac. *de hæres. quæst.* 180. *num.* 40. At vt ex communi docent Suarez, Sanchez, Portellius, Farinacius *in locis suprà citatis,* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 11. Penna *in addit. ad director. in cap. Fraternitatis, de hæreticis parte* 2. *commentar.* 3. *vers. præterea*, Vgolinus *in primam clausulam Bullæ Cœnæ, verb. retinentes, num.* 4. Delrius *disquisit. magic. tom.* 3. *lib.* 5. *sect.* 17. Ricciul. *lib.* 5. *de iur. person. cap.* 24. *per totum*, Barbos. *de potest. Episc. part.* 3. *allegat.* 90. *num.* 5. Sousa *in Bull. Cœnæ cap.* 2. *disp.* 15. *conclus.* 3. *num.* 4. Homobon. *de examin. Eccles. part.* 1. *tract.* 7. *cap.* 2. *quæst.* 12. & *part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 7. *quæst.* 15. *resol.* 2. Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 51. *num.* 1. Cherubin. *in compend. Bull. tom.* 2. *constit.* 76. *Pij V.* Alterius *de censur. tom.* 1. *disput.* 2. *lib.* 5. *cap.* 7. & Riccius *part.* 4. *decis.* 255. *num.* 4. & *decis.* 260. *num.* 7. non tamen euitas excommunicationem latam in Bulla Iulij III. quæ incipit *Cùm meditatio*, apud Pegnam *in vltima part. director.* vbi sic habetur. *Omnes, & singulos libros Lutheranos, aut alios hæreticos, seu Lutheranam,* 18

aut

tiut falsam sectam in se continentes, vel à nobis, & dicta Sede quomodolibet reprobatos, penes se eos ex quauis causa, etiam mercatura, & ex nostra, ac eiusdem Sedis permissione, ac licentia etiam speciali, vt præfertur, penes eos exsistentes, Inquisitoribus hæreticæ prauitatis in ciuitatibus, in quibus libri huiusmodi exsistunt, consignare debeant realiter, & cum effectu; Et contra inobedientes apponit excommunicationem, & alias pœnas aduersus hæreticos latas subdendo: *Alioquin tanquam hæretici possint publicari.*

Et ne quis putaret, supradictam Bullam loqui de personis solis pro tunc temporis existentibus, & libros prohibitos habentibus, Pius IV. in alia Bulla, quæ incipit, *Locum pro munere*; edita anno Domini 1564. supradictam prohibitionem, & censuram extendit ad illos, qui postea habuerint, mandando, quod prædictos libros tradant Inquisitoribus; Idemque cauetur in Regula secunda Indicis librorum prohibitorum authoritate Tridentini editi, & à Pio IV. confirmati, & iussu Clementis VIII. reuocati, & in Bulla Paul. V. pro Regnis Hispaniæ: quæ Bulla habetur in principio Expurgatorij. Videri poterit etiam, vt præter alios annotarunt Rodericus *in addit. ad Bull. Cruciat.* §. 9. *n.*66. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 12. *n.* 11. motus proprius nostri Pauli IV. prohibens sub pœna excommunicationis reseruatæ summo Pontifici, vel Inquisitori Generali, ne libros hæreticorum, vel ab Inquisitoribus prohibitos habentes absoluantur, nisi priùs illos Inquisitoribus tradant.

Quamuis contrariam opinionem doceant Ioan. Andreas *in cap.* 1. *de hæretic. n.*4. Geminian. *ibidem n.*2. Zanchinus *de hæretic. cap.*7. *n.*7. Repertor. Inquisit. *verb. libri, vers.*2. vbi ait, satis esse, si isti libri comburantur, vel infrà octo dies Inquisitori consignentur: Syluest. *verb. hæresis* 1. *n.* 10 Locat. *in Iudic. Inquisitor. verb. libri, n.*1. Addent. ad Roman. *singul.* 326. *vers. limita* 2. *nisi eos combusserit*, Decian. *in tract. crimin. lib.*5. *cap.*18. *n.*25. & *cap.*35. *n.*11. & *cap.*64. *num.*28. Albertin. *tract. de agnoscend. q.*28. *n.*14. Carret. *tract. de hæretic. n.*125. Filliucc. *tom.*1. *tract.*16. *cap.*3. *n.*45. & *tom.*2. *tract.*12. *cap.*7. *num.*208. Vbi excusant eos, qui propria auctoritate comburunt, vel tradunt iis, qui dictos libros legere, nec non tenere possunt; quorum opinionem non improbant Bonacina *de censur. disp.*1. *q.*5. *punct.*4. *n.* 20. Alterius & Riccius *vbi supra*, Ricciull. *in tract. de hær. person. lib.*5. *cap.*24. *n.*2. & Campeg. *in addit. ad Zanchin. de hæretic. cit. cap.*7. *num.*7.

At quod suprà dicebam ex communiori sententia Doctorum, videtur mihi potiùs dicendum. Vide quæ dicam infrà *petit.* 9. & Hieronymum Rodoriquez *in compend. quæst. regular. tom.*2. *q.*82. *art.*3. *num.*3. quatenus ait, quod nemo licitè possit libros hæreticos ad suam manum deuenientes propria auctoritate comburere, sed teneatur eos ad Inquisitores deferre, iuxta constitutionem Iulij III. id præcipientis. Aliàs poterit procedi contra ipsum, ac si esset hæreticus: Quod licèt aliqui intelligant, nisi ex traditione, seu manifestatione tradenti, seu manifestanti resultet aliquod graue periculum suspicionis de hæresi; quando ipsi concedunt, quod possit ille tales libros per seipsum comburere: Id tamen admittendum non est propter damnum, quod exinde prouenire potest Catholicæ fidei, ac Religioni; cùm si ipse tales libros ad Inquisitores deferat, poterunt illi inquirere, an vltra traditos alij similes supersint, & à quonam ipse eos acceperit, & an quis iis malè vsus fuerit: quod quamplurimum Catholicæ Fidei, ac Religioni confert.

19 Finis autem eius mandati est, vt Author libri cognoscatur, & errores, qui in illo continentur, meliùs corrigantur: Quapropter Inquisitores, cùm ad ipsos liber defertur, interrogare debent deferentem, à quonam illum habuerit: Pegna *in addit. ad Eymer.* 2. *part. comment.* 3. *in cap. fraternitatis, de hæretic.* [illegible]

[illegible] *sect.* 2. *n.*23. Azor. *tom.*1. *lib.*8. *cap.*16. *q.*11. Farinac. *de hæres. q.* 180. *num.*40. & Barbosa 3. *part. de potest. Episc. alleg.* 90. *num.*5.

PETITIO QVARTA.

An, vt retinendo hæreticorum libros de Religione tractantes, vel hæresim continentes, ob retentionem eorum censuras incurras, requirantur eædem conditiones, quæ requiruntur, vt incurras legendo?

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio Bullæ Cœnæ lata contra retinentes libros hæreticorum requirit ex parte librorum illas conditiones, quas requirit in ordine ad lectionem, scilicet vt sint Auctoris hæretici, & contineant hæresim, vel tractent de religione, & ex parte retinentis requiritur illa scientia, quæ requiritur ex parte legentis.*

2 *Retinens quempiam ex huiusmodi libris, non sciens, quod sit ille Auctoris hæretici, vel quod contineat hæresim, non incurrit excommunicationem prædictam.*

1 Respondetur affirmatiuè; Ita vt ad incurrendam excommunicationem Bullæ Cœnæ requirantur ex parte librorum illæ conditiones, quæ (scilicet, vt sint Authoris hæretici, & contineant hæresim, vel tractent de Religione) requiruntur in ordine ad lectionem. Et ex parte retinentis requiratur scientia, quæ requiritur ex parte legentis, iuxta ea, quæ dicebam suprà *dubit.* 38. & [illegible] 16. *in Appendice*, Doctores communiter, quos sequitur Duard. *in Bull. Cœn. lib.*2. *canon.*1. *q.*51. *num.*13. & *seqq.*

2 Hinc fit, quod si retineas quempiam ex huiusmodi libris, non sciens, quod ille sit Authoris hæretici, vel quod contineat hæresim (quod facilè contingere potest, si liber ex instituto tractet de alia materia) non incurras excommunicationem prædictam. Et si res deducatur ad forum externum, fiscus debeat probare scientiam, alioquin contra te intentionem fundatam non habebit; vt in simili dixit Dynus *consil.*38. *num.*7. Baldus *cons.*155. *n.*3. Vincentius de Franch. *decis.*351. *n.*2. Couarruu. *de veter. numism. cap.*8. *n.* 4. Barbatia *consil.* 29. *num.* 12. Decian. *lib.* 7. *crimin. cap.*26. *n.*3. Macerat. *resol.*44. *cas.*7. *vers.*3. *lib.* 3. Farinac. *tom* 5. *Praxis q.*115. *inspect.*3. *num.*156. Honded. *consil.* 92. *num.*28. & Burg. *de mod. procedend. ex abrupto. censur.*1. *quæst.* 23. *num.*151.

PETITIO QVINTA.

Quisnam veniat nomine retinentis?

SVMMARIVM.

1 *Retinentium libros hæreticorum nomine venit is, qui retinet illos, siue tanquam proprios, siue tanquam alienos, vt per modum depositi, per modum commodati, vel per quemcumque alium modum, verbi gratia ad transportandum, vel ad custodiendum, &c.*

2 *Item qui retinet, siue retineat apud se, siue apud alios; quia quilibet ex his est verè retentor, & consequenter incurret excommunicationem.*

3 *Seruus retinens iussu Domini habentis licentiam legendi excusatur ab hac excommunicatione incurrenda; quia cum retineat nomine alieno, retentio*

considerari debet in ordine ad illum, cuius nomine retinet.

4 *Idem dic de ligatore, qui retinet librum, vt illum liget Domino libri.*

5 *Religiosus, qui curam habet de Bibliotheca communi, si dictos, vel alios libros non remoueat de illa, excusatur ab incurrendo hanc censuram; quia actiones prohibitæ sunt legere, & retinere.*

6 *Retinens dictos libros apud alios non omninò improbabiliter contra communem Doctorum sententiam excusatur à dicta censura Bullari; quia aliud est retinere, & aliud possidere ciuiliter, cùm retinere importet tantummodo factum. Possidere autem ciuiliter referatur ad ius.*

7 *Habens aliquem ex prædictis libris, si illum deponat quousque impetret licentiam legendi, & retinendi apud eum, qui habet licentiam retinendi, si priùs non retinuerit apud se per notabile tempus, non incurrit excommunicationem, etiamsi tradat ei, qui non habet dictam licentiam.*

8 *Incurrit tamen is, qui recipit librum, si sciat eius qualitatem.*

1 RESpondetur, iuxta ea, quæ suprà dicebam in responsione ad dubitationem principalem, venit is, qui retinet illos, siue tanquam proprios, siue tanquam alienos, vt per modum depositi, per modum commodati, vel per quemcumque alium modum, v. g. ad transportandum, vel ad custodiendum, &c. Rursus,
2 qui retinet, siue retineat apud se, siue apud alios, quia quilibet ex his est verè retentor, & consequenter incurret excommunicationem. Ita ex communi Grassius *part.* 1. *decision. lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 48. Vgolin. *de censur. Papæ reseruat. part.* 2. *verb. aut retinentes, num.* 3. Sayr. *lib.* 3. *de censur. cap.* 5. *n.* 16. Fagundez *præcept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 31. Ouied. 2. 2. *controu.* 12. *num.* 22. Alterius *lib.* 5. *de censur. cap.* 7. *vers. Tenentes,* Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 52. Sousa *in Bull. Cœnæ disput.* 14. *n.* 2. Bonacina *disp.* 1. *de censur. in partic. quæst.* 2. *punct.* 4. *n.* 15. & Duard. *cit. q.* 51. *num.* 8. *& seq.*

3 Excusatur tamen seruus, qui retinet iussu Domini habentis licentiam legendi; Doctores, quos sequitur Ouied. *loc. suprà cit.* quia cùm retineat nomine alieno, retentio considerari debet in ordine ad illum, cuius nomine retinet: Quapropter in simili casu idem propter eandem rationem dicendum videtur de ligatore, qui retinet librum, vt illum liget Domino libri, habenti similiter licentiam legendi; præsertim, quia cui conceditur finis, conceduntur etiam & media, iuxta ea, quæ dicam infrà *petitione* 8.

4 Quamuis contrarium ex communi (vt fatear) teneant Vgolinus, Grassius, Sanchez, *in locis suprà citatis*. Suarez *disput.* 20. *de fide sect.* 2. *n.* 21. Alterius *cit. lib.* 5. *de censur. disput.* 2. *cap.* 2. Fagundez *cit. cap.* 14. *num.* 31. Roccaful. 3. *part. lib.* 5. *cap.* 8. *dubio* 4. de retinentibus, & alij passim.

5 Excusatur 2. Religiosus, qui curam habet de Bibliotheca communi, si dictos, vel alios libros prohibitos non remoueat è dicta Bibliotheca communi. Doctores, quos sequitur Bordonus *decis. miscell.* 188. quia actiones prohibitæ sunt legere, & retinere. Talis autem Religiosus nec legit, nec retinet, cùm persona particularis non sit retentor librorum communis Bibliothecæ. Quin nec (cùm prædicti libri legitimè legi possint ab habentibus licentiam) præbet aliis scandali occasionem, cùm qui legit sine licentia, peccet ex propria malitia, non autem ex malitia prædicti Religiosi

6 Excusatur 3. non omninò improbabiliter, contra communem Doctorum sententiam quam suprà dicebam, is qui retinet apud alios; quia aliud est retinere, & aliud possidere ciuiliter, cùm retinere importet tantummodo factum. Possidere autem ciuiliter referatur ad ius, & non ad factum, *l. possessio,* §. 1. *ff. de acquir. possess. & l. stipulatio ista,* §. *hac quoque stipulatio, ff. de verb. obligat.* Vnde cùm canon Bullæ loquatur de retinentibus, non videtur, quod extendi debeat ad retinentes vltra factum, seu vltra corporalem possessionem, ac proinde videtur, quod prædictus canon non comprehendat possidentem ciuiliter, seu retinentem apud alios; qua de re videatur præter alios Naldus *in summa verb. liber, n.* 5. & Duard. *cit. lib.* 2. *in Bull. Cœn. q.* 51. *num.* 26. & seqq.

Hinc fit, quod siquis habens aliquem ex prædictis libris deponat, quousque ipse impetret licentiam legendi, & retinendi, apud eum, qui habet licentiam retinendi, si priùs non retinerit apud se per notabile tempus, non incurrat excommunicationem: Quinimmò neque etiam incurrit, si tradat ei, qui non habet dictam licentiam retinendi. Incurret tamen si sciat qualitatem libri, is qui recipit talem librum, iuxta ea quæ dicebam suprà. 7

PETITIO SEXTA.

An Aromatarij, cæterique huiusmodi, qui retinent prædictos libros, vt eorum chartis vtantur ad inuoluendum ea, quæ vendunt, incurrant certò excommunicationem, casu scilicet, quod scienter eos retineant?

SVMMARIVM.

1 *Venditores rerum comestibilium, seu quarumcumque aliarum, retinentes libros hæreticorum, vt eorum chartis vtantur ad inuoluendum ea, quæ vendunt, etiamsi scienter retineant, non incurrunt excommunicationem Bullarem; quia finis cur prohibeatur retentio talium librorum est, vt illi destruantur, contra aliques Doctores.*

2 *Libri, qui traduntur talibus venditoribus desinunt esse moraliter libri, & reputantur massa quædam chartacea, destinanturque ad alium finem, cui non inseruiant, vt expressiui conceptuum Doctorum scribentium, sed vt materia quadam apta ad quid.inuoluendum.*

3 *Retineret si quis dictos libros, quamuis non intelligeret linguam, in qua scripti sunt, animo conseruandi, incurreret censuras; quia reuera retineret, & contrariaretur fini prohibitionis.*

4 *Amplia etiamsi retineret ad ornatum Bibliothecæ, vel animo permutandi eos cum aliis libris.*

RESpondetur, quod quamuis affirment Vgolin. *part.* 1. *de censur. reseru. summ. Pontific. verb. aut retinentes,* §. 1. *vers.* 4. Fagundez *præcept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 31. Naldus *in summa verb. liber, n.* 5. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *q.* 51. *n.* 17. & Bonacin. *disput.* 1. *de censur. in particular. q.* 2. *punct.* 3. *num.* 15. Doctrina tamen hæc non sit certa, quia finis, cur prohibeatur retentio talium librorum, est, vt illi destruantur. Ergo cùm Aromatarij, cæterique huiusmodi retineant illos in ordine ad destructionem, non contrariantur, sed potiùs cooperantur fini prohibitionis. 1

Confirmatur; quia quotiescumque libri traduntur Aromatariis, cæterisque huiusmodi, desinunt esse moraliter libri, & reputantur massa quædam chartacea, & destinantur ad alium finem, cui non inseruiunt, vt expressiui conceptuum Doctorum scribentium, sed vt materia quædam apta ad quid inuoluendum; vnde multo viliùs, scilicet *à Pezo*, venduntur: Ergo non videtur verificari, quod hi retineant libros, sed solùm quod retineant massam quamdam chartaceam aptam ad quid inuoluendum. 2

Cæterùm, si quis retineret dictos libros, quamuis non

non intelligeret linguam, in qua scripti sint, animo conseruandi, incurreret censuras; quia reuera retineret, & contrariaretur fini prohibitionis. Suarez *disp.* 20. *de fide sect.* 2. *num.* 2. Fagondez *precept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 34. *num.* 31. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 52. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9. *n.* 25. Roccaful. *part.* 3. *prax. lib.* 3. *cap.* 8. §. *de retinentibus, dub.* 5. Leander *de censur. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 63. & alij communiter.

4 Idque etiam, si retineret ad ornatum Bibliothecæ, vel animo permutandi eos cum aliis libris, propter easdem rationes iam suprà dictas. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 11. *q.* 51. *num.* 11. Bonacina *disput.* 2. *de censur. quæst.* 5. *punct.* 4 *num.* 5. Leander *vbi suprà* *q.* 64. Vgolinus, Fagundez, Sanchez, & Trullench. *in locis citatis.*

PETITIO VII.

An qui habens licentiam (quæ ad triennium concedi solet) legendi huiusmodi libros, ea expirata, possit, donec innouationem licentiæ de nouo habuerit, retinere dictos libros, absque incursione censurarum?

SVMMARIVM.

1 *Habens licentiam, quæ ad triennium concedi solet legendi huiusmodi libros, ea expirata, potest eos retinere absque incursione censurarum, donec innouationem licentiæ de nouo habuerit, si nihil noui superuenerit, ratione cuius probabiliter putet non esse sibi de nouo concedendam talem licentiam. Habet enim Romanæ Sedis voluntatem præsumptam, cùm eam iam obtinuerit.*

2 *Regula, quod quid concessum ad tempus, post illud tempus censetur denegatum, non obstat, quia id verum est, quando non solet concessio innouari.*

1 RⒺspondetur: Si nihil noui superuenerit, ratione cuius probabiliter putet, non esse sibi de nouo concedendam talem licentiam, affirmatiuè; quia cùm semel iam illam obtinuerit, & nunc de præsenti instet pro innouatione dictæ licentiæ, habet Romanæ Sedis voluntatem præsumptam, & interpretatiuam, quod interim possit retinere dictos libros; siquidem ex priori concessione habet virtualiter declaratum, quod absit periculum infectionis; Et concessio, vtpote solita innouari, durat virtualiter.

2 Non obstat, quod quid concessum ad tempus, post illud tempus censetur denegatum: quia id verum est, quando non solet concessio innouari: At secus quando solet innouari, quia tunc ex dictis illo tempore intermedio ex voluntate concedentis interpretatiua durat virtualiter.

PETITIO VIII.

An qui tenet huiusmodi libros, vt è Terris hæreticorum deferat ad Terras Catholicorum, incurrat excommunicationem.

SVMMARIVM.

1 *Tenens huiusmodi libros, vt è Terris hæreticorum deferat ad Terras Catholicorum, incurrit duplicem excommunicationem Bullarem, alteram latam contra retinentes, & alteram latam contra fautores hæreticorum; & præterea de Iure canon[ico] punitur confiscatione omnium bonorum, & pœna exilij.*

2 *Idem dic etiamsi deferat, vel transmittat ad Terras Infidelium, & apud eos vendat.*

3 *Existens in Terris hæreticorum si emat aliquem ex huiusmodi libris, vt eum transmittat, vel deferat ad illos, qui habent licentiam legendi, & retinendi talem librum, non solùm excommunicationem non incurrit, sed neque etiam vllo modo peccat; quia concessa licentia retinendi, conceduntur media necessaria ad illum obtinendum.*

RⒺspondetur affirmatiuè, & quidem duplicem; Vnam latam contra retinentes, & alteram latam contra fautores hæreticorum, quæ similiter est in Bulla Cœnæ Pontifici reseruata: Quin præterea de Iurè Canonico punitur confiscatione omnium bonorum, & pœna exilij, & si fuerit homo vilis, pœna fustigationis. Pegna *part.* 2. *Directorij Inquisit. comment.* 17. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *q.* 51. *num.* 15. & 16. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 17. *quæst. vltima,* & Farinac. *de hæres.* *q.* 180. *num.* 15. 1

Idque etiamsi deferat, vel transmittat ad Terras Infidelium, vt apud eos vendat. Alterius *lib.* 5. *de censur. disput.* 2. *cap.* 8. *dub.* 1. & alij, quos sequitur Leander *de censur. tract.* 3. *disput.* 1. *q.* 88. quia adhuc retinet, & fauet hæresi. 2

Aduerte tamen hîc, quod si quis existens in Terris hæreticorum emat aliquem ex huiusmodi libris, vt eum transmittat, vel deferat ad illos, qui habent licentiam legendi, & retinendi talem librum, non solùm excommunicationem non incurrat, sed nec etiam vllo modo peccet; quia cui conceditur licentia legendi, & retinendi dictum librum, conceduntur etiam media necessaria ad illum obtinendum; sicque conceditur etiam facultas vtendi opera Amicorum ad eum sibi comparandum. *Argumento l.* 1. § *finali, ff. de eo, cui mand. est Iurisd. l. auribus, ff. de legat.* 3. *l.* 2. *ff. de Iurisd. omn. & cap. præterea, de offic. deleg.* 3

PETITIO IX.

Ad quid teneatur is, in cuius manus peruenit aliquis ex huiusmodi libris.

SVMMARIVM.

1 *Is, in cuius manus peruenit aliquis ex huiusmod libris tenetur statim illum Inquisitoribus tradere.*

2 *Habens aliquem ex dictis libris si tradat habentibus facultatem retinendi, satis probabiliter non perperam ageret; quia cùm si habeant facultatem retinendi, habent etiam facultatem recipiendi ab habentibus, quia in relatiuis quod disponitur de vno, disponitur etiam de altero.*

3 *Item sufficit secundùm alios, si qui habet dictos libros comburat, vt non incurrat excommunicationem Bullarem.*

RⒺspondetur ex dictis suprà *petit.* 3. quod teneatur statim illum Inquisitoribus tradere; Alterius *de censur. tom.* 1. *disput.* 1. [l]*ib.* 5. *cap.* 7. Suarez *disp.* 20. *de fide, sect.* 2. *num.* 2[.] Martin. del Rio *disquis. magicar.* *lib.* 5. *sect.* 17. Fagundez *precept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *n.* 33. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *q.* 2. Farinac. *de hæres. q.* 180. *num.* 40. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *q.* 511. *n.* 1. Cherubin. *in compend. Bullar. ad constitutionem* 76. *Pij V.* *schol.* 2. Sousa *disput.* 15. *concl.* 3. *n.* 4. Riccius *decis.* 255. *num.* 4 & *decis.* 560. *n.* 7 *part.* 4. Homobon. *part.* 1. *examin. Ecclesiast. tract.* 7. *cap.* 2 *q.* 11. Barbos. *de potest. Episc. allegat.* 90. Bonacin. *disp.* 1. *de censur. in particular. q.* 2. *punct.* 4. *num.* 18. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 56. 1

n.56. Ricciull. *de Iur. person. extr. Eccles. grem. lib.5. cap.24.* Onied. 2.2. *controu.* 1. *n.* 52. Petr. Hurtad. *de fide disput.* 76. §. 321. Pueron, Diana, Leander *in locis infrà citandis*, Pellizzar. *tom.* 2. *manual. tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 27. & alijs, quos citabam *d. petit.* 3. quia sic decernit Iulius Tertius in Bulla quæ incipit *Meditatio*; apud Pegnam *in Director. Inquis. part.* 2. *comment.* 3. *ad cap. fraternitatis, de hæreticis*, Ibi: *Qui verò tales libros habuerint, eos consignare debent realiter, & cum effectu Inquisitoribus Ciuitatum, in quibus eiusmodi libri extiterint, tradere. Alioquin tanquam hæretici possint publicari.*

2 Quod si qui habet, eos tradat habentibus facultatē retinendi, satis probabiliter non perperam ageret: quia cùm hi habeant facultatem retinendi, habent etiam facultatem recipiendi ab habentibus; ac proinde habentes habent etiam facultatem tradendi, quia in relatiuis quod disponitur de vno, disponitur etiam de altero; *l. proinde, ff. ad leg. Aquil. l. sùm actum, ff. de negot. gest. cap. Translatio, de constitut. & cap. præterea, de offic. delegat.*

3 Quamuis non omninò improbabiliter Repertorium Inquisitorum *verb. libri*, Geminian. *in cap.* 2. *de hæreticis, num.* 2. Ioan. Andreas *ibidem*, Syluest. *verb. hæresis* 1. *num.* 10. Additionator ad Roman. *singul.* 326. *verb. limita* 2. Albertin. *de agnosc. Cathol. q.* 28. *n.* 14. Carrer. *tit. de hæretic. num.* 125. Locat. *in Praxi verb. libri, num.* 1. Campeg. *in Schol. ad suprà cit. locum Repertorij*, Decian. *lib.* 5. *crimin. cap.* 18. *num.* 15. *& cap.* 35. *n.* 21. *& cap.* 54. *n.* 28. Tamburin. *de hæretic. cap.* 7. Filiucc. *tract.* 16. *cap.* 2. *num.* 85. & alij quos citabam *dicta petitione* 3. putent, sufficere, si qui habet, dictos libros comburat.

Quod ex aduersariis satis probabile censent Fagundez, Bonacina, *in locis suprà citatis*, Pueron. *in Bull. Cœn. cap.* 1. *n.* 108. Diana *part.* 1. *tract.* 11. *resol.* 37. & Leander *part.* 4. *tract.* 3. *disput.* 1. *q.* 71. & admittunt Sanchez, Sousa, Suarez, Farinacius & Duardus, quod si qui habet, eos propria authoritate comburat, nullam incurrat censuram; quia censuræ propositæ in Bulla Iulij III. sunt contra habentem huiusmodi libros, nisi infrà sexaginta dies Inquisitoribus eos consignando dimittat: Vnde censuræ non afficiunt actionem comburendi, sed retentionem; sicque si comburantur, non habent locum censuræ (ex subtractione scilicet materiæ) sed solùm non seruabitur modus, quo subtrahi debet materia. Fagundez *cit. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 33. Sanchez *cit. cap.* 10. *n.* 56. Suarez *cit. sect.* 2. *num.* 23. & Leander *cit. disput.* 1. *quæst.* 70. contra Sousam *lib.* 1. *Aphor. Inquisit. cap.* 21. *num.* 20. & quosdam alios.

Immò, qui sic facit, si ex rationabili causa facit, omninò à censuris, & quacumque culpa excusabitur; quia tunc si non seruet prædictam Bullam Iulij III. ex iusta, & rationabili causa excusabitur. Alter. *lib.* 5. *de censur. disp.* 2. *cap.* 7. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *q.* 11. Fagundez *precept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 33. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9. *n.* 26. & Leander *de censur. tract.* 3. *disp.* 1. *q.* 72. contra Rodoriquez *in compend. resol.* 62. *n.* 1. & Roccaful. *part.* 3. *Praxis lib.* 3. *cap.* 8. §. *de retinentibus, dub.* 2. Vide quæ dicebam etiam suprà *dict. petit* 3.

PETITIO X.

An detur paruitas materiæ, non solùm ex parte temporis actus retinendi librum, sed etiam ex parte materiæ libri retenti?

SVMMARIVM.

1 *Paruitas materiæ datur non solùm ex parte temporis actus retinendi librum, sed etiam ex parte materiæ libri retenti, v. g. si quis retineat tantum folium, seu aliquam partem libri continentem hæreses, secundùm probabiliorem; quia dispar ratio est de retentione, ac de lectione, cum in retentione non sit illud periculum, quod est in lectione.*

2 *Liber retinetur absque vlla culpa, & absque vllo periculo excommunicationis, quamdiu expectatur opportunitas tradendi librum Inquisitoribus; quia obligatio tradendi, seu consignandi Inquisitoribus est moralis, & obligat humano modo, nempè secundùm opportunitatem.*

3 *Paruitas materiæ admittit vnum, vel alterum diem, data opportunitate tradendi librum, seu consignandi Inquisitoribus: quia talis retentio videtur modica ad incurrendam tantam pœnam.*

4 *Librum retinere, etiam breuissimo tempore, licèt aliqui dicant, esse peccatum mortale ex obiecto: Secus tamen est, quia non est magis mortale peccatum ex obiecto, quàm sit furtum, cùm sit peccatum ratione retentionis. Solùm igitur peccaret mortaliter retinens, si eliceret actum retinendi librum absolutè.*

5 *Proponens librum retinere absolutè si posteà propositum mutet, & tradat illum Inquisitoribus, non incurrit excommunicationem, secundùm probabiliorem sententiam; quia ad contrahendam censuram requiritur actus externus consummatus, qui secundùm se sit materia grauis.*

6 *Intendens furari quantitatem notabilem, si posteà furetur in quantitate parua non incurrit excommunicationem impositam furto.*

7 *Intendens hæresim v. g. Lutheri, si posteà eam explicet, profiteatur, seu consummet exterius per comestionem paruæ bucellæ carnis in die Veneris, vel in Sabatho, non incurrit excommunicationem impositam hæresi: quia censura, cùm sit ab Ecclesia, quæ solùm iudicat de externis, primò, & per se cadit super actum externum grauem.*

Respondetur quoad secundùm ex dictis petitione secunda, quod licèt Filiucc. *tract.* 16. *cap.* 2. *n.* 46. & Bonacin. *disput.* 2. *de censur. in particular. quæst.* 2. *punct.* 4. *n.* 16. negare videantur, quatenus volunt, retinentem, etiam vnicum tantùm libri folium, incurrere excommunicationem: Probabilius tamen affirment Suarez *disp.* 10. *de fide sect.* 1. *n.* 22. Fagundez *precept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 31. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 54. Roccaful. *part.* 3. *Praxis lib.* 3. *cap.* 8. §. *de retinentibus, dub.* 6. *circa finem*, & Leander *de censur. tract.* 3. *disput.* 1. *q.* 67. subdens, etiamsi dictum illud vnicum libri folium hæresim contineat. Quia dispar ratio est de retentione, ac de lectione, cùm in retentione non sit illud periculum, quod est in lectione. 1

Vnde, si pars libri, quæ retinetur, hæresim non contineat, maior quantitas habetur pro parua materia. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 25. & Leander *de censur. tract.* 3. *disput.* 1. *q.* 66. Adeò quod Vgolinus *part.* 1. *de censur. Papæ reseru. verb. ac retinentes, n.* 3. Fagundez *precept.* 1. *Decalog lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 32. & Pueron. *in Bull. Cœn. cap.* 1. §. *Ac eorumdem libros, n.* 160. putent, & quidem probabiliter, quod in tali casu locum non habeat excommunicatio; quia cessat ratio prohibitionis, seu conditio, sub qua prohibetur retentio; Et præterea non verificatur, quod contineat hæresim, quemadmodum, vt excommunicatio locum habeat, requirit Canon Bullæ Cœnæ.

Sicut autem datur paruitas materiæ quoad quantitatem libri retenti, sic etiam datur paruitas materiæ quoad tempus actus retinendi librum; Et in primis retinetur liber absque vlla culpa, & absque vllo periculo excommunicationis, quamdiu expectatur opportunitas tradendi librum Inquisitoribus. Vgolin. *part.* 1. *de censur. reseru. Summo Pontif.* §. 1. *verb. secundò* 2

Fagundez.

Fagundez *præcept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 35. Reginald. *lib.* 9. *Prax. for. Pænit. num.* 256. Sayr. *lib.* 3. *de censur. cap.* 5. *n.* 16. Graff. *part.* 1. *decision. lib.* 4. *cap.* 18. *n.* 47. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 53. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *canon.* 1. *q.* 31. *n.* 31. Bonacina *disput.* 1. *de censur. in particular. q.* 2. *punct.* 4. *n.* 13. Sousa *in Bull. Cœn. disput.* 16. *n.* 2. Ouied. 2. 2. *controuer.* 12. *n.* 23. & Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *n.* 44. Quia obligatio tradendi, seu consignandi Inquisitoribus est moralis, & obligat humano modo, nempè secundùm opportunitatem.

Accedit, quod retinens cum intentione consignandi Inquisitoribus non censetur retinere; quia talis retentio non est per se intenta, sed in ordine ad consignandum, ac proinde eodem iure censetur, ac ipsa consignatio.

3 Quinimmò, etiam data opportunitate tradendi, seu consignandi Inquisitoribus, pro paruitate materiæ admittitur vnus, vel alter dies; Fagundez, Sousa, Sanchez, Duardus *in locis suprà citatis*: Hurtad. *disp.* 10. *de censur. difficult.* 10. Ouied. 2. 2. *controu.* 12. *num.* 25. Roccaful. *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 8. §. *de retinentibus, dub.* 3. Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *n.* 43. & Leander *de censur. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 68. & 69. quia retentio vnius, aut alterius diei videtur modica retentio ad incurrendum tantam pœnam, qualis est excommunicatio.

4 Et quamuis nonnulli velint, quod sit peccatum mortale, retinere librum, etiam breuissimo tempore; quia est mortale peccatum ex obiecto, sicque in instanti committitur: Probabiliùs tamen est oppositum; quia non est magis mortale peccatum ex obiecto, quàm sit furtum, cùm sit peccatum ratione retentionis, quæ est quid quantitatiuum consistens in duratione actus retinendi librum: Ergo admittit paruitatem materiæ, sicut & admittit furtum. Solùm igitur, qui retinet, peccaret mortaliter, si eliceret actum voluntatis retinendi librum absolutè; quia talis actus esset prohibitionis violatio totalis.

5 An autem, qui proponit retinere librum absolutè, sed posteà propositum mutet, & tradat illum Inquisitoribus, incurrat excommunicationem?

Respondetur, quod quamuis, vt suprà dicebam, affirment Suarez *disp.* 20. *de fide sect.* 2. *num.* 27. & Petr. Hurtad. *de fide disput.* 76. §. 317. quia violat præceptum, quod habet annexam excommunicationem: Probabiliùs tamen negent Gaspard. Hurtad. *disput.* 10. *de censur. diffic.* 22. Diana *part.* 5. *tract.* 5. *resol.* 43. Ouied. 2. 2. *controu.* 12. *n.* 26. & alij, quos suprà ibidem citabam; quia ad contrahendam censuram requiritur actus externus consummatus, qui secundùm se sit materia grauis.

6 Quod inde patet; quia intendens furari quantitatem notabilem, si posteà furetur in quantitate parua, non incurrit excommunicationem impositam furto, sicut non incurrit excommunicationem Canon. *Si quis suadente diabolo*; impositum percussioni Clerici, si quis intendēs inferre Clerico iniuriam grauem, posteà inferat exterius iniuriam leuem. Nec etiam incurrit excommunicationem impositam hæresi, si quis intendens hæresim
7 v.g. Lutheri, posteà eam explicet, profiteatur seu consummet exterius per comestionem paruæ bucellæ carnis in die Veneris, vel in Sabatho.

Et ratio horum omnium est; quia censura, cùm sit ab Ecclesia, quæ solùm iudicat de externis; primò, & per se cadit super actum externum, scilicet grauem, cùm sit pœna grauis, posito actu interno, tanquam conditione sine qua non, etiam scilicet similiter graui; cùm censura, vtpotè pœna grauis, necessario supponat culpam grauem. Vnde siue grauitas deficiat ex parte actus interni, siue deficiat ex parte actus externi; & multo magis, siue simpliciter non ponatur actus internus, siue simpliciter non ponatur actus externus, censura non contrahitur.

Tom. I.

DVBITATIO XLI.

Quid dicendum de impressione?

SVMMARIVM.

1 *Impressio etiam expressè prohibetur sub censura reseruata in Bulla Cœnæ.*

2 *Causæ omnes qui sunt impressionis comprehenduntur in dicta censura, videlicet componentes literas, seu ordinantes typos, præparantes papyrum, & atramentum, prementes torcular, & similes.*

3 *Item Officinæ Patronus, seu Typographus, qui suscipit, quamuis propriis manibus non laboret; quia verè imprimere dicitur, & impressor nominatur.*

4 *Item Author libri, seu is, in cuius nomine liber imprimitur; quia in communi modo loquendi, hic est, qui imprimit.*

5 *Qui expensas pro impressione facit non comprehenditur in dicta censura; quia iste valde remotè ad impressionem concurrit, neque imprimere dicitur, neque impressor nominatur.*

6 *Idem dic de eo, qui literas æneas, atramentum, papyrum, & cætera vendit ad impressionem, vel donat.*

7 *Idem dic de Correctore, secundùm aliquos, non autem secundùm Auctorem putantem, illum non euitare censuram.*

8 *Hæreticorum fautores esse possunt, qui remotè ad impressionem concurrunt, si eas actiones præstent, vt hæresi faueant.*

9 *Imprimens incurrit censuras, nisi materiæ paruitas excuset.*

10 *Contra imprimentes libros hæreticorum procedi potest tanquam contra fautores hæreticorum, possuntque isti pœna arbitraria puniri.*

11 *Libri non imprimendi per Concilium Lateranense, & Tridentinum, nisi priùs per Episcopum, & Inquisitorem Apostolicum fuerint diligenter examinati sub pœna excommunicationis, & comburij librorum.*

12 *Religiosis non licèt imprimere, vel imprimi facere libros de rebus sacris sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum Superiorum, quæ licentia nō solùm requiritur pro libris imprimendis, sed etiam pro libris aliò vt ibi imprimantur transmittendis quoad illos Auctores, qui degunt intra statum Ecclesiasticum. Secùs tamen est de illis Auctoribus, qui per breue tempus manent intrà statum Ecclesiasticum, sed solum de iis, qui habitationem habent.*

13 *Libri siue ex professo, siue incidenter ex quouis prætextu de Auxiliis tractent, prohibentur imprimi per quascumque personas absque licentia Summi Pontificis obtinenda in sacra Congregatione Inquisitionis, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, &c.*

14 *Libri tractantes de aliquo puncto, seu quæstione de Auxiliis, non comprehenduntur in Decretis prohibentibus; quia aliud est materia de Auxiliis, aliud verò punctus, seu difficultas de Auxiliis.*

15 *Licentia Ordinarij in aliquibus locis non est in vsu, sed sufficit licentia Inquisitoris, præsertim in statu Veneto.*

SVPPONO, quod excommunicatio Bullæ Cœnæ comprehendat etiam imprimentes 1 Authoris hæretici librum qui hæresim contineat, vel de Religione tractet; si tamen scienter hoc faciant: Vnde, iuxta ea quæ dicebam Dubitationibus præcedentibus, excusantur, quamcumque ignorantiam de hoc habeant, & quidem vt plurimum excusantur, quia sunt homines rudes, linguam,

guam, vel materiam libri, quem imprimunt, non intelligentes. Et propterea si aliunde, à viro scilicet fide digno, non audiuerint, quod liber hæresim contineat, vel de Religione tractet, excommunicationem non incurrunt; quia autem hæc excommunicatio pro obiecto habet actionem imprimendi, consequens est, quod comprehendat omnes illos, qui talem actionem exercent, ita vt ab illa imprimentes denominentur. Finis enim legis est, adimere hæreticis commoditatem diuulgandi suos errores mediante impressione, & propterea prohibet actionem imprimendi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Suppono secundò, quod sub hac excommunicatione ex communi sententia Doctorum comprehendantur illi, qui ordinant typos, seu characteres, & illi, qui premunt torcularia; quia hæ duæ actiones sunt veluti duæ partes, in quibus consistit totalis actio imprimendi; cùm tunc incipiat impressio, quando iuxta exemplar propositum adaptantur characteres, vt conficiatur typus, & tunc compleatur, quando typus formatus supposito papyro suam formam impressit: Hi tamen omnes facilè excusari possunt ratione bonæ fidei, quia cùm non ad ipsos, sed ad Patronum Officinæ, seu Typographum pertineat inquirere, an quod imprimitur, iure imprimi possit, possunt præsumere, quod quidquid imprimitur, debito modo imprimatur. Doctores, quos sequitur Vgolin. *part. 1. de censur. Papæ reseru. verb. imprimentes*, §. 1. *n.* 3. & Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 34. n. 21. verb. est tamen.* His suppositis.

1 Respondetur: Et impressio etiam expressè prohi-
bita est, vti patet ex Textu eiusdem primæ clau-
sulæ Bullæ Cœnæ; ita vt comprehendantur omnes
illi, qui propriè impressionis causæ sunt, quique
2 verè imprimere dicuntur, eo quod sic ad impressio-
nem proximè cooperantur. Videlicet componentes
literas, seu ordinantes typos; præparantes papyrum,
& atramentum, prementes torcular, & similes;
cùm hi sint immediatè causæ impressionis. Item Pa-
3 tronus Officinæ, seu Typographus qui suscipit, quam-
uis propriis manibus non laboret: quia verè, præser-
tim si assistat imprimentibus exercens officium Proti,
4 dirigendo ipsos imprimentes, imprimere dicitur, &
impressor nominatur. Item Author libri, seu is, in
cuius nomine liber imprimitur; quia in communi mo-
do loquendi, hic est, qui imprimit. Ita Vgolinus *de
censur. Papæ reseru. 2. part. cap. 1. verb. imprimentes.*
Suarez *de fide disput. 20. sect. 2. num. 24.* Sayr. *cap. 5.
num. 17.* Graff. *part. 1. decis. lib. 4. cap. 18. num. 50.*
Sanchez *lib. moral. cap. 10. num 57.* & alij, quos in-
frà citabo.

5 Qui Doctores tamen negant, comprehendi (ex
hoc scilicet capite impressionis) eum, qui expensas
pro impressione facit; quia iste talis valdè remote ad
impressionem concurrit, neque imprimere dicitur,
neque Impressor nominatur. Idem docent de eo,
quid literas æneas, atramentum, papyrum, & cætera
6 ad impressionem necessaria vendit, vel donat: quia
& hæ actiones etiam nimis remotè ad impressio-
nem se habent. Idemque, præsertim Suarez *vbi
7 suprà*, docent de Correctore; quia hic non tam im-
primit, quàm impressum inspicit. Quamuis mihi,
quatenus ipsius inspectio, & correctio iuuat ad illud
impressum iterùm emendatè imprimendum, com-
prehendi videatur.

8 Vt omittam, quod saltem comprehendatur sub actione legendi: quia verè, dum corrigit, legit. Et vt omittam etiam, quod qui remotè ad impressionem concurrunt, possint fautores hæreticorum dici, presertim si eas actiones præstent, vt hæresi faueant: Sanchez *loco suprà citato*, & alij passim.

9 Cæterum, cùm dixi, quod imprimens incurrat censuras, intellige: nisi excuset materiæ paruitas, vel ignorantia, iuxta ea, quæ dicebam, de legente, & retinente.

Aduerte tamen hîc, quod ex dictis contra imprimentes hæreticorum libros procedi potest, tanquam contra fautores hæreticorum, possuntque isti pœna arbitraria puniri. Penna *in direllor. in cap. nouerit, vers. Item excommunicamus*, & Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 549. num. 1. & seqq. censur. 6.* qua de re extat etiam Edictum Cardinalium sanctæ Inquisitionis, editum anno 1544. apud Pennam inter literas Apostolicas, & constitutio Pij. IV. apud eumdem Pennam ibidem, quæ incipit: *Cùm pro munere.* 10

Aduerte secundo, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 10.* prohibetur, ne libri imprimantur, nisi priùs per Episcopum, & Inquisitorem Apostolicum fuerint diligenter examinati: quod si quis contrafecerit, statim incurrat excommunicationem, & libri comburantur. Et notant Couarruu. *lib. 4. variar. cap. 17. num. 1. vers. at hisce*, Castr. *lib. 1. de potest, leg. pœnal. cap. 8. vers. Est etiam*, Gambara *de offic. Legat. lib. 2. num. 430.* Felician. *de censur. tit. de excommunic. cap. 24. vers. qui librum*, Campanil. *in diuersor. iur. rubr. 12. cap. 13. num. 1.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 17. quæst. 1.* Cened. *ad Decretal. collectan. 8. n. 7.* Reginald. *in Praxi lib. 19. cap. 13. sect. 4. num. 256.* aliique passim. Et meritò, quia sine Principis facultate non potest moneta excudi: Ergo nec poterunt libri typis mandari, præsertim cùm magis Reipublicæ intersit, integram, & incorruptam habere fidem, quam integram, & incorruptam habere monetam. Videri poterit Plato *lib. 7. & 8. de legibus.* 11

Aduerte tertiò, quod etiam in Concilio Tridentino *sess. 4. Decret. de vsu & edit. sacr. libror.* prohibetur; *Ne liceat Religiosis imprimere, vel imprimi facere libros de rebus sacris sine approbatione Ordinarij, & licentia suorum Superiorum.* Quæ licentia non solùm requiritur pro libris imprimendis, sed etiam pro libris aliò, vt ibi imprimantur transmittẽdis quoad Authores, qui degunt intrà statum Ecclesiasticum, de quacumque materia tractent, ex Decreto Sacr. Congregationis Inquisitionis die 18. Septembris 1625. quod habetur inter Constitutiones Vrbani VIII. *tom. 4. Bullar. num. 50.* Comprehendit etiam dicta prohibitio Authores deferentes aliò libros, vt imprimantur: Vnde si quis recederet è statu Ecclesiastico, vt librum à se compositum aliò vt imprimatur, deferret, contraueniret dictæ prohibitioni; quæ tamen non intelligitur de iis Authoribus, qui ad breue tempus manent intrà statum Ecclesiasticum, sed solùm de iis, qui habitationem habent in tali statu: quia degere est habitare, §. *penultimo, Instit. de vsu, & habitatione*, & notant præter alios Thesaur. *in Praxi part. 2. verb. libri, num. 5.* & Lezana *eodem verbo libri, num. 2.* 12

Aduerte quartò, quod libri, siue ex professo, siue incidenter ex quouis prætextu de Auxilijs tractent, prohibentur imprimi per quascumque personas absque licentia Summi Pontificis obtinenda in Sacr. Congregatione Inquisitionis, ex Decreto Pauli V. in eadem Sacr. Congregatione Inquisitionis, edito, & ab Vrbano VIII die 22. Maij, anno 1625. confirmato, & in Bulla quæ incipit *In eminenti*, die 5 Martij, ann. 1641. in lucem data. Pœna verò in contra facientes sunt excommunicatio ipso facto incurrenda, interdictum Ecclesiasticum respectiuè, aliæque arbitrariæ, vt suspensionis, &c. cum reseruatione absolutionis, & relaxationis ipsi Summo Pontifici, & ipsi dictæ Sacr. Congregationi Inquisitionis: libri que ipso facto prohibiti censentur. 13

Aduerte quintò, quod prædicta Decreta non comprehendunt libros tractantes de aliquo puncto, seu quæstione de Auxiliis: quia aliud est materia de Auxilijs, aliud verò Punctus, seu difficultas de Auxiliis, aliàs materiæ, quæ habent connexionem cum materia de Auxilijs non possent, nisi imperfectè tractari. 14

Doctores

Doctores, quos sequitur Lezzana *tom. 1. quæst. Regular. cap. 10.*

15 Adverte sextò, quod in aliquibus locis, præsertim in Dominio Veneto, non est in vsu licentia Ordinarij, sed sufficit licentia Inquisitoris; vt constat ex praxi, quæ ex approbationibus ad ipsos impressos præfixis innotescit.

Sed vt hæc distinctiùs habeantur, sit:

PETITIO I.

An nomine imprimentis veniat Patronus Officinæ, seu Typographus, qui suscipit, quamuis propriis manibus non laboret?

SVMMARIVM.

1 *Imprimentis nomine venit Patronus Officinæ, seu Typographus, qui suscipit, quamuis propriis manibus non laboret, quia ad ipsum spectat totum negocium Typographiæ, contra nonnullos oppositum non improbabiliter sentientes, & cur.*

2 *Patronus Officinæ, seu Typographus, qui suscipit, si propriis manibus non laboret, & non incurrat excommunicationem, tanquam imprimens, incurrit tamen si scienter fecerit, tanquam retinens, & tanquam fautor.*

1 Respondetur ex dictis affirmatiuè: Vgolin. *part. 2. de censur. Papa reseru. verb. imprimentes, num. 1. & §. 1. num. 1.* Sayr. *lib. 3. de censur. cap. 5. num. 1.* Graff. *part. 1. decis. lib. 4. cap. 18. num. 50.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 47.* Fagundez *præcept. 1. Decalog. lib. 1. cap. 14. n. 35.* Bonacina *disput. 1. de censur. in partic. quæst. 2. punct. 4. num. 19.* & Leander *de censur. tract. 3. disp. 1. quæst. 82.* Præsertim quia ad ipsum spectat totum negotium Typographiæ: & propterea dicitur imprimere.

Quamuis contrarium non improbabiliter doceant alij, quos sequitur Duard. *lib. 1. in Bull. Cœn. quæst. 54. num. 10.* quia Patronus Officinæ, seu Typographus, qui suscipit, si propriis manibus non laboret, non est imprimens, sed potius propter Artem, quam profitetur, impressor: nec exercet actionem imprimendi, sed mandat eam exerceri. Hæc autem excommunicatio est contra imprimentes, & contra exercentes actionem imprimendi, non autem contra impressores, & contra mandantes, eam exerceri: qui propterea non sunt causa physica, sed solùm causa moralis impressionis: Ergo, &c.

Accedit, quod cùm hæc eadem excommunicatio sit contra legentes librum, propterea ex communi sententia Doctorum non comprehendit mandantes legi librum.

Accedit 2. quod Tridentinum Concilium *sess. 4. in Decretis de Editione, & vsu sac. libr.* volens includere mandantes, dixit: *Nulli liceat imprimere, vel imprimi facere quosuis libros, &c.*

2 At, quidquid sit de hoc, an scilicet Patronus Officinæ, seu Typographus, qui suscipit, si propriis manibus non laboret, non incurrat excommunicationem, tanquam imprimens, incurret tamen, si scienter fecerit, tanquam retinens in sua Officina, & etiam tanquam fautor, si id faciat fauore hæresis.

PETITIO II.

An nomine imprimentis veniat Author libri, vel tradens librum ad imprimendum?

SVMMARIVM.

1 *Imprimentis nomine venit Auctor libri, vel tradens librum ad imprimendum, contra aliquos Doctores non improbabiliter negantes; quia Auctor libri non exercet actionem imprimendi, & ideo non propriè imprimens, sed potius mandans dici debet.*

2 *Axioma Aristotelis: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, non obstat; quia imprimens non est imprimens propter Auctorem libri, sed ex actione propria, quam exercet.*

1 Respondetur ex dictis etiam affirmatiuè. Suarez *disp. 20. de fide sect. 2. n. 24. verb. illum verò.* Vgol. *part. 2. de censur. reseru. Pontific. verb. imprimentes, §. 1. n. 1. vers. Postremò,* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 10. n. 57.* Bonacina *disp. 1. de censur. in particular. q. 1. punct. 4. n. 19.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 9. n. 27.* Roccaf. *part. 3. Praxis lib 3. cap. 8. §. ac imprimentibus, dub. 1.* & Leander *de censur. tract. 3. disp. 1. q. 85.*

Quamuis non improbabiliter etiam negent Fagundez *præcept. 1. Decalog. lib. 1. cap. 14. n. 37.* & Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. quæst. 54. n. 1.* quia Author libri, vel tradens librum ad imprimendum, cùm non exerceat actionem imprimendi, non est propriè imprimens, sed potiùs mandans imprimi. Hæc autem excommunicatio, sicuti dicebam, non comprehendit mandantes. Ergo, &c.

2 Neque obstat, si dicas: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis;* ex Aristotele *1. Poster. cap. 1.* Ergo, si excommunicationem incurrit imprimens librum, multo magis eam incurret Author libri, vel tradens librum ad imprimendum.

Respondetur enim iuxta sententiam posteriorem, nego consequentiam: quia imprimens non est imprimens propter Authorem libri, vel propter tradentem librum ad imprimendum, sed immediatè ex actione propria, quam exercet, quæ primò incipit in ipso.

PETITIO III.

An nomine imprimentis veniat, qui expensas pro impressione facit?

SVMMARIVM.

1 *Imprimentis nomine non venit, qui expensas pro impressione facit; quia expensas pro impressione facere non est imprimere, contra aliquos Doctores oppositum sentientes, & multo minus si faciat expensas pro comparanda materia in ordine ad impressionem.*

2 *Expensas pro impressione faciens incurreret excommunicationem Bullarem, si id faceret fauore hæresis.*

1 Respondetur ex dictis, quidquid in contrarium dixerit Sayr. *lib. 3. de censur. cap. 5. num. 7.* Filliuccius *tract. 16. cap. 2. q. 9. n. 46.* & Graff. *part. 1. decis. lib. 4. cap. 18. num. 50.* negatiuè: sicque tenent Fagundez *præcepto 1. Decalogi, lib. 1. cap. 14. num. 36.* Suarez *de fide disput. 20. sect. 2. numer. 24.* Duard. *in Bullam Cœnæ lib. 2. quæst. 54. num. 5.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 57.* Trullench. *lib. 1. Decalog. cap. 3. dub. 9.* Roccaful. *part. 3. Praxis lib. 3. cap. 9. §. de imprimentibus, dub. 4.* Leand. *de censur. tract. 3. disp. 1. q. 84.*

& Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *n.* 46. quia expensas pro impressione facere non est imprimere: Ergo non incurrit præsentem excommunicationem, & multo minùs si faciat expensas pro comparanda materia in ordine ad impressionem, quia talis actio ad impressionem magis remotè se habet.

2 Solùm incurreret dictam excommunicationem, si id faceret fauore hæresis, vti dicebam.

PETITIO IV.

An nomine imprimentis veniat, qui fabricatur, vendit, vel donat characteres pro formandis typis, aut fabricatur, vendit, vel donat atramentum, papyrum, vel alia ad impressionem necessaria?

SVMMARIVM.

1 *Imprimentis nomine non venit, qui fabricatur, vendit, vel donat characteres pro formandis typis, aut fabricatur, vendit, vel donat atramentum, papyrum, vel alia necessaria ad imprimendum; quia omnes prædictæ actiones, & tota prædicta materia est indifferens ad inseruiendum impressioni huius vel illius libri.*

2 *Excipe nisi faciant animo fauendi hæreticis.*

1 RESpondetur ex dictis etiam negatiuè; Vgolinus *part.* 2. *de censur. Papa resern. verb. imprimentes,* §. 1. *n.* 2. & 3. Fagundez *præcept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 18. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 57. Duard. *in Bull. Cæn. lib.* 2. *q.* 54. *n.* 9. Trulleoch. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9. *n.* 27. Roccaful. *part.* 3. *Praxis lib.* 3. *cap.* 8. §. *de imprimentibus, dub.* 3. Leander *part.* 4. *tract.* 3. *disput.* 1. *q.* 86. & alij communiter; quia non exercet actionem imprimendi, sicque non aptatur ipsi dispositio Canonis Bullæ Cœnæ.

Confirmatur; quia omnes prædictæ actiones, & tota prædicta materia est indifferens, vt inseruiat impressioni huius, aut illius libri, & debet ab imprimentibus determinari; Ergo sopradictæ personæ neque remotè concurrunt ad determinatam actionem impressionis talis libri; & ideò, quamuis materiam prædictam talis libri impressioni adhibendam esse præuideant, non peccant fabricando, vendendo, vel donando prædictas res, quia fabricantur, venduut, vel donant rem indifferentem, quæ adhiberi possit impressioni boni, vel mali libri; vt propterea malitia primò incipiat in imprimentibus.

2 Solùm, qui fabricatur, vendit, vel donat prædictas res, incurrit excommunicationem præsentem, si id faciat animo fauendi hæreticis, vti dicebam.

PETITIO V.

An nomine imprimentis veniat, qui transcribit librum?

SVMMARIVM.

1 *Imprimentis nomine non venit, qui transcribit librum, contra Leandrum & alios, quia transcriptio etiam est indifferens ad inseruiendum impressioni libri, vel alteri fini.*

2 *Transcribens librum incurrit excommunicationem Bullarem, quia legit librum, & quia transcribendo librum fauet hæreticis.*

1 RESpondetur ex dictis etiam; quidquid in contrarium dixerint nonnulli, quos sequitur Leander *de censur. tract.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 87. negatiuè; quia transcriptio etiam est indifferens, vt inseruiat impressioni libri, vel alteri fini. Incurrit tamen excommunicationem, qui transcribit librum; quia legit librum, & quia transcribendo librum fauet hæreticis, cùm transcriptio sit quædam hæresis propagatio; Alter. *lib.* 5. *de censur. disput.* 2. *cap.* 8. *dub.* 2. Filliucius *tract.* 16. *cap.* 2. *quæst.* 6. *num.* 46. Roccaful. *part.* 3. *Praxis lib.* 3. *cap.* 8. §. *de imprimentibus, dub.* 4. & alij passim. 2

PETITIO VI.

An nomine imprimentis veniat Corrector Operis, quod imprimitur?

SVMMARIVM.

1 *Imprimentis nomine venit Corrector Operis, contra nonnullos oppositum sentientes ea ratione, quod Corrector non est imprimens, neque impressor, sed inspector, qua non obstante, eo nomine venit; quia Corrector Operis, quod imprimitur, exercet actionem imbibitam in ipsa impressione.*

2 *Corrector Operis si non incurrat excommunicationem bullarem, tanquam imprimens, incurrit saltem absque dubio, tanquam legens, & tanquam fautor hæreticorum, si eo animo faciat.*

RESpondetur ex dictis etiam, quod quamuis negent Vgolinus *part.* 2. *de censur. Papa reseruat. verb. imprimentes,* §. 1. *num.* 3. Suarez *disput.* 10. *de fide sect.* 2. *n.* 24. Fagundez *præcept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 36. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 57. Duard. *in Bull. Cæn. lib.* 1. 2. *quæst.* 54. *num.* 9. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 27. Roccaful. *part.* 3. *Praxis lib.* 3. *cap.* 8. §. *de imprimentibus, dub.* 4. & Leander *de censur. tract.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 83. quia Corrector non est imprimens: Probabilius tamen affirment Sayr. *lib.* 3. *de censur. cap.* 5. *num.* 17. Graff. *part.* 1. *decision. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 50. Fillucius *tract.* 16. *cap.* 2. *q.* 9. *num.* 46. & alij; Quia sicuti dicebam, Corrector Operis, quod imprimitur, exercet actionem imbibitam in ipsa impressione: siquidem impressio consistit in eo, vt id quod scriptum est in exemplari, transfundatur in typum, & è Typo transfundatur in folia, mediante torculari: Sed in hac actione cooperatur Corrector Operis quod imprimitur; cùm, si quid relictum est, quod non sit transfusum, curet transfundi: & si quid malè transfusum est, curet rectè transfundi, cuncque seruari in typo debitum ordinem: Quod est concurrere ad ipsius efformationem. Sicuti enim est concurrere ad impressionem, seu esse imprimentem, facere typum, ita etiam & facere, vt correspondeat exemplari: quod fit per correctionem; Ergo, &c. Et quo fit, quod corrigere non sit solùm inspicere quod imprimitur, cùm correctionis operatio non sistat in sola inspectione, vti dicebam. 1

At quidquid sit de hoc, an Corrector Operis, quod imprimitur, incurrat præsentem excommunicationem, tanquam imprimens; Incurrit saltem absque dubio, tanquam legens, & etiam si id faciat animo fauendi hæreticis, tanquam fautor hæreticorum, vti suprà pluries dicebam. 2

PETITIO

PETITIO VII.

An nomine imprimentis veniat, qui typos atramento tingit?

SVMMARIVM.

1 *Imprimentis nomine venit, qui typos atramento tingit, contra nonnullos negantes ea ratione, quod typos atramento tingere non sit imprimere in rigore vocabuli, qua tamen non obstante, considerandæ est actio veluti necessaria ad impressionem.*

1 RÉspondetur, quod quamuis nonnulli, qnos sequitur Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. quæst. 54. num. 5.* negent, quia typos atramento tingere non est in rigore vocabuli imprimere, cùm impressio constet solùm ex compositione, & prælo mandatione: nam solùm istæ duæ actiones sunt necessariæ ad impressionem: Probabilius tamen affirment Suarez *disp. 20. de fide, sect. 2. num. 14.* Fagundez *precept. 1. Decalog. cap. 14 num. 15.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 10. num* 57. Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 9. num. 27.* Roccaful. *part. 1. praxis, lib. 3. cap. 8. §. de imprimentibus, in principio,* & Leander *de censur. tract. 3. disp. 2. quæst. 81.* quia typos atramento tingere est etiam actio necessaria ad impressionem, cùm ex ipsa etiam impressio intrinsecè constet, nam tinctio proximè disponit ad imprimendum, estque veluti forma vltima, quæ dat vim imprimendi: Ergo, si componere, & ordinare typos sunt actio pertinens ad impressionem, quia exindè conficitur forma impressiua remota; tingere etiam similiter, quin & multò magis, erit actio pertinens ad impressionem, quia exinde ponuntur typi in forma impressiua vltima, & proxima.

PETITIO VIII.

An nomine imprimentis veniat, qui chartam madefacit, & qui chartam madefactam torculari supponit?

SVMMARIVM.

1 *Imprimentis nomine non venit secundùm probabiliorem sententiam, qui chartam madefacit: Venit tamen qui chartam madefactam torculari supponit, quia charta, quamuis madefacta, est tamen indifferens ad inseruiendum pro impressione huius, vel illius libri: At qui madefactam supponit, cooperatur dictæ impressioni.*

1 RÉspondetur, quod quamuis simpliciter affirmet Vgolinus *part. 2. de censur. Papa reseruat. verb. imprimentes, num. 1. & §. 1. num. 1.* Fagundez *precept. 1. Decalogi lib. 1. cap. 14. num. 15.* Grassius *part. 1. decision. lib. 4 cap. 18 num. 50.* Sayr. *lib. 3. Thesaur. cap. 5 num. 13.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 10. num* 57. & Leander *de censur. tract. 2. disput. 1. quæst. 81.* Et quamuis simpliciter negent è contra alij, quos sequitur Duard. *lib. 2. in Bull. Cœn. quæst. 54. num. 5.* quia neutra ex dictis actionibus est actio imprimendi: Probabilius tamen dicatur, quod nomine imprimentis non veniat qui chartam madefactam torculari supponit, quia charta, quamuis madefacta, est adhuc indifferens, vt inseruiat pro impressione huius, vel illius libri, ac proinde in chartæ madefactione non incipit actio imprimendi talem librum per excommunicationem prohibita. Non potest autem excommunicatio locum habere, vbi non reperitur actio per excommunicationem prohibita: Ergo. E contra verò, qui chartam madefactam torculari supponit, dum eam ad recipiendam typi talis impressionem adaptat, operatur ad talem impressionem, & consequenter reperitur in chartæ madefactæ suppositione actio per excommunicationem prohibita, nec est dicta chartæ madefactæ torculari suppositio indifferens, & remota ad haoc, vel illam impressionem, sicuti est chartæ madefactio, sed determinata, & intrinseca: Ergo, &c.

DVBITATIO XLII.

Quid dicendum de defensione?

SVMMARIVM.

1 *Defensio quoque expressè prohibita est in Bulla Cœnæ Domini, siue sit publica, siue occulta librorum hæreticorum, quouis ingenio, vel fauore præstita.*
2 *Defensio prædicta & verbis, & factis fieri potest.*
3 *Defensio fit factis, si librum occultas, vel alio modo impedis, ne deueniat in manus Inquisitorum, vel nè comburatur.*
4 *Defensio fit verbis, si rationes quæras, vt persuadeas, librum hæretici non esse comburendum, vel si rationes dissoluas, quibus impugnatur, &c.*
5 *Defensio est, si dicas, hic liber, seclusa hæresi, est optimus, aut combustione non dignus, quia iam defendis verbis: Quod tamen intellige, si coram aliis id dicas, secus si nullus audit.*
6 *Idem dic de scriptis in suo cubiculo laudante.*

RESPONDETVR, & defensio quoque expressè prohibita est in Bulla Cœnæ canon. 1, siue sit defensio publica, siue occulta librorum hæreticorum, quouis ingenio, vel colore præstita, ibi: *Seu quomodolibet defendentes ex quauis causa, publicè, seu occultè, quouis ingenio, vel colore.* Et ideo censetur prohibita sub hac excommunicatione quælibet defensio, quæ retineat veram rationem defensionis, qualis non esset defensio ironica, cùm hæc non sit defensio, sed potiùs refutatio. Et quia in Canone adhibetur dictio, *quomodolibet*, prohibetur defensio non solùm directa, sed etiam indirecta, cùm dictio quomodolibet complectatur omnem modum, quo potest contingere defensio. Ioan. Andr. *in cap. indemnitatibus, num 1. de sent. excommunic. in 6.* Archidiacon. *ibidem num. 4.* Hyppolit. *consil. 80. num. 38.* Menoch. *de recuperand. possess. remed. 6 num. 15.* & Rota *decis. 505 num. 19 part. 1. diuers.* complectitur enim omnem modum excogitabilem, eadem Rota *decis. 338. num. 3. part. 4. Rec.* 1

Quæ defensio & verbis, & factis fieri potest. Factis 2
si librum occultas, vel alio modo impedis, ne deueniat in manus Inquisitorum, ne capiatur, vel nè comburatur. Doctores, quos citat, & sequitur Suarez *de fide disp. 20. sect. 2 num. 25.* & Sanchez *lib. 2. moral. c. 10. num. 58.* Verbis, si dicas, librum iniustè comburi, aut 4
prohiberi, vel si rationes quæras, vt persuadeas, librum hæretici non esse comburendum, vel si rationes dissoluas, quibus impugnatur, vel si in sui fauorem rationes inuestiges, etiamsi hæc omnia occultè, & solus facias, & occasione inquirendæ veritatis: Ita vt si prædicta faceres, dicaris defensor librorum hæreticorum, Suarez, & Sanchez in locis suprà citatis.

Petitio Prima.

An sit defensio, si dicas: hic liber, seclusa hæresi, est optimus, vel prohibitione, aut combustione non dignus?

5 RESpondetur ex Suarez *cit. num.* 25. Leandro infrà, & aliis passim affirmatiuè, quia iam defendis verbis. Vide tamen, quæ dicam in Addendis Petitionis secundæ.

Quod tamen intellige, quando coram aliis id dicis, secùs, si nullus audit, quia tunc nulla videtur esse illius libri defensio.

6 Neque obstat, si scriptis in tuo cubiculo librum laudes, vocari defensionem: Quia forsan (qua de re tamen infrà *Petitione* 4.) dispar ratio est, cùm scriptura sit quid permanens, & per illam continuò defendas, verba verò transeant, Sanchez *num.* 58. & Vgolin. *verb. Ac eorum quomodolibet*, *num.* 2. *vers. tertiò*.

PETITIO II.

An sit defensio, si liber de Religione tractet, neque vllam hæresim contineat, tu verò eius doctrinam laudes?

SVMMARIVM.

1 *Defensio non est, si liber de Religione tractet, neque vllam heresim contineant, laudare ipsius doctrinam, quia laudatur quod bonum est.*

2 *Idem dicendum, si laudetur stylus, ingenium, & modus procedendi.*

3 *Laudans librum, ita vt laus cadat suprà stylum, eloquentiam, vel ingenium Authoris, vel suprà aliquid aliud, si non se extendat ad errores, non incurrit excommunicationem, quia hoc non est defendere librum heretici: Non enim laudatur liber ratione heresis.*

4 *Laudans absolutè librum continentem errores, ex communi opinione Doctorum incurrit excommunicationem, secus si liber tractet de Religione, & non contineat errores.*

5 *Absoluta laudatio si etiam tacitè excludat heresim, seu errores, sic laudans neque incurrit excommunicationem.*

6 *Laudans in libro heretici errores continente quod est catholicum, vel quod continet doctrinam sanam, non incurrit excommunicationem, quia hoc non est defendere librum heretici, sed defendere doctrinam sanam.*

7 *Laudans precisè doctrinam aliquam nouam Authoris libri heretici, que tamen esset sana, & consonaret principiis fidei, & liber alias contineret errores, non incurrit excommunicationem, quia non facit actionem in canone Bulle prohibitam, nempe defendere librum heretici.*

8 *Dicens, quod talis liber non debuisset prohiberi, comburi, vel quod sit vtilis, incurrit excommunicationem Bulla, secus si diceret in ordine ad sanam doctrinam, que in libro continetur, vel quod liber potuisset purgari, vel alias futurus esset vtilis.*

1 RESpondetur negatiuè, Doctores communiter, quos sequitur Leander *de censur. tract.* 3. *disput.* 1.
2 *quæst.* 96. quia laudas, quod bonum est. Idemque dicendum, si laudes stylum, ingenium, & modum procedendi, quamuis cautè hîc procedere debeas, ne videaris Authori fauere, vel intendere, minùs benè ab Ecclesia esse illum prohibitum, Sanchez & Vgolinus suprà. Farinacius *de heresi quæst.* 180. *num.* 12. & alij communiter.

Aduerte tamen hîc, conuenire Doctores, quod non incurras excommunicationem, si sic laudes librum, vt 3
laus cadat suprà stylum, eloquentiam, vel ingenium Authoris, vel suprà aliquid aliud, & non se extendat ad errores, Suarez *disp.* 20. *de fide sect.* 2. *num.* 25. Fagundez *precept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 43. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 20. Quied. 2. 2. *contron.* 12. *num.* 31. Roccaful. *part.* 3. *praxis lib.* 3. *cap.* 8. §. *de defendentibus*, Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 18. Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *num.* 55. & Leander *de censur. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 95. Quia hoc non est defendere librum hæretici, cùm non laudetur liber ratione hæresis, propter quam ille prohibetur defendi.

Aduerte secundò, esse communem opinionem 4
Doctorum, quod si absolutè laudes librum, & liber contineat errores, incurras excommunicationem, iuxtà ea, quæ dicebam petitione prima, secus si liber tractet de Religione, & non contineat errores, iuxtà ea, quæ dicebam iam suprà petitione secunda, quia laudare primo modo librum, esset defendere librum, laudare autem secundo modo librum, non est defensio libri, vt habet hæreticum pro Authore, cùm supponatur liber continere doctrinam sanam.

Aduerte tertiò, non esse tamen omninò improbabile 5
contrà istam communem opinionem Doctorum, quod etiam in absoluta laudatione attendendus sit modus laudandi, ita vt si absoluta laudatio, etiam tacitè, excludat hæresim, seu errores, sic laudans neque incurrat excommunicationem, quia liber solùm ratione errorum prohibetur defendi, atque adeò & laudari.

Ex quibus sequitur, quod si in libro hæretici con- 6
tinente errores, laudes quod est catholicum, vel laudes quod contineat doctrinam sanam, non incurras excommunicationem, Suarez *dispu.* 20. *de fide sect.* 2. *num.* 25. Vgolin. *de censur. Papa reseruat. part.* 1. *cap.* 1. *vers. Ac eorum quomodolibet defendentes*, *num.* 2. Fagundez *precept.* 1. *Decalogi lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 43. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 58. Trullench. *lib.* 1 *in Decalog. cap.* 3. *dub* 9. *num.* 18. Leander *de censur. tract.* 3. *disp* 1. *quæst.* 94. & Roccaful. *part.* 3. *praxis lib.* 3. *cap.* 8. §. *de defendentibus*, *dub.* 5. Quia hoc non est defendere librum hæretici, sed defendere doctrinam sanam, & quia liber hæretici solùm prohibetur defendi, quatenus habet hæreticum pro Authore, sed doctrina sana non habet hæreticum pro Authore: Ergo, &c.

Quin etiam, si Author libri hæreticus traderet 7
doctrinam aliquam nouam, quæ tamen esset sana, & consonaret principiis fidei, & liber alias contineret errores, adhuc tu talem doctrinam præcisè laudans, non incurreres excommunicationem: Quia non faceres actionem in Canone Bullæ prohibitam, quæ est defendere librum hæretici; cùm tunc laudando non defenderes librum, sed defenderes, quod bonum est in libro: Præsertim quia liber non prohibetur defendi, nisi ratione errorum, qui continentur in libro.

Sequitur secundò, quod quamuis, si dicas, quod 8
talis liber non debuisset prohiberi, non debuisset comburi, vel quod sit vtilis, &c. incurras excommunicationem iuxta ea, quæ suprà dicebam, & tenent Alterius *lib.* 5. *de censur. disp.* 2. *cap.* 8. Fagundez *precept.* 1. *Decalog. lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 39. Trullench. *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 3. *dub.* 9. *num.* 18. Roccaful. *part.* 3. *praxis lib.* 1. *cap.* 8. §. *de defendentibus*, *dub.* 1. & Leander *de censur. tract.* 3. *disp.* 1. *quæst.* 93. Limitanda tamen sis hæc doctrina, vt locum non habeat, si hæc diceres in ordine ad sanam doctrinam, quæ in libro continetur, vel quod liber potuisset purgari, vel alias futurus esset vtilis, &c. quia in tali casu non defenderes librum, quatenus liber prohibetur defendi, cùm solùm liber prohibeatur defendi ratione errorum.

Atque

Atque adeò in tali casu non interueniret actio prohibibita, & per consequens nec excommunicatio, quamuis debeas in dicto casu cautè procedere, iuxtà ea quæ suprà dicebam.

PETITIO III.

An sit defensio, si solùm dicas, te velle defendere hunc librum?

SVMMARIVM.

1 *Defensio est dicere, se velle defendere hunc librum, quia ista voluntas sic significata retrahit impugnatores, & illos quasi difficiliores reddit ad subuertendum librum, cùm videant adesse hîc & nunc aliquem Patronum, contra alios Doctores negantes, quia id non est defendere, sed solùm significare animum defendendi.*

2 *Velle facere licet non sit facere, præsertim quando agitur de censura, quæ non imponitur nisi pro actu externo, in casu tamen prædicto ex declarata voluntate faciendi resultat id ipsum, quod prohibetur.*

3 *Loquens dicto modo, si nemo audiret, excommunicationem bullarem non incurreret, quia tunc nulla resultaret defensio.*

1 REspondetur, quod licet Sanchez, Vgolinus, & Farinacius *in locis suprà cit.* Fagundez *precept. 1. Decalogi lib. 1. cap. 14. num. 42.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 9. num. 28.* Roccaful. *part. 3. praxis lib. 3. cap. 8. §. de defendentibus, dub. 2.* & Leander *de censur. tract. 3. disput. 1. quæst. 92.* negent, quia id non est defendere, sed solum significare animum defendendi, quamuis secùs sit (subdunt ipsi) si iam aggressus esses defensionem, aut iam in procinctu esses, & prouocares ad disputandum, quia ipsamet prouocatio, & ad disputationem præparatio est defensio quædam: Probabilius tamen sit oppositum, quod tenent Doctores, quos sequitur Oued. *2. 2. controu. 12. num. 31.* In vtroque casu scilicet, regulariter loquendo, defensionem esse. Quia illa voluntas sic significata retrahit impognatores, & illos quasi difficiliores reddit, librum subuertere, cùm videant adesse hîc, & nunc aliquem Patronum: Ergo licet hæc significatio non sit per disputationem defensio, sed illius significatio, talis tamen significatio est quædam implicita, & exercita defensio.

2 Confirmatur, quia licet velle facere non sit facere, præsertim quando agitur de censura, quæ non imponitur, nisi pro actu externo: In casu tamen nostro ex declarata voluntate faciendi resultat idipsum, quod prohibetur, scilicet defensio exercita, saltem indirecta. Nam dum quis audit, quempiam velle defendere librum, formare potest conceptum, quod liber sit defendibilis, sicque talis locutio conciliat libro authoritatem aliquam: & consequenter dicere, se velle defendere librum, licet non sit defendere illum exercitè directè, erit saltem defendere illum exercitè indirectè.

3 Si nemo tamen hoc audiret, sic loquens excommunicationem non incurreret, quia tunc ex ipsius locutione nulla resultaret defensio, etiam indirecta.

PETITIO IV.

An incurras excommunicationem, si loquaris, vel scribas in defensionem libri, sed nemo sit præsens, cui nota fiat talis locutio, vel scriptio?

SVMMARIVM.

1 *Loquens, vel scribens in defensionem libri nemini tamen notificata defensione, licet secundum plures Doctores incurrat excommunicationem, quia canon Bullæ Cœnæ ponit dictiones (quomodolibet, & occultè:) contrarium tamen non est omninò improbabile.*

2 *Dictio (quomodolibet) licet comprehendat quemlibet modum, non tamen excedit subiectam materiam, & consequenter comprehendit solos modos eiusdem speciei.*

3 *Dictio (occultè) cadit suprà eandem speciem defensionis, præsertim quia sumitur prout contradistinguitur à dictione publicè, vel occultè.*

REspondetur, quod quamuis affirment Vgolinus *de censuris Papæ reseru. cap. 1. verb. Ac eorundem libros, num. 2.* Toletus *lib. 1. cap. 19. num. 9.* Fagundez *precept. 1. Decalog. lib. 1. cap. 4. num. 40.* Sayr. *lib. 3. cap. 5. num. 17.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 58.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 9. num. 28.* Roccaful. *part. 3. praxis lib. 3. cap. 8. §. de defendentibus, dub. 1.* Leander *de censur. tract. 3. disput. 1. quæst. 90.* & alij passim, quia Canon Bullæ Cœnæ ponit dictiones *quomodolibet*, & *occultè*: contrarium tamen non sit omninò improbabile. 1

Probatur, quia licet dictio *quomodolibet* comprehendat quemlibet modum, non tamen excedit subiectam materiam & consequenter comprehendit solos modos eiusdem speciei, Cassador. *decis. 7. num. 7. de appellation.* Syluan. *consil. 40. num. 33.* Cephal. *cons. 44. n. 76.* & Rota *decis. 107. part. 1. diuers.* Ergo si Canon Bullæ Cœnæ procedat solùm de defensione, quæ fiat cum effectu apud aliquem, vt procedere videtur, cùm sit pœnalis, comprehendet tantùm omnem modum talis defensionis, non autem etiam aliam defensionem, veluti in habitu. 2

Rursus dictio *occultè*, cadit suprà eandem speciem defensionis, præsertim quia sumitur, prout contradistinguitur à dictione *publicè*, sicuti constat ex textu ibi: *publicè, vel occultè*: Ergo, quemadmodum publicum dicitur, quòd fit non solùm palam, sed etiam quod fit coram magna parte populi. Doctores, quos sequitur Bertazol. *de clausul. instrum. clausul. 1. n. 17.* Sic occultum dicitur, quod fit non coram populo, vel coram magna parte populi, sed tantum coram aliquibus: sicque liber hæretici dicitur defendi publicè, si defendatur coram populo, vel coram magna parte populi. Dicitur verò defendi occultè, si defendatur tantum coram aliquibus. 3

Itaque, si Canon Bullæ accipiatur de defensione, quæ fiat cum effectu coram aliquo (vt accipi debere videtur, cùm sit pœnalis, vti dicebam) non incurres excommunicationem, si verbo, vel scripto defendas, nemine sciente.

PETITIO V.

An incurras excommunicationem, si defendas librum disputationis causa?

SVMMARIVM.

1 *Defendens librum causa disputationis, si mens disputantis sit praua, incurrit excommunicationem, secus tamen si sit recta, secundùm plures Doctores: At attendendum est quò tendat defensio disputationis causa, quia si tendit ad stabiliendos errores, & hunc effectum*

effectum possit sortiri, praua, vel recta sit mens disputantis, incurrit excommunicationem, secus si tantum tendat ad inquirendam veritatem.

2 *Referens aliquam hæresim in ordine ad illam confutandam, adhuc non incurrit excommunicationem.*

1 RESpondetur, quod quamuis affirment Viuald. *in Bull. Cœn. excommunic.* 1. *n.* 11. Vgol. *de censur. Papæ reseru. part.* 2. *c.* 1. *vers. Ac eorum libros quomodolibet defendentes, n.* 4. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 10. *n.* 58. Rocaful. *part.* 3. *prax. lib.* 3. *c.* 8. §. *de defendentib. dub.* 3. Trullench. *lib.* 1. *in Decal. c.* 3. *dub.* 9. *n.* 58. Leander *de censur. tract.* 5. *disp.* 1. *q.* 92. & alij communiter. Et quamuis alij, quos sequitur Fagund. *precept.* 1. *Decal. lib.* 1. *c.* 14. *n.* 41. distinguant, quod incurras excommunicationem, si mens tua disputantis sit praua, secus si sit recta: Probabilius tamen dicatur, attendendum esse hîc quò tendat defensio disputationis causa, quia si tendat ad stabiliẽdos errores, & hunc effectum possit sortiri, siue mens tua disputantis sit praua, siue recta, incurris excommunicationem, quia reuera suscipis defensionem, quæ sit prohibita. Prohibetur enim defensio, quæ apta sit sortiri effectum defensionis, qui est stabilire errorẽ, qui defenditur. At si defensio sit talis, vt ex se non tendat ad stabiliendos errores, sed ad inquirẽdam veritatem, vel ad ostendendam infirmitatem motiuorum, quibus mouentur hæretici ad tales errores tenendos, non incurres excommunicationem, quia hæc non est vera defensio, quæ sola prohibetur, & non alia.

2 Hinc sequitur, quod referens aliquam hæresim in ordine ad ipsam cõfutandam, adhuc non incurras excommunicationem, si pro ea stabilienda noua argumenta, vel nouas instantias contra solutiones, quæ à Catholicis afferuntur pro argumẽtis hæreticorum, proferas, quia hoc modo non stabilitur hæresis, vt stabilitur hæresis, vt ftatet, sed vt magis rueret, ac proinde non esset verè defendere, sed vti defensione in ordine ad ruinam. At in Canone Bullæ prohibetur solùm vera defensio, quæ scilicet sistit in defensione, & non tendit vlteriùs in contrarium: Ergo, &c.

PETITIO VI.

An incurras excommunicationem, si impedias librum, ne perueniat ad manus Inquisitorum?

SVMMARIVM.

1 *Impediens librum ne perueniat ad manus Inquisitorum incurrit excommunicationem, quouis modo impediat, etiam aliqua arte, vel indirectè.*

2 *Doctores communiter Canonem accipiunt de quacumque defensione, qua manutenetur liber, & ideò ad incurrendam censuram, sufficit etiam defensio materialis, & cur.*

1 RESpondetur affirmatiuè, quouis modo impedias, etiam aliqua arte, vel indirectè. Sayr. *lib.* 3. *de censur. c.* 5. *n.* 18. Toletus *lib.* 1. *c.* 19. *excommun.* 1. *Bull. Cœn. n.* 16. Vgol. *part.* 2. *de censur. Papæ reseru. cap.* 1. *vers. Ac eorum quomodolibet.* Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 58. Leander *de censuris tract.* 3. *disp.* 2. *quæst.* 93. & alij communiter. Quia cùm sic impedias, est quædam libri defensio.

Quod si dicas: Canon Bullæ non videtur procedere de defensione, qua liber materialis defenditur, sed de defensione, qua defenduntur errores quos liber continet, quia cùm liber materialis non sit capax offensionis, non erit etiam capax defensionis. Et quia tunc solùm censetur defendi liber, quando defenditur doctrina contenta in libro. Ergo si Canon Bullæ procedat de hac defensione, de qua solùm procedere videtur, non habebit locum excommunicatio Bullæ.

Respondetur, adhuc oppositum esse dicendum, saltem ex eo, quia Doctores communiter Canonem accipiunt de quacumque defensione, qua manutenetur liber: Et meritò, quia cùm liber contineat errores, & manutenatur, facilè inferre poterit doctrinæ infectionem.

***

DVBITATIO XLIII.

An sub prohibitione Bullæ Cœnæ præter lectionem, retentionem, impressionem, & defensionem, comprehendantur aliæ similes actiones?

SVMMARIVM.

1 *Aliæ etiam actiones comprehenduntur sub prohibitione Bullæ præter lectionem, retentionem & impressionem, si non expressè, saltem implicitè, vt v. g. libri hæretici transcriptionem, venditionem, emptionem, asportationem, diuulgationem, & similes.*

2 *Excommunicatio, & aliæ pœnæ contra vendentes, ementes, & asportantes huiusmodi libros latæ sunt expressè in decretis supradictis Iulij III. Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V.*

3 *Hæreticorum libros transcribentes sunt puniendi, tanquam libros hæreticorum tenentes, tanquam de hæresi suspecti, & etiam tanquam hæreticorum fautores.*

4 *Hæreticorum libros deferentes ad Terras Fidelium, censentur fautores, sunt excommunicati, & si fuerint viles, sunt verberibus afficiendi: si verò Nobiles, exilio mulctandi, ipsorumque bona confiscanda.*

RESPONDETVR affirmatiuè, si non expressè, saltem implicitè, vt v. g. libri hæretici transcriptio, venditio, emptio, asportatio, diuulgatio, & similes, Azor. Farinac. Menoch. & Penna in locis infrà citandis. Quia omnes huiusmodi actiones, si non expressè, saltem implicitè continentur sub lectione, retentione, vel defensione, cùm transcriptio libri coniuncta sit cum lectione, ac retentione illius. Idemque est de venditione, emptione, asportatione, & diuulgatione, quæ sine retentione fieri nullatenus possunt. 1

Accedit, quod expressè Decretis supradictis Iulij III. Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. excommunicatio, & aliæ pœnæ contra vendentes, ementes, & asportantes huiusmodi libros latæ sint, vt videre est apud Pegnam 2. *part. director. comment.* 3. *ad cap. Fraternitatis, & commentar.* 17. *ad cap. Nouerit, de sent. excommunic.* & apud Farinac. *de hæresi quæst.* 180. *num.* 15. *& seqq.* 2

Et quidem quoad transcribentes videri poterit Azor. *tom.* 1. *lib.* 9. *cap.* 17. *quæst.* 5. vbi ait, quod qui libros hæreticorum transcribunt, sint puniendi, tanquam libros hæreticorum tenentes, tanquam de hæresi suspecti, & etiam tanquam hæreticorum fautores. Farinac. *de hæres. quæst.* 180. §. 1. *num.* 18. vbi inquit, quod huiusmodi transcribentes ex Concilio Lateranensi reputentur similiter suspecti de hæresi, sintque arbitraria pœna coërcendi. Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *cas.* 549. *num.* 1. *& seqq. centur.* 6. vbi asserit, quod ex Constitutione Pij V. in Indice librorum prohibitorum *regul.* 10. sint puniendi pœna arbitraria. Penna *in director. Inquisit. in cap. Nouerit, vers. sed quæ,* vbi refert quod olim de Iure ciuili, & nouella Constitutione Iustiniani punirentur pœna amputationis manus. 3

Et quoad deferentes notat Farinac. *loco suprà citato, num.* 15. quod qui hæreticorum libros ad Fidelium Terras deferunt, censeantur fautores hæreticorum, sint excommunicati, & si fuerint viles, sint verberibus afficiendi, si verò Nobiles, exilio mulctandi, ipsorumque bona confiscanda. Quod idem asserunt Penna *in Addit. ad director. Inquis. part.* 3. *comment.* 17. *ad cap. Nouerit, de sent. excommunicat.* & Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 17. *quæst. vltima.* 4

DVBITATIO LXIV.

Quid sequatur ex dictis Dubitatione 35. & sequentibus.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationem Summo Pontifici reseruatam incurrunt qui heretici librum heresim continentem, vel de Religione tractantem sine Sedis Apostolicæ auctoritate scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodocumque defendunt.*

2 *Conditiones quatuor requiruntur, vt excommunicatio ex hoc capite contrahatur.*

3 *Prima conditio est, vt liber ab hæretico scriptus sit, siue vno ex recentioribus, siue ex antiquis ab Ecclesia damnatis.*

4 *Tertulliani, & Origenis scripta, quamuis errorem contra fidem contineant, propter eruditionem admittuntur, & quia nullum iam periculum timetur.*

5 *Liber scriptus ab hæretico, nihil refert, an sit typis mandatus: quia semper verè, & propriè hæretici liber est.*

6 *Legens, quamuis praua intentione hæresim discendi, hæreses scriptoris hæretici in libro Authoris Catholici ad verbum insertas, non incurrit excommunicationem, quia non legit librum hæretici.*

7 *Legens adiecta scholia, vel adnotationes Authoris hæretici in Catholici scriptoris libro, vel in quouis alio hac Bulla Cœnæ excommunicatione non comprehenso, non incurrit excommunicationem: quia non censetur liber esse hæretici, sed Catholici.*

8 *Limita nisi commentarij tam copiosi essent, vt tam censeretur liber potiùs ex eis, quàm ex Textu constare.*

9 *Legens, vel supprimens apertè hæreses contentas in libro Catholici Auctoris, vel qui publicè à Catholicis habetur, excommunicationem non incurrit.*

10 *Secunda conditio est, vt liber, vel hæresim in se contineat, vel de Religione tractet, nempe sacram Scripturam interpretando, Theologiam docendo, &c.*

11 *Hæreticorum libri Philosophici, Medici, Iuridici, Historici, Poetici, & similes prohibiti non sunt, si nullam hæresim contineant.*

12 *Hæreticorum libri, qui ex professo de Religione tractant, quamuis nullum errorem contra fidem admixtum habeant, prohibiti sunt.*

13 *Hæreticorum libri, qui non ex instituto de Religione tractant, sed obiter aliquam hæresim continent, prohibiti non sunt.*

14 *Bulla Cœnæ constitutio in partibus Septentrionalibus non est recepta cum tanto rigore: retinentur enim in Catholicorum Bibliothecis, & leguntur libri Philosophici, Medici, Iuridici, & Historici hæreticorum, exceptis eorum historiis, vt Ioannis Auentini, & Sebastiani Mnsters, & cur.*

15 *Legentes libros hæreticos, secundum Becanum, vbi Bulla Cœnæ Domini, vel Index librorum prohibitorum receptus non est, vt in Germania, Gallia, Anglia, & aliis prouinciis Catholicis, non excommunicantur.*

16 *Librorum prohibitorum Indicis regula octaua obseruanda non venit in Germania, quia ibi non sunt Inquisitores: quamuis consulunt huiusmodi libros hæreticorum expurgandos Theologis tradi debere.*

17 *Tertia conditio est, vt aliquis huiusmodi libros scienter legat, retineat, vel imprimat, &c. Vnde si ignoret etiam crassa ignorantia librum hæretici esse, &c. censuras non incurrit.*

18 *Praua legentis intentio, vel affectus hæresim concipiendi, ad istam censuram contrahendam non requiritur, sed sufficit etiam sola curiositas.*

19 *Quarta conditio est, vt id quod legitur, sit materia notabilis, & sufficiens ad peccatum mortale, quia cum in aliis rebus materiæ paruitas excuset à mortali, non est, cur non excuset etiam in ista.*

20 *Toleti opinio dicentis, vnam, vel alteram lineam sufficere ad peccatum mortale, reiicitur.*

21 *Pagina vna, licet liber sit ex maioribus voluminibus, secundum aliquos Doctores non est materia sufficiens ad excommunicationem istam contrahendam, quorum opinio secundum Confessarij prudentiam, si nimis laxa videatur, moderari poterit.*

22 *Vir doctus, & prudens nihil peccat, si locum aliquem contradicentis in hæretico scriptore quærat, certò sperans, eo exhibito, alterum ad fidem catholicam se perducturum esse.*

23 *Hæreticorum librorum lectio cur in locis Septentrionalibus non cum tanto rigore prohibita censeatur ratio recensetur, quia ad eos conuincendos necessarium putatur eorum libros legisse.*

24 *Librorum prohibitorum classis duplex est: In prima ponuntur Authores omnes hæretici, vel de hæresi suspecti, hæresiarchæ, & hæreticorum capita, &c.*

25 *Librorum prohibitorum secunda in classe ponuntur libri qui doctrinam non sanam, suspectam, vel moribus fidelium repugnantem, continere putantur.*

26 *Librorum prohibitorum inter duas has classes duo discrimina esse recensentur.*

27 *Primum discrimen est, quod primæ classis prohibitio fit propter Authores hæreticos, quorum proinde omnes libri scripti de materia Religionis prohibentur.*

28 *Secundæ classis prohibitio est propriè errores, seu doctrinas falsas, quæ in quibusdam libris etiam Catholicorum Authorum deprehenduntur, cuiusmodi tamen libri non priùs censentur prohibiti, quàm expressè in Indice relati fuerint.*

29 *Secundum discrimen est, quod libri primæ classis prohibentur sub excommunicatione Pontifici reseruata per Bullam Cœnæ Domini: libri verò secundæ classis prohibentur sub excommunicatione non reseruata.*

30 *Regulâ septima Indicis prohibentur libri cuiuscumque Authoris res obscœnas, seu lasciuas ex professo tractantes, iis exceptis, quæ à Gentilibus, v.g. Poetis compositi sunt.*

31 *Regulâ octaua Indicis prohibentur omnes libri, & omnia scripta magica, quamuis ob lectionem librorum obscœnorum, vel magicorum excommunicationis censura non contrahatur; sed solum peccatum mortale committatur, si materiæ paruitas non excuset.*

32 *Regulâ quarta Indicis prohibetur, ne fideles sacra Biblia vulgari lingua, sine Episcopi, vel Inquisitoris licentia legant, vel retineant; quæ tamen prohibitio in quibusdam locis septentrionalibus, vt in Germania recepta non est.*

33 *Excipe versionem Germanicam Lutheri & aliorum hæreticorum, quæ prorsus interdicta est.*

34 *Hæreticorum libros populo prohiberi, quin & comburi mos in antiqua etiam Ecclesia semper fuit ex Constantino Imperatore, & Theodosio, quorum verba referuntur num. 35. & 36.*

37 *Hæreticorum libri tempore necessitatis permissi sunt Episcopis, ad eorum errores confutandos.*

38 *Libros vanos, & noxios comburendi publicè fuit mos antiquissimus, præsertim magicos, ex Vlpiano.*

39 *Christus, & eius sectatores ob miracula, quæ patrabant, à Gentilibus pro magicis habiti, ideoque iussum, vt libri ipsorum comburerentur, & qui illos*

illos detinerent supplicio mortis afficerentur.

40 *Sacrorum librorum traditores dicebantur, qui mortis metu eos tradebant Magistratui.*



RESPONDETVR ex dictis *dubitat.* 35. & 1 *seqq.* excommunicationem summo Pontifici reseruatam incurrunt, qui hæretici librum hæresim continentem, vel de Religione tractantem sine Sedis Apostolicæ authoritate scienter legunt, retinent, imprimunt, vel 2 quomodocumque defendunt, &c. Vnde sequitur, quod quatuor conditiones requirantur, vt excommunicatio ex hoc capite contrahatur.

3 Prima, vt liber ab hæretico scriptus sit, siue vno ex recentioribus, siue ex antiquis ab Ecclesia damnatis, ni-4 si quod scripta Tertulliani, Origenis, & Pelagij, quamuis errores contra fidem contineant, propter eruditionem, & quia nullum iam ab illis periculum in fide timetur, ab Ecclesia permittuntur: qua de re Azor. *lib.* 8. *cap.* 16. *q.* 16. & dicebam supra *dubit.* 36. *in Appendice.*

5 Deinde nihil refert, vtrum liber sit typis mandatus, necne; dummodo ab hæretico scriptus sit, quia semper verè, & propriè hæretici liber est. Vide supra *cit. dubit.* 36. *corollario* 5.

6 Non tamen excommunicatio contrahitur, si quis hæreses scriptoris hæretici in libro Authoris Catholici ad verbum insertas, quamuis ex praua, & peccaminosa intentione, quin etiam & principali hæresim discendi legat: quia non legit librum hæretici. Et lege canonica non punitur affectus, & desiderium legendi errores hæreticorum insertos in libris Catholicorum, sed factum legentis librum hæretici. Azor. *loc. sup. cit. quæst.* 1. Nauar. *cap.* 27. *n.* 56. *vers.* 7. Sayr. *de censur. lib.* 3. *cap.* 15. *num.* 13. Candelabr. *in* 1. *clausul. Bull. Cœn. num.* 12. Sebastianus Medices *in summa part.* 2. *tit.* 9. *q.* 78. *n.* 88. Simach. *de Catholic. institut. tit.* 5. *num.* 15. Conrad. Brun. *lib.* 1. *de hæretic. capit.* 4. Suar. *tom.* 5. *de censur. disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 11. & *in tract. de fide disput.* 20. *sect.* 2. *n.* 13. Turrecremat. *lib.* 4. *summa, cap.* 21. Vgolin. *in* 1. *clausulam Bull. verb. ac eorumdem,* §. 1. *n.* 1. Roderic. *in Bull. Cruciat.* §. 9. *num.* 78. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 23.

Sicut nec etiam incurreret excommunicationem qui audiret ea quæ scripta sunt in libris hæreticorum, quando quis ea memoriter recitaret; quia neque per hoc legit librum hæretici. Vide quæ supra *dubit.* 36. & *in eius Appendice* dicebam.

7 Idem dicendum, si in Catholici scriptoris libro, vel in quouis alio, hac Bullæ Cœnæ excommunicatione non comprehenso, legas adiecta scholia, vt adnotationes Authoris hæretici: quia talis liber non censetur esse liber hæretici, sed Catholici. Nauarr. *vbi sup.* Sanchez *n.* 25. Graff. 1. *part. decision. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 43. 8 & Suarez *tom.* 5. *disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 11. Qui limitat, nisi tales, vel tam copiosi essent commentarij, vt iam censeretur liber potiùs ex iis, quàm ex Textu constare. Qua de re tamen vide quæ dicebam supra *cit. dubit.* 36. & *in cit. eius Appendice.*

9 Idemque dicendum, quod scilicet, licet in libro Catholici Scriptoris, vel qui publicè Catholicus habetur, apertè hæreses contineantur, excommunicationem etiam non incurras, si illum legis, vel imprimis, ob eandem rationem scilicet, quam dicebam. Vgolinus, Graffius, & Sanchez *in loc. sup. citatis.*

10 Secunda conditio est, vt liber vel hæresim in se contineat, vel de Religione tractet, nempe sacram Scripturam interpretando, Theologiam docendo, vel de cultu Dei, & Sanctorum, statu Clericorum, aut Monachorum disputando, sicuti supra *cit. dubit.* 36. & *cit. eius Appendice* dicebam.

11 Hinc aduerte, quod non sint prohibiti hæreticorum libri Philosophici, Medici, Iuridici, Historici, Poëtici, & similes, si nullam hæresim contineant. Vide *in locis sup. citatis.*

Aduerte secundò, quod è contra prohibiti sint hæreticorum libri, qui ex professo de Religione tractant, quamuis nullum errorem contra fidem admixtum habeant. Vide *ibid.* diffusè. 12

Aduerte tertiò, quod prohibiti etiam sint hæreticorum libri, qui non ex instituto de Religione tractantes, obiter aliquam hæresim continent, vti supra *in locis cit.* cum Suarez *part.* 3. *tom.* 5. *disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 10. Sanchez *cit. cap.* 10. *num.* 34. & aliis contra Saytum *citato capite quinto, num.* 12. & Graff. *numero* 40. & 41. dicebam. 13

Quamuis in partibus septentrionalibus hæc Bullæ Cœnæ Constitutio secundum talem rigorem recepta non videatur: siquidem ibi multi sæpe prodeunt hæreticorum libri Medici, Iuridici, Historici, qui plerumque vnam, vel plures hæreses obiter admixtas habent, & tamen passim in Catholicorum Bibliothecis retinentur, & leguntur, exceptis eorum hæreticorum historiis, vt Ioannis Auentini, & Sebastiani Musteri, quibus satis patet, præcipuum institutum fuisse, Romanam Ecclesiam, & Clericorum, ac Monachorum statum deturpare: quorum proinde nomina in Indice librorum prohibitorum posita sunt, & historici libri, etiam in suis Septentrionalibus partibus prohibiti reperiuntur. 14

Addunt Becanus 2. 2. *cap.* 15. *quæst.* 8. *num.* 5 Azor. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 4. quod vbi Bulla Cœnæ Domini, vel Index librorum prohibitorum receptus non est, vt in Germania, Gallia, Anglia, & aliis prouinciis; Catholici qui legunt libros hæreticos, non excommunicentur; quamuis contrarium dixerint alij cum Megalio 3. *part. lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 60. Qua de re tamen vide quæ dicebam supra *dubit.* 39. *Petit.* 8. & quæ dicam infra *dubit.* 45. 15

Addunt alij, quod licet in Regula octaua Indicis librorum prohibitorum præcipiatur, vt libri quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua sunt inserta quæ ad hæresim, impietatem, diuinationem, vel superstitionem spectant, à Catholicis Theologis Inquisitionis Generalis authoritate expurgentur: quia tamen in Germania Inquisitores non sunt, ideò hoc præceptum in obseruatione non sit; quamuis consulant quidem eiusmodi libros viris Theologis expurgandos tradi debere. 16

Tertia conditio est, vt huiusmodi libros scienter legas, retineas, vel imprimas, &c. Vnde censuras non incurris, si ignorans ignorantia, quamuis crassa, librum hæretici esse, vel de Religione tractare, legas, retineas, vel imprimas: quia quotiescumque lex pœnalis requirit scientiam, excusat ignorantia, etiam crassa: qua de re dicebam supra *dubitatione* 36. & *in eius Appendice*, & *dubitatione* 38. *circa finem.* Et videri poterit præcipuè Sanchez *lib.* 2. *moralium, cap.* 10. *num.* 38. & *lib.* 9. *de matrimonio, disput.* 32. *num.* 36. & 39. 17

Cæterum ad istam censuram contrahendam non requiritur praua legentis intentio, vel affectus hæresim concipiendi; sed sufficit etiam sola curiositas, sicuti dicebam ibidem. 18

Quarta conditio est, quod legis sit materia notabilis, & sufficiens ad peccatum mortale, sicuti dicebam supra *dubit.* 39 *petit.* 2. cum Sayro *cit. cap.* 5. *n.* 12. Sanchez *cit. cap.* 10. *num.* 31. Azorio *cap.* 16. *q.* 3. & aliis: quia cùm in aliis rebus materiæ paruitas excuset à mortali, non est cur non excuset, etiam in ista; præsertim cùm hæc lex sit Ecclesiastica, & inferat & importet ex se excommunicationis pœnam grauissimam. 19

Hinc minus rectè dixit Toletus supra *numero* 4. etiam vnam, vel alteram lineam sufficere ad excommunicationis censuram contrahendam, eo quod perfecta hæresis etiam vnico versu contineri possit. Minus rectè, inquam, dixit: quia in lege, præsertim pœnali spectari debet id quod plerumque, non quod 20

rarò vsu contingit; Plerumque autem non imminet
graue periculum ex tam modica hæretici libri lectione,
retentione, vel impressione, &c.

Quapropter Viualdus *in explanatione Bullæ Cœnæ*
cas. 1. n. 11. Rodetiq. *in Addit. ad Bull. Cruciat. §. 6.*
num. 68. Sà *verb. excommunicatio Bullæ, num. 2.* San-
chez, & alij, quos suprà adducebam, censent, vnam
20 paginam, tametsi liber sit ex maioribus voluminibus,
non esse sufficientem materiam ad excommunicatio-
nem istam contrahendam; quorum opinio, si forsan
alicui nimis laxa videtur, deseruire saltem Confessario
poterit, vt secundùm eam interdum præsumere possit,
legentem bono aliquo fine, vel etiam ex curiositate,
vnam solam paginam, non peccasse mortaliter, ideó-
que Bullæ Cœnæ excommunicationem non contra-
xisse, sicuti præter alios rectè notauit Sayrus, *loc.*
suprà cit. Vide, quæ dicebam *cit. dubit. 39. Peti-*
tione 2.

22 Vt omittam, contingere posse casum, quo quis
vir doctus, & prudens nihil peccet, si locum ali-
quem contradictionis in hæretico scriptore quærat,
certò sperans, eo exhibito, alterum ad fidem catholi-
cam se perducturum esse; quia tunc lex naturalis
Charitatis circà Proximum vincere debet legem Ec-
clesiasticam.

23 Et hæc, vt arbitror, ratio est, cur in locis septem-
trionalibus lectio librorum hæreticorum non cum
tanto rigore prohibita censeatur, vti suprà dicebam;
quia ad confines hæreticos conuincendos necessarium
putatur, eorum libros legisse.

24 Aduerte tamen hîc ex Indice librorum prohibito-
rum authoritate Pij IV. Sixti V. & Clementis VIII.
edito, quod duplex sit librorum prohibitorum Classis.

In prima ponuntur Authores omnes hæretici, vel
de hæresi publicè suspecti, quorum omnes libri de Re-
ligione tractantes, vel hæresim continentes, tam editi,
quàm in posterum edendi, prohibentur. Additur verò
in Regula secunda, Hæresiarcharum, scilicet, qui
hæreticorum Capita seu Duces sunt, omnes omninò
libros cuiuscumque nominis, tituli, vel Argumenti
sint, penitùs interdictos esse; de quo tamen parum
solliciti debemus esse, cùm vix aliquis liber sit ab
Hæresiarcha nostri temporis scriptus, nisi de materia
Religionis.

25 In secunda verò Classe ponuntur libri, qui doctri-
nam non sanam, suspectam, vel moribus fidelium re-
pugnantem continere putantur, licet à Catholicis Au-
thoribus prodierint.

26 Inter has duas librorum prohibitorum Classes duo
discrimina sunt.

27 Primum, quod primæ classis prohibitio sit propter
Authores hæreticos, quorum proinde omnes libri
scripti de materia Religionis prohibentur, quamuis
eorum aliqui nullum forsan manifestum errorem
contineant; quia damnato Authore in certo genere,
nempè Religionis, damnata censentur omnia illius
scripta de Religione, *Argum. cap. fraternitatis, de*
28 *hæretic.* vbi Abbas. Secundæ verò classis prohibitio
est propter errores, seu doctrinas falsas, quæ in
quibusdam libris, etiam Catholicorum Authorum
deprehenduntur; cuiusmodi tamen libri non priùs
censentur prohibiti, quàm expressè in Indicem relati
fuerint.

29 Secundum discrimen est, quod libri primæ classis
prohibentur sub excommunicatione Pontifici reser-
uata per Bullam cœnæ Domini; libri verò secundæ
classis prohibentur sub excommunicatione non reser-
uata; licet, quatenùs attinet ad prohibitionem libro-
rum secundæ classis, Index Romanus in quibusdam
locis septentrionalibus, vt in Germania, receptus
non sit.

30 Aduerte secundò, quod Regulâ septima Indicis
prohibentur libri cuiuscumque Authoris, res obscœ-
nas, seu lasciuas ex professo tractantes; iis exceptis,
qui à Gentilibus, v.g. Poëtis, compositi sunt, atque
ob sermonis elegantiam, ac proprietatem permittun-
tur, etsi pueris perlegi non debeant, nisi priùs expur-
gati fuerint.

Aduerte tertiò, quod Regulâ octaua Indicis prohi- 31
bentur omnes libri, & omnia scripta magica; Quam-
uis ob lectionem librorum obscœnorum, vel magi-
corum (si propter hæresim, vel falsi dogmatis sus-
picionem damnati non sint iuxtà ea, quæ dicam infrà
dubit. 46. Petit. 5.) excommunicationis censura non
contrahatur, sed solùm peccatum mortale committa-
tur, si materiæ paruitas non excuset. Videri etiam po-
terit Regula decima in fine.

Aduerte quartò, quod Regulâ quarta Indicis pro- 32
hibetur, ne Fideles Sacra Biblia vulgari lingua sine
Episcopi, vel Inquisitoris licentia legant, vel reti-
neant; Quæ tamen prohibitio in quibusdam locis
septentrionalibus, vt in Germania recepta non est,
teste Serario *in Prolegom. Bibl. cap. 20. quæst. 3.* qua-
tenùs ait: *Non puniuntur, sed laudantur, qui in Ger-*
mania, nulla disertè petita facultate, Biblia vulgata, &
vernacula legunt: Versio tamen Germana Lutheri, & 33
aliorum Hæreticorum prorsùs interdicta est; quin
etiam interdictæ sunt versiones hæreticorum Latinæ,
præsertim noui Testamenti, cuiusmodi sunt Sebastiani
Musteri, & aliorum.

Aduerte quintò, quod hæreticorum libros populo 34
prohiberi, quin & comburi, morem in antiqua etiam
Ecclesia semper fuisse, testatur Clemens *lib. 1. Apost.*
constitut. cap. 7. Alexand. Episcop. Alexandrinus *in*
Epistola ad Alexandrum Episcopum Constantinopolita-
num, & Constantinus Imperator *in Epistola ad Epis-*
copos, & Populum, apud Socratem *lib. 1. Histor. cap. 6.* 35
Porphyrij impia scripta deleta penitus, & extincta
fuisse, atque similiter visum, si quod opus ab Ario con-
scriptum reperiatur, illud cremandum esse. Et addidit
pœnam: *vt si quis librum ab Ario compositum occultasse*
deprehensus fuerit, & eum non statim in medium addu-
ctum igne combusserit, morte mulctetur. Fuerat autem
hoc de Arij libris comburendis decretum in Con-
cilio Niceno apud Nicephorum, *lib. 8. Historiar.*
cap. 18.

Item Theodosius, & Valentinianus Imperatores 36
in lib. 3. Cod. de sancta Trinit. Iub mus, facta huius-
modi scripta (quæ Nicenæ, & Ephesinæ Synodis non
conueniunt) *potissimùm autem, quæ Nestorij sunt, com-*
buri, & perfectissimo interitui mancipari, ità vt in
nullius cognitionem venire possint: his qui talia scripta,
aut tales libros habere, aut legere sustinuerint, vlti-
mum supplicium experituris, de cætero nulli patente li-
centia. Et in *Epist. ad Leontium, l. vltima de hæret.*
Cod. Theodos. Nec impios libros nefandi ac sacrilegi Ne-
storij aduersùs venerabilem Orthodoxorum sectam, de-
cretaque sanctissimi Cœtus Antistitum Ephesi habiti,
scriptos, aut legere, aut describere quispiam audeat:
Quos diligenti studio requiri, & publicè comburi decer-
nimus.

Quamuis tempore necessitatis permissum fuerit 37
Episcopis, vt hæreticorum libros legerent, ad eorum
errores confutandos, sicuti constat ex Concilio Car-
thaginensi 4. *Canon. 16.* & Hormisda Papa *in Epist. 56.*
ad Possessorem Episcopum.

Denique fuisse vsum antiquissimum publicè com- 38
burendi libros varios, vel noxios, testatur etiam Lucas
Actor. 19. ibi: *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati,*
contulerunt libros; & combusserunt coram omnibus; fue-
rant autem isti libri magici, quos comburendos esse,
habetur apud Vlpianum *leg. 4. §. tantundem, ff. fami-*
liæ Ercisc. & apud Baronium *anno 56. num. 40.* &
anno 302. n. 20. vbi refert, Christum, & eius secta-
tores ob miracula, quæ perpetrabant, à Gentilibus
magos habitos esse, ideóque iussum, vt libri ipsorum
comburerentur. Et qui illos detinerent, supplicio
mortis afficerentur.

40 Hinc, qui mortis metu eos magistratui tradebant, Traditores sacrorum librorum dicebantur, quamuis alij, vt illos occultarent, mortem non timebant, & martyrium subibant, vti in Romano Martyrologio 2. Ianuarij legere est.

ADDENDA,

Etiam quo ad alios libros, præter eos, qui sunt hæreticorum, & continent hæresim, vel tractant de Religione.

SVMMARIVM.

1 *Legentes libros Astrologiæ iudiciariæ excommunicati sunt excommunicatione Papæ reseruata, non tamen ex vi Bullæ Cœnæ, sed in ea Sixti V. edita contra Astrologos.*

2 *Libri magici, & Iudaici semper ex consuetudine Ecclesiæ prohibiti fuerunt. Vbi vide de magis, qui suos libros ad pœnitentiam conuersi igni comburendos tradiderunt.*

3 *Liber Thalmud Iudæorum igni comburendus traditus fuit iussu Ludouici Regis Galliarum, & in Indice Sacri Concilij Tridentini liber Thalmud, & alij huiusmodi libri prohibentur. Quod quidem fecerunt Innocentius IV. Iulius III. & nouissimè Clemens VIII. Liber verò Magazor eorumdem Hæbræorum permititur solùm in lingua Hæbræa.*

4 *Legentes libros suspectos, à quocumque ij fuerint conscripti, aut compositi, excommunicati sunt per Bullam Pij IV. in Indice librorum prohibitorum, non tamen in Bulla Cœnæ Domini, neque censurâ reseruata Summo Pontifici, contra Nauarrum.*

5 *Legentes libros hæreticorum duplicem contrahunt excommunicationem, vnam latam in Bulla Cœnæ Domini, & alteram latam in Indice librorum prohibitorum: A posteriori excommunicatione absolui possunt à proprio Confessario, à priori solùm à Summo Pontifice.*

6 *Discrimen assignatur inter excommunicationem Bullæ Cœnæ, & Indicis librorum prohibitorum, quia præterquàm illa est reseruata, illa non; illa non est à iure, sed ab homine, hæc autem non est à iure. Quæ enim est à iure non reuocatur, secus autem quæ est ab homine.*

7 *Toletus, & Bccanus asserentes, quod ex vi Bullæ Cœnæ non sint excommunicati illi qui Sede vacante libros hæreticorum legunt, reiiciciuntur: quia secundùm alios, & ipsos graues Doctores, excommunicatio Bullæ Cœnæ censetur etiam à Iure: licet enim ante Gregorium XIII. vel vt alij volunt, ante Pium V. Bulla Cœnæ mortuo Summo Pontifice cessaret, nunc tamen, eo mortuo non cessat.*

8 *Alcoranus Basileæ impressus cum impiis scholiis, adnotationibus, & præfationibus prohibetur in Indice librorum prohibitorum recognito à Clemente VIII. idemque Alcoranus in vulgari lingua non potest retineri sine licentia Inquisitorum.*

9 *Alcoranus non est prohibitus per se & absolutè, sed ratione illarum hæreticarum adnotationum, vel ipsis præcisis, ratione vulgaris linguæ in ordine ad simplices, idiotas, & indoctos, quia in eo agitur de secta, seu professione Turcarum, quæ nunc temporis quammaximè viget, & corporis vo-*

10 *luptatibus aditum præbet: non ita tamen prohibentur libri Gentilium, quia eorum secta iam cessauit.*

11 *Tertullianus, Epiphanius, Irenæus, & Diuus Augustinus curarunt, quod Gentilium libri in lucem ederentur: At non inde sequitur, quod possint etiam hodie legi libri prohibiti. Ex lectione enim librorum Gentilium antiquorum nihil periculi nunc temporis imminet, sicut imminet ex lectione Alcorani in vulgari lingua, eosque Patres prædicti ad refellendos, non approbandos edi curarunt.*

12 *Alcoranus, cùm multum inseruiat studiosis linguæ Arabicæ, & in Concilio Viennensi sub Clemente V. præcipitur, vt in aliquibus Academiis constituantur Doctores, qui doceant litteras Hebræcas, Arabicas, & Chaldaicas, non videtur prohibitus absolutè: Est enim permittendus solis doctis, & eruditis, non omnibus.*

13 *Hæreticorum libri, quando est iam ab Ecclesia hæresis damnata, prohiberi possunt non solùm à Prælatis Ecclesiasticis, sed etiam à Principibus sæcularibus: Et ita etiam factum est ab Imperatoribus Theodoro, & Valeriano, & Marciano: est enim quid facti, & sic in aliquo quod est facti, possunt ij adiuuare Ecclesiam, & ob eandem rationem etiam punire ipsam hæresim, & prohibere libros continentes doctrinam contra publicum bonum.*

15 *Principes sæculares non possunt damnare libros tanquam continentes hæresim nondum ab Ecclesia damnatam: quia est quid iuris, & de hoc iudicare spectat ad solos Prælatos Ecclesiasticos.*

ADde his quæ dicebantur: Primò, quod legentes libros Astrologiæ iudiciariæ, excommunicatione Papæ reseruata, non tamen in Bulla Cœnæ, excommunicati sunt, ex Constitutione Pij IV. quæ notatur in Indice librorum prohibitorum in Regula nona. Quod tamen intellige si prædicti libri fuerint ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnati, iuxta ea quæ ex probabiliori sententia dicam infra *dubitat.* 46. *petitione* 1. & 5. 1

Adde secundò, quod semper in Ecclesia consuetudo fuit, vt libri magici, & Iudaïci prohiberentur; quia vt refert Abdias, in vita Sancti Iacobi legitur, quod idem S. Apostolus Hermogeni præceperit, vt suos libros magicos in mare proiiceret. Et vt refert S. Augustinus *in Psalm.* 61. quidam magos pœnitentia ductus suos libros igni comburendos obtulit, vt illis combustis ipse in refrigerium transiret. Et vt refert S. Gregorius Nazianzenus *orat.* 18. S. Cyprianus Martyr, ad fidem conuersus, publicè libros suos magicos ipsi comburendos tradidit. 2

Et quatenus pertinet ad libros Iudaïcos, liber Thalmud igni comburendus traditus fuit iussu Ludouici Regis Galliarum, anno circiter 1239. & in Indice Concilij Tridentini recognito à Clemente VIII. liber Thalmud, & alij huiusmodi libri Iudaïci prohibentur, ita vt nemo possit eos typis mandare, retinere, vel legere sine licentia Superioris, sicut nunc temporis prohibentur etiam libri superstitiosi, gentilitij, & iudiciarij. Et ab Innocentio IV. anno 1243. in Constitutione quæ incipit, *Impia Iudæorum perfidia:* apud Pegnam inter literas Apostolicas, præcipitur, vt liber Thalmud, & alij quidam libri Iudæorum comburantur. Et à Iulio III. in Constitutione quæ incipit, *Cùm sicut;* apud pegnam *ibidem* inter literas Apostolicas, etiam præcipitur, vt dictus liber Thalmud igni comburendus tradatur. Quapropter minùs rectè dixit Galatinus *libro* 1. *de Arcanis Catholicæ veritatis*, quod liber Thalmud debeat à Christianis recipi, & in linguam latinam conuerti. Præsertim quia circa dictum librum Thalmud Hæbræorum extat rarissimè specialis Constitutio Clementis VIII. pridie Kalend Martij, Anno 1592. edita, in qua Constitutione ille omnino prohibetur sub pœna excommunicationis, etiamsi sit sine Glossa, Commentariis, &c. quo modo 3

priùs

prius tolerabatur. Quæ tamen excommunicatio non est reseruata, ideóque absolui poterit à quocumque legitimo Confessario. Et in qua eadem Constitutione præter excommunicationem confiscantur etiam bona illorum qui dictum Thalmud legunt, vel retinent. Et si in fauorem, vel auxilium Hebræis ad illum obtinendum præstent, ex eadem dicta Constitutione incurrunt pœnas apostatarum à fide, hæresiarcharumque, atque adeò & excommunicationem Bullæ Cœnæ. Hebræis autem tenentibus huiusmodi librum confiscantur omnia bona, sicut & vendentibus, ementibus, vel euulgantibus.

Quatenus verò pertinet ad librum Magazor eorumdem Hæbræorum, in quo continentur officia, & cæremoniæ ipsorum; non permittitur in alia lingua quàm in Hebræa, sicuti habetur ex obseruatione circa Regulam Indicis nonam.

4 Adde tertiò, quod legentes libros suspectos, à quocumque fuerint ij conscripti, excommunicati sunt per Bullam Pij IV. in Indice librorum prohibitorum, non tamen excommunicatione lata in Bulla Cœnæ, neque excommunicatione reseruata Summo Pontifici. Doctores communiter, quos sequitur Suarez *de fide disp.* 20. *section.* 3. *num.* 29. & Becanus *de fide capite* 15. *quæst.* 8. *num.* 4.

Quamuis Nauarrus *consil.* 1. *de constitut. quæst.* 35. *num.* 74. putet quod omnis excommunicatio, quæ incurritur propter lectionem librorum prohibitorum, sit reseruata Summo Pontifici per Bullam Cœnæ.

At minùs rectè, quia sicuti notat etiam eius Additionator; Bulla Cœnæ non comprehendit, nisi hæreticorum libros, qui hæresim contineant, vel de Religione tractent.

5 Adde quartò, quod legentes libros hæreticorum duplicem contrahant excommunicationem, vnam latam in Bulla Cœnæ, alteram latam in Indice librorum prohibitorum. Et ab hac posteriore potest absolui à proprio Confessario: ab altera autem priori non nisi à summo Pontifice. Doctores, quos sequitur Becanus *loc. sup. citato.*

6 Adde quintò, quod (vt dicam etiam infra *dubit.* 46. *petition.* 27.) est discrimen inter excommunicationem Bullæ Cœnæ, & inter excommunicationem Indicis librorum prohibitorum, non solùm quia excommunicatio Bullæ Cœnæ est reseruata Summo Pontifici, non item excommunicatio Indicis librorum prohibitorum, sed etiam quia excommunicatio Bullæ Cœnæ non est sicut excommunicatio librorum hæreticorum, à iure, sed ab homine, Ioan. Andreas *in cap. Quod olim, de Iudæis.* Vgolinus *in Bullam Cœn. part.* 1. *cap.* 7. Rebuffus *in Prax. benefic. in explication. Bull. Cœnæ, in principio, verb. ad futurum,* Sotus *in* 4. *distinct.* 22. *quæst.* 2. *articulo* 3. *conclusione* 5. Nauarrus *in summa Hispana capite* 27. *num.* 74. Toletus *in explicatione Bull. Cœnæ, circa finem proemij,* Suarez *tom.* 5. *de censur. disput.* 21. *sect.* 1. *num.* 2. Sayrus *de censur. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 15. Additionator ad Nauarr. *cons.* 1 *quæst.* 9. *vers. aduerte, de constit.* Paludanus *in* 4. *dist.* 18. *quæstion.* 5. *artic.* 1. Graffius *in decision. lib.* 4. *cap.* 18. *num.* 8. & Becanus *vbi supra num.* 6.

Ratio est, quia excommunicatio, quæ est à iure, non reuocatur. At excommunicatio Bullæ Cœnæ reuocatur singulis annis, sicut reuocatur ipsa Bulla Cœnæ: Ergo.

7 Hinc inferunt Toletus, & Becanus, quod ex vi Bullæ Cœnæ non sint excommunicati illi qui Sede vacante libros hæreticorum legerent.

At minus rectè, non solùm quia non est certum, quod excommunicatio Bullæ Cœnæ non sit à iure, sed ab homine, cùm eam esse de iure teneant Syluester *verbo excommunicatio, num.* 38. *vers. Trigesima,* Nauarrus *in summa Latina, cap.* 27. *num.* 74. Summa Corona *de excommunicatione part.* 3. *cap.* 10. *num.* 4. Vgolinus *tabula* 1. *cap.* 9. §. 4. *num.* 4. *de censur.* Viualdus *de excommunication. num.* 54. *& in explicatione Bull. Cœnæ, numero* 124. & alij: sed etiam, quia licet ante Gregorium XIII. vel vt alij volunt, ante Pium V. Bulla Cœnæ mortuo Pontifice cessaret; nunc tamen ipso mortuo non cessat: quia Romani Pontifices expressè statuerunt, vt quousque alia Bulla Cœnæ promulgaretur, præcedens Bulla vim suam retineret: Ergo omnino dicendum est, quod qui Sede vacante hæreticorum libros legunt, excommunicati sint per Bullam Cœnæ.

Adde sextò, quod in Indice librorum prohibitorum recognito à Clemente VIII. prohibetur Alcoranus Basileæ impressus, cum impiis scholiis, annotationibus, & præfationibus. Et idem Alcoranus in vulgari lingua non potest retineri sine concessione & licentia Inquisitorum: Ita vt prædictus Alcoranus non sit prohibitus per se, & absolutè, sed ratione illarum hæreticarum adnotationum, vel eis hæreticis adnotationibus seiunctis, ratione vulgaris linguæ in ordine ad simplices, indoctos, & idiotas. Ratio autem cur, etiam seiunctis prædictis hæreticis adnotationibus, adhuc ratione vulgaris linguæ prædictus Alcoranus prohibeatur in ordine ad simplices, indoctos, & idiotas, ea est, quia in eo agitur de secta, seu professione Turcarum, quæ nunc temporis quammaximè viget, & corporis voluptatibus, quibus homines quammaximè dediti sunt aditum præbet. Non sic prohibentur etiam libri Gentilium: quamuis in illis multa dicantur de pertinentibus ad ipsorum impias sectas, seu professiones: quia istæ iam cessarunt, nec amplius vigent: nec eò iam sint explosæ, & emortuæ, legentium animos ad tales sectas, seu professiones pertrahere possunt. 8 9 10

Obiicies: Multi Patres, vt Tertullianus, Epiphanius, Irenæus, & Diuus Augustinus, curarunt, quod Gentilium libri in lucem ederentur, in quibus erant multa pertinentia ad eorum sectas, seu professiones: Ergo minùs rectè nunc, seiunctis etiam eis hæreticis annotationibus, prohibetur Alcoranus, eo quod in illo multa dicantur, de secta, seu professione Turcarum. 11

Respondetur: Nego consequentiam, quia ex lectione librorum Gentilium antiquorum nihil periculi nunc temporis imminet, sicut imminet ex lectione Alcorani in vulgari lingua simplicibus, indoctis, & idiotis, sicuti supra dicebam. Vt omittam, quod prædicti Patres non integrè Gentilium, & hæreticorum libros in lucem edendos curarunt, sed ex parte, simul eos reiiciendo, & refellendo. Vt omittam etiam, quod propterea dixi Alcoranum non prohiberi per se, & absolutè, sed solùm ratione illarum hæreticarum adnotationum, vel etiam, eis seiunctis, ratione vulgaris linguæ, in ordine ad simplices, indoctos, & idiotas; non autem etiam in ordine ad viros doctos, & eruditos, qui facilè illius libri errores & cognoscere, & refellere poterunt.

Instabis: In Concilio Viennensi sub Clemente V. præcipitur, vt in aliquibus Academiis constituantur Doctores, qui doceant litteras Hebraïcas, Arabicas, & Chaldaïcas. Quod facilè præstari non potest, nisi legatur etiam Alcoranus, qui multum inseruit studiosis linguæ Arabicæ: Ergo. 12

Respondetur, quod propterea dixi, non esse eum permittendum omnibus, sed solis doctis, & eruditis, qui eiusdem libri errores facilè aduertere, & refellere poterunt.

Adde septimò, quod libri hæreticorum, quando est iam ab Ecclesia hæresis damnata, prohiberi possunt, non solùm à Prælatis Ecclesiasticis, sed etiam à Principibus sæcularibus. Sic factum est ab Imperatoribus Theodoro, & Valeriano *in leg. damnato, §. nec verò. Cod. de hæretic.* ibi: *Nec verò libros nefandi, & sacrilegi Nestorij aduersus Venerabilem Orthodoxam sectam, Decretaque Sanctissimi Cœtus Antistitum,* 13

Ephesi habiti scriptos habere, aut legere, aut describere quisquam audeat, quos diligenti studio conquiri, & publicè comburi, decernimus. Sic etiam factum est ab Imperatoribus Valeriano, & Marciano *in l. quicumque, §. nulli etiam, Cod. eodem titulo*, ibi: *Nulli etiam contra venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, atque emittere, vel scripta super eadem re proferre: Nemo huiusmodi habeat libros, & sacrilega Scriptorum audeat monumenta seruare.* Et paulò post: *Omnes verò huiusmodi charta, ac libri, qui funestum Eutychetis, & Apollinaris complexi fuerint dogma, incendio concrementur.*

14 Ratio autem, cur id possint facere etiam Principes sæculares illa est, quia est quid facti, & sic in aliquo, quod est facti Principes sæculares adiuuant Ecclesiam, ob quam eamdem rationem possunt Principes sæculares etiam punire ipsam hæresim, possunt prohibere libros continentes doctrinam contra publicum bonum, sicut & homines seditiosos, & Reipublicæ perniciosos eiicere de suis Terris, & dominiis, *l. congruit, ff. de offic. Præsid.*

15 Non tamen similiter poterunt Principes sæculares damnare libros tanquam continentes hæresim nondum ab Ecclesia damnatam, quia id est quid Iuris, & de hæresi iudicare, verum scilicet aliqua propositio sit hæretica, nec ne? Quod propterea pertinet ad solos Prælatos Ecclesiasticos, & non etiam ad Principes sæculares, *cap. vt Inquisitionis, §. prohibentes, de hæretic. in 6.* Qua de re vide, quæ diffusè dicebam, *in Tractatu de Immunitate, & Iurisd. Ecclesiastica*, & quæ dicam infrà, *dubit. 46. Petit. 18. & dubit. 195. sect. 50. & dubit. 196. per totam.*



DVBITATIO XLV.

Quinam libros hæreticorum legere, vel retinere, &c. prohibeantur?

SVMMARIVM.

1 *Omnes quacumque dignitate, siuè Ecclesiastica, siuè sæculari fulgeant, prohibentur legere, vel retinere Hæreticorum libros.*

2 *Episcopi, Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, Cardinales, & ex sæcularibus etiam Reges, & Imperator prohibentur legere, vel retinere Hæreticorum libros.*

3 *Nemo habet facultatem legendi, & retinendi libros Hæreticorum, præter Inquisitores hæreticæ prauitatis, & eorum Commissarios, in sententia non omninò improbabili nonnullorum, in quorum sententia etiam.*

4 *Facultas supradicta legendi, vel retinendi libros hæreticorum extenditur non solùm ad Commissarios hæreticæ prauitatis specialiter à Sede Apostolica deputatos, sed etiam ad Commissarios deputatos ab ipsis Inquisitoribus.*

5 *Limitan tamen hæc omnia in Regnis Hispaniæ, vbi solùm Inquisitor Generalis, & is, cui ipse commiserit, potestatem habet legendi, vel retinendi libros hæreticorum.*

6 *At, quod neque Inquisitores hæreticæ prauitatis, neque ipsorum Commissarij habeant hanc facultatem, est sententia probabilior, sicque nemo, cui Pontifex expressè non commiserit, potest ex probabiliori dare facultatem legendi, vel retinendi libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes; quia in dicta Bulla Cœnæ Domini id sibi Pontifex reseruat, & omnia in contrarium priuilegia sunt reuocata.*

7 *Concilium etiam Cardinalium Sede vacante hanc facultatem concedere nemini potest; nisi tam graue, & tam euidens periculum immineret, vt omnibus, & singulis Cardinalibus videretur statim esse occurrendum; quia in iis, quæ ad Pontificis potestatem, & Iurisdictionem pertinent, alia via se intromittere non possunt.*

8 *Episcopi, vel Inquisitores non possunt concedere facultatem legendi, vel retinendi libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes; secus, si libri hæresim non continent, neque de Religione tractent, vel ab hæreticis compositi fuerint dum erant Catholici, &c.*

9 *Libri, qui non sunt Hæreticorum, neque tractant de hæresi, neque contra fidem continent falsa, vel suspecta dogmata, sed sunt ex alia causa prohibiti, possunt viro digno permitti ab Inquisitoribus gratis, & propria subscriptione, & de triennio in triennium.*

10 *Vrbanus VIII. nunc derogauit omnes licentias legendi libros hæreticorum, & quoscumque alios prohibitos.*

RESpondetur: Omnes quacumque dignitate, siue Ecclesiastica, siue sæculari fulgeant; vt patet ex 1
Bulla Cœnæ; comprehenduntur igitur etiam Episcopi, 2
Archiepiscopi, Primates, Patriarchæ, Cardinales. Et ex sæcularibus etiam Reges, & Imperator; cum & hi etiam tanquam & oues, & membra Ecclesiæ etiam, in eis, quæ ad Religionem spectant, Ecclesiæ directioni subdantur. Suarez, *disp 20. de fide sect. 2. n. 26.* Azorius *part. 1. lib. 8. cap. 16. q. 11.* Fagundez *præcept. 1. Decalogi lib. 1. cap. 14. n. 23.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 45.* Barbos. *de potest. Episcop. allegat. 90. num. 8.* Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 34. n. 7.* Ricciull. *de person. extra Eccles. grem. lib. 5. c. 23. n. 5.* & Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub 9. n. 23.*

Non obstant Priuilegia quædam quibusdam in contrarium concessa, quia Iulius III. Paulus IV. & Pius IV. in suis Bullis apud Pegnam in fine Directorij Inquisit. reuocarunt omnia Priuilegia circa hanc materiam, iuxta id, quod dicebam supra *dubit. 39. Petit. 8.*

PETITIO PRIMA.

An ex speciali priuilegio quis excipiatur?

RESpondetur: Nemo excipitur ex dictis *in eadem dubit. 39. Pet. 8.*

Excipiuntur tamen non omninò improbabiliter In- 3
quisitores hæreticæ prauitatis, & Commissarij à Sede Apostolica pro tempore deputati, sicuti nonnulli tenent ex ipsis Bullis Iulij III. Pauli IV. & Pij IV. apud Pegnam *vbi suprà*, quatenùs per illas reuocantur omnes facultates Episcopis, & aliis quibuscumque personis concessæ, exceptis Inquisitoribus, & Commissarijs à Sede Apostolica pro tempore constitutis, seu deputatis.

Ex qua exceptione videtur inferri, quod Inquisitores, & Commissarij legendi, & retinendi libros hæreticorum facultatem habeant, cùm (licet ipsi per supradictas Bullas positiuè tali facultate non donentur, sed solùm à reuocatione generali excipiantur, illa tamen exceptio videatur esse tacita concessio. Atque ita contra Suarez *de fide disput. 20. sect. 2. num. 28.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 46.* Ricciullum *de person. extra Eccles. grem. lib. 5. cap. 23. num 5.* Sousam *in Aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 21. numero 62.* Morollam *tom. 1. disputat. 1. cap. 2. difficult. 12. numero 419.* Trullench *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dubit. 9. num. 33.* Carenam *de S. Offic. parte 2. titulo 10. numero 13.* Leandrum *parte 4. tract. 3. disputation. 1. quæst. 73.* Barbosam *de potestat. Episcop. allegat. 90. numero 8.* & alios, quatenùs non omninò improbabiliter etiam, & forsan probabiliùs iuxta dicta *in cit. dubit. 39. petit. 8.*

tenent,

tenent, talem expositionem non esse concessionem tacitam) docet Pegna 2. *part. Director. comment.* 3. *ad cap. Fraternitatis, de haeretic.* Vgolinus *de censur.* 2. *part. in Gloss. aut pertinentes*, §. 1. Naldus *in summa verbo Bulla Cœna, num* 11. Duardus *in Bull. Cœn. lib.* 2. *q.* 51. *circa finem*, Grassius *part.* 1. *lib* 4. *decis. cap.* 18. *num.* 45. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 13. Bonac. *in Bull. Cœn. tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 4. *num.* 10. Zanard. *in Director Theolog. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 16. Torreblanc. *de Magia lib.* 3. *cap.* 15. *n.* 27. Sousa *in Bull. Cœn. disput.* 15. *n.* 5. & Farinac. *de hæresi q.* 180. *n* 43.

4 Qui supradictam facultatem legendi, vel retinendi libros hæreticorum extendunt ad Commissarios Inquisitionis, non solùm deputatos, seu constitutos à Sede Apostolica, sed etiam deputatos, seu constitutos ab ipsis Inquisitoribus: quia & hi etiam iuxta ea quæ ex probabiliori sententia Doctorum dicam infra *dubitat.* 195. *sect.* 4. absolutè dici possunt deputati, seu constituti à Sede Apostolica; licet id non admittant Bonacina *loc. sup. cit.* & Merolla *tom.* 1. *disput.* 1. *cap.* 1. *difficult.* 11. *num.* 415. cum Sanchez *vbi supra*, eo quod facultas legendi libros hæreticorum conceditur Inquisitoribus, & Commissariis deputatis, seu constitutis à Sede Apostolica, sed Inquisitores non sunt Sedes Apostolica. Ergo, &c. Qua de re tamen vide quæ dicam infra *cit. dubit.* 195. *sect.* 3.

5 Limitant hæc omnia in Regnis Hispaniæ, vbi solùm Inquisitor Generalis, & is, cui ipse commiserit, potestatem habet legendi, vel retinendi libros hæreticorum, & non alij Inquisitores. Quia sic constat ex Bulla Pauli V. apposita in principio Expurgatorij. Vnde nec Episcopi (vt præter Doctores supra citatos nouissimè firmat Alzedus *in Prax. Episcop. part.* 2. *cap.* 6. *num.* 75. citans Nauarrum, Azorium, Sanchez, Pegnam, Martin. Delrio, & Barbosam) possunt dictos libros legere. Et ideò Cantera *in quæst. crimin. cap.* 1. *de hæretic. num.* 64. ait, quod si quis ex Episcopis habeat libros hæreticorum, possit per Inquisitores excommunicari, sicut factum fuit per Inquisitionem Conquensem contra Episcopum Conquensem, qui dicebat eos tenere ex priuilegio particulari. Quamuis meliùs facerent Inquisitores, si in tali casu extra Inquisitionem Hispanicam certiorem facerent Summum Pontificem, & in Inquisitione Hispanica certiorem facerent Generalem Inquisitorem.

6 At vti dicebam, quod docent Suarez, Sanchez, Ricciullus, Merolla, Sousa *in Aphorismis*, Trullench, Carena, Leander, & Barbosa (dictam scilicet exceptionem non esse concessionem tacitam) est forsan probabilius, iuxta dicta *in eadem dubit.* 39. *petit.* 8. Vnde sequitur, neminem, nisi Pontifex id expressè alicui concesserit, posse legere, vel dare facultatem legendi, vel retinendi libros hæreticorum, hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Quia in dicta Bulla Cœnæ id sibi Pontifex reseruat, & omnia priuilegia aliquibus in contrarium concessa, per Bullam Iulij III. Pauli IV. & Pij IV. sunt reuocata, ita vt etiam Inquisitores, & Commissarij à Sede Apostolica pro tempore deputati, seu constituti, ex probabiliori sententia non possint dictos libros legere, vel retinere, neque legendi, vel retinendi facultatem concedere, iuxta ea quæ dicebam suprà *dicta dubitatione* 39. *petitione octaua*, & dicam etiam infra *Dubitatione quadragesima sexta, Petitione* 23.

7 Concilium etiam Cardinalium, Sede vacante, hanc facultatem nemini concedere potest; nisi tam graue, & tam euidens periculum immineret, vt omnibus & singulis Eminentissimis Cardinalibus videretur, statim esse occurrendum: quia in iis quæ ad Summi Pontificis potestatem, & iurisdictionem pertinent, alia via se intromittere non possunt, vti constat ex Clementina, *Ne Romani, de electione.* & ex iis quæ dicebam supra *Dubitatione trigesima nona, petitione octaua*, & tradunt etiam Suarez *de fide disput.* 20. *sectione* 2. *numero* 28. & Sanchez *lib.* 2. *moral. capite* 10. *num.* 44. Contra Vgolinum *in primam clausulam Bullæ Cœnæ, verb. ac eorumdem libros quomodocumque*, §. 1. *num.* 1. *vers.* 2. & quosdam alios. Videatur etiam Merolla *loco sup. citato*.

Dixi non posse Episcopos, neque Inquisitores legere, vel retinere, neque concedere facultatem legendi, vel retinendi libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes. Quia si libri hæresim non continent, neque de Religione tractant, vel ab Hæreticis compositi fuerint, dum erant Catholici, vel postquam Ecclesiæ fuerunt reconciliati, poterunt, iuxta ea quæ dicam infra *citata dubit.* 46. *petition.* 23. cui ipsis visum fuerit, legendi, vel retinendi facultatem concedere, ex Regula secunda Expurgatorij Romani. Et videri poterunt Pegna *cit. comment.* 3. *ad cap. Fraternitatis*, Azorius *lib.* 8. *cap.* 16. *quæstione* 12. Farinacius *de hæresi quæstione* 180. *num.* 37. & Homobonus de Bonis *in Examin. Eccles. part.* 2. *tract.* 11. *cap.* 7. *quæstione* 15. Vbi ait, quod libri qui non sunt hæreticorum, neque tractant de hæresi, neque contra fidem continent falsa, vel suspecta dogmata, sed sunt ex alia causa prohibiti, possint viro digno permitti ab Inquisitoribus, qui quidem gratis, ex scripto manu sua subsignato tribuent, & de triennio in triennium facultatem hanc renouabunt. Quamuis in foro conscientiæ, illam licentiam ore tenus habere, sufficere videatur.

At nunc Vrbanus VIII. abrogauit omnes licentias legendi libros hæreticorum, & quoscumque libros alios prohibitos, vt propterea hodie hanc facultatem solùm concedat Sacra Congregatio Inquisitionis, & Magister Sacri Palatij, iuxta ea quæ dicam infra *citata Dub. quadragesima sexta, Petit.* 23.

PETITIO II.

An degentes in Terris, vbi Catholici mixti sunt cum hæreticis, & vbi est continua occasio refellendi errores hæreticorum, & procurandi, ne ab istis pusilli Catholici inficiantur; Quod difficulter præstare possunt Viri Docti, nisi legant, & retineant hæreticorum libros, qui continent hæreses, vel de Religione tractant; legere, & retinere possint dictos libros sine licentia?

SVMMARIVM.

1 *Degentes in Terris, vbi Catholici mixti sunt cum hæreticis, & vbi est continua occasio refellendi errores hæreticorum, & procurandi, ne ab istis pusilli Catholici inficiantur, legere, & retinere non possunt dictos libros sine licentia.*

2 *Limita cum Becano, ad loca, in quibus Bulla Cœnæ est vsu recepta.*

3 *Limita cum Sanchez, ad casum vrgentis necessitatis, quo casu licentiam concedere possunt Episcopi.*

4 *Limita cum Hurtado, & aliis, ad eos, ad quos in prædictis Terris hæreticorum spectat tueri fidem.*

Respondetur negatiuè. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. 1
q. 6. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *n.* 42. Fagund. *præcep.* 1. *Decal. lib.* 1. *cap.* 14 *n.* 24. Tanner. *tom.* 4. *summa, disp.* 6. *quæst.* 10. *dub.* 5. *n.* 98. qui subdit, quod plures ex Germania licentiam petant à Sac. Congregatione S. officij. Becanus *in summa tract.* 3. *cap.* 3. *q.* 8. *num.* 4. Oued. 2. 2. *contron.* 12. *n.* 41. Leander *part.* 4. *tract.* 3. *disput.* 1. *q.* 79. Hurtadus *de fide disput.* 76 *section.* 8. §. 307. & alij communiter. Quia cùm prohibitio sit vniuersalis, afficit in quocumque loco.

Limitant tamen quidam (vt Becanus) ad loca in 2
qui

quibus bulla Cœnæ est recepta: quod non est quid iuris, sed quid facti, iuxta ea quæ dicebam supra *dubit. 39. petit.* 8.

3 Limitant secundò, & rectè Sanchez *vbi supra numere* 43. Ouiedo, & Leander, ad casum vrgentis necessitatis: quo casu licentiam concedere possunt Episcopi. Quia tunc præsumitur talis facultas concessa Episcopis, sicuti præsumitur concessa in aliis casibus, in quibus recurri non potest ad Romanum Pontificem.

4 Limitant tertiò, & etiam rectè, alij (vt Hurtadus *loco supra citato*) ad eos, ad quos in prædictis Terris hæreticorum spectat tueri fidem. Quo casu tales possunt prædictos libros legere, & retinere: quia alioquin prohibitio facta in fauorem fidei, vergeret in detrimentum eiusdem fidei. Vide etiam quæ dicebam supra *citata dubit.* 39. *petit.* 8.



DVBITATIO XLVI.

Quas pœnas in vniuersum incurrant qui prohibitionem libros legendi, vel retinendi, &c. transgrediuntur.

SVMMARIVM.

1 *Legens, retinens, imprimens scienter, vel quomodocumque defendens libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sunt excommunicati excommunicatione reseruata in Bulla Cœnæ Domini.*

2 *Item sunt de hæresi suspecti.*

3 *Item reputantur hæreticorum fautores.*

4 *Componens librum in quo hæreses continentur, si ex proposito hæreses scripserit, & defensauerit, puniri debet vt hæreticus: quia verè hæreticus est, cùm scienter contra Ecclesiam doceat.*

5 *Amplia etiamsi in principio libri protestationem fecerit, quia contrario facto eam abrogauit: secus autem si non ex proposito, sed quasi per transennam hæresim scripserit: præsumitur enim tunc non ex malitia, sed ex ignorantia scripsisse, præsertim si res erat obscura, & difficilis, & protestationem fecit, vel aliàs Catholicus, & probus vir communiter existimaretur.*

6 *Idem dicendum de falsificantibus, vel corrumpentibus libros Catholicorum, praua dogmata illis miscendo.*

7 *Transcribens scienter libros hæreticorum, suspicionem hæresis incurrit, & tanquam fautor hæretici damnari debet.*

8 *Transcribens scienter libros hæreticorum excusari potest primò si statim post scripturam libros combusserit, aut lacerauerit.*

9 *Secundò si iussu domini, & metu incusso non ausus fuerit denunciare.*

10 *Tertiò si tanquam discipulus putauerit malitiam, seu venenum non inesse.*

11 *Culpæ qualitas in his casibus prudentis arbitrio iudicari debet vel grauis, vel leuis, vel nulla.*

12 *Imprimens prædictos libros præter excommunicationem, tanquam fautor hæretici puniri debet pœna arbitraria.*

13 *Typographis omnibus ex Bulla Leonis X. in Concilio Lateranensi prohibitum est, ne in vrbe imprimant absque examine, & approbatione in scriptis obtenta sui Vicarij, & Magistri sacri Palatij, & in aliis Diœcesibus absque approbatione Episcopi, & Inquisitoris hæreticæ prauitatis sub pœna amissionis librorum impressorum, & illorum publica combustionis, & Ducatorum centum, Fabricæ sancti Petri applicandorum, suspensionis per annum ab exercitio imprimendi, & excommunicationis ipso facto incurrenda, reseruata solum Episcopo ex vi dicti Decreti.*

14 *Concilium Tridentinum sub eisdem pœnis statuit, ve nemini liceat imprimere, vel imprimi facere quoslibet libros de rebus sacris sine nomine Authoris, neque illos in futurum vendere, vel etiam apud se retinere, nisi prius examinati, & probati fuerint ab Ordinario.*

15 *Imprimere volentes si fuerint Regulares, indigent licentia & approbatione suorum Superiorum.*

16 *In vrbe tamen Vicarius remittit librum videndum Magistro Sac. Palatij, cuius licentia habita Typographus imprimit, præfixa in principio libri sola clausula, De licentia Superiorum, aut æquipollentis.*

17 *In Regno Castellæ lege regia vsu recepta sufficit licentia supremi Consilij, de cuius mandato examinatur prius liber ab aliquo viro docto.*

18 *In Regno Portugalliæ seruatur Decretum Concilij Lateranensis, ibi enim non imprimitur liber, nisi obtenta licentia ab Ordinario, & Inquisitoribus.*

19 *Concilium Tridentinum addit; Qui autem scripto (scilicet dictos libros) communicant, vel euulgant, nisi prius examinati, & approbati fuerint, eisdem pœnis subiaceant, quibus impressores. Sub quibus verbis veniunt Conciones, Adnotationes, Quæstiones, & alia similia, quæ communicantur ad effectum, vt typis mandentur.*

20 *Imprimens librum falso nomine scriptoris supposito, peccat contra hoc decretum Concilij Tridentini: quia verè talis liber est absque nomine Authoris.*

21 *Libri cùm imprimuntur nomine scriptoris supposito non euitantur inconuenientia quæ Concilium intendit euitare: non enim tunc Author conueniri potest, vt rationem reddat de doctrina tradita.*

22 *Retinentes, defendentes, asportantes, vendentes, vel ementes libros hæreticorum scienter, in quibus hæreses disseminatæ sunt, sunt de hæresi suspecti.*

23 *Amplia etiamsi nunquam sic retinentes libros legerint.*

24 *Suspicio prædicta an sit leuis, vehemens, vel violenta probabilius remittendum est Iudicis arbitrio, qui pro qualitate circumstantiarum iudicabit.*

25 *Retinens, vel asportans nulla hæresis suspicione afficitur, si probetur per indicia ferè manifesta qualitatem illorum librorum ignorasse.*

26 *Retinens, vel asportans sic libros hæreticorum, vt suspicionem de hæresi contrahat, & vt talis possit torqueri, & ad purgationem condemnari, debet esse improba fama, vel aliàs de hæresi diffamatus: secus verò si sit proba fama, vel nunquam de hæresi suspectus.*

27 *Pœnæ omnes prædictæ intelligi debent pro fidelibus baptizatis, cùm hi solùm Ecclesiæ subdantur.*

28 *Libri hæretici Iudæorum, & nostram Religionem impugnantes, vel eorum falsam perfidiam defendentes sunt quidem prohibiti secundùm Bullam Iulij III. & Gregorij XIII. pœna tamen pro qualitate criminis arbitrio Inquisitoris imponi debent.*

RESPONDETVR: Qui scienter legunt, retinent, imprimunt, vel quomodocumque defendunt libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sunt excommunicati excommunicatione reseruata in Bulla 1
Cœnæ Domini. Item sunt de hæresi suspecti. Item reputantur hæreticorum fautores. Vide quæ dicam infra 2 3
Petit. 24. & 25.

Petes: Quid dicendum de componente librum, in quo hæreses continentur.

Respondetur: Iste talis, si ex proposito hæreses scripserit, & defensauerit, puniri debet vt hæreticus, quia 4
verè hæreticus est, cùm scienter contra Ecclesiam doceat

ceat, & magis de libertate, quam si verbis hæresim protulisset.

5 Quod intellige, etiamsi in principio libri protestationem fecerit, quia contrario facto eam abrogauit. Secus autem, si non ex proposito, sed quasi per transennam hæresim scripserit: Præsumitur enim tunc non ex malitia, sed ex ignorantia scripsisse, præsertim si res erat obscura, & difficilis, & protestationem fecit, vel aliàs Catholicus, & probus vir communiter existimaretur, Pegna *loco suprà citato, vers. horum tamen,* Azor. *cap.16.quæst.*10. Mascard. *de probat.conclus.*862. *num.* 3. *& seqq.* & Farinacius *de hæresi quæst.* 180. *num.*16.

6 Idemque dicendum de falsificantibus, vel corrumpentibus libros Catholicorum, praua dogmata illis miscendo, Pegna 2. *part. direct. comment.* 17. *ad cap. Nouit. de sentent. excommunic.* Farinacius *loco supra citato, num.*14. & Menoch. *de arbitr. centur.* 6. *cas.*549. *num.*5.

7 Petes secundò, quid dicendum de transcribente libros hæreticorum?

Respondetur, quod si iste talis id scienter fecerit, suspicionem hæresis incurrit, & tanquam fautor hæretici damnari debet. Pegna 1. *part. direct. comment.* 17. *vers. sed hæc sententia,* Azor. *cap.*17. *quæst.*5. & Farinac. *loco suprà cit. num.*18.

8 Quamuis excusari possit primò si statim post scriptu-
9 ram libros combusserit, aut lacerauerit. Secundo, si
iussu Domini, & metu incusso, non ausus fuerit denun-
10 ciare. Tertiò, si tanquam discipulus putauerit, malitiam, seu venenum non inesse.

11 Quapropter prudentis arbitrio hæc omnia expendi debent, vt qualitas culpæ cognoscatur, & iuxta illam grauis, leuis, vel nulla suspicio colligatur, Pegna, Farinacius, & Azorius *in locis suprà citatis.*

Petes tertiò, quid dicendum de imprimente prædictos libros?

12 Respondetur, præter excommunicationem, tanquam fautor hæretici, puniri debet pœna arbitraria, ex Pio V. ad Indicem librorum prohibitorum Regula decima, & videri poterit Vgolin. *de censur.* 2. *part. in gloss. imprimentes,* Pegna 1. *part. direct. comment.* 17. & Farin. *de hæres. quæst.* 180. *num.* 19.

13 Aduerte præterea, quod ex Bulla Leonis X. in Concilio Lateranensi, quæ incipit: *Inter sollicitudines,* prohibitum sit omnibus Typographis, ne libros, & alias scripturas, quæcumque illæ sint, quamuis hæresim non contineant, neque de Religione tractent, in vrbe imprimant absque examine, & approbatione in scriptis obtenta sui Vicarij, & Magistri Sacri Palatij, & in aliis Diœcesibus absque approbatione Episcopi, & Inquisitoris hæreticæ prauitatis; qui autem secus præsumpserint, vltrà librorum impressorum amissionem, & illorum publicam combustionem, & ducatos centum Fabricæ Sancti Petri, per annum ab exercitio imprimendi suspenduntur, & excommunicationem ipso facto incurrunt, reseruatam solùm Episcopo ex vi huius Decreti: Et crescente eorum contumacia, pœnæ augendæ sunt à Vicario in vrbe, & ab Episcopo alibi.

14 Concilium autem Tridentinum *sess.* 4. *decret. de edit. libror.* sub eisdem pœnis statuit, vt nemini liceat imprimere, vel imprimi facere quoslibet libros de rebus
sacris sine nomine Authoris, neque illos in futurum
vendere, vel etiam apud se retinere, nisi prius exami-
nati, & probati fuerint ab Ordinario, quæ licentia in
15 scriptis haberi debet. Quod si volentes imprimere, fue-
rint Regulares, indigeant licentia, & approbatione suo-
16 rum Superiorum. In vrbe tamen Vicarius remittit li-
brum videndum Magistro Sacri Palatij, cuius licentia
habita Typographos imprimit, præfixa in principio libri
sola clausula, *de licentia superioris,* aut æquipollentis.
17 In Regno Castellæ lege Regia vsu recepta sufficit licen-
tia supremi Concilij, de cuius mandato examinatur
18 prius liber ab aliquo viro docto. In Regno Portugal-
liæ seruatur Decretum Concilij Lateranensis: Ibi enim non imprimitur liber, nisi obtenta licentia ab Ordinario, & Inquisitoribus.

Addit deinde Concilium Tridentinum: *Qui autem scripto eos* (scilicet supradictos libros) *communicant, vel euulgant, nisi prius examinati, & probati fuerint, eisdem pœnis subiaceant, quibus impressores.* Sub quibus verbis, vti suprà dicebam, Congregatio Cardinalium declarauit, intelligi Conciones, Adnotationes, Quæstiones, & alia similia, quæ communicantur ad effectum, vt typis mandentur, secus, si iste finis cessauerit, Doctores, quos citat, & sequitur Roderiq. *tom.* 2. *quæst. Regul. quæst.* 104. *art.* 1. *in fine,* & Barbos. 3. *part. de potest. Episc. allegat.* 90. *in fine.* 19

Petes quartò, an si quis imprimat librum falso nomine scriptoris supposito, peccet aduersus hoc decretum Concilij Tridentini?

Respondetur affirmatiuè, quia verè talis liber est absque nomine scriptoris. 20

Confirmatur, quia omnia inconuenientia, quæ Concilium intendit vitare in libris sine nomine Authoris, hîc locum habent, cùm sub nomine ficto imprimatur: Non enim tunc Author conueniri potest, vt rationem reddat de doctrina tradita. 21

Quapropter inter modos perniciosos falsificandi libros, hunc modum enumerat Pegna 2. *part. direct. comment.* 17. *ad cap. Nouerit,* & Farin. *de hæres. quæst.* 180. *num.* 14.

Hæc tamen omnia, quæ dixi, intellige iuxta ea, quæ dicam infrà *Petit.* 15. *&* 16.

Petes quintò, quid dicendum de retinente, defendente, asportante, vendente, vel emente? 22

Respondetur, si qui libros hæreticorum, in quibus hæreses disseminatæ sunt, scienter retineant, defendant, asportent, vendant, vel emant, sunt de hæresi suspecti, Pegna *loc. cit. comment.* 3. *ad cap. Fraternitatis,* Azor. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 10. & Farinac. *de hæres. quæst.* 180. *n.* 8.

Quod verum est, etiamsi nunquam sic retinentes libros legerint, Farinac. *vbi suprà n.* 20. & Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 17. *num.* 55. 23

Petes sextò, an hæc suspicio sit leuis, vehemens, vel violenta?

Respondetur, quod quamuis, vt videre est apud Pegnam *cit. comment.* 3. *vers. An autem,* & apud Farinacium *cit. quæst.* 180. *num* 9. Doctores varient: Probabilius sit, remittendum esse totum arbitrio Iudicis, qui pro qualitate circumstantiarum aliquando de vehementi, aliquando de violenta suspicione Reum condemnabit, Pegna, & Farinac. *in loc. suprà cit.* Paramus *de origin. Sanct. Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 9. *num.* 147. Mascard. *tom.* 2. *conclus.* 862. *num.* 7. Menoch. *lib.* 5. *præsumpt.* 6. *n.* 18. & Simanch. *de Cathol. Institut. titul.* 58. *num.* 14. 24

Aduerte tamen, quod in retinente, vel asportante nulla hæresis suspicio oriatur, si probetur is per iudicia ferè manifesta qualitatem illorum librorum ignorasse, Pegna *cit. comment.* 3. *vers. An hæc suspicio, & comment.* 17. *vers. Cæterum,* Farin. *de hæres. cit. quæst.* 180. *num.* 9. & alij passim. 25

Quapropter, vt sic retinens, vel asportans libros hæreticorum, suspicionem de hæresi contrahat, & vt talis possit torqueri, & ad purgationem condemnari, debet esse improbæ famæ, vel alias de hæresi diffamatus. Secus verò, si sit probæ famæ, vel nunquam de hæresi suspectus, Pegna *dict. comment.* 3. *vers. An autem,* Farinac. *num.* 48. Mascardus *n.* 10. & Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 46. *num* 36. 26

At de his omnibus vide, quæ dicã infrà *petit.* 24. *&* 25. 27

Aduerte secundò, quod omnes prædictæ pœnæ de-
beant intelligi pro baptizatis, cum hi solùm Ecclesiæ
subdantur: Iudæis enim, vel aliis non baptizatis, si 28
temporali Christianorum dominio subditi viuant, libri
hæretici, & nostram Religionem impugnantes, vel
ipsorum falsam perfidiam defendentes, sunt quidem

etism prohibiti secundum Bollsm Iulij III. quæ incipit: *Càm ficut*, & secuodum Bullam Gregorij XIII. quæ tocipit, *Antiqua Iudaorum*. Pœnæ tamen pro qualitate ctimiois arbitrio Inquisitoris impo'ii debent, Pegna 2. *part. direct. comment.* 3. *ad cap. fraternitatis, verf.postremò*, Sanch. *de Catbel. Iastit. tit.* 25. *rubrica de Iudaus, num.* 11. & Farinac. *de hæref. quæst.* 180.

At de prohibitione librorum vide, qoæ dicentur etiam infrà *dubit.* 228. *sect.* 3. & *dubit.* 230. *sect.* 16.

PETITIO PRIMA.

An iustè Ecclesia prohibeat lectionem librorum hæreticorum?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum libros prohibendi consuetudo antiqua in Ecclesia esse probatur, fundataque in eo, quod habetur cap. 17. act. Apostol. de librorum combustio eorum, qui fueraat curiosa sectati ob multas validas rationes recensitas vtilissima.*

2 *Libros hæreticos prohibendi consuetudo in Ecclesia licet fuerit antiqua, propriè tamen, & formaliter hæc prohibitio non reperitur in Iure communi, sed obiter attingitur, &c.*

3 *Ecclesia iustè prohibet lectionem librorum hæreticorum, quia ea habet potestatem puniendi hæreticos, consequenter potest etiam decernere, vt scilicet libri ipsorum in pœnam tanti sceleris non legantur, sed comburantur.*

4 *Ecclesia prohibendo lectioaem librorum hæreticorum præseruat Fideles ab hæreticorum contagio, quod facilè ab eorum lectione ipsi coatraherent: Ob quam causam etiam in primitiua Ecclesia iidem prohibebantur legere libros Gentilium, teste Clemente.*

5 *Ecclesia præcipit, ne fideles communicent cum hæreticis in verbis, consequenter præcipere potest, ne ipsi communicent in libris, & scriptis, quia magis obest.*

6 *Libelli conscripti in iniuriam priuati hominis iustè prohibentur, eorumque Authores pœna capitis puniuntur: A fortiori igitur idem dici debet de libellis conscriptis in iniuriam Christi, & Ecclesiæ, quales sunt libri hæreticorum.*

7 *Maledicum carmen in aliquem edeas ex lege 12. Tabularum vltimo supplicio puniebatur, ex Cicerone, & ex aliis: Apud Romanos libri maledici in Magistratum comburebantur, &c. Idque multò magis locum sibi vendicat in libris hæreticorum.*

8 *Colloquia turpia, & lasciua, quia excitant ad turpitudinem, & ad lasciuiam audientes, iustè vitantur, multò magis lectio librorum hæreticorum.*

9 *Pictura turpes prohibentur, igitur multè magis lectio librorum hæreticorum.*

10 *Improbi homines à Republica eiiciendi, vt ciues vitam pacificam ducant: igitur & libri hæreticorum prohibendi aptissimi ad seditiones concitandas.*

11 *Hæreticorum libri comburuntur non solùm propter errores, quos continent, sed etiam ne pestifera doctrina vestigium aliquod supersit, & ne memoria hæreticorum, quæ ex libris quamplurimum oritur, conseruetur: Quapropter & nomina, & insignia eorum in lapidibus, vel alibi insculpta abraduntur, & abolentur, idem dic de statuis, & eorum imaginibus.*

12 *Hæreticorum libri aliqua vera, & bona continent, illa tamen vera falsis, & bona malis permiscentur, vt sic faciliùs legentes decipiantur. Venena enim non dantur, nisi melle circumelita.*

13 *Liber totus hæreticorum inficitur tanquam malus, cùm ij, quod in suis libris docent, referant ad suadendam falsum, & malum, & non sit bonum, quod ad malum refertur: finis enim est, qui specificat, & finis est, qui principaliter in rebus attenditur.*

14 *Seruari debet debita reuerentia Decretis Pontificum, Conciliorum, & Inquisitorum, inter quæ præcipuè Decretum, seu Constitutio Pij IV. Indici præfixa.*

15 *Ecclesia instè prohibet libros hæreticorum ob multa recensita, quæ ad amussim hic repilogantur.*

SVppono, quod hæc consuetudo prohibendi libros hæreticorum (vti patet ex iis, quæ dicebam supra 1 *dubit.* 44. est aotiqua in Ecclesia. Et fundatur in eo, quod in *cap.* 17. *Act. Apostolorum* habetur: *Multi, qui fuerant curiosa sectati, offerebant libros, & comburebant eos coram omnibus.* A principio igitur in Ecclesia consuetudo fuit combureodr libros, in quibus hæreses, & alij errores continentur. Quod faciebant homines, qui se ad Ecclesiam fidelium conuertebant: Tùm quia sic à Superioribus Ministris Ecclesiæ iubebantur. Tùm quia sic periculum redeundi ad pristinos errores, & vitandi multa peccata, quæ ex talium librorum lectione facilè commissuri fuissent, remouebant: Tùm quia ad Baptismum cum debita dispositione suscipiendum id esse necessarium iudicabant. Tum quis sic, cum quanto affectu Religionem Christianam amplecterentur, & idolorum vanitates, quibus libri Gentilium erant repleti, abominarentur, ostendebant. Et quamuis illi libri, qui *in dicto cap.* 17. à Gentilibus Ecclesiam fidelium ingredientibus comburebantur, essent magici: Inde tamen argumentum desumitur, quod multò magis comburendi sint hæreticorum libri, in quibus deteriores errores continentur. Cæterùm, licet consuetudo prohibendi libros hæ- 2 reticos in Ecclesia fuerit antiqua, propriè tamen, & formaliter (vti præter alios obseruauit Suarez *de fide disput.* 10. *section.* 2. *num.* 8.) non reperitur hæc prohibitio in iure communi, sed obiter attingitur *in cap. Sancta Romana, dist.* 15. & expressius *in leg. damnato, §. nec verò, in leg. quicumque, §. nulli, & §. omnes, Cod. de hæretic.* & *in leg. Mathematicos, Cod. de Episc. Audient.* Et propterea absolutè, ac vniuersaliter, vti adnotauit Alphonsus à Castro *lib.* 2. *de iust. hæretic. punit. cap.* 17. & Becanus *de fide cap.* 15. *quæst.* 8. *num.* 3. Primò hæc prohibitio facta fuit à Iulio III. quia per leges canonicas, & ciuiles prohibitum solùm erat, legi libros quorundam hæreticorum: At à Iulio III. condita fuit lex generalis, qua prohiberetur legi quoscumque libros hæreticorum: Quod idem postea in Bulla Cœnæ fecerunt cæteri subsequentes omnes Pontifices. Hoc supposito.

Respondetur affirmatiuè: Et probatur, quia Ecclesia 3 habet potestatem puniendi hæreticos, vt infrà suo loco probabitur: Ergò & potest sic illos punire, vt scilicet libri ipsorum in pœnam tanti criminis non legantur, sed comburantur: Cùm grauis pœna non sit, vt qui graue crimen commisit, eius scripta omnino aboleantur. Quin cum delinquant in scribendo, pœna eorum crimini proportionata est, quod eorundem libri à nemine legantur, nec teneantur.

Confirmatur, quia sic Ecclesia præseruat fideles ab 4 hæreticorum contagio, quod facilè ex lectione librorum hæreticorum dicti fideles contraherent: Ob quam causam olim in primitiua Ecclesia prohibebantur iidem fideles etiam legere libros Gentilium, teste Clemente *lib.* 1. *constitut. Apostol. cap.* 6. Et præcipitur in Concilio Carthaginensi 4. *cap.* 16.

Confirmatur secundò, quia Ecclesia præcipit, ne 5 fideles

fideles communicent cum hæreticis in verbis: Ergo & præcipere poterit, quod non communicent cum hæreticis in libris scriptis. Antecedens patet. Consequentia probatur, quia hæc communicatio in libris scriptis obest magis, quam communicatio illa in solis verbis, cùm libri scribantur cum maiori consideratione, eruditiône, & eloquentia, & non elabantur, nec ad locum, vel ad tempus limitentur (sicut verba) sed semper, & in omni loco permaneant, sicque magis obesse possint, quàm verba: Quod inde etiam patet, quia Ioannes Wiclef, teste Coclæo in historiis Hussitar. solùm docuit in Anglia, vbi paucissimos habuit discipulos. At per libros, quos edidit, suæ doctrinæ pestiferæ veneno Bohemiam, & alios locos infecit.

6 Confirmatur tertiò, quia libelli conscripti in iniuriam priuati hominis iustè prohibentur, eorumque Authores pœna capitis puniuntur, *l. vnica Cod. de famos. libell. l. lex Cornelia, §. si quis librum, ff. de iniur. l. cum leges, §. is cui, & l. finalis, ff. de testament. & l. ob carmen ff. de testib.* Ergo multò magis idem debebit dici de libellis conscriptis in iniuriam Christi, & Ecclesiæ, quales sunt libri ab hæreticis conscripti.

7 Confirmatur quartò, quia ex Tullio *lib. 4. Tusculan.* inter 12. Tabularum leges vna fuit, quod si quis maledicum carmen in aliquem ederet, vltimo supplicio puniretur; & Romani etiam legem promulgarunt, quod libri in Magistratum maledicta continentes comburerentur. Et ex Cleomede *lib. 2. Cyclic. Theor.* antiqui Legislatores legem tulerunt, quod libri peruersi, & noxij, sicut & ij, qui tales libros scriberent, & probarent, omninò exterminarentur: Ergo idem multo magis dicendum erit de libris hæreticis, eorumque Authoribus adeò peruersis, noxiis, & iniuriosis aduersus Christum, Sanctos, & Ecclesiam Dei.

8 Confirmatur quintò, quia iustè vitantur colloquia turpia, & lasciua, quia excitant ad turpitudinem, & ad lasciuiam audientes: Ergo multò magis iustè vitabitur lectio librorum hæreticorum, quia excitat ad impietatem, & omne irreligiositatis genus legentes.

9 Confirmatur sextò, quia ex canon. 100. Trullano *in epitom. sanct. canon.* Harmenopuli excommunicantur, qui turpes, siue in tabula, siue alibi picturas depingunt. Ita vt huiusmodi picturæ prorsus tollendæ sint: Ergo multo magis libri hæreticorum, cùm plus obsint, quàm picturæ turpes, tollendi erunt.

10 Confirmatur septimò, quia vt ciues vitam pacificam ducant, è Republica eiici, & remoueri debent homines improbi, *l. congruit, ff. de offic. præsid.* Ergo prohiberi, & remoueri debebunt libri hæreticorum, cum & hi aptissimi sint ad seditiones excitandas, sicuti patet ex libris Arrij, Manichæi, Lutheri, Caluini, & aliorum hæreticorum.

11 Confirmatur octauò, quia libri hæreticorum comburuntur, non solùm propter errores, quos continent, sed etiam ne pestiferæ doctrinæ vestigium aliquod supersit, vti dicitur *in l. damnato, §. nec verò, & in l. quicumque, §. omnes, Cod. de hæretic.*) & ne memoria hæreticorum quæ ex libris quamplurimum oritur, conseruetur: Quapropter & nomina, & insignia eorum in lapidibus, vel alibi insculpta abraduntur, & abolentur. Doctores communiter, quos sequitur Albertin. *de hæret. quæst. 12. num. 12.* & Penna *in director. part. 2. comment. 4. vers. Ex his ampliùs:* quatenus ait, quod nec imagines, nec statuæ hæreticorum sint conficiendæ, permittendæ, vel pingendæ, quin quod nec suspicione hæresis careat, qui eas vel in domo sua, vel in cubiculo honorificè collocaret. Quamuis cum dedecore, & ignominia, seu infamia, qua illi notantur, pingi possint, & minimè prohibeantur.

12 Confirmatur nonò, quia licet in hæreticorum libris aliqua vera, & bona contineantur, illa tamen vera falsis, & illa bona malis permiscentur, vt sic faciliùs legentes decipiantur, & ad sectas hæreticas pertrahantur, sicut adnotarunt Gregor. *lib. 5. moral. cap. 13.* Chrysostom. *homil. 47. in Matthæum*, Beda *in cap. 1. Marci, & in cap. 16. Actuum*, Turrecremat. *in cap. Sancta Romana, dist. 15.* & alij passim: Quia, si Authores hæretici solùm falsa, & mala docerent, ab omnibus reiicerentur, si verò solùm vera, & bona, non essent hæretici, sed Catholici (quapropter rectè dixit Hieronymus *epist. 7. ad Latam: venena non dantur, nisi melle circumlita.*) Ergo adhuc ob rationem dictam hæreticorum libri iustè ob Ecclesia prohibentur, vt propterea rectè etiam dixerit idem Hieronymus *epist. 10. ad Furiam: Eorum duntaxat tractatus lege, quorum fides nota est; Non enim necesse habes, aurum in luto quærere.*

Confirmatur decimò, cùm hæretici, quod in suis libris docent referant ad suadendum falsum, & malum, totus liber, tanquam malus, inficitur, cùm non sit bonum, quod ad malum refertur: Finis enim est, qui specificat, & finis est, qui principaliter in rebus attenditur, *leg. receptum, ff. de comm. l. cùm furiosus, ff. de iudic. leg. non intelligitur, §. quando autem ff. de iur. fisc. & §. sufficit, Instit. de ingen.* Ergo iustè totus liber, tanquam malus, prohibetur. 13

Confirmatur vndecimò, quia par est, vt seruetur debita reuerentia decretis Pontificum, Conciliorum, & Inquisitorum, inter quæ præcipuè videatur decretum, seu Constitutio Pij IV. quæ incipit, *Dominici gregis*, & est præfixa Indici, ibi: *Tamen cùm librorum ab hæreticis editorum lectio non modò simpliciores homines corrumpere soleat, verùm sæpè etiam Doctos, eruditosque in varios errores, & à veritate Fidei Catholicæ alienas opiniones inducere, huic quoque rei duximus esse prouidendum, cùm autem aptissimum ei malo remedium esse scirimus, si componeretur, atque ederetur index, siuè cathalogus librorum, qui vel hæretici sint, vel hæretica prauitate suspecti, vel certè moribus, & pietati noceant, id negocium ad sacram Tridentinam Synodum reieceramus.* Ex quibus constat, quod finis, & forsan præcipuus, libros prohibendi, & prohibitorum Indicem tenendi, & successiuè posteà alios libros similes in eundem Indicem referendi, sit prouidere, ne prauis libris fideles inficiantur, & in errores prolabantur. Doctores communiter quos sequitur Sanchez *lib. 2. moralium cap. 10. num. 51.* & Tamburin. *in Decalog. lib. 2. cap. 1. §. 7. num. 41.* 14

Dicendum igitur est, quod iustè Ecclesia prohibeat libros hæreticorum, tùm in Authorum pœnam, & execrationem, tùm in errorum detestationem: tùm, & forsan præcipuè, ne latiùs eorum venenum in alios diffundatur, tùm ne eorundem memoria conseruetur, sed aboleatur, tùm quia non solùm se decipiunt, sed etiam alios decipere volunt. Quapropter Hieronymus de hæreticis loquens ait: *In eo se lucrum putant consequi, si alios decipiant, & ipsi perditi cæteros perdant.* Tùm quia non solùm proprios libros mendaciis implent, sed etiam, quia sacras litteras, & Concilia deprauant, & corrumpunt; Isidorus *lib. 6. de summ. bono cap. 12.* Euseb. *lib. 6. historiar. cap. 10.* Ioan. Picus *in Apologia quæst. 7.* & Brunus *lib. 6. de hæretic. cap. 7.* 15

OBIECTIONES.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum libri, qui nullam hæresim continent, videntur permittendi, quales sunt libri Grammatici, Rhetorici, Dialectici, Philosophici, Medici, Mathematici, &c. cum nullum periculum inferant, exceptis libris ab hæresiarchis conscriptis, quia hæresiarcharum in pœnam tanti criminis libri omnes prohibiti sunt.*

2 *Ecclesia non prohibet libros complurium Patrum antiquorum, qui in hæresim lapsi sunt, vt Tertulliani, Origenis, Eusebij, & aliorum, partim quia huiusmodi libri paucos continent errores, qui cum iam sint*

obsoleti, non est periculum, quod Catholicos inficiant, partim ob cognitionem variam sacrarum rerum, partim ob maximam vtilitatem.

3 *Malum est repudiare bona, & vera à quocumque offerantur, & vbicumque reperiantur, si illa bona, & vera sint pura, ita vt non inferant periculum peruersionis, secus si sint admixta malis, & falsis, ità vt inferant periculum peruersionis.*

4 *Moneta falsa reiicitur, quamuis aliquid boni contineat.*

5 *Dæmonis dictum reiicitur (vtpotè patris mendacij) licet aliquid veri, & boni eloquatur.*

6 *Testis falsi testimonium reiicitur, licet aliquid veri testificet.*

7 *Bona & vera, quæ reperiuntur in libris hæreticorum facilius, & commodiùs absque vllo periculo peruersionis haberi possunt ex libris catholicorum.*

8 *Non sunt eradicanda zizania, eradicando simul etiam & triticum. At non sic dicendum de libris hæreticorum continentibus aliqua vera, & bona ob periculum peruersionis, & alioquin illa vera, & bona sine periculo legi possunt relata apud Catholicos Authores.*

9 *Ecclesia tolerat libros Gentilium, Iudæorum, & Turcarum. At non ideo tolerare debet libros hæreticorum: Ex illis enim non imminet legentibus periculum peruersionis, sicut ex istis. Illi sunt hostes publici Ecclesiæ, isti sub nomine Christiano virus suum tegunt.*

10 *Sancti Patres non quomodocumque, sed legitimè legebant libros hæreticorum ad eorum errores confutandos, & legitimè etiam eos legunt Episcopi, & Inquisitores, & alij viri docti.*

11 *Origenes præcipere consueuerat suis discipulis, quod legerent libros tam Philosophorum, quam Poëtarum: Nihilque repudiarent librorum Gentilium, at non librorum Hæreticorum.*

12 *Apostolus in Epist. 1. ad Thessalon. cap. 4. omnia (inquit) probate, quod bonum est tenete, non loquitur ad quoscumque, sed solum ad Prælatos Ecclesiæ.*

13 *Gelasius solum ait, quod in libris hæreticorum quædam sunt bona, quædam mala, quædam admittenda, quædam reiicienda, non tamen quod libri hæreticorum possint legi.*

1 Obiicies, saltem hæreticorum libri, qui nullam hæresim continent, videntur debere permitti, quales sunt libri Grammatici, Rhetorici, Dialectici, Philosophici, Medici, Mathematici, &c. cùm hi nullum periculum inferant, quod lectores ex ipsorum lectione ad hæresim pertrahantur: Ergo.

Respondetur, concedo totum, si nullam hæresim contineant, quia tunc prædicti libri non sunt conscripti ab hæreticis, vt sunt hæretici, sed vt sunt Grammatici, Rhetorici, vel Dialectici, &c. Excipe si sint conscripti ab hæresiarchis; quia hæresiarcharum, in pœnam tanti criminis, libri omnes prohibiti sunt; ità vt hæresiarcharum quoscumque libros legentes excommunicati sint, quamuis tales libri nec hæresim contineant, nec de Religione tractent; ex Regula secunda Indicis librorum prohibitorum.

2 Instabis: si Ecclesia habet potestatem prohibendi libros hæreticorum, deberet etiam prohibere libros complurium Patrum antiquorum, qui in hæresim lapsi sunt, vt Tertulliani, Origenis, Eusebij, Pelagij, & aliorum, cùm ex eorum librorum lectione possint fideles etiam in hæresim labi: Ergo ratio, cur Ecclesia prohibeat recentiores libros hæreticorum, non est propter tale periculum, sed propter odium, quo illos insequitur.

Respondetur: Nego sequelam antecedentis: Ecclesia enim non prohibet libros prædictorum Patrum antiquorum, partim, quia tales libri paucos continent errores qui cùm iam sint obsoleti, non est periculum, quod Catholicos inficiant; partim quia ex dictis libris multiplex, & eximia variarum rerum ad statum Ecclesiasticum pertinentium cognitio discitur, & magna simul vtilitas quoad multa alia percipitur.

Obiicies secundò: Malùm est, repudiare bona, & vera à quocumque offerantur, & vbicumque reperiantur, inquit Augustinus *lib. de vnic. baptism. cap. 3. & seqq.* Sed in hæreticorum libris multa bona, & vera reperiuntur: Ergo eorum libri repudiari, seu reiici non debent. 3

Respondetur: distinguo maiorem, si illa bona & vera sint pura (ita vt non inferant periculum peruersionis) concedo; si sint admixta malis, & falsis, ità vt inferant periculum peruersionis; nego. Quia qui amat periculum, peribit in illo, & qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, *Eccles. 3. & 13.*

Hinc reiicitur, seu reprobatur moneta falsa, quamuis aliquid boni contineat, *leg. 1. & 2. Cod. de fals. monet. & leg. eleganter, §. qui reprobatos, de pignorat. action.* 4

Hinc etiam reiicitur dictum dæmonis, vtpote patris mendacij, licet aliquid veri & boni eloquatur. *Luc.* 14. vbi cum dæmon fateretur, Christum esse Dei filium, eum prohibuit ne loqueretur Christus Dominus. Et *Act.* 16. vbi, cùm similiter fateretur dæmon, Apostolos esse Dei seruos, qui salutem hominibus annunciarent, eos exire, & tacere, iussit Apostolus. Videatur Theophilactus *in dict. cap. Lucæ*, Euthymius *in cap. 1. eiusdem Lucæ*, Beda *ibidem*, Tertullianus *lib. 4. contra Marcion.* & Augustinus *lib. 13. contra Faustum, cap. 15.* & refertur *in cap. sicut veri, dist. 37.* 5

Hinc & etiam reiicitur testimonium testis falsi, licet aliquid veri testificet, Bald. *in leg. final. Cod. de edict. Diu. Adrian. n. 18.* Alexander *lib. 2. consil. 27. num. 3.* Paris. *lib. 1. consil. 74. num. 21.* Ostiens. *in cap. Fraternitatis, de hæretic. num. 6.* & Felinus *ibid. num. 21.* 6

Et quod dixi, eo magis verum est; quia bona, & vera, quæ reperiuntur in libris hæreticorum, facilius, & commodius, absque vllo periculo peruersionis haberi possunt ex libris Catholicorum: Et præterea quia cum hæretici (sicuti dicebam in vltima confirmatione) quod docent in suis libris, referant ad suadendum malum, & falsum, totus ipsorum liber, tanquam malus, inficitur, sicque meritò totus, tanquam malus, prohibetur. Quapropter *veritas* (inquit Bellarmin. *lib. 3. de laicis cap. 20. tom. 1.*) *non est quidem neganda, non tamen in libris hæreticorum legenda*, quia vt ibi est, nocet, non prodest: Et sequendum est Consilium Sapientis *Prouerb. 23.* cùm ait: *Ne desideres de cibis eius, in quo est panis mendacij.* 7

Instabis: Non sunt eradicanda zizania, eradicando simul etiam & triticum: Ergò cùm in libris hæreticorum sint aliqua bona, vera, & vtilia, non sunt libri hæreticorum omninò prohibendi: alioquin eradicando mala, eradicarentur etiam multa bona, vera, & vtilia, quæ in hæreticorum libris continentur. 8

Respondetur etiam, vt supra; præsertim quia (sicut *ibidem* dicebam) bona, vera, & vtilia, quæ continentur in libris hæreticorum faciliùs, & commodiùs absque periculo peruersionis haberi possunt ex libris Catholicorum; sicque in casu nostro, eradicando zizania, non eradicatur etiam & triticum, cum non sit necessarium, ea quærere ex libris hæreticorum: Nam faciliùs, & commodiùs haberi possunt ex libris Catholicorum. Præsertim etiam; quia (sicut etiam *ibidem* dicebam) cùm hæretici bona, & vera, quæ docent, referant ad malum, & falsum persuadendum, totus ipsorum liber, tanquam malus, inficitur, sicque meritò totus, tanquam malus, prohibetur.

Obiicies tertiò, Ecclesia tolerat libros Gentilium, Iudæorum, & Turcarum: Ergo etiam tolerare debet libros hæreticorum. 9

Respondetur: Nego consequentiam, & disparitas est

est, quia ex libris Gentilium, Iudæorum, & Turcarum non imminet legentibus ita periculum peruersionis, sicuti imminet ex libris hæreticorũ; cum enim Gentiles, Iudæi, & Turcæ sint hostes manifesti Christianorum, manifestè improbant Religionem nostram, & facilè est, illorum errores discernere: At cum Hæretici sub nomine Christiano falsos errores latenter doceant, magnum peruersionis periculum inferunt iis, qui ipsorum libros legerint, & ipsorum errores, & hæreses non poterunt facilè dignosci, nisi à viris valdè doctis, & eruditis.

10 Obiicies quartò: Passim sancti Patres libros hæreticorum ad eorum errores impugnandos (vel simpliciter, vel ad hominem, pro vt ipsis locus datus fuerit) legere solebant: sic legere solebat Augustinus, vt patet ex multis locis eiusdem Augustini, Hieronymus, vt patet ex ipsius *Epist. 152. ad Minerium, & Alexandrum*, & Theophylus, vt patet ex Socrate *lib. 6. historiar. cap. 15.* Quinimmò in Concilio Carthaginensi 4. *cap. 16.* dicitur, quod Episcopi debeant pro necessitate, & tempore legere libros hæreticorum; Ergo.

Respondetur, distingno antecedens: Passim solebant, ita vt Sancti Patres id facerent quomodocumque; nego. Ita vt id facerent legitimè: sicut etiam & nunc temporis passim solent, si legitimè faciant Episcopi, & quicumque alij viri docti: concedo.

Instabis: Origenes, vt refert S Gregorius Taumaturgus *in oratione Panegeryca eiusdem Origenis*; præcipere consuebat suis discipulis, quod legerent libros tam Philosophorum, quam Poëtarum, nihilque repudiarent; Ergo fuit sententia eruditissimi Origenis, quod hæreticorum libri non essent reiiciendi, sed legendi.

11 Respondetur: Distinguo antecedens: Præcipere consuebat suis discipulis, quod legerent libros tam Philosophorum, quàm Poëtarum, nihilque repudiarent: librorum Gentilium, concedo; librorum hæreticorum, nego: De libris enim hæreticorum nullam mentionem facit, quinimmò in eadem oratione habetur, quod noluerit Origenes, vti sui discipuli legerent libros Atheorum, ne legentium animi inquinarentur; At idem periculum est in libris Hæreticorum, si scilicet hæresim contineant, vel ex professo de Religione tractent. Ergo sicut ex sententia Origenis libri Atheorum non sunt legendi, sed abolendi; Ita & prædicti libri hæreticorum: quapropter potiùs retorquetur argumentum contra aduersarios.

12 Reinstabis: Apostolus *in Epist. 1. ad Thessalon. cap. 4. Omnia*, inquit, *probate, quod bonum est, tenete*. Ergo iuxta sententiam Apostoli legendi sunt libri hæreticorum, & vera, bona & erudita, quæ in illorum libris continentur, tenenda sunt à Catholicis.

Respondetur, distinguo antecedens: Ita vt Apostolus loquatur ad solos Prælatos Ecclesiæ, ad quos tantùm, & non ad priuatas personas pertinet probare, & examinare libros, concedo; Quapropter, cùm Prælati Ecclesiæ examinauerint libros, & iudicauerint, quosdam esse conburendos, & nullo modo legendos, subditi stare debent iudicio Prælatorum Ecclesiæ, sicque retorquetur similiter argumentum contra aduersarios; vt omittam, quod Apostolus loquitur de rebus dubiis, & incertis, quæ examine & probatione indigent, verum debeant admitti, vel reiici; & non de rebus ab Ecclesia iam omninò reiectis & improbatis, cuiusmodi sunt libri hæreticorum. Quapropter Chrysostomus, & Theophilactus in vlla verba Apostoli aiunt, quod Pseudoprophetæ & hæretici, quos constat esse tales, nullo modo sint audiendi, iuxta id quod præcipitur *Deuteron. 13.* Sentit igitur Apostolus, quod quæ sunt dubia & incerta, debeant quidem examinari, non tamen ab omnibus, sed ab iis solis, qui possunt, & ad quos ex officio pertinet; sicut enim non ad omnes, sed ad solos Medicos pertinet examinare, qui morbi sint contagiosi, qui autem non; Ita non ad omnes, sed ad solos Prælatos Ecclesiæ pertinebit examinare, qui libri sint noxij, & vitandi, qui autem non, sed vtiles & admittendi; cum (vt inquit Hieronymus *epist. 7. ad Letam*) grandis sit prudentia, aurum in luto quærere.

Vrgebis: Gelasius in Tomo de vinculo anathematis 13
ait, quod libri hæreticorum partim possint admitti, & partim reiici, & citat prædicta verba Apostoli, *Omnia probate, &c.* Sic inquiens. *Numquid non in ipsorum hæreticorum libris multa, quæ ad veritatem pertinent, posita leguntur? numquid iam adeò veritas refutanda est, quia illorum libri, vbi prauitas inest, refutantur? Num ideò praui libri suscipiendi sunt eorum, quia veritas, quæ illis inserta est, non negatur?* Ergo, &c.

Respondetur, nego consequentiam; quia Gelasius solùm ait, quod in libris hæreticorum quædam sint bona, quædam mala; quædam sint admittenda, quædam reiicienda: Non tamen ait, quod libri hæreticorum, eo quod habeant admixta aliqua bona possint legi: Possint tamen bona, quæ in dictis libris hæreticorum continentur, recipi, si reperiantur in aliis libris, & etiam si reperiantur in libris ipsorum hæreticorum, ab iis solis tamen, qui legitimè id faciunt, & legitimè legunt; Non igitur sentit Gelasius; quod ab omnibus passim tales libri possint legi, sed ab iis solis, qui id legitime faciunt, & legitimè legunt, vti dicebam.

PETITIO II.

Sub qua pœna libri, cuiuscumque sint Authoris, propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibiti, legi, vel retineri, &c. prohibeantur?

SVMMARIVM.

1 *Libri cuiuscumque sint Auctoris propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem legi, vel retineri prohibentur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ex Constitutione Pij IV. quæ incipit: Dominici Gregis.*

2 *Hæreticorum libri solùm damnati propter suspicionem falsi dogmatis sub hac prohibitione comprehenduntur.*

3 *Dogmatis falsi nomine venit doctrina falsa circa fidem, scilicet omnis illa doctrina, quæ non concordat cum doctrina fidei.*

4 *Prohibitio, & excommunicatio hæc non intelligitur solùm de libris impressis, sed etiam de manuscriptis.*

5 *Prohibitio, & dicta excommunicatio non est reseruata, & ideò absolui potest per quemcumque legitimum Confessarium.*

6 *Prohibitio, & excommunicatio dicta, vt locum habeat non sufficit, quod liber Auctoris Catholici contineat hæresim, vel suspicionem falsi dogmatis; sed requiritur quod propter has causas damnatus sit cum causa expressione.*

7 *Verba dictæ Constitutionis Pij IV. ibi: Eamque ob causam in eum tanquam de hæresi suspectum, inquiri, & procedi liceat; concedunt ad procedendum facultatem, non autem iniungunt executionem ipsam.*

8 *Vsus talis facultatis relictus est arbitrio prudentis viri, vt scilicet habita ratione qualitatis personæ procedatur, vel non procedatur; quia tales libri possunt retineri ad finem bonum, vt ad ipsos confutandum; vel etiam ad finem non malum, vt ad ornatum Bibliothecæ.*

RESpondetur: legi, vel retineri, &c. prohibentur 1
sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ex Constitutione Pij IV. quæ incipit: *Dominici Gregis*;

die 26. Martij, anno 1564. edita, & librorum prohibitorom Indici præfixa, ibi: *Is quidem, qui hæreticorum libros, vel cuiusuis Authoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritvè, ipso iure in excommunicationis pœnam incidat, eamque ob causam in eum, tanquam de hæresi suspectum, inquiri, & procedi liceat, præter aliàs pœnas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque Canonibus constitutas.*

2 Vbi aduerte, quod sub hac prohibitione comprehendantur hæreticorum libri, solùm damnati propter suspicionem falsi dogmatis; quia si fuerint damnati propter hæresim, continentur sub prohibitione Bullæ Cœnæ.
3 Nomine autem falsi dogmatis venit doctrina falsa circa fidem, scilicet omnis illa doctrina, quæ non concordat cum doctrina fidei; quia, cùm doctrina fidei sit certa, & vera, omnis doctrina, quæ non concordat cum doctrina fidei, erit doctrina falsa.

4 Aduerte secundò, quod hæc prohibitio, & excommunicatio non intelligatur solùm de libris impressis, sed etiam de manuscriptis, sicuti patet ex Textu, ibi: *cuiusuis Authoris scripta.*

5 Aduerte tertiò, quod dicta prohibitio, & excommunicatio non sit reseruata; sicuti patet etiam ex Textu: & ideò absolui poterit per quemcumque legitimum Confessarium, Suarez *disput.* 10. *de fide sect.* 2. *num.* 29. Fillinc. *tract.* 16. *cap.* 2. *num.* 42. Duard. in *Bull. Cœn. lib.* 2. *q.* 34. *num.* 12. Bonacina *disput. de censur. in particular. quæst.* 5. *punct.* 4. *n.* 2. & alij passim.

6 Aduerte quartò, quod vt dicta prohibitio, & excommunicatio locum habeat, non sufficiat, quod liber Auctoris Catholici contineat hæresim, vel suspicionem falsi dogmatis, sed prætereà requiratur, quod propter has causas damnatus sit: Doctores, quos sequitur Lezana *in Summa verb. libri, num.* 16. & Thesaur. *in Praxi part.* 2. *eodem verbo libri, cap.* 2. Vnde non sufficit, quod liber damnatus sit, sed prætereà requiritur, quod in damnatione, causa ob quam damnatus sit, exprimatur. Alioquin non sciretur ob quam causam sit damnatus, atque adeò non habebit locum excommunicatio.

7 Aduerte quintò, circa illa verba: *Eamque ob causam in eum tanquam de hæresi suspectum, inquiri, & procedi liceat*; quod non dicant, vt procedatur, sed vt procedi liceat, concedendo scilicet ad procedendum facultatem, non autem iniungendo executionem ipsam.

8 Hinc fit, quod vsus talis facultatis relictus sit arbitrio prudentis viri; vt scilicet, habita ratione qualitatis personæ procedatur, vel nõ procedatur. Procedatur, si tales libri reperti fuerint apud hominem, qui fuerit prauæ vitæ, vel aliàs de hæresi infamatus; quia tunc indicium erit adminicolatum: Non procedatur, si reperti fuerint apud virũ, qui fuerit bonæ vitæ, & nunquam infamia aliqua laborans, iuxta ea, quæ tradunt Farinac. *de hæresi q.* 180. *n.* 48. Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 51. *n.* 24. & alij passim; Et ratio est, quia dicti libri possunt retineri ad finem bonum, vt ad ipsos scilicet confutandos, vel etiam ad finem non malum, vt ad ornamentum Bibliothecæ, vel etiam ad meram curiositatem, & ideò eorum retentio de se non est sufficiens indicium ad generandam suspicionem de hæresi, nisi personæ qualitatibus coadiunetur.

PETITIO III.

An præter prædictos libros adsint alij libri prohibiti similiter sub pœna excommunicationis latæ sententiæ?

SVMMARIVM.

1 *Libri solùm damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibentur sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, contra Doctores tenentes sub pœna excommunicationis Indicis librorum prohiberi libros omnes hæreticorum, quamuis hæresim non contineant, ex Constitutione Pij IV. ibi: Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritvè, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum.*

2 *Verba (alia de causa) sunt vniuersalia, & comprehendunt omnem titulum prohibitionis præter prædictam, propter hæresim scilicet, vel falsi dogmatis suspicionem, seu diuersum ab expresso.*

3 *Omnia, quæ in dicta Constitutione decernit Pius IV. ponuntur etiam in Regulis Indicis in fine Regulæ X.*

4 *Damnato Auctore, non damnantur omnes libri talis Auctoris ex Regulis Indicis: Nam in Regula secunda hæreticorum libri, qui de Religione non tractant, si iussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati approbentur, permittuntur.*

Loquor de libris in genere, non autem de libro aliquo in particulari, & nominatim prohibito; quia quod talis addit, certum est, vt Thalmud Hæbreorum, de quo dicebam suprà *dubit.* 44. *in Addendis.* Hoc supposito. 1

Respondemus, quod quamuis affirment Pegna *in cap. fraternitatis, de hæretic. comment.* 3. Azor. *part.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *q.* 7. & Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *q.* 34. *n.* 21. qui tenent, sub pœna excommunicationis Indicis librorum prohiberi libros omnes hæreticorum, quamuis hæresim non contineant: Moti ex quodam rescripto Iulij III. quod incipit: *Cùm meditatio*, & moti ex illa ratione, quod damnato Authore, censentur damnati omnes libri talis Authoris: Probabiliùs negent alij, quos sequitur Bonacin. *disput.* 1. *de censur. in particular. q.* 2. *punct.* 4. *n.* 2. qui volunt, sub pœna dictæ excommunicationis Indicis librorum prohiberi solos libros damnatos propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem.

Probatur ex Constitutione Pij IV. Indici librorum præfixa, vbi, cùm Pontifex disposuisset de Indicis Regularum obseruatione, & statuisset excommunicationis pœnam contra legentes, vel tenentes libros damnatos, siue hæreticorum, siue Catholicorum propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, subdit; *Qui* 2
autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritvè, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum; Vbi illa verba: *alia de causa prohibitos*, sunt vniuersalia, & comprehendunt omnem titulum prohibitionis, præter prædictum, *propter hæresim scilicet, vel falsi dogmatis suspicionem*, seu diuersum ab expresso; *l. si fundus sub conditione, §. libertus, ff. de legat.* 1. At huic Constitutioni Pij IV. librorum Indici præfixæ, tanquam iuri nouissimo, & ad Regulas circa librorum prohibitionem firmandas instituto, stari debet; Ergo.

Confirmatur; quia omnia hæc eadem, quæ in dicta Constitutione decernit Pius IV. ponuntur etiam in Regulis Indicis, in fine scilicet Regulæ 10. At hoc est signum, quod dicta Constitutio Pij IV. procedat de omnibus aliis libris prohibitis: Ergo, &c. 3

Hinc patet ad id, quod dicebatur de quodam rescripto Iulij III. patetque etiam ad rationem Aduersariorum; quia minùs verum est, quod damnato Authore, damnentur omnes libri talis Authoris: Contrarium enim constat ex Regulis Indicis; cùm in Regula 2. Hæreticorum libri, qui de Religione non tractant, & iussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati approbantur, permittantur. 4

PETITIO IV.

Qui dicendum de libris hæreticorum, si hæresim non contineant, neque de Religione tractent? Vbi etiam, quid dicendum de similibus aliis libris hæreticorum?

SVMMARIVM.

1 *Hæresiarcharum libri omnes, quamuis hæresim non contineant, neque de Religione tractent, cuiuscumque Argumenti sint, prohibiti sunt ex Regula secunda Indicis.*

3 *Hæreticorum libri, qui de Religione non tractant, nec hæresim continent, iuxta Bullam Cœnæ, si à Theologis Catholicis iussu Inquisitorum, & Episcoporum approbentur, conceduntur: Quapropter quamdiu non sunt approbati pro prohibitis habendi sunt, quia concessum sub vna conditione, censetur prohibitum sub opposita.*

2 *Hæresiarcharum libri, & multo magis hæreticorum, si hæresim non contineant, neque de Religione tractent, ac proinde suspicionem falsi dogmatis non habeant, non erunt prohibiti sub pœna excommunicationis, contra Doctores affirmantes oppositum, eo quod damnati sint in Regula secunda Indicis.*

4 *Hæreticorum libri dum non sunt positiuè damnati, non possunt dici damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, ac proinde neque prohibiti sub pœna excommunicationis. Contra Doctores, quos sequitur Bonacina.*

5 *Libri prædicti, vt permitti possint, approbari debent vel ab aliqua Vniuersitate Catholica, vel ab Inquisitore Generali.*

6 *In Regnis Hispaniarum sufficit approbatio Inquisitoris Generalis.*

7 *Legens huiusmodi libros ex approbatione viri prudentis & docti, vel ex ipsomet viri docti iudicio non peccaret grauiter; quia agitur de materia leui.*

8 *Hæreticorum libri, qui quotidie prodeunt in Germania, continentes scilicet historias, materias legales, medicas, mathematicas, rhetoricas, vel similes, in quibus passim continentur aliqua, quæ satis ostendunt Auctorem hæreticum, pertinent ad secundam hanc Regulam Indicis, vt proinde permitti possint cum expurgatione.*

9 *Libri prædicti ex praxi cùm publicè permittuntur in Officinis Librariorum, censentur tacitè permissi, absque alia permissione.*

1 Respondetur, omnes libri hæresiarcharum, quamuis hæresim non contineant, neque de Religione tractent, cuiuscumque argumenti sint, prohibiti sunt ex Regula secunda Indicis.

Difficultas solùm est, an hi libri sint prohibiti propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, atque adeò vel sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

2 Respondetur, quod quamuis affirment quidam, quos sequitur Bonacina *disput. 1. de censur. in part. q. 2. punct. 4. num. 3.* eo quod huiusmodi libri damnati sint in Regula secunda Indicis; satis probabile sit tamen oppositum, quia ex dictis suprà *petit. 2.* non omnes libri damnati prohibentur sub pœna excommunicationis, sed solùm damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem: Ergo si quis liber alicuius hæresiarchæ (& multo magis alicuius hæretici) hæresim non contineat, neque de Religione tractet, ac proinde suspicionem falsi dogmatis non habeat, non erit sub pœna excommunicationis prohibitus.

Vbi aduerte, quod hæreticorum libri qui de Religione non tractant, nec hæresim continent, iuxta Bullam Cœnæ; si à Theologis Catholicis iussu Inquisitorum, & Episcoporum approbentur, conceduntur. Quapropter, quamdiu non sunt approbati, pro prohibitis habendi sunt; quia concessum sub vna conditione, censetur prohibitum sub opposita, *l. illi quando, ff. de condition. & demonstrat. l. quod purè, ff. quando dies leg. ced. & l. si legatum purè, ff. de adimen. leg.* & notant Ruinus *consil. 53. n. 3.* Surd. *consil. 157. n. 9.* Natta *consil. 200. n. 1.* Cephal. *consil. 17. n. 20.* & Osasch. *decis. Pedem. 106. n. 4.* Qui tamen libri, dum non sunt positiuè damnati (possunt enim etiam concedi, sicuti dicebam) non possunt dici damnati propter hæresim, vel propter falsi dogmatis suspicionem: Ac proinde neque possunt dici prohibiti sub pœna excommunicationis; quamuis contrarium teneant Doctores, quos sequitur Bonacina *loco suprà citato.* 3 4

Quod dicebam de libris hæreticorum, idem etiam in eadem Regula secunda decernitur de libris Catholicè scriptis eorum, qui posteà in hæresim lapsi, vel post lapsum ad Ecclesiæ gremium reuersi sunt.

Aduerte secundò, quod prædicti libri, vt permitti possint, approbari debeant vel ab aliqua Vniuersitate Catholica, vel ab Inquisitore generali: Quapropter sufficiet approbatio altero modo obtenta ex prædictis: Et in Regnis Hispaniarum sufficiet approbatio Inquisitoris Generalis. 5 6

Quamuis, si quis legeret huiusmodi libros; quia iudicio viri prudentis, & docti approbarentur, vel quia (cùm ipse sit vir prudens, & doctus) iudicaret eos approbari posse, non peccaret grauiter; quia agitur de materia leui. Doctores, quos sequitur Tamburin. *in præcept. Decalog. lib. 2. cap. 10. §. 7. num. 59.* 7

Aduerte tertiò, quod etiam hæreticorum libri, qui quotidie prodeunt in Germania, continentes scilicet Historias, materias legales, Medicas, Mathematicas, Rethoricas, vel similes, in quibus passim continentur aliqua, quæ, quod Author sit hæreticus, satis ostendunt, vt sunt detractiones in Summum Pontificem, & Catholicos, vsus phrasium hæreticorum, vel quid aliud simile; pertineant ad hanc eamdem Regulam Indicis secundam, vt proinde permitti possint cum expurgatione. 8

Quamuis Praxis iam obtinuerit, vt legantur etiam absque alia permissione: quia cùm permittantur vendi publicè in Officinis Librariorum, censentur tacitè permissi, & non posse damnum aliquod fidelibus inferre. Quod simile dicam infrà *petit. 6.* de libro, cui titulus *Theatrum vitæ humanæ.*

PETITIO V.

Quid dicendum de libris materiam diuinatoriam tractantibus?

SVMMARIVM.

1 *Libri materiam diuinatoriam tractantes, vt Chyromantiæ, Necromantiæ, Geomantiæ, &c. Arte magica, non tamen naturali, sed dæmoniaca, prohibentur ex Regula Indicis nona. Et si præterea continerent hæresim, & essent libri Authorum hæreticorum, prohiberentur etiam sub pœna excommunicationis in Bulla Cœnæ.*

2 *Astrologiæ iudiciariæ libri quoad naturales obseruationes pro Agricultura, Nauigatione, & Arte medica permittuntur in eadem Regula nona; Tractantes verò de futuris contingentibus, cæterisque actibus liberis, Episcoporum animaduersioni committuntur.*

3 *Indicis Regula nona procedit de dictis libris, tanquam*

hæ-

de damnatis propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, ac proinde non continet dictos libros, tanquam prohibitos sub pœna excommunicationis, contra Duardum, & Bonacinam consentes dictos libros prohiberi propter falsi dogmatis suspicionem.

4 *At minùs rectè, & est. Quamuis si inuoluerent falsi dogmatis suspicionem prohiberentur per Bullam Pij IV. & si Auctores essent hæretici, per Bullam Cœnæ.*

5 *Ex Sixti V. Constitutione adnotata in Indice circa eamdem Regulam nonam fideles admonendi sunt ab Episcopis, & Inquisitoribus, quod in legentes, vel retinentes libros huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ, sortilegiorum, diuinationum, rerumque aliarum in eadem Regula non expressarum procedere possunt.*

6 *Constellationes Cœlorum in puncto natiuitatis pro indagandis cœlestibus influxibus in ordine ad Constitutionem corporis, complexionem, inclinationem, alterationes humorum à syderibus portentas, atque adeò infirmitates nati, non prohibentur per dictam Regulam nonam Indicis, sine etiam per dictam Constitutionem Sixti V. cùm hæc omnia sint causæ naturales in ordine ad naturales effectus.*

7 *Obseruationes prædictæ multùm conferunt in ordine ad Artem medicam; quapropter dixit Galenus: Ne te committas Medico Astrologiæ ignaro.*

1 RESpondetur: Quoad huiusmodi libros materiam diuinatoriam, vt Chytomantiæ, Necromantiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Aëromantiæ, Eromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, siue etiam de veneficiis, auguriis, sortilegiis, incantationibus, auspiciis, arte magica, non tamen naturali, sed dæmoniaca tractantes extat Regula Indicis nona, per quam omninò dicti libri prohibentur: Et si præterea continerent hæresim, & essent libri Authorum hæreticorum, prohiberentur etiam sub pœna excommunicationis in Bulla Cœnæ.

2 Vbi aduerte, quod in eadem Regula nona permittantur tamen libri Astrologiæ iudiciariæ quoad naturales obseruationes pro agricultura, nauigatione, & arte Medica, libri verò tractantes de futuris contingentibus, cæterisque actibus liberis, & affirmantes aliquid ex his certò euenturum, committantur Episcopis, vt prouideant, ne tales libri legantur, vel teneantur.

3 Aduerte secundò, quod hæc dicta Regula nona non procedat de dictis libris, tanquam de damnatis propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, ac proinde non contineat dictos libros, tanquam prohibitos, sub pœna excommunicationis imposita per Bullam Pij IV. præfixam dicto Indici.

Quamuis contrarium teneant Duard. *in Bull. Cœn. lib. 2. q. 34. num. 17.* & Bonacina *disput. 1. de censur. in particular. quæst. 2. punct. 4. n. 4.* ex eo, quia censent, omnes dictos libros prohiberi propter falsi dogmatis suspicionem.

At minus rectè; quia licèt dicti libri præscribant cultum dæmonum, & alia multa flagitia, tanquam media ad obtinendum id, quod desideratur à dæmone, non tamen ea docent, tanquam quid licitum, cùm tantum doceant factum, non autem quid iuris de ipso facto: Ergo non inuoluunt per hoc falsi dogmatis suspicionem, sicut ordinariè qui suadet fornicationem, furtum, vel homicidium ad aliquem finem, non id docet tanquam quid licitum ad illum finem, ac proinde non est suspectus de falso dogmate.

4 Quamuis, si inuoluerent falsi dogmatis suspicionem, prohiberentur quidem sub excommunicatione per Bullam Pij IV. quin etsi Authores eorumdem librorum essent hæretici, prohiberentur etiam sub excommunicatione per Bullam Cœnæ; Nauarr. *cap. 27. num. 55.* Alterius *lib. 5. de censur. disput. 2. cap. 6. circa finem*, Fagundez *precept. 1. Decalog. lib. 1. cap. 14. num. 10.* Sanchez *lib. 1. moral. cap. 10. num. 32.* Trullench. *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dubit. 9. §. 5. num. 18.* iuxta ea, quæ dicebam suprà diffusè in locis suis.

Aduerte tertiò, quod in eodem Indice circa eamdem Regulam nonam adnotetur Constitutio Sixti V. quoad libros de quibus in dicta Regula nona; volens, vt fideles ab Episcopis, & Inquisitoribus admoueri debeant, quod in legentes, vel retinentes contra hanc Regulam nonam libros huiusmodi Astrologiæ iudiciariæ, sortilegiorum, diuinationum, rerumque aliarum in eadem Regula nona expressarum (sicut etiam in exercentes Astrologiam iudiciariam) procedi possit non solum per ipsos Episcopos, sed etiam per locorum Inquisitores; Ita vt per ea verba, *procedi potest*, concedatur Episcopis, & locorum Inquisitoribus solùm facultas procedendi, non autem iniungatur, quod dicti Episcopi, vel locorum Inquisitores actu procedant. 5

Hinc colligitur, quod per dictam Regulam Indicis nonam, sicut etiam per dictam Constitutionem Sixti V. non prohibeatur, obseruari constellationes Cœlorum in puncto natiuitatis pro indagandis cœlestibus influxibus in ordine ad corporis constitutionem, complexionem, inclinationem, alterationes humorum à syderibus portentas, atque adeò infirmitates nati, cùm hæc omnia sint causæ naturales in ordine ad effectus naturales. Cumque huiusmodi obseruationes multum conferant in ordine ad Artem Medicam, præsertim pro detegenda radice infirmitatis, pro incrementis, & decrementis, & pro eligendo remedio opportuno; quia si remedium fuerit conforme influxibus iuuantibus infirmum, proderit multum, si non fuerit conforme, proderit nihil; si verò fuerit contrarium, loco salutis infirmitatem augebit, vel mortem importabit: quapropter rectè dixit Galenus: *Ne te committas Medico Astrologiæ ignaro; quia eius medicamenta vel nihil tibi proderunt, vel multùm nocebunt.* 6 7

PETITIO VI.

Quid dicendum de hæreticorum libris, in quibus hæretici Authores nihil, vel parum de suo apposuerunt?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum libri, in quibus hæretici Authores nihil, vel parum de suo apposuerunt, eo quod scilicet ab aliis tradita collegerint, vt sunt Apophtegmata, &c. si quid habeant, quod expurgatione indigeat, expurgati legi permitti possunt.*

2 *Expurgatio dictorum librorum fieri debet ab Episcopo, & Inquisitore, cum consilio Theologorum Catholicorum, ex Regula quinta Indicis.*

3 *Expurgatio non potest fieri ab Episcopo sine Inquisitore, neque è contra, quia Regula quinta loquitur copulatiuè. Neque potest omitti consilium Theologorum; quia dicta facultas ipsis traditur modificata.*

4 *Libri prædicti, si nihil habeant, quod expurgatione indigeat, absolutè permitti debent.*

5 *Libri prædicti, quando primò prodeunt, statim subiiciendi sunt examini per Episcopos, & Inquisitores. Quod si non præstiterint ex quocumque capite, praxis obtinet, vt legi possint.*

6 *Theatrum vitæ humanæ reduci potest ad hanc Regulam: quia reuera non est aliud, quàm quædam compilatio eorum, quæ ab aliis tradita sunt;*

Licet

Licèt quoad modum explicationis sit liber proprius alicuius Authoris.

1 RESpondetur: Hæreticorum libri, in quibus hæretici Auctores nihil, vel parum de suo apposuerunt, eo quod scilicet ab aliis tradita collegerint (vt sunt concordantiæ, similitudines, Apophtegmata, aliaque huiusmodi) si quid habeant, quod expur-
2 gatione indigeat, expurgati legi permitti possunt. Expurgatio autem fieri debet ab Episcopo, & Inquisitore cum consilio Theologorum Catholicorum, ex Regula quinta Indicis.

3 Hinc sequitur, quod cùm hæc Regula loquatur copulatiuè de Episcopo, & Inquisitore, non possit expurgatio fieri ab vno sine altero. Et cùm similiter dicta Regula dicat: *Vna cum Consilio Theologorum Catholicorum*: Sequitur, quod Episcopus, & Inquisitor debeant sequi consilium horum Theologorum; quia cùm facultas expurgandi ipsis tradatur modificata, & alligata ad huiusmodi consilium, si non sequantur tale consilium, expurgatio ipsorum non erit auctoritatiua, iuxta Textum *in lege prima*, §. *si plures*, *num. 7. ff. de exercitoria actione*, & *in lege Titium*, *ff. de administratione, & pericul. tutor.* vbi præter alios Bartolus, Abb. *in cap. cùm olim, de arbitr. num. 5.* Buttius *ibidem*, Dominic. *in cap. vnico*, §. *ibi verò*, *num. 9. de Sede vacante in 6.* Gonzalez *ad Regulam octauam*, *Cancellar. glossa 46.* & Syluest. *verb. consilium*, *num. 6.*

4 Sequitur secundo, quod si prædicti libri nihil habeant, quod expurgatione indigeat, legi debeant absolutè permitti.

5 Sequitur tertiò, quod, quando primò prodeunt tales libri, debeant Episcopi, & Inquisitores statim eos subiicere examini, vt videre possint, vtrùm sint expurgandi, an verò tales, quales sunt, legi permittendi. Quod, si non præstiterint, ex quocumque capite id non præstiterint, praxis obtinuit, vt legi possint; quia eo ipso, quod legi non prohibentur, cùm sint ex genere illorum, qui iuxta Regulam Indicis legi permittuntur; censentur legi permissi.

6 Ad hanc Regulam reduci potest liber, cui titulus *Theatrum vitæ humanæ*; quia reuera non est aliud, quàm quædam compilatio eorum, quæ ab aliis tradita sunt, licèt quoad modum explicationis, sit liber proprius alicuius Authoris. Quapropter cùm dictus liber contineat plura, quæ indigent expurgatione, iuxta hanc Regulam esset expurgandus; quamuis hodie passim absque expurgatione legi permittatur; Fortè, quia, quæ in ipso expurganda forent, non censentur magni momenti.

Quid simile dicebam *suprà petit. 4.* de libris hæreticorum, qui quotidie prodeunt in Germania, continentes scilicet Historias, materias Legales, Medicas, Mathematicas, Rethoricas, vel similes, in quibus passim continentur aliqua, vt detractiones in Summum Pontificem, & Catholicos, vsus phrasium hæreticorum, quæ, quod Author sit hæreticus, satis ostendunt; sicut ibidem notabam.

PETITIO VII.

Quid dicendum de libris, qui bonum habent principale Argumentum, sed inserta habent aliqua mala, quæ expungenda sint?

SVMMARIVM.

1 *Libri, qui bonum habent principale Argumentum, sed inserta habent aliqua mala, scilicet ad hæresim, impietatem, diuinationem, vel superstitionem spectantia, quæ expurganda sint, permitti possunt, si Generalis Inquisitionis auctoritate*

à Theologis Catholicis expurgati sint.

2 *Idem dic de Annotationibus, Prologis, Summariis, &c.*

3 *Argumentum principale libri ad hoc, vt dicatur esse bonum, non requiritur, quod sit tale in genere morali; sed sufficit, quod non contineat aliquid, quod directè, vel indirectè fidei, vel bonis moribus contrarietur.*

4 *Ad impietatem spectare illud dicitur, quod est contra pietatem, non quatenus pietas est virtus specialis, sed quatenus pietas est donum Spiritus Sancti, respic. cultum, & officium exhibendum Deo.*

5 *Libri in aliquo Regno, vel Prouincia prohibiti ex eo, quod contineant aliqua, quæ sine delectu ab omnibus legi non expedit, si ipsorum Authores sint Catholici, expurgati permitti possunt.*

RESpondetur: Libri, qui bonum habent principale argumentum, sed inserta habent aliqua mala, 1
scilicet ad hæresim, impietatem, diuinationem, vel superstitionem spectantia, quæ expungenda sint, permitti possunt, si generalis Inquisitionis auctoritate à Theologis Catholicis expurgati sint: Idemque dico de Annotationibus, Prologis, Summariis, &c. qui à damnatis Authoribus ad libros non damnatos inserta sunt; 2
ex Regula Indicis octaua, quæ subdit, quod huiusmodi libri in posterum non sint imprimendi, nisi fuerint expurgati.

Vbi aduerte, ad hoc, vt argumentum principale libri dicatur esse bonum, non requiri, quod sit tale in 3
genere morali, sed sufficere, quod non contineat aliquid, quod directè, vel indirectè fidei, vel bonis moribus contrarietur, atque adeò ex instructione Indici præfixa, nihil contineat eorum, quæ ad correctionem librorum expungenda sunt, pro principali argumento; quia, his seclusis, argumentum est bonum; cùm sit aptum ad finem, ad quem libri ex genere suo diriguntur, scilicet ad instructionem.

Aduerte secundò, illud dici spectare ad impietatem, 4
quod est contra pietatem, non quatenus Pietas est Virtus specialis, sed quatenus Pietas est donum Spiritus sancti, respiciens cultum, & officium exhibendum Deo, ex Sancto Thoma 2.2. *q. 121. art. 1. in corpore.* Vnde cùm hæc pietas, secundùm quod est donum Spiritus sancti, ex Sancto Thoma *ibidem ad 3.* non solùm exhibeat cultum, & officium Deo, sed etiam omnibus hominibus, in quantum pertinet ad Deum, ac proinde ad ipsum pertineat honorare Sanctos, non contradicere scripturæ, siue intellectæ, siue non intellectæ, ex Augustino *lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 7.* quidquid erit his actibus, quos exhibet pietas, contrarium, pertinebit ad impietatem.

Huc etiam spectat, quod in sexta Regula Indicis 5
habetur (libros scilicet in aliquo Regno, vel Prouincia prohibitos ex eo, quod contineant aliqua, quæ sine delectu ab omnibus legi, non est expediens) posse si ipsorum Authores sint Catholici, expurgatos permitti; quia cùm supponantur solùm nonnulla huiusmodi continere, sequitur, quod supponatur, ipsorum principale argumentum esse bonum, & in ipsis solùm aliqua, eo quod apud aliquos prauum effectum sortiri possint; non expedire.

PETITIO VIII.

Quid dicendum de libris, qui ex professo tractant de rebus lasciuis?

SVMMARIVM.

1 *Libri, qui ex professo tractant de rebus lasciuis tanquam morum, & etiam fidei corruptiui om-*

ninò prohibentur ex Regula Indicis septima, &c.

2 *Libros prædictos legentes, vel habentes, licèt non incurrant excommunicationem, peccant tamen grauiter, quia faciunt contra prohibitionem legis in materia graui.*

3 *Libros prædictos legentes, vel habentes non absoluendi, nisi eos consignent Episcopo, vel Inquisitori, vel saltem Confessario, qui alteri eorum tribuat.*

4 *Excipe primò ab hac Regula libros veterum Auctorum, qui propter elegantiam sermonis permittuntur.*

5 *Excipe secundò libros, qui res lasciuas examinant, vt doceant qualiter in eis peccetur; quia tales libri non tendunt ad deprauandos mores, sed ad instruendam conscientiam.*

6 *Lasciuarum rerum nomine veniunt ea omnia, quibus sit inspersum quid lasciuiæ, v. g. actiones lasciuæ exercitæ, siue instructiones, vel præparationes ad lasciuiam exercendam.*

7 *Libri, vt dicantur ex professo tractare de rebus lasciuis, non est necesse principale Argumentum esse lasciuum, sed est satis, si pars aliqua libri ex intentione Auctoris tractet de huiusmodi materia, quamuis hanc non habeat pro suo principali Argumento.*

1 Respondetur: Libri, qui ex professo tractant de rebus lasciuis, tanquam morum, & etiam fidei corruptiui omninò prohibentur ex Regula Indicis septima, in qua etiam Episcopis iniungitur, vt huiusmodi libros legentes, vel habentes seuerè castigent.

2 Hinc sequitur, quod licèt dictos libros legentes, vel habentes non incurrant excommunicationem, peccent tamen grauiter; quia faciunt contra prohibitionem legis in materia graui. Tum quia cùm materia lasciua sit quammaximè lubrica, & periculosa, exponunt se periculo peccati grauis. Alterius *de censur. lib. 5. disp. 2. cap. 7. dub. 4.* Duardus *lib. 2. in Bull. Cœn. q. 34. n. 19.* & alij, quos sequitur Bonacina *disp. 1. de censur. in particulari q. 1. punct. 4. n. 5.*

3 Sequitur secundò, quod eosdem libros legentes, vel habentes non debeant absolui, nisi eos consignent Episcopo, vel Inquisitori, vel saltem Confessario, qui Episcopo, vel Inquisitori tradat; Quamuis, si prompti sic sint consignare, interim absolui possint.

4 Excipe tamen ab hac Regula libros Veterum Authorum, qui propter elegantiam sermonis permittuntur; non tamen pueris legendi, nisi priùs fuerint expurgati iuxta prædictam Regulam.

5 Excipe secundò libros, qui res lasciuas examinant, vt doceant, qualiter in eis peccetur; quia tales libri non tendunt ad deprauandos mores, sed ad instruendam conscientiam. Quod, si quando aliquibus ex lectione talium librorum excitentur affectus lasciuiæ, id totum est per accidens; & in causa, quæ, cùm sit bona, non debet euitari. Quemadmodum is, cui ex audiendis Confessionibus excitantur similes affectus lasciuiæ, propter eamdem dictam rationem non tenetur propterea ab eis audiendis in futurum se abstinere.

6 Vbi aduerte, quod nomine rerum lasciuarum veniant ea omnia, quibus sit inspersum quid lasciuiæ, siue, verbi gratia actiones lasciuæ exercitæ, siue instructiones, vel præparationes ad lasciuiam exercendam, siue quid aliud simile; ac proinde nomine librorum, qui de rebus lasciuis ex professo tractant, veniunt non solùm carmina Poetarum exprimentia actiones lasciuas, sed etiam Comœdiæ repræsentantes res similes; historiæ, narrationes amorum (qui ad fornicationes, adulteria, vel similia aliqua alia ordinantur) & libri vulgo dicti *di Caualleria*, si lasciuiæ viam similiter aperiant.

7 Aduerte secundò, quod, vt libri dicantur ex professo tractare de rebus lasciuis, non sit necesse, principale Argumentum esse lasciuum, sed sit satis, si pars aliqua libri ex intentione Authoris tractet de huiusmodi materia (vt quid simile dicebam suprà de libris, qui ex professo tractent de Religione) cùm tractare ex professo contradistinguatur ab eo, quod dicitur obiter, & veluti ex transitu, seu per transennam: Quapropter, si libet, etiam in aliqua sui parte, aliquam actionem lasciuam completè narret, quamuis hanc non habeat pro suo principali Argumento, vel pro parte sui principalis Argumenti; censebitur ex professo tractare de rebus lasciuis; Et ratio horum omnium est, quia in his omnibus reperitur ratio finalis prohibitionis. Cùm ideò prohibeantur libri tractantes de rebus lasciuis, quia ipsorum lectio (cùm habeant vim deprauandi mores) est causa peccati: Ideò hoc præstant, etiamsi in aliqua sui parte res lasciuas contineant (quamuis has non habeant pro suo principali Argumento, vel pro parte sui principalis Argumenti, sicuti dicebam.) Ergo, &c.

PETITIO IX.

Quid dicendum de libris controuersiarum inter Catholicos, & hæreticos nostri temporis in lingua vulgari?

SVMMARIVM.

1 *Libri controuersiarum inter Catholicos, & hæreticos nostri temporis in lingua vulgari non debent passim permitti, sed tantùm iudicio Episcopi, vel Inquisitoris cum Consilio Parochi, vel Confessarij attestantis non esse exinde legenti aliquod fidei, vel morum detrimentum secuturum, ex Regula Indicis sexta cum relatione ad quartam.*

2 *Hæretici nostri temporis dicuntur ij, quorum nunc hæreses vigent, quales sunt Caluinistæ, Lutherani, & alij similes.*

3 *Item sub hac appellatione venirent etiam aliæ hæreses, quæ post dictas extinctas insurgerent. Secus controuersia in lingua vulgari hæresum antiquarum, puta contra Manichæos, Arianos, &c.*

4 *Lingua vulgaris nomine intelligitur vsualis in quolibet loco, vel Prouincia sermo.*

5 *Libri prædicti in prædicta lingua vulgari, sicuti & Biblia sacra non sunt prohibiti absolutè respectu omnium, sed solùm respectiuè per ordinem ad eos, qui non intelligunt linguam Latinam, atque adeò habita ratione incapacitatis materiæ, cùm in lingua Latina non sint prohibiti.*

Respondetur: Libri controuersiarum inter Catholicos, & hæreticos nostri temporis in lingua vulgari non debent passim permitti, sed tantùm iudicio Episcopi, vel Inquisitoris, cum consilio Parochi, vel Confessarij attestantis, non esse exinde legenti aliquod fidei, vel morum detrimentum secuturum; ex Regula Indicis sexta cum relatione ad quartam.

Vbi aduerte, quod per hæreticos nostri temporis intelligantur ij, quorum nunc temporis hæreses vigent; quales sunt Caluinistæ, Lutherani, & alij similes.

Hinc si istorum præsentis temporis hæreses, quod Deus faxit, cessarent, & aliæ de nouo, quod Deus auertat, consurgerent, Regula intelligeretur de hæresibus, quæ de nouo consurgerent. 3

Hinc etiam controuersiæ cum Manichæis, Arianis, Macedonianis, Nestorianis, Donatistis, & aliis antiquis

quis hæreticis; quamuis sub lingua vulgari, sub dicta Regula non comprehendantur; quia non ex hæresibus antiquaris, sed ex hæresibus, quæ vigent, periculum maius fidelibus timetur.

4 Aduerte secundò, quod per linguam vulgarem intelligatur vsualis in quolibet loco, vel Prouincia, vt lingua Itala, Gallica, Germanica, Hispana.

5 Hinc prædicti libri in prædicta lingua vulgari (sicut & Biblia Sacra, de qua infrà *petitione* 11.) non sunt prohibiti absolutè respectu omnium, sed solùm respectiuè per ordinem ad eos qui non intelligunt linguam Latinam, atque adeò habita ratione incapacitatis materiæ; quia, cùm in lingua Latina non sint prohibiti, neque erunt prohibiti in lingua vulgari quoad eos, qui dictos libros legere possunt in lingua Latina.

PETITIO X.

Quid dicendum de libris continentibus rationem bene viuendi, in lingua similiter vulgari?

SVMMARIVM.

1 *Libri continentes rationem bene viuendi, seu instructionem morum Christianorum, instructionem pro ritè confitendis peccatis, modum contemplandi Deum, & Cœlestia, conciones ad populum, & similia, si sanam doctrinam contineant ex, eadem Regula Indicis sexta, etiam in quacumque lingua vulgari omninò conceduntur.*

1 Respondetur: Libri contineontes rationem bene viuendi, seu instructionem morum Christianorum, instructionem pro ritè confitendis peccatis, modum contemplandi Deum, & cœlestia, conciones ad populum, & similia, si sanam doctrinam contineant, ex eadem Regula Indicis sexta; etiam in quacumque lingua vulgari omninò conceduntur; quia hi, & similes libri conferunt ad pietatem, Religionem, & ædificationem fidelium.

Vbi aduerte, quod recenseantur hic libri tales (pertinentes scilicet ad pietatem, Religionem, & ædificationem fidelium) non quasi in quacumque lingua vulgari concedantur soli: cùm in quacumque etiam lingua vulgari concedantur omnes, qui sunt de materia indifferenti, & nullum inferunt periculum peccati; sed quasi in quacumque lingua vulgari conceduntur præcipuè; cùm conferant ad pietatem, Religionem, & ædificationem fidelium, vti dicebam.

PETITIO XI.

Quid dicendum de Biblia sacra in lingua similiter etiam vulgari?

SVMMARIVM.

1 *Biblia sacra in lingua similiter etiam vulgari priùs ex Regula Indicis quarta decernebatur, quod non concederetur passim, sed tantùm iudicio Episcopi, vel Inquisitoris.*

2 *Nunc autem ex mandato sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis sublata est facultas Episcopis, Inquisitoribus, & Prælatis Regularibus concedendi licentiam emendi, legendi, vel retinendi dictam Bibliam sacram siue in toto, siue ex parte, siue noui, siue veteris Testamenti in quacumque lingua vulgari, ita vt contrauenientes huic Decreto peccent mortaliter, non autem contrahant excommunicationem.*

3 *Idem statutum est de eisdem Biblia sacra Summariis, & Compendiis historicis in quacumque lingua vulgari scriptis.*

Respondetur: Biblia sacra in lingua similiter etiam vulgari priùs ex Regula Indicis quarta decernebatur, quod non concederetur passim, sed tantùm iudicio Episcopi, vel Inquisitoris iis, quibus iuxta consilium Parochi, vel Confessarij nullum timeretur fidei detrimentum, facultate in scriptis concedenda; sine qua, si quis eam legere, vel retinere præsumeret, non posset nisi eamdem priùs Ordinario consignauerit, absolui à peccatis; Ex quo colligitur, quod legentes, vel retinentes dictam Bibliam sacram in lingua vulgari (si scilicet linguam Latinam non intelligerent iuxta ea, quæ dicebam *petit.* 6. *in fine*) peccarent mortaliter; Bibliopolæ verò, qui eam non habentibus facultatem in scriptis venderent, vel aliquo modo concederent, amittebant libri pretium, & arbitrio Episcopi puniebantur; Et Regulares (scilicet linguam Latinam non intelligentes, iuxta ea, quæ dicebam dicta *petitione nona in fine*) eamdem legere, vel retinere non poterant, absque suorum Prælatorum facultate. 1

Nunc temporis autem iuxta adnotata circa eamdem Regulam Indicis quartam ex mandato sanctæ Romanæ & vniuersalis Inquisitionis sublata est facultas Episcopis, Inquisitoribus, & Prælatis Regularibus concedendi licentiam emendi, legendi, vel retinendi dictam Bibliam sacram, siue in toto, siue ex parte, siue noui, siue Veteris Testamenti, in quacumque lingua vulgari. Idemque statutum est de eiusdem Bibliæ sacræ summariis, & compendiis historicis in quacumque similiter lingua vulgari scriptis; Ita tamen, vt contrauenientes huic Decreto, solùm peccent mortaliter: eo quod in materia graui violent legem Ecclesiasticam id prohibentem ex periculo, quod rudes homines, malè intelligentes verbum Dei, sumant occasionem erroris: non autem incurrant etiam excommunicationem, quæ solùm ex dictis incurritur propter lectionem, vel retentionem librorum prohibitorum ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem. 2 3

PETITIO XII.

Quid dicendum de versionibus Bibliæ sacræ?

SVMMARIVM.

1 *Versiones Veteris Testamenti ex Regula Indicis tertia factæ à damnatis Auctoribus iudicio Episcopi permitti possunt piis, & doctis viris ad effectum, vt eis vtantur tanquam elucidationibus vulgatæ editionis ad intelligendam Scripturam sacram.*

2 *Dictio (autem) repetit in casu sequenti qualitates casus præcedentis, in quibus expressè non aduersatur.*

3 *Versiones noui Testamenti factæ à damnatis Auctoribus primæ Classis omninò prohibentur, quamuis non sub excommunicatione, cùm non habeant conditionem librorum, qui sub excommunicatione prohibentur.*

4 *Adnotationes ad versiones permissas, & Adnotationes ad vulgatam editionem ex eadem Regula Indicis tertia permitti possunt iis, quibus eadem versiones permittuntur, expunctis locis suspectis à Facultate Theologica alicuius Vniuersitatis, vel ab Inquisitore generali.*

5 *Biblia Vatabli, vel aliqua eius pars ex eadem Regu-*

la tertia conceditur, expunctis locis suspectis, vt suprà dictum est.

6 *Ex Biblia Isidori Clari Brixiani, detrahi debent Prologus, & Prolegomena.*

7 *Versiones Ecclesiasticorum scriptorum à damnatis Authoribus vsque tunc editæ permittuntur ex eadem Regula tertia, modò sanam doctrinam contineant, tam ipsi scriptores, quàm ipsæ versiones.*

1 RÉspondetur: Ex Regula Indicis tertia, versiones veteris Testamenti factæ à damnatis Authoribus iudicio Episcopi permitti possunt piis, & doctis viris, ad effectum, vt eis vtantur, tanquam elucidationibus vulgatæ editionis, ad intelligendum scripturam sacram.

Quod autem dicta Regula Indicis tertia procedat de versionibus Bibliæ sacræ factis à damnatis Authoribus, constat ex illa dictione *autem*, ibi: *Librorum autem veteris Testamenti*; quia in *§. præcedenti* dictæ Regulæ sermo est de versionibus scriptorum Ecclesiasticorum factis à damnatis Authoribus, & *in* §. 2. subsequenti eiusdem Regulæ subditur: *Librorum autem*,
2 &c. At dictio, *autem*, repetit in casu sequenti qualitates casus præcedentis, in quibus expressè non aduersatur; *l. mariti, §. finali, ff. ad leg. Iul. de adulter.* & docent Glossa, Bartolus, ibi, Baldus *in l. omnes populi, verb. modo quero vnum, ff. de iust. & iur.* Natta *consil.* 570. *num.* 8. Crauetta *consil.* 208. *num.* 5. & alij passim.

3 Constat etiam ex alio §. 3. subsequenti, vbi de versionibus Noui Testamenti factis ab Authoribus primæ Classis statuitur, *quod nemini concedantur: cùm vtilitatis parum, periculi verò plurimum lectoribus ex earum lectione prouenire consueuerit:* Ergo si in hoc alio §. 3. subsequenti Regula loquitur de versionibus factis à damnatis Authoribus, similiter loquetur etiam in præcedenti: Quapropter versiones noui Testamenti factæ à damnatis Authoribus primæ Classis, omninò prohibentur, quamuis non sub excommunicatione; cùm non habeant conditiones librorum, qui sub excommunicatione prohibentur.

4 Vbi aduerte, quod adnotationes ad versiones permissas, & adnotationes ad vulgatam editionem, ex eadem Regula Indicis tertia permitti possunt iis, quibus eædem versiones permittuntur, expunctis locis suspectis à Facultate Theologica alicuius Vniuersitatis, vel ab Inquisitore Generali.

Quapropter, cùm dispositio sit de adnotationibus, in quibus sunt aliqua suspecta, quæ expungi debent, colligitur, quod dicta Regula procedat de adnotationibus factis ab Authoribus damnatis, vel saltem suspectis; cùm tota illa Regula sit circa scripturam Sacram, ab Authoribus damnatis, vel versam, vel notis illustratam.

5 Aduerte secundò, quod Biblia Vatabli, vel aliqua eius pars ex eadem Regula tertia concedatur, expunctis similiter locis suspectis ab aliqua Facultate Theologica, vel ab vniuersali Inquisitione, cùm concedantur adnotationes prædictæ.

6 Aduerte tertiò, quod ex Biblia Isidori Clari Brixiani, detrahi debeant Prologus, & Prologomena; Ita tamen vt adhuc illa non habeatur pro vulgato, & legitimo Textu.

7 Aduerte quartò, quod ex eadem Regula Indicis tertia permittantur versiones Ecclesiasticorum scriptorum (tam scilicet Sanctorum Patrum, quàm quorumcumque aliorum, qui de rebus Ecclesiasticis scripserunt, à damnatis Auctoribus vsque tunc editæ, modò sanam doctrinam contineant; Quod intellige dupliciter: *Modò sanam doctrinam contineant*, tam ipsi scriptores, ita vt non permittantur versiones illorum scriptorum, qui in suis scriptis aliquid contra sanam doctrinam ediderunt; vt sunt ij, qui hæreses, vel erroneam doctrinam scripserunt; quàm, *modò sanam*, sicque scriptorum Germanam *doctrinam contineant* ipsæ versiones: ita vt in ipsis versionibus non sit adulterata.

PETITIO XIII.

An legens libros, qui non prohibentur in Bulla Cœnæ, sed prohibentur in Indice, excusetur ab incurrenda excommunicatione Indicis, (sicuti excusatur ab incurrenda excommunicatione Bullæ Cœnæ) per quamcumque ignorantiam, etiam crassam?

SVMMARIVM.

1 *Legens libros, qui non prohibentur in Bulla Cœnæ, sed prohibentur in Indice, excusantur ab incurrenda excommunicatione Indicis per quamcumque ignorantiam etiam crassam: quia ea est imposita contra audentes.*

2 *Lex quando requirit, quod aliquid fiat præsumptuosè, vel scienter, requirit etiam dolum, & animum delinquendi: & stante quacumque ignorantia, excluditur dolus.*

3 *Operans cum ignorantia etiam crassa, & affectata, adhuc verè operatur ignoranter.*

4 *Lata culpa æquiparatur dolo: At id locum non habet vniuersaliter in omnibus, cùm locum non habeat in delictis, præsertim quando pœna est corporalis, vel spiritualis.*

5 *Ignorantia si sit quomodocumque culpabilis (cùm idem sit scire, & debere scire) tunc legens peccat mortaliter, non tamen directè contra prohibitionem, sed diuerso peccato, quia scilicet in operando procedit imprudenter, & temerè.*

RÉspondetur affirmatiuè; Doctores communiter, 1
quos sequitur Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *num.* 29.

Probatur, quia dicta excommunicatio Indicis est imposita contra audentes, ibi: *Legere, habereuè audeat.* Ergo ad ipsam incurrendam requiritur præsumptio; atque adeò scientia, iuxta ea, quæ dicebam suprà *dubit.* 38. *in Appendice circa finem, & dubitatione* 38. *etiam circa finem*: At quando requiritur scientia, ab incurrenda excommunicatione excusat quælibet ignorantia, etiam crassa, iuxta ea, quæ dicebam ibidem: Ergo.

Et quidem quod in tali casu locum non habeat excommunicatio; stante quacumque ignorantia, etiam crassa, tenent quoque Bartol. *in l. si adulterium, n.* 11. *ff. ad leg. Iul. de adulter.* Ancharan. *in Clementina vnica, de consang.* Imola *ibidem num.* 4. Bonifacius *num.* 14. Syluest. *verb. ignorantia, quæst.* 8. Couarruu. *in cap. alma mater, part.* 1. §. 10. *num.* 17. Henriquez *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 23. *num.* 3. Ledesma *in Summa cap.* 3. *de excommunic. dubit. vltima, dicto tertio*, Ludouicus Lopez *part.* 2. *instructionis, cap.* 1. *de excommunicat.* §. *sed iam ad secundum punctum*, Gregor. Lopez *leg. final. titul.* 18. *part.* 7. Sanchez *de matrim. lib* 9. *disput.* 32. *num.* 36. Nauarr. *in summa cap.* 27. *num.* 74. Suarez *de censur. disput.* 4. *sect.* 10. *num.* 3. Molina *de iust. & iur. tract.* 5. *disput.* 71. *num.* 13. Auila *de censur. part.* 2. *cap.* 6. *disput.* 10. *dubit.* 6. Curiel. *part.* 2. *q.* 76. *art.* 4. *dubit.* 4. Merolla *tom.* 1. *disput.* 1. *cap.* 2. *num.* 232. & alij passim.

Et ratio vlterius est, quia quando lex requirit, quod 2
aliquid fiat præsumptuosè, vel scienter, requirit etiam dolum, & animum delinquendi, sed stante quacumque ignorantia, excluditur dolus, *l. & si leges, §. scire, ff. de petit.*

pe it. hered. ibi : *Non puto, esse prudentem, qui dolo caret, quamuis in iure errauerit*, & *l. igitur, verb. & generaliter, ff. de liberal. caut.* ibi : *Et generaliter quoties aliquis iustis rationibus ductus, vel non ductus, sine calliditate tamen, putauit se liberum, dicendum est, hunc in ea causa esse, vt sine dolo malo in libertate fuerit.* Et *l. si quis id in fine, ff. de iurisd. omn. iudic.* ibi : *Doli mali ideò in verbis edicti sit mentio, quia si per imperitiam, vel rusticitatem, vel casu aliquis fecerit, non tenetur.*

3 Et quod qualibet ignorantia, etiam crassa, excludatur dolus, tenent quoque Glossa *in leg. in actionibus, vers. non etiam, ff. de in lit. iur.* & *in l. plagy 2. verb. iusta, Cod. ad leg. Fau. de plagiar.* vbi præter alios Baldus, Bartolus *in l. quod Nerua, num. 10. ff. depositi*, Angel. *in leg. si quis id, §. doli, ff. de iurisd. omn. iudic.* Abbas *in cap. 2. num. 6. de constitutionib.* Alexander de Næuo *num. 45. & 53.* Anton. *num. 9.* Imola *num. 12.* Felinus *in cap. si vero . de sent. excommunic.* Syluest. *verb. ignorantia, quæst. 8.* & Couarruu. *4. decretal. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 11.*

4 Et meritò, quia quando quis operatur cum ignorantia, etiam crassa, & affectata, adhuc verè operatur ignoranter : Ergo non scienter, cum operari ignoranter, & scienter inter se sint opposita.

Non obstat, quod lata culpa comparetur dolo, quia id locum non habet vniuersaliter in omnibus, cùm locum non habeat in delictis, præsertim quando pœna est corporalis, vel spiritualis, *ex leg. quod Nerua, ff. deposit.* & *ex leg. in lege, ff. ad leg. Cornel. de sicariis*, & notat Glossa *in leg. actionibus, ff. de in lit. iur.* quam sequuntur Abb. *in cap. Apostolica, num. 3. de Cler. excomm.* Guido Pap. *decis. 446. num. 1.* Molina *de iust. & iur. tom. 4. disp. 21. num. 1.* & Farinac. *cons. 1. crimin. num. 5. tom. 1.* Ità vt lata culpa comparetur quidem dolo vniuersaliter in omnibus quoad peccatum, non item quoad pœnam corporalem, vel spiritualem.

Quapropter si ignorantia sit crassa, affectata, vel quomodocumque culpabilis, vel non sit de prohibitione, sed solùm de pœna excommunicationis, non excusabit à mortali.

Cùm igitur in Bulla Cœnæ prohibeatur lectio librorum hæreticorum continẽtium hæresim, vel tractantium de Religione, non quæcumque, sed scienter facta. Et cùm in Bulla Pij IV. Indici præfixa prohibeatur lectio aliorum librorum, similiter non quæcumque, sed temeraria, seu cum causa; sicque cùm in vtroque casu obiectum prohibitionis sit lectio qualificata, fit quod deficiente qualitate lectionis prohibitæ, deficiat etiam prohibitio, cùm deficiat in obiecto qualitas, sub qua prohibetur.

5 Quamuis, si ignorantia sit quomodocumque culpabilis, cùm idem sit scire, & debere scire, *leg. quod te, in fine, ff. de reb. credit.* & cùm ex principio culpabili non perueniat nisi actus culpabilis, legens tunc peccet mortaliter, non tamen directè contra prohibitionem, sed diuerso peccato, quia scilicet in operando procedit imprudenter, & temerè, cùm nolit dirigere suam operationem secundùm eam scientiam, secundùm quam dirigere tenetur. At de hac re vide, quæ dicebam suprà *tit. dubit. 36. in Appendice circa finem*, & *tit. dubitat. 38. etiam circa finem.*

PETITIO XIV.

Quid dicendum de Iudæis, & de Infidelibus retinentibus libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes?

SVMMARIVM.

1 *Iudæi, & infideles ex Constitutione Iulij III.* Cùm sicut, *anno 1554. edita, sub pœna pecuniæ, confiscationis bonorum, & etiam mortis prohibentur retinere libros, qui continent aliquid contra fidem catholicam, vel continent blasphemias in Christum Dominum, aut Christianam Religionem.*

2 *Infideles ex Constitutione Gregorij XIII. prohibentur retinere libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaïcos quomodolibet damnatos, ita vt in Regnis, & Prouinciis Christianorum puniri possint pœna arbitraria: cùm illa pœna (de quibus in Constitutione Iulij III.) non sint determinatæ, sed exemplificatæ, vt scilicet adhiberi possint arbitrio iudicis.*

1 Respondetur, quamuis Iudæi, & infideles, cùm non afficiantur prohibitione, neque possint etiam excommunicari : Nihilominus quoad Iudæos extat Constitutio Iulij III. *Cùm sicut*, anno 1554. edita, per quam sub pœna pecuniæ, confiscationis bonorum, & etiam mortis prohibentur retinere libros, qui continent aliquid contra fidem Catholicam, vel continent blasphemias in Christum Dominum, aut Christianam Religionem.

2 Et quoad infideles extat Constitutio Gregorij XIII. per quam prohibentur retinere libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaïcos quomodolibet damnatos, ita vt in Regnis, & Prouinciis Christianorum puniri possint pœna arbitraria, Fatio. *de heres. quæst. 180. num. 10.* Merolla *tom. 1. Theolog. moral. disp. 1. cap. 2. num. 414.* & alij communiter, cùm illæ pœnæ de quibus in Constitutione Iulij III. non sint determinatæ, sed exemplificatæ, vt scilicet adhiberi possint arbitrio iudicis.

PETITIO XV.

An sit necesse, imponi nomen Authoris libro, quando imprimitur?

SVMMARIVM.

1 *Nomen Authoris imponi libro, quando imprimitur, non est necesse, si non tractet de rebus sacris, cùm dispositio sacri Concilij Tridentini sess. 4. de editione, & vsu sacrorum librorum, non sit extendenda vltrà libros, de quibus ibi disponit Concilium non improbabiliter.*

2 *Item etiam, si liber tractet de rebus sacris, non est omninò improbabile, non esse necesse imponi nomen Authoris eidem, quando imprimitur, dummodo sit approbatus à superioribus: Approbatio enim superioris sortitur finem legis, &c.*

3 *Regulares præter dictas approbationes obtinere debent licentiam à suis superioribus; à quibus similiter recognosci debent libri iuxtà formam suarum Constitutionum.*

4 *Authores tenentes, Decretum Concilij locum habere in omnibus libris, etiam non sacris, refelluntur.*

5 *Rerum sacrarum nomine veniunt hic omnia, siue res, siue actiones, quæ speciali modo spectant ad Deum, vel ad cultum Dei, ac proinde quæ spectant ad hominem, tanquam eleuatum ad finem supernaturalem.*

6 *Liber vt dicatur esse de rebus sacris, necesse est, quod quamuis has res non habeat pro principali argumento, tamen de his ex professo, & non obiter tractet, cùm non dicatur liber esse de aliqua materia, nisi de ipsa tractet ex professo.*

7 *Libro ex probabili sufficit imponi nomen illius, qui ab ius scriptoris titulo donationis, vel hæreditatis succedit, quia tunc videtur sufficere nomen illius, qui curat quod liber imprimatur.*

8 *Libro etiam sufficit imponi nomen Collegij, Conuentus, Vniuersitatis, vel Ciuitatis, &c. quia in hoc casu persona ficta habetur pro certa.*

1 RESpondetur, licet absolutè affirment nonnulli, quos sequitur Bonacina *disput. 2. de censur. in particul. quæst. 2. punct. 26. num. 9.* qui proinde subdunt, quod non sit tutus in conscientia is, qui encotito nomine librum imprimit: Non omninò improbabiliter tamen dicitur, quod cùm dispositio apponendi nomen Authoris libro, quando imprimitur, habeatur ex Concilio Tridentino *sess. 4.* in Decreto *de editione, & vsu sacrorum librorum*; non sit extendenda vltrà libros, de quibus ibi disponit Concilium Tridentinum: At disponit dictum Concilium Tridentinum tantùm de libris, qui tractent de rebus sacris, vti constat ex verbis ipsius Concilij, ibi: *Nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine Authoris, neque illos in futurum vendere, vel etiam apud se retinere, nisi primùm examinati, probatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilij nouissimi Lateranensis apposita*: Et notat præter alios Tamburin. *lib. 2. in Decalog. cap. 1. §. 7. num. 49.* Ergo si liber tractet de aliqua alia materia, poterit non apponi nomen Authoris libro, quando imprimitur. Vide tamen, quæ dicam infrà *Petitione 26. Aduertendo 4.*

2 Idque adeò verum est, vt neque sit omninò improbabile, quod etiam si liber tractet de rebus sacris, adhuc possit non imponi nomen Authoris libro, quando imprimitur, dummodò liber sit approbatus à superioribus, qui proinde poterunt concedere licentiam imprimendi librum sine nomine Authoris.

Ratio, quia finis, cur debeat apponi nomen Authoris libro, quando imprimitur, est, vt si casus occurrat, exigi possit ex Authore ratio illius, quod scripsit, & vt occurratur falsitati, fraudibus, & detractionibus, quas liberè posset Author in libro proferre, si ipse Author non sciretur. At totum hoc habetur, etiamsi non imponatur nomen Authoris libro, quando imprimitur, dummodò liber approbetur à Superioribus, ad quos scilicet spectat: & ab iisdem ipse Author sciatur, cùm semper possit ex ipso Authore exigi ratio illius, quod scripsit, & cùm semper, si liber fuerit approbatus, occurratur falsitati, fraudibus, & detractionibus, quas dicebam. Ergo, &c.

Confirmatur, quia Concilium Tridentinum in citato decreto de editione, & vsu sacrorum librorum decernit, quod liber impressus sine nomine Authoris non possit vendi, vel retineri, nisi posteà approbetur ab ordinario: Ergo si posteà approbetur, poterit vendi, & retineri, non obstante, quod desit nomen Authoris: Ergo similiter si à principio approbetur, poterit similiter à principio imprimi sine nomine Authoris, non obstante, quod similiter à principio desit nomen Authoris.

3 Aduerte tamen hîc, quod ex eodem Decreto *sess. 4.* Concilij Tridentini de editione, & vsu sacrorum librorum, Regulares præter dictas approbationes debeant obtinere licentiam à suis Superioribus, à quibus similiter recognosci debent libri iuxta formam suarum Constitutionum.

4 At quamuis Hieronymus Rodriquez *in compendio resol. 89.* Campanil. *in diuersor. iur. rubric. 12. cap. 53. num. 4.* Nouar. *in summ. Bullar. tit. de impressione librorum, num. 2.* alter Nouar. *in lucerna Regular. verb. librorum impressio, num. 5.* & Barbosa *de potest. Episc. alleg. 90. num. 14.* velint, quod Decretum Concilij Tridentini prædictum procedat de omnibus libris: contrarium tamen, scilicet quod tantum procedat de libris, qui tractent de rebus sacris, tanquam probabilius tenent alij, quos sequitur Bonacina *disput. 2. de censur. in particul. quæst. 2. punct. 16. num. 2.* ex verbis eiusdem Concilij, ibi: *Nullique liceat imprimere, vel imprimi facere quosvis libros de rebus sacris, &c.* quia Concilium prædicto decreto quoad Regulares addit, vt debeant impetrare licentiam à suis Superioribus: Ergo cùm ampliatio non sit quoad libros, sed quoad licentiam, remanet decreti dispositio quoad libros in iisdem terminis, vt scilicet tractent de rebus sacris, vti dicebam, qua de videre etiamquæ dicam infrà *per. 16. Aduertene. 6.*

Nomine autem rerum sacrarum veniunt hîc omnia, siue sint res, siue actiones, quæ speciali modo spectant ad Deum, vel ad cultum Dei, ac proinde quæ spectant ad hominem, tanquam eleuatum ad finem supernaturalem, ita vt omnes ij libri, qui de his rebus tractant, sint libri de rebus sacris, v. g. qui spectant ad Sacram Scripturam, Theologiam, ius Canonicum, Iurisdictionem spiritualem, Ecclesiæ ritus, Ministros, Hierarchiam, vel etiam casus conscientiæ, cùm & casus conscientiæ etiam instruant hominem, vt eleuatum ad finem supernaturalem. 5

Vt autem liber dicatur esse de rebus sacris, de quibus suprà dicebam, necesse est, quod quamuis has res non habeat pro principali argumento: Tamen de his ex professo, & non obiter tractet, cùm non dicatur liber esse de aliqua materia, nisi de ipsa tractet ex professo, non autem obiter, seu per transennam, vti dicebam suprà, quando agebam de libris tractantibus de Religione, vel tractantibus de rebus lasciuis. 6

Aduerte secundò, quod ex probabili sufficiat, libro imponi nomen illius, qui in ius scriptoris titulo donationis, vel hæreditatis, &c. succedit, quia tunc videtur sufficere nomen illius, qui curat, quod liber imprimatur. Doctores, quos sequitur Bonacina *disp. 2. de censur. in partic. quæst. 2. punct. 16. num. 9.* 7

Aduerte tertiò, quod etiam sufficiat, libro imponi nomen Collegij, Conuentus, Vniuersitatis, vel Ciuitatis, &c. quia in hoc casu persona ficta habetur pro vera, possuntque dici Authores, cùm in iure persona ficta censeantur, & si delinquant, puniri possint. Alter. *de censur. lib. 1. disp. 2. cap. 8. quæst. 1.* Azor. *part. 1. lib. 8. Instit. moral. cap. 17. quæst. 3.* Lezana *in summa verb. libri, num. 11.* Thesaur. *in praxi part. 2. eodem verb. cap. 5.* & Bonacina *loco suprà cit.* 8

PETITIO XVI.

An cùm iuxta prædictum Decretum Concilij Tridentini liber imprimi non possit sine nomine Authoris, satis sit, quod imponatur nomen Authoris fictum, vel etiam verum, anagrammate tamen inuersum?

SVMMARIVM.

1 *Libro, non est improbabile, quod possit imponi nomen Authoris fictum, vel etiam verum, anagrammate tamen inuersum, secuta tamen approbatione, & licentia, contra oppositum asserentes, moti ex eo, quia id esset contra finem Decreti supracitati.*

RESpondetur, quod quamuis negent nonnulli, quos sequitur Tamburin. *lib. 2. in Decalog. cap. 1. §. 7. num. 53.* moti ex eo, quia id esset contra finem prædicti Decreti Concilij Tridentini: Nam adhuc nesciretur verus Author, ac proinde non adesset, qui posset de libro rationem reddere: Contrarium tamen, si iusta de causa nollet Author libro proprium nomen imponere, & alias librum, antequam imprimeretur, examini exponeret, & de impressione licentiam obtineret, non sit omninò improbabile; quia Concilium exigit, quod libro nomen Authoris imponatur, 1

tur, ne occultato nomine illius, aperiatur via ad imprimenda ea, quæ imprimenda non essent: At hoc locum non habet, quotiescumque priùs liber examinatur, & de impressione obtinetur licentia: Ergo.

Accedit, quod cùm Author librum censuræ supposuerit, fecit quantum in se erat, vt rectè in imprimendo libro procederetur: Nec tenetur Author reddere aliam rationem illius, quod scripsit, nisi quod librum censuræ supposuerit, & de impressione licentiam impetrauerit.

PETITIO XVII.

An quæ vsque adhuc dicta sunt de libris, eadem dicenda sint de quibuscumque aliis scripturis minoribus, vt sunt Consultationes, Informationes, Sententiæ, Decisiones, vel Conclusiones, &c.

SVMMARIVM.

1 *Librorum imprimendorum nomine quoad prohibitionem imprimendi sine licentia Superiorum, & quoad alia etiam suprà recensita, veniunt etiam scripturæ minores, vt sunt consultationes, informationes, sententiæ, decisiones, vel conclusiones, quia Concilium Lateranense sub Leone X. sess. 10. prohibens impressionem, sine approbationibus, non solùm loquitur de libris, sed etiam de quacumque alia scriptura. Secùs si in aliquibus locis sit consuetudo in contrarium circà informationes, & similia, quæ suspecta esse non solent.*

2 RESpondetur affirmatiuè, Alter. *de censur. lib.* 5. *disp.* 2. *cap.* 8. *quæst.* 1. Azor. *part.* 1. *lib.* 6. *Instit. moral. cap* 17. *quæst.* 2. Filiucc. *tract.* 14. *cap.* 6. *quæst.* 6. *num.* 83. & alij quos sequitur Bonacin. *disp.* 2. *de censur. in partic. quæst.* 2. *punct.* 16. *num.* 11. &

Probatur, quia Concilium Lateranense sub Leone X. *sess.* 10. prohibens impressionem sine approbationibus, non solùm loquitur de libris, sed etiam de quacumque alia scriptura, ibi: *Nullum librum aliquem, seu aliam quamcumque scripturam.* Ergo, &c. Et Regula Indicis librorum prohibitorum decima loquitur de libello. Vide infrà *petit.* 26. *aduertend.* 7.

Quamuis in aliquibus locis vsus sit, quod aliquæ minores scripturæ, quæ suspectæ non esse solent, vt sunt informationes, consultationes, & similes, scientibus, & permittentibus Ordinariis, & Inquisitoribus, absque vlla licentia imprimantur.

PETITIO XVIII.

An sufficiat, quod libri, qui sunt imprimendi, examinentur, & approbentur per Consilium Regium, vel per alios à laica potestate deputatos?

SVMMARIVM.

1 *Libri qui sunt imprimendi, non sufficit, quod examinentur, & approbentur per Consilium Regium, vel per alios à laica potestate deputatos, quia laici examinantes libros, magis attendunt ad res politicas, quàm ad bonos mores, & Religionem, contra nonnullos Doctores oppositum tenentes, scientibus, & non contradicentibus Ecclesiasticis.*

2 *Non obstat, quod laici mandent curam examinandi dictos libros Theologis, quia cùm hi sint eo casu eorum Ministri, attendunt potiùs ad res politicas, quàm ad mores, &c.*

3 *Ecclesiastici neque id possunt tolerare, quia facultatem, quam ipsi habent, est tantùm in ædificationem, non autem in destructionem.*

4 *Ecclesiasticorum toleratio non potest esse approbatiua, sed solùm permissiua ad euitanda maiora mala.*

RESpondetur, quod quamuis affirment Nauarrus *cap.* 27. *num.* 147. Suarez *disput.* 23. *de censur. sect.* 7. *num.* 6. Filiucc. *tract.* 14. *cap* 6. *quæst.* 2. Lezana *verb. libri, num.* 10. Bonacina *disput.* 1. *de censur. in particul. quæst.* 2. *punct.* 16. *num.* 6. & Tamburin. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *num.* 50. In locis tamen, vbi scientibus, & non contradicentibus Ecclesiasticis, est talis vsus. Mihi tamen minùs probatur. 1

Ratio, quia laici examinantes libros magis attendunt ad res politicas, quàm ad bonos mores, & Religionem: Ergo sic non satisfit intentioni Concilij Tridentini, neque sic seruatur forma præscripta in Decreto Concilij Tridentini, cùm sic non imprimatur liber authorizatus ea authorizatione, quam requirit Concilium Tridentinum.

Imò dato, quod libros iussu laicorum examinent Theologi, & in libris approbandis Concilium Theologorum sequantur laici, adhuc tamen primò deficit recta norma examinandi in Theologis, quia ipsi, vtpotè in hoc Ministri, seu Consiliarij laicorum, solent ad suos fines humanos consequendos gratiam illorum exoptare, vt propterea sæpè sæpiùs, vt experientia me docuit, contra immunitatem, & Iurisdictionem Ecclesiasticam deteriores sint Ecclesiastici Ministri, seu Consiliarij laicorum, quam ipsi laici principales, vtque propterea peccent certò Theologi, laici verò forsan bona fide propter attestationem Theologorum excusentur à peccato: Et adhuc tamen secundò (quod plus est) deficit Iurisdictio in laicis, quia cùm agatur de approbatione in ordine ad doctrinam sanam circa res fidei, & bonos mores, est quid extrà sphæram ipsorum, vt propterea circà id nihil possint. 2

Neque videntur Ecclesiastici id posse tolerare, quia facultatem, quam habent Ecclesiastici, habent tantùm in ædificationem, non autem in destructionem. Accedit quod, si Principes laici, quamuis potestatem, quam habent, habeant à populo, non possunt præiudicare coronæ, seu Principatui, multo minùs Ecclesiastici, qui facultatem, quam habent, habent à Deo, & non à populo, præiudicare poterunt Ecclesiæ. 3

Quapropter, si Ecclesiastici tolerent, cùm hæc tolerantia non sit, quin neque possit esse approbatiua propter rationes dictas, sed sit (ad euitanda scilicet maiora mala: Qua ratione Paulus, tametsi talis, & tantus Apostolus, sicque exemptus, appellauit ad Cæsarem, vt coram Cæsare sisteretur, *Act.* 25. Et Christus Dominus, tametsi Filius Dei, sicque omninò exemptus, soluit tributum pro se, & Petro) solùm permissiua, non reddit illa tutos in conscientia Principes laicos. Videant igitur ipsi quid agant, ne propter temporalia amittant æterna, quin & temporalia (cùm Deus aliquando etiam in hac vita puniat, transferendo præter alia regnum ad alios) amittant similiter & æterna. Sed de his vide, quæ dicebam suprà *dubit.* 44. *in addendis, in fine*, & quæ dicebam *in tract. de immunit. & iurisd. Ecclesiast. per totum*, & quæ dicam infrà *dubit.* 196. & 197. 4

PETITIO XIX.

An cùm in eodem decreto Concilij Tridentini præcipiatur, quod libro impresso præfigatur approbatio, peccet qui approbationem obtinuit, sed non præfigit?

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatio non fertur contra non præfigentes approbationem libro impresso, sed solùm contra imprimentes, vel imprimi facientes, vel euulgantes sine approbatione.*

2 *Non præfigentes huiusmodi approbationem libro, vbi est consuetudo, vt quædam minores scripturæ, vel etiam minores libri imprimi solent sine præfixa approbatione, non peccant.*

3 *Neque peccant, si non præfigant approbationes, quas requirunt laici, quia de his est alia ratio, præsertim quoad Ecclesiasticos, qui non subsunt legibus laicorum, sed satis est, si non imprimant aliquid, quod sit contra publicum bonum communitatis.*

4 *Non præfigentes huiusmodi approbationem libro non peccant, si liber sit talis, quod præseferat fuisse approbatum, præsertim si in fronte libri imprimatur communis formula (superiorum permissu) peccant tamen, & grauiter, si secus res sese habeat.*

1 SVppono, quod attento Decreto Concilij Tridentini, non incurrat excommunicationem, quia excommunicatio non fertur contra non præfigentes approbationem, sed solùm contra imprimentes, vel imprimi facientes, vel euulgantes sine approbatione.

2 Suppono secundò, quod neque peccet, vbi est consuetudo, vt quædam minores scripturæ, vel etiam minores libri imprimi soleant sine præfixa approbatione, quia tunc praxis declarat, quod non sit illa necessariò præfigenda.

3 Suppono tertiò, quod neque peccet, si non præfigat approbationes, quas requirunt laici, quia de his est alia ratio, præsertim quoad Ecclesiasticos, qui non subsunt legibus laicorum, sed satis est, si non imprimant aliquid, quod sit contra publicum bonum communitatis: Vnde etiamsi tales approbationes non obtineantur, non habebit locum excommunicatio posita à Concilio Tridentino, quia non loquitur Concilium de approbationibus, quas requirunt laici. Doctores communiter, quos sequitur Bonacina *disp. 2. de censur. in particular. quæst. 2. punct. 16. num. 6.* His suppositis.

4 Respondetur, quod quamuis absolutè negent nonnulli, quos sequitur Tamburin. *lib. 2. in Decalog. cap. 1. §. 7. num. 51.* quia interuenit substantia rei præceptæ, scilicet obtenta approbatio: Meliùs tamen dicatur, quod nō peccet, si liber sit talis, quod præseferat, fuisse approbatum, præsertim si in fronte libri imprimatur communis formula, *Superiorum permissu*, vel similis: Peccet tamen, & grauiter, si secùs res sese habeat, quia tunc violat legem Ecclesiasticam in re graui, cùm res grauis sit, quod impressio reguletur rectè, cum debitis scilicet approbationibus. Alioquin enim sequerentur quamplurima damna, & introduceretur consuetudo, ex qua etiam facilè introduci posset, quod libri imprimantur absque approbationibus cum communi scandalo: & propterea meritò Concilium Tridentinum decreuit, quod non solùm approbatio impetretur, sed etiam præfigatur, quasi vtrumque sit de substantia.

PETITIO XX.

An qui obtinuit approbationem, & licentiam imprimendi, si dum liber imprimitur, addit aliqua, violet Decretum Concilij Tridentini, & peccet grauiter?

SVMMARIVM.

1 *Addentes aliquid, obtenta approbatione, & licentia imprimendi, quod non cognouerint superiores, non peccant grauiter, si id quod addunt etiam multum sit accessorium ad id, quod est approbatum. Secus autem si cognoscant accessorium esse prohibitum, quia tunc peccabunt grauiter, cùm enim sit iudicium de accessorio, & de principali, approbato principali, censetur etiam approbatum accessorium.*

2 *Additum, si non sit accessorium, videndum est, an possit præsumi ratihabitio, quia tùm præsumptione cessante, addentes grauiter peccabunt.*

RΕspondetur, quod quamuis nonnulli, quos sequitur Bonacina *disput. 2. de censur. in particular. quæst. 2. punct. 16. num. 8.* & Tamburinus *lib. 2. in Decalog. cap. 1. §. 7. num. 55.* affirment, si ea, quæ addit, sint tantæ quantitatis, vt liber maiori ex parte 1
constet ex additis: Secùs autem, si res aliter sese habeat, excepto tamen, si quod addit, cognoscat, esse prohibitum, quia tunc peccabit grauiter, etiamsi id fuerit parum, cùm addat mala fide: Meliùs tamen dicatur, quod non peccet grauiter, si id, quod addit, etiam multum, sit accessorium ad id, quod est approbatum, vt si verbi gratia, addat nouos Doctores ad opiniones relatas, vel nouas rationes, aut maiores explicationes ad doctrinam traditam, vel quid simile, quia cùm idem sit iudicium de accessorio, & de principali, approbato principali, censetur approbatum accessorium. Si verò id, quod addit, non sit 2
accessorium, videndum est, an possit de eo præsumi ratihabitio, scilicet quod absque difficultate approbaretur, si exhiberetur: & tunc etiamsi, quod addit, sit similiter multum, neque peccabit grauiter, quia ex præsumpta voluntate interuenit tacita approbatio. Sicque cùm taciti, & expressi sit idem iudicium, *leg. cùm quid, ff. si cert. pet. & leg. finali Cod. qui bonis cedere possunt*, habetur pro approbato. Si verò non possit præsumi ratihabitio, modo supradicto, peccabit grauiter, cuiuscumque quantitatis sit illud, quod addit, quia tunc imprimit sine approbatione simpliciter, cùm tunc non interueniat neque expressa, neque tacita approbatio.

PETITIO XXI.

Quid dicendum de vulgatione librorum scriptorum, attento Decreto Concilij Tridentini?

SVMMARIVM.

1 *Decretum Concilij Tridentini de editione, & vsu sacrorum librorum sess. 4. prohibens euulgationem librorum scriptorum, nisi prius fuerint probati, comprehendit solos libros de rebus sacris, qui ita sunt completi, vt imprimi possint per modum libri, seu qui ad impressionem sunt ordinati, non item Conciones, lectiones Theologicas, priuatas orationes, adnotationes, & obseruationes.*

2 *Dictio, Eos, est relatiua ad praecedentia, & restringit subsequentia ad nominata.*

3 *Finis Concilij est obuiare fraudi quae poterat induci ex euulgatione libri scripti de rebus sacris, cui solùm voluit obuiare.*

4 *Concilium neque loquitur de quacumque communicatione, sed de illa quae fit per euulgationem, sicque per quam liber de esse priuato transit ad esse publicum.*

1 RESpondetur, dictum Decretum, de editione scilicet, & vsu sacrorum librorum, *sess.* 4. Concilij Tridentini prohibens euulgationem librorum sciptorum, nisi priùs fuerint probati, ibi: *Qui autem scripto eos communicant, vel euulgant, nisi anteà examinati, probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant, quibus Impressores, &c.* comprehendit solos libros de rebus sacris, qui ita sunt completi, vt imprimi possint per modum libri, seu quid ad impressionem sunt ordinati, non item comprehendit conciones, lectiones, Theologias, priuatas orationes, adnotationes, vel obseruationes, &c. de rebus sacris. Azor. *part.* 1. *lib.* 1. *Instit moral. cap.* 1. *q.* 4. Alterius *de censur. lib.* 5. *disput.* 3. *cap* 8. *quaest.* 1 Soarez *disput.* 23. *de censur. sect.* 7. *num.* 3. Riccius *decision.* 261. *num.* 6. *part.* 4. Filliuccius *tract.* 14. *cap.* 6. *quaest.* 6. *n.* 83. & Bonacina *disput.* 1. *de censur. in particul. q.* 2. *punct.* 16. *num.* 12.

2 Probatur ex verbis ipsius Concilij Tridentini, quatenus ait: *Qui autem scipto eos communicant, &c.* quia dictio *eos*, est relatiua ad praecedentia, & restringit subsequentia ad nominata. Paris. *cons.* 18. *num.* 32. *volum.* 2. Ruin. *consil.* 99. *n.* 16. *vol.* 1. Corn. *consil.* 9. *n.* 6. *vol.* 1. Aretinus *cons.* 175. *n.* 1. Menoch. *cons.* 200. *n.* 30. & Roland. *cons.* 74. *n.* 54. Ergo cùm Concilium priùs disposuerit de libris tractantibus de rebus sacris, qui sunt ordinati ad impressionem, etiam in relatiua dispositione ad priorem de iisdem intelliget.

3 Confirmatur: quia finis Concilij est obuiare fraudi quae poterat induci, cùm libri qui non poterant imprimi, possent scripto euulgari: Ergo huic soli euulgationi voluit obuiare.

4 Caeterùm Concilium neque loquitur de quacumque communicatione, sed de illa quae fit per euulgationem, sicque per quam liber de esse priuato transit ad esse publicum, cùm euulgatio publicationem importet: Ergo si liber aliquibus solùm communicaretur, ita vt non fieret publicus, Constitutio Concilij locum non haberet. Vide etiam quae dicam infra *Petitione* 26. *Aduertendo septimo.*

PETITIO XXII.

An, quando Inquisitores promulgant Edictum, vt Bibliopolae deferant Cathalogum librorum, quos vaenales habent, teneantur deferre cathalogum talium omnium librorum?

SVMMARIVM.

1 *Bibliopolae, quando Inquisitores promulgant edictum, vt deferant cathalogum librorum, quos venales habent, tenentur illum deferre, contra nonnullos putantes, non teneri illos libros deferre, qui iam delati sunt, nisi postea fuerint prohibiti, neque eos, quos certum est non esse de prohibitis: Nam fieri potest, quod aliqui ex his libris non fuerint satis à principio examinati, &c.*

1 RESpondetur: quamuis nonnulli, quos sequitur Tamburinus *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *n.* 57. potent, quod non teneantur deferre eos libros qui aliàs fuerint delati, nisi postea fuerint prohibiti; cùm semel eos detulisse sufficiat: neque teneantur sub mortali deferre eos libros, quos certum est non esse de prohibitis, cùm tales libros deferre non sit materia grauis: Haec tamen doctrina generaliter mihi minùs probatur.

Ratio est, quia licèt certum sit, aliquos libros à praedecessoribus Inquisitoribus fuisse dimissos, & nunquam posteà fuisse prohibitos; fieri tamen potest, quod aliqui ex his libris non fuerint à principio satis examinati, quodque posteà reperiantur continere aliqua, ob quae non debent permitti, vt vendantur: quod facilè contingere potest, quoad libros impressos ibi, vbi non examinantur iuxta formam praescriptam in Indice Concilij Tridentini, verbi gratia in Germania etiam quoad Catholicos: Ergo non sufficit, certò scire, libros à praedecessoribus Inquisitoribus fuisse dimissos, & nunquam posteà fuisse prohibitos, sed praetereà requiritur, certò scire, eos nihil continere, ratione cuius non sit omnibus eorum lectio concedenda: Quod contingere solùm potest quoad illos libros, qui per plures annos ferè deuenerunt in manus omnium, & nullius censurae notam, etiam apud priuatas personas vnquam meruerunt.

PETITIO XXIII.

An Episcopi, & Inquisitores concedere possint licentiam legendi libros prohibitos?

SVMMARIVM.

1 *Vrbanus VIII. edidit constitutionem, quae incipit Apostolatus officium, die 2. Aprilis 1631. qua reuocauit licentias quascumque legendi, & habendi libros prohibitos, eosque voluit Episcopis, & Inquisitoribus consignari ad comburendum, & in posterum decreuit, dictas licentias non esse concedendas, nisi à sacra Congregatione suprema sancti Officij Romae coram Sanctitate sua: omnesque teneri ad denunciandum retinentes libros aliquos prohibitos.*

2 *Gregorius XV. in constitutione sua 40. apud Bullarium, quae incipit Apostolatus officium, etiam id ipsum statuerat.*

3 *Vrbanus in dicta sua constitutione excipit licentias à seipso per Breue, vel per Chyrographum propria manu signatum concessas.*

4 *Motiuum vtriusque Pontificis reuocandi eas fuit, quia tales licentiae erant nimis multiplicatae, & hoc erat magnum inconueniens: quia perinde erat, ac si libri non essent prohibiti.*

5 *Petitio Auctoris non tam procedit quoad libros haereticorum continentes haeresim, vel tractantes de Religione: quia hos libros legendi, sicut retinendi, & imprimendi licentiam concedere est ex Canone primo Bullae Coenae reseruatum Summo Pontifici, sed procedit potiùs quoad alios libros prohibitos.*

6 *Episcopi, & Inquisitores concedere possunt licentiam legendi libros prohibitos, etiam post dictas Constitutiones Gregorij, & Vrbani, secundùm aliquos Doctores, motos ex eo, quod dicti Pontif. es non reuocant facultatem concedendi, sed tantùm licentias concessas. Quod quidem non placet Auctori, quia in dictis constitutionibus facultas concedendi est restricta ad Congregationem S. Officij.*

7 *Dictio, nisi, tanquam exceptiua, excludit omnes alios praeter expressos.*

8 *Sacra Congregatio Indicis de facto concedit etiam dictas licentias; & Magister sacri Palatij.*

9 *Licentia quas concedit Magister sac. Palatij prosunt etiam extra Dioecesim ipsius concedentis, scilicet extra districtum vrbis Romae, quia cum huiusmodi*

modi licentiæ sint personales, sequuntur ipsam personam.

10 *Iurisdictio aliqua in concedente, præterquam priuilegiatiua non requiritur, ideoque licentiæ extinguuntur solùm cum ipsa persona, si sint ad tempus indefinitum, vel cum tempore, si sint ad tempus definitum concessæ.*

11 *Habens licentiam legendi, vel retinendi libros prohibitos, v.g. ab Inquisitoribus Lusitaniæ, potest legere in aliis locis, vel Regnis, vbi hi fuerint prohibiti.*

12 *Libri vbi non sunt prohibiti absolutè, sed ad eos prohibendos requiritur examen, possunt Episcopi, vel Inquisitores concedere licentiam eos legendi, & retinendi.*

13 *Refertur in id quoddam decretum Congregationis S. Officij.*

14 *Dictio* Quomodolibet, *quæ est in recensita Constitutione Vrbani exprimit quamcumque causam, ob quam libri sint prohibiti, ac proinde procedit de libris prohibitis simpliciter, quales non sunt libri suspensi tantùm, aut prohibiti secundùm quid, donec scilicet corrigantur.*

15 *Generales Religionum neque habent facultates prædictas, quas habent Episcopi.*

1 SVppono, quod in ordine ad hoc extet nunc Vrbani VIII. Constitutio sequens.

Reuocatio Licentiarum quarumcumque legendi, & habendi libros prohibitos.

Vrbanus PP. VIII.

Ad futuram rei memoriam.

APostolatus Officium nobis, licet nullo meritorum suffragio, diuina Prouidentia commissum, postulat, vt ad ea vigilantiæ nostræ partes propensius intendamus, per quæ Religio Catholica, vbi diuina gratia illæsa viget, conseruetur: & vbi restitutione indiget, reparetur. Quapropter, cùm librorum prohibitorum lectio magno sinceræ fidei cultoribus detrimento esse noscatur, & sicut accepimus, nimis excessiua sit huiusmodi libros legendi licentiarum copia; Nos, vt huic malo maturè occurratur, & imposterum quamcautissimè licentiæ huiusmodi concedantur, quantum cum Domino possumus, prouidere volentes, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes & singulas licentias legendi, & habendi libros quoscumque ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, seu per Constitutiones Apostolicas, etiam ratione Astrologiæ iudiciariæ, vel aliàs quomodolibet prohibitos, quibuscumque personis Laicis, & Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, cuiuscumque Ordinis, Societatis, & Instituti existentibus, ac quacumque dignitate, etiam Ecclesiastica fulgentibus, cuiuscumque status, gradus, conditionis, qualitatis, & præeminentiæ, etiam speciali nota, & mentione dignis, ac per Literas Apostolicas ad tempus, seu ad vitam, & aliter quomodocumque, & ex quacumque causa, tam in forma Breuis, quàm aliter quomodocumque à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, seu à quibuscumque à Nobis, vel ab eis facultatem, & auctoritatē habentibus, non tamen à Nobismetipsis, per Litteras Apostolicas etiam in forma Breuis, seu chyrographum manu nostra signatum concessas, earum tenores præsentibus pro expressis, & insertis habentes, hac nostra perpetuò valitura Constitutione reuocamus, cassamus, & annullamus, ac pro reuocatis, cassis, & annullatis haberi, nullique suffragari, quinimmò libros per licentias huiusmodi permissos legentes, aut habentes, pœnas in sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, & Indice librorum prohibitorum contentas incurrere volumus, & declaramus: Decernentes, vt præsentes Litteræ postquam valuis Basilicarum Sancti Ioannis Lateranensis, & Cancellariæ Apostolicæ, necnon in acie Campi Floræ affixæ fuerint, infra duos, citra Montes, vltra verò montes, infra quatuor menses ex tunc proximos, omnes, & singulos, ad quos spectat, arctent, & afficiant, perinde ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent: Quodque dictis duobus, & respectiuè quatuor mensibus durantibus, ij, qui libros prohibitos huiusmodi habuerint, eos ad Episcopum, seu Inquisitorem, qui illos quantocitiùs comburere debeat, deferre, quique aliquos similes libros prohibitos habere sciuerint, eos denunciare teneantur: Neque de cætero similes licentiæ, nisi à Congregatione Sancti Officij, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis, concedantur: Ac quod earumdem præsentium transsumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra, adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 2. Aprilis 1631. Pontificatus nostri anno 8.

M.A. MARALDVS.

Quod idem etiam priùs statuerat Gregorius XV. in Constitutione sua quadragesima sexta, apud Bullarium, quæ incipit, *Apostolatus officium*: vbi etiam reuocantur eodem modo omnes legendi libros prohibitos licentiæ, à quibuscumque, & quomodocumque concessæ. 2

Excipit tamen Vrbanus VIII. licentias à seipso per Breue, vel per chyrographum propria manu signatum concessas. 3

Motiuum reuocandi dictas licentias respectu vtriusque Pontificis fuit: quia tales licentiæ erant nimis multiplicatæ: sicuti constat ex illis verbis Constitutionis Vrbani VIII. *Accepimus, quod nimis excessiua sit huiusmodi libros legendi licentiarum copia: Nos, vt huic malo maturè occurratur, & imposterum quamcautissimè licentiæ huiusmodi concedantur, &c.* Et hoc erat magnum inconueniens, quia stante tanta multiplicatione istarum licentiarum, & tanta facilitate eas concedendi, perinde erat, ac si libri non essent prohibiti: cùm quisque ferè obtenta licentia, facilè legere potuisset quoscumque libros vellet ex prohibitis. 4

Suppono secundò, quod petitio non tam procedat quoad libros hæreticorum continentes hæresim, vel de Religione tractantes: quia hos libros legendi (sicut retinendi, & imprimendi) licentiam concedere, est ex Canone primo Bullæ Cœnæ reseruatum Summo Pontifici. Doctores quos sequitur Portell. *in dub. Regular. verb. librorum prohibitio, num.* 3. & Lezana *verb. libri, num.* 10. & diffusè dicebam supra *dubit.* 39. *petitione* 8. *& dubit.* 45. *petitione* 1. sed procedat potiùs quoad alios libros prohibitos. His suppositis. 5

Affirmant nonnulli, quos sequitur Tamburinus *libro* 2. *in Decalog. cap.* 1. §. 7. *num.* 19. Loquendo de locis, vbi non est Hispanica Inquisitio; cùm vbi hæc est, ipsa habeat priuilegium concedendi priuatiuè quoad alios: Moti ex eo, quia in dictis Constitutionibus Gregorij XV. & Vrbani VIII. reuocantur tantùm licentiæ legendi, & retinendi libros prohibitos, non autem reuocatur facultas concedendi dictas licentias, quæ est quid valdè diuersum: Ergo, cùm Episcopi sint primi Inquisitores in suis Diœcesibus, poterunt ipsi Episcopi, sicut etiam & Inquisitores tales licentias concedere, cùm non constet, quod ipsis adempta sit talis facultas. His tamen non obstantibus. 6

Respondetur, oppositum esse dicendum: quia licet ex eisdem constitutionibus Gregorij XV. & Vrbani VIII. in vno loco reuocentur solùm licentiæ legendi, & retinendi libros prohibitos, non autem reuocetur facultas

cas

tas concedendi, quæ est quid valde diuersum, & de iure communi competebat. In alio tamen loco, seu §. earumdem Constitutionum est restricta talis facultas ad Congregationem Sancti Officij, & ad alios in eadem Congregatione Sancti Officij per Summum Pontificem deputandos, vti constat ex Constitutione Vrbani VIII. ibi: *Neque de cætero similes licentia nisi a Congregatione sancti Officij, dum singulis hebdomadis coram nobis habetur, vel ab aliis per nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis concedantur.* Cùm dictio,
7 *nisi*, tanquam exceptiua, excludat omnes alios præter expressos, *l. actiones, Cod. de transaction.* & docent præter alios Bartolus, Iason, Salycetus, & Decius *ibi*, & Berous *in cap. quod autem, num. 36. de iur. patron.* Surd. *decis. 225. n. 19.* Gomez *in cap. 1. n. 88. de Constitution. in 6.* & Rota *decis. 313. n. 13. part. 1. Recent. & decisione 391. n. 14. part. 1. Recent.* Ergo, &c.

8 Vbi aduerte, quod de facto huiusmodi licentias concedat etiam sacra Congregatio Indicis, & Magister sacri Palatij.

9 Aduerte secundò, quod licentiæ quas concedit Magister sacri Palatij, possint etiam extra Diœcesim ipsius concedentis, scilicet extra districtum Vrbis Romæ, Rodoriquez *tom. 1. summæ, cap. 250. num. 4.* Hieronym. Rodoriq. *in compend. resol. 92. num. 2.* Nauarr. *cons. 15. de priuileg.* Azor. *part. 1. lib. 5. instit. moral. cap. 25. q. 6.* & Naldus *in summa verb. liber, n. 6.* quia cùm huiusmodi licentiæ sint personales, sequuntur ipsam personam,
10 *leg. in omnibus, ff. de regul. iur. cap. Priuileg. de regul. iur. & cap. sanè, de priuileg.* ideóque extinguuntur solùm cum ipsa persona, si sint ad tempus indefinitum, vel extinguuntur cum tempore, si sint ad tempus definitum concessæ. Nec requiritur in concedente alia iurisdictio, quàm priuilegiatiua. Quia facultas concessa ab eo, qui concedit, non solùm vim habet in suo Territorio, sed etiam in alieno: cùm in hac parte iurisdictio quæ exercetur in facultate concessa, non ad iurisdictionem contentiosam, sed ad iurisdictionem voluntariam pertineat. At iurisdictio voluntaria, vt communicare, absoluere, beneficia conferre, Literas dimissorias concedere, & similia; exerceri potest etiam extra proprium Territorium: Ergo, &c.

Quamuis contrarium satis probabiliter teneant Suarez *lib. 8. cap. 26. num. 8.* & alij, quos sequitur Portellus *verb. libri prohibiti, num. 4.* Mori ex eo, quia priuilegiatus, vt portet arma vetita in vno Territorio, non est priuilegiatus, vt portet illa in alieno, vel in alterius Territorio: Et priuilegium vnius superioris non potest derogare priuilegio alterius superioris. At ad hæc patet ex dictis supra. Vt omittam, illud de armis, esse torum per accidens: quia cùm ea portentur publicè in alieno, seu in alterius territorio, sequitur scandalum, & periculum subditis talis Territorij, quos tanquam ad se pertinentes, defendere potest Dominus illius Territorij. Quod idem locum habet, si priuilegiatus libros prohibitos legi sibi concessos, legat, vel retineat publicè cum schandalo, & periculo subditorum Superioris alterius Territorij. Vt omittam etiam quod, si priuilegiatus sequitur opinionem quæ facit pro se, quia est probabilis, poterit etiam superior talis Territorij, in foro exteriori sequi contrariam opinionem, quæ è contra etiam facit pro se; quia ea est etiam satis probabilis, vti iam dicebam.

11 Hinc sequitur, quod habens licentiam legendi, vel retinendi libros prohibitos, v. g. ab Inquisitore Siciliæ, vel Lusitaniæ; possit legere in aliis locis, vel Regnis, vbi hi fuerint prohibiti, propter easdem rationes iam supra dictas.

12 Obiicicies contra id quod dicebatur, scilicet Episcopos, vel Inquisitores non posse concedere licentias legendi, vel retinendi libros prohibitos: in Regula secunda Indicis datur Episcopis & Inquisitoribus ius examinandi, & approbandi libros hæreticorum, qui de Religione non tractant. At non possunt iubere, quod examinentur, nisi concedant licentiam legendi, & retinendi: Ergo falsum est id quod dicebatur.

Respondetur: Nego consequentiam, quia libri de quibus Regula secunda Indicis; nondum sunt prohibiti absolutè, sed admittunt examen: Ideoque quoad huiusmodi libros poterunt episcopi, vel Inquisitores concedere licentiam legendi, & retinendi. At quod dicebam, procedit de libris examinatis, & prohibitis. Vide apud Naldum *verb. liber, num. 10* S. Officij declarationem, quæ sic habet: *Episcopi, & Inquisitores* 13
non habent auctoritatem concedendi facultatem tenendi, vel legendi libros hæresiarcharum, aut hæreticorum, qui ex professo de Religione tractant, nec alios, qui ad præscriptum Indicis omnino damnati sunt, & prohibiti. Possunt tamen eos iidem Superiores retinere ad effectum iudicandi, an possint aliquam recipere correctionem. Aliàs autem essent ignibus comburendi. Quoad libros autem vulgari sermone conscriptos, continentes controuersias inter Catholicos, & hæreticos nostri temporis, facienda erit relatio Authorum ipsorummet librorum, & eorum qui requirunt licentias eos legendi, expectando concessionem ab vrbe.

Instabis: Ergo saltem poterunt Episcopi, vel Inquisitores concedere licentiam legendi, & retinendi libros non absolutè prohibitos, sed solùm suspensos, aut solùm prohibitos secundum quid, donec scilicet corrigantur.

Respondetur cum Peyrino *de priuileg. tom. 2. ad constitutionem nonam Pauli V. num. 10.* & aliis (quamuis 14
neget Lezzana *part. 1. summæ cap. 18. num. 96,* motus ex eo, quod constitutio Vrbani VIII. habeat dictionem *quomodolibet*, quæ comprehendit omnem modum prohibitionis:) Transeat totum, quia constitutio prædicta loquitur de libris prohibitis, & dictio *quomodolibet*, contra Lezzanam, exprimit quamcumque causam, ob quam sint prohibiti: Ac proinde procedit de libris prohibitis simpliciter, quales non sunt libri suspensi tantum, aut prohibiti secundum quid, donec scilicet corrigantur.

Hinc sequitur, quod neque Generales Religionum habeant prædictas facultates, quia ipsorum priuilegia (vt & priuilegium à Gregorio XIII. Generali Societatis Iesu concessum ad legendum, vel expurgandum libros hæreticorum, aut alios prohibitos, vel etiam ad concedendum licentiam pro his) & similes concessiones reuocatæ sunt per prædictum Decretum Vrbani VIII. vt omittam, quod etiam reuocatæ sint per priuilegia amplissima sanctæ Inquisitionis in Regnis Hispaniarum. Vtque omittam quod Societas Iesu cesserit eidem priuilegio in Congregatione facta, sicuti testatur Emmanuel Rodoriq. *in quæst. Regular. tom. 2. q. 82. art. 3.* Hieronym. Rodoriquez *in compend. quæst. Regul. resol. 92. n. 1.* & Portel. *in dub. Regular. vers. librorum prohibitio, num. 3.*

At de hac re vide etiam quæ dicebam supra *dub. 39. petit. 8. & dubit. 45 petit. 1.*

PETITIO XXIV.

An, & quomodò procedatur contra eum qui legerit, vel retinuerit libros prohibitos?

SVMMARIVM.

1 *Contra legentem, & retinentem libros prohibitos ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, præter excommunicationē vel Bullæ Cœnæ, vel Pij IV. in Indice, quā incurrit, potest procedi, & inquiri tanquam de hæresi suspectum. Si autem alios libros prohibitos ob aliam causam, præter peccati mortalis reatum, vel excommunicationem specialem Clementis VIII. quoad libros Iudæorum, poterit arbitrio Episcopi is seuerè puniri.*

2 *Legentes libros Gentilium, & Iudeorum, in quibus continentur impia, vel heretica propositiones, secundum nonnullos incurrunt excommunicationem Indicis latam à Pio IV. contra legentem libros, vel scripta ob heresim, vel falsi dogmatis suspicionem. At minùs rectè, quia Pontifex non disposuit de libris Gentilium, vel Iudaeorum, sed tantùm de libris Christianorum.*

3 *Heresis, vel falsi dogmatis suspicio non potest habere locum in Gentilibus, & Iudeis, cùm non habeant fidem, circa quam errare, vel falsò dogmatizare possint. Et quatenus aliquid tradant, tradunt historialiter, non autem doctrinaliter.*

4 *Merolla cum Azorio, Duardo, & Bonacina putantes idem de libris heresiarcharum, cuiuscunque materiæ sint, de libris hereticorum, de libris catholicè conscriptis, quorum Authores posteà in heresim inciderunt, nondum iuxta Indicis regulas approbatis, de libris necromantiæ, geomatiæ, &c. refelluntur, quia talis opinio ipsorum non congruit cum regulis Indicis, quando libri non continent heresim, vel falsi dogmatis suspicionem.*

5 *Legentes non solùm Thalmud, sed etiam cæteros Iudeorum libros, in quibus tacitè vel expressè continentur errores contra fidem catholicam, incurrunt excommunicationem Clementis VIII. quæ tamen non est reseruata.*

6 *Damnato Authore, damnati sunt omnes illius libri etiam posteà scripti, quia Ecclesia non recipit quæ ab Hereticis scribuntur. Quod tamen intellige saltem casu quo Auctor non sit heresiarcha de libris, qui vel tractant de Religione, vel de iis quæ pertinent ad Religionem.*

7 *Retinens repertos libros prohibitos non potest se defendere, allegando, & asserendo, quod eos retinuerit ad confutandum; quia talium librorum lectio vtpote periculosa, & perniciosa prohibita est. Consideranda tamen eo casu est qualitas personæ, an sit vir probus, deditus studiis, an ei periculum immineat, an ei concessa fuisset licentia legendi, & retinendi, si petiisset.*

8 *Heresis suspicio multò minùs oritur in alicuius heredibus, si sint viri probi, præsertim quia retentio librorum hereticorum gignit suspicionem heresis, quando retinentur in ordine ad lectionem.*

9 *In hac materia cùm multùm deferendum sit arbitrio Iudicis, considerari debebit qualitas personæ, temporis, & cæterarum circumstantiarum.*

10 *Archidiaconus, Ioan. Andreas cum cæteris Canonistis reiiciuntur, dum volunt, quod libri heretici apud aliquem reperti, eum declarent hereticum.*

11 *Refelluntur Authores asserentes, quod vt retentio huiusmodi librorum hereticorum constituat heredē de heresi suspectum, duo potissimum requiruntur, nempe scientia, & quod prædicti libri sint pro hereticis damnati. Heres tamen ad tollendam omnem suspicionem, ne contra ipsum ex dicto capite procedi possit, mortuo testatore conficiat inuentarium omnium librorum, & deferat ad Ordinarium loci, vel Inquisitorem.*

1 REspondetur: Si legerit, vel retinuerit libros prohibitos ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, præter excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel Pij IV. in Indice, quam incurrit; potest contra ipsum siue sæcularem, siue regularem procedi, & inquiri, tanquam de hæresi suspectum, sicut habetur in Regulis Indicis librorum prohibitorum, auctoritate Pij IV. primùm edita, posteà auctoritate Clementis VIII. recogniti, & publicati.

Si autem legerit libros prohibitos ob aliam causam, quàm ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, præter peccati mortalis reatum, vel excommunicationem specialem Clementis VIII. quoad libros Iudæorum, iuxta ea quæ dicam infra *in aduertendo 2.* poterit arbitrio Episcopi seuerè puniri, sicut habetur in eisdem regulis indicis librorum prohibitorum, & in dicta Constitutione Pij IV. quæ incipit, *Dominici*, die 20. Martij, anno 1564. edita.

2 Vbi aduerte primò, quod quatenus spectat ad libros Gentilium, & Iudæorum, in quibus continentur impiæ, vel hæreticæ propositiones; putant nonnulli, quos sequitur Merolla *tom. 1. Theolog. moral. disputatione 1. capite 2. num* 355. quod legens tales libros incurrat excommunicationem Indicis latam à Pio IV. contra legentem libros, vel scripta, cuiuscumque sint Auctoris, ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata.

At minùs rectè; quia sicuti constat ex ipsa constitutione Pij IV. Indici præfixa; Pontifex non disponit de libris Gentilium, vel Iudæorum, sed tantum de libris Christianorum; cùm disponat de libris in Indice recensitis.

3 Confirmatur, quia in Gentilibus, & Iudæis, cùm non habeant fidem, circa quam errare, vel falsò dogmatizare possint, non potest habere locum hæresis, vel falsi dogmatis suspicio. Ergo neque ipsorum libri possunt continere hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem nisi materialiter (qualiter continent etiam libri Catholicorum, qui referunt hæreses vel falsa dogmata) sed libri, qui ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibentur, ideò prohibentur; quia hæreses, vel falsi dogmatis suspicionem continent formaliter, & in ordine ad inficiendum Lectorem. Quod non contingit in libris Gentilium, vel Iudæorum, cùm non doceant ex sensu fidei catholicæ, nec habeant fidem apud Catholicos, vt eos docere possint, vel si tradant, tanquam de sensu Catholicorum, tradunt historialiter, non autem doctrinaliter: & falsitas, seu mendacium ipsorum deprehendatur: Ergo, &c.

4 Idem etiam tradit Merolla cum Azorio *part. 1. lib. 8. institut. moral. cap. 16. quæst. 3.* Duardo *in Bull. Cœn. lib. 2. quæst. 34. num. 13. & seqq.* & Bonacina *disput. 1. de censur. in particul. quæst. 2. punct. 4. n. 3. & seqq.* de libris hæresiarcharum, cuiuscumque materiæ sint: de libris hæreticorum, de libris catholicè scriptis, quorum Authores posteà in hæresim inciderunt; nondum iuxta Indicis regulas approbatis, de libris Necromantiæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Aëromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, sortilegiorum augurionum, auspiciorum, veneficiorum, incantationum, artis magicæ, &c. eoquod putet cum supradictis Authoribus, huiusmodi libros esse prohibitos ob hæresim, vel saltem ob falsi dogmatis suspicionem.

At etiam minùs rectè, quia talis ipsorum opinio non congruit cum regulis Indicis, quando libri non continent hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, vt quando tractant materias non pertinentes ad Religionem; cùm in regulis Indicis tales libri non prohibeantur absolutè, sed solùm donec examinentur, & ab aliqua facultate Theologica, vel ab vniuersali Inquisitione approbati concedantur: Ergo non censentur prohibiti ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem. Consequentia patet, quia si essent prohibiti ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, non permitterentur sub sequenti approbatione: Tum quia, si supponitur, quod possint approbari, supponitur etiam, quod fieri possit, vt non contineant hæresim, nec falsi dogmatis suspicionem: Ergo non possunt esse determinatè prohibiti ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem. In quo casu tantùm locum habet prædicta excommunicatio Pij IV.

5 Aduerte secundò, quod legens non solùm Thalmud, sed etiam cæteros Iudæorum libros, in quibus tacitè, vel expresse continentur errores contra fidem catholicam, incurrat excommunicationem Clemetis VIII. specialem, per constitutionem illius, anno 1592. editam. Quæ tamen excommunicatio non est reseruata, vt propterea à quolibet legitimo Confessario absolui possit.

Aduer-

6 Aduerte tertiò, quod damnato Authore, damnati sint omnes illius libri, etiam posteà scripti, Doctores communiter *in cap. fraternitatis, de hæreticis*, quos sequitur Pegna *in director. Inquisit. part. 2. comment. 3. vers. Tamen si.* Quia Ecclesia, sicut habetur *ex cap. sancta Romana, §. cæterum, dist.* 15. non recipit, quæ ab hæreticis scribuntur: Quod tamen intellige saltem casu, quo Author non sit Hæresiarcha; de libris, qui vel tractant de Religione, vel de iis, quæ pertinent ad Religionem, quia tunc saltem Ecclesia non curat de cæteris, cum tunc saltem ipsius intentio solum sit, conseruare fideles suos in fide, & Religione sincera: Quod indè patet; quia in Regulis Indicis permittit hæreticorum libros qui de Religione non tractant, si à Theologis Catholicis examinati approbentur.

7 Aduerte quartò, quod si quis repertatur habere libros prohibitos, non possit se defendere allegando, & asserendo, quod eos retinuerit ad confutandum; quia talium librorum lectio, vtpotè periculosa, & perniciosa, prohibita est; Doctores, quos sequitur Pegna loco suprà citato.

Considerari tamen hîc debet qualitas personæ, an scilicet sit vir probus, an deditus studiis, an ei periculum immineat ex eorum librorum lectione, an sibi et concessa licentia legendi, & retinendi, si petiisset, &c. quia cum vna præsumptio tollat aliam, *l. Diuus, ff. de in integr. restit. l. quidam testamento, ff. de vulg. & pupill. substit. cap. Tuam, de sponsalib. & cap. afferre, de præscript.* possunt ex parte personæ concurrere tales præsumptiones, quæ elidant præsumptionem ortam ex retentione dictorum librorum; præsertim quia præsumptio exclusiua delicti fortior est præsumptione inclusiua, vt propterea istam elidat, *l. si defunctus, Cod. arbitr. tut. & l. marito, ff. pro socio*, & docent Bartol. *in l. non solùm, §. sed probari, ff. de nou. oper. nunc.* Bald. *in l. quisquis, num. 3. Cod. si cert. per.* Romanus, *cons.* 68. *num.* 8. Grammatic. *cons.* 31. *num.* 31. Bertazol. *cons.* 226. *num.* 5. & Farinac. *consil. crimin. num.* 7.

8 Aduerte quintò, quod multo minus ex retentione librorum hæreticorum oriatur suspicio hæresis in alicuius hæredibus, si iuxta ea, quæ supra dicebam, sint viri probi; Præsertim quia retentio librorum hæreticorum gignit suspicionem hæresis, quando retinentur in ordine ad lectionem; Doctores, quos sequitur Simanch. *de cathol. Institut. tit. 13. n. 5.* & *in Praxi de hæres. tit. 39. num. 4.* Ergo cum reperiuntur apud alicuius hæredes, non gignent in iis talem suspicionem; quia non præsumuntur retineri in ordine ad lectionem, sed præsumuntur retineri, tanquam quid in hæreditate, vt propterea supponatur in hæredibus etiam ignorantia.

9 Et, cum in hac materia multum deferendum sit arbitrio Iudicis; Doctores, quos sequitur Simanch. *loc. suprà cit.* considerari debebit qualitas personæ, temporis, & cæterarum circumstantiarum, iuxta ea, quæ supra dicebam.

10 Quapropter reiiciendi sunt Archidiacon. *in cap. sanè profertur, quæst. 24. & in cap. filij, de hæresie. in 6.* Io. Andr. *ibidem*, Roman. *singul.* 326 Hippol. Marsil. *cons.* 52. *num.* 34. & Caret. *de hæretic. num.* 125. dum volunt, quod libri hæretici apud aliquem reperti eum declarent hæreticum; quia indicia, coniecturæ, & præsumptiones, quæ ex hoc capite oriri possunt, non faciunt aliquem criminosum, iuxta *cap. literas, de præsumpt.* & docent Simanch. *de cathol. Institut. tit.* 38. *num.* 13. Azor. *part. 1. lib. 8. Institut. moral. cap.* 18. *quæst.* 10. & Pegna *in director. part. 2. cap. 4. comment.* 3.

11 Videantur etiam Menoch. *de arbitr. Iudic. cas.* 379. *num.* 12. Royas *singul.* 124. Boisar. *consil.* 304. *vol.* 4. Graff. *cons. 2. de hæretic.* Ricc. *in Praxi for. Eccles. decis.* 1675. *num. 5. & 6.* & Simanch. *vbi supra, tit.* 39. *num.* 19. Quatenùs aiunt, quod vt retentio huiusmodi librorum hæreticorum constituat hæredem de hæresi suspectum, duo potissimum requirantur, nempè scientia, & quod prædicti libri sint pro hæreticis damnati. Monentque tamen hæredem, ad tollendam omnem suspicionem, & ad omnes meliores fines, & effectus, nè contra ipsum ex retentione huiusmodi librorum procedi possit, vt mortuo testatore conficiat Inuentarium omnium librorum, & deferat ad Ordinarium loci, vel Inquisitorem.

At, de his vide, quæ dicebam supra, *dubit. 46. per totam.*

PETITIO XXV.

An possint Episcopi sine Inquisitore terminare causas ob retentionem librorum, qui non sapiant manifestam hæresim?

SVMMARIVM.

1 *Causa ob retentionem librorum prohibitorum, si libri retenti apud aliquem sint primi generis, scilicet damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, spectat ad Inquisitores, tam de Iure veteri, quàm de Iure nouo.*

2 *Libri retenti apud aliquẽ, si sint secundi generis, scilicet non damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, sed propter aliam rationem, causa spectat ad Episcopum sine Inquisitore.*

3 *Episcopi sine Inquisitore possunt terminare causas superstitionum, incantationum, veneficiorum, & blasphemiarum, si non similiter sapiant manifestè hæresim.*

4 *Causa de librorum qualitatis cognitione in dubio, an libri sint damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, spectat ad Inquisitorem; quia cùm Inquisitor sit Iudex in materia hæresis, ad ipsum spectat cognoscere, an libri contineant hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem: At Inquisitor post cognitionem, si intentio eius non subsisterit, remittere debet reum ad Episcopum.*

5 *Libri etiamsi postquam fuerint examinati, reperiantur damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, non tamen propter hoc reus est tractandus tanquam de hæresi suspectus, sed solùm tanquam retinens libros prohibitos.*

SVppono, quod iuxta ea, quæ supra dicebam, & iuxta Constitutionem Pij IV. *Dominici Gregis*, Indici præfixam, libri prohibiti vel sint damnati ob hæresim, aut falsi dogmatis suspicionem (sub quibus comprehenduntur etiam libri hæreticorum tractantes de Religione; quia eo ipso, quod Author libri est hæreticus, & tractat de Religione, adest suspicio falsi dogmatis) Vel sint damnati ob aliam causam. His suppositis.

Respondetur, & dico primo: Si libri retenti apud aliquem sint primi generis, scilicet damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem modo, quo supra dicebam: causa spectat ad Inquisitorem tum de iure veteri, quia per ius vetus & per Constitutionem secundam *in Bullar. Adriani VI.* quæ incipit, *Dudum, vt nobis*, crimen hæresis, sicque & cum ipso connexa, spectant ad Inquisitorem; tum etiam de iure nouo, quia per Constitutionem Pij IV. statuitur, quod in eum, apud quem reperiuntur libri damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, modo quo supra dicebam, procedi possit tanquam in suspectum de hæresi; sed procedere in aliquem, tanquam in suspectum de hæresi, spectat ad Inquisitorem. Ergo, &c. 1

Dico secundò, è contra libri retenti apud aliquem si sint secundi generis; scilicet non damnati propter 2

hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem modo, quo supra dicebam, sed propter aliam rationem: causa è contra spectat ad Episcopum sine Inquisitore; quia Pius IV. in eadem sua prædicta Constitutione decernit, quod ij, apud quos huiusmodi libri reperti fuerint, ab Episcopo seuerè puniantur, & quia sic etiam habetur per Textum, *in cap. Accusatus, de heretic. in 6.* & tenent Abbas, *in cap. 1. de sortileg. n. 4. vers. & aduerte*; Eymer. *in director. Inquisit. quæst. 42. num. 2.* & Sacra Generalis Congregatio Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, die 2. Decembris, anno 1612. teste Francisco Leone, *in Thesauro for. Eccles. tit. de sortilegiis, n. 16.*
3 Vbi rectè subdit, quod similiter possint Episcopi sine Inquisitore terminare causas superstitionum, incantationum, veneficiorũ, & blasphemiarum; si similiter non sapiant manifestè hæresim, ex dictis Iuribus supra allegatis, & ea supposita potestate eiusdẽ Sacræ Congregationis, quæ ita censuit die 1. Septẽbris eodẽ anno 1612.

4 Dico tertiò, si dubium sit, an libri sint damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem modo, quo supra dicebam; causa, scilicet de qualitate librorum cognoscere, spectat ad Inquisitorem, iuxta ea quæ tradunt Abbas *in cap. 1. de sortilegiis, num. 4.* Pegna *in director. part. 2. comment. 57. in fine*, Caret. *in pract. tit. de heresi n. 24.* & Comeosis *in Lucerna Inquisitorum, ver. Inquisitor, n. 19.* Quia cùm Inquisitor sit Iudex in materia hæresis, ad ipsũ spectat cognoscere, an libri contineant hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem.

Vbi aduerte, quod si libri, postquam fuerint examinati non reperiantur damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, debeat tunc ex dictis, Inquisitor remittere reum ad Episcopum, *d. cap. Accusatus, §. sanè, de hereticis in 6.* vbi Glossa, & alij communiter Canonistæ.

5 Aduerte secundò, quod etiamsi è contra libri, postquam fuerint examinati, reperiantur damnati propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem modo, quo supra dicebam; non tamen propter hoc reus sit tractandus tanquam de hæresi suspectus, sed solum tanquam retinens libros prohibitos; quia cùm dubium sit, an ij fuerint damnati ex prædicto capite, non præsumitur librorum qualitas talis, vtpotè dubiæ scientiæ in retinente; Ideóque non verificatur de ipso dispositio Constitutionis Pij IV. nempè quod, *audeat legere, vel retinere*; quia *audere* supponit notam qualitatem prohibitionis, cum dicat temeritatem, & præsumptionem, iuxta ea, quæ dicebam supra in propriis locis, & iuxta *Authent. habita, Cod. ne filij pro patre, vers. ac igitur*, ibi: *Vt nullus de cætero tam audax inueniatur, qui aliquam Scholaribus iniuriam inferre præsumat*; Et iuxta Glossam, *in l. si quis in tantam, Cod. vndè vi*: Præsumptio autem importet dolum, atque adeo scientiam rei cum suis qualitatibus, iuxta ea, quæ dicebam ibidem, & tradunt Cardinalis, *in Clement. 1. quæst. 39. de priuileg.* Angelus *verb. Excommunicatio 5. num. 15.* S. Antonin. *3. part. tit. 24. cap. 54. vers. quæris*, Syluest. *verb. Excommunicatio 7. num. 35.* Nauar. *in summa cap. 27. num. 155.* & alij communiter: Ergo, cum incerta fuerit librorum qualitas, ob quam fuerint damnati, seu prohibiti, non interueniet in retinente ausus contra prohibitionem.

At de his omnibus vide, quæ dicebam supra *dub. 16. per totam*, & quæ dicam infrà, *dubit. 195. sect. 85. etiam per totam.*

PETITIO XXVI.

Quæ decreta extent quoad impressionem librorum?

SVMMARIVM.

1 *Quoad impressionem librorum extat primò decretum Concilij Lateranensis sub Leone X. sess. X. & habetur in Bulla eiusdem Leonis inter Constitutiones ipsius, n. 12. in primo Tomo Bullarij; hicque refertur.*

2 *Extat secundò vltra decretum pium, & laudabile Concilij Salisburgensis, & Mediolanensis apud Azorium, & Gauantum editum, decretum Concilij, Tridentini* sess. *4. vide hîc per extensum.*

3 *Extat tertiò decretum Indicis librorum prohibitorum auctoritate Pij IV. primùm editi, postea auctoritate Sixti V. aucti, & tandem auctoritate Clementis VIII. recogniti, & publicati; vide per extensum quæ habentur apud Regulam X.*

4 *Decretum Concilij Lateranensis, & Leonis X. cum pœnis in ipso contentis, licet à principio non fuerit receptum; Nihilominùs postea à Decreto Concilij Tridentini supra relato, fuit ex parte innouatum, & à decreto Indicis in Regula X. ex toto confirmatum.*

5 *Excommunicatio posita in decreto Concilij Lateranensis, Tridentini, & Indicis librorum prohibitorum, cum ibi nulla mentio fiat de reseruatione, nemini est reseruata, sicque ab omni legitimo Confessario absoluibilis.*

6 *Pœna alia præter excommunicationem posita in dictis decretis non obligant in conscientia antè sententiam declaratoriam Iudicis.*

7 *Excommunicatio prædicta licet ex vi Concilij Tridentini solum afficiat illos, qui sine nomine Auctoris imprimunt, vendunt, vel retinent, nisi prius fuerint examinati, & probati, libros de rebus sacris; Nihilominùs ex vi Regulæ Indicis præd. videtur afficere generaliter omnes, siuè liber sit de rebus sacris, siuè de rebus non sacris.*

8 *Verba etiam, quæ libris musicalibus apponuntur, imprimi non possunt absque dicta approbatione.*

9 *Regulares quamuis ex decreto Concilij Tridẽtini vltra examinationem, & probationẽ, teneantur à suis Superioribus pro libris imprimendis impetrare licentiam, si id non faciant, incurrunt pœnas suarum Constitutionum, non autem excommunicationẽ Tridentini; quia hæc solum videtur imposita contra imprimentes, vendentes, retinentes, &c. libros, absque appositione proprij nominis, & licentia Ordinarij.*

10 *Regulares licet ex decreto Concilij Tridentini communicantes, vel cuulgantes libros manuscriptos sine prædicta approbatione, & licentia, incurrant in easdem pœnas, quas incurrunt Impressores; Nihilominùs id restringi debet ad librum consummatum, & integrum.*

11 *Liber iste non tamen requiritur, quod sit magnus, sed sufficit, quod sit paruus; quia in Regula Indicis prædicta vocatur Libellus: veniunt enim ex vi talis Regulæ Lectiones, Adnotationes, Disputationes, Conciones, & Tractatus.*

12 *Regulares licet ex concessione Clementis VII. apud Cæsarub. possent Minores de Obseruantia, sicque & alij, qui cum ipsis priuilegiorum communicationem habent, imprimi facere sine Ordinarij, & Inquisitionis reuisione illa, quæ ad ipsorum Ordinem spectant; hodie tamen hæc concessio locum non habet, vtpotè reuocata, &c.*

13 *Extat quartò decretum Sacræ Congregationis, apud Gauantum, in quo præcipitur, vt nihil, quod ad formandum sacros ritus pertineat, inconsulta Sacra Rituum Congregatione, imprimatur.*

14 *Extat quintò quoad degentes in statu Sedis Apostolicæ decretum Sacræ Congregationis Inquisitionis die 18. Septembris,* anno 1625. *editum, & habetur in 4. Tomo Bullarij,* num. 50. *inter Bullas Vrbani VIII. Vide hîc relatum per extensum.*

Decretum

15 *Decretum prædictum Vrbani cum loquatur de degentibus in statu Ecclesiæ, intelligi non debet de illis, qui obiter, per transitum, vel per breue tempus ibi existunt.*

16 *Extat sextò decretum Pauli V. prohibens imprimi libros de materia Auxiliorum tractantes sinè licentia Summi Pontificis, quod confirmauit Vrbanus VIII. die 1. Augusti anno 1641. occasione desumpta ex quodam libro Iansenij Episcopi Iprensis, cui Titulus* Augustinus, *prohibitus sub pœnis per aliud decretum, &c. Vide hîc relata per extensum.*

17 *Extat septimò decretum Sacræ Congregationis prohibens imprimi libros, gesta, Miracula, vel Reuelationes eorum, qui cum opinione sanctitatis, vel martyrij decesserunt, continentes, sine approbatione Ordinarij, & responsione circa id negotium, sicque sine recognitione Sedis Apostolicæ: Vndè prædicta neque per modum Historiæ referri licere videntur.*

18 *Idem præcipitur etiam in nouissimis decretis anno 1642. quæ per extensum referuntur hîc.*

19 *Gesta, Miracula, vel Reuelationes eorum, qui cum fama sanctitatis, vel Martyrij decesserunt, vt imprimi possint, non sufficiunt Auctoris protestationes, sed requiruntur etiam Ordinarij approbatio, & Sedis Apostolicæ responsio.*

20 *In libris prædictis imprimendis non potest iis, qui cum fama sanctitatis, vel Martyrij decesserunt, tribui nomen sancti, vel beati; quia id est contra Curiæ stylum.*

1 RESpondetur: Extat primò decretum Concilij Lateranensis sub Leone X. *sess.* 10. Et habetur in Bulla eiusdem Leonis inter Constitutiones ipsius *n.* 12. in primo Tomo Bullarij, vbi sic legitur: *Statuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus nullus librum aliquem, vel aliam quamcumque scripturam tam in vrbe nostra, quàm in aliis quibuscumque ciuitatibus, & Diœcesibus imprimere, vel imprimi facere præsumat, nisi priùs in Vrbe per Vicarium nostrum, & Sacri Palatij Magistrum; In aliis verò ciuitatibus, & Diœcesibus per Episcopum, vel alium habentem peritiam scientiæ libri, seu scripturæ huiusmodi imprimendæ, ab eodem Episcopo ad id deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ prauitatis, Ciuitatis, siuè Diœcesis, in quibus librorum impressio huiusmodi fieret, diligenter examinetur, & per eorum manu propria subscriptionem sub excommunicationis sententia gratis, & sine dilatione imponendam approbetur; Qui verò secus præsumpserint, vltra librorum impressorum amissionem, & illorum publicam combustionem, ac centum Ducatorum, Fabricæ Basilicæ Principis Apostolorum de vrbe, sine spe remissionis, solutionem, ac anni continui exercitij impressionis suspensionem, excommunicationis sententia innodatus existat, ac demum, ingrauescente contumelia, taliter per Episcopum suum, vel Vicarium nostrum respectiuè per omnia Iuris remedia castigetur, quod alij eius exemplo similia minimè attentare præsumant.*

2 Extat secundò, vt omittam decretum pium, & laudabile Concilij Salisburgensis, & Mediolanensis apud Azorium *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 17. & Gauantum *in Manual. Episcop. verb. librorum editio*, decretum Concilij Tridentini *sess.* 4. Vbi sic habetur. *Nulli que liceat imprimere, vel imprimi facere quosuis libros de rebus sacris sine nomine Authoris, neque illos in futurum vendere, vel apud se retinere, nisi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario sub pœna anathematis, & pecuniæ in Canone Concilij nouissimi Lateranensis apposita; & si Regulares fuerint, vltra examinationem, & probationem huiusmodi, licentiam quoque à suis Superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris iuxta formam suarum ordinationum; Qui autem scripto eos communicant, vel euulgant, nisi anteà examinati probatique fuerint, eisdem pœnis subiaceant, quibus Impressores; Et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint Authores, pro Authoribus habeantur; Ipsa verò huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque adeo in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticè appareat; Idque totum, hoc est, & probatio, & examen, gratis fiat, vt probanda probentur, & reprobentur improbanda.*

Extat tertiò decretum Indicis librorum prohibitorum, auctoritate Pij IV. primum editi, postea auctoritate Sixti V. aucti, & tandem auctoritate Clementis VIII. recogniti, & publicati; vbi apud Regulam X. sic habetur: *In librorum, aliarúmque Scripturarum impressione seruetur, quod in Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 10. statutum est; Quarè, si in Alma vrbe Roma liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium Summi Pontificis, & Sacri Palatij Magistrum, vel personas à Sanctissimo Domino Nostro deputandas priùs examinentur; In aliis verò locis ad Episcopum, vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimendæ ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ prauitatis eius Ciuitatis, vel Diœcesis, in qua impressio fiet, eius approbatio, & examen pertineat, & per eorum manum propria subscriptione gratis, & sine dilatione imponendam sub pœnis, & censuris in eodem decreto contentis approbetur: Hac lege, & conditione addita, vt Exemplum libri imprimendi authenticum, & manu Authoris subscriptum apud Examinatorem remaneat: Eos verò, qui libellos manuscriptos euulgant, nisi antea examinati, probatique fuerint, eisdem pœnis subiici debere, iudicarunt Patres deputati, quibus Impressores; Et qui eos habuerint, & legerint, nisi Authores prodiderint, pro Authoribus habeantur; Ipsa verò huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, & in fronte libri, vel scripti, vel impressi authenticè appareat, probatioque, & examen, & cætera gratis fiant.* 3

Vbi aduerte, quod decretum Concilij Lateranensis, & Leonis X. cum pœnis in ipso contentis; licet à principio non fuerit receptum; Caietan. *verb. excommunicatio, in fine*, Nauarr. *in summa cap.* 17. *n.* 111. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *p. disp.* 23. *sect.* 7. *n.* 1. & alij passim: Nihilominus postea à decreto Concilij Tridentini supra relato fuerit ex parte innouatum, & à decreto Indicis librorum prohibitorum in Regula X. suprà relata ex toto confirmatum; Filiucc. *tom.* 14. *n.* 83. & alij quos sequitur Thesaurus, *in praxi part.* 2. *verb. libri, cap.* 3. 4

Aduerte secundò, quod Excommunicatio posita in decreto Concilij Lateranensis, Tridentini, & Indicis librorum prohibitorum, cùm ibi nulla mentio fiat de reseruatione; nulli sit reseruata, sicque ab omni legitimo Confessario absoluibilis; Doctores communiter, quos sequitur Toletus, *in summa lib.* 1. *c.* 41. & Peyrinus *tom.* 2. *de Prælato, q.* 3. *c.* 9. *n.* 2. Quidquid in contrarium dixerint Graffius, *part.* 1. *decis. lib.* 4. *c.* 24. *n.* 9. & Barb. *de offic. & potest. Episcop. allegat.* 90. *n.* 13. Quatenùs volunt, sed gratis, quod sit Episcopo reseruata. 5

Aduerte tertiò, quod cæteræ pœnæ præter excommunicationem positæ in dictis decretis non obligent in conscientia antè sententiam declaratoriam Iudicis; vti diffusè dicam infrà; & est communis sententia Doctorum, quos sequitur Thesaur. *loco suprà cit.* 6

Aduerte quartò, quod licet excommunicatio prædicta ex vi Concilij Tridentini solum afficiat illos, qui sine nomine Authoris imprimunt, vendunt, vel retinent, nisi priùs fuerint examinati, & probati, libros de rebus Sacris; Suarez, Peyrinus, & alij passim vbi suprà: Nihilominùs ex vi Regulæ Indicis prædicta videatur afficere generaliter omnes, siuè liber sit de rebus sacris, siue de rebus non sacris, sed prophanis, & siuè liber sit cum nomine, siuè sine nomine Authoris. Vide quæ dicebam suprà *Petit.* 15. 7

Aduerte

8 Aduerte quintò, quod etiam verba, quæ libris musicalibus apponuntur, imprimi non possint absque præd. approbatione, & licentia, ex declaratione Sacræ Congregationis apud Quarantam, *vbi suprà n.7.*

9 Aduerte sextò, specialiter quoad Regulares, quod quamuis hi ex decreto Concilij Tridentini prædicto vltrà examinationem, & probationem teneantur à suis Superioribus pro libris imprimendis licentiam impetrare, & si id non faciant, tametsi incurrant pœnas suarum Constitutionum; non tamen incurrent excommunicationem Concilij Tridentini; quia hæc solùm videtur imposita contra imprimentes, vendentes, retinentes, &c. libros, absque appositione proprij nominis, & licentia Ordinarij; Doctores passim, quos sequitur Suarez, & Peyrin. in locis suprà citatis. At de hac re vide etiam, quæ dicebam suprà *Petitione* 15.

10 Aduerte septimò, etiam specialiter quoad Regulares, quod licet hi ex decreto Concilij Tridentini, communicantes, vel vulgantes libros manuscriptos sine prædicta approbatione, & licentia, incurrant easdem pœnas, quas incurrunt Impressores: Nihilominùs id cum simus in materia pœnali, & odiosa, restringi debeat ad librum consummatum, & integrum, qualis est ille, qui imprimi consueuit; Suarez, & Peyrinus vbi suprà, & alij communiter, quos sequitur Portell. *in dub. regul. verb. librorum prohibitio, n.6.*

11 Non tamen requiritur, quod liber iste sit magnus, sed sufficit, si sit paruus; quia in Regula Indicis prædicta vocatur *libellus*: Quapropter ex vi talis Regulæ Indicis veniunt etiam lectiones, Annotationes, disputationes, Conciones, & Tractatus, tam ad deuotionem, quàm ad Conscientiarum quietationem pertinentes, & cætera huiusmodi, quæ sibi inuicem consueuerunt communicare Regulares; Atque sic quoque, teste Sorbo *in Addit. ad compend. Priuileg. mendicant. verb. Imprimere libros*, §. 3. Roderiquez *tom.* 2. *quæst. Regular. quæst.*104. *art.* 1. Naldo *in summa verb. legere, n.*4. & Barbosa *loco suprà citato*, declarauit Sacra Congregatio: quæ teste etiam Sorbo, & Roderiquez *vbi supra*, nec non Suarez, & Thesauro *cap.*4. declarauit quoque, quod id intelligendum sit, quando communicarentur, vt mandarentur typis, & quando communicarentur per modum librorum, scilicet communicatione publica inter multos, quæ æquiualeret impressioni; non autem communicatione priuata inter paucos. Vide tamen, quæ dicebam suprà, *Petit.* 17. & 21.

12 Aduerte octauò, & etiam specialiter quoad Regulares, quod licet ex concessione Clementis VII. apud Casarub. *in compend. verb. Imprimere libros*, possent Minores de Obseruantia, sicque & alij, qui cum ipsis priuilegiorum communicationem habent, imprimi facere, sine Ordinarij, & Inquisitionis reuisione, illa quæ ad ipsorum Ordinem spectant: Hodie tamen hæc concessio locum non habeat, non solum, quia fuit viuæ vocis oraculo, & non authenticè facta, sed etiam quia est contraria decreto Concilij Tridentini, & Regulæ X. Indicis supradictæ; Doctores communiter, quos sequitur Sorbus, & Roderiquez vbi suprà.

13 Extat quartò decretum Sacræ Congregationis apud Gauantum *loco suprà cit. n.*5. in quo præcipitur, vt nihil, quod ad formandum sacros Ritus pertineat, inconsulta Sacra Rituum Congregatione imprimatur: Vndè inferri videtur, quod Regulares imprimere non possint Cæremonialia sine consultatione præmissa eiusdem Sacræ Rituum Congregationis.

14 Extat quintò, quoad degentes in statu Sedis Apostolicæ decretum Sacræ Congregationis Inquisitionis die 18. Septembris, anno 1625. editum, & habetur *in* 4. *tomo Bullarij n.* 50. inter Bullas Vrbani VIII. vbi sic dicitur: *Sanctissimus Dominus Noster pro debito sui pastoralis Officij corrigere volens abusus nonnullorum in statu Sedis Apostolicæ mediatè, vel immediatè subiecto existentium, qui libros à se compositos extra prædictum statum absque vlla Ordinariorum, & Inquisitorum loci* (vbi degunt) *approbatione imprimendos transmittunt, statuit, & decreuit, vt imposterum nemo in statu prædicto degens cuiusuis conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis existat, libros de quauis materia tractantes, & vbicumque compositos audeat aliò deferre, vel mittere imprimendos, sine expressa in scriptis approbatione Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Cardinalis Sanctissimi Domini Nostri Vicarij, & Magistri Sacri Palatij, si in vrbe, si verò extra vrbem existat, sine Ordinarij, & Inquisitoris loci illius, siue ab iis deputatorum facultate, & licentia operi præfigenda; libros autem, quos contra præsentis decreti tenorem imprimi contigerit, præter alias pœnas arbitrio suæ Sanctitatis infligendas, absque alia declaratione, ex nunc prohibet, & pro expressè prohibitis haberi vult, & mandat; contrariis quibuscumque non obstantibus, &c.*

Vbi aduerte, quod cùm præsens decretum loquatur de degentibus in statu Ecclesiæ; intelligi non debeat de illis, qui obiter, per transitum, vel per breue tempus ibi existunt. Doctores, quos sequitur Thesaur. *vbi suprà cap.*3. Quia degere importat habitare, §. *penultimo, Instit. de vsu, & habitation.* Et videri poterit Sanchez *lib.*3. *de matrim. disp.*23. *n.*12. 15

Non obstat, quod in proœmio prædicti decreti non videatur esse sermo de degentibus, sed de existentibus in statu Ecclesiæ, vt patet ex illo verbo, *nonnullorum existentium*, &c. Quia cum in sequentibus bis sermo sit de degentibus, prædictæ expositioni, maximè cum simus in materia pœnali, stari debet.

Extat sextò decretum Pauli V. prohibens, imprimi libros de materia auxiliorum tractantes, sine speciali licentia Summi Pontificis, quod decretum postea confirmatum est ab Vrbano VIII. die 1. Augusti, anno 1641. in Congregatione generali S. Inquisitionis, occasione desumpta ex quodam libro Ianseniј Episcopi Iprensis, cui Titulus *Augustinus*, per aliud decretum, in quo Pontifex sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ prohibet, ne quis prædictum librum, & scripturas occasione ipsius editas retinere, vel legere possit; & insuper sub pœnis excommunicationis ipso facto incurrendæ, Interdicti Ecclesiastici respectiuè, aliisque arbitrio Sanctitatis suę pœnis infligendis, etiam corporalibus, mandat omnibus, & singulis cuiusuis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, Societatis etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuscumque, tam Ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, Abbatiali, Episcopali, Archiepiscopali, & Patriarchali dignitate suffultis, Collegiis, & Vniuersitatibus, *Ne imposterum audeant imprimere, nec quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, compositiones ex professo, vel incidenter, etiam sub prætextu commentandi Diuum Thomam, seu in Philosophicis agendi de concursu causæ primæ cum secunda, & præsertim defendendi, aut impugnandi librum dicti Ianseniј, cui Titulus* Augustinus, *vel Theses Patrum Societatis Iesu, aliasque scripturas prohibitas, aut alia quauis occasione, vel modo, de materia auxiliorum diuinorum, seu de Gratia, & libero arbitrio tractantes, sine expressa, & speciali licentia à Sanctitate sua in Congregatione S. Officij obtinenda, donec aliud in hac materia à Sede Apostolica fuerit ordinatum; absolutionem verò à prædicta excommunicatione, nec non interdicti suspensionem, & relaxationem Sanctitati suæ, & Sacræ Congregationi reseruauit, non obstantibus quibuscumque Priuilegiis, etiam sanctæ Cruciatæ, Iubilei etiam generalis, & facultatibus Missionariorum, ac aliis à sancta Sede emanatis, seu emanandis, quibus omnibus in hac parte Sanctitas sua derogat; voluitque Sanctitas sua, hæc omnia suum plenarium sortiri effectum, omnesque contra facientes, vt supra ligare, nec quemquam excusari posse sub prætextu, quod decreta Pauli V. & Sanctitatis suæ alias emanata, non fuerint*

fuerint in Prouinciis intimata, vel vsu recepta, irritum quoque, & inane quidquid secus super iis à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernit, contrariis quibuscumque non obstantibus.

17 Extat septimò, Decretum Sacræ Congregationis prohibens, imprimi libros gesta, miracula, vel reuelationes eorum, qui cum opinione sanctitatis, vel martyrij decesserunt, continentes; sine approbatione Ordinarij, & responsione circa id negotium, sicque sine recognitione Sedis Apostolicæ: Vnde prædicta neque per modum historiæ referri licere videntur: Doctores quos sequitur Peyrinus 3. *tom. priuileg. Minimor. cap.* 4. *num.* 1.

18 Vbi aduerte, quod circa prædicta præcipitatur sic etiam in nouissimis Decretis, anno 1641. *Responsum, quod à Sede Apostolica in vim prædictorum Decretorum expectare debent Ordinarij locorum, vt imprimi possint libri continentes gesta, miracula, vel reuelationes eorum, qui cum prædicta fama sanctitatis, vel martyrij decesserunt, non detur, nisi eam infrascriptis protestationibus* (Authoris scilicet, vna in principio, altera in fine libri imprimenda, quas apud Lezzanam *in summa verb. sanctorum cultus, num.* 9. & 10. reperies) *in dictis libris & historiis inserendis, declarando etiam expressè, quod tales libri, vel historia, licet ab Ordinariis reuisa, & post Sedis Apostolicæ responsum approbata, non faciant maiorem gradum probationis in ordine ad Canonizationem, vel Beatificationem, quàm qua aliàs absque tali approbatione de iure fecissent, non obstante quocumque longissimi temporis cursu.*

19 Aduerte secundò, quod vt gesta, miracula, vel reuelationes eorum, qui cum fama sanctitatis, vel martyrij decesserunt, imprimi possint, non sufficiant prædictæ duæ Authoris protestationes, sed requirantur etiam Ordinarij approbatio, & Sedis Apostolicæ responsio, prout ex contextu ipso colligitur.

20 Aduerte tertiò, quod in prædictis libris imprimendis modo, quo suprà dicebam, non possit iis, qui cum fama sanctitatis, vel martyrij decesserint, tribui nomen *Sancti*, vel *Beati*, quia id est contra Curiæ stylum, qui solùm iis tribuit nomen *Serui Dei*, *Ancillæ Dei*, &c. Tùm quia in Sacra Congregatione Indicis, quando de librorum correctione tractatur, similia nomina, vel similes tituli non permittuntur.

PETITIO XXVII.

Quæ Decreta extent quoad prohibitionem librorum?

SVMMARIVM.

1 *Quoad prohibitionem librorum, omissis particularibus prohibitionibus, duplex est in Ecclesia prohibitio generalis, vna, quæ vocatur Indicis ex Bulla Pij IV. quæ incipit: Dominici Gregis, & habetur in secundo tomo Bullarij inter Bullas ipsius Pij IV. num.* 77. *& etiam apud Quarantam, &c. Vide ibi per extensum. Altera, quæ vocatur Bulla Cœnæ.*

2 *Prohibitio Bullæ Cœnæ, in quo differat à prohibitione Indicis, ex Bulla Pij IV.*

3 *Legens, vel habens libros, vel scripta hæreticorum, vel quorumcumque aliorum Authorum, incurrit excommunicationem Indicis ex Bulla Pij IV. si tales libri, vel scripta prohibita, seu damnata sint propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, quæ tamen excommunicatio nemini est reseruata.*

4 *Legens, vel habens libros, vel scripta alicuius Authoris Catholici, in quibus reperitur hæresis, vel error, non incurrit prædictam excommunicationem Indicis, ex Bulla Pij IV. si tales libri, vel scripta non sint prohibita.*

5 *Neque etiam si fuerint prohibita, seu damnata, non tamen propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, sed propter aliam causam, v. g. propter obscœnitatem.*

6 *Legens tamen, vel habens prædictos libros, vel scripta, scilicet non ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, sed ob aliam causam prohibita, seu damnata, adhuc peccat mortaliter, & tenetur libros prædictos consignare Inquisitoribus, &c.*

Respondetur, vt omittam prohibitiones particulares, quæ quoad hoc ab Inquisitoribus, & Episcopis fieri solent, duplex est in Ecclesia prohibitio generalis. 1

Vna, quæ vocatur Indicis ex Bulla Pij IV. quæ incipit *Dominici Gregis*, & habetur in secundo Tomo Bullarij inter Bullas ipsius Pij IV. *num.* 77. & etiam apud Quarantam *in summa Bullarij, verb. libri prohibiti*: vbi sic legitur: *Qui hæreticorum libros, vel cuiusuis Authoris scripta propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legeris, habueritvè, ipso iure in excommunicationis pœnam incidat, atque ob causam in eum, tanquam in hæresis suspectum, inquiri, & procedi liceat, præter alias pœnas super hoc ab Apostolica Sede, sacrisque Canonibus constitutas: Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritve, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum, non obstantibus*, &c.

Altera, quæ vocatur Bullæ Cœnæ, vbi excommunicantur excommunicatione Pontifici reseruata, *eorundem* (scilicet hæreticorum) *libros hæresim continentes, vel de Religione tractantes, sine authoritate nostra, & Sedis Apostolicæ, scienter legentes, vel retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quauis causa publicè, vel occultè, quouis ingenio, vel colore*, &c. 2

Differt igitur prohibitio Bullæ Cœnæ à prohibitione Indicis ex Bulla Pij IV. Quia prohibitio Indicis ex Bulla Pij IV. solùm est contra legentes, vel habentes libros, vel scripta siue hæreticorum, siue quorumcumque aliorum Authorum propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibita, atque damnata: Prohibitio verò Bullæ Cœnæ est contra legentes, retinentes, imprimentes, vel defendentes libros hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes, siue tales libri sint prohibiti, & damnati, siue non, sicuti patet ex ipso contextu, & notat præter alios Becanus 1. 2. *tract.* 15. *de fide, quæst.* 8. *num.* 4. In quonam alio etiam differat prohibitio Bullæ Cœnæ à prohibitione Indicis ex Bulla Pij IV. vide suprà *dub.* 44. *in addendis, addend.* 4. & 5.

Ex quibus sequitur, quod legens, vel habens libros, vel scripta hæreticorum, vel quorumcumque aliorum Authorum incurrat excommunicationem Indicis, ex Bulla Pij IV. si tales libri, seu scripta prohibita, seu damnata sint propter hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem: Quæ tamen excommunicatio, cùm de reseruatione nihil dicat, nulli est reseruata, sicque ab omni legitimo Confessario absolubilis, vti suprà dicebam, & docent Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 29 Filliuc. *tract.* 16 *cap.* 2. *num.* 41. Bonacin *de censur. disp.* 2. *quæst.* 5. *punct.* 4. *num.* 1. & alij passim. 3

Sequitur secundò, quod è contrà legens, vel habens libros, vel scripta alicuius Authoris Catholici, in quibus reperitur hæresis, vel error, non incurrat prædictam excommunicationem Indicis, ex Bulla Pij IV. si tales libri, vel scripta non sint prohibita, seu damnata, & etiam si non sint prohibita, seu damnata ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem; quia Pontifex Pius IV. solùm loquitur, quando 4

ea sunt prohibita, seu damnata, & prætereà quando sunt prohibita, seu damnata ob hæresim, vel falsi dogmatia suspicionem. Doctores commoniter, quos sequitur Thesaut. *in praxi part. 2. verb. libri, cap. 2.*

5 Quapropter nec etiam incurrit prædictam excommunicationem Indicis ex Bulla Pij IV. si fuerint quidem prohibita, seu damnata, non tamen pruprer hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, sed propter aliam causam, verbi gratia, propter obscœnitatem, &c. Quia, sicuti dicebam, dicta excommunicatio Indicis ex Bulla Pij IV. imponitur propter libros, vel scripta prohibita, seu damnata ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem: Doctores iidem quos suprà citabam.

6 Legens tamen, vel habens prædictos libros, vel scripta (scilicet non ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, sed ob aliam causam prohibita, seu damnata) peccat adhuc mortaliter, & puniri poterit ab Episcopo, sicuti patet ex ipso contextu Indicis ex Bulla Pij IV. Et tenentur adhoc etiam prædictos libros, vel scripta (scilicet similiter non ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, sed ob aliam causam prohibita, seu damnata: Idemque, quin & multò magis dico de libris, vel scriptis ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem prohibitis, seu damnatis, & etiam de libris, vel scriptis hæreticorum, de quibus Bulla Cœnæ) consignare Inquisitoribus. Nec sufficit, quod propria auctoritate comburat, vel corrigat, propter Constitutionem Iulij III. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 2. *num.* 23. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 16. *quæst.* 11. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 10. *num.* 56. & alij communiter, licet Fagundez *in primum præceptum Decalogi, lib.* 1. *cap.* 14. *num.* 33. Diana *pars.* 1. *tract.* 11. *resol.* 57. & alij sentiant oppositum, eo quod prohibitio sit contra retinentes, & contra retinentes ad conseruandum, qua de re vide, quæ diffusè dicebam suprà *dubitat.* 40. *petit.* 3. 5. 6. *&* 9.

PETITIO XXVIII.

Quid prohibeatur in singulis Indicis Regulis?

SVMMARIVM.

1 *In Regula prima Indicis prohibentur omnes libri, qui ante annum 1515. a Summis Pontificibus, vel Oecumenicis Conciliis damnati fuerunt.*

2 *In Regula secunda prohibentur omnes libri hæresiarcharum cuiuscumque tituli, vel argumenti, in qua prohibentur etiam libri hæreticorum, qui de Religione ex professo tractant.*

3 *In Regula tertia agitur de versionibus scriptorum Ecclesiasticorum, per Authores damnatos editis.*

4 *In Regula quarta agitur de Bibliis vulgaribus non permittendis, nisi cum certis conditionibus.*

5 *In Regula quinta agitur de libris, qui hæreticorum operâ prodeunt, in quibus tamen hæretici nihil, vel parum de suo apponunt, sed dicta aliorum colligunt.*

6 *In Regula sexta agitur de controuersiis inter Catholicos, & hæreticos vulgari lingua conscriptis.*

7 *In Regula septima prohibentur libri, qui de rebus lasciuie tractant. Antiqui ab Ethnicis conscripsi propter sermonis elegantiam permittuntur, non tamen pueris.*

8 *In Regula octaua decernitur, quod libri, quorum principale argumentum est bonum, si à Catholicis Theologis Inquisitionis Generalis auctoritate fuerint expurgati, permitti possint.*

9 *In Regula nona prohibentur omnes libri, opera, & tractatus Astrologiæ Iudiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, &c. huiusmodi.*

10 *In prædictis libris, vel tractatibus si non continentur hæresis, censura, quæ tunc incurritur ab illos legentibus, vel retinentibus, solùm est ea, quæ ponitur in Indice ex Bulla Pij IV. & non est Summo Pontifici reseruata, &c.*

Respondetur quoad Indicem scilicet Pij IV. & aliorum Pontificum Successorum, in Regula prima prohibentur omnes libri, qui ante annum 1515. à Summis Pontificibus, vel Oecumenicis Conciliis damnati fuerant. 1

In Regula secunda prohibentur omnes libri hæresiarcharum cuiuscumque tituli, vel argumenti, in qua eadem Regula secunda prohibentur libri hæreticorum, qui de Religione ex professo tractant. Permittuntur tamen, qui de Religione non tractant, si à Theologis Catholicis iussu Episcoporum, & Inquisitorum examinati, & approbati fuerint: Permittuntur etiam libri Catholicè conscripti tam ab illis, qui posteà in hæresim lapsi sunt, quàm ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium redierunt, si approbati fuerint à facultate Theologica alicuius Vniuersitatis Catholicæ, vel ab Inquisitione generali. 2

In Regula tertia agitur de versionibus scriptorum Ecclesiasticorum per Authores damnatos editis, de quibus videri poterunt, quæ dicebam *petit.* 12. 3

In Regula quarta agitur de Bibliis vulgaribus non permittendis, nisi cum certis conditionibus, vbi specialiter quoad Regulam ea subditur, quod ipsi non possint eas legere, vel emere, nisi facultate à suis Prælatis obtenta, iuxta ea, quæ dicebam *petit.* 11. 4

In Regula quinta agitur de libris, qui hæreticorum operâ prodeunt, in quibus tamen hæretici nihil, vel parum de suo apponunt, sed dicta aliorum colligunt (cuiusmodi sunt Indices, Concordantiæ, Apophtegmata, Lexica, & similia) & de his dicitur ibi, quod permittantur, sublatis, vel expurgatis iis, quæ expurgatione indigent, Episcopi, Inquisitoris, & Theologorum consilio, iuxta ea, quæ dicebam *petit.* 6. *& dubit.* 36. *in appendice.* 5

In Regula sexta agitur de controuersiis inter Catholicos, & hæreticos in lingua vulgari conscriptis, de quibus videri poterunt, quæ dicebam *petit.* 9. *&* 10. 6

In Regula septima prohibentur libri, qui de rebus lasciuis tractant, licet antiqui ab Ethnicis conscripti propter sermonis elegantiam, & proprietatem permittantur, non tamen legi Pueris, nisi priùs fuerint expurgati, iuxtà ea, quæ dicebam *petit.* 3. 7

In Regula octaua decernitur, quod libri, quorum principale Argumentum est bonum, in quibus tamen obiter aliqua sunt inserta, quæ ad hæresim, Impietatem, diuinationem, seu superstitionem spectant, si à Catholicis Theologis Inquisitionis generalis auctoritate fuerint expurgati, permitti possint; Idémque dicitur etiam de Summariis, annotationibus, & Prologis, quæ ab Authoribus damnatis apposita sunt, iuxta ea, quæ dicebam *Petit.* 7. 8

In Regula nona, prohibentur omnes libri, opera, & tractatus Astrologiæ Iudiciariæ, Geomantiæ, Hydromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, Artis magicæ, & omnes, qui sortilegia, auspicia, veneficia, auguria, incantationes, vel superstitiones continent. Qui & omnes prohibentur etiam à Sixto V. in Bulla, *Cœli, & Terræ,* inter Bullas ipsius *num.* 17. Vbi & statuit etiam idem Sixtus V. quod prædicti libri non possint ab aliquo legi, vel retineri, sed debeant Episcopis, & Ordinariis locorum, vel Inquisitoribus consignari, quodque scienter illos legentes, vel retinentes debeant ab Inquisitoribus puniri: Quam Bullam Sixti V. confirmat, & innouat posteà Vrbanus VIII. in alia sua Bulla, quæ incipit *Scrutabilis,* vbi alias pœnas contra huiusmodi crimen imponit. 9

Aduerte

Aduerte tamen hîc, quod si in prædictis libris, vel tractatibus non contineatur hæresis, censura quæ tunc incurritur ab illos legentibus, vel retinentibus, solùm sit ea quæ ponitur in Indice, ex Bulla Pij IV. & non est, vti dicebam, Summo Pontifici reseruata. Quod intellige, si tales libri prohibiti sint ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, quia solùm de illis loquitur Bulla Pij IV. Si verò in illis contineantur hæreses, prove sæpiùs contingit, censura quæ tunc incurritur ab illos legentibus, vel retinentibus, sit ea quæ ponitur in Bulla Cœnæ, & est Summo Pontifici reseruata. Quod intellige, si tales libri sint hæreticorum, quia solùm de illis loquitur Bulla Cœnæ, iuxtà ea quæ dicebam *Petitione secunda, & quinta, & dubitat. 36. in appendice, & dubit. 44. in addendis, addendo primo*, & notat præter alios Thesaur. *in praxi part. 2. verb. superstitio, cap. 1.*

PETITIO XXIX.

Quid dicendum de libellis famosis, seu literis infamatoriis?

SVMMARIVM.

1 *Libellus famosus est scriptura, vel signum infamiam alicuius continens de crimine occulto, illud publicans.*

2 *Libellus famosus dicitur scriptura, vel signum, quia non solùm scriptura, sed etiam quodcumque aliud signum, verbi gratia figura, imago, cornu, &c. venit nomine libelli famosi contra aliquem facti.*

3 *Libellus famosus dicitur de crimine occulto, quia si crimen sit publicum, qui illud quomodocumque publicat, non est Reus libelli famosi.*

4 *Scribens alicui literas informatorias eius, ad quem scribit, neque est Reus libelli famosi, quia per tales literas per se crimen non publicatur.*

5 *Quicumque fuerit Author libelli famosi, verberari, & excommunicari decernitur.*

6 *Pœna prædicta locum habent non solùm in ordine ad conficientem dictos libellos famosos, sed etiam in ordine ad alias personas, circa eandem materiam delinquentes.*

7 *Regulares quicumque libellos famosos in lingua Latina, vel vulgari, nec non cantilenas, vel Rithmos in infamiam status Ordinis Prædicatorum, vel Minorum edere, detinere, vel publicare præsumpserint; sunt excommunicati excommunicatione Summo Pontifici reseruata ab Alexandro IV. in priuilegio:* Ex alio, *& ex alio priuilegio:* Non sine.

8 *Priuilegia prædicta extenduntur etiam ad alias Religiones habentes communicationem priuilegiorum.*

9 *Excommunicatio prædicta non incurritur ab illa, qui contra religiosum priuatum id facere præsumpserit, quia priuilegia prædicta loquuntur solùm de facientibus contra eorum statum.*

1 RESpondetur, libellus famosus est scriptura, vel signum infamiam alicuius continens de crimine occulto, illud publicans, Syluest. *in summa verb. libellus, num. 4.* Molin. *de iust. tract. 4. disput. 35. num. 4.* Portellus *in dub. regular. verb. libellus famosus, num. 2.* & alij communiter, quos sequitur Bonacina *de contractibus disp. 2. quæst. 4. punct. 9. num. 2.*

2 Dixi, *scriptura, vel signum*, quia non solùm scripturа, sed etiam quodcumque aliud signum, vt v. g. figura, imago, cornu, &c. contra aliquem modo, quo dicebam, factum, etiam venit nomine libelli famosi, Molina, Portell. & alij suprà.

Dixi secundò, *de crimine occulto*, quia si crimen sit publicum, qui illud quomodocumque publicat, non est reus libelli famosi, Portell. Bonacin. *in locis suprà citatis.* 3

Dixi tertiò, *illud publicans*, quia siquis alicui scribat literas infamatorias eius, ad quem scribit, neque est reus libelli famosi, quia per tales literas (cùm ab illo, cui mittuntur, celari possint, per se crimen non publicatur, Doctores iidem, quos suprà citabam. Similiter, si quis literas continentes defectum alicuius occultum, tacito suo nomine scribens ad Prælatum, vel iudicem, vel eas ponit in aliquo loco, v. g. in mensa, vt ab iis videantur, neque est similiter reus libelli famosi, strictè scilicet loquendo, bene tamen largè, propter Textum *in cap. Inquisitionis, §. Ad hæc, de accusation.* Quia neque sic per se crimen publicatur, quod requiritur ad libellum famosum, vti patet ex definitione eiusdem libelli famosi suprà tradita, iuxta communem sententiam Doctorum. 4

Dico secundò, quicumque fuerit Author libelli famosi, verberatur, & excommunicari decernitur, *5. quæst. 1.* per varios Canones: Item est infamis, *cap. si Testes 4. quæst. 3.* Vbi etiam aliæ pœnæ contra istum talem decernuntur: & *leg. ob carmen, ff. de testib.* Item pœna capitis punitur, *leg. 1. Cod. de libell. famos.* Videantur præter alios Sayr. *in Clau. Regia lib. 12. cap. 4. num. 10.* & Thesaur. *in prax. part. 2. verb. libelli famosi, cap. 1.* 5

Dico tertiò, prædictæ istæ pœnæ locum habent non solùm in ordine ad conficientem dictos libellos famosos, sed etiam in ordine ad alias personas circa eandem materiam delinquentes: Tùm ex prædictis iuribus suprà citatis: Tùm etiam præcipuè ex Constitutione Pij V. quæ incipit *Romani Pontificis*, inter Constitutiones ipsius *num. 147.* & ex Constitutione Gregorij XIII. quæ incipit *Ea est rerum*: inter Constitutiones ipsius *num. 4.* & videri poterunt præter alios Sayrus, & Portellus *vbi suprà num. 13.* prædictæ tamen Constitutiones videntur esse solùm pro vrbe Roma, & statu Ecclesiastico, Portellus *ibidem.* 6

Dico quartò, specialiter loquendo pro Regularibus: Quicumque libellos famosos in lingua Latina, vel vulgari, necnon cantilenas, vel rithmos in infamiam status Ordinis Prædicatorum, vel Minorum edere, detinere, vel publicare præsumpserit, est excommunicatus excommunicatione Summo Pontifici reseruata ab Alexandro IV. in priuilegio *Ex alto*, & ex altero priuilegio; *Non sine multa.* Caietanus *in summa verb. excommunicatio, cap. 81.* Salonius, Medina, Sayrus, & alij communiter, quos sequitur Bonacina *vbi supra, num. 9.* qui Doctores omnes supponunt, & rectè, quod prædicta priuilegia extendantur etiam ad alias Religiones, quia cùm aliæ Religiones habeant communicationem priuilegiorum cum Prædicatoribus & Minoribus, est etiam in aliis Religionibus eadem ratio. Supponunt secundò, & etiam rectè, quod prædicta excommunicatio non incurratur ab illo, qui contra aliquem Religiosum priuatum id facere præsumpserit, quia prædicta priuilegia solùm loquuntur de id facientibus contrà statum eorum Religiosorum; non autem contrà vnum, vel alterum priuatum Religiosum. 7 8 9

DVBITATIO XLVII.

Quinam sint schismatici, qui in hac prima excommunicatione sextò sunt excommunicati? Vbi etiam de hæreticis, & apostatis.

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Schisma est species quadam apostasia, & est triplex. Prima ab Ordine sacro, vel Religione. Secunda ab Obedientia. Tertia à Fide.*

2 *Apostasia ab Ordine sacro est, cùm quis à statu Clericali, quem in manu Episcopi, emisso etiam castitatis voto, assumpserat, ad statum coniugij, vel laica conuersationis, dimisso habitu Clericali, temerè se transfert.*

3 *Apostata ab Ordine ipso iure est infamis, & si monitus se non correxerit, deponendus, secus qui tantum habet minores Ordines, liberè enim ad coniugium, vel statum laicalem transire potest, dummodo si qua habet Ecclesiastica beneficia, derelinquat.*

4 *Apostasia à Religione est criminosa, & mortifera recessio à Religiosi Ordinis instituto, sine proposito reuertendi.*

5 *Apostata non est, qui cum licentia Superioris ab Ordinis Obseruantia liberatur, vel secundùm Canones ad Episcopatum transfertur.*

6 *Apostata non est, qui ab instituto, vel Ordine, quem professus est, sine licentia Superioris ad alium laxiorem transit, quamuis peccet, & excommunicationem incurrat, & ad priorem Ordinem redire teneatur.*

7 *Apostata propriè non est, qui reuertendi animum retinet, vagaturus ad tempus: Est tamen fugitiuus, & quidem excommunicatus, si penitus habitum abiecit.*

8 *Apostata verus censetur etiam ille, qui Religiosus sine legitima Superioris licentia, & sine proposito reuertendi vagatur in sæculo, quamuis habitum religiosum retineat, ita vt qui eum recipit, vel defendit, excommunicationem lata sententia contrahat.*

9 *Religiosa si de Monasterio recedat animo deserendi Religionem, & nunquam ampliùs ad illam reuertendi, est apostata à Religione eodem modo, ac vir Religiosus apostata: Est enim eadem ratio de fœmina, ac de viro. Secùs tamen si fuerit monialis Turris speculorum de vrbe, seu Tertiana, BiZoca, seu Mantellata.*

10 *Religiosus fugiens ad Prælatum Superiorem non est apostata, eo quod iniustè sit nimis grauatus, vel grauandus à Prælato immediato inferiori, is enim non deserit Religionem, & licitè facit, cùm defensio sit de iure natura.*

11 *Concilium Tridentinum non obstat: solùm enim loquitur in casu, quo Religiosus non est iniustè nimis grauatus, vel grauandus a Prælato immediato inferiori.*

12 *Religiosus fugiens ad Prælatum Superiorem, vel sine fundamento, vel iniustè, non nimis, sed tantùm leuiter grauatus, aut grauandus, si commodè facere possit per literas, vel in alio tempore, puniri potest iuxta statuta sua Religionis tanquam vagus, & profugus, non autem tanquam verè apostata.*

13 *Religiosus fugiens ad Prælatum Superiorem in tali casu est apostata solùm præsumptiuè quoad forum externum, non autem quoad forum internum.*

14 *Religiosus Romam veniens sine licentia Protectoris, vel Generalis, vel etiam Prouincialis, si fuerit causa communis totius Prouinciæ, est priuatus voce actiua, & passiua per biennium, a solo Pontifice relaxanda.*

15 *Religiosus Episcopus neque est propriè apostata, si renuncians Episcopatui non redeat ad Religionem, sed permaneat in sæculo, quia per Episcopatum fuit exemptus a iugo Religionis dispensatione Pontificis, quæ causa cùm sit fauore dignitatis, non cessat, quia non cessat ipsius dignitas. Contra nonnullos contrarium sentientes.*

16 *Apostata bona post ipsius mortem pertinent ad Cameram Apostolicam, secùs si redeat ad Religionem: Constitutio enim Gregorij XIII. quæ incipit* Officij nostri*, loquitur in casu, quo apostata moritur extra claustra.*

17 *Idem dic, si dicta bona fuerint acquisita illicitè contra sacros Canones, non tamen si iniustè contra iustitiam, quia tunc restituenda sunt ei, cui facta fuit iniuria.*

18 *Apostasia à Religione est casus reseruabilis à Superioribus Religionum.*

19 *Apostasia peccatum si sit casus reseruatus in aliqua Religione, non potest absolui nisi a Prælato, qui reseruauit, secùs si non sit reseruatus, quia tunc potest absolui à quolibet Confessario communi in Monasterio.*

20 *Apostasia ab obedientia, quamuis si latè sumatur in omni peccato mortali subsit, strictè tamen sumpta solùm est, cùm quis iustis præceptis superioris se opponit, obedire penitùs recusans, cuius præcipua species dicitur schisma.*

21 *Apostasia à fide, quæ omnium grauissima est, si consideretur secundum ordinem ad terminum à quo, est recessus à vera Fide, & sic differt ab hæresi, tanquam quid maius à minori.*

22 *Apostata dicitur, qui Christum, & fidem Christianam, quam suscepit, penitùs abnegat.*

23 *Hæreticus verò non penitùs, sed secundùm vnum, vel aliquot articulos.*

24 *Pœna in iure contra hæreticos statuta, etiam ab apostatis incurruntur.*

25 *Schisma in præsenti sumitur pro scissione ab Ecclesia, eiusque capite: Ecclesia enim est vna, ac proinde indiuisa, constans ex fidelibus tanquam membris, & ex Christo, eiusque Vicario tanquam capite.*

26 *Separare se dupliciter ab Ecclesia quisque potest iuxta duplicem vnionem, quam Ecclesia in se habet.*

27 *Primò, deserendo fidem, quæ vnica est in Ecclesia, & tunc est hæreticus, & schismaticus quia à præcipua Ecclesiæ vnitate, quæ desumitur à fide, se separat.*

28 *Secundò deserendo Ecclesiæ vnitatem, quam fideles omnes inter se habent cum suo Capite tam in Sacramentis, & cultu diuino, quàm in subiectione, & subordinatione ad suum Caput.*

29 *Schisma verum requirit rebellionem in Pontificem, vel Ecclesiam, quæ rebellio in eo consistit, vt verbis, vel factis schismaticus ostendat se nolle Ecclesiam, vel Pontificem, qua talis est, recognoscere.*

30 *Separare quis se potest dupliciter a subiectione Pontificis directè, vel indirectè.*

31 *Separat se directè, intendens expressè, & formaliter non recognoscere Pontificem, vt Superiorem.*

32 *Separat se indirectè, cum facto ipso ostendit, non*

recogno

recognoscere Pontificem vt superiorem, vt si v.g. præsumat absque debita auctoritate congregare Concilia generalia, vel ea, postquam per legitimam auctoritatem dissoluta sunt, prosequi.

33 *In Anglia Catholici Regi exhibentes obedientiæ signa, quibus testantur, eum esse Christi Vicarium in spiritualibus; quamuis interiùs non credant, esto non sint hæretici, verè tamen sunt schismatici.*

34 *Qualibet ex his scissionibus potest dupliciter contingere, primò cum hæresi. Secundò sine hæresi.*

35 *Hæreticus, & schismaticus est, subtrahens se ab obedientia Pontificis, & vnitate Ecclesiæ, si neget Pontificis prælationem, vel veritatem Ecclesiæ.*

36 *Schismaticus, non hæreticus est, qui recognoscens Pontificis prælationem, & Ecclesiæ vnitatem, ex malitia tamen non vult illi subiici, & in hac subiectione cum reliquis membris Ecclesiæ communicare.*

37 *Schismatici sunt quicumque, ab vnitate Ecclesiæ, & suo Capite se separant.*

38 *Schisma non necessariò requirit separationem à Pontifice, cùm schisma etiam Sede vacante committi possit, nam sufficit esse separationem ab vnitate, quam fideles habent inter se, & cum Christo Capite.*

39 *Schisma est grauissimum peccatum Charitati contrarium; ita vt non possit esse leue ratione leuitatis materiæ.*

1 SVPPONO, quod schisma sit species quædam apostasiæ, quæ secundùm S. Thomam 2.2. *q.*11.*art.*1. & Scholasticos ibi, præcipuè Bañes *art.* 1. & Valcotiam *disput.*1. *q.*12. *punct.*1. & secundùm Glossam *in cap.*1. *de Apostatis*, est triplex. Prima ab Ordine sacro, vel à Religione: Secunda ab Obedientia: Tertia à Fide.

2 Apostasia ab Ordine sacro est, cùm quis à statu Clericali, quem in manu Episcopi, emisso etiam Castitatis voto, assumpserat, ad statum coniugij, vel laicæ conuersationis, dimisso habitu clericali, temerè se transfert, *cap. vltimo de vit. & honest. Cleric.* Is ipso iure
3 est infamis. *cap. Beatus* 3. *q.*4. sicque irregularis. Et si monitus non se correxerit, deponendus, *cap. præcipimus* 21. *q.*4. Et videri poterit Syluest. *verb. Apostata, quæst.*8.

At, qui tantùm habet minores Ordines, liberè ad coniugium, vel statum laicalem transire potest, dummodo, si quæ obtinet Ecclesiastica beneficia, derelinquat, *ex cap. Ioannes, de cleric. coniugat.* & tradit cum communi sententia Doctorum, Caietan. *in summa verb. Apostasia.*

Apostata igitur ab Ordine sacro, vel latiùs, à clericatu est ille, qui, clericatu reiecto, fit sæcularis, deserendo habitum clericalem: Quod contingere potest dupliciter: vel enim talis desertor clericatus erat in Ordinibus maioribus, vel solùm in minoribus: si primum, est propriè apostata, & peccat mortaliter; *cap. vna fraternitatis de apostat. Clement. Quoniam, de vit. & honest. clericor.* Concil. Trident. *sess.*14. *de reformat. cap.*6. & docent Syluester *verbo apostata, num.*6. & 7. & Tolet. *lib.*4. *cap.*18. *n.*5. qui subdit, quod in iure non incurrat aliquam excommunicationem, quam tamen incurrit, si vxorem ducat; *Clement. vnica, de consanguinit. & affinit.* & docet præter alios Valentia *tom.* 3. *disput.*1. *quæst.*12. *punct.*1. Si secundum: vel talis habebat beneficium, vel non; si prius, & beneficium non relinquat, est etiam apostata, & peccat mortaliter, Tolet. *ibidem*: Si posterius, nec est propriè apostata, nec etiam (nisi ex contemptu fecerit) peccat mortaliter; cùm constet, quod possit tunc ducere vxorem, & viuere laicaliter: Syluest. *num.*7.

4 Quamuis etiamsi sit tantùm in prima tonsura, nedum in Ordinibus minoribus, talem etiam tantùm deserendo clericatum sine rationabili causa peccet venialiter; quia erat de sorte Domini, cùm ei dicatur, *Dominus pars hæreditatis meæ.* Tum quia descendit è statu superiori, & perfectiori ad statum inferiorem, & imperfectiorem.

Hinc sequitur, quod Religiosus clericus apostata, deserendo Religionem, deserit etiam clericatum, sit dupliciter apostata: Ratione scilicet desertionis Religionis, & ratione desertionis clericatus; ac per consequens incurrat pœnas apostasiæ à Religione (de quibus infrà) & pœnas apostasiæ à clericatu, quæ designantur in locis citatis ex Concilio Tridentino, ex Iure canonico, & aliis Iuribus. Secùs, si tantùm deserat Religionem, non item clericatum, vt si esset Religiosus laicus, vel si ex clerico Religioso fieret clericus sæcularis. Quia tunc incurret tantùm pœnas apostasiæ à Religione; cùm deserat Religionem tantùm, & non etiam clericatum.

Apostasia à Religione est criminosa, & mortifera recessio à Religiosi Ordinis instituto, sine proposito reuertendi, Caietan. 2.2. *quæst.*12. *artic.*1. Rodoriquez *tom.*1. *quæst. regul. q.*30. *art.* 1. & alij passim. 4

Dicitur, *criminosa, & mortifera recessio*, quia, qui cum licentia Superioris ab Ordinis obseruantia liberatur, vel secundùm Canones ad Episcopatum transfertur; apostata non est, *Clement.* 1. *de electión.* 5

Dicitur, *à Religiosi Ordinis instituto*, scilicet vniuersim, seu ab omni instituto; quia qui ab Ordine, quem professus est, sine licentia Superioris ad alium laxiorem transit, quamuis peccet, & excommunicationem incurrat, extrauag. 1. de Regular. & ad priorem Ordinem redire teneatur, cap. intelleximus de ætat. & qualit. tamen apostata non est, Gloss. *in cap. vltim. de apostat.* Abbas *ibidem in fine*, Caiet. *cit. art.*1. Syluest. *verb. apostata, q.*4. Rodoriq. *cit. q.*30. *art.*1. & Sanch. *l.*6. *moral. cap.*8. 6

Dicitur, *sine proposito reuertendi*; quia, si reuertendi animum retineat, vagaturus ad tempus, est fugitiuus, & quidem excommunicatus, si penitùs habitum abiecit. *cap.* 1. *ne cleric. vel monach. in sexto*, & videri poterit Abb. *in cap. Deus qui, de vit. & honest. cleric. num.*4. Non tamen propriè est apostata, Caiet. *loco suprà cit.* Miranda *tom.*1. *q.*11. *art.* 1. *concl.*1. Syluest *q.*4. & alij passim. 7

Cæterùm ad apostasiæ crimen hoc nihil refert, verùm quis habitum religiosum abiiciat, nec ne? Valent. *tom.* 3. *disp.*2. *q.*12. *punct.*1. Caietan. & Miranda *in locis suprà cit.* Vnde, si quis religiosus sine legitima Superioris licentia, & sine proposito reuertendi vagetur in sæculo, quamuis habitum religiosum retineat, adhuc apostata verus censetur, ita vt, qui eum recipit, occultat, vel defendit, excommunicationem latæ sententiæ contrahat, iuxta priuilegia Ordinum Regularium, de quibus Miranda *vbi suprà, art.*2. & Sanch. *lib.*6. *moral. cap.*8. *quæst.*3. 8

Aduerte tamen hic, quod similiter religiosa, si de Monasterio recedat animo deserendi religionem, & nunquam ampliùs ad illam reuertendi, fit apostata à religione, & incurrat pœnas apostasiæ à religione, & eodem modo, ac vir religiosus apostata, sit ad Monasterium reducenda; quia eadem est ratio de fœmina religiosa, ac de viro religioso. Tum quia sic colligitur *ex cap. peruenit ad nos*, 17. *q.*1. & docent communiter Doctores, quos sequitur Farinac. *de hæresi quæst.* 183. *num.*68. & Tamburinus *de iur. Abbatiss. disput.* 21. *quæst.* 5. 9

Secùs si fuerit Monialis Turris Specolorum de vrbe, & multo minùs si fuerit Tertiaria, Bizoca, seu Mantellata, vel quæcumque alia collegialiter viuens, sed non sub clausura; quia, cùm tunc non sit verè religiosa, non deserit statum verè religiosum, atque adeò non est propriè apostata à religione.

Aduerte secundò, quod neque sit apostata religiosus, 10

si fugiat ad Prælatum Superiorem, eo quod iniustè sit nimis grauatus, vel grauandus à Prælato immediato inferiori; quia, sicuti dicebam, verè apostata est ille, qui deserit religionem; At qui pergit ad Prælatum Superiorem, non deserit religionem; Ergò, &c. Quod adeò verum est, vt id & etiam licitè faciat: cùm defensio sit de iure naturæ.

11 Neque obstat Concilium Tridentinum *sess.25.cap.4.* quia solùm loquitur in casu, quo religiosus non est iniustè nimis grauatus, vel grauandus à Prælato immediato inferiori: & tunc quod sit solùm vagus, & profugus, non autem quod sit verè apostata.

12 Qui igitur fugit ad Prælatum Superiorem, vel sine fundamento, vel iniustè, non nimis, sed tantùm leuiter, grauatus, aut grauandus, vel quamuis iniustè, nimis grauatus, aut grauandus, vt faciat querelam contra immediatum Superiorem, cùm tamen eam commodè facere possit per literas, vel in alio tempore: contraueniet quidem dicto Decreto Concilij Tridentini, ita vt propterea puniri possit iuxta statuta suæ religionis, tanquam vagus, & profugus, non autem, tanquam verè apostata. Doctores, quos sequitur Fagundez *in 2. Ecclesiæ præcepto lib.8. cap.5. n. 13.* & Portell. *in dubiis Regular. verb. apostata, num. 3.*

13 Neque obstat, quod vt idem Portellus addit *in addit. num.6.* ex quadam declaratione Sacr. Congregationis talis religiosus sit apostata: Intelligitur enim, quod sit apostata solùm præsumptiuè quoad forum externum, sicque etiam solùm quoad pœnas.

14 Item specialiter quis Romam veniens sine licentia Protectoris, vel Generalis, vel etiam Prouincialis, si fuerit causa communis totius Prouinciæ: est priuatus voce actiua, & passiua per biennium, à solo Pontifice relaxanda, ex Decreto Clementis VIII. & Vrbani VIII. quæ referam infrà *dubit. 236.*

15 Aduerte tertiò, quod neque sit propriè apostata Episcopus religiosus, si renuncians Episcopatui, non redeat ad religionem, sed permaneat in sæculo: quia per Episcopatum fuit exemptus à iugo religionis dispensatione Pontificis, quæ, renunciato Episcopatu, non cessat, cùm non cesset causa talis dispensationis, scilicet dignitas Episcopalis, & perfectior status: Rodoriquez *tom. 3. quæst. regular. q.52. art. 26.* & Sanchez *lib.6. moral. cap.6. n.19.* qui subdit, idem dicendum esse, si prædictus Episcopus religiosus propter culpam suam deponeretur ab Episcopatu; quamuis contrarium sentiant alij cum Syluestro *verbo religio 4.* circa finem, ea eo, quod per dispositionem redditur indignus priuilegiis suæ dignitatis; At quidquid sit de hoc, saltem erit apostata, si non redeat ad religionem, quotiescumque fuisset degradatus; quia per degradationem exuitur omnibus priuilegiis Episcopali dignitati concessis. Doctores, quos sequitur etiam idem Sanchez vbi suprà *num. 31.*

16 Aduerte quartò, quod apostatæ bona post ipsius mortem pertineant ad Cameram Apostolicam, ex Constitutione Gregorij VIII. quæ incipit *Officij nostri*: Quamuis, si redeat is posteà ad religionem, bona, quæ secum portauerit, pertineant ad ipsam religionem, tam in vita, quàm post mortem ipsius, qui fuit apostata; quia apostata, etiam in apostasia existens, cùm tunc etiam sit verè religiosus, acquirit religioni; Et ex alio Capite prædicta Constitutio Gregorij XIII. applicans apostatæ bona ad Cameram Apostolicam, loquitur, si apostata moriatur extra claustra religionis. Rodoriq. *tom. 1. quæst. regular. q. 30. art. 12. §. sed contra,* Portell. *in dub. regular. verbo apostata, num. 17.* & alij passim.

17 Et quod dixi in casu, quo apostatæ bona pertineant ad Cameram Apostolicam, vel pertineant ad religionem, intellige etiam si ea apostata acquisiuerit illicitè contra Canones, non tamen iniustè contra Iustitiam; quia tunc retinenda erunt ei, cui facta fuit iniuria; Portell. *loco suprà citato,* & alij communiter.

18 Aduerte quintò, quod Apostasia à religione sit casus reseruabilis à Superioribus religionum, ex Clementis VIII. Decreto de casuum reseruatione, quod Decretum est simul cum Decretis pro reformatione Regularium à sacra Congregatione sub Vrbano VIII. approbatis, quæ habentur cum aliis Decretis de apostatis, & eiectis, vbi inter alios casus reseruabiles à prædictis Superioribus religionum expressè ponitur in his verbis: *Apostasia à religione, siue habitu dimisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu Conuentus fiat egressio.*

Aduerte sextò, quod si prædictum apostasiæ peccatum fuerit in aliqua religione reseruatum; nemo ab ea absoluere possit, nisi Prælatus, qui reseruauit, vel Superior, vel Successor, vel Delegatus ipsius: quia hoc importat essentialiter casuum reseruatio; ita vt ad prædictam absolutionem quidquam non iuuent Priuilegia religionum, Iubilæum, Bulla Cruciatæ, vel quid simile; quia prædictæ reseruationi nullum istorum quidquam præiudicat. 19

Si verò idem apostasiæ peccatum non fuerit in aliqua religione reseruatum, tunc potest ab illo absoluere quicumque communis Confessarius in Monasterio, seu Conuentu pro religiosis absoluendis communiter deputatus.

Cæterùm quoad absolutionem à censuris, & quoad dispensationem ab Irregularitate, aliisque pœnis, quæ per apostasiam è religione contrahuntur; item quoad alia, & etiam quoad hæc eadem, quæ modo dicebam, vide infrà *petit. 8.* & diffusius *dubit. 236.*

Apostasia ab obedientia, quamuis si latè sumatur, in omni peccato mortali subsit, S. Thom. *cit. art. 1.* & Syluest. *vbi suprà num. 3.* iuxta illud *Ecclesiast. 10. Initium superbiæ hominis apostatare à Deo*: & Prouerb. 6. *Homo apostata vir inutilis.* Strictè tamen sumpta, solùm est: cùm quis iustis præceptis Superioris se opponit, obedire penitus recusans, cuius præcipua species dicitur schisma, de quo infrà dicetur. 20

Apostasia à Fide, quæ omnium grauissima est, dupli- 21
citer considerari potest: Primò, in ordine ad terminum,
à quo, quatenus est recessus à vera fide, & sic differt
ab hæresi, tanquam quid maius à minore, vel tanquam
quid extensius à minus extenso: quia apostata dici-
tur, qui Christum, & fidem Christianam, quam susce- 22
pit, penitus abnegat: Hæreticus verò non penitus, sed 23
secundùm vnum, vel aliquot articulos: Quapropter 24
omnes pœnæ, quæ in iure hæreticis Decretæ reperiun-
tur, etiam ab apostatis incurruntur, non autem è contra,
sicuti dicebam *dubit. 12. coroll. 3.* vbi etiam enumera-
bam pœnas apostatis, & hæreticis, tam iure Canoni-
co, quam ciuili decretas. Secundò, in ordine ad ter-
minum ad quem, de quo dicam infrà *sectione 2. petitione prima.*

Suppono secundò, quod schisma in præsenti sumitur pro scissione ab Ecclesia, eiusque Capite; quia, cùm Ecclesia sit vna, ac proinde indiuisa, constans ex fidelibus, tanquam membris, & ex Christo, eiusque Vicario tanquam Capite, qui se ab huiusmodi membris, vel Capite separat, schismaticus est. 25

Suppono tertiò, quod ab Ecclesia dupliciter te potes separare, iuxta duplicem vnionem, quam Ecclesia in se habet. Primò, deserendo fidem, quæ vnica est in Ecclesia, & tunc es hæreticus & schismaticus: quia à præcipua Ecclesiæ vnitate, quæ desumitur à fide, te separas. Secundo, deserendo Ecclesiæ vnitatem, quam fideles omnes inter se habent cum suo Capite, tam in Sacramentis, & cultu diuino, quàm in subiectione & subordinatione ad suum Caput: quia si Sacramentorum vsum contemnis, & religiosum cultum omittis, & Christi Vicario tanquam vero Capiti te non subiicis, hoc ipso non communicas cum reliquis fidelibus, sed potiùs ab illorum communione te separas, ac proinde schisma committis. Requiritur igitur ad verum schisma rebellio in Pontificem, vel Ecclesiam: quæ rebellio in eo consistit, vt verbis, vel factis ostendas, te nolle 26 27 28 29

Eccle

Ecclesiam, vel Pontificem, qua talis est, recognoscere, S. Thomas 2. 2. *q*, 39. *art*. 1. quem sequuntur communiter Doctores: Et videri poterit Farinac. *de hæres. q*. 184. *n*. 2. *& seqq*.

30 Suppono quartò, quod dupliciter etiam potes te à
subiectione Pontificis, & vnitate Ecclesiæ separare;
31 Primò directè: Secundò indirectè. Directè te separas,
32 cùm expressè, & formaliter intendis non recognoscere
Pontificem vt Superiorem. Indirectè, cùm facto ipso ostendis non recognoscere, vt si v.g. præsumas absque debita authoritate congregare Concilia generalia, vel ea, postquam per legitimam authoritatem dissoluta sunt, prosequi, Caietan. *cit. q*. 39. *art*. 1. Suar. *de Charit. disput*. 12. *sect*. 1. *num*. 2. & Sanchez *lib*. 2. *moralium cap*. 36. *num*. 5.

33 Idem contingere videtur Catholicis in Anglia Regi exhibentibus obedientiæ signa, quibus testantur, eum esse Christi Vicarium in Spiritualibus. Quamuis interiùs non credant. Quia seiunctio ab vnitate Ecclesiæ, eiusque obedientia in opere ipso externo contingit, ac proinde, esto non sint hæretici, verè tamen sunt schismatici. Suarez *de censur. disp*. 21. *sect*. 2. *n*. 13. & Sanch. *lib*. 2. *cap*. 3. *num*. 14.

34 Suppono quintò, quod rursus quælibet ex his scissionibus tam directa, quàm indirecta, potest dupliciter contingere. Primò cum hæresi: Secundò sine hæresi. Cum hæresi contingit, si quando te subtrahis ab
35 obedientia Pontificis, & vnitate Ecclesiæ, negas Pontificis Prælationem, vel vnitatem Ecclesiæ. Sine hæresi contingit, quando & Pontificis Prælationem, & Ec-
36 clesiæ vnitatem recognoscis, ex malitia tamen non vis illi subiici, & in hac subiectione cum reliquis membris Ecclesiæ communicare, Tolet. *lib*. 1. *excommunic*. 1. *Bull. Cœn*. Sanchez *loco suprà cit. n*. 8. & Farinac. *de hæres. q*. 184. *n*. 2. His suppositis.

37 Respondetur: Schismatici sunt quicumque ab vnitate Ecclesiæ & suo Capite se separant. Patet ex dictis: Et videri poterit, præter Doctores suprà citatos, Sayr. *lib*. 3. *Thes. cap*. 5. *num*. 18. *& seqq*. & Bonacina *disp*. 3. *quæst*. 4. *punct. vltim*. §. 5. *& tom*. 3. *de censur. in partic. disp*. 1. *q*. 2. *punct*. 5. *per totum*.

38 Aduerte tamen hic, quod schisma non necessariò requirat separationem à Pontifice, cùm schisma etiam Sede vacante committi possit: Nam sufficit, esse separationem ab vnitate, quam fideles habent inter se, & cum Christo Capite. Valent. *disput*. 3. *q*. 15. *punct*. 1. Coninch. *disp*. 30. *dub*. 3. *num*. 41.

39 Aduerte secundò quod schisma sit grauissimum peccatum Charitati contrarium, ita vt non possit esse leue ratione leuitatis materiæ: Nam leue esse non potest, quod te seiungas ab vniuersa Ecclesia, & Superiorem illius non recognoscas, etiam in re leuissima; cùm summa arrogantia sit ista, & Ecclesiæ Dei grauissimus contemptus. Valent. *loc. cit. punct*. 2. & Bonacina *vbi suprà*.

SECTIO II.

COROLLARIA:

SVMMARIVM.

1 *Schismaticus non est, si seiungat se ab vnius Episcopi & Cleri communicatione: Dummodo simul cum aliis Ecclesiis, & Pontifice communicet. Implicitè tamen schismaticus est, si Episcopus & Clerus cum aliis Ecclesiis & Pontifice communicet in illa re.*

2 *Seiungens se ab Episcopo suo, vel particulari aliqua Ecclesia, volens interim subiectus esse Summo Pontifici, & cum aliis membris Ecclesiæ vniuersalis communicare, probabilius est, quod non sit schismaticus, contra Bellarminum: vel si sit, non propriè, sed ad summum secundùm quid, & impropriè.*

3 *Schismaticorum Canonicas pœnas neque incurrit.*

4 *Schismaticus neque est, qui Pontificis aliquod mandatum non implet, eo quod ei videatur durum; vel extra Pontificis potestatem, vel non impleat in odium, & vindictam Pontificis; quia cum hac inobedientia restat recognitio prælationis Pontificia, ac proinde debita illi in aliis materiis subiectio.*

5 *Schismaticus neque est subtrahens se ab obedientia Pontificis, quem probabiliter putat talem non esse: quia tunc non peccat; cùm non teneatur obedire Superiori, nisi priùs morali certitudine nouerit, esse illum Superiorem: Immò potiùs faceret schisma, si dubio Pontifici se subiiceret.*

6 *Ecclesia non tenetur recipere vt Pontificem illum, eique vt Pontifici obedire, si de illius canonica electione non satis constet.*

7 *Pontifex, de cuius canonica electione non satis constat, non potest cogere subditos, vt sibi obediant; quin potiùs tenetur ille iuri suo dubio cedere ad*
8 *hoc, vt Ecclesia de Pastore sibi prouideat. Pastorem enim non habet, dum dubium Pastorem habet.*

9 *Pontifex aliquando, etiamsi de eius canonica electione prudenter dubitari non possit, adhuc obligatus est cedere iuri, quod habet, & renunciare Pontificatui, si alia via cognoscit, Ecclesiam non esse pacem habituram; quia officium boni Pastoris est, animam, nedum honorem, & auctoritatem ponere pro ouibus suis.*

10 *Schismaticus neque est, si dominium Pontificis in aliquod Oppidum, vel aliquam Ciuitatem non recognoscat, & ob illam causam eius mandatis obedire nolit: quia hæc non est seiunctio ab vnitate Ecclesiæ, eiusque Capite, quatenus Ecclesiæ Caput est.*

11 *Schismaticus neque est, si peccet mortaliter: quia per hoc non se seiungit ab vnitate Ecclesiæ: Nam vnitas Ecclesiæ consistit in fide, & Sacramentorum vsu, cum debita ad Christum, eiusque Vicarium subiectione.*

12 *Schismaticus neque est, si excommunicetur: quia per hoc non seipsum separat: sed potius separatur à communione fidelium.*

13 *Schisma committitur, cùm quis se separat ab vnitate Ecclesiæ, prout illa est corpus mysticum ex diuersorum statuum fidelibus tanquam membris inter se, & cum eius Capite Christo; eiusque in Terris Vicario connexis.*

14 *Duplex etiam ex dictis schisma dicitur.*

15 *Vnum, cùm quis se separat ab Ecclesiæ visibili Capite, seu Summo Pontifice, denegando debitam obedientiam, ac subiectionem illi, qua Pontifex, idest; qua fungens vniuersali potestate gubernandi Ecclesiam à Christo concessa, &c.*

16 *Alterum schisma est, cùm quis se separat à reliquis Ecclesiæ membris; siue fidelibus in Religionis cultu, oratione, sacramentis, aliisque spiritualibus functionibus, atque seorsim per se; vel cum aliis agit, tanquam si Ecclesiæ membrum non sit, &c.*

17 *Schisma est purum, vel iunctum cum hæresi, ex dictis.*

18 *Schisma purum Charitati tantum oppositum contingit in eo, qui cum credat, vnam esse sanctam Ecclesiam sub visibili Capite Summo Pontifice constitutam; Tamen ex malitia voluntatis renuit Pontifici subiectus, vel reliquis Ecclesiæ membris vnitus esse, &c.*

19 *Ad schisma non requiritur directa, seu expressa intentio se subtrahendi à Pontificis obedientia, vel aliorum membrorum communione; sed suffi-*

ficit indirecta, & interpretatina.

20 *Discrimen inter peccatum hæresis,& schismatis est, quod hæresis in mente interna perficitur, & exterius solùm significatur, &c. At verò schisma externo opere consummatur, ideoque sufficit ad illud voluntarium indirectum.*

21 *Schisma iunctum cum hæresi est, si quis pertinaci animo neget Summum Pontificem totius Ecclesiæ Caput, & Pastorem esse, vel si neget Ecclesiæ sanctæ communionem, &c.*

22 *Fide ruente, ruit etiam Charitas, non autem è contra: Ita hæresis secum trahit schisma, non autem è contra: Quapropter omnis hæreticus verus, ac formalis, est schismaticus.*

23 *Schismaticus verus omnis non est hæreticus, quamuis sit quidem in via, seu dispositione ad hæresim: Quandoquidem schismatici non diu puri manent, sed nisi resipiscant, in hæresim etiam labi consueuerunt.*

24 *Schisma merè internum, præsertim si sit purum, & in sola voluntate consistens, non est propriè dictum schisma, neque qui eo infectus est, propriè scismaticus dicitur;cum & secundùm fidem internam Ecclesiæ membrum existat.*

25 *Hæreticorum occultorum alia ratio, quia isti amissa fide, verè præcisi sunt ab Ecclesia, licet exteriori specie membra Ecclesiæ videantur: Fides enim, & Communio requiritur, vt quis Ecclesiæ membrum existat.*

1 Ex dictis sequitur, quod schismaticus non sis, si te seiungas ab vnius Episcopi, & Cleri communicatione, dummodò simul cum aliis Ecclesiis, & Pontifice communices; quia non te seiungis ab vnitate Ecclesiæ; quamuis si ille Episcopus, & Clerus cum aliis Ecclesiis, & Pontifice communicet in illa re, in qua tu communicare non vis, schismaticus sis, si ab illius communicatione, vel obedientia te seiungas; quia implicitè te seiungis ab vnitate Ecclesiæ, cùm tunc tota Ecclesia tibi resistat: Valent. *loco suprà cit.* Coninch. *disput.*30. *dub.*5. *num.*40. & Farinac. *de hæres. q.* 184. *num.*27. *& seqq.*

2 Si igitur ab Episcopo tuo, vel particulari aliqua Ecclesia te seinngis, interim volens subiectus esse Summo Pontifici, & cum aliis membris Ecclesiæ vniuersalis communicare: quamuis nonnulli, vt Bellarminus *lib.* 3. *de Eccles. cap.* 5. *in fine*, affirment, te schismaticum esse: Probabiliùs tamen, præter supradictos Doctores, negant Vgolin. *de censur. Pap. reseruat. part.* 2. *cap.* 1. *vers. nec non schismatici*, *n.* 3. Azor. *tom.*1. *lib.*8. *cap.*20.

3 *q.*4. & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 36. *num.*6. Ita vt ad summum solùm sis schismaticus secundùm quid, & impropriè, ideoque schismaticorum canonicas pœnas non incurras; Non autem propriè. Ratio est, quia schisma propriè, ac simpliciter, vti dicebam, significat separationem ab Ecclesia vniuersali, eiusque visibili in Terris Capite, seu Pastore; sed certum est, quod possit quis ex maligno affectu se seiungere ab Ecclesia sua particulari, eiusque Pastore, interim intendens, ac palam protestans, se manere in communione Ecclesiæ vniuersalis, & sub obedientia Summi Pontificis: Ergo talis non erit propriè, ac simpliciter schismaticus, cùm adhuc Ecclesiæ vniuersalis membrum permaneat.

4 Sequitur secundò, quod neque sis schismaticus, si Pontificis mandatum non imples, eo quod tibi videatur durum, vel extra Pontificis potestatem, vel non impleas in odium, & vindictam Pontificis; quia cum hac inobedientia restat recognitio prælationis Pontificiæ, ac proinde debita illi in aliis materiis subiectio; aliàs quilibet transgressor Ecclesiastici præcepti schismaticus esset, quod non est dicendum. S.Thom. 2. 2. *q.* 39. *art.*1. Caietan. *ibidem dub.* 2. Bannez *circa finem*, S.Antonin. *part.*2. *tit.* 3. *cap.*11. *§.* 6. *&* 10. Syluest. *verb. schisma, in principio*, Azor. *tom.*1. *lib.*8. *cap.*20. *q.*4. Vgolin. *de censur. Papæ reseruat. part.* 2. *cap.* 1. *vers. necnon schismatici, num.*4. Simancha *de Cathol. institut. tit.* 58. *n.*9. Valentia *q.* 15. *punct.* 1. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 36. *num.* 3. Coninch. *disput.* 30. *dub.* 5. *num.* 42. Farinac. *de hæres. quæst.* 184. *n.* 11. & Bonacina *disput.* 3. *q.* 4. *punct. vlt. §.* 5. *num.* 2. *& tom.* 5. *de censur. in partic. disp.* 1. *q.* 2. *punct.* 5.

Sequitur tertiò, quod neque sis schismaticus, si te subtrahis ab obedientia Pontificis, quem probabiliter putas talem non esse; quia tunc non peccas: cùm non tenearis obedire Superiori, nisi priùs morali certitudine noueris, esse illum Superiorem. Immò potiùs foueres schisma, si dubio Pontifici te subiiceres: quapropter, cùm quis in Pontificem est electus, si de illius canonica electione non satis constat, non tenetur Ecclesia illum vt Pontificem recipere, illique, vt Pontifici, obedire: Et consequenter neque ipse poterit munus Pontificis exercere; cùm ad hoc munus necessariò spectet, posse cogere subditos, vt sibi obediant; Quia potiùs tenetur ipse iuri suo illi dubio cedere, ad hoc, vt Ecclesia de Pastore sibi prouideat: Pastorem enim non habet, dum dubium Pastorem habet. Videri poterunt Doctores, quos suprà citabam, & præcipuè Coninch. *disp.* 30. *dub.* 5. *n.* 45. vbi subdit, quod aliquando Pontifex etiamsi de eius canonica electione prudenter dubitari non possit, adhuc obligatus sit cedere iuri, quod habet, & renunciare Pontificatui, si alia via cognoscit, Ecclesiam non esse pacem habituram; quia officium boni Pastoris est, animam, nedum honorem, & authoritatem ponere pro ouibus suis, *Ioan.* 10.

Accedit, quod quilibet pro bono communi tenetur proprium expendere; Ergo multo magis tenebitur Pontifex expendere authoritatem Pontificiam pro pace Ecclesiæ, quæ bonum commune quàm maximum est.

Sequitur quartò, quod neque sis schismaticus, si dominium Pontificis in aliquod Oppidum, vel aliquam ciuitatem non recognoscas, & ob illam causam eius mandatis obedire nolis; quia hæc non est seiunctio ab vnitate Ecclesiæ, eiusque Capite, quatenus Ecclesiæ Caput est. Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. & Bonacin. *in loc. suprà cit.*

Sequitur quintò, quod neque sis schismaticus, si pecces mortaliter: quia per hoc non te seiungis ab vnitate Ecclesiæ: Nam vnitas Ecclesiæ consistit in fide, & Sacramentorum vsu, cum debita ad Christum eiusque Vicarium subiectione, Bonacina *disput.* 3. *q.* 4. *punct. vltimo*, *& tom.* 5. *de censur. in partic. disput.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. Sayr. *lib.* 3. *Thes. cap.* 5. *num.* 18. *& seqq.* Reginald. *lib.* 9. *num.* 258. & Farinac. *de hæres. quæst.* 184. *num.* 25.

Sequitur sextò, quod neque sis schismaticus, si excommunicetis; quia per hoc non te separas ipse, sed potiùs separatis à communione fidelium. Bonac. Sayr. Reginald. & Farinac. *in locis suprà cit.*

Breuiter igitur ex dictis schisma committitur, cùm quis se separat ab vnitate Ecclesiæ, prout ille est corpus mysticum ex diuersorum statuum fidelibus, tanquam membris inter se, & cum vno Capite Christo, eiusque in Terris Vicario connexis; de quo corpore Apostolus 1. *ad Corinth.* 12. *ad Ephes.* 4. *ad Colossens.* 2. *& ad Roman.* 12. ait: *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, alter autem alterius membra.*

Duplex autem ex dictis etiam schisma est, & testatur S.Thomas *quæst.* 39. *art.* 1. iuncto Caietano *ibidem*, *§. aduerte.*

Vnum, cùm quis se separat ab Ecclesiæ visibili Capite, seu Summo Pontifice, denegando debitam obedientiam, ac subiectionem illi, qua Pontifex, idest, quà fungens vniuersali potestate gubernandi Ecclesiam à Christo concessa: Nam, si quis Pontifici obedire recuset

recuset ratione rei præceptæ, quòd ea difficilis sit, in aliis obedire paratus: vel ratione offensionis, quam ob specialem causam aduersus hunc Pontificem habet, alioquin contra ipsam Sedem, seu potestatem Pontificiam non rebellis: vel quia probabiliter arbitratur, non esse hunc verum Pontificem, vel saltem rationabiliter dubitat, schismaticus censeri non debet, vti supra dicebam.

16 Alterum schisma est, cùm quis se separat à reliquis Ecclesiæ membris, siue fidelibus in Religionis cultu, Oratione, Sacramentis, aliisque spiritualibus functionibus, atque seorsim per se, vel cum aliis agit, tanquam si Ecclesiæ membrum non sit.

Quamuis, cùm Caput, & aliqua Ecclesiæ membra inter se connexa, & subordinata sint, is qui à membris Ecclesiæ expressa voluntate se separat, virtualiter quoque à Capite se separet: Et è contra, vti etiam supra dicebam, & testatur Cyprianus relatus *in cap. scire debes 7. quæst. 1.*

17 Item ex dictis schisma est purum, vel iunctum cum hæresi.

18 Purum schisma Charitati tantùm oppositum, contingit in eo qui cùm credat, vnam esse Sanctam Ecclesiam sub visibili Capite Summo Pontifice constitutam, tamen ex malitia voluntaris renuit Pontifici subiectus, vel reliquis Ecclesiæ membris vnitus esse. Idque vel sola intentione (quod est schisma merè internum) vel etiam operis executione; cùm quis exteriùs se gerit, ac si non esset Ecclesiæ membrum, vel in spiritualibus Pontifici subiectus (quod est schisma externum, &

19 opere consummatum.) Neque tamen ad schisma requiritur directa, seu expressa intentio se subtrahendi à Pontificis obedientia, vel aliorum membrorum communione, sed sufficit indirecta, & interpretatiua: si scilicet quis externum opus schismatis exerceat, quamuis non ex formali intentione se separandi ab Ecclesia, vel membris illius: vt si Episcopi generalem Synodum absque Summi Pontificis authoritate congregare præsumant: vel si Catholici, verbi gratia, in Anglia Regi suo in spiritualibus, tanquam Ecclesiæ Capiti obedientiam iurent, aut præstent, sicut etiam supra dicebam.

20 Hinc intelligitur discrimen inter peccatum hæresis, & schismatis: quòd hæresis in mente interna perficitur, & exteriùs solum significatur; ideoque requirit actualem, eumque pertinacem errorem intellectus contra fidem. At verò schisma externo opere consummatur, ideoque sufficit ad illud voluntarium indirectum, & interpretatiuum: sicut & ad homicidium, furtum, & alia eiusmodi peccata.

21 Schisma verò iunctum cum hæresi est, si quis pertinaci animo neget, Summum Pontificem totius Ecclesiæ Caput, & Pastorem esse, vel si neget Ecclesiæ sanctæ communionem, atque ideò se separat.

22 Hinc sicuti ruente Fide, ruit etiam Charitas, non autem è contra: ita hæresis secum trahit schisma, non autem è contra. Quapropter omnis hæreticus verus, ac formalis est schismaticus, teste Augustino *lib. contra Crescentium*, vbi hæresim appellat schisma inueteratum.

23 Non item omnis schismaticus verus ac formalis est etiam hæreticus. Quamuis sit quidem in via, seu dispositione ad hæresim. Quandoquidem schismatici non diu puri manent, sed nisi resipiscant, in hæresim etiam labi consueuerunt. Hieronymus relatus *in cap. inter hæresim 24. q. 3.* S. Thomas *cit. art. 1. ad 3.* & alij communiter. Cuius rei exemplum habemus in Nonatianis, & Græcis.

24 Hinc secundò schisma merè internum, præsertim si sit purum, & in sola voluntate consistens, non est propriè dictum schisma, neque qui eo infectus est, propriè schismaticus dicitur. Cùm & secundum fidem internam Ecclesiæ membrum existat, & externa specie ab

25 Ecclesia non separetur. Alia verò ratio est de occultis hæreticis. Isti enim, amissa fide, verè præcisi sunt ab Ecclesia, licet exteriori specie membra Ecclesiæ videantur. Nam cùm Ecclesia sit fidelium visibilis congregatio, fit, quod duo necessaria sint, vt quis Ecclesiæ membrum existat, fides, ac communio. Defectu fidei in Ecclesia non sunt hæretici: Defectu autem communionis in Ecclesia non sunt schismatici externi, cùm à communione Ecclesiæ segregati sint.

PETITIO PRIMA.

Quinam sit propriè apostata à fide?

SVMMARIVM.

1 *Apostata à fide propriè est qui à tota Fide Christiana recedit, & ad alias religiones, seu sectas se transfert, vt Iudæorum, Turcarum, Paganorum, vel Atheistarum.*

2 *Apostatæ de essentia est recedere solùm à fide, & ad hanc, vel illam sectam accedere solùm est accidentale, ex Valentia, & Sanchez.*

3 *Christianus si recedat à pluribus articulis fidei, non tamen ab omnibus, & retineat nomen Christianum, non est propriè apostata à fide, sed propriè hæreticus.*

4 *Apostata propriè neque est, qui relicto Iudaismo transit v.g. ad Paganismum, cùm nunquam receperit fidem, à qua recedere dici possit.*

5 *Apostasia non est peccatum essentialiter, seu specie distinctum ab hæresi, quia apostata recedit à tota fide, hæreticus autem recedit à parte fidei; sed ab eo, quod semel susceptum est, recedere magis vel minus, non mutat essentiam, seu speciem.*

6 *Ex pœnarum diuersitate impositarum hæresi, ac apostasiæ non infertur necessariò distinctio inter hæresim, & apostasim essentialis, seu specifica, sed solùm accidentalis, seu materialis.*

7 *Pœnitens his non obstantibus, hanc apostasiæ circumstantiam in Sacramento Confessionis explicare debet, secundum aliquos: id tamen verum est in sententia solùm eorum, qui tenent in Sacramento Confessionis esse explicandas, non tantùm circumstantias mutantes speciem; sed etiam circumstantias notabiliter aggrauantes.*

8 *Contra hæreticum defunctum procedi potest vsque ad triginta annos ad eius memoriam damnandam, & ad eius bona confiscanda, sed de apostata secus disponitur, cùm licet contra ipsum procedi possit toto tempore quo vixerit, non tamen procedi poterit postquam mortuus fuerit, nisi solùm intra spatium quinque annorum.*

9 *Contra hæreticum defunctum, ex aliis procedi potest solùm infra quinque annos, & non vltra: & contra apostatam defunctum procedi potest vltra quinque annos, & contrarium in iuribus quæ citantur, non habetur.*

10 *Hinc inferri non potest, quòd hæresis, & apostasia sint inter se peccata essentialiter, seu specie distincta; quia vt dictum est, ex diuersitate pœnarum, quæ aliquando in aliquo casu imponuntur hæresi, & apostasiæ, non necessariò infertur distinctio inter hæresim, & apostasiam essentialis, seu specifica; sed solùm accidentalis, seu materialis.*

11 *Idem recurrit argumentum, & pari modo soluitur.*

12 *Apostatæ ad Fidem Catholicam redeunti remittitur etiam pœna mortis non solùm iure canonico; sed etiam iure ciuili: non tamen iure ciuili remittuntur quædam alia pœna, scilicet vt possit testamentum condere, possit testimonium ferre, possit hæres institui, & in hæreditatem succedere.*

13 *Leges ciuiles non loquuntur de foro conscientiæ, cùm nullum*

nullum peccatum sit adeò graue, quod per pœnitentiam non remittatur; sed solùm loquuntur de pœnis, quæ hæreticis, & apostatis imponuntur in foro externo.

14 *Apostata ad fidem catholicam redeunti, ex praxi condonatur, remittitur, & ignoscitur: legibus enim ciuilibus iam derogatum est per leges canonicas.*

15 *In crimine hæresis, & apostasiæ, cùm ad Episcopos, & Inquisitores pertinet de isto cognoscere, potius leges canonicæ, quam ciuiles attendi debent.*

1 RESpondetur: Qui à tota fide Christiana recedit, & ad alias Religiones, seu sectas, vt Iudæorum, Turcarum, Paganorum, Atheistarum se confert, *leg.* 1. 2. & *penultima, Cod. de apostat. cap. contra Christianos, de hæretic. in* 6. *cap. non potest* 2. *quæst.* 7. *cap. iubemus* 11. *q.* 3. & tradunt Innocent. *in cap. de apostat. n.* 1. Ostiens. *ibidem, vers. prima est.* Butrius *num.* 4. Henricus *num.* 1. Soccinus *num.* 3. Ananias *in princ.* Albericus *in leg. si quis de facto, de apostat. num.* 1. Rosella *verb. apostasia, in princ.* Menoch. *de arbitrar. casu* 546. *n.* 63. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 71. *n.* 4. & *cap.* 71. Toletus *lib.* 4. *cap.* 6. *n.* 1. Turrianus *de fide disput.* 57. *dub.* 1. *in princ.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *q.* 1. Valentia *tom.* 3. *disput.* 1.
2 *q.* 12. *punct.* 1. & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 16. Qui duo postremi Doctores rectè subdunt, quod de essentia apostatæ sit recedere solùm à fide. At ad hanc, vel ad illam sectam accedere, solùm esse quid accidentale: cùm possit quis esse propriè apostata, si solùm recedat a fide absque eo quod ad vllam sectam accedat.

3 Ex dictis sequitur, quod si Christianus recedat à pluribus Articulis fidei, non tamen ab omnibus, & retineat nomen Christianum, non sit propriè apostata à fide, sed propriè hæreticus, *cap. Non potest* 2. *q.* 7. *cap. Beatus* 2. *q.* 4. *cap. Non obseruetis* 16. *q. vlt. cap. contra Christianos, de hæretic. in* 6. *l.* 1. *Cod. de apostat.* & tradunt Alberic. *in rubr. de hæret. lib.* 6. *quæst.* 11. *num.* 4. Paul. Ghirland. *de hæretic. quæst.* 2. *num.* 8. Ludouic. Carrer. *de hæretic. §. circa secundum, n.* 73. Canus *de loc. theolog. lib.* 12. *cap.* 9. Villadiego *de hæretic. q.* 10. & Simanch. *de cathol. instit. cap.* 7.

4 Sequitur secundò, quod si quis relicto Iudaïsmo, transeat v. g. ad Paganismum, cùm nunquam receperit fidem, à qua recedere dici possit; neque etiam sit propriè apostata, Campeg. *de dote q.* 77. *vers. & ex his.* Albericus *in rubr. Cod. de Iudæis, n.* 3. Clarus *in prax. crimin. § final. q.* 7. *n.* 4. & Oldrad. *cons.* 55.

5 Sequitur tertiò, quod apostasia non sit peccatum essentialiter, seu specie distinctum ab hæresi, Caietan. 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. & *q.* 11. *art.* 1. Castro *lib.* 1. *de iust. hæreticor. punit. cap.* 7. Pegna *in director. part.* 2. *q.* 49. *comment.* 74. Syluest. *verb. apostasia, in princ.* Bannez 2. 2. *q.* 12. *art.* 1. Valentia *tom.* 3. *disput.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. & *q.* 12. *punct.* 1. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 16. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *quæst.* 3. & Becanus *de fide disput.* 57. *dub.* 1. contra Canum *lib.* 12. *de loc. theolog. cap.* 9. Turrecremata in *summa lib.* 4. *part.* 2. *cap.* 13. Simancham *de cathol. institut. tit.* 7. *n.* 5. Suarez *de fide disput.* 16. *sect.* 5. *circa finem*, & alios, quia apostata recedit à tota fide: hæreticus autem recedit à parte fidei. Sed ab eo quod semel susceptum est, recedere magis, vel minus, non mutat essentiam, seu speciem: Ergo apostasia non est peccatum essentialiter, seu specie distinctum ab hæresi. Tum quia si apostasia distingueretur specie ab hæresi, sequeretur, quod quis per solam multiplicationem hæresum, multiplicando scilicet hæreses, ita vt à tota fide recedat, & apostata fiat; desineret esse hæreticus. Quod non videtur dicendum, cùm non possit quis ob solam multiplicationem furtorum desinere esse fur, vel ob solam multiplicationem homicidiorum desinere esse homicida, & sic de aliis, &c. Tum quia apostasiæ, & hæresi prorsus eædem pœnæ imponuntur, *cap. contra Christianos, de hæret. in* 6. & nos diffusè dicebamus *supra dubit.* 13. *per totam*, præsertim *sect.* 4. quod signum est, quod apostasia non sit peccatum essentialiter, seu specie distinctum ab hæresi. Quapropter iura quæ loquuntur de hæreticis, nisi aliter in specie disponant, comprehendunt etiam apostatas. Doctores communiter, quos sequitur Simancha *de catholic. institution. titulo* 17. *circa finem.*

Adde, quod si aliquando in aliquo casu diuersæ pœnæ imponantur hæresi, ac apostasiæ, ex hac diuersitate pœnarum in aliquo casu non necessariò inferatur distinctio inter hæresim, & apostasiam essentialis, seu specifica, sed solùm accidentalis, seu materialis. 6

Quamuis his non obstantibus, nonnulli, vt Valentia *cit. quæst.* 11. *punct.* 1. *difficult.* 1. & *quæst.* 10. *punct.* 3. *vers. his ita*, & Sanchez *citato cap.* 7. *num.* 17. adhuc velint, quod pœnitens hanc apostasiæ circumstantiam in Sacramento Confessionis explicare debeat: quia licet apostasia, inquiunt ipsi, non distinguatur essentialiter, seu specie ab hæresi, est tamen peccatum multò grauius hæresi, & propterea in Sacramento Confessionis explicandum: quod verum est solùm in sententia eorum, qui tenent, in Sacramento Confessionis esse explicandas non tantùm circumstantias mutantes speciem, sed etiam circumstantias notabiliter aggrauantes. Et addunt, quod in Sacramento Confessionis etiam explicare debeat, ad quam ipse sectam transierit: quod verum esse debet in sententia omnium. Quia cùm Iudaïsmus, Paganismus, & Atheismus sint infidelitates essentialiter, seu specie distinctæ, necessariò sequitur, quod in Sacramento Confessionis explicare debeat speciem sectæ, seu infidelitatis, ad quam ipse transierit, iuxta ea quæ dicebam supra *citata iam Dubitatione decima tertia, sectione quarta in fine.* 7

OBIECTIONES.

Obiicies: Contra hæreticum defunctum procedi potest vsque ad triginta annos, ad eius memoriam damnandam, & ad eius bona confiscanda, *leg. Manichæos, Cod. de hæretic. & leg. quicquam, Cod. ad leg. Iuliam maiestat.* & tradunt Mariana Soccin. *in cap. veniens, de accusation. num.* 149. Grammaticus *decisione* 105. *num.* 2. Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 10. Mascardus *de probation. lib.* 1. *conclusion.* 112. *num.* 29. Pegna *in Directorium part.* 3. *comment.* 42. *vers. his ita positis.* Simancha *de catholic. institution. titulo* 18. *numero* 14. & *in Enchirid. titulo* 62. *num.* 7. Royas *de hæretic. part.* 2. *num.* 193. Paramus *de origine Sanctæ Inquisit. lib.* 3. *quæst.* 4. *in rubr. de forma & ordin. iudiciar. Sancti Officii, num.* 83. Squillacens. *de fide catholic. capit.* 54. *num.* 2. & Carterius *de hæretic. num.* 93. & 142. Sed de apostata secus disponitur, cùm licet contra ipsum procedi possit toto tempore quo vixerit, non tamen procedi poterit postquam mortuus fuerit, nisi solùm intra spatium quinque annorum, *leg.* 2. & *leg. apostatarum, Cod. de apostat.* & tradunt Afflictus *in constitut. Regn. in rubric. de apostatantibus, num.* 3. Henricus *in cap. si quis Episcopus, de hæretic. num.* 5. Ostiensis *in summa de apostatis, num.* 3. *§. qualiter puniantur*, Ananias *in cap.* 1. *de apostatis.* Royas *de hæreticis part.* 1. *num.* 494. Menochius *de arbitrar. centur.* 6. *casu* 146. *num.* 14. Mascardus *de probation. tom.* 1. *conclusion.* 112. *num.* 30. & Petrus Gregorius *syntagmat. iur. lib.* 33. *cap.* 18. Ergo signum est, quod hæresis, & apostasia sint inter se peccata essentialiter, seu specie distincta. 8

Respondent, vt omittam, Salycetum *in leg. Manichæos, Cod. de hæretic. num.* 2. Repertor. Inquisit. *verb. defunctus, vers. sed quæro*, & ibi Mandosium *in addition. litter. D.* Armillam *verb. hæresis, num.* 9. Molinam *de iustit. tom.* 1. *disput.* 73. *versu quarta conclusio*, Decianum *in tractat. criminal. lib.* 5. *cap.* 57. *num.* 12. Zanchinum *de hæretic. cap.* 14. *n.* 5. Tabienam *verbo hæret. cas. num.* 12. Martinum Delrio *lib.* 5. *disquisit. magic. sect.* 19. *circa finem.* Grassium *in decision. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 11. 9

&c

& Carrerium *de hæretic. n.* 141. sentire, quod contra hæreticum defunctum procedi possit solùm infra quinque annos, & non vltra. Et vt omittam, alios sentire, quod contra apostatam defunctum procedi possit vltra quinque annos, & contrarium in citatis iuribus expressè non haberi:) Nego consequentiam. Tum ex eo,
10 quia ex diuersitate pœnarum, quæ aliquando in aliquo casu imponuntur hæresi, & apostasiæ, non necessariò infertur distinctio inter hæresim, & apostasiam essentialis, seu specifica, sed solùm accidentalis, seu materialis, sicuti dicebam supra. Tum ex eo, quia prædictis legibus ciuilibus iam derogatum est per leges canonicas, sicuti dicam infra.

11 Instabis: *in leg.* 3. *Cod. de apostat. & in l. Manichæos, Cod. de hæretic.* condonatur, indulgetur, & remittitur hæretico, si ad fidem catholicam redeat, non verò apostatæ, si similiter idem fecerit: Ergo recurrit argumentum: quod scilicet hæresis, & apostasia sint inter se peccata essentialiter, seu specie distincta.

Respondetur similiter (vt omittam Riminaldum *consil. crimin. diuersor. cons.* 83. *n.* 20 *lib.* 2. & Ricciullum *lib* 6. *de iur. personar. cap.* 4. *n.* 12. *& seqq.* sentire, quod
12 etiam apostatæ ad fidem catholicam redeunti remittatur pœna mortis non solùm iure canonico, sed etiam iure ciuili: non tamen iure ciuili remittantur quædam aliæ pœnæ, scilic. vt possit testamentum condere, possit testimonium ferre, possit hæres institui, & in hæreditatem succedere: & hoc tantùm velle Textus supracitatos. Vt omittam etiam, Accursium *in cit. leg.* 3. *Cod. de apostat.* Afflictum *in constitut. Regn. tit. de apostat. n.* 3. & Nicolaum Arelatensem *de hæretic. notab.* 4. sentire, quod leges supracitatæ non loquantur de foro conscientiæ, cùm nullum peccatum sit adeò graue, quod per pœnitentiam non remittatur, sed solùm loquantur de pœnis, quæ hæreticis & apostatis imponuntur in foro externo: ita vt iuxta dictas leges hæretico ad fidem catholicam redeunti condonetur in foro interno, & externo: apostatæ verò ad eandem fidem catholicam redeunti condonetur solùm in foro interno, seu apud
13 Deum:) Nego etiam consequentiam. Tum ex eo, quia sicuti dicebam, ex diuersitate pœnarum, quæ aliquando in aliquo casu imponuntur hæresi, & apostasiæ, non necessariò infertur distinctio inter hæresim, & apostasiam essentialis, seu specifica, sed solùm accidentalis, seu materialis. Tum ex eo, quia sicuti dicebam, legibus ciuilibus iam derogatum est per leges cononicas, *cap. Quidam, de apostat. & ex cap. Contra Christianos, de hæretic. in* 6. Et quidem sic praxis est, quod apostatæ ad fidem catholicam redeunti condonetur, remittatur, & ignoscatur. Locatus *in Repert. Inquisit. verb. apostata,* Alphons. à Castro *de inst. hæretic. pun. lib.* 1. *cap.* 23. & alij quos sequitur Simanch. *tit.* 6. *de apostat. n.* 4.

15 Et cùm ad Episcopos, & Inquisitores pertineat de crimine isto cognoscere, potiùs leges canonicæ, quàm ciuiles attendi debent, iuxta *cap. Vt Inquisitionis, § prohibemus, de hæretic. in* 6. & tradunt Gloss. *in cap. Possessor, de regul. iur. & in § hactenus, Institut. de consanguin. & affin.* Bartol. *in l. priuilegia, Cod. de sacros. Eccl.* Bald. *ibid. n.* 3. Iason *in l. filium quem habentem, Cod. famil. Erciscund. n.* 28. Abbas *in cap. fin. de 2. nupt. & in cap. final. de rescript.* Felinus *in cap.* 1. *de testib. n.* 1. *& in cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constitut. n.* 42. Royas *de hæretic. part.* 1. *n.* 496. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 7. *num.* 10 & alij communiter. Quapropter rectè dixit Glossa finalis *in cap. vlt.* 29. *distinct.* quod ineptè loquantur ij, qui ad leges, & canones concordandos aiunt aliud esse secundùm leges, & aliud esse secundùm canones: quia cùm ex dictis sit legibus ciuilibus iam derogatum per leges canonicas, talis distinctio ampliùs locum non habet.

PETITIO II.

Quibusnam pœnis puniantur apostatæ à fide?

SVMMARIVM.

1 *Apostata à fide punitur eisdem pœnis, quibus punitur hæreticus, quia & ipse est etiam formaliter hæreticus.*

2 *Apostata à fide est excommunicatus in Bulla Cœnæ Domini, modo ipso quo hæreticus.*

3 *Apostata à fide est irregularis, non solùm si fuerit publicus, & notorius; sed etiam si fuerit occultus, quia consequens est, quod sit etiam irregularis ex hoc ipso, quod hæreticus est irregularis.*

2 *Apostata à fide est infamis, & nullius dignitatis capax, neque promoueri potest ad gradum Doctoratus.*

4 *Apostata à fide punitur pœna confiscationis bonorum.*

5 *Apostata à fide priuatur patria potestate, dominio, iuramento fidelitatis, ita vt scilicet filij, subditi, vassalli sint liberi ab ipsius patria potestate, dominio, & iuramento fidelitatis.*

7 *Apostata à fide repellitur à testimonio ferendo.*

8 *Apostata à fide prohibetur testimonium condere.*

9 *Apostata à fide est incapax hæreditatis, siue ex testamento, siue aliunde delata.*

10 *Apostata à fide non potest vendere, nec alienare, nec donare, &c.*

11 *Apostata à fide punitur pœna mortis, si scilicet sit pertinax, vel relapsus.*

12 *Is qui alicui, vt à fide apostatet, persuadet, punitur similiter pœna mortis, & confiscationis bonorum.*

Respondetur: Eisdem pœnis, quibus punitur hæreticus. Patet ex iis, quæ dicebam supra, & ex iis quæ dicebam *dubit.* 13. *sect.* 4. & docent Innocent. *in cap.* 1. *de apost. n.* 2. Ioan. Andr. *ibid. n.* 4. Hostiensis *num.* 3. Butr. *n.* 7. Ostiens. *n.* 1. Ananias *n.* 4. Caietan. *in summa verb. apostasia*, Valentia *tom.* 3. *disput.* 1. *q.* 11. *punct.* 1. *notabil.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 21. *q.* 7. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 7. *n.* 18. Quia apostata à fide est etiam formaliter hæreticus, vti dicebam. 1

Primò igitur apostata à fide est excommunicatus in Bulla Cœnæ Domini, modo quo excommunicatus est ibidem hæreticus. 2

Secundò apostata à fide est irregularis, non solùm si fuerit publicus, & notorius, sed etiam si fuerit occultus: quia cùm ex dictis sit etiam formaliter hæreticus, consequens est, quod sit etiam irregularis, ex hoc ipso quod hæreticus est irregularis, *cap.* 2. *§. hæretici, de hæretic. in* 6. 3

Tertiò apostata à fide est infamis, & nullius dignitatis capax. Goffred. *in summa de apostat. n.* 3. quatenus ait, apostatam esse infamem, & non esse promouendum nec ad ordinem, nec ad dignitatem. Syluest. *verb. apostasia, n.* 2. quatenus ait, apostatam esse infamem, & reiici à dignitatibus. Ananias *in rubrica de apostatis, num.* 1. & Afflictus *in constit. Regn. de hæretic. rubr.* 3. *num.* 16. quatenus asserunt, apostatam non esse capacem vllius dignitatis, nec posse promoueri ad gradum Doctoratus. Diaz *in pract. crimin. canon. verb. apostata, cap.* 111. *num.* 2. quatenus docet, apostatam non posse admitti ad dignitatem: & alij passim. 4

Quartò apostata à fide punitur pœna confiscationis bonorum, *l.* 1. *Cod. de apostat.* ibi: *Facultates eiusdem dominio fisci iubemus vindicari.* & notant ibi Salycet. *in summ.* Odofredus *n.* 1. Clarus *in Pract. § finali, q.* 72. *num.* 4. Afflictus *in constitut. Regn. de hæretic. citata rubrica* 3. *de apostat. n.* 5. & alij communiter. Vide quæ dicam infra *petit.* 5. 5

6 Quintò apostata à fide priuatur patria potestate, dominio, & iuramento fidelitatis, ita vt scilicet, filij subditi, & vassalli sint liberi ab ipsius patria potestate, dominio, & iuramento fidelitatis. S. Thomas 2. 2. q. 12. *art.* 2. Banez *ibidem*, *vers. circa vltimam conclusionem*. Syluest. *verb. apostasia, n.* 11. & alij communiter, quos sequitur Menochius *de arbitr. lib.* 2. *centur* 6. *casu* 546. *n.* 8. *&* 9. Requiritur tamen sententia declaratoria Iudicis. Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 71. *n.* 6. Lælius Zecch. *in summa part.* 1. *tit. de fide, cap.* 24. *rubr. de apostasia, num.* 4. & alij, quos sequitur Farinac. *de hæresi q.* 183. §. 4. *num.* 59.

7 Sextò apostata à fide repellitur à testimonio ferendo, *l. hi qui, verb. à testimoniis, Cod. de apostat.* & docent communiter Doctores, quos sequitur Azor. *in summa de apostatis, n.* 3.

8 Septimò, apostata à fide prohibetur testamentum condere, *l. si quis defuncto, Cod. de apostat. l. hi qui. & l. apostatarum, §.* 1. *& §. finali, Cod. eodem.* & tradunt Angelus *verb. apostasia, in principio*, Syluester *eodem verb. num.* 2. Armilla *num.* 3. & Repertor. Inquisit. *verf. sed apostata.*

9 Octauò apostata à fide est incapax hæreditatis, siue ex testamento, siue aliunde delatæ, *l. hi qui, Cod. de apostatis.* & docent ibi communiter Doctores, quos sequitur Salycetus *num.* 1. & Petrus Gregor. *syntagm. iur. lib.* 33. *cap.* 8. *num.* 17.

10 Nonò apostata à fide non potest vendere, nec alienare, nec donare, &c. *l. apostatarum, §.* 1. *Cod. de apostat.* & tradunt Petr. Gregor. *loc. sup. cit.* & Afflict. *cit. rubr.* 3. *num.* 17. Quatenus ait, apostatas non posse vendere, nec emere, nec locare, nec conducere, &c.

11 Decimò apostata à fide punitur pœna mortis, si scilicet sit pertinax, vel relapsus, vti dicebam de hæretico *cit. dubitat.* 13. *section.* 4. vbi omnino vide quoad istas pœnas.

12 His adde, quod & is qui alicui, vt à fide apostatet, persuadet, puniatur similiter pœna mortis, & confiscationis bonorum, *l. eum qui, Cod de apostat.* ibi: *Eum qui seruum, vel ingenuum inuitum, seu suasione plectenda ex cultu Christianæ Religionis, in nefandam sectam, ritumque traduxerit, cum dispendio fortunarum, capite puniendum esse censemus.* Et notant ibi cum Salyceto *in summario* communiter Doctores, quos sequitur Rimínaldus *consilior. criminal. diuers. consil.* 83. *num.* 4. *lib.* 2.

PETITIO III.

An possint Inquisitores procedere contra apostatas à fide, vulgò dictos *Renegatos*?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores possunt procedere contra apostatas à fide, vulgò dictos* Renegatos, *quia apostata formaliter est, qui à fide Christiana recedit.*

1 RESpondetur affirmatiuè, ex Textu *in cap. contra Christianos, de hæretic. in* 6. Quia licèt talis Textus solummodo loquatur de transeuntibus ad ritum Iudæorum, idem tamen dicendum est de transeuntibus ad ritum Saracenorum, cùm sit eadem ratio, & ex identitate rationis, etiam in pœnalibus, fauore fidei fiat extensio.

Confirmatur: quia apostata formaliter est, qui à tota Fide Christiana recedit: Ergo siue transeat ad sectam hanc Iudæorum verbi gratia, vel ad illam, verbi gratia Turcarum, & Paganorum, materialiter, & accidentaliter se habet: Vt propterea Textus *in dict. cap. contra Christianos*, posuerit sectam Iudæorum exempli causa, seu per exemplum. Zecchius *in summa tom.* 1. *titulo de hæreticis, capite* 21. *numero* 13. Riccius *in praxi tomo primo, resolutione* 423. *verb. Renegati*, Royas *de hæreticis parte* 1. *num.* 124. Filliuccius *tom.* 2. *tractatu* 12. *capite* 5. *num.* 145. Vallensis *in Paratit. ad Decretal. lib.* 5. *titulo* 9. *num.* 2. Carterius *de hæreticis, numero* 87. & Peytinus *in priuileg. Minimor. tom.* 1. *Constitutione nona Pauli V. §.* 2. *num.* 15. Vide quæ dicebam supra *sectione* 2.

PETITIO IV.

An, & quomodo debeant Inquisitores procedere contra prædictos apostatas, seu renegatos?

SVMMARIVM.

1 *Apostata, seu renegati, si sponte compareant, & dicant, se non ita fuisse, credidisse: sed fidem in corde seruasse, tunc vt suspecti abiurant de vehementi, si tamen adulti, non autem pueri sint, quia pueri solent abiurare de leui, & puniuntur aliis pœnitentiis salutaribus. Quod si dicant, se fecisse, sicque faciendum esse credidisse, tunc vt hæretici, vel apostata formaliter abiurant de formali, & puniuntur grauius.*

2 *Apostatæ, seu renegati, si non compareant sponte, & confiteantur facta hæreticalia, vel apostatica, negent tamen intententionem prauam, tunc super intentione torquentur, vt intelligatur, an verè sic crediderint, necne. Quod si post torturam in negatiua persistant, tunc vt suspecti abiurant tantum de vehementi: quia verisimile est, quod prauam intentionem non habuerint, si per grauem metum talia commiserint.*

3 *Metus incussi qualitas, & personæ delinquentis attendenda est, vt grauius, vel mitius puniantur.*

4 *Apostata, & renegati, qui sponte non venerunt, & prauam intentionem, mentisque errorem confessi sunt, si postquam hæresim, vel apostasiam abiurarunt, reuerti voluerint, de iure ad preceptum carcerem sunt damnandi, aliisque pœnis afficiendi, vt pecuniæ, fustigationis, &c.*

4 *Apostata prædicti, cùm sæpe dicant, se apostatasse propter metum, cùmque animus intus lateat, & Ecclesia non iudicet de occultis; meritò in foro exteriori asserens, se Christum negasse per vim, vel metum, redditur suspectus de vehementi, vel de leui, attentis coniecturis personarum, & circumstantiarum.*

6 *Apostata redditur suspectus de vehementi, si vi, vel metu cessante, adhuc in negatione fidei perseuerauerit: quia diuturna continuatio indicat, quod actus ex corde processerit.*

7 *Item si fuerit persona grauis, & prudens, vt Prælatus, Theologus, vel Religiosus, &c. & vis, vel metus non fuerit mortis, vel tormentorum, sed metus reuerentialis, famæ, honoris, exilij, fustigationis, carceris, famis, vel alterius generis non cadentis in constantem virum, quia in his casibus est ita vehemens, vt meritò tunc reddatur suspectus de vehementi.*

8 *Redditur suspectus de leui, si fuerit homo non benè sciens causam fidei, & verisimiliter scire non poterit, quàm graue delictum sit negare fidem, cuiusmodi sunt pueri, fœminæ, rustici, simplices, & alij, quos minor vis, vel metus seducit, & euertit.*

9 *Redditur tamen suspectus de nullo, seu nulliter, quinimmò diluit omnem suspicionem hæresis, vel apostasiæ, si statim vi, vel metu cessante doluerit, & pœnitentiam egerit.*

10 *Eymerici sententia contra præsentem doctrinam non obstat, immò conciliatur concurrentibus nonnullis circumstantiis, & quæ sint.*

11 *Metus*

11 *Metus licet aliquando excuset, vt tamen id efficiat, probari debet, alioquin reus interim torquendus erit, & si sustenta tortura, intentionem negauerit, debebit abiurare de vehementi, & ad grauem pœnam, v. g. triremis, condemnari.*

12 *Quod passim practicatur cum Mauris factis Christianis, si ad Terras Turcarum cum aliis Mauris postea fugam arripiant.*

1 RESpondetur: Si tales apostatæ, seu renegati sponte comparéant, & dicant, se non ita faciendum esse, credidisse, sed fidem in corde seruasse, tunc vt suspecti, abiurant de vehementi, si tamen adulti, non autem pueri sint; quia pueri solent abiurare de leui, & puniuntur aliis pœnitentiis salutaribus. Quod si dicant, se fecisse, sicque faciendum esse, credidisse, tunc, vt hæretici, vel apostatæ, formaliter abiurant de formali, & puniuntur grauius, præsertim si sponte, vel nullo, aut leui metu incusso hæreticalia, vel apostatica facta commiserint.

2 At si non compareant sponte, & confiteantur facta hæreticalia, vel apostatica, negent tamen intentionem prauam, tunc super intentione torqueatur, vt intelligatur, an reuera sic crediderint, necnè: Et si post torturam legitimè adhibitam in negatiua persistant, asserentes scilicet, se intentionem prauam non habuisse; tunc vt suspecti, abiurant tantum de vehementi; quia verisimile est, quod intentionem prauam non habuerint, si per grauem metum talia commiserunt, vt propterea non sint hæretici iudicandi, neque forsan reconciliandi, sed in loco religioso per aliquod tempus reponendi, & in fide orthodoxa instruendi; præsertim si tempore, quo à Saracenis fuerunt capti, & per metum fidem abnegare compulsi, ætatem minorem habuerint; si verò intentionem prauam confiteantur, tunc tanquam hæretici, vel apostatæ formaliter, de formali abiurare compelluntur, aliisque grauibus pœnitentiis afficiuntur.

3 Cæterum, vt grauius, vel minus puniantur, attendi debet qualitas metus incussi, & qualitas personæ delinquentis: vtrum scilicet sit puer, iuuenis, an vir, vtrum doctus, an indoctus, vtrum Laïcus, an Clericus, aut Religiosus, similisque alia circumstantia, quæ scilicet grauitatem delicti minuere, vel augere consueuit.

4 Et quidem illi qui sponte non venerunt, & prauam intentionem, mentisque errorem confessi sunt; si postquam hæresim, vel apostasiam abiurarunt, reuerti voluerint, de iure iuxta textum, *in cap. excommunicamus 1. §. si qui autem, de hæretic. in 6.* ad perpetuum carcerem sunt condemnandi, aliisque pœnis, vt pecuniæ, fustigationis, &c. afficiendi. Pegna, *in director. Inquisit. part. 2. comment. 59.* Royas, *de hæret. part. 1. num. 108.* Genuens. *in prax. Archiepisc. cap. 68. n. 12.* Bariola *in Aphorism. lit. P. verb. pueri, §. 2.* & Ioseph Selle *in decision. Aragon. tom. 4. decis. 444. n. 9.*

5 Vbi tamen aduerte, quod cum sæpè prædicti apostatæ dicant, se apostatasse propter metum; cumque animus intus lateat, & Ecclesia non iudicet de occultis, meritò in foro exteriori quilibet ipsorum confitens, sed asserens, se Christum negasse per vim, vel metum, redditur suspectus de vehementi, vel de leui, attentis coniecturis personarum, & circumstantiarum.

6 Et quidem redditur suspectus de vehementi, si vi vel metu cessante, adhuc in negatione fidei perseuerauerit; quia diuturna continuatio indicat, quod actus ex corde

7 processerit, item si fuerit persona grauis, & prudens, vt Prælatus, Theologus, vel Religiosus, &c. & vis, vel metus non fuerit mortis, vel tormentorum, sed metus reuerentialis, famæ, honoris, exilij, fustigationis, carceris, famis, vel alterius generis non cadentis in constantem virum; quia in his casibus suspicio est ita vehemens, vt meritò tunc reddatur suspectus de vehementi, sicque possit ipsi indici abiuratio de vehementi.

8 Redditur autem suspectus de leui, si fuerit homo non benè sciens causam fidei, & verisimiliter scire non potuerit, quam graue delictum sit, negare fidem; cuiusmodi sunt pueri, fœminæ, Rustici, simplices, & alij, quos minor vis, vel metus seducit, & auertit. Redditur tandem suspectus de nulla, seu nulliter, quinimmò 9 diluit omnem suspicionem hæresis, vel apostasiæ, si statim vi, vel metu cessante, doluerit, & pœnitentiam egerit; quia tunc signum est, quod ex vi, vel metu quidquid fecit, fecerit, iuxta illud: *Cessante causa cessat effectus.*

Neque contra hæc facit, quod dicit Eymericus *in director. part. 2. q. 41.* metum scilicet mortis non excusare in foro externo ab hæresi, vel apostasia: quia 10 sicuti rectè notat Pegna, *ibi comment. 66. litt. C.* hoc Eymerici dictum est tantum verum de rigore iuris, concurrentibus præterea etiam nonnullis circumstantiis, vt si scilicet, qui fidem metu mortis abnegat, causam fidei benè intelligat, & peritus sit, vt Episcopus, Theologus, Religiosus, vel similis, cui quasi ex officio eam prædicare competat. Item si fidem abneget, vbi facilè periculum euadere potuerat, aut vbi maximè eam profiteri tenebatur; vel si diutius in tali apostasia perseueret, & non subito, habita occasione, reuertatur, & Ecclesiæ reconciliari deposcat; vel si non ipse semetipsum offerat, sed aliorum testimonio legitimè conuincatur, & metum, vel alia, quæ pro sui exculpatione profert, non probet; licet enim aliquando metus excuset, vt 11 tamen metus id efficiat; debet probari, alioquin reus interim debebit torqueri. Et si, sustenta tortura, intentionem neget, debebit adhuc abiurare de vehementi, & ad grauem pœnam, verbi gratia triremis, condemnari.

Quod passim practicatur etiam cum Mauris factis 12 Christianis: Isti enim, si postea cum aliis Mauris ad Terras Turcarum fugam arripiant, & in itinere capiantur; cum ex dicta fuga, & aliis circumstantiis, quæ quasi semper in dicto casu concurrunt, habeant contra se violentam apostasiæ præsumptionem, super intentione torquentur, & si postea sustenta tortura, negent, abiurant adhuc de vehementi, & per triennium condemnantur ad triremes.

PETITIO V.

An, & quibus pœnis debeant Inquisitores punire prædictos apostatas, seu Renegatos, si abiurent de formali?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores prædictos apostatas debent, confiscatis eorum bonis, condemnare ad carcerem perpetuum; subditur enim iisdē pœnis, quibus hæretici formales.*

RESpondetur: Debent eos, confiscatis eorum bonis, condemnare ad carcerem perpetuum; subduntur enim iisdem pœnis, quibus subduntur hæretici formales. Innocent. *in cap. 1. de apostasia, n. 2.* Io. Andr. *n. 4.* Butr. *n. 7.* Hostiens. *n. 2.* & Lorca, *in 2. 2. Sancti Thomæ q. 12. art. 1. disput. 50. n. 3.* Quatenùs expresse aiunt, quod prædicti apostatæ & quoad pœnas, & quoad processum iudicialem etiam tractari debeant tanquam hæretici formales. Qua de re videri quoque poterunt, quæ dicebam suprà, *Petit. 2.* 1

PETITIO VI.

An debeant Inquisitores admittere ad reconciliationem prædictos apostatas, seu renegatos, si postea pœnituerint.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores debent admittere ad reconciliationem prædictos apostatas, seu renegatos, si postea pœnituerint,*

fuerint, quibuscumque in contrarium decretis non obstantibus.

1 RESpondetur: Quamuis videatur negandum ex *l. hi qui sanctam*, *Cod. de apostat.* & tenent Azclatanus *de hæretic. notabil.* 44. Matthæus de Afflictis, & alij, quos citat Royas *de hæretic. part.* 1. *num.* 291. Contrarium tamen est dicendum, quia prædictus Textus *in l. hi qui sanctam*, corrector est per *cap. contra Christianos, cap. plerique, de consecrat. dist.* 4. & *cap. quidam, de apostasia*, & tradunt ex communi Doctorum opinione Royas *vbi suprà*, Canus *lib.* 2. *cap.* 9. Castros *lib.* 2. *cap.* 23. Simanch. *tit.* 7. *n.* 3. Pegna *in annot. ad Lucernam Inquisitor. verb. apostatu*, Lorca *in* 2. 2. *S. Thomæ quæst.* 12. *art.* 2. Freytas *in addition. de confessor. sollicit. quæst.* 5. *num.* 90. Barbosa *in l. Titia* 35. *ff. solut. matrimon. n.* 55. *tom.* 2. Quatenùs expressè aiunt, quod apostata pœnitens recipiendus sit ad reconciliationem, & etiam Pereyr. *part.* 1. *de man. Reg. cap.* 74. *num.* 1. Quamuis minos rectè ibi subdat, iudicem Laïcum posse cognoscere de apostasia, quando agitur de quæstione facti; quod ipsum etiam prius, *in part.* 1. *in concord. Ioannis* 1. *art.* 1. *num.* 175. dixerat de hæresi: quia id est expressè contra Textum, *in cap. vt inquisitionis*, §. *prohibemus*, *de hæretic. in* 6. & contra Doctores ibi communiter. Qua de re vide, quæ diffusè dicebam *in Tractat. de Immun. & Iurisd. Eccles.*

PETITIO VII.

An possint Inquisitores prædictos apostatas, seu renegatos reconciliare sine Episcopo, si postea sponte ad ipsos venerint, & pœnitentiam postulauerint?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt probabilius, contra aliquos affirmantes, prædictos apostatas, seu renegatos reconciliare sine Episcopo, si postea sponte ad ipsos venerint, & pœnitentiam postulauerint.*

2 *Excipe, vbi est consuetudo in contrarium.*

1 RESpondetur: Quamuis affirment nonnulli cum Molina, *de Iustitia tom.* 5. *tract.* 5. *disput.* 28. *n.* 16.
2 Probabilius tamen negant alij, nisi alicubi talis sit consuetudo in contrarium; quam esse affirmat Sousa, *in Aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 5. non solùm quoad prædictum casum, sed etiam absolutè, quatenus expressè ait, esse vsu magis receptum, Inquisitores indicere abiurationem, & purgationem sine Episcopo. Quod si ita est, vbi adest talis consuetudo legitimè præscripta, ibi illam ego non damnarem. Qua de re videri poterunt, quæ diffusiùs dicam infrà, *Dubit.* 195. *sect.* 25. & 26.

PETITIO VIII.

An possint Inquisitores procedere contra apostatas à Religione? vbi etiam an possint procedere contra apostatas ab ordine?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt procedere contra apostatas à Religione, & ab Ordine; sicque seruatur in Inquisitione Romana, & in Hispanica.*

2 *Excipe, nisi sit aliquid adiunctum, quod sapiat hæresim, vt si v.g. à Religione transeant ad partes hæreticorum, cum iis communicantes, eorum conciones audientes, vel eorum impietates aliquo modo authorizantes.*

3 *Excipe secundò, si habitum lacerent, eumque pedibus conculcent, & blasphemias contra Religionem euomant, &c.*

4 *Excipe tertiò, si quid faciant contra determinationes Ecclesiæ, vt si ducant vxores, &c.*

5 *Excipe quartò, si per annum in excommunicatione perstiterint negligentes ad Religionem redire.*

RESpondetur negatiuè; & tradunt ex communi Doctorum sententia Pegna, *in director. Inquisitor. part.* 2. *comment.* 4. Bariola *in Aphorism. litt. A. verb. apostata*, §. 5. & Duard. *in Bull. Cœn. lib.* 2. *can.* 1. *q.* 17. *n.* 32. qui etiam subdunt, sic seruari & in Inquisitione Romana, & in Hispanica. 1

Excipe cum Zanardo, *in director. Theolog. part.* 2. *præcept.* 1. *cap.* 5. §. 19. Laurentio de Peyrinis *in priuileg. Minimor. tom.* 2. *constitut.* 2. *Pauli V.* §. 2. *n.* 13. & aliis, nisi sit aliquid adiunctum saltem quod sapiat hæresim: Quia si tunc ratione talis adiuncti possunt inquisitores procedere contra alios, poterunt etiam, quin & multò magis procedere contra tales prædictos apostatas. 2

Vt si verbi gratia, Primò à Religione transeant ad partes hæreticorum, cum iis communicantes, eorum conciones audientes, vel eorum impietates aliquo modo authorizantes.

Item secundò, si habitum lacerent, eumque pedibus conculcent, & blasphemias contra Religionem euomant, vel quid aliud simile faciant, aut proferant. 3

Item tertiò, si quid faciant contra determinationes Ecclesiæ, vt si ducant vxores, vel, quandò nominatim sunt excommunicati, celebrent Missam. 4

Item quartò, si per annum in Excommunicatione perstiterint, negligentes ad Religionem redire. 5

Cæterùm, quæ dixi de apostatis à Religione, eadem dicas etiam de apostatis ab ordine, propter easdem rationes.



DVBITATIO XLVIII.

Quænam sint pœnæ schismaticis decretæ?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Pœnæ octo sunt Schismaticis decretæ, quæ omnes ibi per extensum numerantur.*

RESPONDETVR: Octo. Prima priuatio potestatis Ecclesiasticæ, Ordinis, & Iurisdictionis. Secunda excommunicatio; quæ tamen, vt infrà dicetur, non extenditur ad eorundem fautores, receptatores, defensores, &c. sicuti ea, quæ contra hæreticos decreta est. Tertia, inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica imposterum obtinenda. Quarta, ad mentem nonnullorum, irregularitas. Quinta, suspensio Ordinis à schismatico scienter recepti. Sexta, vt collatio beneficiorum à schismatico facta irritetur. Septima, suspicio hæresis. Octaua, vt schismaticus subiectus sit iudici Ecclesiastico, à quo pro qualitate criminis puniatur. De singulis dicam sigillatim. 1

SECTIO

SECTIO II.

Quid dicendum de prima pœna, nempè de priuatione potestatis Ecclesiasticæ, Ordinis, & Iurisdictionis.

SVMMARIVM.

1 *Schismaticus priuari non potest potestate Ordinis consistente in caractere; quia tunc operatur homo, vt Instrumentum Dei.*

2 *Effectus Sacramentales ob culpam conferentis non possunt cessare.*

3 *Schismaticus priuari potest, & de facto priuatur legitimo vsu talis potestatis; quia non licet ipsi eam potestatem exercere, dum est in schismate.*

4 *Schismaticus est ipso iure potestate Iurisdictionis, quia indignus est potestate Ecclesiæ frui is, qui pertinaciter ab illa se seiungit; vndè non poterit excommunicare, absoluere, indulgentias, & beneficia conferre, & alia huiusmodi, quæ Iurisdictionem requirunt; sed omnia hæc nulla sunt, & inualida, nisi aliundè ex communi errore ob titulum coloratum Iurisdictio concedatur.*

5 *Schismaticus secundum aliquos non est ipso facto priuatus potestate Iurisdictionis; sed per sententiam priuandus est; quia nullibi habetur in Iure, ipso facto esse priuatum.*

6 *Schismaticus manifestus, siue sit manifestus per sententiam, siue per factum proprium, secundum alios, non tamen occultus, est priuatus potestate Iurisdictionis.*

7 *Schismaticus nullus secundum aliquos esse potest priuatus Iurisdictione, nisi denunciatus sit, vel manifestus Clerici percussor; quia cum solum istos vitare teneamur post Concilium Constantiense, solum isti post Concilium Constantiense carent iurisdictione nobis conueniente.*

8 *Schismaticus quilibet quantumuis occultus ipso facto est Iurisdictione priuatus: Quod quidem patet ex multis factionibus ibi allegatis.*

9 *Schismaticus occultus exterior, cum ab vnitate Ecclesiæ, & subordinatione ad caput illius se subtrahat, indignus est, cui Ecclesia Iurisdictionem concedat.*

10 *Iurisdictionis huiusmodi priuatio vt effectum habeat necessaria est saltem declaratoria sententia criminis.*

1 RESpondetur: si loquamur de potestate Ordinis consistente in charactere, schismaticus priuari non potest.

Probatur; quia priuari non potest charactere, à quo talis potestas prouenit, *cap. Ordinationes 9. quæst. 1.* Et ratio ex S. Thoma, *q. 39. art. 3.* est, quia tunc operatur homo, vt instrumentum Dei: ergo effectus sacra-
2 mentales ob culpam conferentis non possunt cessare.

3 Quamuis priuari possit, & de facto priuetur legitimo vsu talis potestatis; quia non licet ipsi eam potestatem exercere, dum est in schismate, S. Thomas, *loco suprà cit.* Turrecremata *lib. 4. summ. part. 1. cap. 7.* & Farin. *de hæres. q. 184. n. 43.*

4 At si loquamur de potestate Iurisdictionis, schismaticus priuatus est ipso iure; quia indignus est potestate Ecclesiæ frui is, qui pertinaciter ab illa se seiungit. Vnde non poterit excommunicare, absoluere, Indulgentias, & beneficia conferre, & alia huiusmodi, quæ iurisdictionem requirunt; sed omnia hæc nulla sunt, & inualida, nisi aliundè ex communi errore ob titulum coloratum iurisdictio concedatur, iuxta Textum *in l. Barbarius, ff. de offic. prætoris,* & tradit S. Thomas, *2. 2. q. 39. art. 3.* Valentia, *disput. 3. q. 15. punct. 3.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 7. n. 8.* Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 8. c. 20. q. 9.* Sanchez, *lib. 2. moral. c. 36.* & Farinac. *de hæres. q. 184. n. 43.*

Probatur ex textu, *in cap. 1. de Schismatic.* Ibi: *Ordinationes ab Hæresiarchis factas, & ab Ordinatis ab illis, irritas esse censemus* (intellige cum Glossa ibidem, quoad executionem legitimam illarum) *adijcientes, vt qui dignitates Ecclesiasticas, seu beneficia per dictos schismaticos acceperunt, careant impetratis: Alienationes quoque, quæ per eosdem schismaticos, seu per Laicos factæ sunt de rebus Ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesias sine vllo onere reuertantur.* Item ex *cap. Nouatianus 7. q. 1.* ibi: *Qui nec vnitatem spiritus, nec conuentionis pacem asserit, & se ab Ecclesiæ vinculo, & à Sacerdotum Collegio separat, neque Episcopi potestatem habere potest, neque honorem.* Item ex *cap. audiuimus 24. q. 1. & cap. didicimus, eadem caus. & quæst.* ibi: *Didicimus, omnes omninò hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, & iuris.*

Petes: An hac potestate Iurisdictionis priuetur schismaticus manifestus, & occultus, vel debeat esse publicè denunciatus, iuxta Textum *in Extrauag. ad euitanda scandala, Concilij Constantiensis?*

Quidam, vt Caietan. *tract. de authorit. Papæ, & Concilij cap. 10. & seqq.* Canus *de loc. Theolog. lib. 4. c. 2. & vltimo,* & Sotus *in 4. dist. 12 quæst. 2. art. 2.* censent, schismaticum non esse ipso facto priuatum, sed per sententiam priuandum; quia nullibi habetur in Iure, ipso facto esse priuatum. 5

Alij, vt Valentia *2. 2. disp. 3. q. 15. punct. 3.* tenent, esse priuatum schismaticum manifestum, siue sit manifestus per sententiam, siue per factum proprium, non tamen occultum; quia dum est occultus, cum Ecclesia vnionem retinet; Ergo Iurisdictionem ab illa potest habere. 6

Alij, vt Bonacina *disp. 3. q. 4. de charact. punct. vltim. §. 6. n. 8. & tom. 3. de censur. disp. 1. q. 2. punct. 4.* putant, post Concilium Constantiense nullum schismaticum iurisdictione esse priuatum, nisi denunciatus sit, vel manifestus Clerici percussor: quia, cum solum istos vitare teneamur post Concilium Constantiense, solum isti post Concilium Constantiense carent iurisdictione nobis conueniente. His tamen non obstantibus. 7

Respondetur; Iurisdictione ipso facto esse priuatum quemlibet schismaticum, quantumuis occultum. Ita ex probabiliori sententia Doctorum S. Thomas *2. 2. q. 39. art. 3.* Turrecremata *lib. 4. Summæ part. 2. cap. 10.* Castr. *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. 23. & seq.* Azor. *1. part. lib. 8. cap. 2. q. 9. in fine,* & alij. 8

Probatur, quia Textus *in cit. c. 1. de schismatic. cap. Nouatianus, cap. audiuimus, & cap. didicimus,* expressè notant, ipso facto hanc priuationē incurri; dicunt enim Ordinationes esse irritas, & conferentem nihil habere iuris, & potestatis. Et ex alia parte hanc priuationem ad omnes schismaticos extendi, probat Textus *in eodem cap. didicimus: Omnes omninò hæreticos, & schismaticos nihil habere potestatis, & iuris:* Ergo.

Secundò probatur ratione; quia occultus schismaticus exterior ab vnitate Ecclesiæ, & subordinatione ad Caput illius se subtrahit: Ergo indignus est, cui Ecclesia iurisdictionem concedat. 9

Aduerte tamen, quod vt talis priuatio Iurisdictionis effectum habeat, necessaria sit saltem declaratoria sententia criminis, iuxta ea, quæ dicam infra de hac pœna hæreticorū; & videri potest Suarez, *disp. 12. sect. 2. n. 2.* 10

SECTIO III.

Quid dicendum de secunda pœna, nempe de Excommunicatione?

SVMMARIVM.

1 *Schismatici, licet olim controuersum fuerit, an essent ipso iure excommunicati, hodie sunt ipso iure excommunicati ex Bulla Cœnæ Domini.*

Bulla

2 *Bullæ Cœnæ excommunicatio; licet secundum aliquos non comprehendat schismaticos non hæreticos; secundum Auctorem, cum in dicta Bulla schismatici ipso iure excommunicentur, & nomine schismaticorum, non solum schismatici hæretici, sed etiam non hæretici, suspicionem tamen hæresis habentes, proprie intelligantur, sequitur quod isti omnes reuera sint excommunicati.*

3 *Bullæ Cœnæ dicta excommunicatio, licet secundum aliquos, comprehendat non solum schismaticos proprie, sed etiam quoscumque alios quomodocumque Pontifici inobedientes: tamen probabilius est, quod comprehendat solum schismaticos propriè.*

4 *Recessus ab obedientia Sedis Apostolicæ propriè, non stat cum recognitione illius.*

5 *Bullæ Cœnæ dicta excommunicatione non ligantur fautores, defensores, receptatores schismaticorum; quia in dicta Bulla non exprimuntur, vt exprimuntur fautores, defensores, & receptatores hæreticorum: Quamuis dicti fautores, &c. schismaticorum ligentur excommunicatione non reseruata, & aliis pœnis etiam afficiantur.*

6 *Excommunicatio lata contra facientes aliquid, non extenditur ad adiuuantes, mandantes, consulentes, fauentes, defendentes, &c. nisi de illis fiat expressa mentio. Ligantur tamen alia excommunicatione non reseruata.*

7 *Excommunicatione dicta Bullæ Cœnæ non solum ligantur recedentes ab obedientia Pontificis, vt Pontifex est, sed etiam se separantes à reliquis membris Ecclesiæ, quia omnes isti sunt verè, & propriè schismatici: non tamen dicta excommunicatione ligantur recedentes ab obedientia Episcopi, vel Sedis Episcopalis.*

8 *Excommunicatio lata in schismaticos vt incurratur, sufficit, quod quis opere ipso solo exteriori ita se gerat, ac si non sit Pontifici, vt Pontifici, subordinatus, vel vnitus illi, vt Capiti Ecclesiæ, quamuis mente, & fide aliud intus retineat. Etsi in hæresim contrarium dicendum sit.*

9 *Præsumentes absque debita auctoritate congregare Synodos vniuersales, vel eas, postquam per legitimam auctoritatem dissolutæ sint, prosequi, &c. verè, & propriè sunt schismatici.*

10 *Schismatici solùm mente schisma retinentes, non incurrunt dictam excommunicationem latam in schismaticos, sed opus est, vt factis, verbis, vel alio signo externo schisma manifestetur, quia ob solum peccatum internum, nisi illud etiam consummetur exteriùs, nunquam excommunicatio incurritur.*

11 *Schismatici non hæretici absolui possunt semel in vita, & semel in morte virtute Cruciatæ.*

12 *Item absolui possunt virtute Iubilei, vel priuilegij casus Bullæ Cœnæ concedentis, quia solùm hæresis ob ipsius grauitatem reseruatur.*

1 RESpondetur, quod quamuis olim, vt videre est apud Azorium 1. *part. lib. 8. c. 20. q. 6.* Sanchez *l. 2. moral. cap. 36. num. 11.* & Farinac. *de hæres. q. 184. n. 37.* controuersum fuerit, an ista excommunicatio fuerit schismaticis ipso iure imposita, saltem in solis aliquibus specialibus casibus, vel per sententiam imponenda: Hodie tamen certum sit, esse ipso iure impositam in Bulla Cœnæ Domini, & Pontifici reseruatam, ibi: *Excommunicamus, & anathematizamus schismaticos, & eos, qui se à nostra, & à Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt.*

2 Petes: An hæc excommunicatio comprehendat schismaticos non hæreticos?

Quidam, vt Toletus *lib. 4. summæ c. 11. in fine*, negant; Ita tamen, vt censeant, quod licet schismatici non hæretici, non sint excommunicati in Bulla Cœnæ Domini, sint tamen excommunicati à iure, quod habetur *in cap. Nulli, dist. 19. & cap. licet de election.*

Sed contra; quia ex his Textibus non colligitur, excommunicationem ipso facto contrahere quemlibet schismaticum; siquidem Textus *in cap. licet*, loquitur in casu speciali, nempè de Cardinalibus, qui post electum Pontificem ex duarum partium consensu, alium ex tertia parte in Pontificem recipiunt, & simul eum, qui electioni consensit, & vt Pontificem se gerit. Textus verò *in cap. Nulli*, solum habet, schismaticum esse excommunicatione expellendum. Idemque habet Textus *in cap. 1. de schismaticis*, & *in cap. de Liguribus 23. q. 5.* Ergo dicendum est schismaticos non hæreticos ipso iure excommunicatos non esse, vt tenet Abb. *in rubric. de schismaticis n. 2.* Garzias, *part. 11. de benefic. cap. 20. n. 156. & sequen.* Azor. 1. *part. lib. 8. cap. 10. q. 6.* & Farinac. *de hæres. q. 184. n. 59.* Vel dicendum est, vt reuera dicendum videtur, esse excommunicatos in Bulla Cœnæ Domini; quia cum in dicta Bulla schismatici ipso iure excommunicentur, & nomine schismaticorum nonsolum schismatici hæretici, sed etiam non hæretici, suspicionem tamen hæresis habentes, propriè intelliguntur, sequitur quod isti omnes reuera sint excommunicati: Atque ita tenet Azor. *loco supra cit. q. 5.* Valent. *tom. 3. disput. 3. q. 15. punct. 3.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. n. 18.* & Sanchez *l. 2. moral. c. 36. n. 11.*

Petes secundò, an dicta excommunicatio bullaris comprehendat non solum schismaticos propriè, quales *sect. præcedenti* dicebam; sed etiam quoscumque alios quomodocumque Pontifici inobedientes? 3

Quidam, vt Tolet. *lib. 1. c. 19. n. 10. & lib. 4. c. 12. n. 1.* & Farinac. *de hæres. q. 184. n. 11.* affirmant; quia Pontifex in Bulla excommunicat schismaticos, & eos, qui se ab eius, & cuiusvis Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, vel recedunt. Ergo, cum in decretis Pontificiis nihil sit superfluum, dicendum est, non solum recedentes à Pontificis obedientia, tanquam à Vicario, sed etiam quomodocumque recedentes, intelligi debere; cum recedentes pertinaciter ab obedientia Pontificis, tanquam à Vicario Christi, & Capite Ecclesiæ, sub schismaticorum nomine comprehensi sint. His tamen non obstantibus.

Respondetur, dicendum esse oppositum, quod scilicet hæc excommunicatio Bullæ Cœnæ comprehendat solùm schismaticos propriè; atque ita tenet ex communi sententia Doctorum Caietanus, *in summa verb. excommunicatio, cap. 7.* Vgolinus *de censur. Papæ reseruat. part. 1. cap. 1. vers. necnon schismaticus, n. 9.* Suarez *de censur. disp. 21. sect. 2. n. 12.* Azor. *part. 1. lib. 8. c. 20. q. 5.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 36. n. 11.*

Probatur, quia recessus ab obedientia Sedis Apostolicæ propriè non stat cum recognitione illius. Ergo, dum Pontificem, vt superiorem recognoscis, quamuis ob aliquam causam illi non obedias, à Pontifice, quà tali, non recedis, ac proindè excommunicationem istam Bullæ non incurris, quia qui non recedit ab obedientia Pontificis, vt Pontifex est, ac Christi Vicarius, nõ dicitur verè, & formaliter recedere ab obedientia Pontificis, vti dicebam Quapropter, etsi sub nomine schismaticorum hi recedentes comprehensi fuerant, fuerunt tamen expressi ad maiorem claritatem, & ad specialem timorem incutiendum, vndè patet ad fundamentum oppositum. 4

Aduerte tamen, quod dicta excommunicatione Bullæ Cœnæ non ligentur fautores, defensores, receptatores schismaticorum: quia in dicta Bulla non exprimuntur, vt exprimuntur fautores, defensores, receptatores hæreticorum: Et in odiosis, seu pœnalibus non debet vltra proprietatem verborum fieri extensio. Hanc autem extensionem solum apposuit Pontifex circa hæreticos, ergo dum excommunicatio fertur contra facientes, non extenditur ad adiuuantes, nisi exprimatur: Tum quia in Bulla Cœnæ tempore Caietani istos exprimebat Pontifex, vti constat ex eius summa, *verb. excommunicatio, cap. 7.* Ergo, cùm in præsenti Bulla Cœnæ eos non exprimat, non comprehendentur. 5

Quod

6 Quod autem excommunicatio lata contra facientes aliquid, non extendatur ad adiuuantes, mandantes, consulentes, fautores, defendentes, &c. nisi de illis fiat expressa mentio, tenent Caietanus *verb. excommunicatio, quasi in principio*, Nauarr. *in summa, cap. 27. num. 31.* Syluest. *verb. excommunicatio vltimo, quæst. 4. dicto 3.* Tabiena *ibidem 4. cas. 49. num. finali*, Armilla *num. 2.* Ledesma *2. part. quæst. 26. art. 2.* Henriquez *lib. 13. cap. 17. num. 2. & cap. 23. num. 2.* & alij communiter.

Quamuis dicti fautores, defensores, receptatores schismaticorum alia ligentur excommunicatione, non reseruata, per Textum *in cap. licèt, de elect. & cap. 1. de schismatic. in 6.* Et clariùs per Bullam Pauli IV. quæ incipit, *cum ex Apostolatus officio*, vbi excommunicantur, aliisque pœnis afficiuntur prædicti fautores, defensores, receptatores schismaticorum. Et videri poterit Syluest. *verb. schisma, num. 5.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 65. num. 6.* & Farinac. *de hæres. q. 184. num. 17.*

7 Aduerte secundò, quod è contra dicta excommunicatione Bullæ Cœnæ non solùm ligentur recedentes ab obedientia Pontificis, vt Pontifex est, sed etiam se separantes à reliquis membris Ecclesiæ, quia omnes isti tales, vti dicebam suprà *dubit. 47. sect. 1.* sunt verè, & propriè schismatici; Non tamen similiter eadem excommunicatione Bullæ Cœnæ ligentur recedentes ab obedientia Episcopi, vel Sedis Episcopalis, neque se separantes à reliquis membris illius Diœcesis; quia, quamdiù non recedunt à Summi Pontificis obedientia, vt Pontifex est, aut à reliquis membris Ecclesiæ vniuersalis (vti dicebam eadem *sect. 1.*) non sunt verè, & propriè schismatici. Ergo in materia pœnali, & odiosa non comprehenduntur sub nomine schismaticorum: Qua ratione ducti Ostiensis *in cap. num. 1. de schismaticis*, Abbas *in rubrica eodem tit. num. 1. & seqq.* & Ananias *ibidem num. 3.* tenent, quod isti tales neque incurrant excommunicationem iure communi latam in schismaticos.

8 Aduerte tertiò, quod ad quamcumque excommunicationem latam in schismaticos incurrendam, sufficiat, quod quis opere ipso solo exteriori ita se gerat, ac si non sit Pontifici, vt Pontifici subordinatus, vel vnitus illi, vt Capiti Ecclesiæ; quamuis mente, & fide aliud intus retineat, etsi in hæresi contrarium dicendum sit: Et ratio disparitatis est, quia hæresis non consummatur in solo actu externo, sed necessariò requirit etiam errorem internum; At schisma satis in sua specie consummatur per solùm actum externum, vti dicebam

9 etiam suprà *cit. sect. 1.* Qua ratione, qui præsumunt absque debita authoritate congregare Synodos vniuersales, vel eas, postquam per legitimam authoritatem dissolutæ sint, prosequi, & qui Catholici in Anglia solùm exterius Regi, tanquam Vicario Christi in spiritualibus, qualem se esse ipse profitetur; obediunt, verè, & propriè, (vti dicebam ibidem) sunt schismatici, vt proinde non euadant excommunicationem latam in schismaticos, etsi euadant excommunicationem latam in hæreticos.

10 Aduerte quartò, quod schismatici, solùm mente schisma retinentes, non incurrant dictam excommunicationem latam in schismaticos, sed opus sit, vt factis, verbis, vel alio signo externo, schisma manifestent; quia ob solùm peccatum internum, nisi illud etiam consummetur exteriùs, nunquam excommunicatio incurritur: Doctores communiter, quos sequitur Toletus *in summa, prima excommunicatione Bullæ Cœnæ, num. 16.* & Sayrus *Thesaur. cas. tom. 1. lib. 3. cap. 4. circa finem.*

11 Aduerte quintò, quod schismatici non hæretici, absolui possint semel in vita, & semel in morte virtute Bullæ Cruciatæ. Item absolui possint virtute Iubilæi,
12 vel priuilegij casus Bullæ Cœnæ concedentis: quia solùm hæresis ob ipsius grauitatem reseruatur. Sanchez *lib. 2. moral. cap. 36. n. 17.* & alij passim.

SECTIO IV.

Quid dicendum de tertia pœna, nempè de inhabilitate ab beneficia Ecclesiastica in posterum obtinenda?

SVMMARIVM.

1 *Schismatici contrahunt pœnam inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica in posterum obtinenda.*

2 *Schismatico in Episcopum electo dispensatiuè confirmare permittitur.*

3 *Schismaticis pœnitentibus, & Ecclesiæ reconciliatis secundùm aliquos tollitur supradicta inhabilitas, quæ cum proueniat ex schismate, meritò, illo sublato, censetur & ea sublata, maximè rationibus ibidem abundè perpensis.*

4 *Oppositum tamen, nempè schismaticum Ecclesiæ reconciliatum adhuc ad beneficia Ecclesiastica inhabilem existere, nisi per Pontificem, vel vices ipsius habentem dispensatus fuerit, probabilius est.*

5 *Eius est soluere, cuius fuit ligare.*

6 *Episcopus ex Concilio Tridentino potestatem habet ad dispensandum in quacumque inhabilitate ad beneficia, si ea proueniat ex delicto occulto: Vnde si delictum schismaticum fuerit occultum, poterit Episcopus cum schismatico ad vnitatem Ecclesiæ redeunte, dispensare.*

7 *Episcopus, si schisma fuerit publicum, quamuis nonnulli Doctores indistinctè teneant sufficere dispensationem Episcopi, & alij putent, posse illum dispensare ad beneficia omnia, præter Episcopatum, & dignitatem exemptam, si scienter quis Ordinem à schismatico non receperit; Nihilominus, quia talis potestatis nullum apparet in iure firmum fundamentum, dicendum est, quod non possit.*

8 *Schismaticus iste occultus, & Ecclesiæ reconciliatus, probabile est, quod dispensatione non indigeat; quia pœna inhabilitatis non videtur imposita cuilibet schismatico, sed publico, & manifesto.*

9 *Schismaticus, si schisma non sit hæresi coniunctum, non manet priuatus beneficiis ante schisma obtentis; Quidquid in contrarium dixerint alij.*

10 *Hæreticus omnis licet sit schismaticus; non tamen omnis schismaticus est hæreticus.*

RESpondetur, quod & hanc pœnam schismatici contrahant, ex Textu *in cap. quia diligentia, de elect.* vbi schismatico in Episcopum electo dispensa- 1
tiuè confirmare permittitur: Ergo signum est, quod ante dispensationem electio valida non sit: & ita tradit Glossa ibi, quam communiter sequuntur Doctores. 2

Petes: An schismaticis pœnitentibus, & Ecclesiæ reconciliatis tollatur hæc inhabilitas?

Quidam, vt Aymon, Decian. *cit. lib. 5. cap. 54. n. 15.* Bursat. *cons. 14. n. 34.* Farin. *de hæres. quæst. 189. & quæst. 193. num. 66.* & complures alij, quos ipse refert, affirmant. 3

Probatur, quia hæc inhabilitas prouenit ex schismate: Ergo, schismate sublato, tollitur inhabilitas.

Confirmatur; quia non videntur obstare Textus *in citato capit. quia diligentia*: Nam electio illius schismatici in Episcopum forsan fuit durante schismate, ideoque indiguit confirmatione, & dispensatione, quibus tamen non indigeret, si sublato schismate, & Ecclesiæ reconciliato, electio facta fuisset.

Confirmatur secundò, quia neque obstare videtur Textus *in cap. vnic. de schismaticis in 6.* vbi schismatici, & ipsorum fautores perpetuò inhabiles ad beneficia declarantur; quia loquitur de casu speciali, in quo duo Cardinales noluerunt Pontificem canonicè electum

recognoscere, & alium in Pontificem elegerunt. His tamen non obstantibus.

4 Respondetur, oppositum (nempè schismaticum Ecclesiæ reconciliatum, adhuc ad beneficia Ecclesiastica inhabilem existere, nisi per Pontificem, vel vices ipsius habentem dispensatus fuerit) probabilius esse; quod docent Ostiensis, Antonius, Imola, quos sequitur Azor. 1.*part.lib.*8. *cap.*20.*q.*8. Pegna 2.*part. Director. q.*48. *comment.*73. Suarez *de censur.disp.*43.*sect.* 2.*n.*7. & Sanchez *lib.*2. *moral.cap.*36.*num.*18.

Probatur ex supradicto *cap.quia diligentia*, vbi glossa expresse ait, abiurato schismate in Episcopum electum fuisse, & nihilominus indiguit dispensatione: Ergo signum est, inhabilem remansisse.

Atque hinc patet ad fundamenta cõtrariæ opinionis.

5 Dixi, *nisi per Pontificem, vel vices illius habentem dispensatus fuerit*: Quia eius est soluere, cuius fuit ligare, Abbas *cit. cap. quia diligentia*, & alij passim.

6 Quamuis ex Tridentino Concil. *sess.*24. *cap.*6. concedente casus occultos, Episcopus potestatem habeat ad dispensandum in quacũque inhabilitate ad beneficia, si ea proueniat ex delicto occulto. Vnde, si delictum schismaticum fuerit occultum, poterit Episcopus cum schismatico ad vnitatem Ecclesiæ redeunte dispensare Henriquez *lib.*13. *de excommunicat.cap.*56. *num.*1. *in comment. littera F.* Sanchez *loco suprà citato*, & Bonacina *disput.*3. *quæst.* 4. *de charit. part.vltima*, §.5. *num.*10.

7 At, si schisma fuerit publicum; quamuis Abb. *in cap.*2. *de schismaticis num.*7. Decius *cap.at si Clerici*, §.*de adulteriis, de iudiciis, num.*124. & *in cap.quia diligentia, de elect. num.*17. vbi indistinctè tenet, sufficere dispensationem Episcopi, Lambertin. *part.* 1. *lib.* 2.*q.*9.*art.*8. & Glossa ex probabili *in cap.*2. *de schismaticis*, putent, posse Episcopum dispensare ab beneficia omnia præter Episcopatum, & dignitatem exemptam, si scienter quis ordinem à schismatico non recepetit: nihilominus, quia huius potestatis nullum apparet in Iure firmum fundamentum, dicendum est, non posse alium, quàm Pontificẽ dispensare; atque ita docent Sanchez, & Bonacina *in locis suprà cit. Gloss. in dicto cap.*2. *de schismaticis, in fine*, Garzias, 11.*part.de benefic.cap.*10. *n.*164. & Farinac. *de hæres.q.*184. *num.*36.

8 Aduerte tamen hîc probabile esse, hunc occultum schismaticum, & Ecclesiæ reconciliatum dispensatione non indigere; quia pœna inhabilitatis non videtur imposita cuilibet schismatico, sed publico, & manifesto, qualis erat ille Episcopus relatus *in dicto cap.quia diligentia*: quapropter occultus, & præsertim emendatus, non videtur hanc pœnam contrahere, vt probat etiam de hæretico Garzias *loc. suprà cit. n.*83. & *de schismatico, num.*162.

Petes secundò; An schismaticus, etiam beneficiis ante schisma obtentis, maneat priuatus?

9 Respondetur, quod quamuis affirmẽt Rebuff. *in prax. beneficiar. tit. de modis amittendi beneficia*, Flamin. *de resignat. benefic. lib.*3.*q.*1.*n.*36. & Farinac. *de hæres.q.*184. *n.*42. ex *cap.nos consuetudinem*, 12.*dist.* ex *cap.quia diligentia, de elect. & ex cap. vnico de schismatic. n.* 6. ibi: *Omnibus beneficiis perpetuò priuantes, & inhabiles reddentes ad habenda*; dicendum tamen sit, si schisma non sit hæresi coniunctum, schismaticum beneficiis ante schisma obtentis priuatum non manere.

Probatur; quia supradicti Textus *in cap. quia diligentia, & cap. nos consuetudinem*, non loquuntur de beneficiis ante schisma obtentis, sed de sola inhabilitate ad obtinenda beneficia, sicuti suprà dicebam: & Text. *in cap.nos consuetudinem*, non loquitur de hæreticis Donatistis: & solùm statuit seruari, tanquam consuetudinem, ne isti ad Episcopatum admittantur; Et textus *in cap.vnico de schismatic. in* 6. loquitur in casu speciali, in quo postposita electione canonica alicuius Pontificis, alius eligitur: Ergo, &c. Videri poterit Garz. *n.*151. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.*36. *n.*19.

Non obstat, si dicas cum Rebuffo: Nullum schisma est, quod hæresim adiunctam non habeat: sed hæreticus ipso iure est priuatus beneficiis ante schisma obtentis; Ergo. 10

Respondetur enim: Nego maiorem, quia licèt omnis hæreticus sit schismaticus, non tamen omnis schismaticus est hæreticus (vti dicebam suprà *dubit.* 47. *sect.*1. *supposito* 5.) Et sic ratio ista Rebuffi solùm probat de schismatico, qui semel sit hæreticus; non autem de schismatico, qui solùm sit schismaticus, & non hæreticus: Atque adeò solùm probat, ratione hæresis, non autem ratione schismatis. Cæterùm an hæreticus (scilicet simul actu externo & interno) ipso iure sit priuatus beneficiis ante schisma obtentis, dicam infrà *dubit.*102. *vsque ad dubit.*105.

SECTIO V.

Quod dicendum de aliis quinque pœnis schismaticorum?

SVMMARIVM.

1 *Quarta pœna schismaticorum est irregularitas: At secundùm Suarez, & alios dicta pœna contra schismaticos locum non habet: quia nullus est Textus, ex quo hæc irregularitas clarè colligatur.*

2 *Textus in cap. quia diligentia, de election. & Doctores ibi nullam faciunt mentionem de irregularitate, sed solùm de inhabilitate ad beneficia.*

3 *Textus in cap.* 1. *de schismaticis nullam imponit irregularitatem, sed solùm reddit nullas ordinum collationes à schismaticis factas quoad vsum ordinum in recipiente scienter, priuat beneficiis prouisos ab iisdem, sed tamen collatio non est irrita, sed solùm irritanda.*

4 *Textus in cap. qui contra* 24. *q.*1. & *cap. In nomine Domini, dist.*23. *nullam imponunt irregularitatem; sed solùm alias pœnas à iudice infligendas.*

5 *Schismaticus, si schisma sit notorium, schismate durante est irregularis irregularitate generali proueniente ex delicto notorio, depositione digno; quæ tamen irregularitas sufficienter per pœnitentiam absoluetur.*

6 *Quinta pœna schismaticorum est suspensio ordinis à schismatico scienter recepti.*

7 *Sexta pœna est, vt collatio beneficiorum à schismatico facta irritetur.*

8 *Pœna prædicta quinta & sexta, vt locum habeat in schismatico requiritur, vt schismaticus notorius sit declaratus.*

9 *Pœna prædicta solùm videntur imposita recipientibus scienter ordines, vel beneficia à schismaticis hæreticis; nam in iure hæreticus, & schismaticus æquiparantur.*

10 *Septima pœna est suspicio hæresis, & ea vehemens: quia licèt aliquando contingat dari schisma sine errore intellectus, rarò tamen id contingit; Quapropter omnis schismaticus abiurare tenetur non solùm schisma; sed etiam vehementem hæresis suspicionem.*

11 *Schismatici non solùm, sed etiam schismaticorum sequaces vehementer de hæresi suspecti sunt.*

12 *Octaua pœna schismaticorum est, vt sint subiecti iudici Ecclesiastico, à quo pro qualitate criminis puniantur, non solùm pœna pecuniaria; sed etiam exilio, carcere, triremibus, immò & relaxatione brachio sæculari, si pertinaces existant.*

Respondetur, & dico primò. Quarta pœna schismaticorũ ad mentẽ Speculatoris *tit. de dispens.* §.*iuxta. n.*17. Raymundi *in summa verb. schisma, vers. vltimo*, Maioli *lib.*5. *de irregul. cap.*46. *n.*3. Pegn. 2. *part. Direct. q.*48. 1

quæst. 48. *comment.* 78. Duardi *in Bull. Cœnæ lib.* 2. *q.* 56. *n.* 5. & Azorij *lib.* 8. *cap.* 20. *q.* 8. est irregularitas. At potiùs cum Suarez *de censur. disp.* 43. *sect.* 2. *n.* 7. Sayro *in Thesaur. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 11. *n.* 16. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 36. *n.* 20. & aliis, dicendum mihi videtur, quod huiusmodi pœna in schismaticos locum non habeat.

Probatur: quia nullus est Textus, ex quo hæc irregularitas clarè colligatur, & cùm irregularitas non nisi in casibus à iure expressis incurratur, fit, quod schismatici non sint irregulares.

2 Non obstat, quod Pegna referat Doctores *in cap.* 1. *quia diligentia, de elect.* id dicentes.

Respondetur enim, quod neque Textus, neque Doctores ibi faciant mentionem de irregularitate, sed solùm de inhabilitate ad beneficia.

3 Neque obstat secundò Textus *in cap.* 1 *de schismatic.* quia nullam Textus ibi imponit irregularitatem, sed solùm ordinum collationes à schismaticis factas reddit (quoad vsum ordinum in recipiente scienter) nullas, & irritas: decernit etiam, quod recipientes beneficia à schismaticis, careant illis: non tamen, vt volunt Suarez *tom.* 5. *in* 3. *partem disput.* 21. *sect.* 3. *n.* 5. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap* 36. *n.* 20. & alij, est irrita hæc collatio, sed solùm irritanda: Qua de re tamen, quid ego sentiam, dicam infrà *dubit.* 235. *sect.* 15. 16. & 17.

4 Neque obstat tertiò Textus *in cap qui contra* 24. *q.* 1. & *cap. in nomine Domini, dist.* 23. quia similiter etiam hi Textus nullam imponunt irregularitatem, sed solùm imponunt aliàs pœnas à Iudice infligendas.

5 Aduerte tamen, quod si schisma sit notorium, schismate durante, schismaticus sit irregularis irregularitate generali proueniente ex delicto notorio, depositione digno: quæ tamen irregularitas sufficienter per pœnitentiam absoluitur, quia per pœnitentiam absoluitur infamia facti, ad quam sequebatur talis irregularitas: Suarez, Sayrus, Sanchez *in locis suprà citatis*, & Bonacina *in Bull. Cœnæ disp.* 1. *quæst.* 2. *punct.* 5. *n.* 15.

6 Dico secundò: Quinta pœna est suspensio ordinis à schismatico scienter suscepti. Patet *ex cap. ordinationes* 9. *q.* 1. & *ex cap.* 1. & 2. *de schismaticis*; & tradunt Suarez *loc. cit. disp.* 13. *sect.* 3. *n.* 4. Sanchez *n.* 20. & Farinac. *de hæres. q.* 183. *n.* 43.

7 Dico tertiò: Sexta pœna est, vt collatio beneficiorum à schismatico facta irritetur. Constat, *ex cit. cap.* 1. *de schismaticis*, ibi: *Careant impetratis*: & docent Bonacina *disp.* 3. *q.* 4. *punct. vltimo*, §. 1. Suarez, Sanchez, & Farinacius *in locis suprà citatis.*

8 Aduerte tamen, quod vt hæc sexta pœna, & quinta præcedens locum habeant in schismaticum, ex probabili sententia Doctorum requiratur, quod schismaticus notorius sit declaratus.

Probatur; quia sic *in dicto cap. ordinationes* 9. *q.* 1. *in principio*, caueri videtur: Tum quia post Concilium Constantiense fideles non videtur obligari vitare schismaticos, quousque fuerint denunciati; Tum quia, vt in prima pœna dicebam, non carent potestate iurisdictionis, quousque illorum delictum fuerit declaratum.

9 Accedit, quod hæ pœnæ solùm videntur impositæ recipientibus scienter ordines, vel beneficia à schismaticis hæreticis, vt satis colligitur, *ex cap. ordinationes* 9. *q.* 1. & *ex cap.* 1. *de schismaticis*: Nam in iure hæreticus, & schismaticus æquiparantur *ex cap. nouissimè, de hæretic.* & ex traditis à Farinac. *de hæres. q.* 184. *num* 53.

10 Dico quartò: Septima pœna est suspicio hæresis, & ea vehemens, contra non nullos, quos sequitur Sousa *in Aphoris. Inquisit. lib.* 1. *cap.* 20. *n.* 13. probatur: quia, licèt aliquando contingat, dari schisma sine errore intellectus, vti suprà dicebam, rarò tamen id contingit Quapropter omnis schismaticus abiurare tenetur non solù schisma, sed etiam vehementem hæresis suspicionem, Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *n.* 24. Duardus *in Bull. Cœnæ lib.* 2. *can.* 1. *quæst.* 156. *n.* 12. Pegna 2. *part. Directi. quæst.* 48. *num.* 73. & Farinac. *de hæres. q.* 184. *num.* 13. & 35. vide etiam, quæ dicam infrà *sect.* 6. & *dubit.* 235. *sect.* 12.

Aduerte etiam ex Menoch. *loc. supra cit.* non solùm schismaticos, sed etiam schismaticorum sequaces vehementer de hæresi suspectos esse ob eamdem rationem. 11

Dico quintò: Octaua pœna schismaticorum est, vt fiant subiecti iudici Ecclesiastico, à quo pro qualitate criminis puniantur, non solùm pœna pecuniaria, sed etiam exilio, carcere, triremibus, imò & relaxatione brachio sæculari, si pertinaces existant: Valentia *disput.* 3. *q.* 15. *punct.* 3. Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 7. Diaz *in pract. cap.* 112. *n.* 1. & Farinac. *de hæres. q.* 184. *num.* 51. *ex cap. de Liguribus* 23. *quæst.* 5. *cap. Non vos, q.* 5. & *cap. In vnione Domini, dist.* 23.

SECTIO VI.

An possint Inquisitores procedere contra schismaticos?

SVMMARIVM.

1 *Schisma generatim commeti potest tribus modis; Primò, per separationem, seu recessum à membris. Secundò per recessum à solo Capite, & non à mëbris. Tertiò, per recessum à Capite, & à membris simul.*

2 *Separatio, seu recessus a Summo Pontifice contingere etiam potest tribus modis. Primo, negando ei obedientiam. Secundò, sequendo Pseudo pontificem. Tertiò, exercendo actus Pontificiæ potestatis.*

3 *Subtrahens se ab obedientia Summi Pontificis, in Bulla Cœnæ condemnatur tanquam schismaticus.*

4 *Pontifex intrusus, & qui ei adhæret, condemnatur tanquam schismaticus.*

5 *Synodos congregans absque Romani Pontificis auctoritate, condemnatur tanquam schismaticus.*

6 *Item, qui inuadit Episcopatum.*

7 *Schisma, quo quis se separat à sola vnitate membrorum, raro, vel ferè nunquam contingere solet.*

8 *Schismaticus vt quis sit, non sufficit, quod nolit obedire Pontifici in re aliqua particulari, eo quod v.g. eam putet difficilem, vel contra suum honorem, aut vtilitatem, &c. Modò agnoscat, eum esse Superiorem, & Caput Ecclesiæ: quia ad schisma requiritur inobedientia coniuncta cum quadam rebellione, qua quis vult se omninò subtrahere à iurisdictione illius, quem nouit certò esse Pontificem.*

9 *Inquisitores possunt procedere contra schismaticos; quia schimaticus, (vt omittam, quod si habeat errorem in intellectu, est etiam hæreticus formaliter, ita vt tunc abiurare debeat de formali) est suspectus vehementer, ita vt debeat abiurare de vehementi.*

10 *Schismaticus non solùm debet abiurare hæresim formalem, vel hæresis suspicionem vehementem, aut leuem; sed etiam debet abiurare schisma.*

11 *Schismaticus præfatus præter pœnas amissionis iurisdictionis, excommunicationis latæ sententiæ, inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica, etiam post schismatis pœnitentiam, potest puniri pœna pecuniæ, exilij, carceris, triremis, & si pertinax fuerit, tradi Curiæ sæculari.*

SVppono ex dictis suprà, quod generatim schisma committi possit tribus modis: Vno per separationem, seu recessum à membris, & non à Capite, vt si Galli, vel Hispani, &c. in spiritualibus, & actibus Religionis Christianæ nollent communicare cum Italis: Qui modus schismatis rarò, & ferè nunquàm contingere solet. Secundò per recessum à solo Capite, & non à membris. Qui modus faciliùs contingere potest. Tertiò, per recessum à Capite, & à membris simul: qui modus contingit, dum quis se separat ab obedientia 1

obedientia Pontificis, etiam se separat à communicatione eorum, qui eum, vt verum Pontificem, sequuntur.

2 Separatio autem, seu recessus à Summo Pontifice contingere etiam potest tribus modis: Primò, negando obedientiam vero Pontifici. Secundò, instituendo, vel sequendo Pseudo-Pontificem. Tertiò exercendo actus Pontificiæ potestatis sine auctoritate veri Pontificis.

3 Et hi omnes modi in diuersis Canonibus condemnantur tanquam schismatici: siquidem in Bulla 4 Cœnæ condemnatur, tanquam schismaticus, qui se subtrahit ab obedientia Romani Pontificis, *& in cap. licèt, de elect.* condemnatur, tanquam schismaticus, 5 Pontifex intrusus, & qui ei adhæret: & *in cap. nec licuit, distinct.* 17. & *cap. de liguribus* 24. *quæst.* 1. condemnantur tanquam schismatici, qui congregant Synodos absque Romani Pontificis auctoritate, *& in* 6 *cap. non furem 7. quæst.* 1. condemnatur, tanquam schismaticus is, qui inuadit Episcopatum.

7 De schismate autem, quo quis se separat à sola vnitate membrorum, in iure nulla fit mentio; quia, sicuti dicebam, hoc genus schismatis rarò, vel ferè nunquam contingere solet.

8 Aduerte tamen hîc ex dictis etiam suprà, quod vt quis sit schismaticus, non sufficiat, vt nolit obedire Pontifici in re aliqua particulari, eo quod verbi gratia, eam putet difficilem, vel contra suum honorem, aut vtilitatem; vel eo quod putet, non posse Pontificem quid simile ipsi præcipere, vel ob aliam causam, &c. modo agnoscat, eum esse Superiorem, & Caput Ecclesiæ; quia ad schisma requiritur inobedientia coniuncta cum quadam rebellione, qua quia vult se omninò subtrahere à subiectione illius, quem nouit certò esse Pontificem: vel saltem nullam habet probabilem rationem dubitandi, an sit verus Pontifex: si enim probabiliter dubitaret, an sit verus Pontifex, vel an sit verè, & validè à Cardinalibus electus, non esset tunc schismaticus, si tunc nollet ei obedire. Vide, quæ diffusiùs de hac re dicebam suprà, & dicam etiam infrà *dubit.* 235. His suppositis.

9 Respondetur affirmatiuè; quia schismaticus (vt omittam, quod si habeat errorem in intellectu, sit etiam hæreticus formaliter, ita vt tunc debeat abiurare de formali) est suspectus vehementer, ita vt debeat abiurare de vehementi, sicuti suprà *sectione præcedenti* dicebam; vel saltem est suspectus de leui, ita vt saltem debeat abiurare de leui, vt volunt alij, quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 1. *cap.* 30. *num.* 13. qui tamen, quod debeat etiam abiurare de vehementi, consentiunt nobiscum casu, quo diù in schismate perseuerauerit, vel aliqua alia circumstantia contra ipsum reperiatur.

10 Vbi aduerte, quod schismaticus non solùm debeat abiurare hæresim formalem, vel hæresis suspicionem vehementem, aut leuem, vti dicebam, sed etiam debeat abiurare schisma, & abiurare illud sub forma, quæ sit iuxta dispositionem Textus *in cap. quoties cordis* 1. *quæst.* 7.

11 Aduerte secundò, quod dictus schismaticus, præter pœnas amissionis iurisdictionis, excommunicationis latæ sententiæ, inhabilitatis ad beneficia Ecclesiastica (etiam post schismatis pœnitentiam) acquirenda, & priuationis ipso iure beneficiorum acquisitorum, quas incurrit de iure, sicuti dicebam *sectione præcedenti*; possit etiam puniri pœna pecuniæ, exilij, carceris, triremis, & si pertinax fuerit tradi Curiæ sæculari, sicuti dicebam *eadem sect. præcedenti*. Hæc dixerim de pœnis schismaticorum.

At de schismaticis vide etiam, quæ dicam infrà *dubitatione* 235. *per totam*. Dicam nunc de pœnis hæreticorum.



DVBITATIO XLIX.

Quænam sint Hæreticorum pœnæ?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis delictum cum sit valdè graue, meritò Ecclesia illud coërcere voluit pœnis similiter grauioribus, non solùm spiritualibus, vt excommunicatione, infamia, priuatione beneficiorum, & officiorum: sed etiam temporalibus, vt pœna carceris, fustigationis, exilij, triremis, mortis, &c.*



Espondetvr: De hæreticorum pœnis vide suprà *dubit.* 12. *corollar.* 3.

Aduerte tamen hîc, quod cùm delictum hæresis sit valdè graue, meritò Ecclesia illud coërcere voluit pœnis similiter grauioribus, non solùm spiritualibus, vt excommunicatione, infamia, priuatione beneficiorum, & officiorum; sed etiam temporalibus, vt pœna carceris, fustigationis, exilij, triremis, mortis, &c. De quibus omnibus per per ordinem sigillatim distinctiùs mox infrà dicetur. 1

PETITIO PRIMA.

An hæreticus sit excommunicatus Iure Ecclesiastico?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus est excommunicatus ipso iure, seu ipso facto ex pluribus Summorum Pontificum Constitutionibus.*

2 *Hæreticus excommunicatur etiam ipso iure in Bulla Cœnæ Domini, sicque excommunicatione reseruata Summo Pontifici. Quæ tamen ante dictam Bullam non erat reseruata.*

3 *Hæreticus excommunicatur; quia cùm peccatum hæresis sit grauissimum, par est, quod grauissima pœna, qualis est excommunicatio, puniatur, &c.*

4 *Hæreticus debet ipso iure excommunicari: quia licèt excommunicatio ab homine requirat quidem priùs præuiam monitionem, non tamen eam requirit excommunicatio à iure, cum lex qua ipsa imponitur, sit instar præuia monitionis.*

REspondeturRespondetur affirmatiuè: Patet *ex cap. nouerat, de sent. excommunic. ex cap. Achacius, ex cap. audiuimus* 24. *q.* 1. *ex cap. ad abolendam, ex cap. excommunicamus* 1. *&* 2. *ex cap. cum Christus, de hæretic. & ex cap. quicumque, eodem tit. in* 6. Patet etiam ex Constitutione Martini V. quæ incipit: *inter cunctas*; ex Constitutione Leon. X. quæ incipit, *exurge Domine*: ex Cõstitutione Innoc. IV. quæ incipit, *nouerit vniuersitas*: & ex Constitutione Nicolai III. quæ etiam incipit, *nouerit vniuersitas*, apud Pegnam in Director. inter literas Apostolicas. 1

Est excommunicatus etiam iure Ecclesiastico in Bulla Cœnæ Domini, sicque excommunicatione reseruata Summo Pontifici: cùm tamen, vti bene notant Syluest. *verb. excommunicatio* 7. *cas.* 1. Caietan. *eodem verbo cap.* 1. Sotus *in* 4. *dist.* 18 *q.* 2. *art.* 3. Nauarr. *in summa cap.* 27. *n.* 55. Suar. *de fide disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 3. Ricciullus *lib.* 5. *de iur. personar. cap.* 13. *n.* 1. qui cum Vgolino *de censuris Romano Pontifici reseruat. part.* 2. *§.* 4. *n.* 11. & Farinacio *de hæres. q.* 191. *§.* 1. *n.* 9. subdit, quod hæreticus tot excommunicationes incurrat, quot hæreses profitetur; ante dictam Bullam Cœnæ Domini, Summo Pontifici non fuerit reseruata. 2

Et quidem meritò est excõmunicatus iure Ecclesiastico: quia, cùm peccatum hæresis sit grauissimum, par est 3

est, quod grauissima pœna, qualis est excommunicatio, puniatur. Tùm quia, cùm hæreticus ipsemet ab Ecclesia se seiungat, par est, quod ab Ecclesia repellatur, & bonis spiritualibus spolietur. Tùm ob bonum fidelium, quia cùm hæretici proprium sit, alios peruertere, par est, quod a fidelium consortio separetur. Tùm etiam ob bonum, & vtilitatem ipsiusmet hæretici, quia cùm is videat, se ab aliorum consortio separari, fortassè resipiscet.

Obiicies ex Apostolo *ad Titum 3. vers.10.* ibi: *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita:* Ergo hæreticus non debet ipso facto, seu ipso iure excommunicari, sed potiùs moneri priùs.

Respondetur: Nego priorem partem consequentiæ,
4 quia licet excommunicatio ab homine requirat quidem priùs præuiam monitionem, vt etiam habetur *in cap. in præsentia, & in cap. sacro, de sent. excommunic.* excommunicatio tamen à iure non requirit similiter hanc præuiam monitionem, cùm lex, qua talis excommunicatio imponitur, sit instar præuiæ monitionis. Nos verò loquimur de excommunicatione, quæ imponitur à iure, & quæ tempore Apostolorum nulla imponebatur.

PETITIO II.

An, vt hæreticus mentalis sit excommunicatus iure Ecclesiastico, requiratur, quod ipsius hæresis mentalis sit signo aliquo externo sufficienter manifestata.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus mentalis, seu per se occultus, non est excommunicatus neque ab Ecclesia, neque etiam contrahit alias pœnas aduersus hæreticos de iure latas, ex pluribus Doctoribus contra Glossam, & alios.*

2 *Ecclesia non potest cognoscere hæresim mentalem, seu purè internam.*

3 *Ecclesia non habet per se, & directè Iurisdictionem in actus mentales, seu purè internos.*

4 *Ecclesia etiamsi haberet Iurisdictionem iudicandi, & puniendi actus mentales, seu purè internos, adhuc id facere non expediret bono regimini Ecclesiæ.*

5 *Excommunicatio de facto nullibi fertur in hæresim mentalem, seu purè internam, &c.*

1 RÈspondetur affirmatiuè, ita vt hæreticus mentalis, seu per se occultus (qui scilicet mente solùm est hæreticus, sed nullo signo externo hæresim suam mentalem extrinsecùs sufficienter manifestauit) non sit excommunicatus iure Ecclesiastico, neque contrahat alias pœnas aduersus hæreticos ab Ecclesia latas: Maior *in 3. dist. 25. quæst. 1. circa finem*, Iacobus Almaynus *in 4. dist. 17. quæst. 1.* Paludan. *ibid. dist. 13. quæst. 13. art. 1. conclus. 8. num. 15.* Caietanus *2. 2. quæst. 11. art. 3. circa finem, & in summa verb. hæresis, in fine*, Vmbert. Locat. *in iudicial. Inquisit. verb. occultans, num. 4* Nauarr. *in summa cap. 11. num. 17. & cap. 27. num. 56. & in cap. cogitationes, de pœnit. dist. 1. & in principio de pœnit. dist. 5. num. 19. & 20. & in rubrica de iudiciis num. 67.* Sotus *in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 3. conclus. 9.* Couarruu. *in Regula peccatum, part. 2. in princ. num. 17.* Aragonius *2. 2. quæst. 11. art. 3. §. propter hæc argumenta*, Suarez *tom. 5. de censur. disp. 21. sect. 2. num. 1. & in tract. de fide disp. 21. sect. 2. num. 4. & lib. 3. de legib. cap. 13. & lib. 4. cap. 22.* Vasquez *part. 2. disp. 160 num. 20.* Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 14. num. 6. & lib. 14. cap. 4. §. 1. in glossa litt. D.* Angelus *verb. hæreticus, num. 2.* Syluest. *verb. excommunicatio 7. num. 3. & 4.* S. Antoninus *part. 3. tit. 24. cap. 4. in principio*, Castro *lib. 2. de leg. pœnal. cap. vltimo, & lib. 2. de iust. hæret. punit. cap. 28*, Bannez *2. 2. quæst. 11. art. 4. dub. 2. concl. 1. vers. His suppositis*, Tolet. *lib. 1. cap. 19. num. 3.* vbi ait, hanc sententiam esse communissimam. Armilla *verb. hæresis, num. 2. & 19.* Clarus *in praxi crimin. lib. 5. §. hæresis, num. 23.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 10. & lib. 8. cap. 10. quæst. 3. & cap. 19. quæst. 4.* Vgolinus *tract. de censur. Papæ reseru. part. 2. §. 1. num. 16. & seqq. & §. 4. num. 12. & de irregularit. cap. 34. num. 6.* Grafflius *lib. 2. decision. cap. 9. num. 3. & lib. 4. cap. 18. num 14.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. num. 2. & seqq.* Rebuff. *in Bullam Cœnæ verb. publicè, vel occultè*, Carbo *de legib. lib. 8. disput. 14.* Campeg. *in addition. ad Zanchin. cap. 18. litt. A.* Salas *de legib. disp. 4. sect. 1.* Barbosa *de offic. Episcop. part. 2. allegat. 42. num. 6.* Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 48. num. 40.* Reginaldus *lib. 17. quæst. 5. num. 58.* Valentia *2. 2. disp. 7. quæst. 5. punct. 7. & quæst. 11. punct. 3.* Auila *de censur. part. 2. dub. 10. concl. 1. & part. 7. disp. 2. dub. 1.* Garzias *de beneficiis part. 11. cap. 10. num. 92.* Turrianus *de fide disp. 56. dub. 2.* Simanch. *de cathol. institut. tit. 42. num. 3.* Farinac. *de hæres. quæst. 192. num. 6.* Pegna *in schol. ad Royas part. 1. num. 240. & part. 2. num. 319.* vbi ait, hanc sententiam esse veram, & in praxi seruandam. Becanus *de fide cap. 15. quæst. 1. num. 2. & quæst. 2. num. 3.* Emmanuel Sà *verb. excommunicatio in casib. Bullæ Cœnæ*, & alij communiter.

Contra Glossam *in cap. cogitationes, verb. patitur, de pœnit. dist. 1.* & Glossam *in Clement. 1. §. verum, verb. eo ipso, de hæreticis*, & Glossam *in cap. vnico §. omnem, de schismaticis in 6.* Baldum *in leg. si quis. Cod. de Episc. & Cleric. num. 1. & 9.* Felinum *in cap. 1. de præsumpt. num. 7. & in cap. porrò, de sent. excommunicat.* Marsilium *in leg. qui falsam, Cod. ad leg. Cornel. de falsariis, num. 24.* Adrianum *in 4. de confessione, quæst. 1. & quodlib. 8. art. 1.* Rozellam *verb. excommunicatio, & verb. absolutio, n. 28.* Medinam *Cod. de pœnitent. in tract. de oratione quæst. 15.* Albertinum, *tract. de agnoscend. assertion. quæst. 33. n. 18. & seqq.* Imolam *in Clement. 1. de hæretic. num. 18.* Menochium *de arbitr. lib. 1. centur. 4. cas. 360. num. 6. & 7.* Tiraquellum *in leg. si vnquam, verb. reuertatur, num. 142. de reuocand. donation.* Azeuedum *in l. 1. tit. 3. lib. 8. n. 151. & seqq.* Panormitanum *in cap. 2. de offic. ordinand. n. 13. & in cap. extirpandæ, §. qui verò, de præbend. num. 12.* Ceuallas *quæst. 698.* Bottam *consil. 1. num. 10.* Spinum *in specul. testam. gloss. 7. num. 13. & seqq.* Royas *de hæretic. part. 1. num. 246.* Canteram *in quæstion. crimin. part. 1. cap. 1. num. 8.* Ioannem Vela *de pœnis delict. cap. 14. vers. iure verò canonico*, & alios quosdam.

Probatur, quia Ecclesia non potest cognoscere hæresim mentalem, seu purè internam: Ergo non potest illam per excommunicationem punire. Antecedens patet, quia cognoscere actus mentales, seu purè internos est proprium Dei. Consequentia probatur, quia quod quis non potest cognoscere, non potest punire, nec præcipere. 2

Confirmatur, quia Ecclesia non habet per se, & directè iurisdictionem in actus mentales, seu purè internos: Ergò non potest per se, & directè ferre excommunicationem in hæresim mentalem, seu purè internam, consequentia patet, quia sine iurisdictione excommunicatio ferri non potest. Antecedens probatur *ex cap. à nobis 1. de sent. excommunic. ex cap. tua, de sponsalib. ex cap. vt nostrum, vt Ecclesiastica benef. sine dimiss. conferan. ex cap. 1. de clandest. spons. ex cap. sicut tuis literis, de simonia*, ibi: *Ecclesia non iudicat de occultis, ex cap. tua nos, eodem tit. Nobis datum est de manifestis tantummodò iudicare, ex cap. consuluisti 1. quæst. 5: ex cap. si quando 15. quæst. 6. ex cap. cogitationes, de pœnit. dist. 1. Cogitationis pœnam nemo patiatur; ex cap. erubescant, dist. 32. De manifestis loquimur, secretorum autem & cognitor, & iudex est Deus:* Ex colligitur etiam *ex primo ad Corinth. cap. 4.* ibi: *Nolite ante tempus iudicare quoad vsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia* 3

cordium ; quia hæc cùm soli Deo sint cognita, à solo Deo iudicantur.

4 Confirmatur secundò, quia etiamsi Ecclesia haberet iurisdictionem iudicandi, & puniendi actus mentales, seu purè internos, adhuc id facere, non expediret bono regimini Ecclesiæ, sicuti rectè præter alios adnotarunt Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5.* Alcozer *in summa cap. 12. punct. 2.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. num. 4.*

5 Confirmatur tertiò, quia de facto nullibi fertur excommunicatio in hæresim mentalem, seu purè internam, nec in vllum alium huiusmodi actum similiter, scilicet mentalem, seu purè internum.

PETITIO III.

An ab hæresi mentali, seu purè interna absoluere possint Parrochi, & alij Confessarij approbati ab Ordinario?

SVMMARIVM.

1 *Parrochi, & alij Confessarij approbati ab Ordinario absoluere possunt ab hæresi mentali, seu purè interna, cùm excommunicationem annexam sibi non habeat, cumque nullibi reseruetur Episcopo, & multò minus Summo Pontifici.*

2 *Inquisitores in aliquibus locis solent habere instructionem, vt qui habet hæresim internam secretò reconcilietur: At non ob id hæresis interna est casus reseruatus, nisi manifestetur aliquo signo exteriori.*

3 *Peccatum hæresis consummatur in mente quoad forum internum, seu quoad Deum, non autem quoad forum externum, seu quoad Ecclesiam, & ideò censura lata propter hæresim, non incurritur, si hæresis lateat in mente, & non sit manifestata aliquo exteriori signo.*

4 *Excommunicatio, quæ fertur in cap. excommunicamus primo, §. credentes, & in cap. excommunicamus secundo, §. si qui autem, de hæreticis, contra eum, qui non credit aliquem articulum fidei, vel qui credit aliquem errorem, non incurritur ab eo, qui sufficienter errorem suum non manifestat exteriùs.*

5 *Excommunicatio lata in Concilio Basiliensi sess. 38. contra credentem cuidam libro, non incurritur à credente, seu assentiente, dummodò suum assensum non manifestet exteriùs.*

6 *Inquisitor, seu iudex, qui ex odio, amore, vel spe lucri aliquid omittit, vel committit in causa fidei, excommunicatur in Clement. 1. §. verum, de hæretic. sed non ità vt per talem excommunicationem puniatur actus internus odij, vel amoris: Punitur enim ipsa omissio, vel commissio, posito tali actu interno odij, vel amoris, &c.*

7 *Monachus qui adit Curiam Principis cum animo accusandi suum Prælatum, seu cum animo inferendi damnum illi, vel Monasterio, excommunicatur, non tamen punitur animus internus accusandi, sed solus aditus externus, posito tali animo accusandi tanquam conditione, sine qua non.*

8 *Hæreticus mentalis, seu purè internus, si à iudice interrogatus, an aliquando hæresim aliquam tenuerit: Responderet, se tenuisse, & adhuc tenere, potest puniri, quia iam per talem confessionem non non esset ampliùs hæreticus mentalis, seu purè internus, sed sufficienter hæresim suam manifestaret exteriùs per signum externum. Secus si responderet, se tenuisse, sed de præsenti non ampliùs tenere.*

9 *Ecclesia de facto præcipit deuotionem, & attentionem in recitandis horis canonicis, & de facto etiam præcipit dilectionem, contritionem, attritionem, & similes actus interiores in Sacramento Confessionis, Communionis, &c. indirectè, & per accidens, non directè, & per se.*

10 *Ecclesia de facto absoluit à peccatis internis, & de facto dispensat etiam in votis internis, seu mentalibus non præcisè, solitariè, vel quomodocumque, sed quatenùs iurisdictioni, & clauibus ipsius Ecclesiæ per actus exteriores subiiciuntur.*

11 *Hæreticus, occultus scilicet non per se, sed per accidens, nempe qui verbis, vel signis sufficienter hæresim suam exterius manifestauit, sed in loco secreto, & occulto, vt propterea per accidens non possit probari, est excommunicatus.*

12 *Hæresis externa, quamuis sit occulta, hoc ipso quod est externa, seu sufficienter exterius significata (vtpotè tunc ex suâ naturâ manifestata) incipit esse sub Iurisdictione Ecclesiæ, cum per accidens sit, quod in iudicio non possit probari.*

13 *Hæreticus, similiter scilicet non per se, sed per accidens occultus, sicut incurrit excommunicationem, ità propter eandem rationem incurrit etiam alias pœnas à iure aduersus hæreticos inflictas, quamuis illas in se ipsum exequi non teneatur, nisi prius delictum probatum fuerit, & sententia Iudicis accesserit.*

14 *Excipe primò in censuris, & irregularitate, ità vt quis hoc ipso in foro conscientiæ sit excommunicatus.*

15 *Excipe secundò in pœnis testamentariis, ità vt si vidua v.g. dominium relicta fuerit à marito, vel vsufructuaria, cum conditione si castè vixerit, si secùs fecerit, in foro conscientiæ tenetur restituere dominium, & vsumfructum etiamsi nullus iudex, vel executor compellat restituere quod consumpsit.*

16 *Ecclesia è contra potest per se, & directè sibi reseruare peccata merè interna: quia iurisdictio non minùs ad absoluendum à peccatis internis, quàm ab externis conuenienti ordine à superioribus ad inferiores confessarios descendit.*

17 *Reseruare peccata non expedit, quia internorum peccatorum reseruatio non est ita necessaria ad Ecclesiæ gubernationem.*

18 *Peccata, quæ ab Episcopo, vel ab alio Prælato, qui similem in suos iurisdictionem habet, reseruantur, debent esse mortalia, quia venialia reseruari non solent. Omnibus enim Sacerdotibus iure diuino est ab iis absoluendi potestas. Nemoque tenetur ad venialium confessionem.*

19 *Casus etiam Bullæ Cœnæ non reseruatur Summo Pontifici, nisi ratione excommunicationis eidem prædicto casui iam annexæ, quia de facto Summus Pontifex ordinariè nullum peccatum reseruat suo Tribunali.*

20 *Summus Pontifex, vel eius Pœnitentiarius si aliquem absoluit à sola censura Bullæ, vel ab alia censura Summo Pontifici reseruata, inferior Confessarius deinde in foro conscientiæ absoluere potest ab illo peccato, cui talis censura reseruata annexa fuerat.*

21 *Committens peccatum etiam in Bulla Cœnæ contentum, sed ob ignorantiam saltem non crassam à censura Papali excusatur, eo quod de illa nihil audiuit, contrà Suarez, & alios.*

22 *Hæresis peccatum, cui excommunicatio Papalis annexa est, per se, & immediatè Papæ reseruatum etiam non est, etenim ob suam grauitatem specialem per se, & immediatè Papæ reseruatum est.*

Respondetur ex dictis, quod ab hæresi mentali, seu purè interna, cùm hæc excommunicationem annexam sibi non habeat, cumque nullibi reseruetur Episcopo, & multò minus Summo Pontifici, cui casus etiam in Bulla Cœnæ solùm ratione censuræ reseruatur; absoluere possint Parrochi, & alij Confessarij approbati 1

approbari ab ordinario, Caietanus 2.2. *q.* 11. *art.* 3. *& in summa verb. hæresis, in fine, & verb. casus reseruati,* Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *art.* 5. *vers. verum verò,* Ledesma 2. 4. *quæst.* 7. *art.* 2. *dubit.* 11. Nauarrus *in summa, cap.* 27. *num.* 56. Gottierrez *lib.* 1. *quæst. canonic. cap.* 13. *num.* 28. Simanch. *de Cathol. institut. tit.* 31. *num.* 17. Couarruu. *in regula peccatum, part.* 2. *num.* 7. Aragonius 2.2. *quæst.* 11. *art.* 3. *vers. ad dubium,* Lælius Zecchius *de casib. Episc. reseruat. circa casum vltimum, n.* 1. *vers. hinc est,* Turrianus *de fide disput.* 56. *dub.* 2. *vers. illud placet,* Suarez *tom.* 5. *disput.* 21. *sect.* 1. *n.* 8. Sayrus *de censur. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 21. Rodoriquez *in Bull. Cruciata.* §. 9. *num.* 21. Vmbert. Locat. *in oper. iudic. verb. hæreticus, num.* 24. Becanus *de fide cap.* 15. *quæst.* 1. *num.* 5. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 8. *n.* 3. & alij communiter, quos sequitur Barbosa *de offic. Episcop. part.* 2. *allegat.* 46. *n.* 5. *&* 6.

2 Non obstat, si dicas: In aliquibus locis Inquisitores solent habere instructionem, vt qui habet hæresim interiorem, secretò reconcilietur: Ergo signum est, quod hæresis interior sit casus reseruatus.

Respondetur enim: Nego consequentiam; quia id fit ex eo, quod rarò contingit, vt hæresis interior aliquo signo exteriori non manifestetur. Vel respondetur meliùs cum Couarruuia vbi suprà, Gutierr. *cit. cap.* 13. *num.* 7. Aragonio *cit. q.* 11. *art.* 3. Simancha *de Cathol. instit. tit.* 42. *n.* 9. Suarez *de fide disput.* 21. *sect.* 2. *n.* 6. & alijs, id intelligi de hæresi interiori, quæ sit occulta non per se, sed occulta per accidens, iuxta ea, quæ dicentur infrà *in Aduertendo primo.*

OBIECTIONES.

3 Obiicies: Quotiescumque excommunicatio, vel quæcumque alia censura fertur ipso iure, seu ipso facto propter aliquod peccatum, statim atque consummatur peccatum, incurritur censura, sed peccatum hæresis consummatur in mente: Ergo censura lata propter hæresim, statim incurritur, quamuis hæresis lateat in mente, & nullo modo proferatur exteriùs.

Respondetur: distinguo minorem; Peccatum hæresis consummatur in mente, quoad forum internum, seu quoad Deum, concedo: quoad forum externum, seu quoad Ecclesiam, quæ solùm ex dictis iudicat de externis, nego; quia quoad forum externum, seu quoad Ecclesiam hæresis consummatur tantùm, quando sufficienter manifestatur exterius per aliqua verba, vel per aliqua signa; sicuti infrà *sect. sequenti dicetur.*

4 Instabis: *In cap. excommunicamus* 1. §. *credentes, & in cap. excommunicamus* 2. §. *si qui autem, de hæreticis,* excommunicatur qui non credit aliquem articulum fidei, vel qui credit aliquem errorem: Ergo recurrit difficultas.

Respondetur: Distinguo similiter antecedens: si iste talis errorem suum manifestet sufficienter exteriùs per aliqua verba, vel per aliqua signa, concedo: si secùs, nego.

5 Reinstabis: In Concilio Basiliensi *sess.* 38. sub excommunicatione prohibetur, ne quis cuidam libro audeat credere, vel assentiri: Ergo recurrit difficultas.

Respondetur similiter etiam: si is tali libro credat, vel assentiatur, ita vt suum assensum sufficienter exteriùs manifestet per aliquod verbum, vel per aliquod signum, concedo: si secùs, nego.

6 Vrgebis: In Clementina prima §. *verum,* de hæreticis excommunicatur Inquisitor, seu Iudex, qui ex odio, amore, vel spe lucri aliquid omittit, vel committit in causa fidei; Ergo recurrit difficultas.

Respondetur similiter etiam iuxta ea, quæ suprà dicebam, distinguo antecedens; Ita vt per talem excommunicationem puniatur actus internus odij, vel amoris, &c. nego: Ita vt puniatur ipsa omissio, vel commissio, posito tali actu interno odij, vel amoris, &c. ex quo ipsa procedit, tanquam conditione, sine qua non, &c. concedo. Vt omittam, nonnullos Doctores sentire, quod Inquisitor, seu Iudex non incurrat prædictam excommunicationem, si huiusmodi actum suum internum odij, vel amoris, &c. nullo signo sufficienter manifestet exteriùs; quamuis alij, dicant, quod incurrat, quia Inquisitor, seu Iudex, inquiunt ipsi, hoc ipso prædictum actum suum internum sufficienter manifestat exteriùs; cùm ex tali iniustitia omissionis, vel commissionis externa, hoc ipso sufficienter Ecclesia præsumit prædictum actum internum odij, vel amoris, &c.

Reurgebis: *In Clement.* 1. §. *quia verò, de statu monach.* excommunicatur Monachus, qui adit Curiam Principis, cum animo accusandi suum Prælatum, seu cum animo inferendi damnum illi, vel Monasterio: Ergo recurrit difficultas. 7

Respondetur similiter etiam iuxta eadem, quæ suprà dicebam: Distinguo antecedens: Ita vt puniatur animus internus accusandi suum Prælatum, seu inferendi damnum illi, vel Monasterio, nego: Ita vt puniatur aditus externus, posito tali animo accusandi suum Prælatum, seu inferendi damnum illi, vel Monasterio (ex quo animo procedit prædictus aditus) tanquam conditione, sine qua non, concedo. Vt omittam similiter, nonnullos Doctores sentire, quod Monachus non incurrat prædictam excommunicationem, si talem animum suum internum nullo signo manifestet exteriùs. Quamuis alij etiam dicant, quod incurrebat olim, quia Monachus olim, inquiunt etiam ipsi, hoc ipso prædictum animum suum internum sufficienter manifestabat exteriùs; cùm olim propter nimiam frequentiam adeundi Curiam Principis ad accusandum Superiorem hoc ipso Ecclesia præsumeret talem animum prauum internum. Quod tamen non est modo: quia modò cessauit huiusmodi frequentia; sicque Ecclesia modò non præsumit, atque adeò Monachus modò excommunicationem non incurrit; nisi aliunde talem animum suum internum sufficienter manifestet exteriùs per aliquod aliud signum externum.

Obiicies secundò: Hæreticus mentalis, seu purè internus, si à iudice interrogatus, an aliquando hæresim aliquam tenuerit, responderet, se tenuisse, posset puniri: Ergo signum est, quod Ecclesia habeat iurisdictionem in actus etiam mentales, seu purè internos; sicque quod possit per excommunicationem punire hæresim etiam mentalem, seu purè internam. 8

Respondetur: distinguo antecedens: si responderet, se tenuisse, & adhuc tenere, concedo; quia iam per talem confessionem non esset ampliùs hæreticus mentalis, seu purè internus, sed sufficienter hæresim suam manifestaret exteriùs per signum externum: si responderet, se tenuisse, at nunc de præsenti non ampliùs tenere, sed nunc de præsenti cum Ecclesia Catholica sentire, nego; quia in tali casu non debet in rigore puniri, nec indiget absolutione ab excommunicatione, cum (vt purè hæreticus tantùm mentalis, seu purè internus) nullam contraxerit excommunicationem.

Obiicies tertiò: De facto Ecclesia præcipit deuotionem, & attentionem in recitandis horis canonicis, *cap. dolentes de celebr. Missar.* & de facto etiam præcipit dilectionem, contritionem, attritionem, & similes actus interiores in Sacramento Confessionis, Communionis, &c. Ergo signum est, quod Ecclesia se extendat ad actus etiam mentales, seu purè internos; sicque quod possit per excommunicationem punire hæresim etiam mentalem, seu purè internam. 9

Respondetur, vt omittam, nonnullos Doctores sentire, quod Ecclesia in recitandis horis canonicis præcipiat deuotionem, & attentionem solùm externam, non item internam, sicque etiam actum interiorem; cum solùm deuotio, & attentio externa, non item interna sit intra sphæram iurisdictionis Ecclesiæ. Et quod Ecclesia in Sacramento Confessionis, vel

Commu

Communionis, &c. propter eandem rationem præcipiat Confessionem, & Communionem similiter etiam externam, & materialem præcisis prædictis actibus interioribus, non item internam, & formalem, sicque prædictos actus interiores: ita vt per Confessionem, & Communionem tantum externam, & materialem præcisis iisdem actibus interioribus, satisfiat præcepto Ecclesiæ: Distinguo antecedens: De facto Ecclesia præcipit deuotionem, & attentionem, scilicet in sententia nostra, etiam internam in recitandis horis canonicis: directè, & per se, nego: Indirectè & per accidens, concedo; quia cùm Ecclesia præcipiat in recitandis horis canonicis veram orationem; & vera oratio non possit esse sine deuotione, & attentione interna; præcipit indirectè, & per accidens etiam deuotionem, & attentionem internam, sicque actum interiorem. Item quando Ecclesia præcipit confessionem, vel communionem, &c. præcipit similiter directè, & per se, tantum confessionem, & communionem externam, & materialem, præcisis actibus interioribus; indirectè autem, & per accidens dilectionem, contritionem, attritionem, & similes actus interiores; quia cùm Ecclesia præcipiat veram confessionem, & vera confessio non possit esse sine contritione, vel attritione, vt parte constitutiua, & essentiali; & cum præcipiat veram communionem, & vera communio requirat similes actus interiores, vt quamdam dispositionem, præcipit etiam prædictos actus interiores indirectè, & per accidens. Quapropter quotiescumque Ecclesia requirit actum internum, vel illum punit, vt *in dicto cap. dolentes, & in cap. vltimo vers. cæterum, de hæreticis in 6. & in cap. si quis, dist. 30. & alibi*, solum loquitur de actibus internis non secundum se, sed vt influunt in actus externos seu, quod idem est, loquitur de actibus externis, quatenùs oriuntur, vel causantur, & moralizantur ab actibus internis.

10 Instabis: Ecclesia de facto absoluit à peccatis internis, & de facto dispensat etiam in votis internis, seu purè mentalibus: Ergo recurrit difficultas.

Respondetur: Distinguo antecedens, de facto absoluit à peccatis internis, & de facto dispensat etiam in votis internis, seu mentalibus; præcisè, solitariè, vel quomodocumque, nego: Quatenùs Iurisdictioni, & clauibus ipsius Ecclesiæ per actus exteriores subiiciuntur, concedo.

ADVERTENDA.

11 Aduerte tamen hîc, quod hæreticus occultus scilicet non per se, sed per accidens, nempè qui verbis, vel signis sufficienter hæresim suam exterius manifestauit, sed in loco secreto, & occulto, vt propterea per accidens non possit probari, sit excommunicatus; Glos. *in Clem. 1. de hæretic. verb. eo ipso incurrant*, & Canonistæ *ibidem*, præsertim Imola *num. 17. & 18.* Item Glossa *in cap. cogitationes, verb. Patitur, de pœnit. dist. 1.* Bald. *in l. si quis. vers. venio, Cod. de Episc. & cleric.* Abb. *in proœmio decretalis, n. 6. & in cap. Extirpanda, §. quia vero n. 21. de præbend. & in cap. finali de hæretic. n. 1. & in cap. 2. de offic. ordin. n. 13.* Henricus *in cap. ad abolendam, num. 20. de hæretic.* Couaruu. *in Regul. peccatum, part. 3. in princip. n. 7.* Caietan. *1. 2. quæst. 15. art. 3.* Bannez *ibidem art. 4. quæstiuncul. 2.* Becanus *de fide cap. 15. q. 1. num. 7. & quæst. 2. n. 3.* Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 10. quæst 4.* Auila *de censur. part. 1. dubit. 10. concl. 2.* Valentia *tom. 3. disput. 1. q. 11. punct. 3. circa finem*, Suarez *tom. 5. disput. 4. sect. 2. n. 10. & seqq. & disput. 21. sect. 2. n. 2. & tractat. de fide disput. 21. sect. 2. num. 6.* Guttierrez *lib. 1. canonic. quæst. cap. 58. n. 18.* Goffredus *in summa, rubr. de hæretic. num. 20.* Didacus Cantera *de quæst. tangen. punit. crimin. rubr. de hæretic. cap. 1. n. 8.* Simancha *de Catholic. Institut. tit. 42. n. 10.* & alij communiter, quos sequitur Barbosa *de offic. Episc. part. 2. allegat. 40. n. 10.*

Ratio est, quia hæresis externa, quamuis sit occulta, hoc ipso quod est externa, seu sufficienter exterius significata, vtporè tunc ex sua natura manifesta, incipit esse sub Iurisdictione Ecclesiæ, cùm per accidens sit, quod in iudicio non possit probari: Ergo potest Ecclesia illam punire per excommunicationem, sicuti de facto punit homicidium occultum per pœnam irregularitatis, vti rectè præter alios adnotauit Nauarrus *in cap. cogitationis, de pœnit. dist. 1. num. 1. vers. 3. infertur*, Caietanus *cit. q. 11. art. 3. & 4.* & Vgolin. *in clausul. 1. Bullæ Cœnæ §. 1. n. 17.* 12

Aduerte secundò, quod hæreticus similiter, scilicet non per se, sed per accidens occultus; sicut incurrit excommunicationem, ita propter eamdem rationem incurrat etiam alias pœnas à iure aduersus hæreticos inflictas. Nauarr. *in summa cap. 25. num. 56.* Vasquez *part. 2. disput. 169 cap. 1. n. 22.* Bursat. *vol. 3. consil. 289. num. 13.* Corduba *lib 1. quæst. 36. cap. 3. vers. confirmatur 2.* Villagut *de extensi. n. legum, tit. de extens. leg. pœnal. inflictarum hæreticis ad eorum filios, num. 101.* & alij, quos sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. numero 6.* 13

Quamuis illas in se ipsum exequi non teneatur, nisi prius delictum probatum fuerit, & sententia Iudicis accesserit; quia ex communi sententia Doctorum nemo pœnam statutam subire in foro conscientiæ tenetur, nisi postquam ad illam à Iudice condemnatus fuerit.

Excipiunt tamen primò in censuris, & Irregularitate; ita vt quis hoc ipso in foro conscientiæ sit excommunicatus, suspensus, interdictus, & irregularis, si contra latam à canone de huiusmodi sententiam fecerit, absque alia Iudicis declaratione. 14

Excipiunt secundò, in pœnis testamentariis, ita vt si vidua v. g. domina, vel vsufructuaria relicta fuerit à marito cum conditione, si castè vixerit, vel si ad secundas nuptias non transierit; hoc ipso in foro conscientiæ, etiamsi clam, & non palam, non castè vixerit, vel ad secundas nuptias transierit; teneatur restituere dominium & vsumfructum, & si quid postquam non castè vixit, vel ad secundas nuptias transiit consumpsit, teneatur, etiamsi nullus Iudex, vel executor compellat, restituere, quod consumpsit; non ex eo, quia pœna testamentaria sortiatur sine executore; sed quia iam euenit casus, in quo testator sic disposuit, quod per hoc nolit ampliùs, in illis bonis ius habere illam, quæ solum ex testatoris voluntate habeat, quidquid iuris in illis habebat, vt propterea nulla in hoc casu sententia Iudicis requiratur, sicut nec requiritur in aliis dispositis ab eodem testatore. 15

Aduerte tertiò, quod Ecclesia è contra possit per se, & directè sibi reseruare peccata merè interna: Maior *in 4 dist. 17. quæst. 5. proposit. 2.* Caietan. *2. 2. quæst. 11. art. 3.* Aragonius *ibidem art. 3.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 5. vers. vtrum vero possint*, Ledesma *2. part. 4. quæst. 8. art. 2. dub. 10.* Suarez *tom. 4. disput. 30. sect. 3. num. 3.* Vgolinus *de censur. summo Pontif. reseruat. part. 2. cap. 1. n. 11.* Barthol. Medina, *lib. 1. Instruct. cap. 10. in princ.* Henriquez *lib. 6. cap. 54. § 5.* Llamas *part. 5. method. cap. 7. §. 14.* Fincll. *de casib. reseruat. cap. 5. n 6.* Coninch. *disput. 8. dub. 11.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8.* & alij, quos sequitur Ricciull. *lib. 5. de iur. person. cap. 10. n. 7.* 16

Ratio; quia iurisdictio non minus ad absoluendum à peccatis internis, quàm ab externis, conueniente Ordine, à superioribus ad inferiores confessarios descendit: Ergo vtraque potestas limitatè, seu cum restrictione concedi potest.

Quamuis reseruare prædicta peccata interna, sicuti dicebam, non expediat, quia sicuti etiam dicebam, internorum peccatorum reseruatio non est ita necessaria ad Ecclesiæ gubernationem, cùm Ecclesiæ gubernatio potissimum externa spectare debeat. 17

Aduerte

18 Aduerte quartò, quod peccata, quæ ab Episcopo, vel ab alio Prælato, qui similem in suos iurisdictionem habet) reseruantur, requiratur, esse mortalia; quia venialia reseruari non solent, partim quia omnes Sacerdotes, vel iure diuino, vel potiùs generali Ecclesiæ consuetudine, à venialibus absoluendi potestatem habent, quam proinde Episcopus iis auferre non potest, nisi per iustam sententiam excommunicationis; Partim, quia ad venialium peccatorum confessionem nemo tenetur, sicque frustra ea Superior iudicio suo reseruaret. Qua de re videri poterit præcipuè Suarez *disput.* 29. *sect.* 3. & Finell. *de casib. reseruat. cap.* 5. *num.* 6.

19 Aduerte quintò, quod dixerim, casum etiam Bullæ Cœnæ, non reseruari Summo Pontifici, nisi ratione excommunicationis eidem prædicto casui iam annexæ; quia de facto Summus Pontifex ordinariè nullum peccatum suo Tribunali reseruat, nisi propter annexam excommunicationem sibi itidem reseruatam: Caietan. *in summa verb. casus*, Nauarr. *cap.* 27. *n.* 261. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 1. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 14. & alij passim.

20 Hinc sequitur, quod si Summus Pontifex, vel eius pœnitentiarius aliquem absoluit à sola censura Bullæ, vel ab alia censura Summo Pontifici reseruata; inferior Confessarius deinde in foro conscientiæ absoluere possit à peccato illo, vti talis censura reseruata annexa fuerat; Henriquez *loco suprà citato*, & alij, quos sequitur Suarez *citata disput.* 29. *sectione* 2. *num.* 7.

21 Sequitur secundò, quod si quis commiserit peccatum, etiam in Bulla Cœnæ contentum, sed ob ignorantiam saltem non crassam, à censura Papali excusatus fuerit, eo quod de illa nihil audiuerit; ab inferiore Confessario similiter absolui possit. Henriquez *vbi suprà*, & alij, quos sequitur Coninch. *cit. dubit.* 11. *num.* 82.

Non tamen, vt putant Suarez *vbi suprà num.* 8. Coninch. *num.* 83. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 8. *num.* 5. & alij:

22 Sequitur tertiò, quod peccatum hæresis (cui excommunicatio Papalis annexa est) per se, & immediatè Papæ reseruatum etiam non sit, quia ob suam grauitatem specialem, inquiunt ipsi, per se & immediatè Papæ reseruatum est: Ita vt si Sacerdos inferior, qui tali potestate caret, bona fide inuincibiliter reseruationem ignorans, directè absoluere attentet, ob iurisdictionis defectum nihil efficiat.

PETITIO IV.

An similiter, saltem in aliquibus casibus, excommunicationem Papalem (etiam in Bulla Cœnæ) aliasque pœnas in hæreticos ab Ecclesia latas non contrahat hæresis externa, seu manifestata signis externis?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis externa, seu signis exteriùs manifestata, si non est coniuncta cum hæresi interna, ita vt ab hæresi interna procedat, sicque homo hæreticus sit externus, non contrahat excommunicationem Papalem etiam in Bulla Cœnæ, aliasque pœnas à iure in hæreticos latas.*

2 *Hæresis externa, seu signis exteriùs manifestata, etiamsi sit coniuncta cum hæresi interna, si tamen non est sufficienter externa, seu signis exteriùs sufficienter manifestata, neque contrahit dictas pœnas. Vide de hac re plura exempla recensita.*

3 *Ecclesia non punit, nisi hæresim, quæ ex sui natura manifesta est Ecclesiæ, & ex natura sua cognosci potest ab Ecclesia, licèt per accidens ex eo, quod nemine audiente, manifestata fuerit in loco occulto & secreto, defectu Testis in iudicio probari non possit: consequenter non punit hæresim, quæ per actus externos exteriùs sufficienter non manifestatur.*

4 *Credens aliquid, quod ipse putat hæreticum esse, reuera tamen hæreticum non est, illudque; dummodo animum suum non manifestet, proferens exteriùs, non contrahit excommunicationem Papalem, etiam in Bulla Cœnæ, aliasque pœnas à iure in hæreticos latas.*

5 *Credens propositionem aliquam veram, cum animo contrarium, quamuis Ecclesia illud definiret, non credendi, proferensque illam propositionem, dummodo animum suum non manifestet, neque prædictas pœnas contrahit.*

6 *Scribens hæresim caracteribus, seu cifris à se repertis, quæ à nemine possit intelligi, neque contrahit prædictas pœnas.*

7 *Neque ob eamdem rationem prædictas pœnas contrahit qui narrando, vel transcribendo, vel legendo libros, narrat, transcribit, vel pronunciat hæresim, quam intus fouet, cùm illam non narret, neque transcribat, neque pronunciet vt suam, sed vt alienam, & eo modo, quo Catholicus etiam illam referre potest.*

8 *Neque prædictas pœnas contrahit qui ex hæresi interna, quam tenet, profert blasphemiam non hæreticalem.*

9 *Pœnas prædictas è contra contrahit, qui ex hæresi interna, quam tenet, profert blasphemiam hæreticalem, rebaptizat, diebus vetitis, nulla habita occasione, carnes comedit, vel imagini sacræ iniuriam infert, &c.*

10 *Hæresis externa, seu signis exteriùs manifestata, etiamsi sit coniuncta cum hæresi interna, & etiamsi sit sufficienter externa, seu signis externis manifestata, si tamen non est manifestata manifestatione peccaminosa, neque contrahit excommunicationem papalem, etiam in Bulla Cœnæ, aliasque pœnas à iure in hæreticos latas.*

11 *Manifestans in confessione Sacramentali hæresim suam animo se accusandi, neque contrahit prædictas pœnas; quia Sacerdos nunquam ab hæresi (si propter confessionem hæreticus excommunicationem contraheret) absoluere posset, &c.*

12 *Hæreticus in tali casu de facto punitur à Confessario, qui ei pœnitentiam imponit, sed pœna, quæ imponitur in foro conscientiæ, non quæ imponitur in foro externo.*

13 *Amplia esse verum, quod hæreticus in tali casu excommunicationem, aliasque pœnas iuris non contrahat, etiamsi ille Sacramentaliter hæresim suam confitens, illam postea non derelinquat; quia adhuc in ea ratione non peccat, & hæresim suam confitendo præstat actum bonum.*

14 *Manifestans hæresim suam internam alicui, vt ab illo petat consilium, & modum, quo ille deponere possit, neque contrahit prædictas pœnas, ob easdem rationes; quia scilicet tunc neque peccat, &c.*

15 *Pœnas prædictas neque contrahit, qui cum olim aliquam hæresim tenuerit, eamque posteà deposuerit, dicit, se olim hæresim illam tenuisse, idque ob easdem rationes, quia scilicet tunc neque peccat, &c.*

16 *Proferens hæresim internam in somno, ebrietate, ioco, vel quocumque alio modo omninò inaduertenter, neque contrahit dictas pœnas.*

17 * *Neque excommunicationem papalem etiam in Bulla Cœna, aliasque pœnas a iure in hæreticos latas contrahit hæresis externa, sed signis exterius manifestata, licèt sit coniuncta cum hæresi interna; & etiamsi sit externa, seu signis externis manifestata manifestatione peccaminosa, si tamen non est manifestata manifestatione peccaminosa grauiter, seu mortaliter.*

18 *Percutiens clericum, si percussio non attingat peccatum mortale quoad actum internum, defectu scilicet perfecti voluntarij, vel si attingat peccatum mortale quoad actum internum, nec tamen attingat etiam peccatum mortale quod actum externum, eo quod ab hominibus non censeatur iniuria grauis, non contrahit excommunicationem: Idque licèt arguere in manifestatione hæresis mentalis. Vide ibi.*

1 RESpondetur, & dico primò: Illas non contrahit hæresis externa, seu manifestata signis exterius, si ipsa non sit coniuncta cum hæresi interna: Ita vt procedat ab hæresi interna, sicque homo sit hæreticus externus, & simul etiam internus, iuxta ea, quæ dicebam supra *dubit. 13. sect. 2. & seqq.* Est communis sententia Doctorum.

2 Dico secundò: illas neque contrahit hæresis externa, seu manifestata signis externis (etiam quando est coniuncta cum hæresi interna) si tamen non sit sufficienter externa, seu non sit sufficienter manifestata signis exterois, vt si hæresis interna, seu mente latens sit causa alicuius omissionis, vel commissionis, vel cuiuscumque alterius actus exterioris, per quem tamen hæresis interna exteriùs sufficienter non manifestatur: v.g. si quis putet, esse licitum fornicari, & cum hoc animo fornicetur: Vel si quis ex hæresi interna (quam intus tenet) moueat digitos, annuat oculis, percutiat Catholicum, proferat de aliqua hæresi interna, *re vera ita est*, vel efficiat aliquod aliud signum, quòd nullam connexionem habet cum hæresi interna; sicque illam exterius sufficienter non manifestet. Bannez 2. 2. *q.* 11. *art.* 4. *quæst.* 1. *vers. quod si.* Vasquez 1. 2. *disput.* 160. *n.* 20. & 21. Petr. Ledesm. *tom.* 2. *summa tract.* 1. *cap.* 6. *post* 10. *conclus.* Nauarr. *cap.* 27. *n.* 269. Corduba *lib* 4. *quæst.* 3. *corollar.* 4. Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 14. Vgolin. *in Bull. Cœna part.* 2. *cap.* 1. §. 1. *num.* 17. Suarez *de fide disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 10. & 11. Saytus *lib.* 3. *cap.* 4 *num.* 26. Viualdus *in exposit. Bull. Cœna num.* 1. & *seqq.* Almayn. *de potest. Eccles. cap.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. *q.* 11. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 8. *n.* 15. & alij passim.

3 Ratio, quia Ecclesia non punit, nisi hæresim, quæ ea sui natura manifestata est Ecclesiæ, & ex natura sua cognosci potest ab Ecclesia, licèt per accidens ex eo, quod nemine audiente, manifestata fuerit in loco occulto, & secreto, defecto testis, in iudicio probari non possit: Ergo non punit hæresim, quæ per actus externos exteriùs sufficienter non manifestatur; Ita vt ex illis non possit sufficienter colligi, sed adhuc restet occulta & secreta. Vide, quæ dicebam suprà *dub.* 12. & *cit. dubit.* 13. *per totam.*

4 Hinc sequitur, quod excommunicationem Papalem, etiam in Bulla Cœnæ, aliasque pœnas in hæreticos ab Ecclesia latas non contrahat, qui credit aliquid, quod ipse putat esse hæreticum, seu contra fidem (reuera tamen hæreticum, seu contra fidem non est) illudque, dummodò animum suum non manifestet, proferat exteriùs. Doctores, quos sequitur Suarez *citata sect.* 2. *num.* 10. quia sic heresim suam sufficienter non declarauit per aliquod signum externum: cùm verba illa, quæ protulit, non sint per se significatiua hæresis internæ.

5 Sequitur secundò, quod ob eamdem rationem neque prædictas pœnas contrahat, qui credit propositionem aliquam veram cum animo contrarium, quamuis Ecclesia illud definiret, non credendi, si illam propositionem, dummodo similiter animum suum non manifestet, proferat similiter exteriùs. Doctores, quos sequitur Suarez *cit. num.* 10. & *tom.* 5. *de censur. disp.* 4. *sect.* 3. *num.* 17. vbi tamen subdit, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 2. *num.* 26. quod è contra, qui interiùs credit aliquam hæresim, illamque verbis æquiuocis, & amphibologicis, vt possit subterfugere, manifestat, contrahat prædictas pœnas: quia per talia verba sufficienter explicat exteriùs hæresim suam internam: & talis fictio non mutat culpam, sed per accidens eam occultat. Quamuis contrarium non omninò improbabiliter teneant alij, quos sequitur Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 9. *num.* 5. eo quod per verba æquiuoca, & amphibologica non sufficienter explicetur, quod latet in mente, sed adhuc restat occultum, & secretum.

Sequitur tertiò, quod ob eamdem rationem neque prædictas pœnas contrahat qui scribit hæresim characteribus, seu cifris à se repertis, quæ à nemine possit intelligi: Doctores communiter, quos sequitur Sanchez *cit. cap.* 2. *cas.* 8. *num.* 10. & Ricciull. *cit. cap.* 9. *num.* 7. 6

Sequitur quartò, quod ob eamdem rationem neque prædictas pœnas contrahat, qui narrando, vel transcribendo, vel legendo libros, narrat, scribit, vel pronunciat hæresim, quam intus fouet: cùm illam non narret, neque transcribat, neque pronuntiet vt suam, sed vt alienam: & eo modo, quo Catholicus etiam illam referre potest, sicque adhuc illa restet occulta, & secreta. Corduba *lib.* 4. *quæst.* 13. *vers.* 3. *corollar.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *quæst.* 7. Sanchez *vbi supra n.* 23. Ricciull. *cap* 9. *num.* 15. Emmanuel Sà *in Bull. Cœnæ, n.* 3. & alij passim. 7

Sequitur quintò, quod ob eamdem rationem neque prædictas pœnas contrahat, qui ex hæresi interna, quam tenet, profert blasphemiam non hæreticalem: Royas *de heretic. part.* 2. *assert.* 11. *num.* 171. & alij, quos sequitur Sanchez *cit. cap.* 8. *num.* 14. & Ricciull. *cit. cap* 9. *num.* 11. 8

Sequitur sextò, quod è contra ob contrariam rationem prædictas pœnas contrahat, qui ea hæresi interna, quam tenet, profert blasphemiam hæreticalem, rebaptizat, diebus vetitis, nulla habita occasione, carnes comedit, vel imagini sacræ iniuriam infert, &c. quia hæc signa, quamuis aliquando fieri possint sine animo hæreticali, sufficienter tamen hæresim internam significant. Caietanus 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 4. *vers. ex his,* Suarez *de fide disput.* 11. *sectione* 2. *numero* 11. Toletus *excommunic.* 1. *Bull. Cœn. num.* 10. & Saytus *de censuris lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 30 qui subdunt, quod etiam omissio irreligiosa sacrilega possit esse signum, per quod sufficienter similiter hæresis interna manifestetur. Vt si quis verbi gratia, ex hæresi interna Missam nunquam audiret, vel cùm in Missa Christi Domini Corpus, aut Sanguis eleuatur, genuflectere nollet: quia huiusmodi signa reddunt hominem de hæresi valdè suspectum, illamque sufficienter significant: quamuis contrarium teneant alij, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 9. 9

Dico tertiò: Excommunicationem Papalem, etiam in Bulla Cœnæ, aliasque pœnas in hæreticos ab Ecclesia latas neque contrahit hæresis externa, seu manifestata signis externis, licèt sit coniuncta cum hæresi interna, & licèt sit sufficienter externa, seu sufficienter manifestata signis externis; si tamen non sit manifestata manifestatione peccaminosa, iuxta ea, quæ dicebam *cit. dubit.* 13. *per totam*: Quia tunc quis in illo actu non peccat, nec ex errore hæresis operatur, nec committit peccatum hæresis externæ, nec profitetur hæresim internam. Cùm autem dicitur, quod hæresis interna signo externo manifestata excommunicationem, aliasque Ecclesiæ pœnas contrahat, intelligitur, si ex errore hæreticus internus signum illud exhibeat, vel aliquid operetur; Ita vt in illo actu peccet, & committat peccatum 10

tum hæresis externæ, seu profiteatur hæresim internam.

11 Hinc sequitur, quod prædictas pœnas non contrahat, qui hæresim suam internam in confessione Sacramentali manifestat animo se accusandi. Couarruu. *in Regul. peccatum, part. 2. in princ. n. 7.* Corduba *lib. 4. quæst. 13. opin. 3. corollar. 3.* Guttier. *lib. 1. quæst. canonic. cap. 13. n. 9.* Simanch. *de Cathol. instit. tit. 41. num. 9. & seqq.* Suarez *de fide disput. 21. sect. 3. num. 12.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 4. n. 18.* Azor. *tom. 3. lib. 8. cap. 10. q. 5.* Becanus *de fide cap. 15. q. 1. n. 8.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. n. 9.* & Ricciullus *lib. 5. cap. 9. n. 12.*

Idque ob easdem rationes iam dictas. Tum quia alioquin Sacerdos nunquam ab hæresi, si propter confessionem hæreticus excommunicationem contraheret, absoluere posset: Cùm non possit Pœnitens à peccato absolui, nisi illud confiteretur. Tum quia confiteri hæresim in confessione Sacramentali non est actus malus, quin quammaximè bonus, & est etiam extrà iudicium humanum contentiosum; Ergo non debet dici, quod excommunicationem, aliasque pœnas iuris contrahat; Tum quia qui in confessione Sacramentali hæresim suam internam confitetur, non est hæreticus externus: Ergo excommunicationem, aliasque pœnas iuris non contrahit. Consequentia patet ex iis, quæ dicebam *sect. præcedenti*, antecedens probatur, quia hæreticus externus dicitur is, qui committit peccatum hæresis externæ, seu profitetur exteriùs hæresim internam; sed qui confitetur Sacramentaliter hæresim internam, non committit peccatum hæresis externæ, nec profitetur exteriùs hæresim internam, sed potiùs præstat actum quammaximè bonum, sicuti dicebam: Ergo, qui confitetur Sacramentaliter hæresim internam, non est hæreticus externus; atque adeò non poterit ab Ecclesia prædictis pœnis puniri.

12 Nec obstat, si dicas: Hæreticus in tali casu de facto punitur à Confessario, qui ei pœnitentiam imponit: Ergo falsum est, quod in tali casu hæreticus ab Ecclesia non possit puniri.

Respondetur enim, quod hæreticus in tali casu de facto punitur à confessario, pœna quæ imponitur in foro conscientiæ, concedo: pœna, quæ imponitur in foro externo, de qua nunc loquimur, nego.

13 Cæterum, cum dixi, quod hæreticus in tali casu excommunicationem, aliasque pœnas Ecclesiæ non contrahat, est verum, etiamsi ille Sacramentaliter hæresim suam confitens, illam posteà non derelinquat; quia adhuc in ea actione non peccat; & hæresim suam internam confitendo, præstat actum bonum: dummodò tamen bono animo confiteatur; quia alioquin non censeretur confiteri, sed fingeret, se velle confiteri. Quapropter nec tunc sigillum Sacramentalis Confessionis obligaret; Corduba, Simancha, Sayrus, & Azorius *in locis suprà citatis.*

14 Sequitur secundò, quod prædictas pœnas neque contrahat, qui hæresim suam internam alicui manifestat, vt ab illo petat Consilium, & modum, quo illam deponere possit. Gutier. *lib. 1. quæst. canonic. cap. 13. n. 9.* Aragonius *2. 2. q. 11. art. 3.* Simanch. *de Catholic. institut. tit. 41. n. 7.* Azeuedo *lib. 8. tit. 3. leg. 1. n. 156.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 4. n. 19.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 10. q. 4.* Sanchez *lib. 2. moralium cap. 8. num. 13.* & alij passim.

Idque ob easdem dictas rationes; quia scilicet tunc neque peccat; & quia alioquin, si sic suam hæresim manifestando, excommunicationem, aliasque iuris pœnas contraheret: præclusam, in damnum fidei, atque veritatis, viam haberet hæresis deponendæ.

15 Sequitur tertiò, quod prædictas pœnas neque contrahat, qui cùm olim aliquam hæresim tenuerit, eamque posteà deposuerit; dicit, se olim hæresim illam tenuisse: Corduba, *lib. 4. q. 13. opin. 3. coroll. 3.* Simanch. *de Cath. institut. tit. 41. n. 9. & 10.* Suarez *tom. 5. disp. 4. sect. 2. n. 14. & de fide disput. 21. sect. 2. n. 7.* Vasquez *part. 2. disput. 140. cap. 5. n. 22.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 10. q. 5. & 6.* Sayrus *de censur. lib. 3. cap. 4. num. 31.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. n. 13.* Ricciull. *lib. 5. cap. 9. n. 17.* & alij communiter.

Idque ob easdem rationes iam suprà dictas, quia scilicet tunc neque peccat, neque ex errore hæresis operatur, sed tantùm profert hæresim, in qua priùs fuit.

Sequitur quartò; quod prædictas pœnas neque contrahat, qui hæresim internam profert in somno, ebrietate, ioco, vel quocumque alio modo, omninò inaduertenter: Petrus Ledesma *in Summa tom. 2. tract. 1. conclus. 10.* Suarez *de fide disput. 21. sect. 4. n. 12.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. n. 14.* & alij, quos sequitur Ricciullus *lib. 5. cap. 9. n. 16.* Idque ob easdem etiam rationes iam suprà dictas, quia scilicet tunc neque etiam peccat: Neque per illa verba sufficienter exteriùs significat hæresim aliquam internam, quod videlicet ipse proferens hæresim aliquam internam iam de præsenti teneat. 16

Dico quartò, neque excommunicationem Papalem, etiam in Bulla Cœnæ, aliasque pœnas à iure in hæreticos latas contrahit hæresis externa, seu manifestata signis externis, licet sit coniuncta cum hæresi interna; & licet sit externa, seu manifestata signis externis manifestatione peccaminosa: si tamen non sit manifestata manifestatione peccaminosa grauiter, seu mortaliter, sed tantùm manifestatione peccaminosa leuiter, seu venialiter; Vt si quis verbi gratia, hæresim internam verbis proferat similiter in somno, ebrietate, ioco, vel quocumque alio modo, etiam cum aliquali aduertentia, quæ tamen solùm sufficiat ad peccatum veniale, non autem ad mortale, iuxta ea, quæ dicebam, *dubit. 13. sect. 2. & seqq.* 17

Ratio, quia licet hæresis mentalis sit manifestata manifestatione peccaminosa; si tamen manifestatio non sit nisi peccaminosa venialiter, non censetur per illam ad extra sufficienter manifestata, neque censetur per illam ad extra perfectè consummata. Quod sicuti dicebam *loc. suprà cit.* requiritur, vt prædicta hæresis contrahat excommunicationem, & alias pœnas Ecclesiæ.

Confirmatur, quia sicuti dicebam *de immunitate & iurisdictione Ecclesiast. cap. 2. dubit. 4. sect. 5.* neque contrahit excommunicationem, qui percutit clericum: si percussio non attingit peccatum mortale quoad actum internum, defectu scilicet perfecti voluntarij. Vel, si attingat peccatum mortale quoad actum internum, non tamen attingit etiam peccatum mortale quoad actum externum; eo quod scilicet ab hominibus non censeatur iniuria grauis. Ergo sic in casu nostro. Consequentia patet à pari. Antecedens probatur: quia si percussio Clerici non attingit peccatum mortale quoad actum internum, defectu scilicet perfecti voluntarij, sicuti dicebam, absque dubio locum non habet excommunicatio, cùm locum habere non possit pœna grauis, vbi non est culpa grauis: & si attingit peccatum mortale quoad actum internum, non tamen attingit etiam peccatum mortale, quoad actum externum, eo quod non censeatur iniuria grauis, neque locum habebit excommunicatio. Cùm Ecclesia à qua est excommunicatio, non iudicet, nisi de externis: & si iudicat etiam de internis, ad summum iudicat de internis indirectè (mediis scilicet actibus externis, qui pendent, & moralizantur ab internis) non autem directè. 18

At quoad omnia hæc, quæ dicebam in hac, & in præcedentibus aliis Petitionibus, vide *cit. dubit. 12. & cit. dubit. 13. per totas.*



De pœnis hæreticorum spiritualibus.

DVBITATIO L.

An Hæreticus sit excommunicatus Iure diuino?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus de iure canonico est ipso iure excommunicatus excommunicatione non reseruata Pontifici; Et per Bullam Cœnæ Domini est ipso iure excommunicatus excommunicatione reseruata Pontifici.*

2 *Hæreticus vt excommunicationem incurrat, requiritur, hæresim esse non solùm internam mortiferam; sed etiam signo aliquo externo sufficienter manifestatam; quia hæresis purè mentalis Ecclesiæ iurisdictioni non subditur.*

3 *Hæresis qualibet externa quantumuis occulta subditur Ecclesiæ iurisdictioni; quia cum de se cognoscibilis sit, sufficit, vt Ecclesia per legem delictum puniat; & per accidens est, si non cognoscatur.*

4 *Hæreticus non est excommunicatus iure diuino.*

5 *Hæretici excommunicatio consistit in priuatione actiua, & passiua Sacramentorum, communione Fidelium, & suffragiis Ecclesiæ, quibus non magis hæreticus iure diuino, quàm quilibet peccator priuatur.*

6 *Hæreticus si iure diuino his omnibus priuatus esset, Ecclesia non potuisset in horum priuatione se intromittere.*

7 *Contra hæreticos olim non erat ipso iure excommunicatio lata; sed ferenda, postquam moniti fuerint.*

8 *Hæreticus non est excommunicatus iure diuino, sed solùm iure Ecclesiastico, seu positiuo, ita vt omnis excommunicatio imposita sit ab Ecclesia, contra Almaynum, & alios asserentes, excommunicationis pœnam statutam esse in hæreticos de iure diuino, vel quod certè à iure diuino descendat.*

9 *Hæreticus, nullibi habetur, quod de iure diuino sit excommunicatus; quinimmò habetur oppositum, si quidem Ecclesia nunquam reputat quempiam excommunicatum, nisi priùs ab Ecclesiæ Prælatis excommunicetur.*

10 *Hæreticus si esset excommunicatus de iure diuino, non esset cur in variis Iuribus, & Constitutionibus Pontificiis excommunicaretur, &c.*

11 *In can. 46. & 63. Apostolorum, & alibi, licet imponantur pœnæ communicantibus cum hæretico, non propterea Concilia, & Patres dicunt, quod hæreticus sit excommunicatus de iure diuino, sed quod potiùs excommunicari debeat, sitque iuri diuino valde congruum, quod excommunicetur.*

12 *Tum primò ob bonum fidelium, ne scilicet communicando cum hæreticis, se exponant periculo peruersionis.*

13 *Tum secundò ob bonum aliorum, vt scilicet vitetur scandalum.*

14 *Tum tertiò ob bonum ipsius hæretici, videlicet vt sic resipiscat.*

15 *Habens cum hæretico communicationem, & familiaritatem redditur suspectus de hæresi.*

16 *Habens communicationem, & familiaritatem cum hæretico, si sit Clericus, debet etiam suspendi ab officio.*

17 *Habens dictam communicationem, & familiaritatem cum hæretico; licet reddatur suspectus de hæresi; tamen propter talem suspicionem non potest condemnari de hæresi; Poterit nihilominus puniri pœna extraordinaria, poteritque cogi ad abiurandum, & etiam ad canonicam purgationem.*

18 *Afferuntur plura loca Sacrarum scripturarum, vbi prohibetur communicatio cum hæreticis; At non ex ipsis sequitur, hæreticum esse excommunicatum de iure diuino, sed potiùs excommunicandum esse, & iuri diuino esse id valdè congruum; Immo verba Apostoli, quæ opponuntur ad probandum, excommunicationem esse de iure diuino, rectè explicantur de excommunicatione ferenda per Ecclesiam, non de lata; Verbumque Anathema, ibi accipitur pro abominatione, non pro excommunicatione.*

19 *Excommunicatio contra hæreticum non semper vsu fuit apud Ecclesiam, quod satis est, vt hæreticus non sit excommunicatus de iure diuino.*

VPPONO iuxta ea, quæ dicebam *dubitatione præcedenti*, quod hæreticus *in cap. cum Christus, in principio, in cap. ad abolendam, in cap. excommunicamus 1 & 2. de hæretic. in cap. nouerit, de sent. excommunic.* & in aliis capitibus, quæ suprà citabam, sit ipso iure Ecclesiastico excommunicatus excommunicatione non reseruata Pontifici, & per Bullam Cœnæ Domini, *clausf. 1.* sit ipso iure Ecclesiastico excommunicatus excommunicatione reseruata Pontifici. 1

Suppono, secundò iuxta ea, quæ dicebam eadem *dubit. præcedenti*, quod, vt hæreticus talem excommunicationem incurrat, requiratur, hæresim esse, non solùm internam mortiferam, sed etiam signo aliquo externo sufficienter manifestatam; quia hæresis purè mentalis Ecclesiæ iurisdictioni, cùm Ecclesia visibilis sit, non subditur; subditur autem quælibet hæresis externa, quantumuis occulta; quia non obstat, quod ab Ecclesia non cognoscatur; Nam id est per accidens & de se cognoscibilis est; Quod sufficit, vt Ecclesia per legem delictum puniat, quia punit illud sub conditione, si patratum fuerit, seu annectit tali delicto patrato pœnam ipso iure, sicuti diffusè etiam dicebam suprà *dubit. 11. & 13. per totas.* His suppositis. 2 3

Respondetur negatiuè cum Soto *de iust. & iur. lib. 1. q. 6. art. 6. & in 4. dist. 21. q. 1. & art. 4.* Nauarro *in prælud. 3. n. 4. summa, & in libro de oratione, cap. 22. num. 9.* Suarez *de fide disput. 22. sect. 1. n. 4.* vbi aie, esse communem sententiam Theologorum, & *tom. 5. disput. 2. sect. 1. n. 6.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 9. n. 2.* & aliis, quos mox infrà citabo 4

Probatur, quia excommunicatio hæc consistit in priuatione actiua, & passiua Sacramentorum, communione fidelium, & suffragiis Ecclesiæ, quibus omnibus iure diuino hæreticus non est magis priuatus, quàm quilibet alius peccator: Ergo. 5

Confirmatur, quia si hæreticus iure diuino his omnibus priuatus esset, Ecclesia non potuisset in horum priuatione se intromittere, admittendo excommunicatum (non nominatum, neque manifestum clerici percussoré) ad communionem fidelium, quibus antea priuatus erat. 6

Confirmatur secundò, quia olim aduersùs hæreticos non erat ipso iure excommunicatio lata, sed ferenda, postquam moniti fuerint, vt colligitur, *ex cap. si quis Episcopus, 1. quæst. 7.* Et videri poterunt Doctores *in locis suprà citatis.* 7

Et quidem, quod hæreticus non sit excommunicatus iure diuino, sed solùm iure Ecclesiastico, seu positiuo, ita vt omnis excommunicatio sit solùm ab Ecclesia; docent præter Sotum, Nauarrum, Suarez, & Sanchez *in locis suprà citatis,* Castro *de iust. hæretic. punitione, cap. 17. 18. & 13.* Syluest. *verb. excommunicatio 5. dub. 5.* Victoria *de excommunic. n. 332.* Henriq. *lib. 13. cap. 2.* 8

cap. 2. §. 3. Valentia *tom.* 3. *disput*, 1. *q.* 17. *punct.* 1. *circa finem*, Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 10. *q.* 2. *& tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 7. *q.* 1. *vers. Ego tamen*. Aragon. 2. 2. *quæst.* 33. *art.* 9. Sayr. *de censur. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 8. Turrianus *de fide disput.* 56. *dub.* 5. *in principio*, Ricciullus *lib.* 5. *cap.* 13. *n.* 7. & alij communiter; quamuis contrarium teneant Almaynus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 1. *circa finem*. Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 41. Ouied. *lib.* 1. *de libert. Christ. cap.* 8. Pegna *in direct. Inquisitor. part.* 2. *comment.* 12. Ioannes Ecchius *in Enchirid. locorum commun. contra Lutheranos*, *cap.* 27. & Idocus Clithouæus *in assert. verit. definit. in Concilio Senonensi*, quorum sententiam probabilem censent Castro *loco suprà citato*, Nauarrus *de oration. cap.* 27. *n.* 9. & Simanch. *de cathol. Institut. tit.* 25. *n.* 1. Quatenùs ait, quod excommunicationis pœna sit in hæreticos de iure diuino, vel quod certè à iure diuino descendat.

9 Primò, præter rationes supradictas; quia nullibi habetur, quod hæreticus de iure diuino sit excommunicatus; quinimmò habetur oppositum; siquidem Ecclesia nunquam reputat quempiam excommunicatum, nisi prius ab Ecclesiæ Prælatis excommunicetur: Nec olim hæreticos reputabat excommunicatos, nisi postquam fuerint ab Ecclesiæ Prælatis excommunicati, *cap. ad abolendam, de hæretic.* Nec tunc erant hæretici ipso iure excommunicati, sed si prius moniti non resipiscerent, iubebantur excommunicari, sicuti patet *ex cap. si quis Episcopus* 1. *q.* 7. & ex Leone Papa *epist.* 93. *cap. vlt.* & ex antiquis Conciliis: Quod apertè probat, hæreticum non esse excommunicatum de iure diuino.

10 Secundò; quia si hæreticus esset excommunicatus de iure diuino, non esset, cur in variis iuribus, & constitutionibus Pontificiis excommunicaretur: Et præterea sequeretur, quod & ipso iure excommunicatus etiam esset hæreticus internus, qui scilicet per nullum signum externum suam hæresim manifestauit: Cùm Deus, quamuis non sit Ecclesia, & præcipiat, & puniat actus etiam internos.

11 Obiicies: *In canon.* 46. *&* 63. *Apostolorum*, imponuntur pœnæ communicantibus cum hæreticis. Quod etiam fit à Sancto Clemente Papa, *lib.* 6. *constitut. Apostolic. cap.* 8. *&* 18. vbi ait, impios hæreticos, qui impœnitentes fuerint, segregatos à fidelibus eiicere, atque à Dei Ecclesia exterminare; præcipitque fidelibus, vt ab eorum consuetudine omnibus modis se abstineant, nec sermonis cum iis, neque precum communionem habeant vllam: Ij enim aduersarij, insidiatoresque sunt Ecclesiæ, qui gregem labefactant, & hæreditatem contaminant. Et à Fabiano Papa *epist.* 1. à Leone *epist.* 2. *&* 95. à Concilio Carthaginensi 4. *cap.* 69. 71. *&* 71. Vbi sicut & *in cap. non licet* 1. *q.* 1. prohibetur fidelibus communicare cum hæreticis tanquam cum excommunicatis. Et ab Ambrosio *lib.* 7. *in Lucam cap.* 9. *circa finem*, & *cap.* 10. *in princ.* ab Irenæo *lib.* 3. *contra hæreses*, *cap.* 3. Cypriano *epist.* 40. *&* 55. Augustino *epist.* 62 *&* 162. Chrysostomo *homil.* 2. *in Genes.* Origene *lib.* 1. *in Iob*, & à Patribus Concilij Sardic. *in Epistola ad omnes Episcopos*: Ergo hæreticus est excommunicatus de iure diuino.

Respondetur: Nego consequentiam; quia Concilia & Patres citati non dicunt, quod hæreticus sit excommunicatus de iure diuino, sed quod potius excommunicari debeat, sitque iuri diuino valdè congruum, quod excommunicetur.

12 Tum primò ob bonum fidelium, nè scilicet fideles communicando cum hæretico, se exponant periculo subuersionis; quia sicuti legitur 1. *ad Corinth.* 5. *& ad Galat.* 5. *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et de hæretico speciatim 2. *ad Corinth.* 2. dicitur: *Cuius sermo, vt cancer, serpit.* At de iure naturali, & diuino est, quod quis vitet periculum; quia qui amat periculum, peribit in illo, & qui se exponit periculo peccandi, peccabit. Ob quam eamdem rationem olim etiam prohibitum fuit Iudæis, nè communicarent cum Infidelibus: *Exodi* 34. *vers.* 12. *Caue ne vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam*; & *vers.* 5. *Ne ineas pactum cum hominibus illarum Regionum*, & *Deutherom.* 7. *vers.* 3. *Non inibis cum eis fœdus, neque sociabis cum eis coniugia, filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo; quia seducet filium tuum, ne sequatur me, & vt magis seruiat diis alienis.*

Tum secundò, ob bonum aliorum, vt scilicet vitetur quod etiam de iure naturali, & diuino est, scandalum aliorum; quia hi videntes, nonnullos communicare cum hæretico, illorum exemplo etiam ipsi communicabunt cum illo, sicque constituent se similiter in periculo sequendi errores illius. 13

Tum tertiò, ob bonum etiam ipsius hæretici, vt scilicet prohibitus communicare cum fidelibus, fortassè resipiscat; vel saltem, ne non prohibitus communicare cum illis, fiat audacior, & pertinacior. 14

Hinc, qui communionem, & familiaritatem habet cum hæretico, redditur suspectus de hæresi; Pegna ex Concilio Tarraconensi *in director. Inquisit. part.* 2. Royas *singul.* 175. *n.* 4. *& in tract. de hæretic. part.* 2. *n.* 77. Simanch. *de cathol. Institut. tit.* 11. *&* 15. Repertor. Inquisit. *verb. Conseruatio*, & Paramus *de origin. S. Inquisitionis lib.* 3. *q.* 9. *n.* 167. ita vt & propterea prohibeatur ad hæreticum scribere, nuncios mittere, vel etiam ab eo literas accipere; Pegna *in director. part.* 2. *q.* 56. *comment.* 82. *vers. iam vt*, Vmbertus Locat. *de Iudicial. Inquisit. verb. credentes, n.* 1. *& verbo suspicio, n.* 25. & ex Concilio Sardicensi, Decianus *in tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 41. *n.* 12. 15

Quod, si qui communicationem, & familiaritatem habet cum hæretico, sit Clericus, debet etiam suspendi ab officio, & beneficio, & hæretici familiaritatem abiurare; *cap. inter sollicitudines, de purgat. canonic.* & docet præter alios Pegna *in director. Inquisitor. part.* 2. *comment.* 14. *vers. ita tamen.* 16

Cum igitur ob istam communicationem, & familiaritatem cum hæretico reddatur quis suspectus de hæresi, licet propter talem suspicionem non possit condemnari de hæresi; *cap. accusatus, in princ. de hæretic. in* 6. *& cap. literas, de præsumpt.* ibi: *Quocirca mandamus, quatenus cum propter solam suspicionem, quamuis vehementem, nolumus illum de tam graui crimine condemnari:* Et docent Geminian. *in citato cap. accusatus*, *n.* 1. Ioan. Monach. *ibidem n.* 2. Franch. *n.* 1. *& seqq.* Ostiens. *in cap. excommunicamus* 1. *de hæretic. num.* 18. Ananias *ibidem n.* 11. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 50. *num.* 3. & alij communiter, poterit tamen puniri pœna extraordinaria; Vmbert. Locat. *cit. verb suspicio, n.* 16. & alij passim: Poteritque cogi ad abiurandum, Vmbert. Locat. *vbi suprà n.* 7. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1. *q.* 100. *n.* 11. Squillacensis *de fide catholica cap.* 31. *n.* 2. & Cantera *in quæstion. criminal. rubr. de hæretic. cap.* 1. *n.* 36. Poteritque etiam cogi ad canonicam purgationem, iuxta Textum *in cap. inter sollicitudines, de purgation. canonic.* Et tradunt Repertor. Inquisit. *verb. Purgatio*, *vers. Item quando*, Ananias *in cap. ad abolendam, de hæretic. n.* 26. Menoch. *loco supra cit.* Gabriel *cons.* 160. & Pegna *in director part.* 2. *comment.* 114. 17

Instabis: *Ioannis* 2. dicitur: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis*: Quæ verba de hæreticis præter alios intelligit Epiphanius *lib.* 1. *tom.* 3. *contra Marcosios, hæres.* 34. & *Matthæi* 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi, tanquam ethnicus, & publicanus*: & ad Romanos 16. *vers.* 17. *Rogo vos fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis*: Vbi Apostolus Paulus loquitur de hæreticis Pseudo-Apostolis, quos in tota illa Epistola cauendos monet. Quod præceptum est simile præcepto à Christo Domino tradito, *Matth.* 7. *vers.* 15. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniant ad vos in vestimentis ouium.* Per falsos Prophetas 18

autem io ſententia omnium intelliguntur hæretici. *Et ad Philippenſes 3. verſ.17. obſeruate eos, qui ita ambulant, ſicut habetis formam noſtram:* Et paulo poſt: *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem declinate ab illis:* Et 1. *ad Corinth.* 5. *Ne cum hæreticis, cibum ſumatis:* Et 2. *ad Teſſalonicenſes* 3. *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis*, quos eſſe hæreticos, præter alios intelligit Cyprianus *epiſt.* 55. & *ad Titum* 3. *Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correctionem deuita:* Et *ad Galat.* 1. *verſ.* 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit:* Ergo recurrit argumentum, quod ſcilicet hæreticus ſit excommonicatus de iure diuino.

Reſpondetur: Nego etiam conſequentiam; quia ex his etiam locis omnibus non colligitur, quod hæreticus ſit excommunicatus de iure diuino, ſed quod ſimiliter potius excommunicari debeat, ſicque iuri diuino valdè congruum, quod excommunicetur, ad illud autem, quod dicitur ex Apoſtolo Paulo *ad Titum* 3. *Hæreticum hominem poſt vnam, & ſecundam correctionem deuita:* Reſpondetur, explicari etiam poſſe, *denuncia*, id eſt, excommunica; cum hanc poteſtatem haberet Titus, qui erat Epiſcopus: ſicque retorquetur argumentum, quod ſcilicet hæreticus non ſit excommunicatus de iore diuino, ſed qood potius excommunicatus non ſit niſi priùs excommunicetur à Prælatis Eccleſiæ. Et ad illud, quod dicitur, *ad Galat.* 1. *verſ.* 8. *Anathema ſit.* Reſpondetur, quod ly *Anathema*, noo ſumatur ibi pro excommunicatione, vel pro aliqua alia cenſura cùm dictum *Anathema*, inferat Paulus Apoſtolus ibidem etiam in Angelum de cœlo, ſed ſumatur pro abominatione, ſeu execratione, ſcilicet quod doctrina hæretici ſit abominanda, ſeu execranda, ſicut abominandus, & execrandus eſt ipſemet hæreticus.

19 Vrgebis: Ignoratur, ex quo tempore excommunicari reperitur hæreticus, & de hac re noo reperitur initium: Ergo recurrit difficultas, quod ſcilicet hæreticus excommunicatus ſit de iure diuino.

Reſpondetur: Nego conſequentiam; quia ex dictis ſaltem conſtat, quod Excommunicatio contra hæreticum non ſemper vſu fuerit apud Eccleſiam. Quod ſatis eſt ad probandum, hæreticum excommunicatum non eſſe de iure diuino; quia alioquin prædicta excommunicatio ſemper vſu fuiſſet apud Eccleſiam.



DVBITATIO LI.

An hæreticus, quamuis notorius excommunicatus, ſit vitandus?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus, quamuis notorius excommunicatus non eſt vitandus, etiam ſi Caluiniſta, vel Lutheranus ſit; quia in Extrauag. ad euitanda ſcandala, omnibus fidelibus conceditur fauor communicandi cum excommunicatis, qui ſpecialiter, & expreſsè, ſeu nominatim denunciati non fuerint, neque fuerint manifeſti clerici percuſſores.*

2 *Fidelis quilibet poteſt à tali hæretico Sacramenta recipere in illis caſibus, in quibus poteſt à peccatore manifeſto; quia excommunicatio non declarata non inducit ſpecialem prohibitionem. Vitandus tamen eſt hæreticus notorius, ne videatur quis aſſentiri illius hæreſi.*

3 *Excommunicatus excommunicatione maiori antè Extrauagantem Martini V. de iure antiquo vitandus erat ab omnibus: Excommunicatus publicè, vitandus publicè; occultè, vitandus occultè; ſed poſt dictam Extrauagantem de iure nouo vitandus eſt excommunicatus denunciatus, ſeu declaratus in particulari, & publicus Clerici percuſſor.*

4 *Decretum Extrauagantis Martini in Concilio Conſtantienſi editum refertur.*

5 *Et citantur Doctores, qui de ipſo faciunt mentionem.*

6 *Hæreticum publicum, & notorium nemo tenetur poſt dictam Extrauagantem de iure nouo vitare, donec per iudicis ſententiam non fuerit nominatim declaratus, ſeu denunciatus, exceptio enim firmat Regulam in caſibus non exceptis.*

RESPONDETVR negatiuè com Suarez ſupra *ſect.* 3. *n.* 3. Azor. *cap.* 13. *q.* 7. Sanchez *num.* 3. & alus. 1

Probatur; quia *in Extrauag. ad euitanda ſcandala, ſeu pericula*, omnibus fidelibus conceditur fauor communicandi cum excommunicatis, qui ſpecialiter, & expreſsè, ſeu nominatim denunciati non fuerint, neque fuerint manifeſti Clerici percuſſores: ita vt nulla tergiuerſatione per ignorantiam iuris, vel facti vti poſſint; ſicque ore proprio ipſi fateantur, ſe eſſe excommunicatos. Ergo ex vi huius fauoris, & priuilegij hæreticus, quantumuis notorius, & generaliter oominatus in Bulla Cœnę Domini, vt v.g. Caluiniſta, vel Lutheranus, &c. vitandus non erit.

Hinc ſequitur, quod poſt dictam Extrauagantem poſſis à tali hæretico Sacramenta recipere in illis caſibus, in quibus potes à peccatore manifeſto; quia excommunicatio non declarata, non inducit ſpecialem prohibitioonem, quamuis quia peccatum hæreſis eſt valdè execrabile, contingere poſſit, quod recipiendo Sacramentum ab hæretico manifeſto, ſeu notorio, tametſi denunciatus nominatim non ſit, videaris illius hæreſi aſſentiri, & tunc illum vitare debeas ob naturale præceptum profitendi fidem catholicam: Suarez, Azorius, Sanchez *in locis ſuprà citatis*, Sayrus *in Theſauro lib.* 3. *cap.* 5. & Bonacina *diſp.* 1. *de cenſur. q.* 5. *punct.* 2. *n.* 9. *& tom.* 3. *de cenſur. in particulari, diſp.* 1. *q.* 2. *punct.* 5. 2

Sequitur ſecundò, quod è contra ante dictam Extrauagantem de iure antiquo teneremur vitare omnem excommunicatum excommunicatione maiori: ita tamen vt excommunicatus publicè fuerit nobis vitandus publicè: Excommunicatus autem occultè, fuerit vitandus occultè, *cap. cum non ab homine, de ſent. excommunic. & cap. Excommunicatos* 11. *q.* 3. At poſt dictam Extrauagantem de iure nouo teneamur vitare ſolum duo genera Excommunicatorum, ſcilicet excommunicatum in particulari, & denunciatum, ſeu declaratum nominatim talem. Et præterea publicum, ſeu notorium Clerici percuſſorem. 3

Decretum huius Extrauagantis referunt Sotus *in* 4. *diſt.* 22. *q.* 1. *art.* 4. & Suarez *tom.* 5. *de cenſur. diſput.* 9. *ſect.* 2. Et illud ſic habet: *Ad euitanda animarum pericula ſtatuit ſancta Synodus, vt nemo deinceps teneatur aliquem ratione alicuius ſententiæ, vel cenſura vitare in Sacramentorũ receptione, vel adminiſtratione, vel in aliis rebus externis, niſi talis cenſura ſpecialiter ſit publicata, & denunciata contra aliquam perſonam, vel communitatem, vel niſi pro ſacrilega manuum in clericum iniectione, adeò notoriè conſtiterit incurriſſe, vt nulla poſſis tergiuerſatione celari; nam à communione illius, licet denunciatus non ſit, volumus abſtineri: Per hoc autem non intendimus ipſos excommunicatos, ſuſpenſos, vel interdictos in aliquo relaxare, aut iis quomodocunque ſuffragari.* 4

De hoc eodem decreto faciunt mentionem etiam Maior *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 3. vbi idem refert ex Pragmatica Sanctionum Gallicanarum, *cap. de excommunicatis non vitandis*, Adrianus *in* 4. vbi agit de Euchariſtia *q. penult.* & vbi agit de confeſſione, *dub.* 9. & vbi agit de clauibus *q.* 3. Caietanus *in ſumma verb. excommunicatio minor*, Couarruuias *in cap. Alma mater*, §. 5. *n.* 6. vbi dubitat, an hoc decretum fuerit editum à Concilio, vel à 5

Martino

Martino V. Quidquid tamen de hoc sit, debet illud recipi, & admitti, quia S. Antoninus, mox infra citandus, refert, se à viris fide dignis audiisse, Martinum V. de hoc interrogatum sic respondisse: *Hæc est vna de concordatis, & volo, vt semper duret*, S. Antoninus 3. *part. tit.* 25. *cap.* 3. *& in tract. de censur cap.* 83. Guttier. *lib.* 1. *canonicar. quæstion. cap.* 1. *n.* 1. Victoria *in summa de excommun. n.* 10. & Auila *de censur. part.* 2. *cap.* 6. *disp.* 2. *dubit.* 1. *in principio.*

6 Sequitur tertiò, quod post dictam Extrauagantem de iure nouo neque teneamur vitare publicum, & notorium hæreticum, donec per iudicis sententiam non fuerit nominatim declaratus, seu denunciatus. Suarez *tom.* 3: *in* 3. *part. disp.* 18. *sect.* 2. *notab.* 3. *& in tract. de fide disput.* 22. *sect.* 3. *n.* 4. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 13. *q.* 7. & alij communiter, quos sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 9. *n.* 3. quia in dicta Extrauaganti *Ad euitanda*, excipitur solum publicus, seu notorius Clerici percussor: Ergo non tenemur vitare alios publicos, seu notorios excommunicatos, cùm exceptio firmet Regulam in contrarium in casibus non exceptis, *cap ex literis, de sponsal. & l. non aliter. ff. de leg.* 3. Atque adeo non tenemur vitare publicos, seu notorios hæreticos, si non fuerint interim nominatim publicati, seu denũciati excõmunicati.

OBIECTIONES.

SVMMARIVM.

1 *Extrauagans* Ad euitanda, *non est vsu recepta, nisi quoad formam à Martino V. præscriptam in Concilio Constantiensi, & non in Concilio Basiliensi; quare nihil refert dictum Concilium Basiliense fuisse posterius, nec dictam Extrauagantem non reperiri in Concilio Constantiensi; quia cùm dictum decretum Concilij Basiliensis nullibi locorum sic vsu receptum, non obligat, maximè cum vbique attendatur decretum Martini.*

2 *Decretum Concilij Basiliensis prædictum fuit consuetudine abrogatum, & vsu receptum decretum Concilij Constantiensis, forsitan quia illud editum fuit post schisma, & omnia acta illius reuocata fuerunt ab Eugenio IV. paucis exceptis: Et quatenùs non fuerit reuocatum secundum Medinam, si benè verba illius attendantur, non differt à Concilij Constantiensis decreto.*

3 *Concilium Bituricense fuit Prouinciale, & licet acceptauerit decretum Concilij Basiliensis, nihil efficit, cùm consuetudine receptum sit decretum Concilij Constantiensis.*

4 *Decretum Concilij Basiliensis licet fuerit innouatum in Concilio Lateranensi, non est vsu receptum.*

5 *Martinus V. licet approbauerit, & confirmauerit Concilium Basiliense, non tamen approbauit, & confirmauit decreta omnia Concilij Basiliensis.*

6 *Decretum Concilij Constantiensis, licet non reperiatur in actis eiusdem impressis; non sequitur hinc, quod non fuerit editum, & promulgatum, & forsan etiam editum à Martino V. vel saltem ab eodem Pontifice viua voce pronunciatum.*

7 *Excommunicatus nemo est vitandus ex dicta Extrauaganti, nisi notorius Clerici percussor, etiam antè sententiam iudicis, & si non fuerit Clerici publicus percussor, sed ex aliqua alia causa excommunicatus, non est vitandus, nisi post sententiam.*

8 *Hæreticus reputatur ab omnibus, ac si esset nominatim excommunicatus, impropriè, sed non propriè.*

9 *Hæretici omnes sunt vitandi de iure antiquo, non tamen de iure nouo, nisi post sententiam declaratoriam criminis.*

10 *Denunciatio generalis in Bulla Cœnæ contenta contra Lutheranos, non obligat ad vitandum in particulari, nisi post sententiam, & denunciationem particularem.*

OBiicies: In Concilio Basiliensi decernitur, quod debeamus vitare omnes notoriè excommunicatos, quacumque de causa essent illi excommunicati: Quod Concilium Basiliense fuit post Concilium Constantiense, & decretum hoc Basiliense receptum fuit à Concilio Lateranensi in Pragmatica sanctionum Gallicarum, *tit. de excommunicatis non vitandis.* Immò sub Leone X. in Concilio Lateranensi *sess.* 11. & in concordatis inter Leonem, & Franciscum I. fuit illud decretum innouatum, & confirmatum, vt refert Nauarr. *de pœnitentia dist.* 6. §. *laboret, n.* 9. *vers. sunt mihi duo, & in summa cap.* 27 *n.* 35. Et præterea Concilium Basiliense fuit approbatum, & confirmatum à Martino V. quoad ea, quæ tractat de censuris Ecclesiasticis: vt patet ex quadam Bulla, quæ habetur *tom.* 2. *Conciliorum*, post Concilium Basiliense. Et præterea etiam tale decretum, de quo loquimur, scilicet Concilij Constantiensis, non repetitur in Concilio Constantiensi, propter quas rationes, standum esse Concilio Basiliensi, dixerunt Syluest. *verb. excommunicatio* 5. *n.* 9. Nauarr. *vbi supra*, Couarruu. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 2. *n.* 6 & alij complures: Ergo falsum est, quod post dictam Extrauagantem *Ad euitanda*, de iure nouo non teneamur vitare publicum, seu notorium hæreticum.

Respondetur: Nego consequentiam; quia standum est decreto Concilij Constantiensis, & dicta Extrauagans *Ad euitanda*, non est vsu recepta, nisi quoad formam à Martino V. præscriptam in Concilio Constantiensi, & non in Concilio Basiliensi. Adrianus *in* 4. *in materia de clauibus, quæst.* 3 S. Antonin. *part.* 3. *tit.* 26. *cap.* 3. Sotus *in* 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. *art.* 6. Syluester, qui postea in conflatorio Epistolarum mutauit sententiam. Nauarrus *in summa cap.* 27. *num.* 35. Vbi etiam postea mutauit sententiam, *& consil.* 1. *de constitut. quæst.* 24. *& cons.* 10. *&* 15. *de hæretic.* Vega *in summa part.* 1. *cap.* 85. *cas.* 78. Petrus de Ledesma *in summa part.* 1. *de excommun. cap.* 63. Henriquez *lib.* 15. *cap.* 5. §. 3. Aragonius 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 9. Viualdus *de excommun. num.* 7. Graff. *lib.* 4. *decis. cap.* 11. *n.* 1. *& seqq.* Caietanus *in summa verb. excommunicatio minor, &* 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 2. Turrecremat. *in summa part.* 2. *cap.* 10. qui Concilio Basiliensi interfuit, Medin. *Codice de confessione, quæst. de confessione confessori excommunicato scienter facta*, Suarez *tom.* 5. *de censur. disput.* 9. *sect.* 2. *num.* 5. *& in tract. de fide disput.* 22. *sect.* 3. *n.* 4. Auila *de censur. part.* 2. *cap* 6. *disput.* 2. *dubit.* 2. Sayr. *lib.* 2. *de censuris cap.* 12. *num.* 9. Zerula *in Praxi Episcop. part.* 1. *verb. excommunicationis causa formalis, dubit.* 3. *& part.* 2. *verb. excommunicatio*, §. 9. Martinus Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 25. *articul.* 1. Valentia *tom.* 3. *disput.* 1. *quæst.* 12. *punct.* 2 & alij communiter, & patet ex consuetudine recepta in Anglia, Gallia, Germania, & in aliis Prouinciis, in quibus fideles passim sine scrupulo peccati mortalis cum hæreticis notoriis versantur, sicuti rectè præter alios adnotarunt Nauarr. *cons.* 10. *num.* 2. *& cons.* 11. *de hæretic.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *q.* 1. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 9. *num.* 5.

Nec obstant quæ dicebantur in contrarium; quia licet Concilium Basiliense celebratum fuerit post Concilium Constantiense, decretum tamen illud Basiliense fuit consuetudine abrogatum, & fuit vsu receptum decretum Concilij Constantiensis. Accedit, quod illud decretum Concilij Basiliensis editum fuit in eodem Concilio post schisma eiusdem Concilij, sicuti rectè præter alios adnotauit Guttier. *lib.* 1. *quæst. canonic. cap.* 1. *n.* 7. Et omnia acta illius Concilij ab Eugenio IV. fuerunt reuocata, si excipiantur pauca quædam decreta, inter quæ non refertur hoc decretum.

Accedit

Accedit secundò, quod sicuti rectè etiam præter alios adnotauit Medina, *in citata quæst. de confessione,* Concilium Basiliense prorsùs decreuit idem, quod decreuerat Concilium Constantiense: Cum verò Concilium Basiliense ait, vitandos esse omnes notoriè excõmunicatos, intelligi debet solum de notoriis percussoribus clericorum, iuxta ea, quæ supra dicebantur.

3 Neque obstat, quod illud decretum Basiliense fuerit acceptatum à Concilio Bituricensi; quia consuetudine receptum est decretum Concilij Constantiensis, præsertim cum Conciliũ Bituricense fuerit Prouinciale, nec istud tale Conciliũ reperiatur in Tomis Conciliorum.

4 Neque obstat, quod decretum Concilij Basiliensis fuerit innouatum in Concilio Lateranensi; quia vsu receptum est decretum Concilij Constantiensis, & illa approbatio Concilij Lateranensis non fuit vsu recepta.

5 Neque obstat, quod dicitur de Martino V. quod scilicet ab isto Pontifice fuerit approbatum, & confirmatum Concilium Basiliense; quia dictus Pontifex non approbauit, & confirmauit decreta omnia Concilij Basiliensis, sed solum quædam decreta in illo Concilio edita quoad materiam Beneficiorum, & quoad absolutiones factas à quibusdam censuris.

6 Neque denique obstat, quod decretum hoc Concilij Constantiensis non reperiatur in dicto Concilio Constantiensi; quia licet non reperiatur nunc inter decreta, quæ extant talis Concilij Constantiensis, non tamen hinc sequitur, quod olim non fuerit editum, & promulgatum, & forsitan etiam editum à Martino V. vel saltem ab eodem Pontifice viua voce pronunciatum; vti refert S. Antoninus *loco suprà citato.* Et nunc de præsenti vbique terratum vsu receptum.

7 Obiicies secundò: Tenemur vitare eum, qui per iudicis sententiam est denunciatus excommunicatus: Ergo etiam tenemur vitare eum, qui publicè, seu notoriè est excommunicatus. Antecedens patet ex dictis iuxta citatam Extrauag. *Ad euitanda.* Consequentia probatur; quia esse aliquem publicè, seu notoriè excommunicatum, est idem, quod esse nominatim declaratum excommonicatum.

Respondetur: Nego consequentiam, & probationem consequentiæ; quia in dicta Extrauaganti legimus, nullum excommunicatum esse vitandum, nisi solum quando quis fuerit notorius Clerici percussor: Hic enim est vitandus, etiam antè sententiam iudicis. Quapropter ad vitandos alios notorios excommunicatos requiritur iudicis sententia: Cum autem in iure decernitur, quod iudex per sententiam aliquid declaret, non sufficit, quod factum sit notorium: Quia sicuti dicitur *in cap. euidentia de, accusation.* Euidẽtia patrati sceleris nõ eget clamore accusatoris, sed tamen eget sententia iudicis.

8 Instabis: Eo ipso, quod cognoscitur quis esse hæreticus, reputatur ab omnibus, ac si esset nominatim excommunicatus, vt probat præter alios Sotus *in 4. dist. 20. q. 11. art. 5. concl. 2. & dist. 25. q. 1. art. 1. concl. 3. & art. 3.* Sed tenemur vitare nominatim excommunicatum: Ergo etiam notorium hæreticum, & consequenter illud decretum Concilij Constantiensis non extenditur etiam ad hæreticos notorios.

Respondetur: Distinguo maiorem. Impropriè, transeat: Propriè, nego; quia propriè nemo dici potest nominatim excommunicatus, nisi per sententiam iudicis nominatim, & in particulari excommunicetur: at non omnes hæretici sunt per sententiam iudicis nominatim, & in particulari excommunicati, sed solum sunt excõmunicati hæretici in generali, sicuti contingit in aliquibus aliis delictis, quibus inflicta est excommunicatio.

9 Reinstabis: *In cap. sicut, de hæreticis, & in cap. si quem forte 24. q. 1.* dicitur, quod omnes hæretici sint vitandi: Ergo.

Respondetur: Distinguo antecedens de iure antiquo, antè Extrauagantem *Ad euitanda*, concedo: De iure nouo, post dictam Extrauagantem, nego.

10 Vrgebis: In prima excommunicatione Bullæ Cœnæ nominatim excommunicantur Lutherani, & quidã alij: Ergo saltem isti post dictam Extrauagantẽ erant vitandi.

Respondetur: Nego consequentiam, quia ex eo, quod in prima excommunicatione Bullæ Cœnæ nominatim excommunicentur quidam hæretici in generali, non requiritur, vt eos vitare teneamur: quia illa denunciatio non est specialis, sed generalis; vti dicebam, & tradunt Sayrus *lib. 3. de censur. cap. 4. n. 35.* & Vgolinus *de censur. Papæ reseruatis part. 1. cap. 14. circa finem,* & alij communiter.



DVBITATIO LII.

An, vt sit vitandus, sufficiat declarare nominatim esse hæreticum, absque eo quod declares nominatim esse excommunicatum?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticum vt sit vitandus, non sufficit ex probabiliori declarare nominatim esse hæreticum absque eo, quod declaretur esse excommunicatus nominatim.*

2 *Neque sufficit hanc censuræ declarationem fieri in genere, sed requiritur, vt fiat in specie, & in particulari, quia cùm plures sint censuræ, ex declaratione communi non arguitur, quæ censura crimini sit annexa.*

3 *Censura vt sit declarata formaliter, & expressè requiritur in Extrauag. ad euitanda scandala.*

4 *Decretum Extrauag. citata latum est in fauorem animarum, ex quo potius debet extendi, vt requiratur censura formalis, & expressa declaratio.*

5 *Finis, ob quem Extrauag. fidelibus concessit, ne tenerentur vitare excommunicatos, qui nominati non sint, fuit ignorantia.*

6 *Personæ declaratio non sufficit absque eo, quod de censura expressè mentio fiat, quidquid in contrarium Suarez ex verbis dictæ Extrauagantis Constantiensis intendat, quæ per extensum refertur.*

7 *Fidei fauor non consideratur in dicta censura in casu de quo agitur, eo quod Concilium exceptionem generalem fecerit omnium, qui publicati, seu denunciati non sunt.*

8 *Iudex pronuncians sententiam, per quam declarat, reum commisisse delictum aliquod, simul etiam declarat pœnas, quæ contra reum imponuntur à iure, vel ab homine: Hinc est, quod declaratus hæreticus, expressè declaratur excommunicatus.*

9 *Hæreticus neque est vitandus, si publica voce Ecclesia sciatur, quod sit hæreticus, vt est Hæresiarcha; quia licet iste sit hæreticus notorius, non est tamen per sententiam iudicis denunciatus, nec excommunicatus.*

10 *Dicta de hæretico notorio, non esse scilicet vitandum, nisi sit nominatim excommunicatus denunciatus, dici debent de quolibet publico delinquente, qui ob suum delictum excommunicationem ipso iure contraxerit.*

RESpondetur negatiuè, atque ita ex probabiliori sententia doctorum contra Sotum *lib. 9. de iust. q. 1. art. 8. ad primum, & in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. concl. 8. & dist. 13. q. 1. art. 9. & dist. 22. q. 1. art. 4. in principio,* Petrum de Soto *lect. 4. de excomm. §. iam verò,* Medinam *in Codic. de confessione, quæst. de confessione scienter facta excommunicato, §. per hæc patet,* Rodericum *in summa tom. 1. cap. 32. num. 6. & in Bulla Cruciatæ, § 9. num. 28.* Suarez *tom. 5. disput. 9. sect. 2. n. 10. & in tract. de fide disput. 21. sect. 3. n. 6. & seqq.* Henriquez *lib. 9. cap. 15. num. 4. & lib. 13. cap. 5. num. 4.* Guttier. *lib. 1. quæst. canonic.* 1

canonic.cap. 1.n.42. & alios tenent Nauar. *in cap. quando, de consecr. dist. 1. cap. 22. n. 6. & Miscell. 47. de orat. n. 2.* Grass. *1. part. decis. lib. 4 cap. 11. n. 5.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 9. n. 4.* qui contra alios subdit: Neque sufficere, hanc censuræ declarationem fieri in genere, sed requiri, vt fiat in specie, & in particulari: quia cùm plures sint censuræ, ex declaratione communi non arguitur, quæ censura crimini sit annexa.

3 Probatur, quia Extrauag. *Ad euitanda scandala*, requirit, vt censura sit declarata formaliter, & expresśè, At declarato delicto, censura non est declarata formaliter, & expresśè, sed solùm virtualiter, & in radice: Ergo.

4 Confirmatur, quia decretum hoc Extrauag. est latum in fauorem animarum: Ergo potiùs extendi debet, vt requiratur censura formalis, & expressa declaratio, quam limitari, vt sufficiat virtualis, & implicita.

5 Confirmatur secundò, quia finis, ob quem Extrauag. fidelibus concessit, ne tenerentur vitare excommunicatos, qui nominati non sint, fuit ignorantia: Sed declarato delicto, potest esse in pluribus, saltem rusticis, & indoctis eadem ignorantia: Ergo vt satisfiat intentioni Extrauagantis, debet ipsamet censura esse expressa, & formaliter declarata.

6 Obiicies ex Suarez; Extrauagans solùm videtur requirere declarationem personæ delinquentis absque eo, quod de censura expresśè mentio fiat. Ait enim, non esse fidelibus obligationem vitandi excommunicatos, nisi sententia, vel censura, vel prohibitio contra personam certam à Iudice publicata, vel denunciata fuerit formaliter, & expresśè. Ergo siue sententia, siue prohibitio, siue censura publicata sit, erit decreto Extrauagantis satisfactum.

Respondetur: Nego antecedens, sufficere scilicet declarare alicuius delictum absque eo, quod declaretur eiusdem hominis censura. Quidquid in contrarium Suarez, ex verbis Extrauagantis intendat inferre; sufficere scilicet declarationem cuiuscumque rei, vel delicti, vel censuræ. Sic enim habet Concil. Basiliense *sess. 20. ad finem*, referens hanc Extrauagantem Concilij Constantiensis: *Ad euitanda scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam, quod nemo deinceps à communione alicuius in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscumque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgata teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi fuerit contra personam, collegium, vniuersitatem, Ecclesiam, aut locum certum à Iudice promulgata, vel denunciata specialiter, & expresśè.* Verùm ex his verbis nullo modo videtur inferri, declarationem delicti tantùm sufficere, vt excommunicatus ratione illius publicatus sit specialiter, & expresśè: nam sensus eorum verborum est, te non teneri abstinere à communione illius, qui per aliquam sententiam, vel mandatum, vel ratione alicuius suspensionis, aut alterius censuræ prohibitus est tecum communicare, nisi talis sententia, mandatum, suspensio, censura publicata sit. Posita autem ista publicatione, seu denunciatione, teneri videris ab illius communicatione abstinere. Ex his tamen non infertur, te teneri abstinere ab illo, tanquam à nominatim excommunicato: cùm verba Concilij non tam de excommunicatione, quàm de alia quauis sententia, mandato, suspensione, & censura loquantur.

7 Obiicies secundò: Hic modus dicendi est fauorabilis fidei, in cuius fauorem leges pœnales extendi solent: & est fidelibus vtilior, vt sic ab hæresi liberentur. Ergo.

Respondetur; Nego consequentiam, aliàs etiam hæreticos notorios, non tamen denunciatos, vitare deberemus, quia est fauor fidei, & fidelibus vtilis. At hoc non est admittendum, eo quod Concil. exceptionem generalem fecerit omnium, nisi publicati, seu denunciati non sint: Ergo dum non adest formalis, & expressa denunciatio excommunicatorum, sub exceptione fauorabili Concilij continentur. Accedit, quod licet in aliquo casu esset obligatio vitandi hunc hæreticum, sic confusè denunciatum, quia esset in fauorem fidei, & vtilitatem fidelium, id tamen generaliter esse non potest, quia adest semper finis, quo motum est Concilium ad illud priuilegium concedendum.

Vbi aduerte, quod ferè nunquam in praxi contingit casus, de quo est præsens dubitatio: quia cùm Iudex pronunciat sententiam, per quam declarat, reum commisisse delictum aliquod, simul etiam declarat pœnas, quæ contra reum imponuntur à iure, vel ab homine. Cùm igitur quis iuridicè declaratur hæreticus, simul etiam formaliter, & expresśè declaratur excommunicatus. 8

Aduerte secundò, quod neque sit vitandus hæreticus, si publica voce Ecclesiæ sciatur, quod sit hæreticus (vt est hæresiarcha:) quia licet iste sit hæreticus notorius, non est tamen per sententiam Iudicis hæreticus denunciatus, nec excommunicatus. Doctores, quos sequitur Sanch. *lib. 2. moral. cap. 9 n. 16.* quidquid in contrarium sentiant alij, quos sequitur Henriquez *lib. 9. de Missa cap. 15. n. 4. litt. A. in glossa.* 9

Cæterùm, quod dixi de hæretico notorio, non esse scilicet vitandum, nisi sit nominatim excommunicatus denunciatus; idem dico de quolibet publico delinquente, qui ob suum delictum excommunicationem ipso iure contraxerit: quod scilicet neque & ipse sit vitandus, nisi sit similiter nominatim excommunicatus publicatus. 10



DVBITATIO LIII.

An Episcopus possit absoluere ab excommunicatione propter hæresim incursa virtute decreti Concilij Tridentini?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Hæresis absolutio reseruata est Summo Pontifici ratione excommunicationis hæresi annexæ: Ita vt reseruatio cadat non solùm super excommunicationem; sed etiam super crimen excommunicatione affectum.*

2 *Absolutio data de hæresi habente excommunicationem annexam, inualida est, si bona fide detur ab illo, qui potestatem non habet absoluendi à censura.*

3 *Hæresis crimen tunc reseruatum non manet, si ex aliquo capite excommunicatio huic crimini annexa non sit, vel si fuit annexa, iam per absolutionem sublata fuit; quia non reseruatur, nisi vt excommunicationi coniunctum est, & in tali casu poterit à quocumque approbato Confessario absolutionem obtinere.*

4 *Episcopus potest absoluere ab excommunicatione propter hæresim incursam virtute Concilij Tridentini: quæ verba per extensum referuntur.*

5 *Episcoporum nomine, quibus hæc facultas concessa est, veniunt omnes illi qui subditos habent; quia respectu subditorum conceditur facultas.*

6 *Episcopi debent esse electi, & confirmati ad prædictum effectum; quia ante confirmationem Iurisdictionem non habent; non tamen necessariò debent esse consecrati; quinimmò neque necessariò Sacerdotes, vt possint ab excommunicatione*

reseruata absoluere, quia impendere debent absolutionem sacramentalem.

7 *Debent tamen necessariò esse Episcopi illorum locorum, in quibus receptum est Concilium Tridentinum, aliàs vti non poterunt tali facultate.*

1 SVPPONO, quod absolutio hæresis reseruata sit Summo Pontifici ratione excommunicationis hæresi annexæ, ita vt reseruatio cadat non solùm super excommunicationem, sed etiam super crimen excommunicatione affectum, vti constat ex prima clausula Bullæ Cœnæ Domini.

2 Hinc fit, quod absolutio data de hæresi habente excommunicationem annexam, inualida sit, si bona fide detur ab illo qui potestatem non habet absoluendi à censura. Doctores communiter apud Suarez *de fide disput.21. sect.4 n.2.* & Sanchez *lib.2.moral. cap.8.n.5.*

3 At si ex aliquo capite excommunicatio huic crimini annexa non sit, vel si fuit annexa, iam per absolutionem sublata fuit, crimen hæresis tunc reseruatum non manet, quia non reseruatur, nisi vt excommunicationi iunctum est. Quod aduerte pro illis, qui cum iuris, vel facti ignorantia, aut inaduertentia de censura, hæresim committunt: quia in tali casu, cùm censuram non contrahant, poterunt à quolibet Confessario absolutionem obtinere, Doctores passim apud eumdem Sanchez *cit. cap.8.n.5. & cap.11.n.1.* His suppositis.

4 Respondetur affirmatiuè: sic enim ait Concilium Tridentinum *sess.24. cap. 6. de reformat. Licet Episcopis, in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in Diœcesi sua per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ gratis absoluere, imposita pœnitentia salutari. Idem in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ, eis tamen, non eorum Vicariis sit permissum.*

5 Cæterum nomine Episcorum, quibus hæc facultas concessa est, veniunt omnes illi, qui subditos habent; quia respectu subditorum conceditur facultas.

6 Hinc debent esse Episcopi electi, & confirmati, quia ante confirmationem iurisdictionem non habent. Non tamen necessariò debent esse consecrati. Quinimmò neque necessariò Sacerdotes, vt possint ab excommunicatione reseruata absoluere, quia impendere non debent absolutionem sacramentalem. Gutierr. *de matrim. cap.49.n.16.* Sanch. *de matrim.lib.8.disp.2.n.11.& lib.2. moral. cap.11.num 3.* Barbosa *2.part.de potest.Episcop. allegat. 39. n.2.* & alij communiter.

7 Debent tamen necessariò esse Episcopi illorum locorum, in quibus receptum est Concilium Tridentinum. Aliàs vti non poterunt tali facultate, quia media receptione, & acceptatione dicti Concilij Tridentini, talis facultas ipsis non conceditur, cùm par non sit acceptare gratias, & repellere onera. Garzias *de benefic.part.7. cap.11.n.13.* Suarez *de censur.disp.41.sect.2.n.6.* Sanch. *vbi sup.n.2.* & Barbosa *num.3.*

PETITIO.

An Episcopus virtute dicti decreti Tridentini Concilij possit absoluere ab hæresi, & alijs censuris Bullæ Cœnæ non solùm suos subditos habentes domicilium in sua Diœcesi, sed etiam vagos, & cum iisdem dispensare?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus virtute decreti Concilij Tridentini potest absoluere ab hæresi, & ab alijs censuris Bullæ Cœnæ, non solùm suos subditos habentes domicilium in sua Diœcesi, sed etiam vagos, & cum iisdem dispensare: quia cùm vagi nullum certum domicilium habeant quoad sacramenta recipienda, subiacent Episcopo, in cuius Territorio reperiuntur.*

2 *Vagi sicut absolui possunt à censuris ab Episcopo loci, in quo reperiuntur: ita etiam absolui possunt à peccatis à Parocho loci, vbi ad breue tempus commorantur.*

3 *Vagi sicut possunt cuique Parocho confiteri, sic etiam possunt coram quocumque Parocho matrimonium celebrare: quia qui est proprius Parochus ad audiendam confessionem, est etiam ad assistendum matrimonio.*

4 *Episcopus quamuis possit absoluere vagos à casibus reseruatis, & censuris, non tamen potest cum illis dispensare in irregularitate, quia ad hoc requiritur iurisdictio ordinaria in eum cum quo dispensat in irregularitate, contra nonnullos.*

5 *Episcopus potest dispensare cum subditis suis in irregularitate etiam extra suam Diœcesim: quia verba decreti Concilij Tridentini (in Diœcesi sua) referri debent ad posteriorem partem dicti Capituli, contra aliquos Doctores.*

6 *Vagi dicuntur, qui nullibi certum locum habent, sed vagantur per orbem.*

RESPONDETUR affirmatiuè. Garz. *de benef part. 11. cap. 10. n. 139.* Zerul. *in prax. Episcop part. 1. verb. Vicarius. §. 18. dub. 4.* Henriq. *lib. 14. cap. 10. n. 5.* Suar. *tom. 4. disput. 30. sect. 2. n. 3.* Armend. *in addit. ad Recopil. legum Nauarr. lib. 1. tit. 18. l. 7. de irregul. in declar. n. 18.* Sanch. *de matrim. lib. 3. disput. 23. n. 12. & lib. 2. moral. cap. 11. num. 8. & seqq.* & alij, quos sequitur Barbosa *de offic. Episc. part. 3. alleg. 39. n. 5.* 1

Probatur, quia cùm vagi nullum certum domicilium habeant, quoad Sacramentum confessionis, Eucharistiæ, dispensationes, & alia huiusmodi, subiecti sunt illi Episcopo, in cuius territorio reperiuntur. At Episcopus potest absoluere à censuris suos subditos, & etiam dispensare cum suis subditis: Ergo poterit absoluere à censuris vagos, & etiam dispensare cum vagis. Idemque dicendum de aduenis & peregrinis.

Vbi aduerte, quod sicut vagi absolui possunt à censuris ab Episcopo loci, in quo reperiuntur, ita etiam absolui possint à peccatis à Parocho loci, in quo ad breue tempus commorantur. Richar. *in 4. dist. 17. art. 3. q. 1.* Palud. *ibid q. 3. art. 3. n 21.* Ostiens. *in sum. tit. de Paroch. § penult. n. 7.* Nauarr. *in cap placuit, de pœnit. dist. 7. n. 29.* & Turrecrem. *in cap. quem pœnitet, de pœnit. dist. 1. art. 3. n. 6.* Sicut enim puniri possunt pro delictis alibi commissis, vbicumque sortiuntur forum externum. Doctores quos sequitur Clarus *lib. 5. recept. in pract. crimin. §. fin. q. 39.* & Decian *in pract. crim. lib. 4. cap. 13. n. 5.* ita etiam iudicari possunt pro peccatis alibi commissis, vbicumque sortiuntur forum conscientiæ. 2

Aduerte secundò, quod prædicti vagi, sicut possunt cuicumque Parocho confiteri, sic etiam possint coram quocumque Parocho matrimonium celebrare, quia qui est proprius Parochus ad audiendam Confessionem, est etiam proprius Parochus ad assistendum matrimonio. Doctores, quos sequitur Petr. de Ledesma *de matr. q. 45. art. 5. parte. 3. dub. 1. concl. 1. & 3.* & Sanchez *de matrim. disput. 23. n. 10. & disput. 25. n. 11.* 3

Aduerte tertiò, quod quamuis Episcopus possit absoluere à casibus reseruatis, & censuris, vagos, & alios huiusmodi; non tamen similiter possit dispensare cum illis in irregularitate, quia vt Episcopus dispenset in irregularitate, requiritur, quod habeat iurisdictionem ordinariam in eum cum quo dispensat in irregularitate. Garzias *de benefic part. 11. cap. 10. num. 139.* Armend. *in addit. ad Recopil. leg. Nauar. lib. 1. tit. 18. l. 7. de irregul. in declar. n. 18.* & Barbosa *de offic. Episc. alleg. 39. n. 6.* qui subdunt, quod sic etiam declarauerit Sacra Congregatio Cardinalium. 4

Quamuis contrarium teneant alij, quos sequitur Henriq. *lib. 14. cap. 20. § 5.*

Aduer

5 Aduerte quartò, quod Episcopus possit cum subditis suis dispensare in irregularitate, etiam extrà suam Diœcesim. Suarez *de censur. tom.5. disp.41. sect.2. n.10. & seqq.* Sanchez *lib.2. moral. cap.11. num.12.* Bonacina *de censur. disp.7. quæst.5. part.1. num.4.* & Barbosa *loco suprà citato, num.7.* Quia verba illa Concilij Tridentini *in dicto cap.6. (in Diœcesi sua)* referri debent (inquiunt ipsi) ad posteriorem partem illius Capituli, in qua datur Episcopo facultas absoluendi à reseruatis.

Quamuis contrarium (scilicet, quod Episcopus dispensare non possit in irregularitate vi Decreti Concilij Tridentini extrà suam Diœcesim) teneant Henriquez *lib.14. cap.20. n.5.* Roderic. *in summ. tom.2. cap.69. num.1.* & Auila *de censur. part.7. disp.10. dub.6.* sed de hac re meliùs infrà *sect.8.*

6 Cæterum vagi dicuntur, qui nullibi certum locum habent, sed vagantur per orbem, *l. eius qui, §. finali, ad municip.* Item vagi dicuntur, qui relicto proprio domicilio, tendunt quærentes, vt possint habitare, *dicta l. eius qui,* & docent Ioan. Andr. *in cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. remission. num.13.* Henric. *ibid. num.24.* Syluest. *verb. confessor 1. quæst.6. vers.4.* & Tabiena *verb. absolutio 1. num.41.*

SECTIO II.

Quid dicendum de Capitulo Sede vacante, veniatnè nomine Episcopi?

SVMMARIVM.

1 *Capitulum Cathedralium, Sede vacante, venit Episcoporum nomine, quia ei competunt ea omnia, quæ competunt Episcopo iure communi, & iurisdictione ordinaria, & ideò potest absoluere, & dispensare circa alios casus, præter hæresim.*

2 *Capitulum Cathedralium Sede vacante, si loquamur de hæresi, non venit Episcoporum nomine, quia Concilium Episcopo tantùm, & non illius Vicario facultatem absoluendi ab hæresi concedit: Et Capitulum per Vicarium deputatum exercet iurisdictionem, contra Sanchez.*

3 *Capitulum, si velit absoluere à delicto hæresis per se, requiritur, vt cognoscat de delicto, quo cognito, erit publicum, & ità cessat facultas Tridentini Concilij.*

4 *Capitulum Sede vacante, quod virtute Decreti Concilij Tridentini possit absoluere ab hæresi, aliisque censuris occultis Bullæ Cœnæ, quodque valeat exercere omnia, quæ ex dicto Decreto competunt Episcopo: Quod quidem tenet Sanchez, nō est improbabile, quia Capitulum Sede vacante succedit Episcopo in iis, quæ ad iurisdictionem ordinariam pertinent.*

5 *Capitulum Sede vacante dispensare potest etiam in iis omnibus, in quibus potest Episcopus, contra nonnullos Doctores.*

6 *In Capitulum non transeunt ea, quæ competunt Episcopo iure speciali delegato, seu ex commissione: secus ea, quæ competunt iure speciali ordinario.*

7 *Facultas concessa Episcopo in Decreto Concilij Tridentini non competit iure speciali delegato, sed iure speciali ordinario, non enim conceditur personæ, sed officio, & dignitati, quod dicitur cum dictis circumstantiis de iure ordinario.*

8 *Facultas quotiescumque conceditur Episcopo tanquam delegato Sedis Apostolicæ, quamuis concedatur officio, vel dignitati, & in perpetuum, est facultas delegata, secùs si concedatur absolutè, prout conceditur in dicto Decreto.*

9 *Non obstat, quod in dicto Decreto Concilij dicatur, quod Episcopus ab hæresi absoluat per semetipsum, & non per Vicarium, & cæt.*

1 REspondetur, si loquamur de facultate absoluendi, & dispensandi circa omnes alios casus præter hæresim, absque dubio venit; quia talis facultas, quamuis competat Episcopo speciali iure, & priuilegio: Competit tamen ei iure communi, & iurisdictione ordinaria: sed quæ sic competunt Episcopo, transeunt in Capitulum, vt communiter tradunt Doctores apud Barbosam *cit. allegat.39. num.16.* Ergò.

2 At si loquamur de hæresi, videtur non venire, quia Concilium Episcopo tantùm, & non illius Vicario facultatem absoluendi ab hæresi concedit: Ergò cùm Capitulum iurisdictionem exerceat per Vicarium deputatum, non apparet, qua ratione Capitulum possit habere facultatem absoluendi ab hæresi, atque ita docet Suarez *tom.4. de pœnit. disp.30. sect.2. num.4.* & Ledesma *2. tom. summæ tract.1. cap.6. difficult.5.*

Quamuis contrarium teneant alij, vt Sanchez *de matrimon. lib.8. disp.2. num.10. & lib.2. moral. cap.11. num.4* moti contrario fundamento, quia Capitulum succedit Episcopo: Ergò, sicut potest Episcopus facultatem absoluendi ab hæresi delegare, sic poterit & Capitulum. Tum quia poterit Capitulum suffragiis maioris partis determinare hæreticum absoluendum, & sic illum absoluere: Ergò.

3 At his non obstantibus, id quod contrà Sanchez tenent Suarez, & Ledesma, magis mihi probatur. Ratio est, quia Capitulum ex probabiliori sententia Doctorum non potest absoluere ab hæresi per Vicarium, vt infrà dicetur: Neque etiam potest absoluere per seipsum: Nam vt absoluat per seipsum, debet integrè cognoscere delictum: At cognito delicto à Capitulo, iam delictum non est occultum, sed publicum: Ergò cessat facultas Tridentini Concilij, cùm illa solùm sit pro delictis occultis.

4 Quod tamen tenet Sanchez, non est improbabile, ita vt scilicet Capitulum Sede vacāte vigore Decreti Concilij Tridentini possit absoluere ab hæresi, aliisque censuris occultis Bullæ Cœnæ, & sub nomine Episcopi comprehendatur etiam Capitulum Sede vacante quod Capitulum valeat exercere omnia, quæ ex dicto Decreto Concilij Tridentini competunt Episcopo. Roderiq. *tom 1. quæst. regul. quæst.61. art.9.* Henriq. *lib.6. de pœnit. cap.16. n.1. & lib 14. de irregul. cap.18. n.2. & c.20. n.1.* Garzias *de benefic. part.5. c.7. n.41. & part.7. c.11. n.21.* Arragonius *2.2. q.88. art.11. conclus.5.* Sayr. *in Clau. reg. lib.6. c.11. n.84.* Beija *in resp. cas. conscient. part.4. cas.37. vers. Tandem nullus,* Cenedo *ad 6. collect.4. n.3.* Riccius. *in prax. for. Eccl. resol.476.* & *in Praxi aurea resol.118. n.5.* & alij, quos sequitur Barbos. *de offic. Episc. part.2. alleg.39. num.16.*

Ratio est, quia Capitulum, dum Sedes Episcopalis vacat, succedit Episcopo in eis, quæ ad Episcopi iurisdictionem ordinariam pertinent (si pauca quædam speciatim iure prohibita excipiantur) Gloss. *in Clement.1. de hæret.* Abb *in cap. cum olim, de maiorit. & obed.* Innoc. *in cap. Ad abolendam, de hæretic.* Ostiens. *ibid.* Federicus de Senis *cons.130.* Syluest. *verb. Capitulum, n.2.* Parisius *de resign. benef. lib.7. q.23. n.11. & seqq.* Pauin. *de potest. Capituli Sede vacante, part.1. c.3. n.3.* Molin. *de iust. tract.5. disp.11. n.1. & seqq.* Rebuff. *in prax. benef. tit. de deuolut. num.57.* Nauarrus *cons.94. de temporib. ordinat. art.1. & cons.7. de filiis Presbyter.* Guttier. *lib.1. quæst. canonic. c.3. n.10.* Sayr. *in Claui regia lib.6. cap.11. n.84.* Cardos. *in prax. iudic. verb. Capitulum, num.2.* & alij, quos sequitur Riccius *in praxi for. Eccl. resol.305. n.4.*

5 Quapropter Capitulum, Sede vacante, dispensare potest etiam in iis omnibus, in quibus potest Episcopus. Zabarell. *in cap. cum omnes, de Constitut. quæst.10.* Abbas *in cap. At si clerici, de iudic. n.16.* Guttier. Sayrus, Cardos. Riccius, Molin. *in locis suprà cit.* Henriq. *lib.13. cap.20. num.1.* & Pauinus *cit. part.1. quæst.5. de potest. Capitul. Sed. vacant.*

Quidquid in contrarium teneant quidam alij, quos sequitur Alterius *tom.2. disput.8. de suspens. cap.3. vers. ex eodem,* & Bonacin. *de censur. disp.7. quæst.5. punct.1.* quatenus aiunt, quod Capitulum, Sede vacante, non

non habeat eam facultatem absoluendi, & dispensandi, quam habet Episcopus sibi concessam per Tridentinum Concil. *cit. sess. 14. de reform. cap. 6.*

6 Non obstat, si cum aduersarijs dicas: Non transeunt in Capitulum ea, quæ Episcopo competunt iure speciali. Innocent. *in cap. in cunctis, de elect. n. 7.* Abbas *in cap. verum, de for. compet. n. 9.* Sed facultas à Tridentino Concilio Episcopo concessa, competit ei iure speciali: Ergo non transit in Capitulum.

Respondetur enim, distinguo maiorem: Non transeunt in Capitulum ea, quæ competunt Episcopo iure speciali; si competant Episcopo iure speciali delegato, seu ex commissione, concedo: Hæc enim quidem non transeunt in Capitulum Sede vacante. Abbas *in cap. Cùm olim, de maior. & obed. q. 5.* Felinus *ibid q. 10. & in cap. Eam te, de rescrip. n. 17. & in cap. Verum, de foro compet. n 1.* Azeuedo *ad Curiam Pizanam lib. 1. cap. 8. num. 12.* Decius *in cap. Quoniam, de offic. deleg. num. 71. & 81.* Rebuff. *in prax. benefic. tit. de de deuolut. num. 68.* Franc. Leo *in Thesaur. for. Eccles. part. 1. cap. 1. num. 8. vers. Capitulum enim,* Sbrozzius *de Vicario Episc. lib. 1. q. 16. n. 1. & lib. 2. q. 135. n. 4.* Rota *in antiq. decision. 6. de offic. delegat.* Roman, *conf. 506. num. 4.* & ibi Mandos. *addit. vlt. lit. I.* Riccius *in praxi aurea, resolut. 118. n. 2.* Garzias *de benefic. part. 5. cap. 7. num. 42.* Quaranta *in summa Bullar. verb. Capitulum Sede vacante, in princip.* & alij passim.

Si competant Episcopo iure speciali ordinario, nego. Hæc enim è contra transeunt in Capitulum Sede vacante: Abb. *in cap. Verùm, de for. compet. n. 9.* Felinus *in cap. Eam te, de rescript. n. 17.* Henriquez *lib. 6. cap. 16. n. 1. & lib. 14. cap. 20. n. 2.* Suarez *tom. 4. de pœnit. disp. 30. sect. 2. num. 4.* Genuens. *in prax. Archiepisc. cap 67. n. 12.* Aragon. *2. 2. q. 88. art. 12. concl. 5* Rodericus *tom. 1. quæst. Regul. quæst. 61. art. 9. vers. nec his obstat,* & alij communiter.

7 Facultas autem Episcopo concessa in eo decreto Concilij Tridentini, non competit Episcopo iure speciali delegato, sed competit iure speciali ordinario: quia non conceditur personæ, sed officio, vel dignitati, & in perpetuum, vt est in casu nostro: dicitur tunc competere, seu conuenire de iure ordinario. Bartol. *in l. ambitione, ff. de decret. ab Ordinario factis, n. 34.* Bald. *in cap. fin. de offic. ordinar. n. vnic.* Imola *ibid. circa finem,* Angelus *in summa verb. excommunicatio 5. casu 1. n. 39.* Ioan. Andr. *in addit. ad Speculat. in tit. de legato, §. vltim.* Nauarr. *in sum. cap. 27. n. 45.* Felinus *in cap finali de offic. delegat. n. 8.* Syluest. *verb delegatus, q. 8. dicto 1.* Couart. *lib. 3. var. cap. 20. n. 6.* Corduba *in summa q. 18. in princ.* & Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 7. n. 3. & lib. 13. cap. 24. num. 1.* Ergo.

8 Neque obstat, si instes: Quotiescumque facultas conceditur Episcopo tanquam delegato Sedis Apostolicæ, quamuis talis facultas concedatur officio, vel dignitati, & in perpetuum; est facultas delegata. Glo'sa *in cap. ad abolendam, de hæretic.* Abbas *ibid. n. 25.* & alij Canonistæ, quæ potestas non transit in Capitulum Sede vacante. Abbas *loco supra citato circa fin.* Ergo falsum est, quod facultas concessa Episcopo in perpetuum transeat in Capitulum Sede vacante. Præsertim, cùm in casu nostro dicta facultas sit concessa Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ delegato.

Respondetur enim, distinguo antecedens: Si facultas concedatur Episcopo tanquam delegato Sedis Apostolicæ, concedo: si concedatur absolutè, vt est in casu nostro, nego. Vt omittam nonnullos Doctores sentire, quod facultas concessa Episcopo, tanquam delegato Sedis Apostolicæ in perpetuum, non sit delegata, sed ordinaria. Vt omittam etiam, facultatem concessam Episcopo, tanquam delegato Sedis Apostolicæ, quamuis concedamus transire in Capitulum Sede vacante, quando Episcopus non habet eam facultatem, nisi quatenus delegatus Sedis Apostolicæ, transire tamen, si aliunde Episcopus illam de iure ordinario etiam habet, non quidem tanquam delegatus, sed quatenus de iure ordinario ipsi competit.

9 Neque etiam obstat, si vrgeas: In Decreto Concilij Tridentini dicitur, quod ab hæresi Episcopus absoluat per semetipsum, & non per Vicarium: Ergo talis facultas, Sede Episcopali vacante, non transit in Capitulum. Antecedens patet ex contexu. Consequentia probatur, quia non videtur Capitulum posse absoluere per semetipsum, cùm constet Capitulum ex pluribus Canonicis.

Respondetur enim, quod possit quis negare consequentiam, vel dicendo, quod sicut potestas absoluendi hæreticum manifestum, non est penes Inquisitorem solum, sed penes Tribunal Sanctæ Inquisitionis, & tamen post causam cognitam Tribunal facultatem absoluendi ab hæresi externa dat Inquisitori, qui nomine Tribunalis illum absoluat: sic & in casu nostro, postquam Capitulum censuit, hæreticum esse absoluendum, tunc qui præest Capitulo, nomine totius Capituli illum ab hæresi absoluit: Vel dicendo, quod Capitulum possit alicui, specialiter ab ipso Capitulo delegato, concedere, quod possit talem personam ab hæresi absoluere

---

SECTIO III.

Quid dicendum de Abbatibus, & aliis Prælatis inferioribus iurisdictionem ordinarium, & quasi Episcopalem in sua Diœcesi habentibus?

SVMMARIVM.

1 *Episcoporum nomine, ex probabiliori sententia Doctorum veniunt etiam Abbates, & alij prælati inferiores, iurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem in sua Diœcesi habentes, etiam quoad facultatem absoluendi ab hæresi.*

2 *Potestas hæc absoluendi, & dispensandi in hoc decreto Episcopis concessa, pertinet ad iurisdictionem Episcopalem, quam habent etiam in suo Territorio prædicti Prælati.*

3 *Facultas prædicta est latè interpretanda, quia est inserta in corpore Iuris, & constituit Ius commune, &c.*

4 *Episcopi de iure antiquo poterant ab omnibus casibus absoluere, & in pluribus dispensare: Quapropter per id quod habetur in dicto decreto Conc. redditur huiusmodi Prælatis ius quod olim habebant. Quæ lex, per quam reducitur aliquid ad ius antiquum, & commune, debet tanquam fauorabilis extendi.*

5 *Facultas prædicta concessa est Episcopis non iure speciali gratioso, & priuilegiato, sed iure speciali communi, & ordinario.*

6 *Neque eligitur alicuius persona particularis industria, sed cuiuscumque Iurisdictionem Episcopalem habentis.*

7 *Neque talis facultas derogat iuri communi.*

Respondetur, ex probabiliori sententia Doctorum, nomine Episcopi tales Prælatos venire etiam quoad facultatem absoluendi ab hæresi, & dispensandi in casibus in eo decreto contentis. Atque ita tenent Henriquez *lib. 6. cap. 16. n. 1. & lib. 14. cap. 28. n. 2.* Auila *de censur. 7. part. disput. 10. dub. 6.* Sayr. *in Claui regia lib. 6. cap. 11. num. 83.* Manuel *2. tom. summa, cap. 10. num 10.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 11. n. 5. & lib. 8. de matrim. disput. 2. n. 12.* Rodoriquez *tom. 1. summ. cap. 10. num. 6. conclus. 6. & tom. 1. quæst. Regul. q 24. art. 16. & quæst. 61. art. 9.* Flores de Mend. *lib. 3. variar. q. 14. n. 18.* & alij contra Petrum de Ledesma *in summa tom. 2. tractat. 1. cap. 6. post concl. 2. difficult. 1.* Aragonium *2. 2. quæst. 88. art. 12. concl. 4.* Cenedum *ad 6. collectan. 4. n. 5.* Riccium *in praxi for. Eccles. resolut. 555.* Bonacinam *de censur. disput. 7.* 1

disput.7. quaest.5.punct.1.n.9. Alterium *tom.2. disput.8. de suspens. cap.3. vers. sed hic.* Armend. *in addit. ad Recopilat.leg. Nauarra, tit.18 l.7. de Irregularitat. declarat. num.9. & 10.* Tolerum *lib.1. cap.83. num.5.* Garziam *de benefic.7.part.cap.11.n.13.* Suarez *de censur. disp.41. sect.1.n.6. & de poenitent. disput.30. sect.2. n.6.* & complures alios apud Barbosam *3.part. de potestat. Episcop. allegat.39.n.17. & in remission. Concily, vers. Episcopus*, quos ipse sequitur.

2 Probatur: quia potestas haec absoluendi, & dispensandi in hoc decreto Episcopis concessa pertinet ad iurisdictionem Episcopalem. At talem iurisdictionem Episcopalem habent praedicti Praelati, cùm ab Episcopis in consecratione solùm differant: Ergo.

3 Confirmatur: quia haec facultas est latè interpretanda, quia est inserta in corpore iuris, & constituit ius commune. Tum quia in materia absolutionis reducitur res ad pristinum statum, in quo nulla reseruatio erat, etiam pro crimine haeresis. Tum quia concessa est non personae, sed dignitati: Ergo.

4 Confirmatur secundò, quia per id quod habetur in dicto decreto Concilij Tridentini, redditur huiusmodi Praelatis ius quod olim habebant. At de iure antiquo poterant tales Praelati ab omnibus casibus absoluere, & in pluribus dispensare. Et ex alio capite lex per quam reducitur aliquid ad ius antiquum, & commune, debet tanquam fauorabilis extendi. Glossa *in l. final. §. in computatione, Cod. de iur. deliber.* Bartol. *in l. si tutor, Cod. de pign. dat.* Iason *in l. si constante, n.15. ff. sol. matrimon.* Surd. *lib.3. cons.334. num.15.* Anton. Gomez *tom.1. variar. cap.5. num.11.* Tiraquellus *de primogen. q.24.n.1. & seqq.* Conarr. *lib.3. var. cap.6. num.4.* & alij communiter: Ergo dictum decretum Concilij Tridentini debet tanquam fauorabile extendi ad Praelatos habentes iurisdictionem quasi Episcopalem.

5 Obiicies: Praedicta facultas concessa est Episcopis iure speciali ob illorum dignitatem: Ergo non debet extendi ad alios talem dignitatem non habentes.

Respondetur, distinguo antecedens: Praedicta facultas concessa est Episcopis iure speciali, gratioso, & priuilegiato, nego: Iure speciali communi, & ordinario, concedo. At in his quae sic competunt, lata est interpretatio facienda, ex Doctoribus apud Rodoriquez *quaest. Regul. tom.1. q.61. art.9.*

6 Obiicies secundò: Videtur eligi industria personae, praesertim in absolutione ab haeresi, cùm prohibeat Concilium alijs hanc facultatem Episcopos posse committere: Ergo.

Respondetur: Nego eligi industriam alicuius personae particularis, sed cuiuscumque iurisdictionem Episcopalem habentis, cùm committatur omnibus Episcopis.

7 Obiicies tertiò: talis facultas derogat iuri communi: Ergo saltem ex hoc capite limitari debet, vt nomine Episcopi solùm veniant, qui propriè Episcopi sunt.

Respondetur: Nego, talem facultatem derogare iuri communi, quia vt constat ex dictis, potius constituit ius commune.

SECTIO IV.

Quid dicendum de Praelatis Regularibus, etiam Conuentualibus Religionum Exemptarum.

SVMMARIVM.

1 *Praelati Regulares, etiam Conuentuales Religionum exemptarum non veniunt nomine Episcopi in hac facultate absoluendi, & dispensandi, ex Decreto Sacri Concily Tridentini.*

2 *Facultas praedicta videtur concessa solùm iis qui Dioecesim habent, sicuti constat ex illis verbis (pro Dioecesi sua.)*

3 *Praelati Regulares, etiam Conuentuales Religionum exemptarum, licet non veniant quoad praedictum effectum Episcoporum nomine, ex decreto Concily Tridentini; veniunt tamen ex particulari extensione, quam Pius V. facit in quodam motu proprio apud Rodoriquez, &c.*

4 *Limita tamen, secundum Sanchez in crimine haeresis; quia eius absolutio ob suam grauitatem non videtur concessa. Quae limitatio tamen non probatur Auctori, quia licet haeresis absolutio Praelatis Regularibus non concedatur verbis expressis, conceditur tamen verbis aequiualentibus.*

6 *Praelati Regulares in Hispania nullo modo possunt etiam in foro conscientiae Religiosos sibi subditos absoluere, sed Inquisitoribus remittere debent.*

Respondetur, quod quamuis nonnulli, vt Rodoriq. *cit. art.9.* teneant, nomine Episcopi in hac facultate absoluendi, & dispensandi venire praedictos Regulares, quia hi iurisdictionem quasi Episcopalem habent, vt bene probat Sanch. *lib.8. de matrim. disput.3. num.9.* Probabilius tamen fit oppositum: ita vt tales Praelati Regulares hanc facultatem non habeant ex Decreto Concilij Tridentini. Atque ita docet Suarez *tom.4. disput.5. sect.2.n.7.* Armend. *in addit. ad Recopil. legum Nauarr. tit.18. l.7. de irregularit. in declarat. n.9. & 10.* Garzias *de benefic. part.7. cap.11. num.13.* vbi testatur à Cardinalium Congregatione sic esse decisum. Sanch. *lib.2. moral. cap.11. num.7.* & Barbosa *de potest. Episcop. 2.part. alleg.39.n.18.* 1

Probatur, quia talis facultas videtur concessa solùm iis, qui Dioecesim habent, sicuti constat ex illis verbis; *Pro sua Dioecesi.* Sed praedicti Praelati Regulares non habent Dioecesim: Ergo in praedicta facultate non videntur comprehensi. 2

Caeterùm, quamuis Praelati Regulares in tali facultate à Tridentino Concilio concessa non comprehendantur, comprehenduntur tamen ex particulari extensione, quam Pius V. fecit in quodam motu proprio, apud Rodoriquez *tom.1. quaest. regul. q.61. art.9.* ibi: *Quia sacrum Oecumenicum Concilium generale Tridentinum concessit Episcopis, vt absoluere possent in foro animae, seu conscientiae, ab omnibus peccatis, & dispensare in irregularitatibus, prout sessione 24. cap. 6. habetur, ne Prior, Prouincialis, & Superiores Praelati dicti Ordinis, tam in dicta prouincia, quàm extra illam, vbilibet in hac parte deterioris conditionis, quàm Clerici, vel saeculares existant, eisdem Priori-Conuentuali, & Superioribus Praelatis, vt ipsi per seipsos idem omninò possint in Fratres, & Moniales dicti Ordinis sibi subditos, quoad absoluendi, & dispensandi huiusmodi, quàm alias quascumque facultates eisdem authoritate, tenore, etiam perpetuò concedimus, & indulgemus, atque etiam declaramus, praesentes Litteras perpetuò durare, & valere.* Et ita tenent Molina *de iust. tract.3. dispnt.70. circa finem.* Zetul. *in prax. Episcop. part.2. cap.3. num.50.* Iacob. de Graff. *tom.2. consil. tit. de homicid. cons.2. n.23. & seqq.* Sayros *lib.7. de censur. cap.7.n.23.* Roderic. *tom.1. quaest. Regul. q.61. art.9.* Beija *in respons. cas. conscient part.4. cas.17. in princip.* Ioannes de la Cruz *de statu Religionis lib.1. cap.6. dub.16.* Henriquez *lib.6. cap.16. num.8. & lib.7. cap.15. n.1. & lib.14. cap. vltim. n.5. circa finem,* Sanchez *lib.8. de matrim. disput.1. n.13. & lib.2. moral. cap.11. n.7.* & Barbosa *loc. sup. cit.* 3

4 Limitat tamen Rodoriq. *tom.1. quaest. Regul. quaest.30. art.10.* Auila *de censur. part.7. disput.10. dub.6.* & Sanchez *lib.2. moral. cap.11. n.7.* hanc facultatem in crimine haeresis, quia eius absolutio ob suam grauitatem non censetur concessa, nisi exprimatur. At in huiusmodi priuilegio non exprimitur, sed solùm generaliter exprimuntur, quae Episcopis in illo decreto conceduntur: Ergo licet in illo decreto haeresis expressè

 Episco-

Episcopis concedatur ; non tamen similiter censetur Prælatis Regularibus concessa.

5 Sed limitatio ista mihi non probatur, qvia tametsi hæresis absolutio Prælatis Regularibus non concedatur verbis expressis, conceditur tamen verbis æquiualentibus. Dicitur tamen, vt possint tales Prælati in sibi subditos idem, ac possunt Episcopi. Quod verum non esset, si facultas absoluendi ab hæresi illis concessa non foret, Accedit, quod deterioris conditionis essent subditi Prælatorum Regularium, quàm Clerici, & sæculares Episcopis subiecti. Quod ibidem vitare intendit Pius V. vti constat ex prædicto contextu. Accedit secundò, quod ex dictis (virtute scilicet dicti Decreti Tridentini Concilij) casus Bullæ Cœnæ, etiam hæresis, quando sunt occulti, sint Episcopales. At priuilegiatus potest absoluere ab Episcopalibus, exceptis iis, quos Episcopus specialiter sibi reseruauerit, iuxta Decretum Vrbani VIII. Ergo.

6 Quidquid autem sit de hac concessione, illud tamen interim certum est, in Hispania nullo modo posse Prælatos Regulares, etiam in foro conscientiæ, Religiosos sibi subditos absoluere, sed Inquisitoribus remittere debere, ex Bulla Pauli V. apud Barbosam *de potest. Episcop. part. 2. alleg. 40 n. 39.* & apud Emmanuel. *de incantat. & empsalmis cap. 1. n. 10.*

PETITIO.

An posito, quod Religiosus exemptus non possit absolui à suo Prælato Regulari, ex facultate eiusdem sui Prælati Regularis possit absolui ab Episcopo à censuris reseruatis, sicut & dispensari in votis, iuramentis, irregularitatibus, &c. Vbi etiam, an possit ipse Prælatus Regularis, si indiguerit : quin & Episcopus (si similiter indiguerit) à Sacerdote aliquo, quem elegerit ?

SVMMARIVM.

1 *Religiosus exemptus ex facultate sui Prælati Regularis potest subiici Episcopo, vt ab eo absoluatur ab hæresi, & aliis casibus Bullæ Cœnæ, & dispensetur in votis, iuramentis, irregularitatibus, &c. virtute priuilegij concessi Episcopis à Concilio Tridentino sess. 24. cap. 6. de reformat. eo modo quo potest cum suis subditis, licet non possit Prælatus Regularis suos subditos à casibus reseruatis absoluere, & cum illis dispensare, sicut potest Episcopus. Contra aliquos Doctores.*

2 *Exemptio Regularium ab Ordinario est inducta in eorumdem fauorem : consequenter in fauorabilibus possunt cum facultate Superiorum subiici Ordinario, ne fauor in odium retorqueatur.*

3 *Religiosi petentes à Pontifice exemptionem, videntur tam solùm petere in odiosis, & non in fauorabilibus.*

4 *Religiosi non debent ob priuilegia obtenta à Sede Apostolica, esse peioris conditionis, quàm saeculares.*

5 *Mendicantes habent priuilegium, quod ex suorum Prælatorum licentia possint subiici Episcopo, vt ab illo absoluantur.*

6 *Religio, quin & Summus Pontifex expressè, vel tacitè consentire censentur, vt ex facultate sui Prælati possit in fauorabilibus Religiosus exemptus subiici Episcopo, non obstante, quod priuilegium exemptionis sit introductum fauore totius Religionis, & particularis non possit præiudicare vniuersitati.*

7 *Religiosus exemptus potest in prædictis casibus adire Episcopum, quando suus Prælatus, seu Superior abesset, vel ad illum non est facilis recursus : quia censetur ipse Religio, quin etiam Summus Pontifex ipsi concedere hanc facultatem.*

8 *Superior Regularis sicut potest Episcopo subiicere suum subditum Regularem : ita potest subiicere seipsum, si indiguerit absolutione, vel dispensatione, cùm non sit peioris conditionis, quàm alij.*

9 *Episcopus simili ratione ne sit inferioris conditionis, quam subditi, potest dare suo Confessario facultatem, vt ipsum absoluat, & cum ipso dispenset eo modo, quo potest ipso absoluere, & dispensare cum suis subditis, contra aliquos Doctores.*

10 *Idem etiam dic de Prælato Regulari cum suo Confessario : potest enim eidem dare facultatem erga se, quam etiam dat erga subditos suos Regulares. Contra aliquos Doctores.*

Respondetur affirmatiuè : ita vt Religiosus exemptus ex facultate sui Prælati Regularis possit subiici Episcopo, vt ab Episcopo absoluatur ab hæresi, & aliis casibus Bullæ Cœnæ, & dispensetur in votis, iuramentis, irregularitatibus, &c. virtute priuilegij concessi Episcopis à Tridentino Concilio *sess. 24. cap. 6. de reformat.* eo modo quo potest Episcopus cum suis subditis : quamuis concederemus, quod non possit Prælatus Regularis suos subditos à casibus reseruatis absoluere, & cum illis dispensare (sicut potest Episcopus) Iason *in l si vnus, §. pactus, ff. de pactis, n. 9.* Aocbaran. *in cap. Cum nullus, de temp. ordin. in 6. n. 3.* Syluest. *verb. absolutio 5. n. 2.* Molina *de iust tom. 4. disput. 61. num. 4.* Henriq. *lib. 6. cap. 16. n. 8. & lib. 7. cap. 25. n. 2. & lib. 10. cap. 20. num. 1. & lib. 14. cap. vltim. n. vlt.* Suarez *tom. 4. disput. 30. sect. 2. n. 3. & tom. 5. disput. 41. sect. 1. num. 12.* Cotneus *volum. 2. cons. 114. num. 8.* & Auila *de censur. part. 2. cap. 7. disput. 1. dub. 6.* 1

Quamuis contrarium sentiant Henricus *in cap. Cum tempore, de arbitr. n. 11.* Abbas *ibid. n. 11.* Ananias *n. 12.* Alexand. *in cap. 1. de sent. & re iudic.* Felin. *in cap. significasti, de for. compet. n. 3. & in cap. cùm olim, de præscr. num. 4.* Angelus *verb. excommunicatio 5. casu 1. num. 40. & verb. exemptus, n. 6.* Tabiena *eodem verb. num 6.* Rosella *verb. absolutio 3. n. vlt.* & Armilla *verb. exemptio, num. 19.*

Probatur nostra responsio : quia exemptio Religiosorum ab Ordinario est inducta in fauorem ipsorum Religiosorum (vt scilicet Deo cum maiori quiete vacare possint.) Ergo in fauorabilibus ex facultate, seu licentia suorum Prælatorum subiici possunt Episcopo, ne quod concessum est in fauorem, redundet in detrimentum. 2

Confirmatur, quia Religiosi petentes à Summo Pontifice exemptionem, videntur eam solum petere in odiosis, & non in fauorabilibus, vt etiam in obtentione Indulgentiarum, &c. Ergo priuilegium exemptionis est solum in odiosis. 3

Confirmatur secundò, quia Religiosi non debent ob priuilegia obtenta à Sede Apostolica esse peioris conditionis, quàm sæculares. At tales essent, si in certis casibus non possent absolui ab Ordinario, vt possunt sæculares ; nec ab ipsorum Prælatis : Ergo. 4

Confirmatur tertiò, quia de facto mendicantes, sicque ij, qui eorum priuilegiis fruuntur, habent priuilegium, quod ex suorum Prælatorum licentia possint subiici Episcopo, vt ab illo absoluantur, & dispensentur. Corduba *in priuileg. Mendic. verb. absolutio ordinaria 9. ad fratres, §. 1.* Ergo. 5

Obiicies ex aduersariis : Priuilegium exemptionis est introductum in fauorem totius Religionis, & non in fauorem vnius tantùm particularis personæ : Ergo non potest Prælatus, nec aliqua particularis persona tali priuilegio renunciare. Quemadmodum ex eo, quod priuilegium Canonis exemptionis gabellarum, & fori est introductum in fauorem totius Status Clericalis, non potest Clericus particularis tali priuilegio renunciare, 6

nunciare, *cap. Si diligenti, de foro competenti.*

Respondetur, disparitas est, quia in casu nostro tota Religio, quio & Summus Pontifex; expressè, vel tacitè consentire censetur, vt ex facultate sui Prælati possit in fauorabilibus Religiosus exemptus subiici Episcopo; qualis non est voluntas status clericalis (nec etiam Summi Pontificis) quod Clericus particularis renunciet priuilegio Canonis, exemptionis gabellarum, vel fori, vt scilicet quoad forum subiiciatur iudici sæculari.

7 Hinc sequitur, quod Religiosus exemptus potest in prædictis casibus adire Episcopum, quando suus Prælatus, seu superior abest, vel ad illum non est facilis recursus, quia tunc censetur ipsa Religio (quin & etiam Summus Pontifex) ipsi concedere hanc facultatem, Syluest. *verb. apostasia, quæst.* 8. *num.* 21. S. Antonin. *part.* 3. *tit.* 24. *cap. vltimo*, §. 1. & alij, quos sequitur Henriqu. z *lib.* 6. *cap.* 16. *num* 8. Item quando Prælatus, seu superior ipsi iniustè denegaret recursum ad Pontificem. Idque propter eandem rationem; quia alioquin scilicet Religiosus cogeretur vagari, vt posset adire Sedem Apostolicam pro obtinenda absolutione, vel dispensatione. Molina *de iust. tom.* 4. *disp.* 61. *num.* 5. & alij, quos sequitur Sanchez *lib.* 4. *moralium, cap.* 39. *num.* 36.

8 Vbi aduerte, quod sicut Superior Regularis potest Episcopo subiicere suum subditum Regularem; ita & poterit (si ipse similiter indiguerit absolutione, vel dispensatione) subiicere Episcopo seipsum, ne ipse sit peioris conditionis, quàm alij: Præsertim, cum interdum non possit facilè superior recurrere ad alium superiorem, S. Thom. 2. 2. *quæst.* 185. *art.* 8. Angelus *verb. Monachus, num.* 7. Syluest. *verb. Religio* 6. *quæst.* 10. *& Religio* 7. *quæst.* 12. Tabiena *verbo Episcopus, quæst.* 6. Henriquez *lib.* 7. *cap.* 25. *num.* 2. Suarez *tom.* 5. *disp.* 41. *sect.* 2. *num.* 12. & Auila *de censur. part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 6.

9 Simili ratione Episcopus, etiam propter eandem rationem dictam potest dare suo Confessario facultatem, vt ipsum absoluat, & cum ipso dispenset eo modo, quo potest Episcopus absoluere, & dispensare cum suis subditis, Angelus *verb. confessio* 3. *num.* 7. Syluest. *verb. Confessor* 1. *quæst.* 9. Tabiena *verb. absolutio* 1. *num.* 37. Paludanus *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 4. *art.* 4. *concl.* 4. *num.* 41. Gabriel *ibidem dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 5. *dub.* 2. Sayrus *in Claui regia lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 5. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 4. *num.* 3. *& lib.* 7. *cap.* 18. *num.* 1. *& lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 1. Suarez *tom.* 5. *de censur. disp.* 41. *sect.* 2. *num.* 9. Garzias *de benefic. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 139. vbi subdit, quod sic declarauerit Congregatio Concilij. Maiolus *lib.* 2. *de irregul. cap.* 2. *num.* 12. *& lib.* 5. *cap.* 51. *num.* 7. Zerula *in praxi part.* 2. *cap.* 1. *num.* 17. Armend. *in addit. ad recopil. leg. Nauarr. lib.* 1. *tit.* 18. *l.* 7. *de irregul. in declarat. num.* 12. Riccius *in praxi for. Eccles. resol.* 445. *num.* 2. Belletus *disquis. clerical. part.* 1. §. 1. *num.* 54. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 3. *num.* 3. *& lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num* 11. & alij, quos sequitur Barbosa *de offic. Episc. allegat.* 39. *num* 15.

10 Simili etiam ratione Prælatus Religionis potest committere Confessario alicui ab ipso electo, quod ipse Prælatus absoluatur, & cum ipso Prælato dispensetur in omnibus, in quibus ipse Prælatus absoluere, & dispensare potest cum suis subditis. Henriquez *loco suprà citato*, Emmanuel Sà *verbo Confessor, num.* 16 & alij, quos sequitur Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 3. *num.* 3. & *lib.* . *moral. cap.* 11. *num.* 11.

Quidquid in contrarium tam in primo, quàm in secundo casu dixerunt quidam alij, quos sequi videtur Alterius *de censur. tom.* 2. *disp.* 8. *de suspension. cap.* 3. *conclus.* 4. *vers.* 3. *quæri potest*, quatenus ait, quod Episcopus non possit alteri committere hanc potestatem, vt is cum Episcopo dispenset, &c.

SECTIO V.

Quid dicendum de Archiepiscopo respectu subditorum Suffraganei?

SVMMARIVM.

1 *Archiepiscopus habet potestatem absoluendi subditos suffraganei, cum sibi subduntur, quia tunc habet in illos iurisdictionem ordinariam ratione officij.*

2 *Subditi suffraganei Archiepiscopo subduntur primò, cum Diœcesim suffraganei iure sibi concedente visitat, quam visitare solùm potest, cùm adest causa legitima, & in Concilio Prouinciali probata, & postquam suam Diœcesim plenè visitauit.*

3 *Subduntur secundò Archiepiscopo per appellationem.*

4 *Subduntur tertiò, si malitiosè suffraganeus differat absolutionem.*

5 *Archiepiscopus in his tribus casibus potest absoluere suffraganei subditos à quibuscumque censuris, & excommunicationibus etiam reseruatis.*

6 *Archiepiscopus vigore Decreti Concilij Tridentini sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat. potest ab heresi, & ab aliis casibus Bullæ Cœnæ occultis absoluere subditos suorum suffraganeorum, & cum iisdem dispensare in irregularitate, dum eorum Diœcesim visitat.*

7 *Archiepiscopus tempore visitationis Prouinciæ potest dispensare in votis subditorum suorum suffraganeorum.*

8 *Archiepiscopus absoluere potest ab hæresi occulta, & ab aliis casibus Bullæ Cœnæ, etiam Episcopos ipsos suffraganeos, & cum iisdem dispensare in voto, iuramento, &c. quia sunt sui subditi, &c.*

1 Respondetur, Archiepiscopum habere potestatem absoluendi subditos suffraganei, cum sibi subduntur; quia tunc habet in illos iurisdictionem ordinariam ratione officij, Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 10. *sect.* 2. *num.* 8. *& tom.* 5. *disp.* 41. *sect.* 2. *num.* 12. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 18. *num.* 3. Sayrus *in Claui reg. lib* 6. *cap.* 11. *num.* 79. Bonacin. *de censur. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *n.* 7. Auila *de censuris* 2. *part. cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 10. *concl.* 3. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 6. *& lib.* 4. *cap.* 38. *n.* 13. *&* 14. & Barbos. 2. *part. de potest. Episc. alleg.* 39. *num.* 19.

2 Subduntur autem primò, cum Archiepiscopus Diœcesim suffraganei, iure sibi concedenti visitat, quam visitare solùm potest, cum adest causa legitima, & in Concilio Prouinciali probatâ, & postquam suam Diœcesim plenè visitauit, ex Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 3. & tradit Henriq. *lib.* 6. *cap.* 14. *num.* 9. & Sanchez *cit. num.* 6. & nos diffusè dicebamus *lib. de immunit. & iurisdict. Eccles. cap.* 14. *dubit.* 10.

3 Subduntur secundò subditi suffraganei Archiepiscopo per appellationem ad ipsum Archiepiscopum, seu Metropolitanum, *cit. cap.* 14. *dub.* 20.

4 Subduntur tertiò, si malitiosè suffraganeus differat absolutionem, *eadem dubit.* 10.

5 In his igitur omnibus tribus casibus potest Archiepiscopus suffraganei subditos à quibuscumque censuris, & excommunicationibus etiam reseruatis, absoluere, vt ibidem dicebamus, & videri poterit præter alios Barbosa *loc. suprà cit.* & Bonacin. *de censur. disp.* 1. *quæst.* 3. *punct.* 2. *num.* 7.

6 Et quidem, quod vigore Decreti Concilij Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* possit Archiepiscopus ab hæresi, & ab aliis casibus Bullæ Cœnæ occultis absoluere subditos suorum suffraganeorum, & cum iisdem dispensare in irregularitate, dum eorum Diœcesim visitat, docent Suarez, Henriquez, Sayrus, Auila, Sanchez, Bonacina, Barbosa, & alij quos suprà citabam, quia scilicet tempore visitationis habet iurisdictionem

ordina

ordinariam in subditos suorum suffraganeorum, suntque ipsi illorum superiores.

7 Quod idem tenentur dicere illi, qui tenent, quod tempore visitationis possit Archiepiscopus dispensare in votis subditorum sui suffraganei, qua de re videri poterit præter alios Henriquez *cit. cap.* 18. & Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 6.

8 Item quod, & Archiepiscopus absoluere possit ab hæresi occulta, & ab alijs casibus Bullæ Cœnæ etiam Episcopos ipsos suffraganeos, & cum iisdem Episcopis suffraganeis dispensare in voto, iuramento, &c. (propter eandem scilicet rationem, quod illi sint Archiepiscopo subiecti:) docent Paludanus *in* 4. *dist.* 38. *quæst.* 4. *art.* 4. *concl.* 8 *num.* 46. S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 11. *cap.* 2. §. 9. Henriquez *dicto cap.* 18. *num.* 4. Suarez *tom.* 2. *de religion. agens de voto lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 3. Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 5. Angles *in floribus part.* 2. *quæst. vnica de voto, art.* 8. *difficult.* 9. *conclus.* 9. Sayr. *in Claui regia lib.* 6. *cap.* 11. *num.* 79. Bonacina *de censur. disput.* 7. *quæst.* 5. *punct.* 1. *num.* 2. & Barbos. *de offic. Episc. part.* 3. *alleg.* 39. *num.* 19.

SECTIO VI.

Quid dicendum quoad illa verba: *Quoscumque sibi subditos*: in supradicto Decreto Concilij Tridentini posita?

SVMMARIVM.

1 *Episcopis ex vi verborum (quoscumque sibi subditos) potestas absoluendi, & dispensandi non conceditur ad omnes, sed ad illos solos, qui sibi subditi fuerint, sub quorum nomine comprehenduntur omnes illi, qui aliquo modo ipsis subduntur, siue habeant domicilium, siue quasi domicilium, siue solùm transeuntes existant.*

2 *Episcopus potest etiam exercere iurisdictionem in Regulares exemptos, nam casu quo Prælatus Regularis non possit eos absoluere, possunt ex licentia eorum Superiorum se subiicere Episcopo, & ab illo absolutionem ab excommunicatione occultæ hæresis petere.*

3 *Regulares in casu, de quo agitur, si superior iniustè denegaret licentiam petitam, possunt petere ab Episcopo absolutionem, quia per epicheiam credere debemus voluntatem Pontificis, & Religionis esse, vt Episcopus etiam in tali casu Religiosum etiam exemptum absoluat.*

4 *Episcopus per epicheiam secum potest dispensare, vel directè secum sine alio dispensando, vel indirectè vices suas alteri in seipsum committendo.*

5 *Episcopus non potest seipsum absoluere, sed id debet facere Confessarius ab eo electus.*

6 *Episcopus circa crimen hæresis potest vices suas alteri committere, qui ipsum absoluat in casu, de quo agitur.*

7 *Confessarius Episcopi habet respectu Episcopi eam facultatem dispensandi, & absoluendi, quam habet Episcopus respectu suorum subditorum, ne ipse sit deterioris conditionis, quàm sint subditi ipsius.*

8 *Confessarius Episcopi, quando casus non sunt reseruati respectu Episcopi, potest ex facultate à iure concessa Episcopum ab illis absoluere.*

1 RESpondetur: ex vi istorum verborum, Episcopis hæc potestas absoluendi, & dispensandi non conceditur ad omnes, sed ad illos solos, qui sibi subditi fuerint, sub quorum nomine comprehenduntur omnes illi, qui aliquo modo Episcopis subduntur, siue habeant domicilium, siue quasi domicilium (quia residеant maiori Anni parte) siue solùm transeuntes existant. Et licèt in materia dispensationis hæc subiectio tam ampla multis non probetur, in materia tamen absolutionis à censuris, & casibus sufficit ea consuetudine generali Ecclesiæ, & benigna interpretatione Pontificis, Suarez *cit. sect.* 2. *num.* 3. Garzias *de benefic. cap.* 10. *num.* 139. Sanchez *de matrim. lib.* 3. *disp.* 23. *num.* 11. *& lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 8. & Barbosa *de potestat. Episcop. allegat.* 39. *num.* 4. *&* 5.

De Religiosis autem exemptis, qua ratione circà illos possit Episcopus exercere potestatem absoluendi, (casu, quo Prælatus Regularis proprius non possit eos absoluere, sicuti sentiunt quidam, inter quos Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 7. vti suprà notabam) diximus *cit. lib. de immunit. & iurisdict. Ecclesiast. cit. cap.* 14. *dubit.* 19. si scilicet ex licentia superiorum se subiiciant Episcopo, & ab illo absolutionem ab excommunicatione occulta hæresis petant, vti tradit Sanchez *cit. lib.* 2. *cap.* 11. *num.* 10. *& lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 32. & Finell. *tract. de casib. reseruat. cap.* 7. *num.* 6. 2

Quod etiam procederet, quando superior iniustè denegaret licentiam petitam, quia per epicheiam credere debemus, voluntatem Pontificis, & Religionis esse, vt Episcopus in tali casu Religiosum etiam exemptum, absoluat, Molina *de iust. tom.* 4. *tract.* 3. *disp* 61. *num.* 5. & Pontius *de matrimon. lib.* 8. *cap.* 5. *num.* 14. Videri etiam poterit Sanchez *cit. lib.* 4. *cap.* 39. *num.* 36. & Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *disp.* 30. *sect.* 1. *num.* 3. quidquid in contrarium dixerit Megal *in* 1. *part. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 10. 3

Qua ratione etiam possit Episcopus secum dispensare, vel directè (secum sine alio dispensando) vel indirectè, vices suas alteri in seipsum committendo, diximus *cit. lib. de immunit. & iurisdict. Ecclesiast. cap.* 15. *dubit.* 1. 4

Difficultas igitur solùm restat de absolutione ab hæresi, quomodo Episcopus ex vi Decreti Concilij Tridentini illam obtinere possit, si ipse in hæresim labatur?

Ratio difficultatis est, quia Episcopus non potest se ipsum absoluere, sed id debet facere Confessarius ab eo electus; at ipse Episcopus circà crimen hæresis non potest vices suas alteri committere (sicuti ex probabiliori sententia Doctorum infrà dicetur:) Ergo neque potest committere confessario, vt ipsum absoluat à dicto crimine hæresis. His tamen non obstantibus. 5

Respondetur, posse Episcopum: Atque ita tenent Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 11. Barbos. *in remission. Concil. super hoc decretum, verb. in Diœcesi sua*, & alij. 6

Probatur, quia Confessarius Episcopi habet respectu Episcopi eam facultatem dispensandi, & absoluendi, quam habet Episcopus respectu suorum subditorum, nè Episcopus sit deterioris conditionis, quàm sint subditi ipsius. 7

Confirmatur, quia ea vi huius concessionis casus occulti non sunt Pontifici reseruati (cùm Episcopus potestatem habeat illos absoluendi,) sed quando casus respectu Episcopi non sunt reseruati, potest ob dictam rationem Confessarius Episcopi ea facultate à iure concessa Episcopum ab illis absoluere: Ergò. 8

SECTIO VII.

Quid dicendum quoad illa verba: *In foro conscientiæ?*

SVMMARIVM.

1 *Illa verba (In foro conscientiæ) sicut & illa alia (in Diœcesi sua) non sunt apposita in facultate concessa ad dispensandum, sed solùm sunt apposita in facultate concessa ad absoluendum à casibus occultis; quia dispensandi facultas exerceri potest in*

in absentem: At absolutio requirit præsentiam subditi.

2 *Verba illa (in foro conscientiæ) non restringuntur ad Sacramentum Pœnitentiæ: sed hæc facultas exerceri potest extrà illud, quia forum conscientiæ non est forum Sacramentale, sed solum est forum secretum conscientiam respiciens.*

3 *Ità vt absolutio non prosit in foro externo, seu non præiudicet foro externo, si contingat hæresim in iudicium deduci: Tum quia hoc decretum latè est interpretandum.*

4 *Confessio si necessariò audienda foret expressis verbis, Concilium id assereret, nempè quod Episcopi absoluant audita priùs Sacramentali Confessione.*

5 *Excommunicatus propter hæresim, potest absolui ab excommunicatione, & tamen non absolui à peccato hæresis: consequenter facultas absoluendi ab excommunicatione incursa propter hæresim, concessa Episcopis, non debet restringi ad forum Sacramentale.*

6 *Assignatur disparitas inter forum conscientiæ, & forum pœnitentiæ, siquidem hic necessariò requirit Confessionem Sacramentalem, non sic ille, qui solùm requirit vt absolutio ab excommunicatione (si contingat, quod hæreticus trahatur ad iudicem exteriorem) non prosit pro foro exteriori, sed tantùm pro interiori.*

7 *Non debet quis de eodem delicto bis iudicari, & puniri in foro eiusdem rationis, cum scilicet iudicia, & personæ sunt eiusdem ordinis. Secùs in foro diuersæ rationis, scilicet cùm iudicia, & personæ sunt diuersi ordinis.*

8 *Episcopus nihilominùs ex declaratione Sacræ Congregationis Cardinalium absoluens à peccatis reseruatis occultis vigore prædicti Decreti sess. 24. de reformat. cap. 6. potest tantùm id facere in Confessione Sacramentali, & non extrà illam, & id in praxi est consulendum.*

9 *Idem dic procedere in dispensationibus ab irregularitatibus, & in absolutione à suspensionibus.*

10 *Confessarij vigore iubilæi, in quo conceditur facultas absoluendi in foro conscientiæ, non possunt absoluere à censuris extrà Confessionem Sacramentalem.*

1 SVppono, hæc verba: *In foro conscientiæ*, sicut & illa alia: *In Diœcesi sua*, non esse apposita in facultate concessa ad dispensandum, sed solùm esse apposita in facultate concessa ad absoluendum à casibus occultis: Rationem, cur sint apposita in facultate absoluendi, & non in facultate dispensandi: Quidam vt Barbos. *citata allegat.* 19. *n.* 7. aiunt esse, quia dispensandi facultas exerceri potest in absentem: At absolutio hæc, cùm debeat esse in Sacramento Pœnitentiæ, requirit præsentiam subditi. Quod autem hæc absolutio debeat esse in Sacramento Pœnitentiæ, tenet Barbos. *loc. suprà cit.* Garzias *de benefic. part.* 11. *cap.* 10. *n.* 135. vbi subdit, sic sæpiùs declarasse Congregationem Concilij: & Ricc. *in prax. for. Eccl. resol.* 445. *n.* 8. His tamen non obstantibus.

2 Respondetur, illa verba: *In foro conscientiæ*, non restringi ad Sacramentum Pœnitentiæ, sed hanc facultatem exerceri posse extrà illud, quia forum conscientiæ non est forum Sacramentale, sed solùm est forum secretum

3 conscientiam respiciens; ità vt absolutio non prosit in foro externo, seu non præiudicet foro externo si contingat, hæresim in iudicium deduci. Tùm quia hoc decretum latè est interpretandum, vti suprà dicebam: Ergò limitari non debet ad forum Sacramentale Pœnitentiæ, Nauarr. *cap.* 27. *n.* 41. *& lib.* 5. *consil. tit. de priuileg. cons.* 11. *q.* 2. Suarez *tom.* 2. *de relig. tract.* 6. *lib.* 6. *cap.* 16. *n.* 4. *& in tract. de fide disp.* 21. *sect.* 4. *& de censur. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 11. Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 34. vbi ait, praxim esse, quod Episcopi absoluant extrà confessionem: *& lib.* 2. *moral. cap.* 11. *num.* 13. Garzias *de benefic. part.* 11. *cap.* 10. *n.* 138. Homobon. *de exam. Eccles part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 5. *quæst.* 31. Claudius Solen. *de potest. Confess. cap.* 30. §. 1. *n.* 6. Henriq. *lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 2. Petr. Ledesm. *part.* 2. *summæ tract.* 1. *cap.* 6. *conclus.* 20. *difficult.* 8 Genuensis *in praxi cap.* 66. *num* 18. S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 24. *cap.* 77. Auila *de censur. part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 13. Rodoriq. *tom.* 1. *summæ cap.* 131. *n* 6. *& tom.* 2. *quæst. regul quæst.* 20. *art.* 7. *& quæst.* 61. *art.* 10. & alij passim.

Confirmatur; quia, si necessariò audienda foret confessio, expressis verbis Concilium id assereret, nempè quod Episcopi absoluant, audita priùs Sacramentali confessione: Ergo cùm verba Concilij in rigore hanc absolutionem solùm in foro Pœnitentiæ, seu Sacramentali dandam esse, non significent; non debemus illa ad illud forum tantùm restringere. 4

Confirmatur secundò, quia certum est, quod quis absolui possit ab illa excommunicatione, & tamen non absolui à peccato hæresis: Ergo facultatem, quam habent Episcopi absoluendi ab excommunicatione propter hæresim incursam, non debemus restringere ad prædictum Pœnitentiæ, seu Sacramentale forum; cum illud solum sit necessarium, vt quis à peccato absoluatur: Immò potest Episcopus nondum Sacerdos absoluere ab excommunicatione propter hæresim incursa, & facultatem concedere subdito, quod propter peccata hæresis absoluatur à legitimo Sacerdote; quia quotiescumque remouetur a peccato censura, peccatum illud non censetur amplius summo Pontifici reseruatum, cùm summus Pontifex soleat sibi reseruare peccatum solum ratione censuræ; Nauarrus *in summa cap.* 17. *n.* 260. *& seqq.* Suarez *tom.* 4. *de pœnit. disp.* 19. *sect.* 2. *concl.* 2. *& de fide disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 2. & alij communiter, quos sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 8. non sic Episcopus, qui sæpè sæpius per sua edicta solet è contra sibi reseruare peccata, etiam sine impositione censurarum. 5

Obijcies: In citato decreto Tridentini Concilij, *sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* dicitur, quod Episcopus absoluat in foro conscientiæ: Ergo necessario requiritur, quod præcedat confessio. 6

Respondetur: Nego consequentiam, quia ex dictis aliud est forum conscientiæ, & aliud forum Pœnitentiæ; siquidem forum pœnitentiæ necessario requirit confessionem Sacramentalem; non sic forum conscientiæ, quod solum requirit, vt absolutio ab excommunicatione, si contingat, quod hæreticus trahatur ad iudicem exteriorem non prosit pro foro exteriori, sed tantum pro interiori. Nauarr. *loc. suprà cit.* Roderiq. *tom.* 1. *quæst. Regul. tr. q.* 61. *art.* 10. Suarez *cit. disp.* 21. *de fide sect.* 4. *n.* 6. & alij communiter. Quapropter si tale delictum postea deferatur ad Inquisitores, & probetur in eorum Tribunali, poterit puniri reus pœnis hæreticorum, non obstante priori absolutione; sed in citato decreto Concilij Tridentini solùm dicitur, quod Episcopus absoluat in foro conscientiæ, non autem dicitur, quod absoluat in foro Pœnitentiæ. Quo casu quidem necessario fieri deberet absolutio ab excommunicatione in confessione Sacramentali, iuxta ea, quæ supra dicebam.

Instabis: Non debet quis de eodem delicto bis iudicari, & puniri: Ergo, quando in foro conscientiæ hæreticus est punitus, & absolutus à legitimo iudice, non poterit postea si delictum hæresis contingat deferri ad Inquisitores, puniri ab iis in foro exteriori. 7

Respondetur: distinguo antecedens, (non debet quis de eodem delicto bis iudicari, & puniri, in foro eiusdem rationis (cùm scilicet iudicia, & personæ sunt eiusdem ordinis) concedo: In foro diuersæ rationis (cùm scilicet iudicia & personæ sunt diuersi ordinis) nego. Et quidẽ, quod si hæreticus fuerit punitus, & absolutus in foro interno, possit iterùm puniri in foro externo, certum est, inquit Glossa *in cap. gaudeamus, de diuortiis, verb. poterit.* Penna *in director. part.* 2. *comment.* 25. §. *rursus altera quæstio*, Zanchin. *tract. de hæretic. cap.* 14. Campeggius *ibid. in addition.* Anton. Gomez *lib.* 3. *var. cap.* 1. *n.* 40.

& alij, quos sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap. 12. num. 17.* quia potest qui. puniri in foro interno, & in foro externo, sed iudiciali propter diuersos fines: In foro interno, vt satisfaciat Deo pro suo delicto, vtque ipse corrigatur: In foro externo seu iudiciali, vt publicè satisfaciat Ecclesiæ, vtque exemplo ipsius alij corrigantur, & metu pœnæ à delictis se abstineant. Quod vlteriùs in casu nostro exindè patet; quia conceditur Episcopo, vt possit absoluere tantùm in foro conscientiæ: quæ verba satis satisque important, quod non obstante hac absolutione, hæreticus possit iterum (si posteà ipsius hæresis detegatur) puniri in foro externo, seu iudiciali, idque meritò, quia cùm forum internum, & externum diuersas habeant iurisdictiones, non debet iurisdictio vnius fori impedire iurisdictionem alterius fori.

8 Cæterùm, consulerem, sequendam in praxi priorem sententiam nobis contrariam, licet sententia nostra sit in puncto iuris probabilior; eo quod Congregatio Cardinalium sæpè sæpiùs declarauit, quod Episcopus absoluens à peccatis reseruatis occultis vigore prædicti Decreti Concilij Tridentini, possit tantùm id facere in Confessione Sacramentali, & non extrà illam, vt refert etiam Suarez *tom. 5. disp. 41. sect. 2. num. 10.* Barbosa *de offic. Episc. part. 4. allegat. 39. num. 8.* vbi ait, talem esse praxim Sacræ Pœnitentiariæ. Riccius *in praxi fori Eccles. resol. 445. num. 8.* & Garzias *de benefic. part. 11. cap. 10. num. 139.*

9 Qui subdit primò, quod ita sentiat Viualdus *in appendice cap. 1. num. 2.* quem tamen reprehendit in eo, quod putat, idem esse dicendum in dispensatione ab irregularitatibus, & in absolutione à suspensionibus; quia quoad dispensationem ab irregularitatibus, & quoad absolutionem à suspensionibus (inquit Garzias) non dicit Concilium, vt fiat in foro conscientiæ, quod & notarunt etiam præter alios Henriquez *lib. 14. cap. 20. §. 1. litt. E. in gloss.* & Vgol. *de irregular. cap. 36. §. 5. n. 3.*

10 Subdit secundò, quod in iubilæo, quandò conceditur facultas absoluendi in foro conscientiæ; vigore talis iubilæi neque possint Confessarij absoluere à censuris extrà Confessionem Sacramentalem. Quod & asserunt etiam Vega *in summa tom. 2. cap. 129. cas. 34. circa finem.* Rodericus *in Bull. Cruciat. § 9. n. 11; regul. 9.* Corduba *in summa q. 152.* Nauarr. *cap. 26. n. 31.* Lopez *in instruct. part. 2.* vbi agit de clauibus, *cap. 6. col. 8. vers. præterea his,* Sayr. *in Clau. reg. lib. 5. cap. 60. n. 10.* circa finem. *& lib. 6. cap. 11. num. 105.* Suarez *de Religion. tom. 1. tract. de voto, lib. 6. cap. 16. n. 4.* Sorb. *in compend. privileg. Mendicant. verb. votum, in sua annot. notab. 6.* & Vega *2. part. respons. cas. 9.* Quamuis alij sentiant oppositum. Et videri poterit præter alios Couarruuias *in cap. alma, part. 1. §. 11. num. 10. & 16.*

SECTIO VIII.

Quid dicendum quoad illa verba: *In Diœcesi sua?*

SVMMARIVM.

1 *Verba illa (in Diœcesi sua) secundùm aliquos non sunt limitatoria facultatis Episcopo concessæ; sed potiùs illius quasi extensiua; siquidem comprehendunt subditos, qui verè subditi sunt ratione domicilij, siue sint in Diœcesi, siue sint extra.*

2 *Episcopus potest virtute huius facultatis absoluere ab hæresi, reliquisque censuris subditum existentem in aliena Diœcesi, etiamsi ipse Episcopus sit extrà Diœcesim, ità vt ambo sint extra Diœcesim.*

3 *Absolutio, quæ non est contentiosa, sed voluntariæ iurisdictionis, vbicumque locorum fieri potest circa subditos.*

4 *Verba (in Diœcesi sua) quibuscumque non obstantibus sunt limitatoria, ex probabiliori sententia Doctorum, facultatis absoluendi Episcopo concessæ.*

5 *In Decretis Pontificiis nulla clausula, quinimò nulla syllaba superfluere debet.*

6 *Verba in Diœcesi sua limitanda potiùs sunt ad Episcopos absoluentes, itavt extra proprium Diœcesim existens hac facultate sibi concessa vti non possit; sed necessariò vt illa vti possit, debeat existere in sua Diœcesi, quia nimirum hæc conditio apposita fuit à Pontifice, cui censura erat reseruata.*

7 *Conditio prædicta cur requiratur.*

QVidam, quos sequitur Sanchez *cit. cap. 11. num. 17.* Granad. *2. 2. controu. 1. tract. 15. disp. 14. sect. 2. n. 6.* & Barbosa *in remissionib. Concilij super hunc locum*, putant, prædicta verba non esse limitatoria facultatis Episcopo concessæ, sed potiùs illius quasi extensiua, siquidem comprehendunt subditos, qui verè subditi sunt ratione domicilij (siue sint in Diœcesi, siue sint extrà) & subditos, qui solùm ratione transitus sunt in Diœcesi: Quapropter aiunt prædicti Doctores, posse Episcopum virtute huius facultatis absoluere ab hæresi, reliquisque censoris subditum existentem in aliena Diœcesi, etiamsi ipse Episcopus sit extrà Diœcesim, ità vt ambo tam subditus, quàm Episcopus sint extrà Diœcesim. 1 2

Probatur, quia requiri non potest, quod ambo, Episcopus scilicet, & subditus, sint in Diœcesi (esset enim nimis coarctare priuilegium Concilij:) neque requiri potest, quod Episcopus sit in propria Diœcesi, vt subditum à censuris absoluat; hæc enim absolutio est voluntariæ iurisdictionis exercitium, quod vbicumque locorum fieri potest circà subditos; Ergò, vt intelligeremus, hanc iurisdictionem voluntariam limitare voluisse Concilium, verbis clarioribus vti debebat: Quemadmodum fecit *sess. 6. cap. 5. de reform.* cum dixit: *Nulli Episcopo liceat Pontificalia in alterius Diœcesi exercere.* Neque tandem requiri potest, quod subditus sit in propria Diœcesi: Verba enim illa: *In Diœcesi sua,* non possunt referri ad subditos, aliàs Concilium non diceret: *In Diœcesi sua,* sed in Diœcesi ipsorum. Tùm quia Concilium apposuit virgulam diuidentem subditos à Diœcesi sua: Siquidem dixit, *Liceat Episcopis quoscumque sibi subditos, in Diœcesi sua absoluere,* quasi nolens, quod Diœcesis referatur ad subditos. Ergò. His tamen non obstantibus. 3

Respondetur, ex probabiliori sententia Doctorum, prædicta verba: *In Diœcesi sua,* esse limitatoria facultatis absoluendi Episcopo concessæ; atque ita docent Suarez *de censur. disp. 41. sect. 2. n. 10.* Henriquez *lib. 14. de irregular. cap. 20. n. 5.* Manuel. *2. tom. Summæ, cap. 69. n. 1.* Barbos. *de potest. Episc. allegat. 39. n. 7.* & Diana *tract. 5. resol. 2. in fine.* 4

Probatur, quia illa verba ibidem apposita: *In foro conscientiæ,* sunt limitatoria, cùm ex vi illorum non prosit absolutio pro foro externo: Ergò etiam sunt limitatoria hæc alia verba: *In Diœcesi sua.* 5

Confirmatur, quia in Decretis Pontificiis nulla clausula, quinimò nulla syllaba superfluere debet, vti rectè probat Sanchez *lib. 3. de matrim. disput. 46. num. 6.* Sed si potestas absoluendi non limitaretur, vel ad subditos existentes in propria Diœcesi Episcopi, vel ad Episcopum existentem in sua Diœcesi, superfluerent prædicta verba: *In Diœcesi sua:* Ergò ne superfluerent, ad alterutrum è duobus limitari debent. Minor probatur: quia, concessa Episcopo facultate absoluendi à censuris, potest absoluere quemcumque subditum, quomodocumque sit subditus, vel ratione domilij, vel ratione habitationis, ità vt, si sit subditus ratione domicilij, possit absoluere illum vbicumque existentem; quia per hoc non amittit subiectionem: Ergò illa verba: *In Diœcesi sua:* superfluerent.

Hinc

Hinc Suarez *loco suprà cit.* & quidam alij aiunt prædicta verba limitanda esse ad subditos; quia paci, & recto regimini conuenientius est, si potestas absoluendi limitetur, non solùm ad personas, sed etiã ad territoria.

6 At probabilius Henriquez, Manuel, Barbosa, & Diana vbi suprà putant, prædicta verba: in Diœcesi sua, limitanda potius esse ad Episcopos absoluentes, ità vt Episcopus extrà propriam Diœcesim existens hac facultate sibi concessa vti non possit, sed necessariò vt illa vti possit, debeat existere in sua Diœcesi.

Probatur, quia sicuti dicebam, illa verba: In Diœcesi sua, non possunt referri ad subditos: Et ratio congruentiæ magis procedit in Prælatis, quàm in subditis: magis enim cõcordia inter Prælatos ostendi potest ex eo, quod quis ipsorum extrà propriam Diœcesim existens vtatur potestate absoluendi sibi concessâ, quàm ex eo, quod existens in propria Diœcesi subditum alibi existentem absoluat.

Atque hinc respondetur ad fundamentum Sanchez, Granadæ, & Barbosæ contrarium in principio positum: Non enim hoc est derogare iuri communi, & exercitio voluntariæ iurisdictionis (quod vbicumque locorum exerceri potest) quemadmodum non est derogare iuri communi, & facultati absoluendi, quod absolutio solùm prosit pro foro conscientiæ; quia, cùm Episcopus in his Pontifici reseruatis nullam habeat potestatem, potest Pontifex in confessione suas conditiones apponere sine iuris communis derogatione. Quibus seruatis, facultatem concedit, & quibus omissis, denegat, vna autem è conditionibus est, vt absolutio detur ab Episcopo existente in sua Diœcesi, quemadmodum est, vt prosit solùm pro foro conscientiæ.

7 Petes, cur in facultate dispensandi hæ conditiones requisitæ non sint, requisitæ autem sint in facultate absoluendi; cùm ambæ facultates secundùm nostram opinionem extraiudicialiter exerceri possint?

Respondetur: Præcipua ratio est voluntas Pontificis sic concedentis: Finis verò huius voluntatis potuit esse, vt remedium, quod erat sufficiens, delinquentibus occultis daretur, ipsique timerent, delicta committere, & publicare, videntes non posse eorum absolutionem ab Episcopis obtinere, nisi delicta sint occulta, & in foro conscientiæ, & existentibus Episcopis in propria Diœcesi. Vide etiam, quæ dicebam suprà *dubit. 53. sect. 5. in petitione.*

SECTIO IX.

Quid dicendum quoad illa verba: Vt delictum sit occultum?

SVMMARIVM.

1 *Occultum dicitur, quod verè probari non potest.*

2 *Occultum contradistinguitur ab illo, quod est notorium, publicum, vel famosum.*

3 *Delictum si sciatur ab aliquibus, modò non sciatur à maiori parte Viciniæ, vel Collegij, in quo sint ad minus decem personæ, neque sit in iudicio deductum, occultum dici debet: sicque possit Episcopus ab illo absoluere, ac dispensare.*

4 *De declarationibus Concilij in contrarium adductis non constat authenticè, & licet faciant opinionem satis probabilem, non tamen faciunt certam, ita vt altera opinio sit omninò improbabilis.*

5 *Hæresis si quinque, vel sex personis nota sit, & si hæreticus quinque, vel sex complices habeat, adhuc occulta dicetur, & ab illa Episcopus absoluere poterit: Et si in magna ciuitate nota sit septem, vel octo personis, adhuc publica non dicatur.*

6 *Episcopus vt in casu nostro possit absoluere, & dispensare, sufficit delictum in ratione delicti esse occultum.*

7 *Episcopus, si delictum sit publicum in vno loco, & in alio, in quo petitur absolutio nesciatur, non potest absoluere, contrà nonnullos.*

Respondetur, quod quamuis Garzias *de benefic. 7. part. cap. 1. n. 46.* Armendar. *in addition. ad recopil. legum Nauarræ lib. 1. tit. 18. l. 7. de irreg. in declarat. n. 25.* Graff. *tom. 2. consil. sub tit. de homicid. cons. 2. n. 20.* Guttier. *lib. 1. canon. quæst. c. 13. n. 17.* & Manuel. *in addit. ad Bull. §. 9. n. 69.* putent occultum dici, quod verè probari non potest: Ac proinde contradistingui ab illo, quod probari potest; quia sic sacra Congregatio Concilij *sess. 24. cap. 6. de reformat.* declarauit in his verbis: *Absolutus, vel dispensatus à proprio Episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus testibus, quod tamen non fuit notorium, non est tutus in conscientia; quia Concilium vtitur termino occulti, quod propriè loquendo dicitur, quando probari non potest, cap. vestra de cohabit. clericor. At per duos testes probari potest, & ex alio capite verba Concilij intelligi debent secundùm proprietatem:* Ergò. Tum quia eadem sacra Congregatio de illis, qui occasione delictorum occultorum fuerunt inquisiti, sed quia non potuerunt delicta probari, Rei non fuerunt neque diffinitiuè, neque alio modo absoluti, sed simpliciter, recepta promissione de se præsentando, dimissi: Respondit, quod isti tales non possint vti huius decreti Concilij beneficio; quia ipsorũ delicta fuerunt deducta ad forum contentiosum, sicque sufficit sola deductio, quidquid indè sequatur: Nihilominus non omninò improbabile sit oppositum, scilicet occultum contradistingui ab illo, quod 2 est notorium, publicum, vel famosum; ità vt etiamsi delictum sciatur ab aliquibus, modò non sciatur à maiori 3 parte Viciniæ, Parochiæ, vel Collegij, in quo sint ad minus decem personæ, neque sit in iudicio deductum: occultum dici debeat; sicque possit Episcopos ab illo absoluere, ac dispensare.

Probatur, quia si nomine delicti *occulti* delictum, quod in iudicio probari posset, intelligeretur, inutiliter expostulasset Concilium, ad forum contentiosum esse deductum; cùm tunc sufficiens esset posse deduci.

Ad declarationes Congregationis Concilij respondetur, quod de eis non constat authenticè, quodque eæ, licet, vtpotè maximæ auctoritatis, faciant opinionem satis probabilem, non tamen faciant certam, ita vt altera opinio sit omninò improbabilis. 4

Atque ità ex communiori sententia Doctorum tenet Azorius *1. part. lib. 8. cap. 10. quæst. 9.* Molina *de iust. & iure tract. 3. disp. 79. n. 6.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 38. num. 11. & lib. 8. disp. 34. n. 55. & lib. 2. moralium cap. 11. num. 19.* Barbosa *de potest. Episc. 2. part. allegat. 39. n. 24.* Granad. *2. 2. contron. 1. tract. 15. disp. 14. sect. 2. num. 6.* Portell. *in addit. ad dub. regul. verb. dispensare, n. 9.* & Fagundez *de præcept. Eccles. tract. 2. lib. 8. cap. 8. n. 32.* vbi expressè ait, quod si hæresis quinque, vel sex personis 5 nota sit, & si hæreticus quinque, vel sex complices habeat, adhuc occulta dicetur, & ab illa Episcopus absoluere poterit; subditque, quod & si in magna ciuitate nota sit septem, vel octo personis, adhuc publica non dicatur. Nauarrus *in summa cap. 27. n. 250.* Suar. *tom. 4. disp. 30. sect. 2. num. 2. & tom. 5. de censur. disp. 41. sect. 3. n. 6.* Rodericus *in Bull. Cruciat. §. 9. n. 129. in fine, & in summa tom. 1. cap. 164. n. 3. & tom. 1. quæst. regul. quæst. 14. art. 11.* Lopez *in instruct. part. 2. agens de clauibus cap. 8.* Maiol. *lib. 5. de irregul. cap. 51. num. 4.* Viualdus *part. 2.* vbi agit de irregularitate, *num. 315.* Sayrus *de censur. lib. 4. cap. 17. num. 11. & lib. 7. cap. 13. n. 12.* Antonius Rochus *de visitat. verb. occultis,* Auila *de censur. part. 3. cap. 7. disp. 1. dub. 11. concl. 2. & part. 7. disp. 10. dub. 6.* Toletus *lib. 1. cap. 89. num. 5.* Victorellus *ibidem,* Zerula *in praxi part. 2. verb. irregularitas, §. 1.* Genuens. *in praxi cap. 56. num. 2.* Vega *in summa part. 1. cap. 49. cas. 16.* Sorbus *in compend. Mendicant. in resolution. materia absolutionis,* Alterius *de censur. tom. 2. disp. 8. de suspens. cap. 3. vers. 1.* Zecch. *de casib. reseruatis*

cas.vltimo,num.1.& de irregul.cas.1.circà finem. Vgolin. *de potest.Episc.cap.57.num.5.* Reginald. *in praxi lib.3. tract.2.n.*30. Bonacina *de censur.disp.1.quaest.3.punct.2. num.1.* Riccius *in praxi fori Eccles.resol.*450. Comitol. *lib.6.respons.moral.quaest.44.num.2.* & Barbosa *de offic. Episc.part.2.alleg.39.num.14.* Qui omnes dicunt, quod sic intelligendum sit Decretum Concilij de casibus, & delictis occultis, à quibus Episcopi possunt absoluere.

6 Aduerte etiam, quod vt Episcopus in casu nostro possit absoluere, & dispensare, sufficiat, delictum in ratione delicti esse occultum. Quod dixi, quia contingere potest v.g. aliquem excommunicatum ministrare publicè Sacramenta, sed non esse publicum, eum ministrasse excommunicatione ligatum: quo casu delictum in ratione delicti erit omnino occultum (licet actus sit publicus:) atque adeò poterit Episcopus ab illo absoluere, & dispensare, Sayr. *de censur.lib.7.cap.3 n.13.* Sà *verb. Episcopat,num.35.* Riccius *in prax.resol.*450. *num.3.* Barbos. *loco suprà cit.n.*16. Campanile *in diuersor. iur.canonic.rubr.7.cas.5.num.3.* Henriq *in summa lib.14. cap.20.num.4.* Rodericus *in summa part.1.cap.176.n.3.* Vgolin. *de censur.tabul.1.cap.13 §.7.n.4.* Zerula *in praxi Episc.part.1.cap.1.rubric.de dispensat.n.*56. Bonacin. *de censur.disp.7.quaest.5.punct.1.num.4.* Nauarr. *consil.2.de Clerico non ordinato ministrante*; quidquid de hoc dubitet Additionator ad dictũ consilium Nauarr. Lael. Zecch. *de casib. Episc.reseru.cas.vltim.n.1.vers.& quod.* Ludou. Miranda *in manual. Praelator. tom.1.q.8.art.14.concl.2.* & Sanchez *de matrim.lib.8.disp.34.num.56.*

7 Petes: Quid, si delictum sit publicum in vno loco, & petatur absolutio in alio loco, vbi non est publicum, neque timetur publicandum; possit in hoc loco Episcopus absoluere?

Respondetur, quod quamuis quidam, vt Auila *de censur.2.part.c.7.disp.1.dub.11.concl.3.* & Sanch. *lib.2. moral.cap.11.n.20.* affirment, sicque in hoc loco facultatem Concilij ad illud extendi: Oppositum tamen, quod docent alij, inter quos Suarez *de poenit. disp.30. sect.2. num.2.* sit probabilius: In hoc loco scilicet facultatem Concilij ad illud non extendi.

Probatur, quia sine dubio delictum illud est publicum, cùm ad hanc denominationem sufficiat, in vno loco publicari: sed Concilium excludit à facultate absoluendi, & dispensandi peccata: Ergò.

Confirmatur, quia vt delictum sit deductum ad forum contentiosum, sicque non possit absolui, neque dispensari, sufficit, quod in vno loco sit deductum: Ergò, vt delictum sit publicum, sicque non possit similiter absolui, neque dispensari, sufficit etiam, quod in vno loco sit publicum.

SECTIO X.

Quid dicendum quoad illa verba: *Vt neque sit deductum ad forum contentiosum?*

SVMMARIVM.

1 *Delictum secundùm aliquos dicitur deductum ad forum contentiosum, cùm denunciatio, vel accusatio coram legitimo iudice facta sit, & Reus ratione illius citatur; quia citatio est primus actus iudicij. Probabile tamen est oppositum, nempe delictum non dici plenè, & perfectè deductum ad forum contentiosum, vt absolui, & dispensari non possit, quousque lis contestata fuerit.*

2 *Forus contentiosus dici non potest, nisi super delicto commisso contendatur inter partes, negando, vel confitendo.*

3 *Forus contentiosus est idem, ac iudicium.*

4 *Forus contentiosus non differt a lite mota, cum idem sit, in foro contendere, & in eo litem mouere.*

5 *Episcopus non potest absoluere à delicto sic deducto ad forum contentiosum, atque dispensare etiam in alio loco, vbi omninò ignoratur, quia vbicumque fuerit deductum, simpliciter est deductum.*

6 *Intellige interim dum est deductum, & durat iudicium, quia si reus est absolutus, poterit tunc Episcopus absoluere & dispensare, cum tunc maneat delictum occultum, siquidem in foro contentioso non est probatum.*

7 *Reus accusatus in foro externo, & de tali delicto absolutus, dicitur esse in delicto occulto, & ita vigore Concilij potest absolui.*

8 *Reus accusatus in foro externo, & de tali delicto absolutus non dicitur dare scandalum, quia cessat ob dictam absolutionem, & ità vigore Concilij potest absolui.*

9 *Amplia, id verum esse etiamsi Reus iniquis probationibus & falsis testibus se defenderit, quia semper procedit eadem ratio.*

10 *Amplia, idem dicendum esse, si iudicium non fuerit sententia finitum, eo quod accusator per annum destiterit; quia taciturnitas accusatoris per tantum temporis spatium arguit defectum probationis, & aequiualet absolutioni.*

11 *Amplia etiam, si duo sint consortes eiusdem delicti, & vnus tantùm ex ipsis deferatur in iudicium, alter absolui, & dispensari possit, quia ipsius delictum, quatenus ab ipso processit, ad iudicium delatum non est.*

12 *Amplia etiam, si delictum sit deductum ad forum contentiosum, & ibi punitum, possit ex non improbabili sententia Doctorum Episcopus absoluere, & in impedimento indè prouenient dispensare, quia tunc finis Concilij reseruantis cessare videtur. Contrarium tamen dicitur probabilius.*

Respondetur, quod licet Auila, & Henriquez, quos citat, & sequitur Sanchez *cit. cap.11. num.21.* & Riccius *in praxi decis.*522. putent, delictum dici deductum ad forum contentiosum, cùm denunciatio, vel accusatio coram legitimo iudice facta est, & reus ratione illius citatur; quia citatio est primus actus iudicij, *§.final. Instit. de poena temerè litigantium*, & Gloss. *in rubris. Cod. de in ius vocand.* Probabile tamen sit etiam oppositum, quod docent Doctores, quos sequitur Barbos. *de potest. Episc. 2.part. allegat.39.n.19.* Nempè delictum non dici plenè, & perfectè deductum ad forum contentiosum, vt absolui, vel dispensari non possit, quousque lis contestata fuerit. 1

Probatur, quia forus contentiosus dici non potest, nisi super delicto commisso contendatur inter partes negando, vel confitendo: quo actu litis contestatio etiam in criminalibus, inducitur: Ergò. 2

Confirmatur, quia forus contentiosus est idem, ac iudicium, sed iudicium non est perfectum vsque ad litis contestationem. Doctores apud Peregrin. *var.lib.2.sub rubr. de iudiciis n.*54. & Lancellot. *de attentat. in praefat. num.7.* Ergò, &c. 3

Confirmatur secundò, quia forus contentiosus non differt à lite mota (cùm idem sit, in foro contendere, ac in eo litem mouere:) sed lis mota non dicitur, nisi postquam litis contestatio facta fuerit, vt probat textus *in cap.ex part.de verbor.signific.* & tradunt Suid. *de aliment. tit.5.quaest.8.n.4.* & Maranta *de ordin.iudic.part.5.tit. Et omnia fiant durante instantia, n.*64. Ergò delictum non debet dici, deductum esse ad forum contentiosum, nisi post litis contestationem, & non antè. 4

Caeterùm ex dictis à delicto sic deducto ad forum contentiosum Episcopus non potest absoluere, neque dispensare, etiam in alio loco, vbi omninò ignoratur, quia vbicumque fuerit deductum, simpliciter est deductum. Suar. *de censur.disp.41.sect.2.n.6.* Grass. *1.part. decis.lib.1.cap.13.num.43.* Molina *de iust.& iur.tract.3. disp.79.num.8.* Sanchez *lib.2.moral.cap.11.num.21.* & Barbos. *de potest.Episc.2.part.allegat.39.num.31.* 5

Aduerte

Aduerte tamen, quod hoc intelligi debeat interim dum est deductum, & durat iudicium: quia si reus est absolutus, poterit tunc Episcopus absoluere, & dispensare: cùm tunc maneat delictum occultum, & non possit dici ad forum contentiosum deductum cum effectu: siquidem ibi non est probatum.

7 Confirmatur, quia Concilium Tridentinum vult, vt possit absolui is, qui est in delicto occulto: Sed ex dictis, qui fuit accusatus in foro interno, & de tali delicto fuit absolutus, dicitur esse in delicto occulto: Ergo vigore dicti decreti Concilij Tridentini, poterit delinquens absolui, & dispensari.

8 Confirmatur secundò quia Concilium Tridentinum negat talem facultatem propter scandalum, & propter delicti publicitatem. At quando reus fuit absolutus, cessat scandalum, & delicti publicitas: ergo tunc vigore Concilij Trid. poterit absolui, & dispensari. Rodericus *in sum. part.* 1. *cap.* 67. *n.* 4. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 17. *n.* 2. *in gloss. lit. H.* Campanil. *in diuersor. iur. can. rubr.* 11. *cap.* 23. *n.* 144. Alterius *tom.* 2. *de censur. disp.* 8. *de suspens. cap.* 3. *vers. postulabit.* Molina *de inst. disp.* 79. *n.* 8. *vers.* 2. & 3. vbi subdit, quod ante absolutionem non possit, quamuis crimen deductum non sit probatum. Viuald. *de excomm. n.* 42. Graff. *in decis. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 42. & *tom.* 2. *consilior. in tit. de homicid. tit.* 20. *n.* 10. Vega *in sum. part.* 2. *cap.* 15. *cas.* 2. Sà *verb. Episcopus. n.* 34. Barbos. *de offic. Episc. alleg.* 39. *num.* 32. *part.* 2. Bonac. *de censur. disput.* 1. *q.* 3 *punct.* 2. *n.* 2. & *disput.* 7. *q.* 5 *punct.* 1. *num.* 4. Suarez *tom.* 5. *disput.* 41. *sect.* 2. *n.* 6. Sayrus *in Thesauro lib.* 4. *cap.* 17. *n.* 23. & *lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 12.

9 Aduerte secundò, quod id verum sit, etiamsi reus iniquis probationibus, & falsis testibus se defenderit: quia semper procedit eadem ratio, quod scilicet delictum maneat occultum, & ad forum contentiosum deductum non sit cum effectu. Auila *de censur. part.* 2. *cap.* 7. *disp.* 1. *dub.* 11. *concl.* 3. & *part.* 7. *disput.* 10 *dub.* 6. *circa fin.* Henriq. *lib.* 14. *cap.* 20. *n.* 4. Candelabr. *part.* 2. *agens de excommunic. n.* 42. Genuens. *in prax. cap.* 56. *n.* 5. & 6. Suarez *tom.* 5. *disput.* 41. *sect.* 3. *n.* 6. & *seqq.* Campanile *rubr.* 7. *cap.* 5. *n.* 8. & *rubr.* 11. *n.* 10. *cap.* 23. *n.* 144. Sanch. *de matr. lib.* 2. *disp.* 37. *n.* 12. & *lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 57. & *lib.* 1. *moral. cap.* 11. *n.* 21. Sayrus *lib.* 7. *cap.* 7. *n.* 12. Sà *verb. Episcopus, n.* 34. & Barbosa *loc. sup. cit. n.* 23.

10 Aduerte tertiò, quod idem dicendum sit, si iudicium non fuerit sententia finitum, eo quod accusator per annum destiterit: quia taciturnitas accusatoris per tantum temporis spatium arguit defectum probationis, & æquiualet absolutioni. Barbosa *num.* 34. Sayr. *loc. sup. cit. cap.* 7. *n.* 11. Maiol. *de irregul. lib.* 3. *cap.* 17. *n.* 9. & Campanil. *vbi sup. num.* 144. vbi etiam citat Glossam *in cap. Tantis* 81. *dist. verb. obrepit*, & *in cap. omnipotens Deus, de accusationib.*

11 Aduerte quartò, quod si duo sint consortes eiusdem delicti, & vnus tantùm ex ipsis deferatur in iudicium, alter absolui, & dispensari possit: quia ipsius delictum, quatenus ab ipso processit, ad iudicium delatum non est. Nauarr. *lib.* 2. *consil. tit. de sent. & re iudic. consil.* 2. & Sanchez *vbi sup. n.* 21.

12 Aduerte quintò, quod si delictum fuerit deductum ad forum contentiosum, & ibi punitum, possit ex non improbabili sententia Doctorum Episcopus absoluere, & in impedimento inde proueniente dispensare: quia tunc finis Concilij reseruantis cessare videtur, cùm reseruasse videatur delicta publica, & ad forum contentiosum deducta, ne absolutione Episcopi impediretur processus iudicialis semel inchoatus, & satisfactio publica pro dictis criminibus publicis. At iudicio finito, & satisfactione publica exhibita, cessare videtur hic finis: Ergo.

Atque ita tenet Reginald. *lib* 30. *tract.* 2. *n.* 29. Auila *de censur.* 2. *part. disput.* 2. *dub.* 7. & 7. *part. disp.* 10. *dub.* 7. Henriq. *lib.* 14. *de irregul. cap.* 7. *n.* 5. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *n.* 21. Quamuis contrarium probabiliter etiam, & forsan probabilius ex communiori sententia Doctorum teneat Suarez *de censur. disput.* 41. *sect.* 2. *n.* 5. Guttier. *canonic. qq. lib.* 1. *cap.* 3. *circa fin.* Roderic. *tom.* 1. *sum. cap.* 168. *in fin.* Garzias *de benef. part.* 7. *cap.* 11. *n.* 50. Bonacina *de censur. disput.* 5. *q.* 3. *punct.* 2. *n.* 2. & *disp.* 7. *q.* 5. *punct.* 1. *n.* 5. Barbosa *de offic. Episc. part.* 2. *alleg.* 39. *n.* 35. & alij. Quia Concilium excipit delicta deducta ad forum contentiosum. Quapropter sola deductio sufficiens erit, quod Episcopus non possit vigore illius decreti absoluere, nec dispensare.

Videri etiam poterit Toletus *lib.* 1. *cap.* 89. *num.* 5. qui rectè subdit, quod si post absolutionem, vel dispensationem delictum deducatur ad forum contentiosum, absolutio, & dispensatio facta prosit solùm in foro interiori, non item in exteriori.

SECTIO XI.

Quid dicendum quoad illa verba: *Vt Episcopus absolutionem à casibus reseruatis per se, vel per suum vicarium ad id specialiter deputatum concedat: in crimine autem hæresis per se, & non per vicarium?*

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest ex probabiliori sententia committere vicario dispensationes irregularitatis, & aliorum impedimentorum, sicuti potest committere absolutionem à casibus reseruatis, contra nonnullos, qui negant ex pluribus rationibus recensitis.*

2 *Potestas hæc dispensandi iure communi competit dignitati Episcopali, non autem personæ, ex quo delegabilis est.*

3 *Potestas dispensandi in irregularitatibus ex illa Constitutione concessa Episcopis, est ita concessa ipsis, vt possint illam delegare non solùm suo Vicario, sed etiam alteri.*

4 *Potestas verò absoluendi ab hæresi ab eo concedi non potest neque eius vicario.*

SVppono, quod in facultate dispensandi non sit appositum, *vt Episcopus per Vicarium dispensationẽ concedat*. ex quo silentio difficultas inter DD. orta est, an possit Episcopus committere Vicario dispensationes irregularitatis, & aliorum impedimentorum, sicuti potest cōmittere absolutionẽ à casibus reseruatis. Hoc posito. 1

REspondetur, quod licet quidam, vt videre est apud Barbosam *cit. allegat.* 39. *num.* 14. negent, quia virtualiter restricta fuit potestas dispensandi ad solum Episcopum ex eo, quod potestas absoluendi ipsi, & Vicario concedatur: Nam constitutio ambigua in vna parte, debet ex altera declarari. Ergo cùm in secunda parte illius constitutionis Pontifex apposuerit extensionem ad Vicariũ, & in prima omiserit, tacitè limitauit, ne Vicario talis potestas concederetur. Præsertim quia non deest ratio differentiæ, quare Pontifex Vicario permittat potestatẽ absoluendi, non autem dispensandi, quia potestas absoluendi necessaria est ad salutem animarũ, non sic potestas dispensandi: Probabilius tamen sit oppositum, quod docet Nauar. *consil.* 11. *tit. de priuileg. n.* 4. Suar. *de censur. disp.* 41. *sect.* 2. *n.* 8. & Sanch. *cit. cap.* 11. *n.* 25. & *de matr. lib.* 2. *disp.* 40 *n.* 17. Potestatem scilicet dispensandi committi posse ab Episcopo cuilibet Vicario Generali delegato, & cuilibet etiam personæ speciali.

Probatur, quia cùm potestas hæc dispensandi iure communi competat dignitati Episcopali, non autem personæ, non est, cur delegabilis non sit. 2

Atque hinc patet ad opposita: Non enim ex eo, quod in secunda parte illius constitutionis commissa sit potestas absoluendi Episcopis, vel eorum Vicariis specialiter deputatis, rectè arguitur, potestatem dispensandi solis Episcopis competere, & aliis delegari non posse; ad restrictionem aliquam faciendam iuri communi ad-

uersantem, clariora fundamenta requiruntur.

Sensus igitur illius constitutionis est: Potestas dispensandi in irregularitatibus concessa Episcopis, est ita concessa illis, vt possint illam delegare non solùm suo Vicario, sed etiam alteri: potestatem autem absoluendi à casibus reseruatis, cùm animarum salutem immediatiùs respiciat, non alteri, quàm Vicario ad id specia-
4 liter deputato. Potestatem verò absoluendi ab hæresi, quia grauior est, neque etiam huic Vicario. Nauarrus, Suarez, & Sanchez *in locis sup. cit.*



DVBITATIO LIV.

An possit Episcopus committere alteri absolutionem ab hæresi?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus ex non improbabili sententia Doctorum potest alteri committero absolutionem ab hæresi.*

2 *Episcopus non potest dare facultatem generalem alicui, quod ab hæresi toties, quoties absoluat: sed si occurrat casus, quod quis incidat in hæresim, potest tunc deputare certum Confessarium, qui à tali peccato pro illa vice illum absoluat. In aliis tamen casibus occultis, excepta hæresi, potest dare facultatem generalem, quod absoluat toties quoties.*

3 *Potestas hæc absoluendi ab hæresi, commissa est Episcopis præsentibus, & futuris in perpetuum: sicque non eligitur industria personæ, sed officij, & dignitatis; atque adeò de se delegabilis est.*

4 *Concilium solùm excludit Vicarium ad id specialiter deputatum, quod intelligi potest de Vicario specialiter deputato ad casus hæresis contingentes, non item de Vicario specialiter deputato ad vnicum casum hæresis.*

5 *Textus in cap. fin. de offic. delegat. vbi habetur, quod non possit is, cui est commissum excommunicare, absoluere, vel dispensare, &c. aliis potestatem hanc concedere, intelligi debet, quando conceditur alicui particulari personæ, non autem quando conceditur alicui dignitati, vel officio: quia in tali casu non censetur concessum nudum ministerium.*

6 *Electa industria persona, facultas non potest delegari, nec in generali, nec in particulari. At cùm Concilium cit. sess. 24. cap. 6. concedat Superioribus præsentibus, & futuris, id non concedit personæ particulari, sed officio, & dignitati in perpetuum.*

7 *Sententia tamen opposita, quod videlicet non possit commitere hanc facultatem, est probabilior pluribus rationibus ibi recensitis.*

8 *Episcopi à iure communi non habent potestatem absoluendi à casibus Pontifici reseruatis, qualis est crimen hæresis. Et hinc est, quod quando illis conceditur, possit ad ipsos tantùm restringi.*

1 RESPONDETVR ex non improbabili sententia Doctorum affirmatiuè. Atque ita tenent Nauarr. *lib. 1. consil. tit. de constit. cons. 1. q. vlt. n. 89. & lib. 5. tit. de priuil. consil. 11. q. 2. & 3.* Corduba *in sum. q. 8.* Rodoriq. *quæst. Regul. q. 30. art. 11.* Henriq. *lib. 6. de pœnit. cap. 14. n. 6.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 10. q. 11.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 11. n. 23.* Zerul. *part. 1. verb. vicarius, dub. 1. & verb. absolutio, §. 4.* Sà *verb. Epi-*
2 *scopus n. 37* & alij, quatenus aiunt, quod Episcopus non potest dare facultatem generalem alicui, quod ab hæresi toties quoties absoluat, sed si occurrat casus, quod quis incidat in hæresim, potest tunc Episcopus deputare certum Confessarium, quod à tali peccato pro illa vice illum absoluat: sicque est discrimen inter hæresim, & alios casus reseruatos, quia in alijs casibus occultis reseruatis potest Episcopus dare facultatem generalem alicui deputato, quod absoluat toties quoties. At in peccato hæresis non potest dare hanc facultatem generalem, vt scilicet quisquis inciderit in hæresim, possit confessarius eum absoluere: Sed cùm occurrerit casus particularis, potest Episcopus deputare in particulari aliquem, quod à tali peccato hæresis absoluat in particulari. Quapropter cùm Concil. Trident. *sess. 24. cap. 6. de reform.* dicit, quod in crimine hæresis solùm Episcopus potest absoluere, & non ipsius Vicarius, sensus est, quod Episcopus non potest deputare Vicariũ, vt generaliter quemcumque pœnitentẽ à peccato hæresis absoluat, non tamen negat Concilium, quin possit Episcopus deputare Vicarium ad casum hæresis in particulari.

3 Probatur, quia potestas hæc absoluendi ab hæresi commissa est Episcopis præsentibus, & futuris in perpetuum, sicque non eligitur industria personæ, sed officij, & dignitatis, atque adeò de se delegabilis est: Sed ex supradictis verbis Concilij hæc delegãdi potestas nõ ita restringitur, vt nullo modo delegari possit alteri. Ergo. Maior est communis inter DD. vti testatur Iason *in l. more maior. ff. de iurisdict. omn. iudic. n. 65.* & Menoch. *de*
4 *arbitr. lib. 1. q. 64. n. 17.* Minor probatur, quia Concil. solùm exclusit Vicarium ad id specialiter deputatum. At hoc intelligi potest de Vicario specialiter deputato ad casus hæresis contingentes, non item de Vicario specialiter deputato ad vnicum casum hæresis tunc oblatum. Ergo ille, quasi Generalis Vicarius erit exclusus, non item hic specialissimus.

5 Non obstat, si dicas: In *in cap. vlt. § fin. de offic. deleg.* habetur, quod non possit is, cui est commissum excommunicare, absoluere, vel dispensare, &c. alijs potestatem hanc concedere: Ergo cùm sit concessum Episcopo, quod possit absoluere à peccato hæresis, non poterit Episcopus id alijs committere.

Respondetur enim, Textum intelligi debere, quando id conceditur alicui particulari personæ, sicque conceditur nudum ministerium faciendi aliquid, non autem quando conceditur alicui dignitati, vel officio, sicque conceditur in perpetuum, vt est in casu nostro: quia in tali casu non censetur concessum nudum ministerium, sed censetur concessa potestas ordinaria. Bartol. *in l. ambitiosa, ff. de decret. ab Ordin. fact.* Imola *in cap. fin. de offic. Ordin. circa fin.* Felin. *in cap. licet, de offic. Ordin. n. 4.* Syluester *verb. absolutio 4. q. 2. n. 6.* Angel. *verb. excommunicatio 1. casu 1. n. 39.* Nauarr. *consil. 15. de sentent. excomm.* Couarruu. *lib. 3. var. cap. 20. n. 6. & seqq.* & Compendium Mendic. *verb. absolutio ordinaria quoad Fratres, dub. 1.*

6 Neque obstat si dicas: Quando eligitur industria personæ, facultas non potest delegari nec in generali, nec in speciali: Sed in Concilio Trid. dum conceditur hæc facultas, eligitur industria personæ in Episcopali dignitate constitutæ: Ergo Episcopus non potest concedere alicui, quod possit à peccato hæresis absoluere.

Respondetur enim: Nego minorem, quia sicuti dicebam, quando conceditur aliquid superioribus præsentibus, & futuris (vt est in casu nostro, cùm id non concedatur personæ particulari, sed dignitati, & officio in perpetuum) non censetur esse electa industria personæ: nam tunc facultas conceditur personis incognitis. Iason *in l. more. ff. de iurisd. omn. indic. n. 65.* & ibi communiter
7 Iuristæ, quos sequuntur communiter alij Doctores.

Dixi tamen, ex non improbabili sententia Doctorũ, quia sententia opposita, quam docet Suar. *de pœnis. disp. 30. sect. 1. n. 9. & de fide disp. 21. sect. 4. n. 8.* Molin. *tract. 5. de inst. disput. 18. n. 2.* Gutierr. *lib. 1. canon. quæst. cap. 13. n. 19.* Petr. de Ledesma *tom. 2. sum. tract. 1. cap. 6. post 20. concl. diffic. 6.* Garz. *de benef. part. 11. cap. 10. n. 114.* Acost. *q. 57.* & Lorca *2. 2. disp. 45. n. 11.* est forsan probabilior, quia in hac absolutione ille Vicarius videtur exclusus, qui fuit admissus in absolutione à reliquis casibus reseruatis, vt ex contextu colligi videtur. At pro reliquorum casuũ absolutione quilibet Vicarius, siue Generalis, siue specialis deputari potest. Ergo pro absolutione hæresis quilibet videtur exclusus. Tum quia dictio *negans*, apposita

posita ante Vicarium, videtur excludere omnẽ Vicariũ, & dictio *tantùm*, apposita Episcopis, videtur restringere potestatem ad certas personas solas, aliàs si aliis liceret, non solùm Episcopis, sed etiam eorũ Vicariis specialissimis liceret, cõtra verba Concilij, quæ absoluta vidẽtur.

Hinc ad fundamentũ prioris sententiæ respõdere quia poterit dicẽdo, quod in hac restrictione non cõmittitur vlla derogatio iuris communis. Non enim Episcopis à iure communi habent potestatem absoluendi à casibus Pontifici reseruatis. Quapropter, cùm eis tribuitur talis potestas, limitari poterit à Pontifice, vt solùm ipsis competat, non aliis. Quod non est Episcoporum iuri derogare, sed Episcopis beneficium limitatè concedere.



DVBITATIO LV.

An facultas Episcopis per Tridentinum concessa absoluendi à casibus Pontifici reseruatis, & specialiter ab hæresi, sit reuocata per Bullam Cœnæ Domini?

SVMMARIVM.

1 *Verba Bullæ Cœnæ quoad facultatem absoluendi ab hæresi recensentur.*

2 *Hæreticus vt prædictam excommunicationem incurrat in foro conscientiæ, debebit habere errorem in intellectu cum pertinacia, & eius error humano sensui sufficienter subiacere.*

3 *Fidem negans solùm exteriùs, non erit hæreticus in foro conscientiæ, seu interiori.*

4 *Transiens ad aliam sectam, & idolis præbens externum cultum, &c. magnetem, vel caput asini baptizans, incantationes, maleficia, vel similia horrenda facinora perpetrans, si errorem in intellectu non habeat, hæreticus non erit in foro conscientiæ: quamuis puniblis per Inquisitores, tanquam hæreticus.*

5 *Hæreticus vt quis sit, requiritur, quod sciens teneat aliquid contra Ecclesiam, seu cognoscat, & animaduertat, suam opinionem esse contrariam Ecclesiæ, & nihilominus neglecta auctoritate Ecclesiæ, in sua opinione persistat.*

6 *Hæreticus purè mentalis excommunicationem non incurrit, nisi verbo, signo, vel facto aliquo suam hæresim internam sufficienter manifestet.*

7 *Hæresis interna, & externa simul subiacet excommunicationi Pontifici reseruata.*

8 *Episcopi, secundum aliquos, post Bullam Cœnæ Domini absoluere possunt ab hæresi interna, & externa simul: ita vt non sit ipsis reuocata facultas concessa in Tridentino.*

9 *Iuris correctio, præsertim Concilij Tridentini vitanda est, quammaximè fieri potest.*

10 *Absolui intendens, non intendit absolui prætextu alicuius priuilegij à Sede Apostolica concessi, vt dicit Bannes, sed prætextu authoritatis à Christo Domino datæ.*

11 *Bulla Cœnæ rectè intelligi potest de peccatis publicis, & de absolutione, quæ prodest non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo.*

12 *Lex generalis, præcipuè correctoria, licet posterior sit, limitari debet ex speciali antecedenti.*

13 *Lex specialis, præsertim si fuit edita in Concilio generali nuper edito, non reuocatur per subsequentem generalem, nisi specialiter, & expressè reuocetur.*

14 *Priuilegium in Cruciata concessum pœnitentibus, vt semel in vita possint absolui à quolibet Confessario approbato à quibuscumque peccatis, & censuris, integrum manet, non obstante clausula reuocatoria eiusdem Bullæ Cœnæ.*

15 *Facultas absoluendi concessa Episcopis per Concilium Tridentinum, non est euidens, quod sit reuocata per Bullam Cœnæ.*

16 *Facultas absoluendi concessa Episcopis per Concil. Trid. ab hæresi interna, & externa, est reuocata per Bullam Cœnæ, ob auctoritates Pontificum, Cardinalium, & Supremi Inquisitionis Prætorij. Quidquid in contrarium dixerint alij.*

17 *Priuilegiis, & concessionibus Concilij Tridentini vt derogetur, non est necessarium, fieri expressam mentionem de illo.*

18 *Exceptio à Concilio Tridentino apposita est, dicens se velle, vt robur habeant, dum Pontifici placuerit, non vltra: sed non creditur Pontifex interponere suam auctoritatem, nisi id verbis expressis, & facientibus mentionem dicti Concilij, saltem in genere exprimat, ob eius magnam auctoritatem.*

19 *Priuilegium à Concilio concessum Episcopis reuocari potest à Pontifice, & ex verbis recensitis Bullæ Cœnæ satis colligitur fuisse reuocatum.*

20 *Pontifex derogans Constitutioni Conciliari, non tenetur id facere per clausulam specialem in aliquibus casibus, vt statuit idem Concilium Tridentinum, cùm possit vti sua facultate ordinaria, sicque derogare Concilio Trid. per clausulam generalem.*

21 *In Bulla Cœnæ reuocatur facultas concessa Episcopis, & aliis ad absoluendum, etiam per decretum cuiuscumque Concilij.*

22 *Episcopi licet non possint in foro conscientiæ hæreticos pœnitentes absoluere, iuxta probabiliorem sententiam, possunt tamen in foro externo eos absoluere, & Ecclesiæ reconciliare, illisque pœnitentiam iniungere, quæ absolutio proderit illis in foro interiori.*

23 *Episcopi in Hispania, prædicta non possunt sine Inquisitoribus, neque Inquisitores sine Episcopis, saltem requisitis.*

24 *Bulla Cœnæ in multis partibus non est vsu recepta; quare vbi non est vsu recepta, Episcopi absoluere possunt suos subditos à peccato hæresis.*

RATIO dubitandi est, quia sic in ista Bulla habetur: *Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, neque etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautione præstita, absolui potest, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis, sæcularium, & quorumcumque Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Episcopali, vel alia maiori dignitate præditis, ipsisque Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conuentibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus, & locis piis, nec à laïcis, etiam Imperiali, Regali, & alia mundana excellentia fulgentibus per Nos, & dictam Sedem, ac cuiusuis Concilij decreta, verbo, literis, aut alia quacumque scriptura in genere, & in specie concessorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum.* Et additur excommunicatio aduersus eos qui sic absoluere præsumpserint. Ita Gregorius XV. & Vrbanus VIII. in suis Bullis Cœnæ Domini. 1

Suppono, quod in ordine ad incurrendam excommunicationem in foro conscientiæ requiratur, sicuti *sect.* 12. & 13. dicebam, vt hæreticus habeat errorem in intellectu cum pertinacia, & eius error humano sensui sufficienter subiaceat. 2

Dixi, *vt habeat errorem in intellectu*: quia, si quis solùm exteriùs neget fidem, non erit hæreticus in foro conscientiæ, seu interiori. Quapropter qui ad aliam sectã transiret, idolis externum cultum præberet, dæmonem verbo, cultu, vel aliquo alio opere inuocaret, magnetem vel caput asini baptizaret, incantationes, maleficia, vel similia horrenda facinora perpetraret, si errorem in intellectu non haberet, hæreticus in foro conscientiæ non

esset

esset. Quamuis istum talem Inquisitores punire posseot tanqoam hæreticum, quia ex signis externis prudenter possent, & deberent præsumere in illo hæresim internam.

5 Dixi secundò, *cum pertinacia*: quia, vt sit quis hæreticus, requiritur, quod sciens teneat aliquid contra Ecclesiam, seu cognoscat, & animaduertat, suam opinionem esse contrariam Ecclesiæ, & nihilominus, neglecta auctoritate Ecclesiæ, in sua opinione persistat. Quamuis in hac pertinacia, seu persistentia temporis mora non requiratur, quia io quouis temporis istanti, & vno solo actu, & assensu instantaneo hæresis perfecta consummari poterit.

6 Dixi tertiò: *Vt eius error humano sensui sufficienter subiaceat*, quia hæreticus purè mentalis excommunicationem non incurrit, nisi verbo, signo, vel facto aliquo suam hæresim internam sufficienter manifestet.

Atque ita dicebam cit. sect. 12. & 13. & docent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. lib. 2. moral. cap. 7. num. 8. Lorca in 2.2. q. 11. art. 2. disput. 47. n. 7. Becan. part. 5. q. 2. Coninch. de actib. supernaturalib. disput. 18. dub. 7. num. 75. Malder. in 1.2. quæst. 11. art. 1. memb. 2. & seqq. Barbosa de potest. Episc. par. 2. alleg. 40. num. 5. Campanil. rubr. 11. cap. 26. num. 28. Cherubin. in compend. Bullar. tom. 3. constitut. 24. Pauli. V. scholio 2. Valerus verb. hæresis, different. 2. num. 1. & 2. Filliucius tom. 2. tract. 22. cap. 6. num. 152. Reginaldus tom. 1. lib. 9. cap. 14. num. 124. Finellus de casibus reseruat. casu 2. num. 20. Megala in tertia part. lib. 3. cap. 1. quæst. 1. n. 4. Molfesius in summa tom. 1. tract. 11. cap. 7. num. 39. Turrianus in 2.1. tom. 1. disput. 23. dub. 1. Duardus in Bull. Cœn. lib. 2. canen. 1. quæst. 20. & 21. Gyptius de casibus reseruat. cap. 6. num. 84. & cap. 9. num. 15. Sousa in Bull. Cœn. cap. 2. disput. 5. & sequent. Lazarius tract. de blasphemia, quæst. 5. num. 74. Fernandex part. 3. cap. 9. §. 16. num. 2. Gaiobatupta de casib. reseru. cap. 4. n. 13. & 14. Homobonus de casibus etiam reseruat. part. 1. cap. 8. Zaoardus part. 1. præcept. 1. cap. 5. Peregr. de immunit. Eccl. cap. 8. n. 2. Torreblaoca de magia lib. 3. cap. 10. num. 20. & alij passim.

7 De ista igitur hæresi interna, & externa simul, quæ subiacet excommunicationi Pontifici reseruatæ, Difficultas est, an Episcopi possint absoluere post Bullam Cœnæ Domini, vt non sit ipsis reuocata facultas absoluendi concessa in Tridentino.

8 Quidam, quos sequebar lib. de Parlament. dubit. 4. sect. 19. subsect. 35. edit. 1. affirmant, quod scilicet non sit reuocata. Sic Bannes 2.2. quæst. 11. art. 4. dub. 2. Aragonius ibidem artic. 3. Nauarrus cap. 27. num. 260. & lib. 5. consil. tit. de priuileg. consil. 11. q. 1. quamuis postea mutauerit sententiam propter declarationes adducendas. Lorca 1.2. disput. 45. num. 10. Viualdus in antiqua edit. part. 1. tract. de absolut. n. 13. & part. 2. in exposition. Bull. Cœn n. 141. Campeg. in addit. ad Zanchin. cap. 34. de hæretic. Guttierrex lib. 1. quæstion. canonic. cap. 13. retractans priorem sententiam. Palatius in 3. distinct. 25. disput. 7. Llamas part. 3. cap. 1. §. vltim. circa fin Zauall. in commun. opinion. tom. 3. q. 802. n. 65. Corduba in sum. q. 8. punct. 1. Vela de pœn. delict. cap. 14. vers. Iure verò canonico. Vega in summa tom. 2. cap. 125. casu 11. Anton. Gomez in Bull. Cruciat. claus. 10. num. 44. Angles in florib. part. 1. de confess. q. 4. art. 1. difficult. 6. Henriquex lib. 6. de pœnit. cap. 14. n. 7. Putean. in 2.2. q. 11. art. 4. dub. 2. Fagundex de præcept. Eccles. præcept. 2. lib. 8. cap. 8. n. 31. & 33. Granad. in 2.2. controuers. 1. tract. 15. disput. 14. sect. 2. num. 8. & 9. Auila de censur. part. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 6. Rodoriq. tom. 1 quæst. Regul. q. 20. art. 10. Portell. in addit. ad dub. Regul. verb. Episcopus, n 1. Sousa in Bull. Cœn. cap. 14. disput. 100. concl. 3. num. 7. Nuñus tom. 2. in addit. ad 3. part. q. 8. art. 5. dub. 10. in fin. Sà verb. Episcopus, n. 37. Reputant sententiam istam probabilem Suar. tom. de censur. disput. 21. sect. 3. n. 5. Ricciul. tract. de iur. personar lib. 5. cap. 14. num. 9. Iacobus Seuerius in can. excommunic. & cas. reseruat. part. 2. excommunic. 5. Ledesma tract. 1. cap. 6. concl. 30. diffic. 7. Simanch. de cathol. institut. tit. 3. n. 6. Sancius in select. disput. 50. n. 32. Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 40. n. 21. & alij plures quos referunt Sanchex, & ipse Barbosa mox io secunda sententia citandi.

Probatur, quia quammaximè fieri potest, vitanda est correctio iuris, præsertim Concilij Tridentini, quod tantæ est auctoritatis, & tanti æstimatur ab omnibus Pontificibus, qui post illud Ecclesiam gubernarunt Sed absque correctione iuris Tridentini stare potest clausola Bullæ reuocans facultates, quibos absolutio ab Episcopis impendi poterat: Ergo dicendum est, quod clausula Bullæ Cœnæ non reuocat prædictam Tridentini facultatem Episcopis concessam. Maior patet. Minor probatur, quia Bulla Cœnæ solùm habet: *Vt nullus possit absolui prætextu quorumcumque priuilegiorum, quæ Episcopis, Conuentibus, & aliis concessa sint per Sedem Apostolicam*. At qui ab Episcopis absolui intendit, non. 9
intendit absolui prætexo alicuius priuilegij ab Apostolica Sede concessi, vt dicit Bannez loc. sup. cit. sed prætextu authoritatis à Christo Domino datæ: Ergo. 10

Secundò, quia Bulla Cœnæ rectè intelligi potest de peccatis publicis, & de absolutione, quæ prosit non solùm pro foro conscientiæ, sed etiam pro foro externo. Siquidem nihil in Bulla habetur, quod cogat nos de peccatis occultis, & de foro conscientiæ reuocationem intelligere. Quod si hoc modo intelligatur, maoet integrum Tridentini decretum. Nam Tridentinum concedit solùm absolutionem casus occulti, & pro foro conscientiæ: Ergo si dicatur, quod Bulla Cœnæ reuocet casus publicos, & absolutionem, quæ prosit in foro externo, non corrigit Decretum Tridentini: Ergo ita dicendum, vt vitetur iuris correctio. Præsertim quia sic sentiunt tot, & tam graues Doctores supra citati, quorum io explicando ius est magna auctoritas. 11

Tertiò, quia lex generalis, præcipuè que correctoria, tametsi posterior sit, limitari debet ex speciali antecedenti, vt in materia de legibus. Ergo hæc lex correctoria Bullæ Cœnæ, quæ generalis est, limitari debet per specialem Tridentini. 12
Quapropter lex specialis, præsertim si fuit edita in Concilio generali nuper edito, non reuocatur per subsequentem generalem, nisi specialiter & expressè reuocetur (vt inquiunt Baldus in l. humana, Cod. de legib. notabil. 3. Ripa in cap. 1. de iudiciis, num 8. Decius in rubric. de constitut. num. 7. in. 2. lect. & consil. 341. n. 10. Rota apud Cæsarem de Grassis decis. 3. n. 12. de rescript. & apud Verall. decision. 268. num 3. part. 1. & in Valentina Decimarum 9. Decembris 1602. Henriquex lib 7 de Indulgent. cap. 16. num. 3. Menoch. vol. 3. consil. 194. n. 11. & 12. Viualdus 3 part. cap. 12. n. 22. Zerula in praxi Episcop. part. 1. verb. pensio, & part. 2. verb. absolutio, §. 8. Carros. in repetit. Regul. Cùm quid prohibetur, lib. 6. part. 6. amplia 6. & Sanchex lib. 3. de matrim. disput. 26. num. 7.) Sed lex, qua datur Episcopis facultas absoluendi in Concilio Tridentino, est specialis, verba verò Bullæ Cœnæ sunt generalia, cùm in illis non fiat mentio de Concilio Tridenteno, nec de casibus occultis, de quibus loquitur dictum Concilium. Ergo per Bullam Cœnæ non reuocatur facultas de absoluendo Episcopis concessa. 13

Quartò, quia non obstante clausula reuocatoria Bullæ Cœnæ, manet integrum priuilegium in Cruciata concessum pœnitentibus, vt semel in vita possint absolui à quolibet Confessario approbato à quibuscumque peccatis, & censuris, &c. Ergo integrum manebit etiam priuilegium Episcopis concessum in Concilio Trid. non obstante clausula reuocatoria eiusdem Bullæ Cœnæ. 14

Quintò, quia non est euidens, Bullam Cœnæ supradictam facultatem reuocare, sicuti constat ex dictis Sed nemo absque euidentia reuocationis debet se proprio iure spoliare. Ergo Episcopi non debent spoliatos se reputare prædicta absoluẽdi facultate, sine clariori notitia reuocationis, præsertim cùm facultas ipsis concessa sit certa, reuocatio verò dubia, sicuti mox infra dicetur. 15

Non

Non obstat, si dicas, euidenter constare, hanc absoluendi facultatem Episcopis reuocatam esse, non ex verbis Bullæ præcisè, sed ex illis, iuncta Pontificum declaratione, de qua mox infra dicetur.

Respondetur enim cum Fagundez, & Sousa *in locis suprà citatis*, de declaratione ista nobis authenticè non constare: Nam esto plures Doctores eam asserant, ea fama tamen, & opinione loquuntur. Et cùm res sit ita grauis, & scientibus Pontificibus, controuersa, debuissent illam expressius aliquo speciali decreto declarare; quod adhuc factum non est.

Adde quod, cum aliundè tam perspicuè constet de facultate Tridentini, & non constet de illius reuocatione, non cogimur credere, illam esse reuocatam.

Adde secundò, quod cùm Tridentinum Concilium facultatem concesserit Episcopis magna cum consideratione, consolatione, & prudentia. Videbatur enim moraliter necessaria in bonum, & salutem animarum, non est credendum, quod tam facilè fuerit reuocata, nisi euidenter constet.

Adde tertiò, quod indigebat talis declaratio speciali promulgatione, vt vim legis reuocantis haberet; aliàs nos arctare non poterit.

Neque obstat secundò, si dicas, in generalis Inquisitionis Prætorio Romano sæpè pronūciatum esse, quod nunc Episcopi non possint absoluere ab hæresi occulta.

Respondetur enim, sic ibi pronunciatum esse secundùm oppositam sententiam, quæ probabilissima est; sed quia nondum nobis præcepit eam amplecti, licitum est adhuc, contrariam etiam reputare probabilem, sicut & reputarunt non modicæ notæ Doctores mox supra citati.

16 Neque obstat tertiò, si dicas, extare de hoc duo Responsa Congregationis Cardinaliū, in quibus vt videre est apud Suarez, & Garziā *in locis infrà citandis*, declaratur, facultatem Tridentini Episcopis reuocatam esse.

Respondetur enim similiter, responsa hæc esse quidem magnæ authoritatis, sed non sufficere ad tollendam contrariæ sententiæ probabilitatem.

His tamen non obstantibus, Respondemus ob authoritates Pontificum, Cardinalium, & Supremi Generalis Inquisitionis Prætorij mox infrà referendas, contrarium (nempè per clausulam Bullæ Cœnæ Episcopis reuocatam esse facultatem absoluendi ab hæresi, reliquisque ibi contentis) vt longè probabilius tenendum esse. Sic Suarez *loc. cit. & de pœnit. disput.* 30. *sect.* 2. *num.* 11. Ricciullus, Sancius, & Barbosa *vbi suprà*: Item Pegna *director.* 3. *part. comment.* 141. *post q.* 92. *vers. penult.* vbi testatur, ita declarasse Pium V. & Gregorium XIII. iuxta hanc opinionem in supremo generalis Inquisitionis Prætorio sæpè pronunciatum esse. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *q.* 3. Tuscus *de visitat. lib.* 1. *c.* 31. *n.* 5. Genuensis *in prax. cap.* 67. *n.* 10. Vbi ait, Gregorium XIII. & Clementem VIII. sic declarasse. Garzias 11. *part. de benefic. cap.* 10. *n.* 122. Vbi cum Suarez testatur, pro hac parte duas Authenticas Cardinalium declarationes extare. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 11. *in fine*, Farinac. *de hæres. q.* 191. *n.* 61. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 41. Ricc. *in Praxi rer. quotidian. resol.* 474. *& in collect. decis. part.* 4. *collect.* 821. *& in decis. Curia Archiep. decis.* 13. *n.* 6. *&* 8. *part.* 2. *& part.* 3. *decis.* 180. *n.* 8. Villalob. *part.* 1. *tract.* 9. *dub.* 61. *num.* 2. Gratian. *tom.* 3. *cap.* 414. *n.* 20. Bellochius *de casibus reseru. part.* 2. *q.* 1. *n.* 275. Bonacin. *disp.* 1. *de censur. q.* 3. *punct.* 2. *n.* 1. Ragocius *in Lucerna Parochorum q.* 115. *n.* 5. Scortia *in constit. Pontif. Epitome* 166. *theorem.* 431. Nouar. *in singul. cōclus.* 3. *n.* 5. Syluius *in* 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. Fabrus *de Sacram. Ordin. dist.* 25. *q.* 1. *disp.* 3. *c.* 4. *n.* 126. Maiol. *de irregular. lib* 5. *cap.* 46. *num.* 6. *vers. Caueant*, Viualdus *in vltima editione part.* 1. *tit.* 11. *de absolut. n.* 13. Sayr. *decis.* 16. *de sent. excommun.* Franciscus Leo *in Thesaur. for. Ecclesiast. part.* 1. *cap.* 37. *n.* 46. Armendar. *in Addit. ad recopilat. leg. Nauar. lib.* 2. *tit.* 11. *l. vltima de familiar. Inquisit. num.* 3. Gutierr. *lib.* 1. *quæst. canonic. cap.* 13. *n.* 28. *&* 29. Grassius *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 30. *& seqq.* Catechism. Neapol. *lib.* 1. *cap.* 15. *& lib.* 3. *cap.* 2. *& lib.* 4. *cap.* 1. Bonzonius *de fuga lib.* 1. *disput.* 1. *q.* 6. Sorbo *in compend. Mendicant. verb. Absolutio ordinaria quoad Fratres*, Genuens. *in Praxi Archiepisc. cap.* 67. *n.* 10. Victorellus *in addit. ad Toletum lib.* 1. *cap.* 63. Acosta de Andrada *q.* 58. Molina *de Iust. tract.* 3. *disp.* 64. *n.* 8. *& tract.* 5. *disput.* 18. *n.* 2. Magister Sacr. Palatij *in Indice libr. expurgand. in Candelabro aureo de absolutione, fol.* 122. *n.* 13. Iacobus Bleda *in defens. fidei in causa Moriscorum part.* 8. *cap.* 13. Vbi subdit, sic fuisse declaratum à Paulo V. Læl. Zecch. *in summa part.* 1. *tit. de fide, rubric. de hæretic. cap.* 11. *n.* 18. Paramus *de origin. sancta Inquisit. lib.* 3. *q.* 9. *n.* 191. Philiarcus *de effic. Sacerdot. tom.* 1. *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 15. *& lib.* 4. *cap.* 22. Felician. *in Enchirid. de excommunic. cap.* 18. Ægidius *disp.* 14. *de excommun. dub.* 16. *n.* 243. Toscus *in Practic. de visitat. lib.* 2. *cap.* 31. *n.* 8. Vgolinus *in Bulla Cœna part.* 2. *cap.* 2. *§.* 5. *n.* 3. Bartholomæus ab Angelo *in examin. Confessor. dialog.* 5. *§.* 554. Simancha *de cathol. Institut. tit.* 3. *num.* 6. Alterius *de censur. lib.* 5. *disp.* 22. *cap.* 2. Hieronym. Campanil. *in director. Iur. canonic. rubr.* 11. *cap.* 26. *num.* 55. Gratianus *tom.* 3. *discept. cap.* 414. *n.* 10. Homobon. *de Examin. Eccles. part.* 2. *tract.* 12. *cap.* 4. *q.* 16. *& de statibus part.* 1. *cap.* 8. Antonuccius *ad Cathechis. Diœces. Neapol. lib.* 1. *cap.* 25. *n* 9 Megala *in* 1. *part. lib* 1. *cap.* 13. *n.* 10. *& seqq.* Floron. *de casib. reseruat. part.* 1. *cap.* 8. *§.* 21. *n.* 2. Torreblanc. *de magia lib.* 3. *cap.* 10. *n.* 17. Valet. *verb. hæresis, difficult.* 5. *n.* 1. & alij.

Et quidem, teste Zerula, & Garzia locis supra citatis, sic præter Consistorium generale Inquisitionis Romanæ declarauit Congregatio Concilij in his verbis: *Congregatio censuit, huic decreto Concilij Tridentini sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat. non tantum in crimine hæresis, sed in omnibus casibus comprehensis in Bulla Cœna Domini Pij V. esse derogatum.* Rursùs secundò in his verbis, Teste Garzia, & Riccio vbi supra: *Episcopus, aut Inquisitor absoluere non potest hominem hæreticum in foro conscientiæ, licet hæc facultas à concilio sit tradita Episcopis.* Rursus tertiò in his verbis: *Item an hoc decretum locum habeat in casibus post Concilium Tridentinum ex noua lege Sedi Apostolica reseruatis, Gregorius XIII. audita relatione Congregationis, non habere locum, respondit.* Rursus 4. in his verbis: *Item in delictis occultis in materia clausura idem respondit, audita relatione eiusdem Congregationis, per Constitutionem Pij V. censeri, huic decreto derogatum.* Et

Probatur; quia non videtur necessarium ad dero- 17
gandum Priuilegiis, & Constitutionibus Concilij Tridentini, de illo fieri expressam mentionem, sicut necessarium est fieri de aliis, *cap.* 8. *ex parte, de capellis Monachorum*, *ibique* Gloss. *in verb. nulla mentio, & cap. nonnulla, de rescript.* Vbi etiam Gloss. *in verb. fecerunt mentionem*, & *ibi* Felin. *n.* 7. *cum multis aliis.* Siquidem 18
ipsum Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 21. *in fine Concilij*, excipit authoritatem Pontificis in suis decretis, dicens se velle, vt robur habeant, dum Pontifici placuerit, & non vltra; inquit enim sancta Synodus: *Omnia, & singula sub quibuscumque clausulis, & verbis, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina, tam sub felicis record. Paulo III. & Iulio II. quam sub Beatissimo Pio IV. Pontificibus maximis in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat, ea decreta fuisse, vt in his salua semper authoritas Sedis Apostolica sit, & esse intelligatur.* Ergo, cùm Pontifex suam authoritatem interponit, ne vllus ab hæresi, reliquisque in Bulla Cœnæ contentis absoluatur, non debet dici, reuocare priuilegium in Tridentino concessum, sed ipsum Tridentini Priuilegium cessare; quia cessauit conditio, sub qua fuit concessum.

At hæc ratio non probat: concedo enim, non reuocari decreta Tridentini Concilij, quoties Pontifex suam authoritatem in contrarium interponit, sed cessare illa, ea conditione in ipsis decretis apposita. At difficultas est, quando Pontifex censeatur, suam authoritatem in contrarium interponere, & credo, nunquam inter-

pooere censeri, nisi id verbis expressis, & facientibus mentionem dicti Concilij, saltem in genere caprimat ob eius magnam authoritatem, vti dicebam.

19 Secundò igitur probatur meliùs; quia sine dubio Priuilegium à Concilio concessum Episcopis reuocari potest a Pontifice; sed ex supradictis Bullæ Cœnæ verbis satis colligitur, fuisse reuocatum: Ergo, Maior patet. Minor probatur; quia Pontifex prohibet, ne detur absolutio ab hæresi, reliquisque casibus in Bulla contentis prætextu Priuilegiorum, quæ Episcopis, Religiosis, Conuentibus, &c. concessa sunt à Sede Apostolica, etiam decreto alicuius Concilij; sed nullum Concilium nisi Tridentinum, hanc facultatem absoluendi ab hæresi, reliquisque casibus reseruatis concessit: Ergo hanc facultatem, quam hoc Concilium concessit, intendit Pontifex reuocare; aliàs superfluerent verba illa, *alicuius Concilij decreta*.

Neque obstat, si dicas, Bullam Cœnæ reuocare facultatem absoluendi a casibus publicis, & pro foro externo, quia hæc non est data à Coocilio; præsertim cùm reseruatio non tam pro foro externo, quàm pro foro conscientiæ facta sit, siquidem solùm permittitur io articulo mortis, absolutionem præstari.

20 Tertiò probatur; quia non requiritur, quod specialiter illi derogetur: Nam Pontifex id oon tenetur facere io aliquibus casibus, vt statuit idem Concilium Tridentinum; cùm possit vti sua facultate ordinaria, sicque possit derogare Concilio Tridentino per clausulam generalem, vt colligitur ea eodem Concilio, *sess.* 25. *de reformat. cap.* 21. & declarauit Pius V. in quodam motu proprio edito in anno 1570. quem refert Garaias, *tract. de benefic. part.* 4. *cap.* 50. *n.* 30. & 31. Et respondit Sacra Congregatio Concilij in vna Abulensi anno 1595. vt refert idem Garaias, *de benefic. part.* 5. *cap.* 8. *n.* 87. & docet Rota in causa S. Angeli Pensionis die 16. Decembr. 1594. coram Pamphilio, & in Bononiensi Prioratus, die 9. Iulij anno 1606. coram Manaanedo, Germonius *de Indult. Cardinalium*, §. *per qua*, *n.* 74. & Gonzalez *in Regul.* 8. *cancell. Gloss.* 6. *n.* 120. Deinde per illa verba Concilij Tridentini: *In genere, vel in specie*, sufficienter reuocantur omnes facultates, non solùm concessæ in generali, sed etiam in speciali. Præsertim, cùm in Bulla Cœnæ reuocentur eapresè omnes facultates concessæ vi cuiuscumque Concilij, eapresè, & specialiter est etiam reuocata talis facultas; cum in nullo Coocilio ea fuerit concessa, nisi in Concilio Tridentino. Prætereà etiam complures Doctores docent, vt Cambera *de offic. legat. lib.* 19. *n.* 138. Flores *q.* 10. *n.* 50. & alij; quod possit reuocari lea specialis per subsequentem generalem, etiamsi non fiat expressa mentio de lege illa speciali, seu particulari: Ergo, &c.

21 Neque obstat, si dicas, in Bulla Cœnæ non reuocari facultatem concessam Episcopis, & alijs ad absoluendum, sed solum reuocari facultatem concessam Pœnitentibus, vt possint eligere confessarium, à quo possint absolui; quia ibi eapresè reuocatur facultas concessa Episcopis, etiam per decretum cuiuscumque Concilij: sed Tridentinum Concilium oon concedit facultatem eligendi confessarium Pœnitentibus, sed concedit facultatem absoluendi ab omnibus censuris occultis, & non deductis ad forum contentiosum Episcopis: Ergo.

Hinc patet ad fundamenta opposita sententiæ prioris.

22 Aduerte tamen, quod licet Episcopi non possint in foro conscientiæ hæreticos pœnitentes absoluere iuxta hanc nostram multò probabiliorem sententiam, possunt tamen in foro externo eos absoluere, & Ecclesiæ reconciliare, illisque pœnitentiam iniungere. Quæ absolutio proderit illis etiam in foro ioteriori, *cap. vt efficium, in principio de heretic. in* 6. & tradunt Archidiaconus *ibi n.* 1. Geminian. *n.* 2. Franch. *n.* 2. Io. Andreas *n.* 1. Glossa *in cap. excommunicamus* 1. §. *credentes etiam, circa finem, de heretic.* Ostiens. *ibidem num.* 24. Felinus *n.* 3. Zabarell. *num.* 6, Ananias *num.* 4. Repert. Inquisit. *verb. absolutio, vers. sed nunc, & vers. ex prædictis*, Squillacens. *tract. de fide cathol. cap.* 27. *num.* 3. Eymer. 3. *part. director. q.* 92. Bonacina *de censur. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 2. *n.* 11. Farinac. *de heres. q.* 191. §. 4. *num.* 52. Vbi notat, quod etsi Lælius Zecchius 1. *part. tit. de fide rubr. de heres. cap.* 11. *n.* 18. dicat, in supremo Inquisitionis Senatu pronunciatum esse, quod solùm Inquisitores possint Pœnitentes hæreticos in foro externo absoluere, & non Episcopi; contrarium tamen, vt quid à Doctoribus communiter receptum, & iuri consonum, sit dicendum.

23 Quamuis in Hispania prædicta facultas illis reuocata sit: Non enim ibi possunt Episcopi sine Inquisitore, neque Inquisitor sine Episcopo, saltem requisito, hæreticum absoluere, & Ecclesiæ conciliare, sicuti habetur ex praxi, & coosuetudine loci.

14 Aduerte secundò, quod nonnulli cum Becano *de fide cap.* 15. *q.* 2. *n.* 6. tenent, quod Bulla Cœnæ io multis partibus oon sit vsu recepta, & consequenter ibi non obstringat, & indè fiat, quod possint ibi Episcopi suos subditos absoluere à peccato hæresis, & ab excommunicatione tali peccato aonexa. Tenent etiam, quod eacommunicentur solùm ij, qui sunt in hæresi pertinaces; & indè fiat, quod Rustici, & Ciues simpliciores, qui habentur hæretici in Gallia, vel in Germania, &c. sed tamen pertinaces non sunt, dictam eacommunicationem noo incurrant; vt propterea à Parochis, quibus ipsi subiecti sunt, absolui possint.

DVBITATIO LVI.

Quid sequatur ex dictis? Vbi multa de Episcopis scitu digna.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi licet non possint in foro conscientia hereticos pœnitentes occultos absoluere; iuxta probabiliorem sententiam, possunt tamen iuxta sententiam aliorum non improbabilem, quam tutius Episcopi sequi possunt in Regionibus ab vrbe distantioribus degentes.*

2 *Episcopus facultatem sibi concessam absoluendi ab heresi occulta à Concilio Tridentino, licet ea concessa ibi sit Episcopis tantum, non item eorum Vicariis; potest secundum ius ordinarium hic, & nunc eam delegare cuilibet approbato confessario, non improbabiliter.*

3 *Episcopo sicut ex officio, vel priuilegio dignitatis sua competit absoluere, aliumvè iurisdictionis actum exercere, potest id etiam per alium facere.*

4 *Iuris antiqui correctio sine necessitate non debet introduci.*

5 *Episcopi possunt absoluere ab excommunicatione heresis etiam extra Sacramentum Pœnitentia; quia cum dicitur, quod possint in foro conscientia, per talem particulam non intelligitur forum sacramentale, audita scilicet confessione; sed tantum denotatur, vt absolutio, si contingat, heresim in iudicium deduci, in foro externo non prosit.*

6 *Amplia, quod in tali casu Episcopus possit non improbabiliter absoluere subditum etiam in absentia; quia talis absolutio non est Sacramentalis, qualis est absolutio à peccatis.*

7 *Et etiam si subditus extra Diœcesim sit, & ipse Episcopus simul cum subdito extra Diœcesim inueniatur.*

8 *Iurisdictio non contentiosa, sed voluntaria in territorio alieno exerceri potest; cùm per talem Iurisdictionem territorium alienum inuadi, aut violari non possit.*

9 *Contraria opinio authoris est probabilior.*

Episcopi

10 *Episcopi quidam in partibus Septentrionalibus ob frequentiam casuum, & difficultatem adeundi summum Pontificem, consueuerunt per se, vel per Vicarium absoluere subditos suos ab hæresi, etiam manifesta.*

11 *Bulla Cœnæ Domini in multis Germaniæ Prouinciis non est vsu recepta, saltem quoad omnia, quæ continet.*

12 *Bulla Cœnæ Domini probabiliter contra communem opinionem, vbi non est vsu recepta, non obligat in conscientia; quia vt leges humanæ tam ciuiles, quàm Pontificiæ in conscientia obligent, requiritur non solùm ipsarum promulgatio, sed etiam populi consensus, & acceptatio.*

13 *Lex non est valida, sed nulla, si Princeps intendat leges suas ferre, & promulgare sub alia conditione, scilicet independenter à consensu, & acceptatione populi; atque adeo intendat independẽter à consensu, & acceptatione populi per illas obligare, & cæ.*

1 RESPONDETVR ex dictis: Episcopi, licet non
possint in foro conscientiæ hæreticos pœni-
tentes occultos absoluere iuxta nostram multo
probabiliorem sententiam, vti dicebam, possunt tamen
iuxta sententiam aliorum non omnino improbabilem,
quam tutiùs Episcopi sequi possunt in Regionibus ab
vrbe distantioribus degentes, sicuti speciatim de abso-
lutione ab hæresi occulta docuit Nauarr. *lib. 5. consil. 11.*
de priuileg. edit. 2. vbi non improbabiliter etiam subdit,
2 iuxta ea, quæ dicebam, *sect.* 54. quod cùm Tridenti-
num facultatem absoluendi ab hæresi occulta Episco-
pis tantum, non item eorum Vicariis concedit, intel-
ligendum sit de iure ordinario, ac veluti ex officio,
generaliter scilicet ad omnes casus, ita tamen vt nihil
interim obstet, quominùs Episcopus Vicario suo, vel
alteri idoneo Sacerdoti, vel Clerico talem facultatem
specialiter ad casum particularem, hic & nunc occur-
rentem, committere possit, *argum. cap. vlt. de offic. or-*
3 *dinar. iuncta Glossa*, vbi dicitur: *Si cui ex officio, vel*
priuilegio dignitatis suæ competit absoluere, aliumvè Iu-
risdictionis actum exercere, potest id etiam per alium
4 *facere*: Nam correctio iuris antiqui sine necessitate non
debet introduci.

Quapropter hanc Nauarri sententiam cum aliis se-
quutus est Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 10. q. 11.* Sà *verb.*
Episcopus, n. 37. Emmanuel Roderiq. *tom. 1. quæst regul.*
q. 20. art. 11. Henriquez *lib. 6. cap. 14. n. 7. & in Glossa*
lit. O. Sanch. *lib. 2. moral. cap. 15. n. 23.* & Granad. *in*
2. 2. controu. 1. tract. 15. disp. 14. sect. 1. n. 7.

Quamuis contrarium ex multo probabiliori senten-
tia nostra, *ibi Dubit.* 54. sequatur Lorca, *in 2. 2. disp. 45.*
n. 29 Molin. *de Iustit. tract. 5. disput. 18. n. 1.* Garzias *de*
benefic. tom. 2. part. 1. cap. 10. n. 113. Guttier. *lib. 1. cano-*
nic. quæstion. c. 13. n. 59. & Suar. *in 3. part. tom. 4. disp. 30.*
sect. 2. n. 9. & 15. Vide, quæ dicebam *cit. Dubit.* 54.

5 Adde, quod Episcopi possint absoluere ab excom-
municatione hæresis, etiam extra Sacramentum Pœni-
tentiæ; quia cùm dicitur, quod possint in foro con-
scientiæ, per talem particulam non intelligitur forum
Sacramentale, audita scilicet confessione, sed tantùm
denotatur, vt absolutio, si contingat, hæresim in iudi-
cium deduci in foro externo, non prosit. Nauarr. *lib. 5.*
consil. tit. de priuileg. consil. 11. q. 1. Suarez *de censur.*
disput. 41. sect. 2. Sanchez *de matrim. lib. 8. disput. 34.*
n. 29. & lib. 4. moral. cap. 11. num. 13. Garzias *de benef.*
part. 11. cap. 10. n. 138. & alij quos citabam, & seque-
bar *Dubit.* 53. vbi etiam aduertebam, Sanch. *cit. lib. 1.*
6 *moral. cap. 15. n. 17.* & alios non improbabiliter sentire,
quod in tali casu possit Episcopus absoluere subditum,
etiam in absentia; quia talis absolutio non est Sacra-
7 mentalis, qualis est absolutio à peccatis. Et etiam si
subditus extra diœcesim sit. Et etiam si ipse Episcopus
8 simul cum subdito extra diœcesim inueniatur, quia
nihil obstat, quominùs iurisdictio non contentiosa, sed

voluntaria, in territorio alieno exerceatur; cùm per
exercitium talis iurisdictionis territorium alienum in-
uadi, seu violari non videatur; qua de re Abb. *in cap.*
nouit, n. 3. de offic. legat. Nauarr. *cap. 27. n. 6.* & Sayr. *lib. 1.*
Thes. cap. 6. propè finem.

Quamuis contrariam opinionem tanquam probabi- 9
liorem tenuerim ego cum Suarez *3. part. tom. 5. disp. 41.*
sect. 2. num. 10. & 11. Henriquez *lib. 4. de irregularit.*
cap. 10. n. 5. & aliis *cit. dubit.* 53. Vide ibi.

Adde secundò, quod quidam Episcopi in partibus 10
Septentrionalibus ob frequentiam casuum, & diffi-
cultatem adeundi summum Pontificem, consueuerunt
per se, vel per Vicarium absoluere subditos suos ab
hæresi etiam manifesta.

Adde tertiò, quod Becanus *2. 2. cap. 15. q. 2. num. 6.* 11
testatur, Bullam Cœnæ Domini in multis Germaniæ
Prouinciis non esse vsu receptam, saltem quoad om-
nia, quæ continet; videri etiam poterit Azor. *part. 1.*
lib. 5. cap. 4. q. 1. Putean. *in 2. part. S. Thomæ quæst. 11.*
art. 4. dub. 2. Filliuccius *tom. 1. tract. 11. cap. 1. q. 5. n. 11.*
Valerus *verb. peccatum, differ. 30. n. 3.* & idem Becanus,
in 1. 2. tract. 3. cap. 6. q. 8. n. 4. Vbi probabiliter, con- 12
tra communem tamen opinionem doctorum, subdunt,
quod & ipsa Bulla Cœnæ, vbi non est vsu recepta, non
obliget in conscientia, quia vt leges humanæ, tam
ciuiles, quàm Pontificiæ in conscientia obligent, requi-
ritur non solùm ipsarum promulgatio, sed etiam po-
puli consensus, & acceptatio; dependenter à qua præ-
sumitur semper legislator leges suas ferre, & promul-
gare. Quinimmò Valentia, *tom. 2. disput 7. q. 5. punct. 5.*
& alij non improbabiliter subdunt, quod si Princeps 13
intendat leges suas ferre, & promulgare sub alia con-
ditione, scilicet independenter à consensu, & accepta-
tione populi, atque adeo intendat independenter à
consensu, & acceptatione populi per illas obligare, lex
non sit valida, sed nulla; quia cum tunc ea magnam
possit in populo perturbationem excitare, non est pro-
pter bonum publicum, atque adeo non est iusta (quod
ad essentiam legis requiritur) & consequenter, qui eam,
siue in primo casu, quod non sit acceptata, siue in se-
cundo, quod sit lata independenter à consensu, & acce-
ptatione populi, non acceptant, etiam sine sufficienti
causa, non peccant mortaliter, nisi eindè magnum
incommodum Reipublicæ proueniret: Quo casu pro-
pterea solùm contra ius naturale, non autem contra ius
positiuum, & eius pœnas, vt censuras, peccarent. Videri
etiam poterit Megalius, *in 2. 2. lib. 2. cap. 6. q. 3. n. 115.*
& 117. Bonacin. *de legib. disp. 1. q. 1. punct. 4. n. 39.* &
Villaloh. *tom 1. tract. 2. dub. 16.*

Quamuis contrarium sentiant alij communiter, in-
ter quos Suarez *de legib. lib. 13. cap. 19. n. 8.* & nos in
specie de summo Pontifice, *lib. 1. de immunit. Eccles.*
cap. 1. dubit. 15. sect. 7.



DVBITATIO LVII.

An nunc post Bullam Cœnæ possint absoluere ab hæresi Inquisitores?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores, præsertim Hispaniæ, & Siciliæ, secundum aliquos post Bullam Cœnæ possunt absoluere ab hæresi in foro conscientiæ.*

2 *Recensentur verba Bullæ Clementis VIII.* Cum sicut, *ad probandum, quod Inquisitores possunt absoluere ab hæresi in foro conscientiæ.*

3 *In hac Bulla Clementis datur facultas Inquisitoribus, & eorum Commissariis absoluendi hæreticos occultos, neque ab vllo iudice priùs inquisitos extraiudicialiter,*

4 *Bulla predicta, quod dirigatur specialiter ad Inquisitores Ordinis Predicatorum existentes in Lombardia; quodque videatur esse specialis commissio facta personis, & non dignitati, non videtur obstare; quia Priuilegia Inquisitoribus specialibus concessa diriguntur ad omnes Inquisitores.*

5 *Per Bullam Cœna Domini, quod reuocetur omnis facultas absoluendi ab heresi, & casibus ibi contentis in foro conscientia, non obstat; quia Bulla solum reuocat facultates absoluendi, qua concessa sunt Pœnitentibus, vel saltem qua concessa sunt directè in eorum fauorem.*

6 *Ecclesia debet prouidere fidelibus delinquentibus remedium facile, & suaue, vt à peccatis liberentur, quod non fecisset, si Inquisitores non haberent pradictam facultatem.*

7 *Auctores dicta sententia inferunt, quod Inquisitor, etiam non sacerdos, etiam extra Sacramentum confessionis, ac etiam in absentia, possit hanc facultatem exercere; quia non coarctatur illa ad forum Sacramentale, sed ad forum secretum.*

8 *Item inferunt, quod possit Inquisitor cuicumque alteri vices suas delegare; quia est potestas competens ex officio, ac proindè delegabilis, dum in contrarium non fuerit expressa prohibitio.*

9 *Hareticus occultus, quando secretò vult Inquisitori suam heresim confiteri, nec ad illum fuit iudicialiter delatus, potest tunc ab ipso absolui ab heresi, cùm verum non sit, quod talis facultas absoluendi concessa sit soli Tribunali S. Inquisitionis simul iuncto.*

10 *Facultas absoluendi ab excommunicatione heresis concessa est Inquisitoribus in fauorem animarum.*

11 *Inquisitor nullus, neque Tribunal potest absoluere ab heresi, & ab excommunicationibus reseruatis in foro conscientia, sed necessario id debet facere in foro externo, & iudiciali, secundum probabiliorem sententiam.*

12 *Inquisitores neque ex vi muneris, neque ex aliquo priuilegio, neque ex consuetudine habent facultatem pro solo conscientia foro absoluendi.*

13 *Inquisitoris munus est, delicta inquirere, & iudicialiter punire delinquentes, cum sit iudex pro foro externo constitutus.*

14 *Inquisitores neque ex priuilegio possunt absoluere hereticum in foro conscientia.*

15 *Verbum* extraiudicialiter, *vt in supremo Inquisitionis Romana Tribunali declaratum est, non tollit formam iudicij, nempè depositionem coram notario, & testibus, vel saltem coram notario tantum, sed tollit solemnitatem iudicijs, qua consistit in eo, quod plures adsint iudicio.*

16 *Facultas Inquisitoribus data, vt extraiudicialiter pœnitentes hereticos, & à nullo iudice inquisitos absoluere possint, consistit in eo, quod possint ad secretam abiurationem, & secretam pœnitentiam illos admittere, non tamen quod possint absoluere pro solo conscientia foro.*

17 *Priuilegium supradictum, si de absolutione pro solo conscientia foro loqueretur, non esset ratio cur per Bullam Cœna Domini facultas absoluendi ab heresi, & casibus in ipsa Bulla contentis, reuocata sit Episcopis, & non Inquisitoribus.*

18 *Episcopus, aut Inquisitor ex Cardinalium Congregatione absoluere iam non possunt omnem hereticum in foro conscientia, licet hac facultas à Concilio sit ipsis tradita.*

19 *Non est nimius rigor in delicto tam graui obligare delinquentem, vt Inquisitori coram notario se manifestet, prasertim cùm talis rigor satis temperetur ex eo, quod sic absolutus secretò, licet postea delictum publicetur, non possit de illo iterum iudicari, vel puniri.*

20 *Facultas hac sic secretò absoluendi ab heresi, licet pracipuè in toto Tribunali resideat, licet contrarium dixerint alij, in quolibet etiam Inquisitore residet.*

21 *Absolutio data fictè heretico conuerso valida non est, etiamsi postea validè conuertatur; quia non intendit absoluere nisi fidelem, & verè pœnitentem.*

22 *Absolutio pradicta quoad forum externum reputatur valida, & verè conuersus non indiget ampliùs absolutione aliqua iudiciali; sed ipsemet Inquisitor solus sine notario, & testibus absoluere poterit.*

23 *Matrimonium contractum in facie Ecclesia inualidè ob aliquod occultum impedimentum, secundum plurium doctorum sententiam, reualidatur sine vlla exteriori solemnitate per solum iteratum consensum contrahentium.*

24 *Ex ignorantia proferens heresim, non tamen manifestans, manet absolutus; si autem ex malitia, distinguendum est, si actus, quos omisisti manifestare, variant grauiter iudicium, non manet absolutus; secus si grauiter iudicium non variant.*

25 *Iudicium quandonam prasumatur fore grauiter variandum ex manifestatione rei tacita.*

26 *Hareticus occultus quid agere debeat, si confessarius non possit obtinere licentiam ab Inquisitoribus, vel Episcopis, existimantibus, non habere facultatem absoluendi, &c.*



VPPONO, difficultatem non esse, an possint 1
absoluere pro foro externo: sic enim certum est, quod Inquisitores quando tanquam iudices procedunt, possint hæreticum pœnitentem, facta abiuratione, reconciliare Ecclesiæ, eiusque causa cognita in vtroque foro absoluere ab hæresi, & excommunicatione; ita vt si hæreticus occultus spontè Inquisitores adeat, illisque suam hæresim fateatur, possint Inquisitores illum secretò audire, & absoluere; sicuti patet, *ex cap. vt officium, de haret. in 6.* ibi: *Si verò aliquis ex pradictis haretica labe primitus abiurata, venire voluerit ad Ecclesia veritatem, ei iuxta formam Ecclesia absolutionis beneficium impendatis.* Vbi idem dicitur esse faciendum circa credentes, fautores, defensores, & receptatores hæreticorum. Et etiam patet ex constitutione Alexandri I V. *Cupientes*, & Vrbani I V. *Licet in omnibus*, & Clementis V I I. *Cum sicut*, apud Pennam *in directorio Inquisit.* inter literas Apostolicas.

Et ratio est; quia cum ex dispositione iuris concedatur Episcopis, & Inquisitoribus recipere hæreticum pœnitentem, eumque Ecclesiæ reconciliare, consequens est, quod iisdem concedatur etiam, vt possint absoluere ab excommunicatione: Alioquin non possent eum reconciliare Ecclesiæ, sicuti colligitur, *ex cap finali de cleric. ex commus. minist. & ex l. oratio, ff. de sponsalib.*

Et docet Penna, *in director. comment.* 141. vbi subdit, hoc priuilegium fuisse concessum Inquisitoribus ex rescripto Clementis IV. Gregorij IX. & Innocentis IV. Suarez, *de fide disput.* 21. *sect.* 4 *num.* 16. (Vbi subdit, in hoc omnes conuenire, sicque esse vsu receptum, & esse valdè rationabile; quia cùm hæreticus occultus non teneatur se prodere, & non possit sæpè, nisi maxima cum difficultate accedere ad Sedem Apostolicam, poterit nunc adire Inquisitores, vt ab iis secreto absoluatur: Quinimmò Inquisitores, audita eius confessione, & recepta abiuratione, & eidem imposita salutari pœnitentia, poterunt etiam eumdem remittere ad proprium confessarium, vt ab eo sacramentaliter absoluatur, *iuxta Clement.* 1. *de haret.* In quo casu absolutio valebit non solùm in foro Pœnitentiæ & conscientiæ, sed etiam in foro externo, & iudiciali; cum oriatur à Iurisdictione in tali foro. Ricciullus, *lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 1. & 2. Vbi subdit, hanc facultatem non esse reuocatam per Bullam Cœnæ; cùm Bulla Cœnæ

loquatur

loquatur tantùm de facultatem absoluendi in foro interiori. Quapropter Pontifex facul·atem absoluendi in foro iudicali reliquit dispositioni iuris communis:) & alij passim.

Difficultas igitur est, an possiot pro foro conscientiæ. His suppositis.

Quidam affirmant, præsertim de Inquisitoribus Hispaniæ, & consequenter Siciliæ. Ita Nauarr *lib.5. consilior.tit. de priuileg. consil.*11. Bannez *in* 2. 2. *q.*11. *art.*4. *dub.*2. Campeg. *ad cap.*34. Graff. *in decis. part.*1. *lib.*2. *cap.*9. *n.*5. Tolet. *lib.*4. *cap.*4. *n.*2. Henriq. *lib.*6. *cap.*7. *num.*3. Philippus de la Cruz *in Thesauro Ecclesiastico, tract.* 1. §.16. *num.* 1. Bonacin. *in Bull. Cœn. tom.*3. *disput.*1. *quæst.*22. *punct.*2. *num.*5. Zanch. *de hereticis vers. Cùm itaque.* Gutier. *quæst. canon. lib.* 1. *cap.*13. *num.* 7. Vuald. *Candalabr.* 1. *part. tit.*11. *de absolut. num.*15. vbi testatur de praxi. Manuel. *in Bull. Cruciat.* §.9. *num.*70. Eymer. 3. *part. Director. num.*61. Rodoriq. Paramus (quos citat Ricciull. *tract. de iur. person. lib.*5. *cap.*15. *num.* 3. Homobon. *de exam. Eccles. part.*2. *tract.*12. *cap.*6. *quæst.*11. Putean. *in* 2. 2. *q.*11. *art.*4. *dub.*1. Locc. *in Thes. verb. hæreticus,* §.11. Villalob. *tom.* 2. *tract.*1. *difficult.* 12. *num.*6. Freitas, *in addit. ad tract. de Confessor. sollicit. quæst.*21. *num.*18. Garzias *de benefic. tom.*2. *part.*11. *cap.*10. *n.* 111. & alij, quos refert Sanch. *lib.*2. *moral. cap.* 12. *n.*1. Ipseque talem sententiam *num.* 3. probabilem putat. Videri etiam potest Farinac. *in addit. ad eius opera, post lib.*3. *consil. ad quæst.*4. *num.*5. *fol.*4. *col.*1.

2 Probatur ex Bulla Clementis VII. *Cùm sicut*, apud Pegnam in Directorio, vbi sic dicitur: *Vobis etiam, ac Vicariis præfatis extraiudicialiter Lutheranos occultos, & non inquisitos per Ordinarium, siue alios Iudices, aut alios quoscumque hæreticos, fautores, defensores, & receptatores, necnon à sancta Fide apostatas, eosque, qui contra inhibitionem Sedis Apostolicæ tenuerunt, vel legerunt libros Martini Lutheri, vel aliorum, aut eidem, siue eisdem quomodolibet adhæserunt (si ad cor reuersi pœnitentes id humiliter petierint) postquam hæresim, qua polluti, & infecti erant, abiurauerint, medio iuramento promiserint de cætero ab huiusmodi hæresi penitus abstinere, absoluendi, illisque pro præmissis pœnitentiam iniungendi facultatem, eosque ad gremium sanctæ Matris Ecclesiæ restituendi, & reducendi, authoritate Apostolica, tenore præsentium literarum licentiam, & facultatem concedimus.* Ex cuius Bullæ verbis sic formatur probatio.

3 In hac Bulla datur facultas Inquisitoribus, & eorum Commissariis absoluendi hæreticos occultos, neque ab vllo iudice priùs inquisitos, extraiudicialiter: Ergo datur facultas illos absoluendi in foro conscientiæ. Antecedens patet: Consequentia probatur, quia Inquisitores *ex supradicto cap. vt officium*, possunt absoluere iudicialiter, seu pro foro iudiciali, non solùm occultos hæreticos pœnitentes, & voluntariè misericordiam petentes, sed etiam publicos hæreticos, & ad iudicium venire compulsos: ergo aliquid speciale intendit hæc Bulla concedere Inquisitoribus: quod non videtur esse aliud, nisi absolutionem pro foro conscientiæ.

4 Neque obstat, si dicas, quod prædicta Bulla dirigitur specialiter ad Inquisitores Ordinis Prædicatorum existentes in Lombardia; quodque videtur esse specialis commissio facta personis, & non dignitati: Quia, licèt ex tenore Bullæ sic appareat; ex consuetudine tamen extenditur ad omnes Inquisitores, iuxta ea, quæ tradit Pegna 3. *part. Director. q.*109. *comment.* 158. vbi probat, quod priuilegia Inquisitoribus specialibus concessa, dirigantur ad omnes Inquisitores, *ex cap. vltimo, §.vlt. de hæretic. in 6. Clement.* 1. *§.vlt. de hæretic. & l. Ariani, §. cunctis, Cod. de legibus.*

5 Neque obstat secundò, si dicas, quod per Bullam Cœnæ Domini reuocatur omnis facultas absoluendi ab hæresi, & casibus ibi contentis in foro conscientiæ; Quia, vt dicit Banues *loco suprà cit.* Bulla solùm reuocat facultates absoluendi, quæ concessæ sunt pœnitentibus, vel saltem quæ concessæ sunt directè in illorum fauorem. At hæc facultas absoluendi ab hæresi in foro conscientiæ non est concessa pœnitentibus hæreticis, immò neque Inquisitoribus directè in ipsorum fauorem, sed est illis concessa in fauorem officij, quod exercent, defendendi fidem, & ad maiorem illorum authoritatem: Indirectè tamen in animarum fauorem: Ergo non est, cur censeatur hæc facultas reuocata per Bullam Cœnæ Domini.

Secundò probatur ratione: quia ad Ecclesiam pertinet, prouidere fidelibus delinquentibus remedium facile, & suaue, vt à peccatis liberentur: At si Inquisitores non haberent facultatem absoluendi ab hæresi occulta in foro conscientiæ, hæretici occulti non haberent remedium facile, & suaue, vt à peccatis liberentur, non enim est remedium facile, & suaue, sed nimis rigorosum, cogere hæreticum occultum, vt præsentibus testibus, vel coram Notario hæresim suam occultam Inquisitori manifestet: Quod remedium esset illi necessarium, si Inquisitor, & Episcopus non haberent in foro conscientiæ facultatem absoluendi ab hæresi occulta: Ergo dicendum est, quod saltem Inquisitores talem habeant facultatem, absoluendi scilicet ab hæresi occulta. 6

Hinc Authores huius sententiæ inferunt, quod Inquisitor, etiam non Sacerdos, etiam extra Sacramentum Confessionis, & etiam in absentia, possit hanc facultatem exercere, quia non coarctatur illa ad forum secretum: Neque conceditur illa Inquisitori, tanquam quid annexum Ordini, sed officio, vti suprà *sect.* 23. dicebam de Episcopo. Homobon. *cit. tract.*12. *cap.*2. *quæst.*4. & alij Doctores suprà. 7

Inferunt secundò, quod possit Inquisitor cuicumque alteri vices suas delegare; quia est potestas competens ex officio, ac proinde delegabilis, dum in contrarium non fuerit expressa prohibitio. Homobon. *ibidem*, Sanchez *vbi suprà, n.*4 *&* 5. & Freitas *n.* 16. 8

Inferunt tertiò, quod quando hæreticus occultus secretò vult Inquisitori suam hæresim confiteri, nec ad illum fuit iudicialiter delatus; Tunc quilibet Inquisitor possit, ab hæresi absoluere: Nec sit verum, quod talis facultas concessa sit soli Tribunali sanctæ Inquisitionis simul iuncto: quia ab aliis peccatis, vt quis absoluatur in foro conscientiæ, satis est, si Pœnitens secretò confiteatur suo Confessario, nec requiritur, quod toti Tribunali se præsentet: Ergo idem in peccato hæresis occulto, quando pœnitens secretò manifestat illud Inquisitori in confessione Sacramentali, dicendum erit. 9

Confirmatur, quia facultas absoluendi ab excommunicatione hæresis concessa est Inquisitoribus in fauorem animarum: Ergo cùm nullo iure habeatur, quod talis facultas sit solùm concessa Tribunali Inquisitionis & non personis Inquisitorum, non est restringenda: Vnde etiam nonnulli Doctores sententiæ contrariæ, vt Suarez *de fide disput.*21. *sect.*4. *n.*28. qui etiam tenent, quod prædicta facultas absoluendi sit per se primo, & directè concessa toti Tribunali, & Consistorio Inquisitionis; concedunt, quod quando secretò hæreticus adit Inquisitorem, vt ab eo absoluatur occultè extra Sacramentum pœnitentiæ, possit absolui ab vno Inquisitore: Volunt tamen, requiri consensum aliorum, & esse expediens, vt ita fiat, ad hoc, vt scilicet cum minori verecundia, & difficultate pœnitentes accedant. His tamen non obstantibus. 10

Respondetur, oppositum (nempè nullum Inquisitorem, neque Tribunal posse absoluere ab hæresi, & excommunicationibus reseruatis in foro conscientiæ, sed necessariò id debere facere in foro externo, & iudiciali) esse probabilius; Atque ita tenet Sanchez, *suprà n.*3. Suarez *de fide disput.*21. *sect.*4. *n.*15. *& tom.*5 *de censur. disput.*43. *sect.*1. *num.*5. Farinac. *de hæresi quæst.*192. 11

*num.*4. Barbosa *de potest. Episc.* 2.*part. alleg.* 40. *n.*18. Ferdinand. de Castr. *tom.*1. *tract.*4. *disput.*4. *punct.*3. §.3. *num.*3. Zecchius *part.*1. *tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.*11. *num.*18. Valer. *verb. hæresis, differ.* 3. *num.* 3. Ricciull. *de iur. person. lib.*5. *cap.*15. *n.* 3. & Alphonſ. de Leone *de offic. & potest. Confessar. tom.*2. *recollect.*6. *num.*127.

Probatur, quia Inquiſitores ſunt ſolùm conſtituti Iudices in cauſis hæreticorum in foro exteriori, & iudiciali (ſicuti docet Eymericus *in Director. part.* 3. *num.*59. & reſpondit Sacra Congregatio de hoc interrogata,) & nullibi habetur, quod illi habeant talem facultatem pro foro interiori: Ergo non videtur ea illis eſſe tribuenda.

12 Confirmatur, quia Inquiſitores neque ex vi muneris, neque ex aliquo priuilegio, neque ex conſuetudine habent facultatem pro ſolo conſcientiæ foro abſoluendi : Ergo.

13 Antecedens probatur, quia munus Inquiſitoris eſt, delicta inquirere, & iudicialiter punire delinquentes; cùm ſit Iudex pro foro externo conſtitutus. Ergo ex vi muneris hanc facultatem abſoluendi ab hæreſi pro

14 ſolo conſcientiæ foro non habet; Neque ex priuilegio; quia nullum aliud affertur, niſi contentum in ſupradicta Bulla Clementis VII. ſed illud (vt omittam ex nonnullis Doctoribus cum Ricciullo *lib.* 5. *cap.* 15. *n.*2. non eſſe perpetuum, ſed ſolùm perſonale, vtpotè indultum quoddam ſpeciale directum Paulo Butigellæ Vicario Generali Ordinis Prædicatorum, quod non tranſiit ad ſucceſſores, ſed ceſſauit per eius obitum, *l.*3. *ff. de legibus*, & §. *ſed quod Principi, Instit. de iur. natural.*) non loquitur de omnibus Inquiſitoribus, ſed ſolùm de Inquiſitoribus Ordinis Prædicatorum reſidentibus in Lombardia, & pro tunc temporis exiſtentibus. Et dato, quod per alias Bulla communicationis (vt colligitur ex Penna in fine Directorij,) extendatur ad omnes, non loquitur de abſolutione fori conſcientiæ, ſed externi coram Notario, & aliquo alio teſte; quia non committit facultatem abſoluendi, niſi præſtito iuramento, & abiurata hæreſi : Quæ conditiones non erant neceſſariæ pro foro conſcientiæ, ſed ſolùm pro foro externo, Couarruu. *in Regul. peccatum part.*2. *in princ. n.*7. Suarez *de fide disput.* 21. *sect.* 4. *num.* 18. Penna 3. *part. comment.*12. *in addit. num.*64. & Ricciull. *loco ſuprà cit.* cùm alioquin talis abſolutio non valeret in foro externo : Nam de illa non poſſet conſtare. Quapropter abſolutio fieri debet, ſicuti dicebam, coram Notario, & aliquo alio teſte. Cùm igitur in allegata Bulla Clementis habeatur, poſſe talem hæreticum occultum abſolui extraiudicialiter, ſenſus eſt, non eſſe ſeruandam integram, & perfectam formam iudicij externi. Non tamen ibi dicitur, non debere illud fieri modo aliquo iudiciali, ad hoc, vt de abſolutione in foro externo poſſit conſtare. Quod eſt etiam vtile ipſis hæreticis reuertentibus ad fidem; Quandoquidem, ſi contingat poſteà, eorum hæreſes manifeſtari, non poterunt ipſi ampliùs puniri, cùm ſint iam abſoluti ab Inquiſitoribus coram Notario, & aliquo alio teſte (ſicuti rectè præter alios adnotauit Campeggius *loco ſuprà citato* :) & ex alio capite cùm abſolutio detur

15 illis ſecretò, ſatis etiam illorum famæ conſulitur : Neque verbum extraiudicialiter vrget, quia teſte Barboſa *loco ſuprà cit. num.* 27. ſæpè in ſupremo Inquiſitionis Romanæ Tribunali declaratum eſt, ly *extraiudicialiter*, non tollere formam iudicij, nempè depoſitionem coram Notario, & teſtibus, vel ſaltem coram Notario

16 tantùm, ſed tollere ſolemnitatem iudicij, quæ conſiſtit in eo, quod plures adſint iudicio. Facultas igitur Inquiſitoribus data, vt extraiudicialiter pœnitentes hæreticos, & à nullo iudice inquiſitos abſoluere poſſint, conſiſtit in eo, quod poſſint ad ſecretam abiurationem, & ſecretam pœnitentiam illos admittere : non tamen quod poſſint abſoluere pro ſolo conſcientiæ foro. Neque ex conſuetudine, quia ex conſuetudine conſtat potiùs oppoſitum : Nunquàm enim Inquiſitores, niſi coram Secretario, pœnitentem hæreticum audire volunt, vt ipſemet Bannes fatetur, & conſulit Eymer. *in Director.* 3. *part. num.*39.

Confirmatur ſecundò, quia ſi ſupradictum priuilegium de abſolutione pro ſolo conſcientiæ foro loqueretur, non eſſet, vti rectè dixit Nauarrus *conſ.* 11. *de priuileg.* & Ricciull. *lib.*3. *cap.*15. *num.* 4. ratio, cur per Bullam Cœnæ Domini facultas abſoluendi ab hæreſi, & caſibus in ipſa Bulla contentis, reuocata ſit Epiſcopis, & non Inquiſitoribus (ſi habeant tale, priuilegium per aliquam aliam antiquam Bullam :) cùm in Bulla Cœnæ reuocentur omnes facultates conceſſæ omnibus perſonis cuiuſcumque Ordinis, & dignitatis. Præſertim cùm Inquiſitores non ſint Epiſcopis maiores, *Clem.*1. §. *propter*, & §. *verum, de hæretic.* Et cum etiam Epiſcopis in ſui fauorem, & ob ipſorum dignitatem ſit tale priuilegium conceſſum, & per Bullam, ſicuti dicebam, omnia priuilegia, quorum poteſtate quilibet abſolutionem obtinere poſſet, reuocentur, ſiquidem abſoluentes huiuſmodi Reos excommunicatione innodantur : Ergo, &c. 17

Confirmatur tertiò, quia Cardinalium Congregatio apud Barboſ. *ſeſſ.* 24. *cap.*6. *Concilij Tridentini*, *n.*7. ſic declarauit his verbis : Epiſcopus, aut Inquiſitor abſoluere iam non poſſunt omnem hæreticum in foro conſcientiæ, licèt hæc facultas à Concilio ſit ipſis tradita : Quapropter mihi non probatur opinio Graff. *in deciſion. part.*1. *lib.*2. *cap.*9. Iacobi Bledæ *in defenſion. fidei cauſ. Moriſch. part.*1. *cap.* 13. Victorelli *in addit. ad Vinaldum*, & aliorum aſſerentium, quod per Bullam Cœnæ non ſit Inquiſitoribus ablata facultas abſoluendi ab hæreſi, niſi fortè iſti loquantur de abſolutione in foro exteriori coram Notario, & Teſtibus, non autem de foro interiori, & ſacramentali, de quo tamen reuera loqui videntur. 18

Hinc patet ad primum fundamentum ſententiæ prioris oppoſitæ.

Ad ſecundum reſpondetur, non eſſe nimium rigorem in delicto tam graui obligare delinquentem, vt Inquiſitori coram Notario ſe manifeſtet; præſertim cùm talis rigor ſatis temperetur ex eo, quod ſic abſolutus ſecretò, licèt poſtea delictum publicetur, non poſſe de illo iterum iudicari, vel puniri, vt rectè dixit Campegius, quem ſequitur Suarez *cit. ſect.*4. *num.*18. Accedit, quod dictus rigor conuenientiſſimus ſit, vt arceantur homines à ſimili delicto committendo, videntes difficultatem in illius abſolutione, quæ eſt ratio, cur Eccleſia aliquorum caſuum abſolutionem reſeruare conſueuerit. 19

Cæterùm hæc facultas ſic ſecretò abſoluendi ab hæreſi licèt præcipuè in toto Tribunali reſideat (etſi contrarium dixerint alij, quos ſequitur Freitas *vbi ſuprà num.* 15. in quolibet etiam Inquiſitore reſidet, modis omnibus, quos ſuprà dicebant etiam Authores primæ ſententiæ in ſuis Corollariis : Vel quia ſibi inuicem vices committunt Inquiſitores, vt vult Suarez *num.*18. vel quia Bulla Clementis VII. non cum Tribunali, ſed cum Inquiſitoribus ſingulis, & ſeorſim loquitur (cùm eamdem facultatem tradat eorum Vicariis, & Commiſſariis, qui tamen non conſtituunt Tribunal) vt vult Sanchez *cit. cap.*12. *num.*4. 20

Petes, an abſolutio ab Inquiſitore data tibi hæretico fictè conuerſo, vt ab eo abſoluaris pro foro externo, & ſi libereris pro illo foro à pœnis latis contra hæreticos (cum tamen reuera non habeas animum deſerendi tuos errores) cuius fictionem ignorat abſoluens, valida ſit, ita vt ſi poſteà verè conuertaris, nulla ampliùs indigeas abſolutione? 21

Reſpondetur non eſſe validam, ex defectu intentionis in abſoluente; quia non intendit abſoluere, niſi fideles, & verè pœnitentem, ſicque cum conditione, ſi verè, & ex animo pœnitens conuertatur, & deponat ſuos errores; Ergo ſi hæreticus pœnitens talem 22

animum

animum non habet, cùm coodirio deficiat, absolutio non valebit, nec à peccato hæresis reseruatio tolletur; quia, cùm non sit sublata censura, neque sublata erit reseruatio; Suar. *de censur. disput.7. num.12.& de fide disput.21. sect.4.n.19.* Henriquez *lib.13. de excommunicat. cap.30. num.3.* & alij: Quia tamen hæc absolutio quoad forum externum reputatur valida, non indigebis amplius verè conuersus absolutione aliqua iudiciali; sed ipsemet Inquisitor solus sine Notario, & Testibus te absoluere poterit; Ad eum modum, quo matrimonium contractum in facie Ecclesiæ inualidè ob
23 aliquod occultum impedimentum, secundùm complurium Doctorum sententiam, reualidatur sine vlla exteriori solennitate, per solum iteratum coosensum contrahentium. Suarez *cit. sect.4. num.19.*

24 Petes secundò: Quid si falsus es hæresim, non tamen manifestasti, quoties illam commiseris exteriùs, an maneas absolutus?

Respondetur: Si fecisti ex ignorantia, manes absolutus; At si fecisti ex malitia, distinguendum est: si actus, quos omisisti manifestare, variant grauiter iudicium (ita vt obligent iudicem ad imponendum tibi pœnam grauiorem) oon manes absolutus: secùs, si grauiter iodicium noo variant.

25 Petes tertiò, quandonam præsumitur, ex manifestatione rei tacitæ, variandum fore grauiter iudicium?

Respondetur: si plures diuersas speciæ hæreses haberes, & aliquam omitteres manifestare. Secundò, si eiusdem speciæ hæresis actus tres, vel quatuor manifestares, cùm tamen essent decem, vel quindecim. Tertiò, si aliquam personam, quam teneris denunciare, non denuncias, seu manifestas; quia, licèt illa manifestatio non variet iudicium respectu tui quoad pœnitentiam tibi imponendam, variat tamen respectu personæ denunciandæ, cuius variatioois tu debebas esse causa. Sic intelligas illa verba, quæ communiter in absolutiooe hæretici coosuetuot apponi: *Si ita est, vt ex corde conuertitur, non tacens de se, nec de aliquo alio rem aliquam contra nostram sanctam Fidem Catholicam, tum absoluimus, & non aliter.*

26 Petes quartò (cùm Confessarius non possit cogere quod hæreticus occultus se prodat Inquisitoribus, vt infrà loco suo probabitur, si Ioquisitores, sequendo probabiliorem nostram opinionem, facultatem, vt ab ipso Confessario absoluatur, oolint coocedere, neque etiam Episcopos, putans similiter, se non habere talem facultatem ob eamdem, vel aliam quamcumque rationem) quid agere debeat hæreticus occultus?

Respondetur: De hac re dicam infrà *dubit. 69. & seq.*



DVBITATIO LVIII.

An nunc post Bullam Cœnæ possint suos subditos absoluere ab hæresi occulta Prælati Regulares?

SVMMARIVM.

1 *Prælati Regulares possunt secundùm aliquos post Bullam Cœnæ absoluere suos subditos ab hæresi occulta.*

2 *Episcopi secundùm opinionem probabilem quorumdam Doctorum possunt suos subditos eodem modo post Bullam Cœnæ absoluere ab hæresi occulta.*

3 *Episcoporum auctoritas si reuocata non est per Bullam Cœnæ, absque dubio possunt etiam suos subditos post Bullam Cœnæ ab hæresi occulta absoluere Prælati Regulares, ex priuilegio Pij V.*

4 *Opinio Megalij non probatur, & eur. Asserentis posse Prælatos Regulares vti priuilegio Pij V. non obstante, quod facultas concessa Episcopis reuocata fuerit per Bullam Cœnæ.*

5 *Bulla Cœnæ non reuocauit omnia priuilegia concessa Regularibus; quia frustrà à Summis Pontificibus innouarentur, vt fieri consueuit; si in die Cœnæ ab ipsissimis Summis Pontificibus forent reuocanda.*

6 *Gregorius XIII. anno 1564. indulsit Patribus Societatis IESV, vt concessiones illis factæ, non censeantur reuocatæ per Bullam Cœnæ.*

7 *Theatinorum Religio, & forsitan omnis alia per communicationem priuilegiorum, gaudet dicto priuilegio.*

8 *Priuilegium prædictum comprehendit hæresim occultam: quia quando Pontifices volunt à generali aliqua concessione excipere hæresim, illam nominatim excipiunt.*

9 *Patres Societatis IESV, secluso priuilegio Pij V. asserunt ipsorum Generales, & Prouinciales ex priuilegio Gregorij XIII. posse absoluere suos subditos ab hæresi occulta.*

10 *Prouinciales dictæ Societatis possunt subdelegare hanc facultatem in casibus particularibus, non tamen concedere alicui generaliter, nisi habuerit à Generali ampliorem facultatem, quam ipse poterit concedere extra Hispaniam, si sic iudicauerit expedire.*

11 *Theatinorum Religionis Generalis habet eamdem facultatem.*

12 *Fratres Minores etiam habent eamdem facultatem.*

13 *Prælati Regulares quod non possint absoluere suos subditos ab hæresi occulta post Bullam Cœnæ Domini, est probabilius, præsertim cum nouissimè ita declaratum sit per Sacram Congregationem Cardinalium.*

14 *Vsus facultatis non datur in Hispania ob particularia Inquisitionis indulta.*



VIDAM (vt dicebam *dub.53.*) affirmant. 1
Ita Henriq. *lib.6. cap.16. §.8. lib.7. cap.25. §.2. & lib.14. cap. vltimo, §.5. circa finem.* Rodoriq. *tom.1. quæst. Regular.* [illegible] *art.9.* Sanch. *lib.2. moral. cap.11. num.7. & lib.* [illegible] *de matrim. disp.1. n.14.* Barbosa *de potest. Episc. 2. part.* [illegible] *n.18.* & alij, moti ex rationibus, quas ibi adducebam; & præcipuè ex priuilegio Pij V. apud Rodoriq. *loco suprà cit.* Sanch. *cit. disput.2. num.3.* Portell. *in dub. Regul. verb. Abbas, num.6.* & Suarez *in 3. part. tom.4. disp.30. sect.2. num.7.* vbi cooceditur Prioribus Dominicanis, ac proinde aliis Prælatis Regularibus commuoicaotibus, erga suos subditos in foro conscientiæ tantùm, & per seipsos, omnis facultas absoluendi, & dispensandi, quam in suos subditos habent Episcopi rigore Concilij Trid. vtini *sess.23. cap.6.* Ergo, si Episcopi secun- 2
dum opinionem probabilem quorumdam Doctorum (quam dicebam *dubit.55.*) possunt suos subditos eodem modo post Bullam Cœnæ absoluere ab hæresi occulta, poterunt etiam similiter & Prælati Regulares.

Quapropter Suarez *de Relig. tom.4. tract.9. lib.2.* 3
cap.20. num.11. & Coriolan. *de casib. reseru. part.1. sect.1. art.23. n.6.* expressè aiunt, quod si authoritas Episcoporum reuocata non est per Bullam Cœnæ, absque dubio possint etiam similiter suos subditos post Bullam Cœnæ ab hæresi occulta absoluere Prælati Regulares, ex dictò priuilegio Pij V. quia concessio Pij V. generalis est quoad omnes facultates.

Non tamen mihi probatur opinio Megalij, quatenùs *in 1. part. lib.1. cap.13. num.10.* ait, posse Prælatos Regulares vti dicto priuilegio Pij V. non obstante, quod facultas concessa Episcopis reuocata fuerit per Bullam Cœnæ: Non, inquam, mihi probatur; quia Pius V. in illo priuilegio non vult, quod Prælati

Regu

Regulares in bac parte habeant maiorem iurisdictionem, quàm Episcopi, sed tantùm, quod oon sint peioris conditionis: Ergo si authoritas per Bullam Cœnæ reuocata est Episcopis, reuocata etiam erit & Prælatis Regularibus. Suarez *vbi suprà de Relig. tom.1. lib.2. cap.21. num.10.*

5 Dices, dato, quod Episcopi nunc possint absoluere ab hæresi occulta, non sequitur, posse & Prælatos Regulares, ex dicto motu Pij V. quia per Bullam Cœnæ reuocantur omnia priuilegia. Ita Portell *in dub. Regul. verb. Abbas, num.11.*

Respondetur: Nego antecedens, & probationem (nempè per Bullam Cœnæ reuocata esse omnia priuilegia:) quia frustra à Summis Pontificibus innouarentur, vt fieri consueuit, si in die Cœnæ ab ipsismet Summis Pontificibus forent reuocanda. Tum quia in clausula Bullæ Cœnæ non prohibetur absoluere absolutè ratione priuilegiorum, sed eorum prætextu; prætextus autem non excludit illud, quod fit legitima facultate interueniente, sed illud, quod sub aliquo velamine exercetur; Et secundum hanc expositionem intelligi debent illa verba eiusdem Bullæ Pij V. *concedendorum, & innouandorum*; Et ita docet in terminis Sousa *in Bulla Cœna, cap.23. disput.100. concl.7. n.3.* Peyren. *de priuileg. Minimorum tom.1. constitut.4. Sixti IV. §.5. n.6.* & Villalob. *part.1. tract.9. disp.41. n.5.* quamuis alij contrarium ex probabiliori sententia Doctorum doceant, vt suprà *dubit.55.* dicebam.

6 Adde, quod Gregorius XIII. anno 1564. indulsit Patribus Societatis IESV, vt concessiones illis factæ non censeantur reuocatæ per Bullam Cœnæ, vt habetur in compendio eiusdem Societatis *verb. Bulla Cœna, §.2.* & notauit Suarez *de Relig. tom.4. tract.10. lib.9. cap.20. n.18.* & Portell. *in dub. Regul. verb. Bulla Cœna, n.2.* Ergo, cùm nostra Religio, & ferè omnis alia per com-
7 municationem gaudeat supradicto priuilegio, sequitur, quod, non obstante derogatione Bullæ Cœnæ, possit vti eorum priuilegiis, quasi semper à Summis Pontificibus innouatis, & denuò concessis. Cùm ex Priuilegio Gregorij XIII. per Bullam Cœnæ concessiones Patribus Societatis factæ, sicuti dicebam, reuocatæ non censeantur.

8 Dices secondò, non posse Prælatos Regulares per dictum priuilegium Pij V. absoluere ab hæresi occulta; quia in dicta concessione non fit specialis mentio de hæresi, & in nulla generali concessione censetur hæresis absolutio comprehēdi, nisi specialiter exprimatur. Vnde nec virtute Iubilæi hæresis absoluitur, nisi in illo explicetur. Ita Sanchez *lib.2. moral. cap.11. n.7.* Sanctarell. *de hæresi cap.5 dub.2. n.9.* & alij multi, qui propterea aiunt, quod in dicto priuilegio Pij V. non comprehendatur hæresis, & quod virtute talis priuilegij non possint hæreticos occultos absoluere Prælati Regulares.

9 Respondetur cum Suarez *cit. cap.20. n.10.* Portell. *verb. Abbas, n.6.* & aliis negando, in tali priuilegio non comprehendi hæresim. Tum ob rationes, quas adducebam *sect.53.* Tum quia, quando Pontifices volunt à generali aliqua concessione excipere hæresim, illam nominatim excipiunt, vt patet in concessione facta à Gregorio XIII. Fratribus Sancti Bernardi in Hispania, apud Portell. *loco suprà cit.* & in aliis Bullis; Ergo, dum non excipiunt, videntur illam concedere; Quapropter multi probabiliter docent, quod licèt in Iubilæo non exprimatur hæresis, tamen ex vi illius facultatem absoluendi à casibus Bullæ Cœnæ generalem continentis, possit confessarius approbatus hæreticos occultos absoluere.

10 Adde, quod etiam secluso priuilegio Pij V. Patres Societatis IESV asserunt, ipsorum Generales & Prouinciales, ex priuilegio Gregorij XIII. posse absoluere suos subditos ab hæresi occulta, vt habetur in compendio eiusdem Societatis §.7. & 8. & docet Ortiz *in summa cap.5. n.19.* Peyrinus *de priuileg. Minimor. tom.1. constit.4. Sixti IV. §.5. n.20.* & Suarez *de Relig. tom.4. tract.10. lib.9. cap.2. n.17.* qui subdit, posse Prouinciales subdelegare hanc facultatem in casibus particularibus, non tamen, concedere alicui generaliter, nisi habuerint à Generali ampliorem facultatem, quam ipse 11 poterit concedere extra Hispaniam, si sic iudicauerit expedire. Quam eamdem potestatem habere Generalem nostræ Religionis, notauit Peregrio. *in compendio priuilegiorum part.2. tit. absolutio, §.2.* 12

Adde etiam, quod in compendio Minorum *verb. absolutio Ordinis quoad fratres, §.18.* & in compendio Societatis IESV *verb. Bulla Cœna, §.8.* & apud Portellium *in dub. Regul. verbo hæresis, num.1.* & Villalob. *in summa tom.1. tract.9. dub.6.* Alexander VI. concessit Minoribus facultatem absoluendi suos subditos ab hæresi occulta: Quibus omnibus priuilegiis nostra Religio, & ferè omnes aliæ per communicationem gaudebunt. His tamen non obstantibus.

Respondetur, oppositum (nempè Prælatos Regulares non posse absoluere suos subditos ab hæresi occulta 13 post Bullam Cœnæ Domini,) esse multò probabilius, iuxta ea, quæ dicebam suprà de Episcopis, & Inquisitoribus; Præsertim cum nouissimè ita declaratum sit per sacram Cardinalium Congregationem, sub die 17. Nouemb. 1618. Videri poterunt Megala *consil.21. n.6.* & Nouar. *in singular. conclus.3. n.10.* & quæ dicebam suprà *dubit.53.*

At quidquid sit de hoc, illud certum est, quòd in 14 Hispania ob particularia Inquisitionis Indulta, non detur vsus huius facultatis, vti *citata dub.53. dicebam.*

Petes: Quid agendum, si quis Regularis aliquando in hæresim labatur?

Respondetur: de hac re dixi *eadem dubit.53.*



DVBITATIO LIX.

An virtute Iubilæi possit absoluere ab hæresi occulta Confessarius ab Ordinario loci approbatus?

SVMMARIVM.

1 *Pontifex aliquando concedit Iubilaeum cum facultate absoluendi ab omnibus sibi reseruatis, neque exprimit reseruata in Bulla Cœna, aliquando ea exprimit, hæresi tamen non expressa, aliquando verò & hæresim exprimit.*

2 *In Bulla Cœna reseruata comprehenduntur sub facultate illa generali, secundum plures Doctores, absoluendi ab omnibus reseruatis.*

3 *Beneficium Principis, præsertim cùm eius lata interpretatio non excedit proprietatem verborum, latè interpretandum est.*

4 *Facultate absoluendi ab hæresi occulta expressa quandoque in aliquo Iubilæo, facit idem censeri in generali concessione, etiamsi hæresis non exprimatur.*

5 *In casus Pontificij reseruatione non datur magis, vel minus; cùm indiuisibiliter consistat in eo, quod nullus alius præter Pontificem, habeat facultatem ab illo absoluendi.*

6 *Motus proprius Gregorij XIII. qui incipit,* Officium partis, *non probatur authenticè.*

7 *Hæresis expressè excipitur in Bulla Cruciatæ.*

8 *In Bulla Cœnæ reseruata non comprehenduntur sub facultate generali absoluendi à reseruatis; neque sub facultate absoluendi à reseruatis in Bulla Cœnæ comprehenditur hæresis, secundū probabilius.*

9 *Hæresis cum sit peccatum valde graue propter suam specialem grauitatem, non videtur facultas ab ea absoluendi sub generali concessione comprehendi, maximè quia in dicto Decreto Concilij fiat specialis mentio de ea.*

10 *Stylus*

10 *Stylus, & vsus Curiæ Romanæ, qui in hac parte vim legis habet, idem demonstrat.*

11 *In Iubilæis post absolutam concessionem absoluendi à reseruatis in Bulla, exprimi solet*, & à crimine hæresis, *cuius expressio superflueret, si sub priori clausula sufficienter contineretur.*

12 *Pontifices Romani concedentes hanc facultatem, de facto declararunt, non comprehendi sub generali concessione.*

13 *Facultas quamuis fauorabilis extendi debet iuxta responsiones summorum Pontificum, stylum, & vsum Curiæ Romanæ.*

14 *Facultas absoluendi ab omnibus casibus reseruatis etiam in Bulla Cœnæ, interdum datur in priuilegiis, & Iubilæis, excepto casu hæresis, quæ clausula etiamsi non sit apposita, talis facultas non extenditur ad peccatum hæresis.*

15 *Examinatur quænam sententia sit probabilior, &c.*

16 *Hæreticus absolutus in foro conscientiæ vel ab Episcopo, vel ab Inquisitore, secundum probabilem opinionem, vel ab alio Confessario, cui speciale priuilegium concessum esset, non sit excusatus subire iudicium, & sententiam fori iudicialis.*

17 *Quia diuersi fines in vtroque iudicio seu foro spectantur, & qualis vterque sit.*

1 SVPPONO, quod aliquando Pontifex concedit Iubilæum cum facultate absoluendi ab omnibus sibi reseruatis, neque exprimit reseruata in Bulla Cœnæ, aliquando ea exprimit, hæresi tamen non expressa: Aliquando verò & hæresim exprimit. Difficultas igitur est, an sub facultate illa generali absoluendi ab omnibus reseruatis comprehendantur reseruata in Bulla Cœnæ, licet non exprimantur, & an sub facultate generali absoluendi ab omnibus reseruatis in Bulla Cœnæ comprehendatur hæresis, licet non explicetur. Hoc supposito.

2 Quidam affirmant. Ita Sotus *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. concl. 7.* Corduba *in summa quæst. 8.* Lorca *2. 2. disp. 45. num. 13.* Pegna *3. part. direct. comment. 25. vers. Quod si quis dicat.* Reginald. *in prax. lib. 8. n. 53.* Fillinccius *tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 265.* vbi ait, ita fuisse declaratum Romæ anno 1607. in Sacra Pœnitentiaria, atque ita seruari in praxi. Antonucius *in Cathechis. Neapolit. lib. 4. cap. 19.* vbi testatur, ita fuisse decisum Placentiæ ab Episcopo, & Inquisitore illius ciuitatis. Zerula *tract. de Iubilæo, lib. 2. cap. 18. quæst. 3.* vbi asserit, ita practicari à Patribus Societatis IESV. Fagundez *de præcept. Eccles. præcept. 2. lib. 8. cap. 8. n. 38.* Molfes. *in summa tom. 1. tract. 7. cap. 31. num. 62.* Reginaldus *in praxi lib. 8. num. 53.* Trechill. *de excommunic. art. 1. part. 4. num. 7. dubit. 1.* Alphonsus de Leone *de Iubilæo part. 1. quæst. 11. num. 45.* Peyrin. *de Priuileg. Minimorum tom. 1. constitut. 4. Sixti IV. §. 5. n. 20.* Belocchius *de Iubilæo sect. 42. n. 65.* & alij, quos refert Garzias *part. 11. de benefic. cap. 10. num. 110.* & probabilem reputat Suarez *de censur. disput. 7. sect. 5. n. 11.*

3 Probatur; quia beneplacitum Principis, præsertim cùm eius lata interpretatio non excedit proprietatem verborum, latè interpretandum est; at sub reseruatis à Pontifice comprehendere contenta in Bulla Cœnæ, & sub contentis in Bulla Cœnæ comprehendere hæresim, non est excedere proprietatem verborum, sed potiùs est proprietatem verborum sequi: Ergo.

4 Confirmatur; quia ex quo summi Pontifices nouerunt, controuersiam hanc esse inter Doctores, & vt illam sedarent, expressè aliquando exceperunt hæresim, si postea generaliter in aliquo Iubilæo dant potestatem absoluendi, nulla exceptione facta, videntur ex industria illam abstulisse, & voluisse indiscriminatim omnia concedere.

Confirmatur secundò; quia sic videtur expedire ad finem recipiendi thesaurum Indulgentiarum: Nam aliàs complures illas consequi non possent.

5 Confirmatur tertiò; quia in reseruatione alicuius casus Pontificij non datur magis, vel minus, cùm indiuisibiliter consistat in eo, quod nullus alius præter Pontificem habeat facultatem ab illo absoluendi. Ergo si datur facultas absoluendi ab omnibus reseruatis Pontifici, non est, cur aliqui casus reseruati ab illa concessione generali excipiantur.

6 Dices, id verum esse, si Gregorius XIII. in quodam Motu proprio apud Rodoriq. *in Addit. ad Bull. §. 9. n. 66.* qui incipit: *Officium nostræ partis*: non declarasset, hæresim non comprehendi sub facultate generali absoluendi à contentis in Bulla Cœnæ.

Sed contra; quia de hac declaratione non constat authenticè.

7 Contra secundò; quia ibi solum Pontifex declarauit, hæresim non comprehendi sub facultate absoluendi concessa per Bullam Cruciatæ; quod quidem verum est; quia expressè in tali Bulla Cruciatæ hæresis excipitur: Ergo dum non est talis declaratio, vel exceptio, generalis doctrina admittenda est, nempè sub reseruatis in Bulla Cœnæ hæresim comprehendi. His tamen non obstantibus.

8 Respondetur oppositum (nempè sub facultate generali absoluendi à reseruatis non comprehendi reseruata in Bulla Cœnæ, nec sub facultate absoluendi à reseruatis in Bulla Cœnæ, comprehendi hæresim) esse probabilius. Atque ita tenent Couarruu. *cap. Alma Mater, 1. part. §. 11. n. 15.* Suarez *de fide disput. 21. sect. 4. n. 21.* Garzias *cit. cap. 10. num. 109.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 19. q. 2. cap. 10. q. 12.* vbi inquit, talem esse stylum, & consuetudinem Curiæ Romanæ, & ita etiam respondisse Gregorium XIII. anno 1576. & Pium V. anno 1571. Sanchez *lib. 2. moral. cap. 12. n. 10.* vbi dicit, id esse certum ex Motu proprio Gregorij XIII. quem refert Rodoriq. *in addit. ad Bullam Cruciatæ §. 9. num. 66.* Barbosa *de potest. Episc. part. 2. alleg. 40. n. 31.* Royas *de hæret. 2. par. asser. 39. n. 321. & de priuileg. Inquis. n. 416.* vbi ait, Pium V. sic declarasse. Vgolinus *de censur. tab. 1. c. 10. §. 4. n. 8.* Rodor. *in addit. ad Bull. §. 9. n. 66.* Arag. *2. 2. q. 11. art. 3. §. sed dubium est*, vbi subdit, ita fuisse declaratum à Gregorio XIII. ad petitionem Inquisitorum Hispaniæ. Floronus *de casib. reseruat. part. 1. cap. 4. §. 22. n. 4.* Ragucius *in Lucerna Parochor. q. 125. num. 5.* Auila *de censur. part. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 7. concl. 1.* Farinacius *de hæresi q. 192. §. 4. num. 63.* Nauarrus *cap. 27. n. 275. vers. 14.* Vega *in summa part. 1. cap. 115. cas. 12.* Ludouic. Lopez *in Instruct. conscient. tom. 1. part. 2. c. 8. & cap. 19.* Vasquez *de excommun. lib. 19. n. 5.* Miranda *in director. tom. 2. q. 7. art. 4.* Ledesma *part. 2. tract. 1. cap. 6. conclus. 19. & 10. diffic. vltima*, Ceuallas *in opinion. commun. tom. 3. q. 802.* Gutteriez *lib. 1. quæst. canon. cap. 13. n. 26.* Simanch. *de Cathol. Institut. tit. 3. n. 1. & 2. & in Enchirid. cap. 15. n. 4.* Henriquez *lib. 7. cap. 13. §. 1. & lib. 8. cap. 16. n. 2. & lib 11. cap. 27. n. 5.* Acosta *in Bull. Cruciat. q. 59.* Angles *in floribus quæst. de confession. de casib. reseru. difficult. 6.* Beuzonus *lib. 1. de fuga disp. 1. q. 6.* Plutarch. *de officio sacerdotis part. 1. lib. 3. cap. 27. & part. 2. lib. 2. c. 25. & in addition* quas affert *in fine tom. 2.* Candelabr. *tit. de absolut. n. 16. & in explicatione Bullæ Cœnæ n. 134.* Sorbus *in compend. Mendicant. verb. absolutio ordinaria quoad Fratres*, Graff *lib. 2. cap. 13. n. 33. & lib. 4. c. 15. n. 25.* Mandos. *in Pract. Signaturæ Gratiæ, verb. absolutio ab hæresi*, Sylu. *in 2. 2. q. 11. art. 3.* Nouar. *in singul. concl. 3. n. 8.* Portell. *in addit. ad dub. Regul. verb. hæresis, num. 26.* Torrebl. *de magia lib. 4. cap. 6. num. 3.* Victorell. *in notis ad man. Nauarr. cap. 27. num. 74.* & Riccinll. *de iur. person. lib. 5. cap. 14. n. 7.*

9 Probatur, quia sicuti dicebam, cùm hæresis sit peccatũ valdè graue, ea propter suam peculiarem grauitatem non videtur sub generali concessione comprehẽdi; cum sicuti dicitur *in cap. in generali, de Regul. Iur. in 6.* in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter non esset in specie concessurus. Qua de re videri poterit præter alios S. Antoninus *part. 3. tit. 24. cap. 7. §. 1.*

Confirmatur, quia in Tridentino Concilio *sess.* 24. *cap.6. de reformat.* (postquam conceditur Episcopis facultas absoluendi ab omnibus casibus occultis reseruatis) vt talis facultas extenderetur etiam ad casum hæresis, fit specialis mentio de illa. Quod est signum, sub generali facultate absoluendi ab omnibus casibus non contineri facultatem absoluendi ab hæresi, si de illa non fiat expressa mentio.

10 Confirmatur secundò; quia sic habet stylus, & vsus Curiæ Romanæ, qui in hac parte vim legis habet: Ergo non est licitum ad ea concessionem extendere. Antecedens probatur, quia ita testantur Azor. Suar. & Bar- 11 bosa *in locis suprà citatis.* Tum quia sæpè in Iubilæis post absolutam concessionem absoluendi à reseruatis in Bulla, exprimi solet, *& à crimine hæresis*, cuius expressio superflueret, si sub priori clausula sufficienter contineretur. Consequentia probatur, quia concessio extendi non potest vltrà voluntatem, & intentionem concedentis.

Hinc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ prioris.

12 Instabis: In Bullis, & in priuilegiis datur facultas absoluendi ab omnibus casibus occultis reseruatis Sedi Apostolicæ, nec Pontifex concedens talem facultatem, distinguit: Ergo nec etiam nos distinguere debemus, iuxta Textum *in l. Præses, ff. de offic. Præsid. & in l. de pretio, ff. de public. in rem actione.*

13 Respondetur: Nego secundam partem antecedentis, quia de facto Pontifices Romani concedentes hanc facultatem distinxerunt; cùm interrogati responderint, talem facultatem non comprehendi sub illa generali concessione. Et cum prætereà sic habeat stylus, & vsus Curiæ Romanæ.

Reinstabis: Hæc facultas est fauorabilis: Ergo extendi debet ad peccatum hæresis.

Respondetur: Nego consequentiam; quia facultas, quamuis fauorabilis, extendi debet iuxta responsiones Summorum Pontificũ, stylum, & vsum Curiæ Romanæ.

14 Vrgebis: Interdum in priuilegiis, & Iubilæis datur facultas absoluendi ab omnibus casibus reseruatis etiã in Bulla Cœnæ, excepto casu hæresis: Ergo, quando non apponitur ista limitatio, censetur Pontifex, concedendo facultatem absoluendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, concedere facultatẽ absoluendi etiam ab excommunicatione propter hæresim incursa.

Respondetur: Nego consequentiam, quia sicuti dicitur in antecedenti, fit expressa mentio de hæresi per ly, *excepto casu hæresis*, ad maiorem declarationẽ; vtque sic tollatur omnis difficultas, & dubitatio, tametsi satis interim declaratum, & vsu receptum sit, talem facultatem non extendi ad peccatũ hæresis, vti suprà dicebã.

15 Dixi, *oppositum esse probabilius*; quia sententia prior non caret sua probabilitate; siquidem fundamentum nostræ sententiæ posterioris non omninò conuincit: Nam ad id, quod dicitur de stylo, & vsu Curiæ Romanæ, respondent aduersarij, inter quos Fagund. *loc. supr. cit.* quod stylus, & vsus Curiæ Romanæ fundetur in probabilitate illius opinionis, non tamen tollat probabilitatem alterius: Ad id autem, quod subditur, sæpè in Iubilæis post absolutam concessionem absoluendi à reseruatis in Bulla, exprimi solere, *& à crimine hæresis*, cuius expressio superflueret, si sub priori clausula sufficienter contineretur; respondere quis posset, id fieri similiter ad maiorem cautelam, & maiorem explicationẽ.

16 At quidquid sit, quænam ex his duabus opinionibus probabilior sit, illud certum est, quod hæreticus absolutus in foro conscientiæ, vel ab Episcopo, vel ab Inquisitore secundùm probabilem opinionem, vel ab alio Confessario, cui speciale priuilegium concessum esset, non sit excusatus subire iudicium, & sententiam 17 fori iudicialis; quia diuersi fines in vtroque iudicio, seu foro spectantur: Nam in foro conscientiæ spectatur satisfactio Deo exhibenda, & medicina propriæ salutis. At in foro iudiciali spectatur satisfactio Reipublicæ, & reparatio offensionis ex malo exemplo susceptæ. Gloss. *in cap. gaudemus, de diuortiis.* Gomez *tom.* 3. *var. cap.*1. *n.*40. Pegna 3. *part. Director. comment.* 25. *vers. Rursus altera quæstio.* Suarez *de fide disput.* 21. *sect.*4. *num.* 6. Zanchin. *de hæretic. cap.* 34. Sanchez *lib.*2. *moral. cap.*12. *num.*7. & Barbos. *de potest. Episc.* 2. *part. allegat.* 40. *num.*59. Quod verum est, etiamsi pœnitentia in foro conscientiæ imposita fuerit publica, Gomez, Pegna, Suarez, Zanchin. & Sanchez *in locis suprà citatis.*



DVBITATIO LX.

An possit absoluere ab hæresi, aliisque reseruatis quilibet Sacerdos pro articulo mortis?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos quilibet in articulo mortis potest absoluere hæreticum pœnitentem, & quemlibet alium peccatorem à censuris, & peccatis reseruatis, quibus adstrictus est.*

2 *Mortis articulus non eo rigore intelligitur, vt solus verus articulus mortis veniat, sed benignius explicatur, vt comprehendat quidlibet morale periculum moriendi sine sacramento.*

3 *Mortis igitur per articulum in tali casu, non intelligitur tantùm quasi vltimus vitæ spiritus; sed quodlibet probabile mortis periculum, siue ex infirmitate, à primo scilicet die morbi periculosi, vt doloris lateris, &c. Vide ibi cæteros casus.*

4 *Mortis periculum ad dictum effectum debet esse morale; quia si pro certo constet, quod antequam quis illud periculum patiatur, adfuturus sit Superior casus reseruans, vel alius vices illius tenens, qui absolutionem præstet, cessat ibi priuilegium; cùm cesset tunc necessitas illa vtendi, & cur.*

5 *Mortis periculum in casu, de quo agitur, debet esse moraliter ineuitabile; quia si sine graui iactura vitæ, honoris, vel fortunæ, vitare periculum quis possit, non dicitur constitutus in mortis periculo; sed sese ipsum in periculum constituere, & assumere.*

6 *Ratio in oppositum Auctori magis probatur.*

7 *Ecclesia in periculo mortis ideò omnibus Sacerdotibus absoluendi potestatem concedit; quia peccator in tali casu, tam iure diuino positiuo, quàm iure diuino naturali, charitate erga se ipsum ad confitendum obligatur.*



ESPONDETVR affirmatiuè: adeo vt cer- 1 tum sit, quemlibet sacerdotem in articulo mortis absoluere posse hæreticum pœnitentem, & quemlibet alium peccatorem à censuris, & peccatis reseruatis, quibus adstrictus est. Probat Text. *in cap. de his, & seqq.* 26. *quæst.* 6. & Tridentin. Concilium *sess.* 14. *cap.*7. *de sacram. pœnit.* affirmans, sic semper in Ecclesia esse obseruatum.

Et ratio est, quia cùm ille sit in articulo mortis, est in extrema, vel saltem in valde graui necessitate: Ergo.

Et tenent Gloss. *in cap. à nobis, in §. inde quantumcumque, verb. non potuerit, de sent. excommun.* Abbas *ibidem n.*10. Innocentius *in cap. nuper, eodem tit. n.*6. Syluester *verb. excommunicatio* 8. *num.*8. Ripa *in tract. de actis in articulo mortis, cap.*37. *n.*7. Royas *tract. de hæretic. part.*2. *num.* 320. *assert.* 38. Penna *in Director.*

part. 3.

part. 3. *comment.* 25. Paramus *de origin. S. Inquisit. lib.* 3. *q.* 8. *n.* 109. Gutier. *lib.* 1. *canonic. quæst. cap.* 1. *n.* 59. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 19. *q.* 5. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 3. *n.* 3. *& in Encherid. tit.* 51. *num.* 6. Henriquez *in summa lib* 6. *cap.* 9. *n.* 2. *& cap.* 14. *n.* 3. Suarez *tom.* 4. *de pœnis. disp.* 30. *sect.* 3. *n.* 1. *& tract. de fide disp.* 21. *sect.* 4. *n* 22. & alij communiter.

Cæterum articulus mortis, quidquid in contrarium dixerit Sotus *in* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 8. *vers. quæris autem*, & Valentia *tom.* 4. *disp.* 7. *q.* 10 *punct.* 2. non eo rigore intelligitur, vt verus articulus mortis (quando scilicet mors est certò moraliter secutura) solummodò veniat: sed benignius explicatur, vt comprehendat
2 quodlibet morale periculum moriendi sine sacramento. Vasquez *de pœnit. q.* 93. *art.* 1. *dub.* 5. *n.* 2. Gambarupta *de casib. reseruat. cap.* 2. *n.* 56. Viuald. *in Candelabro tit. de absolutione num.* 60. Bonacina *de sacram. disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 1. *n.* 10. & *de censur. disp.* 1. *q.* 3. *punct.* 4. *n.* 4. Reginald. *in prax. for. lib.* 1. *num.* 59. Graff. *in decis. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *n.* 82. Nuñus *in addit. ad* 3. *part. q.* 8. *art.* 6. *dub.* 6. Paul. Sanctor. *de casib. Papalib. & Episcop. n.* 138. *& seqq.* Paludan. *in* 4. *dist.* 20. *quæst.* 1. *art.* 2. Syluest. *verb. Confessor.* 1. *q.* 6. *dict.* 2. Couarr. *cap. alma, part.* 1. §. 11. *n.* 8. Nauarr. *cap.* 26. *n.* 31. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 9. *&* 11. Sayr. *lib.* 2. *Thes. cap.* 20. *num.* 28. Finell. *cap.* 8. *n* 8. Auila *de censur. part.* 5. *disp.* 4. *sect.* 5. *dub.* 5. Rodor. *tom.* 1. *Regul. qq. q.* 62. *art.* 7. Sanchez. *lib.* 2. *moral. cap.* 13. *n.* 7. *argum. cap. si quis suadente* 17. *q.* 4. *& cap. eos qui, de sent. excommun. in* 6. Sancius *in select. disp.* 22. *n.* 5. Zabran, *de casib. art. mort. prælud.* 1. *n.* 7. Suarez *de pœnit. disp.* 26. *sect.* 4. *& de fide disput.* 21. *sect.* 4. *n.* 23. Molina *de iust. tom.* 4. *disp.* 63. *n.* 6. & Farinac. *de hæresi q.* 102. *n.* 62.

Ratio, quia hoc priuilegium concessum est fidelibus, ne sine absolutione moriantur: Ergo concessum est illis, cum habent periculum morale moriendi; aliàs si spectandum foret verum periculum, sæpè sine absolutione morerentur; cùm non possit illud satis cognosci, & præueniri; sicut igitur in articulo mortis vero quilibet Sacerdos potest absoluere ab omnibus censuris, ita etiam poterit in periculo mortis probabili; quia tunc periculum æternæ salutis iam incipit, & moraliter imminet, vt propterea debeat ei prouideri.

3 Per mortis igitur articulum (in quo omnes Sacerdotes ex Ecclesiæ concessione absoluere possunt) non intelligitur tantùm qui sit vltimus vitæ spiritus, sed quodlibet probabile mortis, siue ea infirmitate, à primo scilicet die morbi periculosi, vt doloris lateris; siue ea perpetua, vel diuturna amentia superuentura; siue ex iudicis decreto; siue ea aliis causis, vt ea imminenti belli conflictu, partu periculoso; puta, si primus est, vel si mulier priùs difficiles partus experta fuit, vel si ob complexionem delicatam, aut aliundè timet sibi periculum, vt ferè semper hoc periculum contingit. Abb. *in cap. quod in te, de pœnit. & remiss. col.* 2. vel ex nauigatione periculosa, aut valdè longa, in qua probabiliter non erit copia Confessoris. Vel si denique aggressurus es actum quemcumque alium, qui secum hoc periculum habeat, qualis, vt dicebam, reputatur longa nauigatio, pugna cum inimicis, aggressio itineris periculosi, ne v.g. à latronibus occidatur, &c.

4 Aduerte tamen, debere esse morale periculum: quia, si pro certo tibi constat, quod antequam illud periculum patiaris, adfuturus sit Superior casus reseruans, vel alius vices illius tenens, qui absolutionem præstet, cessat tibi priuilegium: Cessat enim tunc necessitas illa vtendi: cùm non sis tunc in mortis articulo, neque in periculo moriendi sine absolutione legitima. Couarr. Suar. Sanch. & Zabran. *in locis supra cit.* & ideò nonnulli subdunt, quod opus sit, in casibus positis periculum mortis, non futura occasione confitendi sacerdoti legitimo, esse probabile, & propinquum, puta, quia frequenter hominibus tunc mors accidere consueuerit: cuiusmodi periculum est in omnibus peste infectis, vti notat Chapeauille *cap.* 1. *q.* 1. §. 8. nam subito, & præter opinionem ex tali morbo mori consueuerunt.

Aduerte secundò, periculum debere tibi esse mora- 5
liter ineuitabile: quia si sine graui iactura vitæ, honoris, vel fortunæ vitare periculũ potes, non diceris constitutus in mortis periculo, sed teipsum in periculum cõstituere, & assumere: Ita vt debeas igitur non sponte, 6
sed ex causa vrgenti, seu morali necessitudine coactus tale periculum subire. Sanch. ex Corduba *n* 3. & quidã
aliis: Quamuis mihi magis probetur oppositum: quia, 7
ratio, cur Ecclesia in periculo mortis omnibus sacerdotibus absoluendi potestatem concedat, est, quia peccator in tali casu, tam iure diuino positiuo, quàm iure diuino naturali, charitate erga seipsum ad confitendum obligatur: Quæ ratio obligationis æquè locum habet, ac si sine necessitate, sed sponte mortis periculum subeas, vt v.g. in bello iusto, maris nauigatione, &c.

DVBITATIO LXI.

An sub articulo, vel periculo mortis comprehendi debeat quodlibet aliud impedimentum perpetuum ægritudinis, paupertatis, seruitutis, &c. adeundi Pontificem, vel alium, qui nomine ipsius absolutionem impendat?

SVMMARIVM.

1 *Impedimentum perpetuum reputari debet verus articulus seu periculum mortis, in ordine ad obtinendã ab alio quàm à superiore legitimo absolutionem.*

2 *Impeditus sic moraliter certus est non posse ante mortem à legitimo superiore absolutionem obtinere.*

3 *Non obstat, vt illa necessitas non sit ita vrgens, vt statim obliget, vel latitudinem habeat; quia non propterea tollis quominùs vera necessitas sit.*

4 *Impedito huic si moraliter constet, nunquam habiturum esse occasionem obtinendi à Superiore ligitimo absolutionem, ab illo tempore, quo hoc illi constat, poterit hoc priuilegio vti, ne sine absolutione moriatur.*

5 *Mortis ob periculum absolutis, vel ob aliud impedimentum à censura Pontifici reseruata, iniungitur onus comparendi coram legitimo Superiore.*

6 *Impediti absolui possunt, ac si essent in articulo mortis constituti.*

7 *Disposita pro percussione clerici locum habent in omnibus excommunicationibus reseruatis, licèt nonnulli hanc extensionem non admittant in crimine hæresis ob eius singularem grauitatem, & rigorosam reseruationem.*

8 *Confessarius quilibet non improbabiliter secundùm Auctorem potest absoluere æquè de hæresi, ac de aliis criminibus impeditum: quia potestas vtendi hoc priuilegio fundatur in necessitate pœnitentis.*

9 *Nemo tenetur in periculo mortis constitutus per Procuratorem, vel per literas missas absolutionem petere, cùm nemo teneatur assumere medium, quo delictum ipsius manifestari possit.*

10 *Quilibet secundùm pluros Doctores propter infirmitatem, senectutem, vel inimicitias, &c. impeditus, quominus possit adire Summum Pontificem, potest absolui ab Episcopo de quacumque excommunicatione Pontifici reseruata contra Suarez negantem, hanc doctrinam posse extendi ad casum hæresis.*

11 *Opinio asserentium, non posse pœnitentem, cui non est facilis aditus ad Summum Pontificem,*

 seu

seu ad Sedem Apostolicam absolui ab Episcopo, quando vniuersaliter in iuribus, & in Bullis Pontificiis dicitur, quod Reus absolui non possit ab excommunicatione lata, nisi in articulo mortis, ita vt propter alia impedimenta absolui non possit, Auctori non probatur.

12 *Mortis in articulo dubio adhuc potest quis constitutus, absolutionem ab alio obtinere; quia non censetur superior velle, te periculo damnationis exponere, reseruando casus.*

13 *Mortis pro articulo priuilegiũ absoluendi à reseruatis, cùm sit iure insertum, & in fauorem animarum concessum, latè interpretandum est; atque adeò extendendum ad articulum mortis dubium.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè, ita vt tale impedimentum perpetuum reputari debeat verus articulus, seu periculum mortis in ordine ad obtinendam ab alio, quàm à Superiore legitimo absolutionem. Ita Nouar. *cap.27.n.89.* Henriq. *lib.1.de excomm.cap.27. n.3.* Couarr. *cap.alma, 1.part. §.11.n.15.* Vgol. *de censur. tab.1. cap.4. §.5. n.13.* Suar. *de fide disput. 21. sect. 4. num.26.* & Sanchez *lib. 2. moral.cap.13. n.39.*

2 Probatur; quia sic impeditus moraliter certus est, non posse ante mortem à legitimo Superiore absolutionem obtinere: Ergo est iam constitutus in necessitate illam obtinendi ab alio, ne sine ipsa moriatur.

3 Non obstat, quod illa necessitas non sit ita vrgens, vt statim obliget, sed latitudinem habeat; quia non propterea tollit, quominus vera necessitas sit, verumque putetur, sic impeditum necessitatem habere obtinendi ab alio, quàm à legitimo Superiore, absolutionem.

4 Confirmatur; quia si moraliter constat huic impedito, se nunquam habiturum esse occasionem obtinendi à Superiore legitimo absolutionem, ab illo tempore, quo hoc illi constat, poterit hoc priuilegio vti, ne sine absolutione moriatur. Nam ab illo tempore necessitatem habet de tali priuilegio, & inutiliter expectabit verum articulum mortis, cùm necessitas sit eadem.

5 Secundò probatur *ex cap. eos qui, de sent. excommun. in sexto*, vbi absolutis ob periculum mortis, vel ob aliud impedimentum à censura Pontifici reseruata, iniungitur onus comparendi coram legitimo Superiore; Ergo non solùm periculum mortis, sed etiam impedimentum adeundi Superiorem absolutionis beneficium concedit.

6 Tertiò probatur, *ex cap. ea noscitur, & ex cap. quod de his, de sent. excommun.* vbi dicitur, sic impeditos absolui posse, ac si essent in periculo mortis constituti.

7 Neque obstat, quod hi Textus specialiter loquantur percussione Clerici; quia est eadem ratio in omnibus excommunicationibus reseruatis, & tradunt communiter Doctores, Abb. *in cap. de cætero, num. 1. de sent. excommun.* Felin. *in cap. quamuis, eodem tit.* & alij multi.

Et licèt nonnulli Doctores (vt Sotus *in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 3. in fine*, Candelabr. *part. 1. tit. 11. de absolut. num. 14.* quos sequitur Suarez *de fide dub. 21. sect. 4. in fine*, & Riccidll. *lib. 5. cap. 14. n. 15.* qui idem asserit de omnibus casibus Bullæ Cœnæ, præsertim in Italia, propter Decretum sacræ Congregationis die 9. Ianuarij 1601. promulgatum) non audeant hanc extensionem concedere in crimine hæresis, ob eius singularem grauitatem, & rigorosam reseruationem, addantque, sic impedito nullam suppetere viam, se ab excommunicatione hæresis liberandi, nisi accessum ad Inquisitores, vel Pontificem per literas, vel Procuratorem, tacito nomine; cùm secundùm probabiliorem opinionem Doctorum Episcopo per Bullam Cœnæ reuocata sit absoluendi facultas in Tridentino concessa;

Adhuc mihi nihilominus non omninò improbabile videtur in puncto iuris æquè de hæresi, ac de aliis criminibus posse sic impeditum absolui à quolibet Confessario; quia potestas vtendi hoc priuilegio fundatur in necessitate pœnitentis: Ergo non debet ob grauitatem hæresis limitari. 8 Tum quia, sicuti sectione sequenti dicemus, nemo tenetur in periculo mortis constitutus per Procuratorem, vel per literas missas absolutionem petere, cùm nemo teneatur assumere medium, quo delictum ipsius manifestari possit: Ergo neque tenetur adstrictus illo perpetuo impedimento, quod æquiualet mortis periculo. 9 Aliàs, si propter grauitatem hæresis, & illius specialem reseruationem deberet pœnitens impeditus recurrere ad Inquisitores, vel ad Pontificem per Procuratorem, vel per literas missas, etiam in articulo mortis constitutus, deberet eam diligentiam adhibere; cùm non videatur esse specialior ratio in vno casu, quàm in alio.

10 Confirmatur, quia plures Doctores, vt Anchiaranus *in cap. eos qui, de sent. excommun. n. 1.* Felinus *in cap. quamuis, de sent. excommun. in fine.* Syluester *verb. absolutio 3. circa finem, & verb. absolutio 3. n.17.* Tabiena *verb. excommunicatio 5. cap.1. n.56.* Nauarr. *cap. 27. n.84.* Couarruu. *in cap. alma, part. 1. §.1. n.15.* Henriq. *lib.6. de pœnit. cap.9. num.7. & cap.10. n.5. & seqq. & cap.16. n.1.* & Sayrus *in Thesauro lib.3. cap.28. n.30.* tenent, quod propter infirmitatem, senectutem, vel inimicitias, &c. impeditus, quominùs possit adire Summum Pontificem, possit absolui ab Episcopo da quacumque excommunicatione Pontifici reseruata. Et probant, *ex cap. ea noscitur, & ex cap. de his, de sent. excomm.* vbi dicitur, quod habens impedimentum infirmitatis, vel senectutis, &c. possit absolui, sicuti & is, qui est in articulo mortis: & *ex cap. eos qui, de sent. excommun. in 6.* vbi habetur, quod ei, qui aliquod ex prædictis impedimentis habet, sit in absolutione iniungendum, vt cessante legitimo impedimento, se præsentet Superiori, cui excommunicatio erat reseruata: Ergo, &c.

Quamuis nonnulli, vt Suarez *loco suprà cit.* velint, hanc istorum Doctorum doctrinam non esse extendendam ad casum hæresis, cùm propter suam enormitatem rigorosissimè, & strictissimè reseruetur: Et quidem satis probabiliter, præsertim in Italia, propter Decretum Sacræ Congregationis suprà relatum, vt dicebamus.

11 Et quamuis alij, vt Innocentius *in cap. quamuis, de sent. excommun. circa finem*, Antonius *ibidem in fine*, Abbas *n.3.* Ancharan. *n.5.* & Henricus *in fine*, velint, citatos Textus solùm loqui de absolutione ab excommunicatione propter Clericorum percussionem incursam. Sicque, quod in his Textibus conceditur, ad alias excommunicationes non esse extendendum. Quod idem volunt Syluest. *verb. absolutio 4. q.4. n.7.* & Corduba *in summa q.18. punct. 1. dicto 2.* quatenus aiunt, non posse pœnitentem, cui non est facilis aditus ad Sedem Apostolicam absolui ab Episcopo, quando vniuersaliter in iuribus, & in Bullis Pontificiis dicitur, quod Reus absolui non possit ab excommunicatione lata, nisi in articulo mortis. Ita vt propter alia impedimenta absolui non possit, sicuti potest in articulo mortis. Quorum Doctorum opinio mihi non probatur ob rationes dictas. 12

Et quod dixi, adeò cum Molina *de iust. tom.4. tr.3. disp.63.* Reginald. *lib.9. num.10.* & Sanch. *lib.2. mor. cap.14. n.8.* non omninò improbabile arbitror, & etiam si dubites, an possis viuere, quousque Superiori te præsentare queas, adhuc possis in hoc articulo mortis dubio absolutionem ab alio obtinere; quia non censetur 13 Superior velle, te periculo damnationis exponere, reseruando casus: Tum quia Priuilegium absoluendi à reseruatis pro articulo mortis, cum sit iure insertum, & in fauorem animarum concessum, latè interpretandum est, atque adeò extendendum ad articulum mortis dubium.

DVBI

DVBITATIO LXII.

An, si constitutus in mortis articulo, possis medio Procuratore, vel confessario, vel literis missis obtinere à Superiore absolutionem excommunicationis, vel facultatem absoluendi, vel eum vocare, vt absoluat, tenearis id facere?

SVMMARIVM.

1 *Constitutus in mortis articulo potest secundùm aliquos Doctores adire Superiorem per literas, & per Procuratorem; quia in tali casu non videtur necessitas; cùm necessitas non sit, quæ facilè vitari potest, &c.*

2 *Articulus necessitatis est quotiescumque aliquis non potest superiorem adire, etiamsi illum vocare possit, secundum probabiliorem opinionem.*

3 *Ad obtinendam absolutionem solùm requiritur, vt quolibet impedimento canonico quis retrahatur, quominùs Romanum Pontificem possit adire.*

4 *Absolutio Superioris reputatur pœnitenti impossibilis, si ipsum adire non possit pro absolutione obtinenda.*

5 *Iura nunquam obligarunt delinquentem, se Superiori præsentare per Procuratorem, sed per seipsum.*

6 *Constitutus in mortis articulo neque tenetur ad medium scripturæ; quia & hoc medium est de se manifestatiuum delicti aliis.*

7 *In mortis articulo constitutus ob eamdem rationem excusatur peccata scribere, licet alia viâ in dicto articulo non possit confiteri.*

8 *In mortis articulo constitutus neque tenetur ad medium confessarij, qui nomine suo obtineat à Superiore facultatem absoluendi; quia & hoc medium alienum est à reseruatione.*

9 *Neque tenetur ad quærendum priuilegium proprium: Quapropter nemo tenetur in articulo mortis accipere Bullam; sed potest vti ordinario iuris beneficio.*

10 *Neque tenetur ad medium, quo vocet Superiorem, cui venienti, & præsenti possit delictum manifestare, & absolutionem ab illo obtinere; quia alias ei impositum fuisset onus grauandi Superiorem: Tum quia tale medium exequi rarò posset sine nota famæ, casu quo Superior non annuat petitioni suæ.*

11 *Nullo iure habetur, quod qui non potest se præsentare Superiori per semetipsum, teneatur illum adire per tertiam personam.*

12 *Qui non potest adire Superiorem personaliter, censetur, quamuis ad eum possit Procuratorem mittere, legitimè impeditus.*

13 *Confessarius in casibus reseruatis non tenetur adire Superiorem, vt ab eo obtineat facultatem absoluendi pœnitentem, cùm hoc sit onus, & grauamen ipsius Pœnitentis.*

14 *Pœnitens non tenetur monere Superiorem per literas, cum sic exponeret se periculo, si literæ vel aperirentur, vel deperderentur, manifestandi sua peccata.*

1 QVIDAM, vt Zambran. *de casib. art. mort. cap.4. dub.4. n.15.* & Bonacin. *de censur. disp.1. q.3. part.3. n.5.* affirmant; quia in tali casu non est necessitas, cùm necessitas non sit, quæ facilè vitari potest, vt est in casu nostro. Tum quia non potes dici carere copia confessarij, cum in posse tuo sit absque multo grauamine illum habere. His tamen non obstantibus.

Respondetur, oppositum (scilicet articulum neces- 2
sitatis esse, quotiescumque non potes Superiorem
adire, etiamsi illum vocare possis) esse probabilius,
quod docet Suarez *tract. de fide disput.21. sect.4. n.25.*
quatenùs ait: Si per se non potest, non cogitur per
alium adire Superiorem. Corduba *in summa quæst.18.*
Valentia *tom.4. disput.8. quæst.10. punct.2.* Henriq.
lib.6. de pœnit. cap.9. n. vlt. & cap.11. num.4. Azor.
tom.1. lib.6. cap.19. quæst.5. & Sanchez *lib.2. moralium*
cap.13. n.14.

Probatur ex textu, *in cap. Quamuis, de sent. excom-* 3
munic. vbi ad obtinendam absolutionem solùm requi-
ritur, vt quolibet impedimento canonico retraharis,
quominùs Romanum Pontificem possis adire.

Secundò probatur ratione, quia si Superiorem adire 4
non potes pro absolutione obtinenda, reputatur tibi
absolutio illius impossibilis, cùm omnia media, quibus
illam obtinere potes, reputentur, ac si essent impossi-
bilia: Ergo adest tunc articulus necessitatis. Conse-
quentia patet. Antecedens probatur; quia non teneris
ad medium Procuratoris: Siquidem hoc medium in-
cludit manifestare alteri à confessario tuam conscien-
tiam: Qua de causa nunquam iura delinquentem obli- 5
garunt, se Superiori præsentare per Procuratorem, sed
per seipsum: Ergo tale medium reputatur, ac si non
esset possibile; cum ad illud non obligeris. Nauarr.
cap.17. num.90. Suarez *de fid. disput.21. sect.4. n.25.*
& alij, quos citat, & sequitur Sanch. *loc. suprà cit. n.14.*
Neque teneris ad medium scripturæ, media qua te 6
præsentes Superiori; quia & hoc medium est de se ma-
nifestatiuum delicti aliis: Qua de causa excusaris pec-
cata scribere, tametsi alia via in articulo mortis non 7
possis confiteri. Sanch. *vbi suprà n.14.* & alij commu-
niter. Neque teneris ad medium confessarij, qui no- 8
mine suo obtineat à Superiore facultatem absoluendi;
quia est hoc medium alienum à reseruatione, & ipsam
reseruationem tollens: Ergo ex vi reseruationis non
teneris tale medium adhibere: Tum quia non teneris 9
ad quærendum priuilegium proprium. Quapropter
rectè dixit Sanchez *cit. num.14.* te non teneri in illo
articulo accipere Bullam, sed posse ordinario iuris
beneficio vti: Ergo à fortiori non teneberis ad quæ-
rendum priuilegium alteri, vt te possit absoluere. Ne- 10
que teneris ad medium, quo voces Superiorem, cui
venienti, & præsenti possis delictum manifestare, &
absolutionem ab illo obtinere; quia aliàs esset tibi
impositum præceptum de grauando Superiore. Tum
quia rarò tale medium exequi poteris sine nota famæ,
casu quo Superior annuat petitioni tuæ: nam sæpè
non annuet: ergo non teneris ad id, quod regulariter
est impossibile; Sanch. *loco suprà cit.* Henriq. *lib.6. de*
pœnit. cap.9. n. vltimo, & alij.

Confirmatur; quia nullo iure habetur, quod qui 11
non potest se præsentare Superiori per semetipsum,
teneatur illum adire per tertiam personam: Ergo cùm
Pœnitens in casu nostro non possit se præsentare Su-
periori personaliter, non tenetur id facere per tertiam
personam.

Confirmatur secundò; quia qui non potest adire 12
Superiorem personaliter, censetur quamuis ad eum
possit procuratorem mittere, legitimè impeditus.
Doctores communiter, quos sequitur Nauarr. *in*
summ. cap.27. num.90. & Sayrus *in Thesaur. lib.2.*
cap.16. num.3. Sed qui est legitimè impeditus, potest
in articulo mortis absolui ab inferiori Sacerdote: Ergo
non tenetur recurrere ad Superiorem per tertiam per-
sonam.

Confirmatur tertiò, quia in casibus reseruatis non 13
tenetur confessarius adire Superiorem, vt ab eo obti-
neat facultatem absoluendi pœnitentem, cùm hoc sit

onus, & grauamen ipsius pœnitentis in pœnam, & vindictam suorum peccatorum reseruatorum: Ergo si pœnitens non potest Superiorem adire, nec commodè illum vocare, censetur esse impeditus, quominùs illum habere possit, sicque deerit copia Superioris, atque adeò consequenter absolui poterit ab inferiori sacerdote.

14 Obiicies: Hæreticus, vel alius quicumque casus reseruatos habens potest scribere ad Superiorem, & ab eo petere facultatem, vt absoluatur ab hæresi, vel ab aliis casibus reseruatis: Potest etiam accipere Bullam Cruciatæ, in qua Bulla ipsam habentibus datur facultas, vt in articulo mortis possint ab omnibus peccatis reseruatis absolui à sacerdote inferiori: Ergo falsum est, quod dicebatur.

Respondetur: Nego consequentiam, quia ex dictis Pœnitens non tenetur monere superiorem per literas, cum sic exponeret se periculo, si literæ vel aperirentur, vel deperderentur, manifestari sua peccata. Quapropter Doctores communiter asserunt, non teneri pœnitentem scribere sua peccata, quando ea non potest voce confiteri, tametsi memoria exciderent, si non scriberentur: Nec ex dictis etiam tenetur Pœnitens accipere Bullam Cruciatæ; cum possit vti priuilegio, quod ipsi ius commune concedit; vt scilicet in absentia superioris possit ab omnibus casibus in articulo mortis absolui ad inferiori sacerdote.



DVBITATIO LXIII.

An in articulo, & periculo mortis possit absoluere sacerdos simplex, præsente proprio sacerdote, scilicet Parocho, vel approbato, vel superiore, cui casus sunt reseruati?

SVMMARIVM.

1 *Simplex sacerdos secundum aliquos Doctores potest absoluere in articulo mortis, præsente proprio sacerdote, vel superiore, cui casus sunt reseruati.*

2 *Amplia secundum prædictos, licet sit excommunicatus non toleratus, suspensus, interdictus, irregularis, immò hæreticus, vel degradatus; quia verè sunt sacerdotes, & necessitas pœnitentis excusat eos à peccato administrationis.*

3 *Simplex sacerdos secundùm auctorem non potest absoluere etiam in articulo mortis, præsente scilicet superiore, cui casus sunt reseruati, & volente absoluere pœnitentem, secundùm probabilius.*

4 *Vide declarationem Gregorij XIII. apud Molinam, in qua idem asseritur.*

5 *Idem habetur ex Congregatione Tridentini Concilij apud Barbosam.*

6 *Presbyter, inconsulto Episcopo, non reconciliat pœnitentem, nisi absente Episcopo, vltima necessitas cogat.*

7 *Sacerdoti simplici potestas absoluendi à quibuscumque peccatis in mortis articulo conceditur iure extraordinario ob rationem necessitatis, ne hac occasione si absolutio denegetur aliquis pereat.*

8 *Cùm aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenùs vrget necessitas.*

9 *Concilium Tridentinum* sess. 14. cap. 1. *eodem modo loquitur de absolutione à peccatis, ac de absolutione à censuris.*

10 *In articulo mortis à censura reseruata nullus potest absoluere, si facilè sit recursus ad superiorem, ad quem de iure spectat absolutio.*

11 *In reseruatis Pontifici nullus absolui potest, nisi sub onere se præsentandi Pontifici, cum primum poterit.*

12 *In concessione absoluendi à reseruatis apponitur clausula, si ad superiorem recursus non fit.*

13 *Quilibet sacerdos antè Concilium Tridentinum poterat in articulo mortis absoluere, quando non aderat proprius sacerdos: Igitur etiam id potest post Concilium, cum nihil de nouo constituat, sed solùm approbet consuetudinem antiquam.*

14 *In articulo mortis non est iure diuino omnibus sacerdotibus commissa facultas absoluendi: Est enim concessa iure Ecclesiastico, licet illius initium nobis notum non sit.*

15 *Mortis articulus dupliciter distinguitur: Alius enim dicitur quicumque: Alius necessarius. In quo mortis articulo necessario reseruatio omninò cessat in fauorem, & leuamen morituri.*

16 *Priuilegium Concilij Tridentini, in quo asseritur, omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere posse: licet non limitet facultatem explicitè, limitat tamen implicitè.*

17 *Lex vbi non distinguit, neque nos distinguere debemus.*

18 *Sacerdos proprius præferendus est semper omnibus aliis, deindè approbatus, etiam in aliena Diœcesi, simplici, & simplex excommunicato, suspenso, vel interdicto, & hæretico, vel degradato.*

19 *Dicta de simplici sacerdote (huic scilicet præferendum esse sacerdotem approbatū) multò magis dici debent de excommunicato, suspenso, & interdicto non tolerato, & de hæretico publico, vel denunciato; quia isti omnes omninò Iurisdictione, etiam in foro pœnitentiæ, priuati sunt, excepto casu necessitatis.*

20 *Doctrina Sanchez asserentis, excommunicatum non toleratum inualidè absoluere, si adsit sacerdos toleratus etiam simplex, & non approbatus, reiicitur; quia Tridentinum apertè dicit, in mortis articulo nullam esse reseruationem.*

21 *In mortis articulo constitutus non peccat, si hæretico sacerdoti, quamuis ab illo periculum peruersionis non timeat, ob hæresis detestationem Sacramentaliter confiteri recuset; modò speret de peccatis suis esse contritus.*

22 *Sacerdoti simplici non solùm præferendus est sacerdos approbatus, & sacerdoti approbato Parochus; sed Parocho etiam, quatenùs spectat ad peccata reseruata, præferendus est etiam in mortis articulo superior reseruans: Ita vt, illo præsente, inferior absoluere non possit.*

23 *Concilium Tridentinum licet dixerit, in articulo mortis nullam esse reseruationem: Id tamen intelligendum est in absentia reseruantis; quia aliàs nulla est vera necessitas, ad quam alij sacerdotes censeantur iurisdictionem habere, quæ ipsis per se loquendo fuerit sublata.*

24 *Recursus si ad Pontificem non fit, recurrendum esse ad Episcopum, non est verum in omni casu, quia non omnes casus Episcopo conceduntur, sed casus occulti, hæresi excepta.*

25 *Absolutio Sacramentalis sicut suscipi potest in casu necessitatis ab excommunicato non tolerato, etiam hæretico, ita etiam Baptismi Sacramentum, sed de aliis Sacramentis est alia ratio, quia non sunt tantæ necessitatis.*

26 *Sacrum Viaticum cum sit de præcepto, casu quo alius, præter hæreticum, vel excommunicatum non toleratum, non adsit, qui illud administret, suscipere non est illicitum ab illis in casu necessitatis.*

27 *Sacerdos quilibet etiam excommunicatus non toleratus, quod possit absoluere ab omnibus censuris etiam hæresis: Id verum est, etiamsi pœnitentem in articulo mortis constitutum, à peccatis sacramentaliter non absoluat.*

Absolutio

18 *Absolutio ab excommunicatione, aliisque censuris, & multò magis dispensatio ab Irregularitate, aliisque pœnis ex delicto contractis, non pendet ab absolutione à peccatis.*

29 *Parochi etiam, & alij possunt ab excommunicationibus non reseruatis absoluere extra Sacramentum Pœnitentiæ.*

30 *Quilibet habens peccata reseruata summo Pontifici, si sit constitutus in articulo, vel periculo mortis, nec facilis sit recursus ad Pontificem, potest tunc absolui à quolibet sacerdote approbato, vel simplici, neque est necessarium, vt ad Episcopum loci recurratur; quia eo casu reseruatio omnis cessat.*

31 *Nullo iure habetur, quod quando Pontifex sibi reseruat aliquod peccatum, recurrendum sit ad Episcopum loci in articulo mortis.*

32 *Recursus ad summum Pontificem est specialis in percussione Clerici.*

1 QVIDAM affirmant, tam de absolutione peccatorum, quàm de absolutione censurarum. Ita Glossa *in cap. non est, de sponsal.* Paludan. *in 4. dist. 17 q. 3. art. 3. concl. 7.* Maior *ibidem dist. 19. q. 1.* S. Antonin. *part. 3. tit. 14. cap. 19. condit. 14.* Syluest. *ver. confessor. 1. q. 20.* Tabiena *verb. solutio. 1. num. 32.* Armill. *eodem verb. n. 12.* Angles *in 4. tom. 2. q. de confession. art. de ministr. diffic. in art. mort.* Zerula *in praxi de pœnit. cap. 15. n. 4.* Petrus de Ledesma *tom. 1. tract. de Sacram. pœnit. cap. 14. diff. 2.* Comitolus *lib. 1. q. 22. n. 2.* Finellus *de casib. reseruat. cap. 7. in fine.* Valer. *ver. excommunicatio, diff. 23. n. 1.* Villalob. *tom. 1. tract. 27. claus. 1. §. 2. n 7.* Conradus *part. 1. q. 12.* Ludouic. de sancto Ioanne *part. 1. tract. de pœnit. q. 6. art. 6. dub. 4.* Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de pœnit. cap. 11. n. 4.* Rodoriq. *tom. 1. sum. cap. 59. concl. 3. n. 5.* Sà *verbo absolutio, n. 6.* Vega *in summa tom. 1. cap. 6. cas. 16.* Sayr. *decis. 21. de pœnit.* Reginald *lib. 1. n. 60.* Salsed. *Practic. cap. 33. vers. excusabitur,* Cened. *ad decretal. collect. 25. n. 9.* Barbosa *in remissionib. Concilij, ver. nulla sit reseruatio, & 2. part. de potest. Episc. alleg. 25. n. 50. & 51.* Qui Doctores adeò

2 verum id arbitrantur, vt subdant, omnem sacerdotem hanc potestatem habere, tametsi excommunicatus non toleratus, suspensus, interdictus, irregularis, immò hæreticus, vel degradatus sit; quia verè sunt sacerdotes, & necessitas Pœnitentis excusat eos à peccato administrationis. His tamen non obstantibus.

3 Respondetur, oppositum (præsente scilicet proprio sacerdote, &c. vel Superiore, cui casus sunt reseruati, & volente absoluere pœnitentem, non posse pœnitentem neque licitè, neque validè, ab alio, vel ab inferiore sacerdote absolutionem obtinere) probabilius esse. Atque ita tenet Zambran. *de casib. art. mort. cap. 4. dubit. 4. num. 3. & seqq.* Sotus *in 4. dist. 18. quæst. 4. art. 4.* Viuald. *in Candelabro tit. de absolut. num. 61.* Chamerot. *tract. de confess. dubit. 20.* Vgolin. *de censur. tabul. 1. cap. 4. §. 5. num. 2.* Valentia *tom. 4. disput. 7. quæst. 10. punct. 2.* Simanch. *in Enchirid. tit. 51. num. 6.* Paramna *de origin. S. Inquisition. lib. 3. quæst 8. n. 100.* Ricciull. *lib. 5. cap. 14. num. 19.* Suarez *de pœnit disp. 26. sect. 4. num. 4. & de fide disput. 21. sect. 4. n. 4.* Vasquez *in 3. part. tom. 4. quæst. 93. art. 1. dubit. 4. n. 18.* Nuñus *in addit. ad 3. partem tom. 2. quæst. 8. art. 6. dubit. 3.* Auila *de censur. part. 2. cap. 6. disput. 3. dub. 1. concl. 4.* Reginald. *tom. 1. lib. 1. cap. 7. num. 61.* Puteao. *in 3. part. S. Thomæ part. 1. q. 3. concl. 1.* Sanctorius *de cas. Pap. & Episc. n. 146.* Benzon. *lib. 1. disp. 1. q. 6.* Coninch. *de sacram. disput. 8. dub. 11. n. 90.* Molin. *de Iust. tom. 4. disp. 63. n. 2.* Sanch. *lib. 1. moral. cap. 13. n. 7.* Bonacina *de sacram. disput. 5. q. 7. punct. 1. n 10. & de censur. disp. 1. quæst. 3. punct. 3. num. 3.* & Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 19. quæst. 5.*

4 Probatur; quia ita declarauit Gregorius XIII. apud Molinam *loco suprà cit.*

Secundò; quia ita declarauit Congregatio Tridentini Concilij apud Barbosam vbi suprà, in his verbis: 5
Congregatio censuit, sacerdotem alioqui idoneum, si tamen ad audiendas confessiones approbatus non sit iuxta cap. 15. sess. 23. non posse validè à peccatis mortalibus absoluere pœnitentem in articulo mortis constitutum, vbi Parochus præsens iam perhibeatur, paratusque sit infirmi audire confessionem, illumque absoluere, neque vlla subsit causa, Parochum ipsum recusandi.

Tertiò probatur *ex cap. Presbyter 26. q. 6.* sumpto ex Concilio Carthaginensi *4. can. 32.* vbi habetur, quod Presbyter, inconsulto Episcopo, non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo vltima necessitas cogat. 6

Quartò probatur ex Tridentino Concilio *sess. 24. cap. 1.* vbi Sacerdoti simplici potestas absoluendi à quibuscumque peccatis in mortis articulo conceditur iure extraordinario ob rationem necessitatis, ne hac occasione (si absolutio denegetur) aliquis pereat. Ergo cessante necessitate, cessat hæc extraordinaria potestas per regulam, quam iuxta Textum *in cap. 2. de custod. Euchar. & cap. de Syracusana 28. dist. & cap. quoniam 48. dist. & cap. quod pro remedio 1. q. 7.* tradit Abbas *in cap. cùm venerabilis, de consuetud. in fine*: *Cum aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenùs solùm vrget necessitas*: Cum igitur præsente proprio Sacerdote, vel approbato, &c. parato Sacramentum ministrare, cesset necessitas obtinendi ab alio absolutionem, cessat etiam priuilegium simplici Sacerdoti concessum, quod solùm ob necessitatem absolutionis concessum erat; ne scilicet pœnitens occasione reseruationis sine absolutione periret, vti dicebam. 7 8

Confirmatur; quia Concilium Tridentinum *in loco suprà cit.* eodem modo loquitur de absolutione à peccatis, ac de absolutione à censuris. At certum est *ex cap. eos qui, de sentent. excommunic. in 6. & Extrauag. 1. §. decernimus, de excommunic.* quod à censura excommunicationis reseruata nullus in articulo mortis possit absoluere; si facilis sit recursus ad superiorem, ad quem de iure spectat absolutio: Ergo similiter à peccatis nullus sacerdos iure extraordinario in articulo mortis absoluere poterit, nisi ob defectum Ordinarij, vel legitimi sacerdotis. 9 10

Confirmatur secundò, quia in reseruatis Pontifici nullus absolui potest, nisi sub onere se præsentandi Pontifici, cum primum poterit: Ergo supponit Pontifex, non posse Pœnitentem se priùs præsentare. Quapropter solet in iure, sicuti patet *ex cit. Extrauag. 1. §. decernimus, de sent. excommunic. & Extrauag. inter cunctas, §. incendiarius, de priuilegiis, & cap. Presbyter 26. q. 6.*) hæc conditio apponi, cùm conceditur alius facultas absoluendi à reseruatis, *si ad superiorem recursus non sit*: Ergo si datur superior præsens, cessat aliorum facultas. 11 12

Confirmatur tertiò, quia antè Concilium Tridentinum tunc quilibet Sacerdos poterat in articulo mortis absoluere, quando non aderat proprius Sacerdos (vt patet *ex Extrauag. 1. §. decernimus de sent. excommun. & ex Extrauag. inter cunctas, §. Incendiarij, de priuileg. & ex cap. Presbyter 26. q. 6.*) Ergo etiam post Concilium: Cùm Concilium nihil de nouo constituat, sed solùm approbet consuetudinem antiquam, quod scilicet tunc solùm quilibet Sacerdos possit absoluere, quando suprà dicebam. Quapropter cùm Concilium dicit, quemlibet sacerdotem posse absoluere in articulo mortis, intelligitur in absentia Reseruantis, vel proprij Sacerdotis, vt Parochi, vel Sacerdotis ab Ordinario ad audiendas confessiones approbati. 13

OBIECTIONES.

Obiicies: Iure diuino est omnibus sacerdotibus pro illo articulo commissa facultas absoluendi: Ergo. 14

Respondetur: Nego antecedens; si quidem concessa est à iure Ecclesiastico, tametsi illius initium nobis notum non sit, vt rectè dixerunt Tolet, *lib. 1. cap. 15. num. 1.*

Suarez

Suarez *de pœnit. disput.* 26. *sect.* 4. Vasquez q. 95. *art.* 5. *dub.* 3. Farinac. *de hæresi* q. 192. *n.* 62. & alij passim, ob potestatem completam Iurisdictionis, quæ ibi præter potestatem Ordinis admiscetur.

15 Obiicies secundò: In fauorem illius articuli, & leuamen morituri reseruatio omninò cessat pro illo articulo: Quapropter in reseruatione semper talis articulus excipitur: Et Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 7. *de pœnit. in fine* ait: *In Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis.* Sed cessante reseruatione, nulla adest causa adeundi superiorem: Ergo poteris à quolibet alio sacerdote æque ac à superiore, absolutionem obtinere.

Respondetur: Distinguo Maiorem: Si sit articulus mortis quicumque, seu sine necessitate, nego: Si sit articulus mortis necessarius, seu cum necessitate; quia scilicet deest copia alterius omnis sacerdotis, concedo.

16 Obiicies tertiò. Tridentinum *loc. cit.* asserit, omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris absoluere possunt. Neque concessionem limitauit ad casum, in quo abesset proprius Sacerdos: Ergo non debemus nos illud limitare; cùm sit Priui-
17 legium in fauorem animarum concessum, cumque vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus, præsertim in fauoribus, & fauoribus animarum.

Respondetur distinguendo: Concilium non limitauit explicitè, concedo: Non limitauit implicitè, nego. Concessit enim tale priuilegium in fauorem animarum, si sit non articulus mortis quicúque, sed si sit articulus mortis necessarius, seu cum necessitate, sicuti dicebam.

18 Quapropter præferédus est semper Sacerdos proprius omnibus aliis; deindè approbatus etiam in aliena Diœcesi simplici, & simplex excommunicato, suspenso, vel interdicto, & hi hæretico, vel degradato, &c.

19 Quod igitur dico de simplici sacerdote (huic scilicet præferendum esse Sacerdotem approbatum) multò magis dico de excommunicato, suspenso, vel interdicto non tolerato, & de hæretico publico, vel denunciato; quia isti omnes omninò iurisdictione, etiam in foro pœnitentiæ, priuati sunt, excepto casu necessitatis, vti dicebam; quia cùm homo tunc sit in periculo æternæ salutis, est in extrema, vel saltem in graui necessitate spirituali: Ergo iuxta Tridentinum Concilium tunc omnes sacerdotes absoluere possunt, non solùm si, qualis est sententia nonnullorum, id habeant de iure diuino, sed etiam si, propter potestatem completam Iurisdictionis, quæ ibi præter potestatem Ordinis admiscetur, habeant de iure Ecclesiastico; quia non præsumitur tunc pia Mater Ecclesia velle in spirituale detrimentum priorum fidelium impedire in homine hæretico, vel excommunicato non tolerato Iurisdictionem, & communicationem cum illis, alioquin in eodem statu communicationem eamdem impediret cum iisdem, etiam quoad Baptismum conferendum pio alicui fideli moribundo: Et multò magis communicationem impediret in piis fidelibus cum ipso hæretico, vel excommunicato non tolerato, quominùs huic in graui, vel extrema necessitate corporali existenti, corporale subsidium administrent. Quod est omninò falsum, non solùm in tali casu ita graui, sed etiam in multis aliis minùs grauibus, iuxta illud: *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Et ratio à priori est quia ius positiuum, de quo est excommunicatio, non obligat cum magno incommodo, & rigore. Quapropter Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 26. *sect.* 4. *n.* 4. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 13. *n.* 7.
20 apertè inquiunt, sacerdotem excommunicatum non toleratum inualidè absoluere, si adsit sacerdos toleratus, etiam simplex, & non approbatus. Et Nauar. *c.* 26. *n.* 26. ait, saltem hæreticum denunciatum omni facultate absoluendi, etiam in articulo mortis, esse priuatum. Quod mihi ex dictis non probatur. Et etiam quia Tridentinum apertè dicit, in mortis articulo nullam esse peccatorum reseruationem, sed eorú absolutionem omnibus sacerdotibus perpetua Ecclesiæ consuetudine concedi.

Admitto tamen, quod constitutus in articulo mortis 21
non peccet, si hæretico sacerdoti, quamuis ab illo periculum peruersionis non timeat, ob hæresis detestationem, sacramentaliter confiteri recuset, modò speret de peccatis suis esse contritus. Quis de re Paludan. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *conclus.* 7.

Item, quod dico de simplici Sacerdote huic præfe- 22
rendum esse sacerdotem approbatum, idem similiter dico de sacerdote approbato inferiore, etiam de Parocho, huic scilicet etiam in mortis articulo præferendum esse sacerdotem superiorem, seu Prælatum, quatenùs spectat ad peccata illi reseruata, ita vt illo præsente, inferior absoluere non possit. Zambr. *cap.* 4. *dub.* 4. Henriq. *lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 4. Sanchez *cit. num.* 7. & Suarez *disp.* 30.
sect. 3. *n.* 1. Quatenùs ait, quod licet Tridentinum Con- 23
cilium dixerit, in articulo mortis nullam esse reseruationem, id tamen intelligendum sit in absentia Reseruantis; quia aliàs nulla est vera necessitas, ad quam alij sacerdotes censeantur Iurisdictionem habere, quæ ipsis, per se loquendo, fuerat sublata.

Quod verò aliqui docent, te debere ad Episcopum 24
recurrere, si recursus ad Pontificem non sit, verum non est in omni casu; quia non omnes casus Episcopo conceduntur, sed casus occulti, hæresi excepta, ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 6. & percussione clerici, *ex cap. ea noscitur, & cap. de cætero, de sent. excommunic.* Ergo non licet ad alios casus facultatem extendere. Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 4. *n.* 4. Henriq. *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 11. *n.* 5. Molina *de iust. tom.* 4. *disput.* 63. *n.* 3. & Sanch. *lib.* 2. *mor. cap.* 13. *num.* 9.

Porrò, quod dixi de absolutione Sacramentali (eam 25
scilicet à sacerdote excommunicato non tolerato, etiam hæretico, propter necessitatem suscipi posse) idem multò magis dico de susceptione Baptismi. De aliis verò Sacramentis est alia ratio; quia non sunt tantæ necessi-
tatis. Qua de re Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *q.* 12. Quam- 26
uis, si in mortis articulo (quod vix vnquam continget) Sacramentum pœnitentiæ suscipi non potest; ab hæretico, vel alio excommunicato non tolerato, sacrum Viaticum (cùm sit de præcepto) suscipere, casu quo alius non adsit, qui illud administret, non sit illicitum; quia lex Ecclesiastica in tali necessitate non obligat: Nam obligare non solet cum magno rigore.

Cæterùm, cum dixi, quod quilibet sacerdos, etiam 27
excommunicatus non toleratus, ab omnibus censuris, etiam hæresis, absoluere possit, id verum est, etiamsi Sacerdos ille Pœnitentem in articulo mortis constitutum à peccatis sacramentaliter non absoluat. Ratio est,
quia absolutio ab excómunicatione, aliisque censuris, & 28
multò magis dispensatio ab irregularitate, aliisque pœnis ex delicto contractis, non pendet ab absolutione à peccatis, sicuti infrà ex satis probabili sententia Doctorum suo loco dicetur. Nam quamuis causa, siue occasio, cur talis à censuris absoluendi potestas sacerdotibus omnibus in mortis articulo committeretur, fuerit quod illa sæpè necessaria sit ad sacramentalem absolutionem conferendam. Nihilominùs per se, simpliciter, atque sine necessaria connexione ad Sacramentum Pœnitentiæ concessa videtur, sicuti verba Tridentini Concilij significant, & nos infrà suo loco dicemus. Idque ex eo, quia cùm talis concessio gratiam, & fauorem contineat, latè interpretanda est: Quod similiter de Paro- 29
chis, aliisque dicendum est; posse scilicet istos etiam ex concessione *cit. cap. nuper*, ab excommunicationibus, non reseruatis, videlicet, extra Sacramentum Pœnitentiæ similiter absoluere. Videri poterit Nauarr. *in summ. cap.* 17. *n.* 272. Suarez *de censur. disp.* 7. *sect.* 4. *n.* 19. & *sect.* 6. *n.* 7. & Sà *verb. excommunicatio, n.* 1.

Ex dictis sequitur, quod si quis habeat peccata reser- 30
uata summo Pontifici, & sit constitutus in articulo, vel periculo mortis modo, quo latè suprà dicebā, nec facilis sit recursus ad Pontificem, tunc quilibet Sacerdos approbatus, vel simplex, modo etiam, quo suprà dicebam, potest ab illis absoluere, nec necessariò requiritur, vt

ad

ad Episcopum loci recurratur. Molina *de instit. tom. 4. disput. 63. n. 2.* Henriquez *lib. 6. cap. 2. n. 6.* & alij, quos sequitur Suarez *tom. 4. disput. 30. sect. 3. n. 4. & in tract. de fide disput. 21. sect. 4. n. 24.*

31 Ratio est, quia in articulo mortis, quando non potest facilè recurri ad reseruantem, cessat, vt ait Tridentinum Concilium, omnis reseruatio: Ergo non est necessariò recurrendum ad Episcopum loci.

Confirmatur, quia nullo iure habetur, quod quando Pontifex sibi reseruat aliquod peccatum, recurrendum sit ad Episcopum loci in articulo mortis: Ergo huiusmodi onus sine textu expresso imponi non debet.

32 Non obstat, si dicas cum Corduba *in sum. q. 18. punct. 2. dict. 1. in cap. ea noscitur, & in cap. de caetero, de sent. excommun.* dicitur, quod in articulo mortis sit adeundus Episcopus in casu percussionis clerici, Pontifici reseruato: Ergo etiam in aliis casibus reseruatis.

Respondetur enim: Nego consequentiam, quia id est specialiter statutum in casu percussionis clerici, quod non videtur extendendum ad alios casus, cùm nullibi de aliis casibus hoc idem sit statutum. Et cùm ex alio capite in odiosis, & pœnalibus fieri non debeat extensio, *cap. odia, de regul. iur. in 6. leg. constitutionibus, ff. ad municipal. l. 3. §. hac verba, ff. de negot. gest. & l. cum quidam, ff. de liber. & posthum.*

DVBITATIO LXIV.

Quid dicendum, si incepta confessione cum simplici sacerdote, veniat proprius sacerdos, vel superior. Vbi etiam quid dicendum, si adsint simul duo sacerdotes approbati, quorum alter ex priuilegio possit absoluere à reseruatis, alter verò non?

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens in mortis articulo, incepta confessione cum simplici sacerdote, non tenetur cum proprio sacerdote superueniente confiteri, sed potest obtinere absolutionem à simplici sacerdote.*

2 *Iurisdictio delegata, quando res non est integra, non spirat morte concedentis, sed extendi potest vsque dum perficiatur.*

3 *Iurisdictio concessa simplici sacerdoti pro illo mortis articulo, non est conditionata, & ad tempus: sed est concessio absoluta.*

4 *Pœnitens, si peccatum habet censuram reseruatam, debet priùs facultatem à superiore, cui est reseruata censura petere, vel ab eo absolui de censura.*

5 *Qua ratione censura reseruata, non potest absolutionem ab alio, quàm à reseruante impetrare, vel nisi sub onere se præsentandi superiori, cum primùm poterit.*

6 *Pœnitens, si superior reseruans nolit concedere facultatem absoluendi à reseruatis, nisi cum ipso confiteatur, ad id non tenetur, quia ipse non habet potestatem limitandi iurisdictionem ab Ecclesia pro articulo mortis absolutè concessam.*

7 *Pœnitens in mortis articulo, existentibus duobus sacerdotibus, quorum alter absoluat ex priuilegio à reseruatis, alter non, licet secundum aliquos Doctores potest absolui à quonam maluerit de his duobus. Probabilius tamen est, quod à priuilegiato, quia medio priuilegio cessat necessitatis articulus.*

RESPONDETVR, quoad primum, te in tali casu non teneri cum proprio sacerdote, vel cum superiore confiteri, sed posse à simplici sacerdote absolutionem obtinere. Sic Henriquez *lib. 6. de pœnitent. cap. 21. num. 8.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 13. n. 15.* & alij passim.

Probatur, quia in tali casu ille simplex sacerdos vsus fuit iurisdictione delegata, sibi pro illo mortis articulo concessa. At iurisdictio delegata, quando res non est integra, non spirat morte concedentis, sed extendi potest vsque dum perficiatur, ex textu *in cap. gratum, & in cap. relatum, de offic. delegat.* Ergo etiam extendi debet in hoc casu, vbi confessio est incepta. 2

Confirmatur, quia iurisdictio concessa simplici sacerdoti pro illo mortis articulo non est conditionata, & ad tempus, quousque veniat proprius sacerdos, sed est concessio absoluta: Ergo limitari non debet. 3

Aduerte tamen, quod si peccatum habet censuram reseruatam, debes priùs facultatem à superiore, cui est reseruata censura, petere, vel ab eo absolui de censura, 4
quia ratione censuræ reseruatæ non potes absolutionem ab alio, quàm à reseruante impetrare, vel nisi sub onere te superiori præsentandi, cum primùm potueris: Ergo cùm tunc te illis possis præsentare, sine dubio teneris, & posteà poterit inferior sacerdos confessionem auditam perficere, & à peccatis absoluere. 5

Quod si ipse nolit absolutionem censuræ, neque facultatem ab illa absoluendi concedere, nisi cum ipso confitearis, ad id non teneris: quia ipse non habet potestatem limitandi iurisdictionem ab Ecclesia pro articulo mortis absolutè concessam, vti dicebam. Videri poterit Sanchez *cit. n. 15.* & Bonacina *de censur. disp. 1. q. 3. punct. 3. n. 3.* 6

Petes quid dicendum, si duo sacerdotes simul adsint approbati ad confessiones audiendas, quorum vnus ex priuilegio habeat facultatem absoluendi à reseruatis, alter verò non? 7

Respondetur, quod licet Suarez *de pœnit. disput. 30. sect. 3. num. 5.* & Henriquez *lib. 6. cap. 10. num. 1.* putent te quemlibet ex his duobus eligere posse, quia non teneris vti priuilegio alterius. Præsertim si illud fuerit ei concessum in beneficium tuum, scilicet delinquentis, & in illo mortis articulo omnis reseruatio cessat: Probabilius tamen sit, te teneri eligere illum qui habet priuilegium, quia medio priuilegio cessat necessitatis articulus, sicut & cessat etiam reseruatio, & necessitas recurrendi ad superiorem, vel habentem vices ipsius. Et hoc non est vti priuilegio, sed quia pœnitens tenetur confiteri peccata reseruata illi, qui potest absoluere à reseruatis, nisi secus exigat necessitas, quæ cessat in casu nostro. Videri poterit Nauarr. *cap. 17. num. 90.* Corduba *in summa quæst. 18. punct. 2.* Vasquez *de pœnitent. quæst. 3. art. 2. dub. 4. n. 18.* Sanchez *cit. cap. 13. num. 12. & de matrim. lib. 2. disput. 40. num. 8.* & etiam Suarez *de fide disput. 21. sect. 4. num. 24.*

DVBITATIO LXV.

An alius, qui non est sacerdos, possit in articulo mortis absoluere à censuris.

SVMMARIVM.

1 *Alius, qui non est sacerdos, non potest, vt tenent multi Doctores ex probabiliori, etiam in articulo mortis absoluere à censuris.*

2 *Finis, ob quem facultas absoluendi à censuris conceditur in articulo mortis, est, vt pœnitens in articulo mortis absolutionem à peccatis, & reliqua Sacramenta recipiat. Quapropter solùm ab illis censuris, quæ receptionem Sacramentorum impediunt, absolui poterit.*

3 *A censuris absoluendi facultas licet ab Ecclesia committi possit cuicumque Clerico, quin etiam cuicum-*

que fideli laico, quamuis heretico ac pracise, etiam infideli, vel fœmina: tamen reipsa commisisse nullo iure, vel consuetudine Ecclesiastica ostendi potest.

4 *Concilium Tridentinum meminit solùm de Sacerdotibus quoad hanc facultatem absoluendi à censuris.*

5 *Censura ad maiorem æstimationem pertinet, quod eius absolutio non ab alio, quàm à sacerdote, sine concessione speciali conferatur: præsertim quia rarò accidit, vt sacerdos haberi non possit, qui excommunicationem absoluat.*

6 *Reconciliatio de qua loquitur S. Augustinus, non fuit vera absolutio, sed fuit deprecatoria oratio hominis iam membrum Ecclesiæ per Baptismum effecti.*

7 *Clericus deficiente sacerdote, & laicus deficiente clerico, non improbabile est, quod possit, verùm etiam quod debeat in articulo mortis excommunicato sicut Indulgentias applicare, ita à censuris absolutionem tribuere.*

8 *Absolutio sic expensa, negari non potest, esse probabile, quod valeat, cùm ita defendant tam multi, & graues Doctores.*

9 *Absolutio excommunicationis si obtenta sit à non Sacerdote, expediens est, vt post mortem absoluatur ab illo, cui excommunicatio reseruata erat, ne fortè contingat, quod absolutio à laico præstita inualida sit.*

1 RESPONDETVR, negatiuè. Atque ita ex probabiliori sententia Doctorum Paludan. *in 4. dist. 24. q. 1. art. 2.* Sot. *dist. 28. q. 4. art. 4.* Nauar. *cap. 26. & in cap. 1. n. 84. dist. 6. de pœnit.* Couarr. *in cap. Alma part. 1. §. 12. n. 9.* Garz. *de benefic. tom. 2. part. 12. cap. 5. n. 353.* Suarez *de censur. disput. 7. sect. 7. n. 3. & 6.* Sanch *lib. 2. mroal. cap. 13. n. 13.* Molina *de instit. tom. 4. disput. 63. n. 3.* Bonacina *de censur. disp. 1. q. 3. punct. 3. n. 1.* Filliuc. *tract. 11. cap. 10. quæsit. 5.* Villalob. *tom. 1. tract. 36. diffic. 20. n. 14.* & Coninch. *disp. 14. dub. 16. n. 236.*

2 Probatur, quia finis ob quem facultas absoluendi à censuris conceditur in articulo mortis est, vt pœnitens absolutionem à peccatis, & reliqua Sacramenta recipiat. Quapropter solùm ab illis censuris, quæ receptionem Sacramentorum impediunt, absolui poterit, vt dicam infra ex Zambran. *de casib. art. mort. cap. 4. dub. 4. n. 17.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 13. num. 12.* & aliis. Sed alius à sacerdote non potest absolutionem à peccatis concedere, Eucharistiam, & Extremam Vnctionem ministrare: Ergo neque etiam alius à sacerdote poterit absolutionem censurarum concedere.

3 Confirmatur, quia licet Ecclesia talem potestatem cuicumque clerico, quinetiam cuicumque fideli laïco, quamuis hæretico, ac præciso, & (vti docent Sayrus *lib. 1. cap. 5.* & Filliuc. *tract. 11. cap. 2.*) etiam infideli, vel fœminæ committere possit, tamen reipsa commisisse, nullo iure, vel consuetudine Ecclesiastica ostendi potest.

4 Confirmatur secundò, quia Tridentinum *session. 14. cap. 7. de pœnit.* solùm de Sacereotibus mentionem facit.

5 Confirmatur tertiò, quia ad maiorem æstimationem censuræ pertinet, quod eius absolutio non ab alio, quàm à sacerdote sine concessione speciali conferatur. Præsertim quia rarò accidit, vt sacerdos haberi non possit, qui excommunicationem absoluat. Quod etiamsi aliquando accidat, poterit tunc moriturus per contritionem à peccatis suis liberari: & post mortem à censuris absolui, saltem impropriè, in quantum sufficiat, vt possit sepeliri in loco sacro, & pro ipso ab Ecclesia publicè orari.

6 Nonobstat Textus *in cap. Sanctum, dist. 4. de consecr.* quod pro contraria sententia adducit Gloss. *in cap. Pastoralis, §. præterea, de offic. Ordin.* vbi ex S. Augustino refert, quod cùm fidelis quidam, qui ex numero pœnitentium erat, simul cum infidelibus naui veheretur, accidit, vt vnus illorum à pœnitente Baptismum peteret, hoc ipsi collato, pœnitens vicissim à nuper baptizato reconciliationem petiit, & obtinuit.

Respondetur enim, reconciliationem illam non fuisse veram absolutionem à censuris, & multò minùs sacramentalem à peccatis, sed fuisse deprecatoriam orationem hominis, iam membri Ecclesiæ per Baptismum effecti, vt scilicet Deus attendens animum, ac desiderium pœnitentis, etiam sine sacerdotis ministerio, reconciliationem tribueret: atque sic explicat Ambr. *de vera, & falsa pœnit. cap. Quem pœnitet, dist. 1. de pœnit.* vbi sic ait: *Qui confiteri vult peccata, vt inueniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare, & soluere.* Et paulò post: *Tanta est vis confessionis, vt si deest Sacerdos, confiteatur proximo: sæpe enim contingit, quod pœnitens non potest confiteri coram Sacerdote, quem desideranti nec locus, nec tempus offert: & si ille cui confitebitur, potestatem soluendi non habet, fit tamen dignus venia ex Sacerdotis desiderio, qui socio confitetur turpitudinem criminis.*

At etsi hoc ita sit, arbitror tamen non impossibile 7
esse, quod clericus, cui sacerdos non est, deficiente sacerdote, quin & laïcus, deficiente clerico, non solùm possit, sed etiam debeat in articulo mortis excommunicato (sicut Indulgentias applicare) à censuris absolutionem tribuere. Sic tenent Gloss. Abb. *in cap. à nobis 2. de sent. excommunic.* Sylvest. *verb. absolutio 1. n. 8.* Armill. *ibid. n. 39.* Auila *de censur. part. 2. cap. 7. disp. 1. dub. 3.* Ledesma *tom. 1. de excommunic. cap. 8. dub. 4.* & alter Ledesma *part. 4. q. 26. art. 1.* Ioan de la Cruz *part. 2. de excommunic. dub. 4. concl. 1.* Sayrus *in select. disput. 44. num. 7.* Valer. *verb. absolutio, diff. 13.* Reguerus *de absolut. q. 124.* & alij, quos citat Henriquez *lib. 6. de pœnit. cap. 9. n. 3.* Suarez *de censur. cit. disp. 7. sect. 7. n. 4.* & Sanch. *cit. lib. 2. moral. cap. 13. n. 13.*

Probatur, quia negari non potest esse probabile, ab- 8
solutionem sic expensam valere, cùm sic defendant tam multi, & graues DD. quos supra referebam. At vti illo vsu probabili, nihil obesse, sed potiùs prodesse potest, tam ad sepeliendum defunctum in loco sacro, quàm vt ei sacrificia publica applicentur. Ergo adest obligatio illius.

Aduerte tamen, quod si absolutio excommunicatio- 9
nis obtenta est à non sacerdote, expediens sit, vt post mortem absoluatur ab illo, cui excommunicatio reseruata erat, ne fortè contingat, quod absolutio à laïco præstita inualida sit, & suffragia publica excommunicato applicata non prosint. Ita Sanchez *cit. n. 13.*

Nisi dicas, opinionem probabilem Doctorum tribuere iurisdictionem, sicut tribuit error communis cum titulo colorato, iuxta textum *in leg. Barb. rius, ff. de offic. Prætor.* vt alibi dicebam, & satis probabam.



DVBITATIO LXVI.

Quotnam conditiones seruandæ sint in absolutione ab hæresi, vel à quocumque alio crimine reseruato.

SECTIO PRIMA.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *In absolutione ab hæresi, vel à quocumque alio crimine reseruato tres conditiones seruandæ sunt, videlicet satisfactio partis læsæ, Iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ, obligatio comparendi coram Reseruante.*

2 *Satisfactio in sententia communi exhibenda est parti læsæ prius quàm præstetur absolutio.*

3 *Pœnitens, si non possit satisfacere ante absolutionem, si debitum est pecuniarium, debet præstare cautionem pigneratitiam, quam si non potest, debet præstare*

stare fideiussionem, quæ si ei sit impossibilis, vel casu aliquo non possit ad id coarctari, debet præstare cautionem iuratoriam.

4 *Iuratoria cautio ad minùs præstanda est in delictis Bullæ Cœnæ, & similibus: in aliis verò sufficiet, si promittat satisfacere.*

5 *Pœnitens, si delictum non sit pecuniarium, sed honoris, vel doctrinæ, non tenetur præstare cautionem pignoratitiam, vel fideiussionem: sed sufficit si iuret, se restituturum, cùm primùm poterit honorem, vel deceptum ad sanam doctrinam reducturum.*

6 *Absolutio data, quin pœnitens parti læsæ satisfecerit, est valida, si sit ab Ordinario, secus si sit à delegato.*

7 *Iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ est idem ac iuramentum de obediendo mandatis illius qui absoluit.*

8 *Absoluens vi huius iuramenti, nihil aliud imperare potest, quàm abstinentiam à simili crimine, ob quod in excommunicationem incidit. Quapropter iuramentum est de non committendo iterum tale crimen.*

9 *Iuramentum prædictum non est exigendum in omnibus excommunicationibus, sed solùm in excommunicationibus grauiorum criminum, qualia sunt quæ in Bulla Cœnæ continentur, incendiarium, manifesta Clerici percussio, & similia.*

10 *Iuramentum prædictum non benè tenet Medina exigi, solùm in percussione manifesta Cardinalium, Episcoporum, & similium.*

11 *Sacerdos quotiescumque absoluit pœnitentem à censura reseruata, debet monere absoluendum de obligatione comparendi coram superiore, cum primùm commodè poterit, attenta qualitate personæ.*

12 *Promissio comparendi sub iuramento exigenda est per absoluentem ab absoluendo, ex communi Doctorum sententia in omnibus censuris reseruatis.*

13 *Absoluens à peccatis reseruatis non debet hoc onus imponere, secus si absoluat à censuris reseruatis.*

14 *Iuramentum exigendum est ab absoluendo, si capax sit, secus si sit incapax, eo quod destitutus sit sensibus, vel defectu ætatis: qua ratione non exigitur ab impubere delinquente.*

15 *Impedito non ad tempus tantùm, sed perpetuò, obligatio iuramenti imponi non potest: esset enim obligare ad impossibile.*

16 *Impeditus perpetuo impedimento, si confessarius ignorantia, vel malitia ab ipso exigat iuramentum de comparendo, non obligatur posteà comparere, si miraculosè, & præter cursum ordinarium impedimentum auferatur, quia non censetur iuramento illo se obligare, nisi in quantum ius obligare intendit.*

17 *Finis huius iuramenti de comparendo est, vt superior cui censura illa erat reseruata, videat an sufficientem medicinam confessarius delegatus applicuerit, & ipse maiorem imponat, si sic expediens iudicauerit.*

18 *Hoc iuramentum, quod præstandum non sit, si parti læsæ satisfactum fuerit, malè sentiunt Nauarrus, & alij.*

19 *Auctor tenuit opinionem contrariam non improbabilem in libro de Parlamentis.*

20 *Absolutus, esto hæc opinio prior sit communiter vera, non requiritur, vt recurrat ad Summum Pontificem necessariò: sed sufficit, vt ab Episcopo, Inquisitore, vel alio, qui ex priuilegio, aut Iubilæo, absoluendi facultatem habet, iterum absoluatur, & cur.*

1 RESPONDETVR: Tres. Prima, satisfactio, si qua exhibenda sit parti læsæ. Secunda iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ, Tertia obligatio comparendi coram Reseruante.

SECTIO SECVNDA.

Quid dicendum de prima conditione, quæ est satisfactio.

Respondetur: In sententia communi satisfactio exhibenda est parti læsæ, priusquam præstetur absolutio: quod si id fieri nequit, debet pœnitens casu quo debitum est pecuniarium, præstare cautionem pignoratitiam, quia pignus est loco solutionis: si non potest dare pignus, debet præstare solutionem: si verò non potest solutionem, eo quod illa sit ipsi difficilis, vel eo, quod non inueniat, vel sic ipsius delictum timeat publicari, debet præstare cautionem iuratoriam. Hanc autem præstare debet ad minus in delictis Bullæ Cœnæ, & similibus: in aliis verò sufficiet si promittat satisfacere. 2 3 4

Quod si debitum non sit pecuniarium, sed honoris, vel doctrinæ, tunc non tenetur pœnitens præstare cautionem pignoratitiam, vel fideiussoriam: sed sufficiet si iuret se restituturum cum primùm potuerit, honorem læsum, vel deceptum ad sanam doctrinam reducturum. Doctores, quos sequitur Suarez *de censur. disput. 21. sect. 3. num. 1.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 13. n. 23.* 5

An autem absolutio data, quin pœnitens parti læsæ satisfecerit (saltem æquiualenter) sit valida? 6

Respondetur pro nunc, opinionem probabiliorem esse, quod si detur ab illo, qui potestatem ordinariam habet, sit valida: secùs si detur ab illo qui potestatem habet delegatam.

SECTIO TERTIA

Quid dicendum de secunda conditione, quæ est iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ?

Respondetur: iuramentum de obediendo mandatis Ecclesiæ est idem, ac iuramentum de obediendo mandatis illius qui absoluit. 7

Probatur, quia cùm absoluens præstet absolutionem nomine Ecclesiæ, iurare eius mandatis obedire, est idem ac iurare obedire mandatis Ecclesiæ. Glossa in *cap. ex tenore, de senten. excommunication. vers. debeat, & cap. si qui 7. quæst. 1. verb consensu.* & tradunt communiter Doctores apud Sanchez *lib. 2. moral. cap. 13. num 20.*

Cæterùm absoluens vi huius iuramenti nihil aliud tibi imperare potest, quàm abstinentiam à simili crimine, ob quod in excommunicationem incidisti. Quapropter iuramentum est de non committendo iterum tale crimen, si sic tibi ab absoluente fuerit imperatum, *cap. de cætero, de sentent. excommunic.* & tradunt cum Glossa ibi *verb. debeat*, Doctores passim, inter quos Suarez *de censur. disput. 19. sect. 2. num. 10.* & Sanchez *loc. sup. cit. num. 22.* 8

Hoc autem iuramentum non est exigendum in omnibus excommunicationibus, sed solùm in excommunicationibus grauiorum criminum, qualia sunt quæ in Bulla Cœnæ continentur, incendiarium, manifesta clerici percussio, & similia, sicuti constat *ex cit. cap. de cætero, & cit. cap. ex tenore, de sentent. excommunic.* vbi hoc iuramentum expostulatur: & tradunt Syluester, Caietanus, & alij. quos citat & sequitur Suarez *loco sup. cit.* & Sanchez *num. 17.* 9

Quidquid in contrarium dixerit Medina *lib. 2. summ. cap. 12.* quatenus ait, hoc iuramentum exigendum esse solùm in percussione manifesta Cardinalium. Episcoporum, & similium. Nam id gratis asserit, & sine fundamento. 10

SETCIO QVARTA.

Quid dicendum de tertia conditione, quæ est obligatio comparendi coram reseruante.

11 Respondetur: Quotiescumque Sacerdos ratione necessitatis vrgentis absoluit pœnitentem à censura reseruata, debet monere ad absoluendum de obligatione comparendi coram superiore, cùm primùm commodè potuerit. Patet ex text. *in cap. Eos qui, de sentent. excommunic. in 6.*

Quod intellige non physicè, sed moraliter, attenta qualitate personæ, temporis, loci. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap. 13. n. 25.*

12 Et licet in supradicto *cap. Eos qui*, non denotetur teneri absoluentem exigere ab absoluendo sub iuramento promissionem comparendi, liceatque nonnulli quos sequitur Auila *de censur. part. 2. cap. 7. disput. 3. dub. 4.* teneat, solùm in percussione graui Clerici esse illud exigendum, communis tamen sententia Doctorum est, esse exigendum in omnibus censuris reseruatis, *argum. cap. quamuis, & cap. ea noscitur, de sent. excommunic.* Et videri poterit Sayr. *lib. 3. cap. 25.* Nauar. *cap. 17. n. 89.* Vasquez *de excommunic. dub. 18. n. 6.* Suarez *de censur. disput. 7. sect. 8. n. 25.* & Sanchez *loc. sup. cit. n. 26.*

13 Dixi, *si absoluit à censura reseruata*: quia si absoluit solùm à peccatis reseruatis, non debet hoc onus imponere, cùm nullibi caueatur imponendû. Corduba *in sum. q. 18. punct. 2. dict. 2.* Zambran. *de casib. artic. mort. cap. 4. dub. 4. n. 21.* Suar. *de pœnit. disp. 30. sect. 3. n. 6.* & Sanch. *vbi sup. n. 24.*

14 Exigendum autem est iuramentum ab absoluendo, si capax sit, secus si sit incapax, eo quod destitutus sit sensibus, vel defectu ætatis (qua ratione ab impubere delinquente non exigitur huiusmodi iuramentum, quia non videtur, eum vsum rationis talem habere, vt iuramentum tale pro dignitate possit præstare. Sayr. *tom. 1. lib. 2. cap. 18. n. 3.* Sanchez *n. 26.* & Bonacina *de censur.*

15 *disput. 1. q. 3. punct. 3. n. 12.*) Vel si impedimentum ad compatendum non sit ad tempus, sed perpetuum: quia impedito perpetuò obligatio hæc imponi non potest, cùm enim obligare ad impossibile. Suarez *de censuris disputat. 22. section. 2. num. 85.* Sanchez *num. 30.* & Bonacina *num. 11.*

16 Hinc rectè inferunt prædicti Doctores, quod si tibi laboranti impedimento perpetuo confessarius ex ignorantia, vel malitia exigat iuramentum de comparendo, non obligeris postea compatere, si miraculosè, & præter cursum ordinarium impedimentum auferatur, quia non censeris iuramento illo te obligare, nisi in quantum ius te obligare intendit: Ergo, cùm ius in supradicto casu te obligare non intendat, sequitur, quod ex vi iuramenti obligatus non sis.

17 Cæterùm finis huius iuramenti de comparendo non est, vt iterum absoluaris à superiore: quia plenè iam absolutus es, vti constat *ex cap. non dubium, de sent. excommunic.* Neque etiam est, vt satisfacias parti læsæ: quia forsan nulla pars est, cui satisfactio sit exhibenda, sicuti contingit in hæresi occulta, & à te solùm cognita: Sed finis est, vt superior, cui censura illa erat reseruata, videat, an sufficientem medicinam Confessarius delegatus applicuerit, & ipse maiorem imponat, si sic expediens iudicauerit. Suarez *de pœnit. sect. 3. n. 6.* Sanchez *n. 77.* Bonac. *n. 13.* & Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. art. 39. cap. 11. n. 5.* Et colligitur *ex cap. quamuis, de sent. excommunic. & cap. de cætero, eod. tit. vbi gloss. verf. suscepturus*, & Abbas *num. vlt.*

18 Hinc videtur, quod minùs rectè Nauar. *cap. 26. n. 16.* Henriq. *lib. 13. de excommunic. cap. 19. n. 3.* Auila *de censuris part. 2. cap. 7. disput. 3. dub. 4. concl. 2. §. 2.* & Gambatupta *de casib. reseruat. cap. 2. n. 65.* dixerint, te liberum esse ab hoc iuramento præstando, si parti læsæ satisfeceris: & te liberum esse à comparendo coram superiore si post præstitum iuramentum satisfactionem exhibueris: quia finis huius iuramenti, & obligationis, vti dictum est, non est satisfactio partis præcisè. Aliàs exigendum non esset iuramentum in censuris reseruatis, vbi nulla satisfactio partis interuenit: Sed finis est, vt te subiectum ostendas Superiori reuocanti pro maiori satisfactione, & pœna, si tibi imponendam illi iudicauerit Sanchez *num. 18.* Bonacina *num. 12.* Couarru. *cap. Alma, 1. §. 11. n. 15.* & Suar. *de pœnit. disp. 30. sect. 2.*

19 At quidquid sit de hac opinione (cùm contrariana non improbabilem tenuerim *lib. de Parlament. dubit. 4. sect. 19. subsect. 32. edit. 1.* cum Filliuccio *tom. 1. tract. 13. cap. 7. num. 141.*) illud quidem dicendum est, quo esto opinio prior, quæ est communis, sit absolutè vera, non tamen requiratur, vt absolutus necessariò postea recurrat ad Summum Pontificem reseruantem, sed sufficiat, vt ab Episcopo, Inquisitore, vel alio, qui ex priuilegio, aut Iubilæo absoluendi facultatem habet, iterum absoluatur. Ratio est, quia prior absolutio, modo quo supta data, non impedit quominus pœnitens nouam absolutionem absolutam obtinere possit ab eo, qui illam absolutè præstare potest. Henriquez *lib. 6. cap. 10. n. 5. in comment. lit G.* Suarez *de pœnit. disput. 30. sect. 1. n. 6.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 13. num. 31.* & Bonacina *de censur. disput. 1. quæst. 3. punct. 3. num. 13.*



DVBITATIO LXVII.

An, si Confessarius ex ignorantia, vel malitia non petiit iuramentum comparendi, maneas absolutus à censura, & cum obligatione comparendi? Vbi etiam quænam pœna imposita sit tibi non comparenti, cùm ad id obligaris.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens in articulo mortis, si Confessarius ex ignorantia, vel malitia non petiit iuramentum comparendi, manet absolutus à censura, & cum obligatione comparendi.*

2 *Absolutio nullibi in iure reperitur irrita ob omissam hanc conditionem.*

3 *Obligatio comparendi non oritur ex voluntate Confessarij, sed ex iure ipso, quo stante, cessare non debet ignorantia, obliuione, seu malitia Confessarij.*

4 *Pœnitens, in casu, de quo agitur, obligatur non ex vi iuramenti, sed ex vi præcepti, & mandati, ex text. Eos qui, de sent. excommunic. in 6. cuius verba per extensum referuntur.*

5 *Iuramentum expostulari supernacaneum non est, etiam si illo secluso, remaneat obligatio comparendi, quia expostulatur ad maiorem cautelam.*

6 *Non comparenti non alia pœna imposita est, quàm eadem censura, quam prius habebat, non numero, sed ex iuris dispositione eadem in specie: quia est æquè ac prior reseruata.*

7 *A censura tripliciter absolui quis potest: Primò absolutè, nullo imposito onere satisfaciendi, vel Superiori se præsentandi. Secundò imposito onere se præsentandi Superiori sub aliqua censura similipræterita. Qua absolutio dicitur ad reincidentiam, quia videlicet eum nostra contumacia, vel graui peccato de nouo incurritur. Tertiò absolui potest à censura, non perfectè, sed imperfectè, si scilicet quis absoluatur ad aliquem effectum.*

8 *Absolutio ad aliquem effectum, non est propriè absolutio à censura, sed suspensio alicuius effectus illius: nam si censura per talem absolutionem tolleretur.*

retur, redire nequaquam posset noua sine nouo graui peccato, & noua contumacia.

9 *Nullus alius præter Summum Pontificem potest, manente censura, effectum censuræ limitare, atque adeò nullus alius, præter Summum Pontificem, potest absolutionem concedere hoc modo.*

10 *Potest tamen iudex, etiam delegatus, si necesse sit, vt testimonium alicuius recipiat ad præsentem causam decidendam.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè, manere te scilicet absolutum, & cum obligatione comparendi.

Prior pars est Vasquez *de excommunic. dub.* 18. *n.* 4. Henriquez *lib.* 6. *de pœnit. cap.* 10. *num.* 11. Sanchez *cit. cap.* 13. *num.* 15. & aliorum.

2 Probatur, quia nullibi in iure reperitur irrita absolutio ob omissam hanc conditionem.

Confirmatur, quia neque erat conueniens in casu tantæ necessitatis.

Posterior pars est eiusdem Sanchez *loco suprà cit. num.* 30. & aliorum complurium.

3 Probatur, quia illa obligatio comparendi non oritur ex voluntate Confessarij, sed ex iure ipso: Ergò ex obliuione, vel malitia Confessarij cessare non debet.

At hæc ratio non conuincit, quia dicere quis posset, quod ius hanc obligationem non imponat, nisi in quantum Confessarius, medio iuramento exacto, imponit: Aliàs superuacaneum esset, iuramentum expostulare, si illo secluso, obligationem haberes.

4 Secundò igitur probatur meliùs, dicendo: Non ex vi iuramenti, sed ex vi præcepti, & mandati te obligatum esse. Quod satis colligitur ex Textu *in cap. eos qui, de sent. excommunic. in* 6. vbi nulla fit mentio de postulatione huius iuramenti, sed absolutè dicitur; *Eos, qui à sententia Canonis, vel hominis, ab alio, quàm ab eo, qui de iure erant absoluendi, propter imminentis mortis periculum, vel aliud impedimentum legitimum absoluuntur, si cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi, se illi, a quo, his cessantibus, absolui debebant, quamcito commodè poterunt, contempserint præstare mandatum ipsius, super illis, pro quibus excommunicati fuerunt, humiliter recepturi, & satisfacturi, prout iustitia suadebat, decernimus (ne sic censuram eludant Ecclesiasticam) in eandem sententiam incidere ipso iure.*

5 Non obstat, si dicas, quod superuacaneum esset, iuramentum expostulare, si illo secluso, obligationem haberes.

Respondetur enim, expostulari ad maiorem cautelam, maioremque extensiuam obligationem.

6 Petes, quænam pœna imposita sit non comparenti, cum ad id obligatur?

Respondetur, est eadem censura, quam prius habebat, vti constat ex supradicto *cap. eos qui.*

Est autem eadem, non numero, quia eadem numero redire non potest, cùm effectus semel corruptus naturaliter reuiuiscere non possit. Tùm, quia illa censura oritur ex noua causa (ex noua scilicet inobedientia se superiori præsentandi, cùm commodè potuerit:) Ergò non potest esse eadem numero.

Est igitur ex iuris dispositione eadem in specie, quia est æquè ac prior reseruata; Doctores communiter apud Nauarrum *cap.* 27. *n.* 277. Suarez *disp.* 22. *de censur. sect.* 1. *n.* 62. & Sanchez *loco supra cit. num.* 18.

Obiicies: Absolutio censuræ ad reincidentiam differt ab absolutione censuræ absoluta, quòd absolutio absoluta tollit omninò vinculum: Absolutio verò ad reincidentiam non tollit vinculum absolutè, sed sub conditione præstanda: Ergò, si conditionem non præstes, manebis eodem vinculo ligatus, aliàs si vinculum primum sublatum est, non erit absolutio ad reincidentiam, sed absoluta.

7 Respondetur, tripliciter te à censura absolui posse.

Primò, absolutè, nullo tibi imposito onere satisfaciendi, vel superiori præsentandi; vel si hoc onus sit impositum, non sit impositum sub aliqua censura simili præteritæ. Si hoc modo absoluaris, non absolueris ad reincidentiam, quia ex omissa satisfactione, vel præsentatione superiori, non reincidis in excommunicationem.

Secundò, absolui potes à censura cum certa conditione, quam nisi absolutus intrà præfixum tempus, vel quamprimùm commodè potes adimpleas; v.g. Ordinario te sistas, vel parti læsæ realiter satisfacias, in eandem, vel potiùs in similem censuram reincidas.

Dixi, *vel potiùs in similem*; quia propriè loquendo, censura illa, in quam reincidis, non est eadem numero cum illa, quæ per veram absolutionem priùs sublata fuerat, quamuis similis, & æquiualens, vt moraliter eadem censeatur. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 13. *n.* 28. & alij passim. Quare requirit nouum etiam contumaciæ peccatum, nouam etiam Iudicis, vel Legislatoris sententiam latam sub conditione, nisi tale quid absolutus præstiteris, ad quod iure obligaris. Vndè si idipsum absque tua culpa intermiseris, vel distuleris, teipsa in excommunicationem non reincidis. Doctores, quos sequitur Henriq. *lib.* 13. *cap.* 29. *num.* 2. & Auila *de censur. part.* 1. *cap.* 7. *disp.* 3. *dub.* 14.

Secundò igitur, inquam, absolui potes à censura, imposito v.g. onere te præsentandi Superiori, &c. quod onus imponatur sub aliqua censura simili præteritæ, & hæc absolutio propriè dicitur ad reincidentiam, quia reincidis in excommunicationem similem præteritæ, si cùm commodè possis, te præsentare omittis. Talis est absolutio data à Pontifice, vel eius legato sub onere te præsentandi ordinario, vel alteri, à quo pœnitentiam suscipias, vel iniuriato satisfactionem competentem exhibeas, si cum primùm commodè possis, adimplere non curaueris, *cit. cap. eos qui, de sent. excommunic. in* 6. & tradunt communiter Doctores apud Nauarrum *cap.* 27. *n.* 113. Auilaio *de censur.* 2. *part. cap* 7. *disp.* 3. *dub* 4 *conclus.* 1. & Suarez *de censur. disp.* 7. *sect* 8. *n.* 22.

Nunquam autem in hanc similem censuram reincidis absque nouo graui peccato, & noua contumacia, quia noua censura non potest esse sine noua causa, sicuti suprà dicebam.

Tertiò absolui potes à censura non perfectè, sed imperfectè si scilicet absoluaris ad aliquem effectum, v.g. ad testandum, vel ad obtinendum aliquod beneficium, cuius incapax eras per censuram: Qui modus absolutionis frequens est in Bullis Pontificiis, ne illæ ob censuram effectu priuentur.

Hæc tamen absolutio non est propriè absolutio censuræ, sed suspensio alicuius effectus illius. Nàm, si censura per talem absolutionem tolleretur, redire nequaquam posset noua sine nouo graui peccato, & noua contumacia: Perseuerat igitur eadem censura, & solùm suspenditur efficacia illius quoad illum effectum: Quæ suspensio ab alio, quàm à Romano Pontifice fieri non potest, cùm nullus alius præter illum possit, manente censura, effectum censuræ limitare, atque adeò nullus alius præter illum possit absolutionem à censura hoc modo concedere. 8 9

Nihilominus frequenter talis absolutio tribuitur sic ad cautelam: *Si fortè censura ligatus es, ad effectum talem consequendum tantum, te absoluimus, iuxtà cap. Apostolicè, de exception. & cap. Veniens* 2. *de testibus*, Doctores ibidem, Vgolinus *tabul.* 1. *cap.* 4. §. 5. *n.* 18. & Suarez *disp.* 7 *sect.* 8. *n.* 20. Quod Iudex Ecclesiasticus, etiam delegatus, licèt alioquin à censuris absoluendi potestatem non habeat, tamen absoluere potest, si ità necesse sit, vt testimonium alicuius recipiatur ad præsentem causam decidendam, quando aliorum testimonium haberi non potest; quamuis id speciale sit in testis receptione, vt ad alios fines, v.g. collationem beneficij, &c. transferri non possit, iuxtà ea, quæ suprà dicebam. 10

DVBITATIO LXVIII.

An satisfacias obligationi comparendi superiori, si per literas, vel Procuratorem compareas? Vbi etiam, an excuseris ab hac obligatione, si ab habente priuilegium aliàs absoluendi, absoluaris?

SVMMARIVM.

1 *Obligationi comparendi coram superiore satisfacit, qui per literas, vel Procuratorem comparet, ex probabili Doctorum opinione.*
2 *Procurator repræsentat personam sui principalis.*
3 *Excipe ab hac regula generali excommunicationem ob percussionem clerici, propter quam nisi iusta causa percussor excusetur, tenetur, cùm absolutus est à non habente aliàs facultatem absoluendi, personaliter se Pontifici præsentare.*
4 *Grauamen se præsentandi aliis excommunicationibus imponi non debet, quia in iure nullibi cauetur, & rigores non sunt extendendi, sed potiùs limitandi.*
5 *Absolutus ab habente priuilegium absoluendi excusatur ab hac obligatione, nempe si v. g. ab habente priuilegium absoluendi à reseruatis, vt per Iubilæum conceditur Sacerdoti approbato ad omnia crimina reseruata.*
6 *Comparere intantum quis tenetur absolutus coram reseruante, inquantum qui absoluit non habebat facultatem absoluendi.*
7 *Sacerdos priuilegiatus nomine superioris integrè succedit; aliàs priuilegium ferè nullius esset vtilitatis.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè: Atque ita ex probabiliori opinione Doctorum tenent Syluest. *verb. excommunicatio* 8. §. 8. *quæst.* 7. Armilla, *eodem verb.* 59. Henriq. *lib.* 13. *de excommunic. cap.* 29. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 13. *num.* 33.

2 Probatur, quia verè tu diceris comparere, cum per litteras, vel procuratorem compares: Nàm ea, quæ tuus procurator facit, tu facere censeris, ex text. *in cap. Episcopus, dist.* 18.

3 Ab hac tamen Regula generali excipi debet excommunicatio ob percussionem clerici, propter quam, nisi iusta causa excuseris, teneris, cum absolutus es à non habente aliàs facultatem absoluendi, personaliter te Pontifici præsentare, *cap. quod de his, de sent. excommunic.* ibi: *Caterùm ab his in forma Sacramenti exigi consueuit, vt resumptis viribus, & opportunitate concessa, Romanam Ecclesiam in propria persona debeant visitare.*

4 Hoc autem grauamen aliis excommunicationibus imponi non debet, quia iure nullibi cauetur, & rigores non sunt extendendi, sed potiùs limitandi, Sanchez *loco suprà citato*, Bonacina *de censur. disp.* 1. *quæst.* 3. *num.* 5. & alij passim.

5 Petes: An excuseris ab hac obligatione, si ab habente priuilegium aliàs absoluendi, absoluaris?

Respondetur affirmatiuè, nempe si v. g. ab habente priuilegium absoluendi à reseruatis (vt per Iubilæum conceditur Sacerdoti approbato ad omnia crimina reseruata) absoluaris, non teneris comparere coram reseruante, siue tunc primò absoluaris, siue priùs ob vrgentem necessitatem absolutus fueris.

6 Probatur, quia in tantum teneris comparere coram reseruante, in quantum absolueris à non habente aliàs facultatem absoluendi: Ergò, si ab habente aliàs facultatem absolutus sis, cessat omnis obligatio te superiori præsentandi:
7 Cum Sacerdos priuilegiatus nomine Superioris integrè succedat; aliàs priuilegium ferè nullius esset vtilitatis. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 5. Suarez *de pænit. disp.* 30. *sect.* 1. *num.* 6. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 13. *num.* 31.

DVBITATIO LXIX.

An possit aliquando hæreticus à priuato Sacerdote absolui de peccatis non reseruatis, tacita hæresi, vel quocumque alio crimine similiter reseruato?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus absque dubio tenetur adire Inquisitorem, & Episcopum, si vera est sententia affirmatiua, quod scilicet possunt absoluere ab hæresi in foro conscientiæ, & credatur alteruter absoluturus, vel petitam facultatem per Sacerdotem concessurus.*
2 *Hæreticus prædictus neque potest priuato Sacerdoti confiteri, & ab illo absolutionem obtinere.*
3 *Excommunicatione innodatus non potest dimidiare confessionem, neque recipere Sacramentum, nisi ob aliquod graue detrimentum excusetur.*
4 *Hæreticus, si Inquisitor, & Episcopus denegent facultatem quin priùs iudicialiter hæresim suam fateatur, facta hac diligentia, & negata facultate, dubium est, an possit confiteri Sacerdoti priuato omnia peccata non reseruata, & ab istis absolui directè, ab hæresi verò indirectè, sperans successu temporis se habiturum copiam Confessoris, à quo possit postea à reseruata hæresi etiam absolui directè.*
5 *Idem dubium est retenta sententia probabiliori, negante Inquisitori, & Episcopo facultatem absoluendi ab hæresi pro foro conscientiæ.*
6 *Hæreticus potest aliquando à priuato Sacerdote absolui de peccatis non reseruatis, tacita hæresi, vel quocumque alio crimine similiter reseruato, si grauis vrgeat necessitas hoc Sacramentum recipiendi.*
7 *Sufficiens causa dimidiandi materialiter confessionem, est, si aliquod graue damnum ex eius integritate proueniat, sicut est obligare ad manifestandum peccatum coram Inquisitore, vel Episcopo, & Secretario.*
8 *Confessionem materialiter dimidiandi sufficiens occasio est, si peccatum alteri, quàm Sacerdoti sit, vel timeatur reuelandum: Ideò enim quis excusatur confiteri per interpretem, vel per scriptionem, qua alia via manifestare non possit.*
9 *Inquisitor, & Episcopus cum sint iudices pro foro externo, vtuntur & pro bono communi Reipublicæ, medio ad hunc finem aptiori.*
10 *Inquisitor, & Episcopus non obligant hæreticum directè pro absolutione Sacramentali, vt crimen iudicialiter priùs manifestet; sed nolunt concedere facultatem vt absoluatur ab hæresi directè, nisi priùs eam iudicialiter manifestet, quod graue videri non debet, &c.*
11 *Necessitas vrgens, seu causa sufficiens ad dimidiandam confessionem est secundùm aliquos periculum remotum moriendi in peccato, quale quilibet habet in quolibet suæ vitæ momento.*
12 *Opinio recensita prædictorum Doctorum non satis probatur Auctori, & cur.*

13 *Causa*

13 *Causa sufficiens vt materialiter confessionem dimi-
diare quis possit, est, cum vrgetur præcepto confes-
sionis, quia satisfactio illius præcepti videtur suf-
ficientem occasionem sic dimidiandi confessionem
præbere.*

14 *Item cùm quis obligatur administrare, vel recipere
Sacramentum, & dubitat de contritione; quia
præstat tunc securiorem viam eligere, vt digniùs
ad Sacramentum accedat.*

15 *Hæreticus occultus potest non data de præsenti co-
pia Confessarij, si Inquisitor, & Episcopus abso-
lutionem Sacramentalem, vel facultatem, vt ab
alio absoluatur, nollent impertiri, putantes, se id
non posse præstare, vel ob aliquam aliam rationem,
celebrare, si sit Sacerdos, & Eucharistiam sume-
re, si sit laicus, eliciendo priùs actum contritionis,
dummodò infamia, vel graue damnum sibi, vel
alteri probabiliter timeatur.*

16 *At si elicuisse actum contritionis, non confidit, po-
terit dimidiatè confiteri, & à quouis Confessario
absolui.*

17 *Dicta superius intelligenda sunt extrà mortis arti-
culum: Nam in mortis articulo quilibet Sacerdos
simplex habet iurisdictionem absoluendi directè à
peccatis omnibus, etiam quæ Pontifici, vel Episco-
po specialiter reseruata sunt.*



1 SVPPONO, quod si vera est sententia affir-
mans, Inquisitorem, vel Episcopum habere
potestatem absoluendi ab hæresi in foro con-
scientiæ, & credimr alteruter absoluturus,
vel petitam facultatem per Sacerdotem concessurus,
absque dubio hæreticus teneatur ipsos adire semel, &
2 iterum. Neque possit priuato Sacerdoti confiteri, & ab
illo absolutionem obtinere, quia non potest dimidiare
3 confessionem, neque recipere Sacramentum innodatus
excommunicatione, nisi ob aliquod graue detrimentum
4 excusetur. Quod si Inquisitor, & Episcopus denegent
facultatem (quin prius hæreticus iudicialiter hæresim
suam fateatur) facta hac diligentia, & negata facultate
(quin prius iudicialiter hæresim suam fateatur, vti di-
cebam) dubium est, an in hoc casu possit hæreticus
confiteri Sacerdoti priuato omnia peccata non reserua-
ta, & ab istis absolui directè, ab hæresi verò indirectè,
sperans successu temporis, se habiturum copiam Con-
fessoris, à quo possit postea à reseruata hæresi etiam ab-
5 solui directè. Et idem dubium est, retenta sententia
probabiliori negante Inquisitori, & Episcopo faculta-
tem absoluendi ab hæresi pro foro conscientiæ; quia
tunc talis hæreticus non habet viam se absoluendi ab
hæresi directè, nisi coram Inquisitore, vel Episcopo, &
Secretario hæresim suam manifestet. Hoc supposito.

6 Respondetur affirmatiuè, sicque posse hæreticum in
tali casu, etiam innodatum excommunicatione, dimi-
diare confessionem, si grauis vrgeat necessitas hoc Sa-
cramentum recipiendi.

7 Probatur, quia sufficiens causa dimidiandi materia-
liter confessionem est, si aliquod graue damnum ex eius
integritate tibi proueniat. At graue damnum est, te
obligare ad manifestandum peccatum coram Inquisito-
re, vel Episcopo, & Secretario: Ergò &c. Maior patet
ex S. Thoma *in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiuncul. 4.
ad 5.* quem sequuntur communiter Doctores, inter
quos Suarez *de pœnit. disp.* 23. *sect.* 2. *n.* 1. Valentia *tom.* 4.
disp. 7. quæst. 11. *punct.* 1. & Vasq. *de pœnit. quæst.* 9. *art.* 3.
dub. 1. Minor colligitur ex supradictis Doctoribus, &
8 probatur ratione; quia semper reputatum fuit in Eccle-
sia graue damnum, & occasio sufficiens dimidiandi
materialiter confessionem, si peccatum alteri, quàm Sa-
cerdoti sit, vel timeatur reuelandum: Ideò enim ex-
cusaris confiteri peccatum, quod manifestare non potes,
nisi medio interprete, vel quod probabiliter times, Sa-
cerdotem reuelaturum. Item ideò excusaris scribere
peccata, quæ alia via manifestare non potes: Ergò non
poteris obligari pro absolutione Sacramentali recipien-
da manifestare tuum peccatum iudicialiter, si quidem
alteri à Confessario obligateris peccatum manifestare:
atque adeò absque hac manifestatione poteris recipere
Sacramentum dimidiando materialiter confessionem, si
necessitas vrgeat illud recipiendi, vti dicebam. Sicuti
potes recipere Sacramentum dimidiando materialiter
confessionem, si faciendo integram, passurus sis graue
damnum.

Neque obstat, si dicas, Inquisitorem, & Episcopum
rectè facere, nolentes tibi concedere absolutionem Sa-
cramentalem, vel facultatem, vt ab alio de hæresi Sa-
cramentaliter absoluaris, quin priùs illam iudicialiter
manifestes. Quia, cum sint iudices pro foro externo,
& pro bono communi Reipublicæ, vtuntur medio ad
hunc finem aptiori. Quod medium aptius ad te hæreti-
cum curandum, & præcauendum, ne hæresis serpat,
aliosque inficias, absque dubio est manifestatio iudicia-
lis, quàm sit manifestatio Sacramentalis, cum ex con-
fessione Sacramentali non possis publicè puniri, & tua
ponitione alios in fide firmare, neque inde possint
complices inquiri. Quæ omnia fieri possunt confessio-
ne iudiciali. Quapropter Inquisitor, & Episcopus non 10
te obligant directè pro absolutione Sacramentali, vt
crimen iudicialiter priùs manifestes, sed nolunt tibi
concedere facultatem, vt absoluaris ab hæresi directè,
nisi priùs eam iudicialiter manifestes. Quod graue re-
putare non debes, cum tibi suppetat medium cum Deo
reconciliandi per Sacramentum, dimidiando materiali-
ter confessionem, vti supra dicebam.

Petes: quæ sit necessitas vrgens, seu causa sufficiens, 11
vt hanc dimidiatam confessionem facere possis?

Quidam censent, causam sufficientem esse solum pe-
riculum remotum moriendi in peccato, quale quilibet
habet in quolibet suæ vitæ momento. Neque obstat,
per contritionem hoc assecurari posse, quia contritio
non ità facilè haberi potest.

At hæc istorum Doctorum opinio non satis mihi pro- 12
batur, quia aliàs non teneretis semel, ac iterum apud
Inquisitorem, vel Episcopum insistere, vt tibi facultas
concedatur ad integrè confitendum, quando sperares
illam obtinere, sed commisso peccato, statim coram
quolibet Sacerdote materialiter dimidiare confessionem
posses, quod non videtur dicendum.

Respondetur itaque meliùs, causam sufficientem, vt 13
materialiter confessionem dimidiare possis esse, cum
vrgeris præcepto Confessionis; quia satisfactio illius
præcepti videtur sufficientem occasionem sic dimi-
diandi confessionem præbere. Item cum obligaris mi- 14
nistrare, vel recipere Sacramentum, & dubitas de con-
tritione, quia præstat tunc, securiorem viam eligere,
vt digniùs ad Sacramentum accedas.

Si igitur Inquisitor, & Episcopus absolutionem Sa- 15
cramentalem, vel facultatem, vt ab alio hæreticus oc-
cultus absoluatur, nollent impertiri, putantes se id non
posse præstare, vel ob aliquam aliam rationem, poterit
tunc hæreticus occultus obseruare ea, quæ de occulto
excommunicato, non data de præsenti copia Confes-
sarij, tradunt Nauarr. *cap.* 27. *n.* 259. & Henriq. *lib.* 6.
cap. 15. *n.* 7. scilicet poterit, si infamia, scandalum, vel
graue malum sibi, vel alteri, vti suprà dicebam, proba-
biliter timeat, celebrare (si sit Sacerdos) & Eucha-
ristiam sumere (si sit laicus) eliciendo priùs actum
contritionis, quem si elicuisse non confidit, poterit di- 16
midiatè confiteri, & à Confessario quouis absolui, iuxta
doctrinam, quam suprà tradebam, & tradunt Reginald.
tom. 1. *lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 87. Freitas *in addit. ad tract. de
confessar. sollicit. quæst.* 10. *n.* 15. *in fine, & quæst* 19. *n.* 15.
& alij, quos citat Sancius *in select. disp.* 11. *n.* 11. quid-
quid ipse Sancius sentiat in contrarium. Præsertim, quia
nonnulli Doctores docent, quod etiam, scandalo, vel
grauis infamiæ, vel alterius damni periculo remoto,
possit occultus hæreticus, si pro viribus suis ab Inqui-
sitore, & Episcopo absolutionem procurans obtinere
non

non potest, & propter paupertatem, vel aliud impedimentum Pontificem adire non valet, Missam celebrare (si sit Sacerdos) & Eucharistiam sumere (si sit laicus) etiamsi scandalum, vel infamiæ, vel alterius damni grauis periculum non adsit, dummodò tamen priùs probabiliter fuerit contritus, vel dimidiatè confessus, vti suprà dicebam. Atque ità ex Nauarro docet etiam Fagundez *tract.1 lib.3.cap.12.n.22.* etsi contrarium sentiat Suarez *in 3.part.tom.5.disp.9.sect.3.n.3.*

17 Et hæc quæ modò dixi, intelligenda sunt extrà mortis articulum: Nàm in mortis articulo quilibet Sacerdos simplex habet iurisdictionem absoluendi directè à peccatis omnibus, etiam quæ Pontifici, vel Episcopo specialiter reseruata sunt, iuxtà ea, quæ dicebam suprà *dubit.60. & seqq.* & docent communiter Doctores ex Tridentino Concilio *sess.14.cap.1.* vbi dicitur, quod in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt in articulo mortis nulla sit reseruatio; atque adeò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis, & censuris absoluere posse.

SECTIO II.

Appendix ad ea, quæ *dubit.60. & seqq.* dicebam, vbi multa alia scitu digna de articulo necessitatis, & periculo mortis.

SVMMARIVM.

1 *Censuræ Bullares Pontifici reseruatæ, & multò magis quinque aliæ non Bullares ob plures causas relaxantur, & ad iurisdictionem Episcopalem deuoluuntur.*

2 *Clerici percussionis excommunicatio vt ad Episcopum deuoluat eius absolutio, quæ causæ requirantur.*

3 *Prima causa est ætatis infirmitas, si nimirùm impuberes excommunicationem incurrant.*

4 *Secunda est sexus infirmitas: Mulieres enim etiam in excommunicationem incidentes à Diœcesano absolui non prohibentur.*

5 *Mulieres, & moniales, licèt facultas absoluendi Episcopis concessa à Tridentino Concilio quoad absolutionem de hæresi esset reuocata per Bullam Cœnæ, ab Episcopo, vel ab alio, cui Episcopus commiserit, præsertim moniales, de hæresi, cæterisque Bullæ casibus, & censuris absolui poterunt.*

6 *Tertia causa est quodlibet canonicum, seu legitimum impedimentum adeundi Sedem Apostolicam: Qua ratione:*

7 *Pauperes excusantur, qui tanto itinere mendicandi consuetudinem non habent.*

8 *Senes, valetudinarij, membris capti.*

9 *Inimicitias capitales habentes, ità vt absque periculo vitæ iter facere non possint.*

10 *Qui sui iuris non sunt, vt serui, & filiifamilias, si ipsorum domini, vel parentes profectioni repugnent.*

11 *Qui ob curam administrandi familiam, gerendi officium publicum, vel ob periculum infamiæ, scandali, vel ob aliam similem causam absolutionis obtinendæ gratia, Pontificem adire impediti sunt.*

12 *Qui sunt viri magnæ potentiæ, vel ità delicati, vt laborem adeundi Romam sustinere non possint.*

13 *Prædicti absolui possunt statim à suis Episcopis, vel à quolibet simplici Sacerdote, si vrgeat periculum mortis: Alioquin verò status personæ, & veritas negotij priùs Summo Pontifici explicari debet, & secundùm consilium illius tales viri potentes de commisso scelere corrigi debent.*

14 *Cæteri detenti aliquo legitimo impedimento, ab Episcopo statim absolui poterunt, neque tenentur, etiamsi possint, nuncium, vel epistolam mittere Romam: Nam id in iure expressum non inuenitur.*

15 *Impedimentum considerandum est, an sit perpetuum, vel temporale.*

16 *Episcopus si impedimentum est perpetuum, potest sic impeditum absolutè, & sine onere se præsentandi Apostolicæ Sedi, absoluere: Si verò est temporale, exigere debet in absolutione iuramentum se præsentandi, cessante impedimento, Apostolicæ Sedi, vt mandatum accipiat de satisfactione præstanda Ecclesiæ, & parti læsæ.*

17 *Excipe impuberes, qui etiam post pubertatis ætatem, absolui possunt ab Episcopo.*

18 *Absolutus, si præsentare se personaliter, vel per Procuratorem, aut per literas intrà tempus à iure præfixum, aut cum primùm commodè potest, posteà prætermiserit, in eandem excommunicationem reincidet.*

19 *Idem locum habet in omni absolutione ab excommunicatione reseruata, quæ datur ob impedimentum, vel causam necessitatis, vt scilicet absolutus teneatur posteà sub pœna reincidentiæ præsentare se coram superiore, ad quem de iure spectat absolutio.*

20 *Limitat Nauarrus, nisi priusquam elapsus est terminus absolutus plenè satisfecerit parti læsæ, vel cum ea concordauerit.*

21 *Limitatio prædicta non videtur conformis textui, neque etiam conformis rationi, quia etiamsi nulla pars sit læsa, vel ei antè absolutionem sit satisfactum, adhuc hoc onus comparendi imponi debet.*

22 *Sacerdos quicumque si ob necessitatem in mortis articulo à peccatis superiori reseruatis aliquem absoluit, cessante tali periculo, non requiritur, vt absolutus posteà compareat coram superiore, cui iure ordinario absolutio à talibus peccatis reseruata erat.*

23 *In mortis articulo omnes Sacerdotes non indirectè, & per concomitantiam, sed directè, & per se ab omnibus peccatis absoluendi potestatem habent.*

24 *Excipe, nisi peccato sit annexa censura superiori reseruata; quia tunc ex dictis, cessante mortis periculo, absolutus sistere se debet superiori, ad quem de iure ordinario absolutio spectabat; non vt iterum absoluatur, sed vt mandatum illius accipiat.*

25 *In mortis articulo consultius est confiteri priuilegiato, qui potestatem habeat absoluendi à censuris reseruatis, tanquam delegatus Pontificis, sine onere posteà comparendi.*

26 *Clerici percussor, si accedere ad Sedem Apostolicam legitimè impeditus est, ab Episcopo absolui potest.*

27 *Amplia, id locum habere etiam in aliis casibus Papalibus.*

28 *Casus Papalis impedimento adeundi Pontificem superueniente fit Episcopalis; quia sic congrua subordinatio inter Prælatos Ecclesiæ requirere videtur.*

29 *Excipe tamen mortis articulum, quando omnes Sacerdotes à casibus Papalibus absoluendi ius habent, præter quam si in iure specialis commissio Episcopis facta reperiatur, vt est in casu percussionis Clerici, modò ad Episcopum sit accessus.*

30 *In mortis articulo in aliis casibus Papalibus cessat reseruatio, ideoque tunc quilibet Sacerdos etiam simplex, excommunicatus non toleratus, suspensus, interdictus, irregularis, hæreticus, vel degradatus absoluere potest.*

31 *Concilium Tridentinum cap.1.sess.14. intelligi debet de iis tantùm censuris quemlibet Sacerdotem absoluere posse in mortis articulo, quæ Sacramentorum susceptioni, & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant, vt excommunicatio, & personale interdictum; non item suspensio ab ordine, officio, aut beneficio, & multò minùs irregularitas.*

EX dictis igitur suprà, quatenùs spectat ad censuras Bullares Pontifici reseruatas, & multo magis quoad alias quinque non Bullares, ea reseruatio non ita stricta est, 1

est, quin ob plures causas relaxetur, & ad iurisdictio-
2 nem Episcopalem deuoluatur: Quæ causæ in iure Ca-
nonico circà Clerici percussionem in specie, sicut vide-
re est *in cap. de cætero*, *& in cap. ea noscitur*, *de sent.*
excommun. explicantur. Quarum

3 Prima causa est ætatis infirmitas, si nimirum impu-
beres excommunicationem incurrant: Isti enim tunc
etiam post pubertatem, ab Episcopo absolui possunt,
cap. pueris, de sent. excommunic.

4 Secunda est sexus infirmitas, mulieres enim etiam in
excommunicationem incidentes a Diœcesano absolui
non prohibentur, *cap. mulieres, & cap. quamuis, eodem*
5 *tit.* Quapropter licèt facultas absoluendi Episcopis
concessa à Tridentino Concilio *sess. 24. de reform. cap. 6.*
quoad absolutionem de hæresi esset reuocata per Bul-
lam Cœnæ Domini, quod non est certum, sed solùm
probabilius, vti suprà suo loco dicebam; adhuc mulie-
res, & multò magis, moniales, tanquam personæ Sedem
Apostolicam adire non valentes, ab Episcopo, vel ab
alio, cui Episcopus commiserit, de hæresi, cæterisque
Bullæ casibus & censuris absolui poterunt. Doctores,
quos citat, & sequitur Homobon. *part. 3. tract. 15. cap. 7.*
quæst. 20. resol. 2.

6 Tertia est quodlibet canonicum, seu legitimum im-
7 pedimentum adeundi Sedem Apostolicam: Qua ratio-
8 ne excusantur pauperes, qui tanto itinere mendicandi
consuetudinem non habent, senes, valetudinarij,
membris capti; *cap. ea noscitur, & cap. quamuis, de*
9 *sent. excommunic.* Habentes capitales inimicitias, ità vt
absque periculo vitæ iter facere non possint, *cap. de cæ-*
10 *tero, eod. tit.* Qui sui iuris non sunt, vt serui, & filijfa-
milias, si ipsorum domini, vel parentes profectioni
11 repugnent. Qui ob curam administrandi familiam, ge-
rendi officium publicum, vel ob periculum infamiæ,
scandali, vel ob aliam similem causam, absolutionis
obtinendæ gratia, Pontificem adire impediti sunt,
12 iuxtà *cit. cap. de cætero, & cap. quamuis, eod. tit.* Qui
sunt viri magnæ potentiæ, vel ità delicati, vt labo-
13 rem adeundi Romam sustinere non possint: Hos
enim Episcopus (quin, & quilibet simplex Sacerdos)
si periculum mortis vigeat, absoluere statim potest.
Alioquin verò, vt explicat Nauarrus *cap. 27. num. 88.*
licèt paulo post aliter explicet Gloss. *verb. laborem ti-*
mendi, status personæ, & veritas negocij priùs Sum-
mo Pontifici explicari debet, & secundùm consilium
illius tales viri potentes de commisso scelere corrigi de-
14 bent, *cit. cap. mulieres.* Cæteri verò, si legitimo aliquo
ex dictis impedimento detenti fuerint, ab Episcopo sta-
tim absolui poterunt, nec tenentur, etiamsi possint,
nuncium, vel epistolam mittere Romam, vti dicebam
dubit. 61. Nam id in iure expressum non inuenitur, imò
contrarium apparet in præcitatis iuribus, vbi Ordina-
rio locorum hæc facultas demandata est, vt sic impleta
dicatur pro tempore impedimenti obligatio personali-
ter ad Curiam accedendi; & tradunt Doctores, quos
citat, & sequitur Barbos. *de offic. Episc. allegat. 41. n. 7.*
& Diana *part. 4. tract. 4. resol. 58.*

Neque obstat, quod aliquando nonnulli ob id ad
Curiam nuncium mittant, vel scribant. Nam id faciunt,
vel ob verecundiam comparendi coram proprio loci
Ordinario, vel quia ad id se teneri putant.

15 Porrò circà huiusmodi canonica impedimenta distin-
16 guendum est, an sint perpetua, vel temporalia: Nam si
impedimentum est perpetuum, Episcopus sic impedi-
tum absolutè, & sine onere se præsentandi Apostolicæ
17 Sedi absoluere potest. Si verò est temporale, absoluen-
dus, (excipio pueros impuberes, qui etiam post puber-
tatis ætatem, absolui possunt ab Episcopo, vt supra *ex*
cit. cap. pueris, de sent. excommun. dicebam) curare debet,
quod cessante impedimento, Apostolicæ Sedi se præsen-
tabit, non vt iterum ab excommunicatione absoluatur,
quia iam absolutus est, sed vt de satisfactione præstan-
da Ecclesiæ, ac parti læsæ mandatum accipiat, iuxtà
dicta suprà, & tradunt Nauarr. *cap. 26. n. 26.* Sayr. *lib. 3.*
cap. 18. num. 36. Sanch. *lib. 1. moral. cap. 13. n. 27.* & habet
textus *in cap. de cætero, cap. ea noscitur, & cap. quamuis,*
de sent. excommunic.

Quod si absolutus præsentare se personaliter, vel per 18
procuratorem, aut per literas intrà tempus à iudice præ-
fixum, aut cum primùm commodè potest, posteà præ-
termiserit, in eandem excommunicationem reincidet,
iuxtà dicta etiam suprà, & explicat Nauarr. *cap. 12. n. 89.*
& 113. Henriq. *lib. 13. cap. 19. n. 5.* & alij. Idem locum 19
habet in omni absolutione ab excommunicatione re-
seruata, quæ datur ob impedimentum, vel causam ne-
cessitatis, vt scilicet absolutus teneatur posteà sub pœ-
na reincidentiæ præsentare se superiori, ad quem de
iure spectat absolutio, iuxtà *cit. cap. eos qui.* Et videri
poterunt, quæ dicebam suprà.

Limitant tamen doctrinam istam Nauarr. *cap. 26.* 20
Henriq. *cit. n. 3. litt. Z* Sà *verb. excommunicatio, n. 8.* & alij,
nisi priusquam elapsus est terminus, absolutus plenè sa-
tisfecerit parti læsæ, vel cum ea concordauerit. Ratio,
quia tunc cessat causa, ob quam superiori præsentare
se debet.

At ista limitatio non videtur conformis textui *in cap.* 21
Quamuis, de sent. excommunic. neque etiam rationi:
Nam vt parti læsæ satisfiat, non est ratio adæquata hu-
ius comparendi obligationis, sed vt Ecclesiæ etiam læsæ,
debita obedientia, & satisfactio præstetur. Quare, ta-
metsi nulla pars sit læsa, vel ei ante absolutionem sit
satisfactum, adhuc hoc onus comparendi imponi de-
bet, sicuti suprà etiam dicebam, & tradunt præter alios
Suarez *tom. 4. disp. 30. sect. 3. n. 6.* & Sanch. *lib. 1. moral.*
cap. 13. num. 29.

Illud tamen fatendum est, quod si Sacerdos quicum- 22
que, ob necessitatem in mortis articulo, à peccatis su-
periori reseruatis aliquem absoluit, cessante tali peri-
culo, non requiratur, vt absolutus postea compareat
coram superiore, cui iure ordinario absolutio à talibus
peccatis reseruata erat, ex communi Paludan. *in 4.*
dist. 20. quæst. 1. art. 2. conclus. 3. Syluest. *verb. confessor.*
1. quæst. 10. & Nauarr. *cap. 26. n. 26.* Et ratio est, quia 23
in mortis articulo omnes Sacerdotes, non indirectè, &
per concomitantiam, sed directè, & per se ab omnibus
peccatis absoluendi potestatem habent.

Excipe nisi (vt suprà dicebam, peccato sit annexa 24
censura superiori reseruata, quia tunc ex dictis, cessan-
te mortis periculo, absolutus sistere se debet superiori,
ad quem de iure Ordinario absolutio spectabat, non vt
iterum absoluatur, sed vt mandatum illius accipiat,
iuxta dicta suprà, & iuxta text. *in cit. cap. eos qui, de sent.*
excommunic. in 6. & *extrauag. inter cunctas, §. incendia-*
rios, de priuileg. Quare consultius est, in mortis articulo
confiteri priuilegiato, qui potestatem habeat absoluen- 25
di à censuris reseruatis, tanquam delegatus Pontificis
sine onere posteà comparendi.

Cæterùm, quæ dixi de Clerici percussore (quod sci- 26
licet, si accedere ad Sedem Apostolicam legitimè impe-
ditus est, ab Episcopo absolui possit, iuxtà *cit. cap. de*
cætero, & cap. ea noscitur, de sent. excommun.) eadem in
aliis casibus Papalibus etiam locum habent. Canonistæ 27
communiter, inter quos Innocent. *in cap. 1. de eo qui*
furtiuè, Abb. & Felin. *in cap. monachi, de sent. excommun.*
Syluest. *verb. absolutio 3. in fine, & 4. n. 5.* Nauarr. *cap. 27.*
n. 86. & 112. Couarruu. *in cap. Alma, part. 1. §. 1. n. 15.*
Henriquez *lib. 6. cap. 11. num. 5. & cap. 16. in principio,*
& Suarez *de censur. disp. 22. sect. 5. num. 64.* Qua- 28
propter Regula hæc communiter à Doctoribus tradi-
tur, quod casus Papalis, impedimento adeundi Ponti-
ficem superueniente, fiat Episcopalis. Et ratio huius re-
gulæ est, quia sic congrua subordinatio inter Prælatos
Ecclesiæ requirere videtur.

Excipitur tamen mortis articulus, quando (sicuti 29
suprà dicebam) omnes Sacerdotes, etiam nullo seruato
ordine, secundùm non improbabilē opinionē Doctorū,
à casibus Papalibus absoluendi ius habent, præterquam
si in iure specialis commissio Episcopis facta repe-

niatur, vt est in casu percussionis Clerici, modò ad Episcopum sit accessus; iuxtà Textum *in cap. si quis suadente 17. quæst. 4. & cap. ea noscitur, de sent. excommun.* & docent Couarr. *in cap. alma, part. 1. §. 11. num. 8.* Suarez *de censur. disp. 22. sect. 1. num. 61.* & Sanch. *lib. 2. mor. cap. 13. n. 9.*

30 In aliis verò casibus Papalibus in mortis articulo cessat reseruatio. Ideoque tunc quilibet Sacerdos, etiam simplex, excommunicatus non toleratus, suspensus, interdictus, irregularis, hæreticus, vel degradatus, absoluere potest, ex Tridentin. Concil. *sess. 14. cap. 1.* vti suprà etiam dicebam.

31 Aduerte tamen hîc, quod cùm Concilium ait, quemlibet Sacerdotem in mortis articulo à censuris absoluere posse, intelligendum sit de iis tantùm censuris, quæ Sacramentorum susceptioni, & Ecclesiasticæ sepulturæ obstant, cuiusmodi sunt excommunicatio, & personale interdictum; à quibus moriturus interdum absolui potest, quamuis Sacramentalem absolutionem non recipiat; vt quia v. g. est amens: non item suspensio ab ordine, officio, aut beneficio, & multò minùs irregularitas; Zambran. *cap. 4. dub. 4. n. 17.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 13. num. 12.* & alij passim.

SECTIO III.

OBIECTIO PRIMA.

In cuius solutione multa scitu digna de gratiis, & rescriptis.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegia, seu gratiæ, quæ sunt concessa per modum iuris, & statuti, & quæ sunt concessa non singulari personæ, sed communitati, non expirant per mortem concedentis.*

2 *Gratiæ, & priuilegia concessa ab homine, & singulari personæ, non extinguuntur post mortem concedentis, etiam re integra.*

3 *Auctoris responsio intelligenda est de gratia facta, non de facienda.*

4 *Gratia facta dicitur quotiescumque facultas, seu licentia alicui in ipsiusmet fauorem à superiore concessa est, quamuis executio ab alia persona dependeat, vt v. g. in gratia expectatiua ad beneficium vacaturum, vel si Pontifex mandet Episcopo, quod alteri de beneficio prouideat.*

5 *Gratia facta dicitur, si Papa mandet Episcopo, vt super impedimento matrimonij veritate precum inspecta dispenset.*

6 *Item si quis impetret siue à Papa, siue ab Episcopo facultatem eligendi sibi confessorem, & similia.*

7 *Concessiones prædictæ, seu gratiæ postquam à principe processerunt, censentur ex parte concedentis factæ, atque adeò morte ipsius non expirant, quamuis ipsarum realis executio nondum facta sit.*

8 *Benedictiones à Pontifice concessæ possunt etiam mortuo Pontifice applicari.*

9 *Gratia facienda dicitur, cùm ei, in cuius fauorem gratia tendit, nihil directè concessum est à Principe, sed alteri mandatum, vt talem gratiam ei conferat, seu concedat. Tunc enim non est gratia facta, sed mera commissio, seu mandatum illam faciendi, spirat enim morte committentis; ità vt Commissarius post illius mortem mandatum exequi non possit, nisi talis commissio principaliter concessa sit in fauorem Commissarij.*

10 *Facultas audiendi confessiones ab Episcopo, vel Papa delegata Sacerdoti, non expirat, mortuo concedente, prout neque facultas concessa absoluendi à reseruatis, cum inter gratias, non inter rescripta iustitiæ numerari debeat.*

11 *Facultas, seu licentia à Parocho alicui Sacerdoti concessa audiendi similiter confessiones non expirat post ipsius mortem, si Parochus potestatem habet delegandi talem facultatem in certa parte Parochiæ: Expirat autem, si Sacerdoti illi solùm vt cooperatori, seu Vicario suo facultatem tribuit.*

12 *Ni cum Suarez dicatur, seruandam esse locorum consuetudinem.*

13 *Affertur distinctio inter delegationem generalem, seu indeterminatam, & inter delegationem specialem, seu determinatam, respectu scilicet determinatorum, seu certarum personarum.*

14 *Facultas audiendi confessiones, vel absoluendi à casibus reseruatis, præsertim quæ alicui non ratione officij conceditur, ideoque non in quasi ordinariam transit, licet nonnulli sentiant, quod expiret mortuo concedente, oppositum tamen est probabilius.*

15 *Iurisdictio etiam in foro externo contentiosa, quamuis generatim, & ad vniuersitatem causarum alicui delegata, mortuo delegante expirat.*

16 *Inquisitorum hæreticæ prauitatis officium fauore fidei speciali non expirat post mortem Pontificis concedentis, etiam quoad negocia, quæ nondum cœpta fuerunt.*

17 *Textus in cap. si cui, de præbendis in 6. explanatur, & sententia Auctoris congruere docetur.*

18 *Neque obstat, quod in dicto cap. si cui, & in cap. si super, de offic. delegat. in 6. & in similibus iuribus sermo sit de facultate alicui delegata à Sede Apostolica, quia decisio eorum iurium non nititur in plenitudine potestatis Pontificiæ, sed quod sit gratia facta absolutè illi, cui committitur.*

19 *Et æquè locum habet in Episcopo, & Parocho.*

20 *Inferiores Pontifice sine cognitione causæ, & consensu Capituli non possunt in perpetuum concedere gratias, quæ præiudicant: At per concessionem audiendi confessiones, & eligendi confessarium nemini præiudicium infertur.*

21 *Speciale esse dicitur in delegato ad iustitiam, siue iurisdictionem contentiosam, vt mortuo delegante, illius potestas expiret, si res integra sit, seu si delegatus nondum iurisdictione vti cœperit.*

22 *Iurisdictio ad iustitiam delegata habet rationem mandati, non gratiæ, mandatum autem expirat morte mandantis.*

23 *Delegatus ad iustitiam vices delegantis gerit, & eius personam repræsentat.*

24 *Extincto iure Auctoris, extinguitur ius acceptoris.*

25 *Delegatus ad confessiones audiendas iudicium in foro pœnitentiæ exercet non in persona delegantis, sed in persona Christi per potestatem Ordinis.*

26 *Iurisdictio absolutè delegata ad confessiones audiendas non habet rationem mandati, sed gratiæ & beneficij, cuius ius efficaciter acquiritur ipsi delegato, in eoque perpetuò manet, donec reuocetur.*

27 *Episcopus si Decano Ecclesiæ Collegiatæ iurisdictionem in prima, vt vocant, instantia gratiosè concessit, quæ sit accessoria eius officio, illique quasi iure ordinario competens, non extinguitur morte concedentis, cum sit gratia, fauor, seu beneficium, &c.*

28 *Facultas alicui ab Episcopo, vel alio Prælato confessorem sibi eligendi concessa, neque expirat morte cedentis, cum sit etiam gratia, & priuilegium non autem mera delegatio, seu mandatum.*

29 *Idem dicendum est de aliis gratiis ab Episcopo concessis, v. g. suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo, celebrandi Missam in Oratorio priuato, assistendi matrimoniis, vescendi lacticiniis in quadragesima, &c.*

30 *Concessio specialis absoluendi vnam, vel plures personas determinatas, si sit in fauorem absoluentis, non expirat morte concedentis. Secùs si sit in fauorem pœnitentis.*

31 *Concessio, seu facultas quando est gratia eius, cui scribitur, non expirat morte concedentis, secùs quando est alterius, pro quo scribitur.*

32 Con

52 *Commissio, seu rescriptum de danda absolutione, vel dispensatione, &c. personis determinatis in earundem fauorem facta esse præsumitur in dubio, & tunc distinguendum est.*

53 *Cõmissio vel est necessaria habẽs se per modũ præcepti, & non expirat per mortẽ cõcedentis etiã re integra, vel est delegatio voluntaria, quæ se habet instar facultatis, & hæc si executio nõdum cœpta sit, expirat morte delegantis. Vbi ratio disparitatis assignatur.*

OBiicies primò, saltem prædictæ gratiæ, seu priuilegia non valent post mortem concedentis: Ergò.
1 Respondetur. Nego antecedens, quia sunt concessa
per modum iuris, vel statuti. Tùm quia sunt concessa nõ
2 singulari personæ, sed communitati. Adde quod & gratiæ, seu priuilegia, concessa ab homine, & singulari personæ, non extinguuntur post mortem concedentis, etiam re integra, Nauarr. *consil. 2. de offic. deleg.* Garz. *de benefic. part. 6. cap. 2.* Molina *de iust. tract. 5. disp. 19.* Sà *verb. Gratia, num. 1.* & alij communiter *ex cap. si super, de offic. deleg. in 6. & ex cap. si cui nulla, de prebend. in 6.*
3 Intelligi verò debet responsio nostra de gratia facta, non autem de gratia facienda.
4 Porrò gratia facta dicitur, quotiescumque facultas, seu licentia alicui in ipsiusmet fauorem à superiore concessa est, quamuis executio ab alia persona dependeat, vt si v. g. detur alicui à Pontifice gratia expectatiua ad beneficium vacaturum; vel si quis impetret à Pontifice
5 literas, quibus mandet Episcopo, quod ipsi de beneficio prouideat, aut cum ipso super impedimẽto matrimonij,
6 veritate precum inspecta, dispenset. Vel si quis impetret, siue à Papa, siue ab Episcopo, facultatem eligendi
7 sibi Confessorem, & similia. Huiusmodi enim concessiones seu gratiæ postquam à principe processerunt, censentur ex parte concedentis factæ; atque adeò morte ipsius non expirant, quamuis ipsarum realis exequutio nondum facta sit. Henriquez *lib. 7. cap. 21. n. 5. & seqq.* Garzias *de benefic. part. 6. cap. 2.* Suarez *de legib. lib. 8. cap. 31.* Sanchez *lib. 8. cap. 28. quæst. 2.* & Pasqualig.
8 *decis. 493.* Vbi rectè subdit, quod & benedictiones à Pontifice concessæ possint etiam mortuo Pontifice applicari.
9 Gratia verò facienda dicitur, cùm ei, in cuius fauorem gratia tendit, nihil directè concessum est à Principe, sed alteri mandatum, vt talem gratiam ei conferat, seu concedat. Tunc enim non est gratia facta, sed mera commissio, seu mandatum illam faciendi, vt si v. g. à Pontifice, vel ab Episcopo directè Sacerdoti alicui committatur, vel mandetur, vt cum aliqua persona, causa cognita, dispenset, vel ei beneficium conferat, &c. Tunc enim, mortuo committente, si res sit integra, Commissarius mandatum exequi non poterit, nisi talis dispensandi, vel conferendi facultas Commissario principaliter in ipsius fauorem concessa fuerit: Nam in tali casu haberet rationem gratiæ factæ, quæ (sicuti suprà
10 dicebam) per mortem concedentis non expirat: Quod adnerte pro illis, quibus à Pontifice, vel Episcopo delegata est licentia audiendi confessiones, vel absoluendi à reseruatis. Ex dictis enim huiusmodi licentia morte delegantis non expirat, cùm inter gratias, non autem inter rescripta iustitiæ, seu delegatæ iurisdictionis contentiosæ numerari debeat, sicuti infrà meliùs dicam, & docent præter alios Sanch. *cit. quæst. 2. n. 72.* Suar. *tom. 4. disp. 26. n. 6. & 9.* Garzias *cit. cap. 2. n. 319.* Henriq. *lib. 7. cap. 6. n. 7.* & Sà *verbo gratia, num. 4.*
11 An autem idẽ dicendũ sit de licentia à Parocho alicui Sacerdoti similiter audiendi confessiones concessa, quod neque ista scilicet expiret morte Parochi concedentis?
Respondetur cum Garzia *loco suprà cit. n. 325.* distinguendo: si Parochus potestatem habet delegandi talem facultatem in certa parte Parochiæ, & delegat, non expirat, vti suprà dicebam. Expirat autem, si Sacerdoti illi, solùm vt cooperatori, seu Vicario suo facultatem tribuit. Cum enim, mortuo principali, cesset alter esse illius cooperator, seu Vicarius, expirat etiam istius potestas, tametsi quidam adhuc in hoc casu, vt infrà notabitur, contrarium sentiant, vt propterea Suarez *loc. suprà cit.*
dixerit, consuetudinem locorum in hac re esse atten- 12
dendam.
At vt meliùs intelligatur huius dubitationis ius, & 13
solutio; an scilicet iurisdictio ab Ordinario, v. g. à Pontifice, Episcopo, vel Parocho alicui ad confessiones audiendas delegata, mortuo, vel deposito illo, expiret: distinguendum arbitror inter delegationem generalem, seu indeterminatam, & inter delegationem specialem, seu determinatam, respectu scilicet determinatarum, seu certarum personarum.
Nam quatenùs spectat ad priorem, licet Paludanus 14
in 4. dist. 17. quæst. 4. art. 1. conclus. 1. S. Antoninus *part. 3. tit. 17. cap. 9.* & Philiarch. *tom. 1. de offic. Sacerdot. part. 2. lib. 2. cap. 14.* doceant, quod facultas audiendi confessiones, vel absoluendi à casibus reseruatis; præsertim, quæ alicui, non ratione officij conceditur, ideoque non in quasi ordinariam transit, morte concedentis expiret,
quia etiam iurisdictio in foro externo contentiosa (in- 15
quiunt ipsi) quamuis generatim, & ad Vniuersitatem causarum alicui delegata, mortuo delegante, expirat, sicuti ex communi docet, Abb. *in cap. relatum, n. 7. de offic. & potest. iudic. delegat. dicto argumento ex cap. Ne*
aliqui, de hæretic. in 6. vbi fauore fidei specialiter decer- 16
nitur, vt officium Inquisitorum hæreticæ prauitatis non expiret post mortem Pontificis concedentis, etiam quoad negocia, quæ nondum cepta fuerint: Nihilominùs oppositum dicendum est cum Nauarro *in cap. placuit, n. 162. & seq. dist. 6. de pœnit.* Henriq. *lib. 6. cap. 6. num. 7.* Sà *verb. gratia n. 4.* & Sanch. *lib. 8. de matrimon. disp. 28. n. 72.* ducto argumento *ex cap. si cui, de prebend.*
in 6. vbi dicitur, si cui nulla personarum facta expres- 17
sione, concessa gratiosè sit facultas in certa Ecclesia personis idoneis prouidendi beneficia, huiusmodi facultatem, etiam re integra, non expirare post mortem concedentis; cum sit gratia, seu priuilegium principaliter concessum in fauorem priuilegiati. Et eadem ratio est de facultate audiendi confessiones alicui Sacerdoti generatim, & absolutè concessa; quia licet & ista remotè tendat in vtilitatem pœnitentium, sicut facultas prouidendi beneficia in vtilitatem prouidendorum, proximè tamen, ac directè vtraque est gratia, fauor & beneficium illius, cui talis facultas conceditur. At gratiam, seu beneficium Principis decet esse mansurum, *regul. 16. in 6.* Ergò &c.
Neque obstat, quod *in dicto cap. si cui, & in cap. si* 18
super, de offic. delegat. in 6. & in similibus iuribus sermo sit de facultate alicui delegata à Sede Apostolica; quia decisio eorum iurium non nititur in plenitudine potestatis Pontificiæ, sed quod sit gratia facta absolute illi, cui committitur. Quapropter id æquè lo- 19
cum habet in alijs ordinarijs, vt in Episcopo, & Parocho, si cui Sacerdoti facultatem absoluendi suos subditos absolute concedant, vti docent Doctores suprà citati contra Philiarchum *in cit. cap. 24.* vbi docet, quod 20
inferiores Pontifice sine cognitione causæ, & consensu Capituli non possunt in perpetuum concedere gratias, quæ præiudicant, cuiusmodi sunt facultates audiendi confessiones, & eligendi confessarium, quæ proinde concedentium morte, vel amotione expirant: quod nullo iure probat, neque ratio ei suffragatur, quia cùm huiusmodi facultates iure ordinario competant Episcopo, non est, cur ille non possit eas alteri committere, & quidem sine consensu Capituli; siquidem per huiusmodi gratias nullum successori præiudicium infertur: Cùm iste, si voluerit, & quandocumque voluerit, gratiam reuocare possit, sicuti rectè notauit Sanchez *loco suprà citato.* Neque praxis suffragatur Philiarchi sententiæ: Nam mortuo Episcopo, Pœnitentiarius, aliique Confessores ab illo expositi pergunt sua facultate vti, donec à Capitulo, vel successore reuocetur, quin & Sacellani, seu cooperatores à Parocho ad confessiones

fessiones audiendas assumpti, eo mortuo, saltem in aliquibus locis, seu officio funguntur, donec a successore amoueantur. Qua de re Coninch *disp.8.dub.10.n.72.*

21 Ad fundamentum oppositum aduersariorum respondetur, id esse speciale in delegato ad iustitiam, siue iurisdictionem contentiosam, vt scilicet mortuo delegante, illius potestas expiret, si res integra sit, seu si delegatus nondum iurisdictione vti cœperit, sicuti habetur *in cap. sanè, cap. relatum. cap. gratum, & cap. licet vndique, de*
22 *offic. iudic. deleg.* Et ratio est, quia iurisdictio ad iustitiam delegata habet rationem mandati, & non gratiæ. Man-
23 datum autem expirat morte mandantis. Tum quia delegatus ad iustitiam vices delegantis gerit, & eius personam repræsentat, *cit. cap. sanè, & l. vltim. ff. de offic. eius,*
24 *cui mandata est iurisdictio:* Ergò, cùm mortuo delegante, extinguatur ipsius iurisdictio, consequens est, vt etiam extinguatur in delegato, quia extincto iure Authoris extinguitur ius acceptoris, *l. vectigal. ff. de pignor.* & tradit Abbas *in cit. cap. relatum, n.6.* & Sanch. *vbi su-*
25 *prà disp. 18. n.30. ex cap. quamuis, de offic. deleg. in 6.* At delegatus ad confessiones audiendas iudicium in foro pœnitentiæ exercet, non in persona delegantis, sed in
26 persona Christi per potestatem Ordinis. Tùm quia iurisdictio absolutè delegata ad confessiones audiendas non habet rationem mandati, sed gratiæ, & beneficij, cuius ius efficaciter acquiritur ipsi delegato, in eoque perpetuò manet, donec reuocetur: Ergò.

27 Hinc primò, si Episcopus v.g. Decano Ecclesiæ Collegiatæ iurisdictionem in prima, vt vocant, instantia gratiosè concessit, quæ sit accessoria eius officio, illique quasi iure ordinario competens, non extinguitur morte concedentis: cum sit gratia, fauor, seu beneficium. Quamuis à successore reuocari possit, si per modum meræ gratiæ, & non per modum contractus, vel transactionis concessa fuerit.

28 Hinc secundò facultas alicui ab Episcopo, vel alio Prælato confessorem sibi eligendi concessa, neque expirat morte concedentis; cum sit etiam gratia, & priuilegium, non autem mera delegatio, seu mandatum, vti suprà dicebam, & docet Nauarr. *in cit. cap. placuit. n.163.* Henriq. *lib.7. cap.21. n.6.* Sà *verb. gratia, n.4.* & Sanch. *de matrimon. suprà disp. 18. n.74.* Quamuis contrarium sentiat Syluest. *verb. confessor. 1. quæst. 7.* Corduba *lib.5. quæst. 36.* & Philiarch. *loco suprà cit.*

29 Hinc tertiò idem dicendum est de aliis gratiis ab Episcopo concessis, v.g. suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo, assistendi matrimoniis, vescendi lacticiniis in quadragesima, &c. sicuti suprà etiam dicebam, & tradit Sayr. *tom.1. Thesaur. lib.7. cap.14. n.7.* Nauarr. *cit. n.163.* & Sanch. *num.76.*

30 Quatenus verò spectat ad specialem commissionem absoluendi vnam, vel plures personas determinatas, distinguendum arbitror, an talis facultas concessa sit in fauorem absoluentis, an verò pœnitentis? Nàm si primum, non expirat morte concedentis; cum sit gratia, & beneficium. Sanch. *n.73. & 81.* ducto argumento à sensu contrario *ex cap. si cui, de prebend. in 6. in fine,* ibi: *Secùs, si super prouisione certæ personæ facienda non ob suam, sed eius, cui prouideri mandatur, gratiam, vel fauorem, illa quidem expirat omninò, si concedens re integra moriatur:* vbi Glossa communiter recepta generalem
31 regulam tradit, quod quandò est gratia eius, cui scribitur, non expirat morte concedentis, secùs quandò est
32 alterius, pro quo scribitur. Si secundùm, vt plerumque contingit, & in dubio præsumitur, vt scilicet commissio, seu rescriptum de danda absolutione, vel dispensatione, &c. personis determinatis in earundem fauorem principaliter facta sit, tunc iterum distinguendum arbi-
33 tror: vel commissio est necessaria, habens se per modum præcepti, & non expirat morte concedentis, etiam re integra. Tabiena *verb. gratia, §.6.* Suar. *de censur. disp. 41. sect. 2.* Henriq. *lib.7. cap.21. n.7.* Rodoriq. *tom. 1. quæst. 46. art.7.* & Sanch. *n.87.* v.g. si Pontifex, aut Episcopus, &c. alicuius supplicatione motus mandet inferiori Ordinario, vt supplicantem absoluat ab excommunicatione, vel a casibus reseruatis, aut dispenset cum illo in impedimento matrimonij, in petitione debiti, in voto, in iuramento, & ante cœptam executionem, qui mandauit, moriatur. Tunc enim, hoc non obstante, restat locus executioni: vel est delegatio voluntaria, quæ se habet instar facultatis, & hæc si executio nondùm cœpta sit, expirat morte delegantis, vt expresse habetur *in cit. cap.*
sicut nulla: Et ratio disparitatis est; quia in commissione 34
necessaria ius acquisitum est ei, qui est absoluendus, vel cum quo est dispensandum, ideoque est gratia facta per concessionem absolutam committentis, solumque exigitur Commissarij executio, quam ille necessario facere tenetur: At in commissione voluntaria nulli ius acquisitum est: non enim Commissario; quia non in eius fauorem delegatio facta est, neque ei, cum quo est dispensandum, quia liberæ voluntati delegati relinquitur, velitne dispensare, necnè; ideoque est gratia facienda, non facta, sicque illa, nisi delegatio facta sit authoritate Sedis, seu dignitatis, quæ nunquam moritur, perit per mortem delegantis; non verò perit hæc, re integra, vt patet ex dictis, & docet Glossa *in cit. cap. si cui, vers. moriatur,* & Sanch. *num 71.*

SECTIO V.

Obiectio secunda, in cuius solutione multa scitu digna de donationibus, & contractibus.

SVMMARIVM.

1 *Donatio, aut promissio ordinariè non parit obligationem naturalem, nec ciuilem ante validam acceptationem.*

2 *Donatio semper reuocari potest ante validam acceptationem.*

3 *Idemque locum habet in omnibus aliis contractibus, quia obligatio non nascitur, nisi mutuo duorum consensu.*

4 *Donatio inualida est mortuo donatore ante validam acceptationem, quia ampliùs illa acceptari non potest.*

5 *Donatio de rigore iuris neque potest acceptari ab hæredibus, cum ad illos directa non fuit, videtur autem posse ex quadam æquitate, quia hæredes repræsentant personam defuncti, & talis præsumi debet fuisse mens donatoris, si hæredes sint filij: secus si sint extranei.*

6 *Donatio si destratur per Nuncium, & accidat, Nuncium mori ante insinuationem, tacitè censetur reuocata, quia per mortem mandatarij soluitur mandatum.*

7 *Excipe, si Nuncio commissum fuerat, vt verbis, & traditione reali rem perageret, secùs si solùm literas deferendas habuerit: Tunc enim istæ, si ad manum donatarij peruenerunt, sufficiunt ad donationem insinuandam, vel deferendam.*

8 *Donatio, & promissio ante validam acceptationem non parit obligationẽ naturalem, nec ciuilem ordinariè.*

9 *Excipe quasdam promissiones, & donationes, quæ obligant ante vllam acceptationem, nempè quæ fiunt ciuitati, vel Vniuersitati, Ecclesiæ, vel Hospitali.*

10 *Donationes, & promissiones ad pias causas videntur æquari promissionibus, & donationibus factis ciuitati, si priuilegia spectentur.*

11 *Donationes, & promissiones prædictæ semper possunt acceptari, & peti: quæ petitio videtur necessaria tanquã cõditio sine qua nõ, vt promissor teneatur soluere.*

12 *Promissor non tenetur promissionem indicare ciuitati, seu insinuare, quia nulla lex id præcipit.*

13 *Idemque dicendũ videtur de promissionibus ad causas pias factis, nisi ex intentione promittentis habeant vim voti, quia tunc spontè solui debent.*

14 *Pro*

14 *Promissio, vel donatio purè interna homini facta licet non obliget, quin neque externa, nisi fuerit acceptata, facta tamen Deo obligat, utpotè facta cordium inspectori.*

15 *Donatio facta absenti, vt possit validè acceptari, sicque obligationem parere, requiritur primò, quod donator absenti per epistolam, vel Nuncium, cui id commiserit, eam deferat, seu insinuet.*

16 *Donatio vt possit validè acceptari, non sufficit, si quis alter pracurrens, cui id commissum non est, donationem illi insinuet.*

17 *Promissor cùm Nuncium mittit, tunc in verbis Nuncij suum consensum obligationem ponit, vt per eum ad absentem deferatur, & sic, dum absens coram Nuncio acceptat, duorum consensus concurrunt in vnum, quod ad rationem pacti, & ad obligationem est necessarium.*

18 *Donatio si per Nuncium facienda, vel deferenda est absenti, absens eam requiritur quod acceptet coram Nuncio, neque sufficit, si eam acceptet coram aliis, quia alioquin duorum consensus non concurrunt in vnum, nec vicissim innotescunt: Quapropter acceptatio debet exprimi ipsi promittenti, vel eius Nuncio.*

19 *Matrimonium, non est verum, secundùm sententiam Sylvestri, & aliorum, quod quandò contrahitur per Nuncium, vel literas, sufficiat, vt absens exprimat sententiam suam aliis, quia non est de essentia contractus, vt consensus absentis alteri, cum quo non contrahitur, innotescat.*

20 *Donationis acceptatio, qua per litteras absenti offertur, vt sit valida, ità vt retrocedere donatarius non possit, requiritur, quod acceptatio per literas, vel Nuncium missum ipsi donanti innotescat per eundem Nuncium, & cur.*

21 *Prædicta maximè, locum habent in promissionibus respectiuis, quæ requirunt repromissionem, ista enim omnes tacitam hanc conditionem habent, si is, cui promissis similiter repromittat, seseque obliget, sicut & tu.*

22 *In donationibus gratuitis non videtur necessarium, quod literæ acceptionis, seu Nuncius ad donatorem peruenerint, quia nihil interest eum, qui gratis donat, scire suam donationem acceptari, sicut interest, eum qui sub onere aliquid offert, & repromissionem expectat, nosse alterum repromittere, secùs verò contingit in illo, qui contractum onerosum facit.*

23 *Donatio si reuocetur, & Nuncio innotescat, non potest Nuncius aliquid efficere: & ratio, quia extinctum est mandatum, ac proinde extincta est omnis potestas insinuandi, vel tradendi.*

24 *Mandatur ratum habere, quod ex vi mandati bona fide ipsius nomine ab aliis gestum est.*

25 *Donatio quando facta est ex parte donatoris, & Missa est Epistola, vel Nuncius, qui illam absenti insinuet, vel rem tradat, validè acceptari potest, etiamsi contingat ante insinuationẽ donatorem mori.*

26 *Donatio illa ex parte donatoris fuit valida, quamuis reuocabilis, & virtute manet in literis, vel Nuncio impressa, vt ad donatarium transeat.*

27 *Donatio, mortuo donatore, non potest reuocari per heredem, etiamsi nondum fuerit acceptata.*

28 *Donatio si ante mortem donatoris non est facta, sed solùm fieri mandata, tunc si priùs quàm procurator munere suo fungatur, cõtingat donatorem mori, non potest donatio validè acceptari, sicque res illa restituenda erit heredibus donatoris, quia ante mortem donatio facta non fuit, sed solũ mandatũ de donando, mandatum autem extinguitur morte mandantis.*

29 *Limita in casu, quo mandatum fuerit factum in fauorem causæ piæ, quia quilibet in extremo sua vita præsumitur sic voluisse.*

30 *Mandatum de manumittendo seruum non expirat morte mandantis fauore libertatis.*

31 *Donatio si culpa Nuncij, si tempestiuè ante mortem donatoris facta non fuerit, Nuncius ad duplicem restitutionem tenetur heredibus defuncti, & ratione rei, quæ tunc eorum est, & donatario ratione damni, quod ipsius culpa donatarius contraxit.*

32 *Mandatum donandi non expirare morte donatoris sentiunt non improbabiliter aliqui Doctores; eo quod huiusmodi mandatum etiam sit gratia quædam, & iuxtà illam non tenebitur Nuncius heredibus; sed solùm donatario.*

Obiicies secundo: sequeretur, posse validè acceptari donationem post mortem donatoris, cùm donatio sit etiam gratia, & gratia ex dictis non expiret morte concedentis: At hoc est falsum: Ergò.

Vt autem vis, & solutio huius obiectionis meliùs intelligatur.

Suppono ex materia de contractibus, donationem 1 (nedum promissionem) ordinariè non parere obligationem naturalem, nec ciuilem ante validam acceptationem. Doctores communiter, teste Gomezio *tom. 1. cap. 4. n. 3. & cap. 9. n. 1. & seqq.* & patet *ex l. 1. ff. de pollicitat. l. absenti, ff. de donat. & l. nec ambig, Cod. eodem.*

Vnde sequitur, ante validam acceptationem semper 2 reuocari posse donationem, quod clarè colligitur, tùm ex prædictis iuribus, tum ex *l. multum interest, Cod. si quis alteri, vel sibi, & ex l. si pater, ff. manumiss. vindict.* Idemque locum habet in omnibus aliis contractibus, 3 vti videre est *in leg. contractus, Cod. de fide instrum.* Et suadet ratio, quia obligatio non nascitur, nisi mutuo duorum consensu, *l. 1. ff. de pactis*: Quare priusquam alterius consensus accedat, alter potest suam oblationem reuocare.

Sequitur secundò, mortuo donatario antè validam 4 acceptationem, inualidam esse donationem, quia amplius illa acceptari non potest. Neque dicas, quod possit 5 acceptari ab hæredibus, quia de rigore iuris non potest ab illis acceptari: Nam ad illos directa non fuit. Videtur autem posse ex quadam æquitate, quia hæredes repræsentant personam defuncti, & præterea præsumi debet, talem fuisse mentem donatoris, vt si defunctus beneficio illius frui non posset, hæredibus ipsius, nisi de contrario constet, prodesset. Quod intellige, si hæredes sint filij, secùs si sint extranei.

Sequitur terriò, si donatio defertur per nuncium, & 6 accidit nuncium mori antè insinuationem, vel traditionem, censeri tacitè reuocatam donationem, quia per mortem mandatarij soluitur mandatum, vt patet *ex leg. mandatum, ff. mandati.* Quare consensus donatoris, qui ei commissus, & per eum ad donatarium deferendus erat, quasi euanescit, atque adeò fit, vt non concurrat duorum consensus in vnum: Quod tamen intellige, si 7 Nuncio commissum fuerat, vt verbis, & traditione reali rem perageret, secùs si solum literas deferendas habuerit. Tunc enim istæ si ad manus donatarij peruenerunt, sufficiunt ad donationem insinuandam, vel deferendam: Quapropter ipse poterit vicissim per literas, vel alio modo, quo mox infrà dicam, eam acceptare.

Dixi, *donationem, & promissionem antè validam ac-* 8 *ceptationem non parere obligationem naturalem, nec ciuilem*, scilicet ordinariè, quia à Doctoribus excipiuntur quædam promissiones, & donationes, quæ obligent ante 9 vllam acceptationem, nempe quæ fiunt ciuitati, vel Vniuersitati, Ecclesiæ, vel Hospitali. Nam quamuis in iure non reperiatur id expressè, nisi de promissione facta ciuitati ad instaurandas ruinas, vel ob honorem ab ea receptum, aut recipiendum, vel ad faciendum aliquod opus, si hoc iam fuerit inchoatum, de quibus *ff. de pollicitat.* per totum, Doctores tamen extendunt ad promissiones, & donationes alias supradictas. Ratio est, quia promis- 10 siones, & donationes, ad pias causas videntur æquari promissionibus, & donationibus factis ciuitati, si priuilegia spectentur, vt patet *ex l. illud, & l. vt inter, Cod. de Sacrosanct. Ecclesiis 1.*

Vnde Felinus *in cap. 1. de pact. n. 7.* (qui citat Bartolum, Baldoum, Panormitanum, & alios) Couarr. *in cap. quamuis pactum, part. 2. §. 2. n. vlt.* & Molina *de iustitia disp. 262.* docent, huiusmodi prædictas promissiones, & donationes esse validas ante omnem acceptationem.

Etsi alij (qui, quod promissio, & donatio non habeat vim obligandi ante acceptationem, probenire putant non tantùm ex iure ciuili, sed etiam ex iure naturali, vel gentium) doceant, ius ciuile non efficere, quod promissio facta ciuitati vim habeat absolutam ante acceptationem: nihil enim tale colligitur ex vlla lege toto titulo *de pollicitat.* sed efficere solùm, ne possit reuocari pro libito, sicut ex natura rei posset, & de facto reuocari possunt aliæ promissiones, ac donationes, vt patet ex *leg. 3. eod. tit.*

11 Quare fit, vt talis promissio semper possit acceptari, & peti: Quæ petitio videtur necessaria, tanquam conditio sine qua non, vt promissor teneatur soluere, sicuti in iisdem legibus indicatur. Non enim tenetur promis-
12 sor promissionem ciuitati indicare, seu insinuare, quia nulla lex id præcipit.

13 Idemque dicendum videtur de promissionibus ad causas pias factis, nisi ex intentione promittentis ha-
14 beant vim voti; quia tunc sponte solui debent: Nam licet promissio, vel donatio purè interna homini facta non obliget, quin neque externa, nisi fuerit acceptata, vti supra dicebam; facta tamen Deo obligat, vtpote facta cordium inspectori, sicuti communiter dicitur in materia de contractibus, & videri potest S. Thom. 2. 2. *q. 48. art. 1.*

In sententia igitur istorum Authorum nascitur ex omni promissione solùm quædam obligatio, veluti connata, & suspensa, donec acceptetur, vel reuocetur. Quam reuocationem ius positiuum potest impedire, & de facto impedit in dictis promissionibus, ac donationibus. Atque ideò ius ciuile non tribuit propriè promissioni vim, quã iure naturali, vel gentium non habet, nisi posita valida acceptatione, tanquam conditione sine qua non, sed solùm impedit, vti dicebam, ne possit reuocari, sicuti reuocari possunt aliæ promissiones, ac donationes.

15 Dixi secundò, promissionem, & donationem non parere obligationem naturalem, nec ciuilem ante validam acceptationem, quia si donatio facta est absenti, vt possit validè acceptari, sicque obligationem parere, requiritur primò, quod donator absenti per epistolam, vel nuncium cui id commiserit, eam deferat, seu insinuet. Opus est enim, vt duorum voluntas concurrat in vnum, vti supra dicebã, & colligitur ex *ex l. absenti, ff. de donat. & ex l. 1. ff. de contrah. empt.* Vnde si quis alter præcur-
16 rens, cui id commissum non est, donationem illi insinuet, non sufficit, vt validè possit acceptari. DD. communiter, teste Claro *lib. 4. §. donatio, q. 12.* & colligitur ex Gloss. *in l. nec ambigi. C. de donat.* Et ratio est, quia cùm promissor non intendat per hunc hominem consensum, & obligationem suam in alterum dirigere, non potest acceptando alter aliquid iuris acquirere. Nam cui nihil validè offer-
17 tur, nihil validè potest is acceptare. Cùm autem promissor nuncium mittit, tunc in verbis nuncij suum consensum, & obligationem ponit, vt per eum ad absentem deferatur. Et sic dum absens coram nuncio acceptat, duorum consensus concurrunt in vnum, quod ad rationem pacti, & ad obligationem est necessarium, vti supra dicebam, & ex communi docet Gomez *tom. 1. cap. 9. n. 2.*

18 Secundò requiritur, quod si donatio per nuncium deferenda, vel facienda est absenti, absens eam coram nuncio acceptet, nec sufficit si eam acceptet coram aliis, vt ex multis tenet Sanchez *lib. 2. de matrimon. disputat. 7. num. 35.* Et ratio est, quia alioquin duorum consensus non concurrunt in vnum, nec vicissim innotescunt. Quapropter acceptatio debet exprimi illi qui eam offert, id est ipsi promittenti, vel eius nuncio, qui eius locum supplet. Hoc ipso enim, quod aliquis destinatur ad absentem, vt offerat illi promissionem alterius, constituitur etiam ad recipiendam eius acceptationem. Vel si promissio est onerosa, ad recipiendam eius repromissionem. 19

Vnde non videtur vera sententia Syluestri *verb. matrimonium 1. q. 12.* & aliorum, qui docent, quod quando matrimonium contrahitur per nuncium, vel litteras, sufficiat, vt absens exprimat consensum suum aliis. Debet enim ex dictis consensum suum exprimere illi, qui eum petit, & qui sub conditione illius rependendi in alterum consentit, nisi constet aliam esse mentem promittentis. Quod addo, quia non est de essentia contractus, vt consensus absentis cum quo contrahis tibi innotescat: quandoquidem si mens tua est, vt statim contractus valeat posito alterius consensu, etiam antequam ille tibi innotescat contractus valebit. Quod tamen non præsumitur, nisi clarè expresseris. 20

Si verò per litteras donationem tuam absenti offeras, tunc vt acceptatio eius sit valida, ita vt retrocedere non possis, requiritur, quod acceptatio vicissim tibi per literas, vel nuncium ad te missum innotescat. Atque ita tenent Sanch. *vbi sup.* Et ratio est, quia requiritur acceptatio exteriùs expressa, ita vt promissor eam possit intelligere. Tum quia alioquin non concurrunt consensus duorum in vnum. Tum quia priusquam tibi innotescat consensus alterius, potest ille suum consensum re- 21
uocare: Ergo & tu poteris tuum. Quod maximè locum habet in promissionibus respectiuis, quæ requirunt repromissioné. Istæ enim omnes tacitam hanc conditionem habent, si is cui promittis, similiter repromittat, seseque obliget, sicut & tu. Quod fit per signum exter- 22
num ad promissionem directum. Quamuis in promissionibus, & donationibus gratuitis non putem necessarium, vt literæ acceptationis, vel nuncius ad donatorem perueniant, quia non interest, eum qui gratis donat, scire, suam donationem acceptari, sicut interest, eum qui sub onere aliquid offert, & repromissionem expectat, nolle alterum repromittere (cuius rei signum est, quia donator non est multum de eo cognoscendo sollicitus: secus verò contingit in illo qui contractum onerosum facit.) Tum denique, quia qui gratis donat, non videtur beneficium suum ad hoc restringere, vt illud non habeat vim, nisi literas de acceptatione receperit, sed potiùs cupit, illud efficax esse statim ac debito modo acceptatum fuerit. 23

Tertiò requiritur, quod non reuoces donationem ante acceptationem donatarij: nam si reuoces ante, & nuncio quem misisti id innotescat, non potest nuncius quidquam efficere, sicut habetur *in l. si verò, §. si mandatero, ff. mandati.* Et ratio (vt ibi dicitur) est quia extinctum est mandatum, ac proinde extincta est omnis potestas insinuandi, vel tradendi. Si verò non innotescat ante exequutionem, tunc distinguo: Vel ille habet se solùm instar nuncij referentis donationem alterius, aut rem tradentis, vel habet mandatum faciendi donationem. Si primum, facta reuocatione nihil fit: quia deest omnino consensus ex parte donantis, nuncius enim ille solum habet officium nunciandi, vel tradendi, non autem tribuendi aliquid iuris. Si secundum, valent eius acta, non quidem ad transferendum dominium, sed ad tribuendum donatario ius ad rem, & ad iniiciẽdam obligationem donatori ad consensum, sicuti colligitur 24
ex *l. mandassem, & l. inter cunctas, ff. mandati.* Tenetur enim mandator ratum habere, quod ex vi mandati bona fide ipsius nomine ab aliis gestum est. Qua de re Gomezius *tom. 2. cap. 4. n. 3.* His suppositis. 25

Respondetur ad obiectionem: Nego minorem, & concedo sequelam maioris, nempe, quod quando donatio facta est ex parte donatoris, & missa est epistola, vel nuncius, qui illam absenti insinuet, vel tradat, validè acceptari possit, etiamsi contingat, ante insinuationem donatorem mori. Molin. *lib. 1. de primogen. cap. 2. num. 77.* & Sanchez *de matrimon. lib. 2. disput. 6. num. 5.* Et ratio est, quia donatio videtur gratia quædam, quando autem gratia facta est ex parte concedentis, potestas exequutoris non expirat morte concedentis,

ris, vti supra dicebam, & expressè habetur *in cap. si, super gratia, de offic. deleg. in 6.* Ergo.

26 Confirmatur, quia donatio illa ex parte donatoris fuit valida (quamuis reuocabilis, vt expressè dicitur *in l. nec ambigi, Cod. de donat.*) & virtute manet in litteris, vel nuncio impressa, vt ad donatarium transeat. Ergo perseuerat post mortem donatoris, ac proinde potest post mortem donatoris acceptari.

27 Confirmatur secundò, quia donatio, mortuo donatore non potest reuocari per hæredem, etiamsi nondum fuerit acceptata, sicuti docent communiter Doctores, inter quos Couarr. *lib. 3. var. cap. 14. num. 17.* & Clarus *§. donatio, q. 12.* Ergo signum est, illam posse validè acceptari post mortem donatoris. Namsi non posset, non esset, cur adimeretur hæredi potestas illam reuocandi.

Quamuis contrarium apud Sanch. *loco sup. citato* teneant alij, quorum ratio est, quia mandatum expirat morte mandantis.

At hic non est propriè mandatum donandi, sed ipsamet donatio, sicuti supponebam. Quapropter eorum ratio potiùs spectat ad casum sequentem.

28 Quod si donatio ante mortem donatoris non est facta, sed solùm fieri mandata: vt si quis v.g. misit rem per nuncium, vel procuratorem cum mandato, vt suo nomine det absenti, tunc si priusquam ille munere suo fungatur, contingat donatorem mori, non potest donatio validè acceptari, sicque res illa restituenda erit hæredibus donatoris. Ratio est, quia ante mortem donatio facta non fuit, sed solùm mandatum de donando. Mandatum autem extinguitur morte mandantis, vt habetur *in dicta leg. inter cunctas, ff. mandati.* Quare procurator ille non potest nomine sui mandatoris donationem facere, & si fecerit, erit illa nullius valoris, sicut & acceptatio.

29 Quod tamen intellige, si mandatum non fuerit in fauorem causæ piæ factum: nam huiusmodi mandatum non extinguitur morte mandantis, vti rectè notauit Couarru. *lib. 1. var. cap... n. 16.* quem sequitur Molina. Et ratio est, quia quilibet in extremo suæ vitæ, cùm tunc opera pietatis quammaximè homini necessaria sint, sic voluisse præsumitur.

30 Confirmatur *ex l. si pater, ff. manum.* Vbi mandatum de manumittendo seruo non expirat morte mandantis, fauore libertatis: Ergo multò minùs fauore piæ causæ, & salutis animæ propriæ.

31 Ex dictis sequitur, quod si culpâ nuncij donatio tempestiuè ante mortē donatoris facta non fuerit, nuncius ad duplicem restitutionē teneatur, hæredibus defuncti, nomine rei, quæ tunc eorum est; & donatario, ratione damni, quod ipsius culpâ donatarius contraxit. Atque ita docet Molina *disput. 263.* Et ratio est, quia, posito tali mandato, tenebatur lege iustitiæ diligentiam adhibere, vt mandatum ex mente mandantis tempestiuè in commodum mandatarij adimpleretur.

32 Aduerte tamen, quod Sà *verb. donatio, num. 11. & verb. mandatum, num. 2.* & quidam alij sentiunt, nec mandatum donandi expirare morte donatoris, eo quod huiusmodi mandatum etiam sit gratia quædam. Quorum sententia non est improbabilis: & iuxta illam non tenebitur nuncius hæredibus, sed solùm donatario, vt per se patet.

DVBITATIO LXX.

An impeditus adire Pontificem pro absolutione casus Pontificij, volens tamen adire Legatum Pontificis, vel alium specialiter priuilegiatum, ab Episcopo absolui possit?

SVMMARIVM.

1 *Impeditus adire pontificem pro absolutione casus Pontificij, volens tamen adire Legatum ipsius, vel alium specialiter priuilegiatum ab Episcopo, absolui potest, ex non improbabili sententia aliquorum.*

2 *Iura in signum specialis reuerentiæ requirunt, vt pro absolutione Pontifex adeatur.*

3 *Reuocatio casuum Pontifici cùm deroget iuri Episcopali, strictam habere debet interpretationem, quamuis contrariam teneant ex probabiliori sententia nonnulli Doctores, quia casus reseruatus deuoluitur ad inferiorem ratione necessitatis.*

4 *Clerici percussor non ab alio, quàm à Romano Pontifice, vel eius Legato, absolutionis beneficium obtinere potest, præterquam, quod si canonico impedimento, quominus Romanum Pontificem adire possit, retrotrahatur.*

5 *Episcopi in regionibus ab Vrbe distantibus, in quibus nullus adest Legatus Sedis Apostolicæ, præscribere possunt iurisdictionem absoluendi à quibusdam casibus Papalibus, qui frequenter contingere solent, & quinam sint, vide ibi per extensum.*

6 *Episcopi, difficile quibusdam videtur, vt huiusmodi excommunicatos subditos suos ad priuilegiatos, puta Regulares, pro absolutione mittant.*



ESPONDETVR ex non improbabili sententia aliquorum, affirmatiuè. Atque ita tenent Suarez *tom. 4. disp. 30. sect. 3. n. 4.* Henriquez *lib. 6. cap. 10. num. 1.* & Auila *de censuris part. 2. cap. 7. disput. 1. dub. 6.* 1

Probatur, quia iura in signum specialis reuerentiæ requirunt, vt pro absolutione Pontifex adeatur: Ergo si ille adiri non potest, cessat reseruatio Pontificis, & casus deuoluitur ad proprium Ordinarium. 2

Confirmatur, quia reseruatio casuum Pontificis, cùm deroget iuri Episcopali, strictam habere debet interpretationem. 3

Quamuis contrarium ex probabiliori sententia doceant Nauarr. *cap. 27. n. 89. & 90.* Coninch. *de censur. disp. 16. n. 142.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 13. n. 11.* ex eo, quia casus reseruatus deuoluitur ad inferiorem ratione necessitatis. At necessitas non est, si adsit qui iure ordinario, vel speciali absoluere potest: ergo.

Confirmant *ex cap. quamuis, de sent. excommunic.* vbi tamen, sicut & *in cap. ea noscitur,* nihil habetur, quàm clerici percussorem non ab alio, quàm à Romano Pontifice, vel eius Legato absolutionis beneficium obtinere posse, præterquàm si canonico impedimento, quominus Romanum Pontificem adire possit, retrotrahatur. Vbi cùm nulla mentio fiat de Legato Pontificis, Canon ille potiùs fauere videtur priori sententiæ, quam propterea improbabilem iudico, sed contrariam probabiliorem. 4

Ex doctrina tamen Nauarri *lib. 1. consil. 1. quæst. 14. de constitut. edit. 2.* puto locorum consuetudinem spectandam hic esse: Nam Episcopi in regionibus ab vrbe distantioribus, in quibus nullus adest Legatus Sedis Apostolicæ, præscribere potuerunt iurisdictionem absoluendi à quibusdam casibus Papalibus (qui frequenter contingere solent) v.g. à notoria clerici percussione, hæresi, &c. sine onere, quod delinquenti imponi debeat comparendi coram Romano Pontifice, eiusque Legato: præsertim si delinquens Ecclesiæ, & parti læsæ sufficienter satisfaciat, vel satisfacere paratus sit. 5

Vt verò Episcopi ad priuilegiatos, putà Regulares, quasi hi maiorem ipsis absoluendi potestatem habeant, huiusmodi excommunicatos subditos suos pro absolutione mittant, difficile quibusdam videtur, vti notauit Nauarrus *cit. lib. 1. consil. 11. de priuileg. edit. 2.* 6

DVBI



DVBITATIO LXXI.

An hæreticus sit infamis? Vbi etiam, an sit irregularis, & quid dicendum de fautoribus, defensoribus, & receptatoribus ipsius hæretici: Et quid de suspectis de hæresi, & de filiis eiusdem hæretici?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus vtpote excommunicatus, priuatus est omni officio, & munere, quo excommunicatus: quare non potest sacramenta recipere, neque ministrare, neque actum Ordinis exercere, neque obire alia munera, quæ excommunicato interdicuntur.*

2 *Hæreticus si quis moriatur, caret Ecclesiastica sepultura: quod etiam extenditur ad fautores, & defensores hæreticorum.*

3 *Hæreticus, vt careat Ecclesiastica sepultura, debet ita notoriè mori, vt nulla tergiuersatione ipsius malitia celari possit; aliàs priuari non debet dicta sepultura.*

4 *Hæreticum notorium sepelire præsumens in loco sacro incurrit excommunicationem, & existit suspectus de hæresi.*

5 *Hæreticus est ipso iure infamis.*

6 *Hæreticus, nisi eius delictum sit notorium, non perfectò contrahit infamiæ pœnam.*

7 *Infamia est praua alicuius opinio circa plures, quæ esse non potest absque cognitione delicti.*

8 *Infamiæ pœna licet ob delictum hæresis contrahatur de iure, indiget tamen sententia declaratoria criminis.*

9 *Hæretici bona sunt ipso iure confiscata, sed confiscationis executio requirit sententiam saltem declaratoriam criminis.*

10 *Infamia non tam contrahitur ex hæresi occulta quoad effectum, scilicet quoad inhabilitatem ad officia publica, & beneficia, quàm ab excommunicatione tali crimini annexa.*

11 *Hæreticus est infamis eo ipso, quod incidit in hæresim, requiritur tamen sententia declaratoria criminis, quæ sola sufficit sine condemnatoria.*

12 *Hæreticus secundum aliquos est ipso iure infamis ante omnem iudicis sententiam, cùm verò crimen hæresis fuerit notorium, tunc hæreticus incurret infamiam facti, non tamen infamiam iuris, nisi post criminis sententiam declaratoriam.*


VPPONO, hæreticum, vtpote excommuni-
1 catum, priuatum esse omni officio, & mune-
re, quo excommunicatus priuatus est. Vnde
non potest Sacramenta recipere, neque mi-
nistrare, neque actum Ordinis exercere, neque obire alia
munera, quæ excommunicato interdicuntur. Quin si
2 moriatur, caret etiam Ecclesiastica sepultura, *cap. sicut, de hæretic. in fine, cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæretic.* Quod extenditur ad fautores, & defensores
3 hæreticorum. Debet tamen hæreticus ita notoriè mori,
vt nulla tergiuersatione ipsius malitia celari possit; aliàs
4 priuari non debet dicta sepultura. Qood si non obstãte
hac notorietate illum in loco sacro sepelire præsumpseris, excommunicationem incurris, *ex cap. quicumque, de hæretic. in 6.* & ibi Glossa (nisi dicas ex Concilio Constantiensi, posse nos communicare cum excommunicatis, nempe toleratis, post mortem; quia possumus in vita:) & suspectus de hæresi existis, vti rectè tradit Farinac. *de hæresi q. 92. n. 18. & seqq.* His suppositis,

Respondetur affirmatiuè, ita vt infamiæ pœna hære- 5
ticum comitetur ipso iure, *ex Auth. Gazaros, in princip. Cod. de hæretic.* ibi: *Et omnes hæreticos vtriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia.* Et ex *l. cunctos populos, C. de sum. Trinit.* & ex constitut. Federici Imp. *Catharos*, & ex constitut. Leonis X. *Exurge Domine*, apud Peñam inter literas Apostolicas, & *ex cap. infames 6. q. 1. ex cap. alieni 2. q. 7. ex cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæretic.* vbi etiam declarantur infames fautores hæreticorum, si intra annum non conuertantur, sicque multò magis infames erunt hæretici, *ex cap. 2. §. hæreticus, & ex cap. statutum 2. de hæretic. in 6.* Et tradunt Peña *in director. part. 1. comment. 4. vers. reliquos*, Ghiland *tract. de hæret. q. 3. n. 2.* Suar. *de fide disp. 21. sect. 5. n. 3.* & Farinac. *de hæresi q. 189. n. 40.* quia cùm crimen hæresis apud fideles sit valdè exosum, merito in vtroque iure infamiæ pœna punitur,

Cæterum hæc infamiæ pœna perfectè nõ contrahitur 6
ab hæretico, quovsque illius delictum fuerit notorium,
vel notorietate facti, si factum sit publicum: vel notorietate iuris, si per sententiam innotescat omnibus. Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13. q. 7.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 26. n. 1.* Bursat. *consil. 14. n. 18. & 23. lib. 1.* & Farinac. *de hæresi*
q. 189. n. 56. Et probatur, quia infamia est praua alicu- 7
ius opinio circa plures, quæ esse non potest absque cognitione delicti.

Neque obstat, quod hæc infamiæ pœna de iure con- 8
trahatur, ob delictum hæresis.

Respondetur enim, quod contrahitur quidem de iu- 9
re, sed indiget sententia declaratoria criminis. Quemadmodum bona hæretici sunt ipso iure confiscata, sed confiscationis executio requirit sententiam, saltem declaratoriam criminis.

Quod verò nonnulli aiunt, ex hæresi occulta con- 10
trahi infamiam quoad effectus, scilicet quoad inhabilitatem ad officia publica, & beneficia, arbitror, hunc effectum oriri, non tam ex infamia, quàm ex excommunicatione tali crimini annexa.

Est igitur hæreticus infamis eo ipso, quod incidit in 11
hæresim, vti dicebam, & tradit Bartol. *in l. cunctos populos, Cod. de sum. Trinit. n. 11. & 12.* Paul. de Castro *ibid. n. 18.* & Alphons. de Castro *de iust. hæreticor. punit. lib. 2. cap. 9.* Requiritur tamen sententia declaratoria criminis, vti etiam dicebam. At sufficit tamen sola declaratoria, & non necessariò requiritur etiam condemnatoria. Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13. post q. 8. in septima hæreticorum pœna*, Farinac. *de hæresi q. 189. n. 56.* & alij quos sequitur Sanch. *lib. 2. moral. cap. 26. n. 1.*

Quamuis quidam sentiant, quod hæreticus sit ipso 12
iure infamis ante omnem iudicis sententiam. Ita Castro *cit. cap. 5. & 9.* Peregrin. *de iure fisci lib. 5. tit. 1. n. 172.* Penna *in Director. part. 1. commentar. 4.* Suarez *de fide disputat. 21. section. 5. num. 4.* Royas *singul. 81.* Aragon. *2. 2. q. 11. art. 3.* & Simanch. *de catholic. institut. tit. 46. num. 66.* Cùm verò crimen hæresis fuerit notorium, tunc hæreticus incurret infamiam facti, non tamen infamiam iuris, nisi post criminis sententiam declaratoriam. Doctores, quos sequitur Azor. *loco sup. cit.*

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus cùm sit infamis, ad nullos honores, vel dignitates admittitur ex iure tam ciuili, quàm canonico: & meritò redditur inhabilis ad honores, dignitates, officia, & beneficia, &c. Tum in vindictam tanti criminis, tum in honorem Fidei, ne fideles aliquid damni recipiant. Quod tamen intellige de veris hæreticis, & non tantùm de suspectis de hæresi.*

2 *Hæreticus non potest obire publica officia, ex supracitatis Constitutionibus.*

3 *Hæreticus non potest esse iudex, ex pluribus Constitutio*

rutionibus : Quod si fortè Iudex extiterit , eius sententia ipso iure nullam obtinet firmitatem , & processus coram ipso discussus ipso iure est inualidus.

4 *Hæreticus non potest esse arbiter, & arbitrator; quia arbitria se habent veluti iudicia.*

5 *Hæreticus non potest esse Aduocatus ; quia Aduocati officium est laudabile, & honorificum.*

6 *Hæreticus non potest esse notarius, ita vt inualidum sit instrumentum à Notario hæretico confectum. Intellige tamen de instrumentis confectis à notario, postquam in hæresim inciderit. Quod si ad fidem postea redierit , poterit officium notariatus iterum exercere.*

7 *Hæreticus, (sicut nec ipsius fautores, defensores, receptores, & credentes) non potest esse testis ; ita vt à testimonio ferendo repellatur , quia fides haberi non debet ei , qui à fidei veritate recessit.*

8 *Hæreticus non potest creari defensor ciuitatis.*

9 *Hæreticus, quia est infamis, non potest esse miles.*

10 *Hæreticus non potest promoueri ad gradum Doctoratus ; quia doctoratus est dignitas.*

11 *Hæreticus amittit , si qua habet priuilegia omnia eo ipso, quod inciderit in hæresim.*

12 *Rescripta ab hæretico impetrata vim nullam habent , & per fraudem , ac dolum extorta præsumuntur.*

13 *Hæreticus super quocumque negocio , licet ipse aliis respondere cogatur, agere non potest.*

14 *Infamia prædicta vt incurratur , requiritur notorietas facti, vel sententia declaratoria criminis.*

1 EX dictis hæreticus , cum sit infamis , ad nullos honores, vel dignitates admittitur, ex *l. quæ de Samaritis, in principio Cod. de hæretic.* Ibi : *Neque vlla dignitate decoratur , neque publicam adipiscitur curam* , & ex constitutione Alexandri IV. *Quod super*, ex constitutione Honorij IV. *Exhibita*, ex constitutione Martini V. *Inter cunctas* , & ex constitutione Innocentij III. *His quæ ad implicandam fidem*, apud Peñam inter literas Apostolicas, *ex l. 2. Cod. de dignitatib. lib. 12. ex cap. tantis Daniel, dist. 82. ex cap. inter dilectos, de excessib. Prælator. ex cap. vt commissi, de hæretic. in 6 & ex Regula Infamibus* 88. *de Regul. iur. in 6. Infamibus portæ omnes ad dignitates sunt clausæ.* Et docent Felin. *in cap. excommunicamus* 1. *de hæret. n. 3.* Henricus *in cap. ad abolendam , eodem tit. n. 20.* Cantera *in quæst. crimin. rubr. de hæretic. cap. 1. n. 9.* vbi subdit, hoc intelligendum esse de veris hæreticis, & non de suspectis de hæresi. Royas *singul.* 81. Carret. *de hæretic. n.* 145. Afflict. *in constit. Regn. de hæret. n. 19. vers. Item hæreticus.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 43. n* 8. & Suarez *de fide disp. 21. sect. 5 n. 3.* Et meritò redduntur hæreticos inhabiles ad honores, dignitates, officia, beneficia, &c. Tum in vindictam tanti criminis : Tum in honorem fidei : Tum nè fideles aliquid damni recipiant.

2 Tertiò non potest hæreticus obire publica officia, ex supracitatis constitutionibus, *ex cap. quicumque, §. hæretici, de hæret. in 6. & cap. vt omissi , & ex dicta l. quæ de Samaritis.* Et tradunt Soccin. *in cap. excommunicamus 1. de hæret. n.* 34. Ostiens. *in cap. si aduersus , eodem tit. n. 2.* Zabarella *ibidem n. 1.* Decian. *cit. cap. 43. n. 6.* Royas *singul.* 86. Ricciull. *de iur. person. lib. 5. cap. 20. n. 6* & Farinac. *de hæres. q. 189. n. 44.*

3 Quartò non potest hæreticus esse iudex , ex constitutione Innocentij IV. *Ad extirpanda*, & ex altera eiusdem Pontificis , *Nouerit vniuersitas* , ex constitutione Clementis IV. *Ad extirpanda*, ex constitutione Nicolai III. *Nouerit vniuersitas*, ex constitutione Pauli IV. *Cum ex Apostolatus officio*, & ex constitutione Federici Imperatoris, *Catharos*, apud Pennam inter literas Apostolicas, *ex Authentica credentes, §. quod si fortè, Cod. de hæretic.* Ibi: *Quod si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam proferantur* : & ex *cap. excommunicamus* 1. §. *credentes*, *eodem tit.* & notat ibi Ostiensis *n.* 19. Soccin. *n.* 39. Ancharan. *n.* 3. Io. Andreas *n.* 15. & Zabarella *n.* 4. Albertinus *in rubr. Cod. de hæret. n. 6.* Idem Ostiensis *in cap. si aduersus, de hæretic. n. 2.* Ancharan. *ibidem n. 3.* Cardinalis *n. 1.* & Io. Andr. *n. 3.*

Adeò, quod ipso iure inualidus sit processus coram iudice hæretico discussus. Specul. *tit. de Aduocat. §. 1.* Royas *singul.* 88. *n. 3.* Et patet *ex Clement. 1. §. finali, de vsur.* & notat ibi præter alios Canonistas idem Cardinalis supracitatus.

Et etiam ipso iure inualida fit sententia à iudice hæretico prolata. Doctores iidem, quos suprà citabam, & Decianus *lib. 5. cap. 43. num. 3. & cap. 51. n. 79.* Calderin. *tract. de hæret. in rubr. de pœnis, num. 1. & in § quæ pœna, n.* 14. & Ricciull. *de iur. person. lib. 5. cap. 20. n. 9.*

Quintò non potest hæreticus esse arbiter, vel arbitrator ; quia arbitria se habent veluti iudicia. Ricciull. 4
loco suprà cit. Ioannes Baptista de sancto Seuerino *tract. de arbitr. lib. 4. cap. 9.* & Royas *singul.* 20.

Sextò non potest esse Aduocatus, ex dictis constitu- 5
tionibus Innocentij IV. Clementis IV. Nicolai III. Pauli IV. & Federici Imperatoris, *ex dicta l. quæ Samaritis, & ex cap. excommunicamus 1. §. credentes, de hæretic.* Et probant Angel. *verb. hæreticus , n.* 21. Rosella *n.* 16. Tabiena *n.* 21. Bonifacius de Vitalin. *in rubric. de crimin. hæres. n. 9.* Royas *singul.* 105. Decian. *in tract. crimin. lib. 5. c. 43. n. 4 & cap. 51. n. 79.* Simanch. *de cathol. Instit. tit. 46. n. 61.* & Carret. *de hæret. n.* 151. Quia Aduocati officium est laudabile, & honorificum, *l. sancimus, in principio, & l. Aduocati, Cod. de Aduocat. diuers. iudic.*

Septimò non potest esse Notarius , ita vt inualidum 6
sit instrumentum à Notario hæretico confectũ, *ex dicta Auth. credentes, §. si Tabellio, Cod. de hæretic.* Ibi : *Instrumenta per ipsum confecta nullius penitus momenti censeantur*, & ex dictis constitutionibus diuersorum Pontificũ, & ex *cap. excommunicamus 1. §. credentes, vers. si Tabellio, de hæretic.* Ibi: *Instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum authore damnato damnentur* , & notant ibi Abbas *n. 2.* Ancharan. *n. 3.* Henricus *n. 10.* Ostiensis *n. 19.* Io. Andr. *n. 15.* & Soccin. *n. 39.*

Intellige tamen de Instrumentis confectis à Notario, postquam in hæresim inciderit , Abbas *loco suprà cit.* Royas *singul. 89. n. 2.* Petrus de Insula *in Prax. Notariat. in princ. n. 25.* & alij, quos sequitur Scaccia *tract. de Iudic. caus. cap. 98. n. 19.*

Quod si ad fidem postea redierit , poterit officium Notariatus iterum exercere. Doctores , quos sequitur Riminald. Iunior *lib. 2. cons. 185.*

Octauò non potest hæreticus (sicut nec ipsius fauto- 7
res, defensores, receptatores, vel credentes) esse testis, ita vt à testimonio ferendo repellatur , *l. quoniam multi, Cod. de hæretic. Auth. credentes, Cod. eodem, cap. excommunicamus 1. §. credentes , eodem tit. cap. si hæreticus, & cap. Pagani 2. q. 7.* Quia fides haberi non debet ei , qui à fidei veritate recessit , *cap. non potest 2. quæst. 7.* Non enim potest erga homines esse fidelis , qui Deo fuit infidelis , *dicto cap. non potest , & cap. nulla officia, dist. 54.*

Nonò, non potest creari defensor ciuitatis, *l. iubemus,* 8
de Episcopal. audient. nec vocari ad Concilia, *Auth. credentes, Cod. de hæret. l. Manichæi 1. Cod. eodem, & cap. excommunicamus 1. §. credentes, eodem tit.*

Decimò, non potest propter eamdem rationem (quia 9
scilicet est infamis) esse miles, *ex l. quicumque, §. nullum, Cod. de hæretic. ex l. Manichæi 1. & ex dicta l. quæ de Samaritis.* Et docet præter alios Decian. *in tract. crimin. lib. 6. cap. 43. n. 4.*

Vndecimò, non potest promoueri ad gradum Docto- 10
ratus ; quia Doctoratus est dignitas, *l. prouidendum, in prin. Cod. de postulat. & cap. quanto, de magistr.* & docent Rebuff. *in l. Curialis, Cod. de decurion. n. 1. & seqq.* Abb. *in cap. proposuisti, de probat. n. 15.* Alex. *lib. 1. cons. 94. n. 2.* & Royas *singul. 105. n. 2.*

Duodecimò amittit , si quæ habet, priuilegia omnia 11

eo ipso, quod inciderit in hæresim, Auth. *Item priuilegium, Cod. de hæretic.& l.1.Cod. eodem,* Ibi: *Priuilegia, quæ contemplatione Religionis indulta sunt, Catholicæ tantùm legis obseruatoribus prodesse oportet, hæreticos non solùm ab his priuilegiis alienos esse volumus, sed aduersis oneribus constringi, & subiici.* Et tradunt Royas *singul.135.n.3. & singul.136.n.2.*& alij, quos sequitur Simanch. *de cathol.Institut. tit.19.n.18.*

12 Adeò quod rescripta etiam ab hæretico impetrata, vim nullam habeant,& per fraudem, ac dolum extorta præsumantur, *l. sicut,Cod. de Pagan. & Sacrific. eor. l. finali C.si contra ius,vel vtilitatem publicam,& l.1.Cod. de summa Trinit.* Et probat Florianus *in l.1.§. sed etsi quis,n.1.ff. fin. regund.* Castrens. *in l.2. Cod. de sacros. Eccles. n.3.* Cynus *in l.finali Cod.si contra ius,vel vtilit. public.* Simanch. *de cath. Instit. tit.45.n.44.* & Brunus *de hæret. lib.5. cap.7.*

13 Decimotertiò, super quocumque negocio,licet ipse aliis respondere cogatur, agere non potest, ex constitutionibus eisdem, quas suprà citabam, *ex cap. excommunicamus 1.§. credentes, de hæretic.* & tradit Ostiens. *in summ. rubr. de hæret.§.quæ pœna,n.13.* & Carrer. *tract. de hæretic. n.151.*

Non obstat, si dicas: Infamia consistit in hominum cognitione,& existimatione: Ergo priusquam quis cognoscatur hæreticus,non poterit esse infamis,atque adeò non poterit esse infamis, eo ipso, quod inciderit in hæresim.

14 Respondetur enim, quod propterea dixerim,ad perfectè incurrendam hanc infamiam requiri notorietatem facti, vel sententiam declaratoriam criminis; at si dicamus,vt nonnulli putant,eam perfectè incurri ipso facto, tunc in sententia istorum dicendum erit, per crimen hæresis, etiam occultum, incurri infamiam quoad effectus iuris (scilicet inhabilitatis ad honores, dignitates, officia, beneficia, &c.) licet non incurratur illa infamia, quæ in facto, & in hominum notitia consistit. Quod tamen, & forsan probabiliùs, de hac re ego arbitrer, vide suprà *n.10.*

PETITIO PRIMA.

An hæreticus sit etiam irregularis?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus non solùm notorius, sed etiam occultus ex probabili sententia multorum,est etiam irregularis.*

2 *Hæreticus solùm notorius, probabile est etiam, quod sit irregularis, quia iura, à quibus hæc irregularitas colligitur, loquuntur de delicto notorio, & irregularitas non incurritur, nisi in casibus à iure expressis.*

3 *Hæreticum etiam occultum esse irregularem afferuntur plures Doctores id asserentes, si non ratione infamiæ,quia ea non potest considerari,nisi factum sit publicum,tamen ea irregularitate,quam dicunt oriri defectu animæ.*

4 *Quodque etiam probatur ex pluribus Pontificum constitutionibus.*

5 *Hæreticus ab hæresi ad fidem reuertens de consuetudine etiam sine dispensatione non ordinatur, & promotus in Ordinibus susceptis non administrat; vti probatur allatis Patribus, & summorum Pontificum, & Conciliorum constitutionibus.*

6 *Irregularitas,quæ oritur ex delicto notorio ratione infamiæ cessat, quando infamia tollitur ob publicam emendationem.*

7 *Inquisitoribus in constitutione Clementis VII. quæ incipit* cùm sicut,*conceditur, quod possint dispensare in irregularitate contracta ob hæresim occultam.*

8 *Hæreticus tantum notorius,& non item occultus,quod sit irregularis, sicque hæreticus non sit irregularis peculiari quadam irregularitate, sed solùm generali,quatenùs scilicet omnia delicta grauia notoria inducant irregularitatem, tenent aliqui Doctores.*

9 *Hæreticus in casu, quo est irregularis, ita est irregularis, vt nec etiam possit ad primam tonsuram promoueri; quia cùm prima tonsura sit medium ad Ordines, & media sint via ad finem, & conformentur cum fine, eadem iuris dispositio est de mediis, ac de fine.*

10 *Apostata multò magis est irregularis; quia cùm hæreticus recedat ab aliquo articulo fidei; apostata verò ab omni, hæreticus in ordine ad apostatam se habet tanquam inclusum ad includens.*

11 *Hæretico, vel apostatæ si conferatur beneficium,collatio est nulla.*

12 *Irregularitas nulla incurritur propter hæresim purè internam, seu mentalem, quæ scilicet nullo modo prodiit in actum externum.*

13 *Hæreticus, vel apostata ita est irregularis, vt etiam si redeat ad fidem Catholicam, adhuc remaneat irregularis.*

14 *Clerici si abiiciant hæresim, permittuntur quidem in Ordinibus susceptis ministrare,non tamen similiter ascendere ad Ordines maiores.*

15 *Idemque dic etiam de Laicis,licet enim prædicta iura mentionem non faciant de laicis,sed solùm de clericis, communiter tamen extenduntur etiam ad laicos.*

16 *Iura loquentia, quod clericus hæreticus, si abiiciat hæresim, seu sit pœnitens,possit ministrare in Ordinibus susceptis,intelligenda sunt post obtentam dispensationem, non autem antè.*

17 *Facientes ob timorem actum aliquem externum fidei repugnantem, licet interius retineant fidem, sunt etiam irregulares, quamuis non contrahant eam irregularitatem, quæ imponitur hæreticis, & apostatis à fide, sed aliam propriam illius criminis.*

18 *Fautores, item defensores, & receptores hominis hæretici, siue sint notorij, siue etiam occulti, in sententia eorum, qui asserunt, hæreticum etiam occultum esse irregularem, sunt irregulares.*

19 *Suspecti de hæresi, quotiescumque suspicio nascitur ex eo, quod faueant hæreticis, vel illos defendunt, vel recipiunt, sunt etiam irregulares, secus si suspicio nascatur ex alio crimine.*

20 *Suspecti de hæresi postquam illam abiurauerint, non sunt irregulares, nec ad officia, & beneficia inhabiles,contra nonnullos.*

RESpondetur, ex probabili sententia multorum,hæreticum, non solum notorium, sed etiam occultum esse irregularem. 1

Dixi: *ex probabili sententia multorum*; quia probabile etiam videtur,quod hæreticus,solùm notorius sit irregularis,eo quod iura (de quibus infra) vnde hæc irregularitas colligitur, loquuntur de delicto notorio,& irregularitas ex alio capite non asseritur, nisi in casibus à iure expressis.Quapropter regula tradi solet, quod irregularitas non oriatur ex vllo delicto occulto, nisi solùm ex homicidio,mutilatione, vel violatione censuræ,iuxta ea, quæ dicebam *Tract. de radice restitutionis*, aliarumque obligationum,& pœnarum,vt excommunicationis, & irregularitatis, quæ oritur ex delicto. 2

Et quidem,quod hæreticus, etiam occultus, sit irregularis, docent Angel. *verb. Irregularitas 1.n.26.* Syluester *eodem verb. q.14. & verb. crimen. q.2.n.3.* Lopez *in Instruct. tom.2. part. 2. cap. 14.* Nauarrus *in summa cap. 27. n. 205. vers. 3. & cons. 19. de hæretic.* Suarez *tom.5. de censur. disput.43.sect.1.n.4. & in tract. de fide disp.21.sect.5.n.1.* Felinus *in cap.eam te,de rescript.n.12. limit. 1.* Maiolus *de Irregular. lib.5. cap.46. num. 1. & 2.* Lambertin. *de iur. patron. part. 1. lib. 1. quæst. 7.* Mandos. *de signat. gratiæ, tit. de absolut. ab hæres. in principio,& vers. vltra absolutionem,* Vgolin. *de irregularit. cap. 36. num.1. & seqq.* Valentia *tom.4. disput. 7. quæst.19. punct.3. in 3. specie irregularitatis*, Tolet. *in* 3

summa

summa lib.1.cap.69.n.1. Azor. *tom.1.lib.8.cap.11.q.13.* & *cap.21.q.8.* Sanch. *lib.2.moral.cap.25.n.2.* Mendoza *lib. 3. de confirmat. Concil. Illiberitani, cap. 58. & 29.* Speculat. *tit. de dispensation. §.iusta, n.16. vers.6.* Penna *in direct. part. 3. comment. 162. vers. nunc autem, & comment. 175.* Feliciani *de censur. cap 7. de irregul.* Ricciul. *de iur. person. lib.5. cap.17. n.3.* Vioald. *de irregul. n.71. & 72.* & Farinac. *de hæres. quæst. 192. n.67.* Idem sentire videntur Armilla *verb. irregularitas 2. n.85.* S. Antonin. *part.3. tit.28. cap.6. in princ.* & Ledesma *2. part. 4. q.26. art. 2.* quatenùs aiunt, quod hæreticus sit irregularis ea specie irregularitatis, quæ oritur ex defectu animæ: quia quotiescumque incurritur irregularitas ratione infamiæ, Doctores non dicunt, incurri irregularitatem ratione illius criminis, nec dicunt irregularitatem oriri ex defectu animæ: Ergò signum est, quod isti Doctores sic loquendo sentiant, irregularitatem esse annexam hæresi secundùm se: sicque hæreticum esse irregularem ratione hæresis, & non solùm ratione infamiæ.

4 Probatur hæc sententia *ex cap. Nos, dist. 51. ex cap. inter sollicitudines, de purgat. canonic. ex cap. conuenientibus, §. finali 1. quæst. 7. ex cap. omnis 1. quæst. 3. ex cap. si quis omnem, ex cap. saluberrimum 1. q.3. ex cap. Presbyter, de pœnit. dist. 5. ex cap. 2. § hæretici, de hæretic. in 6.* ex Concilio Illiberitano *cap. 51.* ibi: *Ex omni hæresi qui ad nos fidelis venerit, minimè est ad clerum promouendus, vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponentur.* Ex epistola Cornelij Papæ apud S. Cyprianum *epist. 68.* & apud Eusebium *lib.6. histor. Eccles. cap. 35.* ibi: *Reuertentes ab hæresi ad fidem non sunt ad gradus promouendi, nec debent ministrare in illis iam susceptis*: Ex epistola 21. Innocentij I. *cap.4. ad Episcop. Maced.* ibi: *Nostræ lex est Ecclesiæ, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sint, laicam tantùm tribuere communionem, nec ex his aliquem in Clericatus honorem, vel exiguum subrogare*: Et ex epistola Felicis record. Pij III. *ad Achacium Episc. Constantinopol.* vbi idem habetur.

5 Et talem fuisse consuetudinem (quod scilicet hæreticus ab hæresi ad fidem reuertens) sine dispensatione non ordinaretur, & promotus in ordinibus susceptis non administraret, testatur S. August. *in lib. de vnico baptismate cap. 11. & in epist. 50. ad Bonifacium* Et interdum autem Pontifices, & Concilia dispensasse (quod scilicet idem ab hæresi ad fidem reuertens) ordinaretur, & si iam erat promotus, suis ordinibus, & gradibus fungeretur, testatur idem S. August. *in eadem epist. 50. & in epist 162.* Et tradit Concilium Nicænum *can. 8.* ibi: *Si qui voluerint venire ad Ecclesiam ex Nouatianis, placuit Sancto Concilio, vt ordinentur, & sic maneant in Clero.* Et teste S August. *in eadem epist. 162.* Melchiades Papa in Concilio Romano Episcopos Donatistas, redeuntes ad veram fidem, professus est, se velle ad eandem dignitatem, & gradum recipere. Quod etiam fecerunt Patres congregati in Concilio Carthaginensi, sicut habet Concilium Africanum *can. 35.* Videri etiam poterit Roffinus *lib.10. cap. 28. 29. & 30.* Hieronymus *contra Lucifer.* August. *de Agone Christiano circa finem,* & Athanasius *in epist. ad Ruffinum, relata in 7. Synodo sect. 1.*

Secundò probatur ex Leone Papa *epist. 3. ad Episcopum Aquileiensem,* vbi licet concedat facultatem, quod quidam hæretici resipiscentes ad pristinos gradus Ecclesiasticos redeant, prohibet tamen, ne ad maiores promoueantur.

6 Tertiò probatur ratione, quia irregularitas, quæ oritur ex delicto notorio ratione infamiæ, cessat quando infamia tollitur ob publicam emendationem: At hæc irregularitas non cessat ob publicam emendationem: Ergò hæc irregularitas non est generalis, sed specialis, & annexa secundùm se crimini hæresis.

7 Quartò, quia in Constitutione Clement. VII. quæ incipit *cum sicut*, apud Pennam inter literas Apostolicas, conceditur Inquisitoribus, quod possint dispēsare in irregularitate contracta ob hæresim occultā: Ergò supponitur, quod irregularitas cōtrahatur ob crimen ipsum hæresis.

8 At è contra, quod hæreticus tantùm notorius, & non item occultus sit irregularis, sicque hæreticus non sit irregularis peculiari quadam irregularitate, sed solùm generali (quatenus scilicet omnia delicta grauia notoria inducunt irregularitatem;) tenent Henriquez *lib. 14. cap.4. n.6. & cap.5. n.2.* Sayr. *de censur. lib.7. cap.12. n.16.* Phyliarch. *lib. 4. cap. 15.* Garzias *de benefic. part. 11. cap.10. n.83. & 84.* Auila *de censur. part.7. disp.4. dub.2.* Perez *lib.8. ordinar. tit.4. lib.3. part.1. tract. de hæres.* & Emmanuel Sà *verb. irregularitas,* cùm loquitur de irregularitate ex defectu animæ, ex eo, quia sicuti dicebam, irregularitas non asseritur, nisi in casibus iure expressis, & ex alio capite iura, ex quibus colligitur hæc irregularitas, non loquuntur nisi de notorio hæretico, siquidem *cap. ad abolendam, de hæretic.* loquitur de publico hæretico, in iis verbis: *Quicumque manifestè fuerit in hæresi deprehensus*; & *cap. saluberrimum 1. quæst. 3.* loquitur etiam de hæretico publico, & de abiuratione solemni, quæ fit in scriptis; & *cap. 2. § hæretici, de hæretic. in 6.* loquitur pariter de hæretico publico, & de abiuratione pariter solemni, quæ fit similiter in scriptis; & eodem modo loquitur *cap. nos si. §. ità Daniel 2. quæst. 7. & cap. Presbyter, de pœnit. distinct. 5.* Quidquid autem sit de hoc, illud tamen.

9 Aduerte, quod hæreticus in casu, quo est irregularis, ità sit irregularis, vt nec etiam possit ad primam tonsuram promoueri. Syluest. *verb. irregularitas, quæst. 5.* Penna *in director. part. 3. comment. 163. vers. præterea qui reuertitur,* & alij, quos sequitur Maiolus *de irregul. lib.5. cap.46. n.3.* quia cùm prima tonsura sit medium ad Ordines, & media sint via ad finem, & conformentur cum fine, eadem iuris dispositio est de mediis, ac de fine.

10 Aduerte secundò, quod apostata multò magis sit irregularis. Syluest. *eodem verb. irregularitas, quæst. 5. n.7.* Angel. *n.27.* Armilla *n.33.* Tabiena *eodem verb. irregularitas 4. quæst. vlt.* Sotus *in 4. dist. 25. quæst.1. art. 3.* Et habetur *in cap. Presbyteros, §. de his, dist. 50.* Quia cùm hæreticus recedat ab aliquo articulo fidei, apostata verò ab omni, hæreticus in ordine ad apostatam se habet tanquam inclusum ad includens, ità vt (licèt non omnis hæreticus sit apostata) omnis tamen apostata sit hæreticus.

11 Hinc fit, quod si beneficium conferatur hæretico, vel apostatæ, collatio beneficij sit nulla, *cit. cap. Presbyteros,* & docent Syluest. & Angelus *in locis supra citatis.*

12 Aduerte tertiò, quod Propter hæresim purè internam, seu mentalem (quæ scilicet nullo modo prodit in actum externum) nulla incurratur irregularitas. Suarez *de fide disp.21. sect.5. num.3.* Phyliarch. *de offic. Sacerd. tom.1. part.1. lib. 4. cap.15.* & alij passim, quia Ecclesia non habet potestatem in actus purè internos, seu mentales.

13 Aduerte quartò, quod hæreticus, vel apostata ità sit irregularis, vt etiamsi redeat ad fidē Catholicam, adhuc remaneat irregularis. Gloss. *in cap. nos consuetudinem, dist.12.* S Antonin *in summa part. 3. tit. 28. cap. 6. in princ.* Penna *in direct. part. 3. q.116. comment. 162. vers. ac primum.* Felin. *in cap. eam te, de rescript. n.12.* Nauarr. *cap.27. n.105. vers.3.* Decian. *in tract. criminal. lib.5. c.54. n.17.* Maiolus *de irregul. lib.5. cap.46. n.1.* & alij, quos sequitur Sanchez *lib.2. moral. cap.25. n.2.* & constat *ex cap. illud quoque, dist.50.* Quamuis contrarium velint alij, inter quos Parisius *lib.4. cons.2. n.185. & 188.* & Rulandus *lib. 3. cons.63. n.56.*

14 Aduerte quintò, quod Clerici, si abiiciant hæresim, permittantur quidem in ordinibus susceptis ministrare, non tamen similiter ascendere ad Ordines maiores. Syluest. *verb. irregularitas, §.5.* Vgolin. *de irregularit. cap.36. num.1.* Suarez *tom.5. de censur. disp 43. sect.1. num.2.* Penna *in direct. part.3. comment. 165. & comment. 175.* Maiolus *de irregul. lib.5. cap. 46. num.x.* Et patet *ex cap. Saluberrimum, ex cap. Conuenientibus 1. q.7. & cap. nos consuetudinem, dist. 12. & ex cap. illud dist.5.* Vbi & redditur ratio quia, *quamuis sint omnium peccatorum contagione mundati; nulla tamen de-*

bent gerendorum Sacramenta suscipere, qui dudum fuerunt vasa vitiorum.

15 Aduerte sextò, quod licet prædicta iura mentionem non faciunt de Laïcis, sed solùm de clericis, communiter tamen extendantur etiam ad Laïcos, vt scilicet & Laïci etiam non possint vllo modo ad Ordines promoueri; quia clerici promoueri prohibentur, non quia sunt clerici, sed quia sunt irregulares, quales in casu nostro sunt etiam Laïci.

16 Aduerte septimò, quod iura, quæ dicunt, clericum hæreticum, si abiiciat hæresim, seu sit pœnitens, posse ministrare in Ordinibus susceptis, intelligenda sint post obtentam dispensationem, non autem antè. Penna *in director. part. 3. q. 113. comment. 162.* Suarez *tom. 5. de censur. citata disput. 43. sect. 1. n. 2.* & Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 11. q. 13.* Quia si posset antè obtentam dispensationem in ordinibus susceptis ministrare, hæreticus non absolutè esset irregularis.

17 Aduerte octauò, quod qui ob timorem faciunt aliquem actum externum fidei repugnantem, interiùs tamen retinent fidem, sint etiam irregulares, quamuis non contrahant eam irregularitatem, quæ imponitur hæreticis, & apostatis à fide, cum propriè non sint hæretici, neque apostatæ, sed aliam propriam illius criminis. Suarez *cit. disput. 43. sect. 2. num. 1.* & Maiolus *lib. 5. de irregularit. cap. 34. n. 2.* & patet *ex cap. Presbyteros, dist. 50.* Ibi: *Arcendi sunt ab Ordinibus, qui ex metu Idolis immolarunt.*

18 Aduerte nonò, quod sint etiam irregulares fautores, defensores, & receptatores hominis hæretici, siuè sint notorij, siuè etiam occulti (in sententia scilicet eorum, qui volunt, quod irregularis sit hæreticus etiam occultus) Suarez *cit. sect. 2. n. 5.* Valentia *tom. 4. disput. 7. q. 19. punct. 3. in 3. specie irregularitatis*, & Toletus *lib. 1. cap. 69. n. 2.* Et constat *ex cap. 2. §. hæretici, de hæretic. in 6.* vbi tales dicuntur esse inhabiles ad omne beneficium, & officium publicum; sub nomine autem officij publici comprehenduntur non solùm officia temporalia, sed etiam officia Ecclesiastica, sicque etiam Ordines, qui pertinent ad officium publicum.

19 Aduerte decimò, quod etiam sint irregulares suspecti de hæresi, quotiescumque suspicio nascitur ex eo, quod fauent hæreticis, vel illos defendunt, vel recipiunt. Quod si suspicio nascatur ex alio crimine, tunc non erunt irregulares propriè propter huiusmodi suspicionem, sed solum propter infamiam, si scilicet crimen illud fuerit notorium: Quapropter si auferatur infamia, & purgetur suspicio, tolletur etiam huiusmodi irregularitas. Suarez *cit. sect. 5. num. 8. & 9.* Henriquez *lib. 14. cap. 4. n. 6.* & alij passim.

20 Aduerte vndecimo, quod suspecti de hæresi, postquam illam abiurauerint, non sint irregulares, nec ad officia, & beneficia inhabiles, Garz. *de benef. part. 11. cap. 10. n. 88.* vbi subdit, sic fuisse in Rota Romana resolutum. Henriquez *lib. 13. cap. 56. n. 1.* Parasius *de resignat. benefic. lib. 4. quæst. 3. n. 17.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 55. n. 12.* & Emmanuel Sà *verb. hæresis, n. 5.* Quamuis contrarium teneant alij, quos sequitur Azor. *tom. 1. lib. 6. cap. 21. q. 8. circa finem.*

PETITIO II.

Quidnam dicendum de filiis ipsius hæretici?

SVMMARIVM.

1 *Filij hæreticorum licet secundum aliquos Doctores sint infames, & inhabiles honorum, dignitatum, & publicorum officiorum, contrarium tamen, scilicet prædictos filios non esse infames, sicut neque filios eorum, qui fauent hæreticis, vel defendunt, vel recipiunt, est probabilius; quia nullibi in iure constat, istos esse infames.*

2 *Infamis quis ipso iure non efficitur eo quia sit inhabilis ad officia, & beneficia, & propterea non ex eo, quod filij hæreticorum in* cap. 2. §. *hæretici, de hæretic. in 6. sint ad ea inhabiles, censentur infames.*

Respondetur, quod quamuis, istos esse infames, velint Henriq. *lib. 14. de irregul. cap. 5. n. 4.* Calderin. *tract. de hæretic. in rubric. de pœn. filior. hæret. n. 4. & in rubric. de pœnis receptator. n. 3. & 4.* Surdus *cons. 386. num. 4.* Castro *de iust. hæret. punit cap. 9.* Molina *tom. 3. part. 1. de Inst. disput. 658. n. 25.* Penna *in direct. Inquis. part. 2. comment. 4.* Simanch. *de cath. Institut. tit. 29. n. 13.* vbi subdit propterea, prædictos filios non posse esse Medicos, Chyrurgos, Iudices, Decuriones, Aduocatos, nec posse exercere alias publicas functiones. Grass. *lib. 2. cap. 18. n. 16.* Locatus *in Iudic. Inquis. verb. filij, n. 10.* Afflict. *in constitut. Regni, de hæret. rubr. 1. n. 1.* & Repertor. Inquisit. *verb. filij*, contrarium tamen (scilicet prædictos filios non esse infames, sicuti neque sunt infames filij eorum, qui fauent hæreticis, vel defendunt, vel recipiunt hæreticos) quod docent Menoch. *vol. 9. cons. 888. n. 44. & 45.* & Suar. *tom. 5. de censur. disp. 48. sect. 3. n. 2.* sit probabilius. 1

Probatur, quia nullibi in iure constat, istos esse infames: Ergo hæc pœna infamiæ non est illis imponenda; cùm *in cap. is qui, de sent. excommun. in 6.* Regula iuris sit, non esse aliquem afficiendum aliqua pœna, nisi fuerit in iure expressa.

Obiicies ex aduersariis: *In cap. 2. §. hæretici, de hæretic. in 6.* prædicti filij efficiuntur inhabiles ad officia, & beneficia: Ergò efficiuntur etiam infames. 2

Respondetur: Nego consequentiam, quia non hoc ipso, quod quis efficitur inhabilis ad officia, & beneficia, efficitur propterea ipso iure infamis, siquidem infamis non solùm est inhabilis ad prædicta, sed etiam ad multa alia, ad quæ filij hæreticorum non efficiuntur inhabiles; cum nullibi in iure constet, istos esse inhabiles ad omnia, ad quæ filij hæreticorum non efficiuntur inhabiles, cum nullibi in iure constet, istos esse inhabiles ad omnia, ad quæ sunt inhabiles infames: Quare dicendum, filios hæreticorum *in dicto cap. 2.* esse quidem inhabiles ad officia, & beneficia, & sic irregulares, non tamen infames.



DVBITATIO LXXII.

An ab hac irregularitate, si contrahatur ob delictum hæresis, vel quodcumque aliud occultum, possit Episcopus virtute priuilegij à Tridentino sibi concessi dispensare?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticis ad fidem redeuntibus, si eorum hæresis sit publica, solus Pontifex potest dispensare, vt ordinibus initientur, vel si initiati fuerint, vt ad superiores promoueantur.*

2 *Hæretici vt ministrent ad fidem redeuntes in ordinibus iam susceptis, licèt secundum aliquos dispensatione non indigeant, at certum est, eos indigere saltem Episcopi dispensatione.*

3 *Episcopus potest absoluere ab hac irregularitate, si delictum hæresis sit occultum, neque deductum ad forum contentiosum virtute Decreti Sacr. Concilij Tridentini sess. 24. cap. 6. de reformat. dispensare; quia Concilium non limitauit hanc facultatem in irregularitatibus, sed absolutè dixit posse Episcopos dispensare super omni irregularitate prouenienté ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum.*

4 Primò

4 *Privilegium Episcopis concessum latè est interpretandum.*

5 *Ex negata facultate absolvendi ab heresi non arguitur hic negata facultas dispensandi in irregularitate, licèt quidquid sit, de hoc dictum sit suprà; quia sunt res omnino diversa, & à diversis non fit illatio.*

6 *Facultas absolvendi ab heresi licet revocata sit Episcopis: non tamen sequitur, quod inde revocata etiam sit facultas dispensandi in irregularitate ab heresi proveniente, que dubia est.*

7 *Facultas dispensandi cum dicitur maior facultate absolvendi, intelligi debet de facultate dispensandi ab impedimento certo; non autem dubio; qualis est irregularitas, de qua nunc est sermo.*

8 *Privilegium dispensandi, sicut & privilegium absolvendi, vel alia gratia, seu beneficia concessa Episcopis, quibus lege communi, & ordinaria non competunt, est prater ius, sive vltrà ius.*

9 *Privilegium autem prater ius, seu vltra ius ex eo, quia iuri communi derogat, stricta est interpretationis; quia licèt sit favorabile, quatenùs restringitur ad privilegiatum; quatenùs tamen exorbitat iure communi est odiosum.*

10 *Excipe primò cum communi sententia Doctorum, nisi privilegium concessum sit in favorem publicum, pia, religiosa, vel alterius similis favorabilis causa.*

11 *Privilegium exemptionis clericorum à iurisdictione Principum secularium, & privilegium exemptionis Religiosorum à iurisdictione Ordinariorum amplè est interpretandum in favorem Religionis: quia summa ratio est, que facit pro Religione.*

12 *Privilegia non vni persona, sed communitati in perpetuum concessa equantur legibus corpori iuris insertis, qua latam habent interpretationem.*

13 *Excipe secundò si privilegium quamvis sit intra ius commune, motu proprio Principis concessum sit; quia tunc similiter latam habet interpretationem, eo quod proprium Principis beneficium est, & ex certa scientia concessum censetur.*

14 *Inquisitores licèt secundum aliquos possint saltem prò foro conscientia dispensare in recensita irregularitate ex Bulla Clementis VII. apud Pegnam in Directorio Inquisitorum circa finem; Probabilius tamen est oppositum, quod tradit Pegna 3. part. Direct. q. 126. comment. 175. & alij.*

15 *Episcopus potest dispensare cum Clericis Presbytero inferioribus, vt in susceptis ordinibus ministrent, si loquimur de irregularitate contracta ob apostasiam à fide fictam, si fortè aliqua sit, eo quod timore aliquo crimen commissum est: At cum Presbytero vt munus sacerdotale, & pradicandi exerceat, solus poterit dispensare Pontifex, &c.*

16 *Pontifex pariter solus potest dispensare in irregularitate, quam filij, & nepotes hereticorum incurrunt: Neque enim talis potestas vllo modo in Tridentino conceditur Episcopis; quia dicta irregularitas non potest provenire ex delicto occulto: Tum quia etiamsi ex delicto ortum habeat, non tamen provenit immediatè ex delicto, sed ex indecentia, quam filij contrahunt ob parentum delictum.*

17 *Filij, & nepotes hereticorum in susceptis Ordinibus priusquam parentum delictum declaretur, vel notorium fiat, possunt absque vlla dispensatione requisita ministrare: quia filij ob parentum delictum non privantur iure quasito.*

1 SVPPONO, quod cùm hæreticis (si eorum hæresis sit publica) ad fidem redeuntibus solus Pontifex possit dispensare, vt Ordinibus initientur, vel si initiati fuerint, vt ad superiores promoueantur. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Sanch. *lib. 2. moral. cap. 25. n. 13.* & Suar. *disp. 43. sect. 1. n. 6.*

Vt autem in Ordinibus iam susceptis ministrent, etsi Hurtad. *disp. 2. de irregular. diffic. 3. in fine*, & alij quos refert Coninch. *disp. 18. dub. 7. n. 52.* velint, quod dispensatione non indigeant, sed liberè eos ordines exercere possint; eo quod *in cap. saluberrimum 1. q. 7. in cap. nos consuetudine, dist. 12.* & in alijs iuribus, quæ infrà in corollarijs citabo, id videtur permissum: Probabilius tamen oppositum (nempè quod Episcopi dispensatione indigeant) sentiant Suar. *vbi suprà*, Sanch. *n. 14.* & Coninch. *n. 52.* quia sic colligitur manifestè, *ex cap. Presbyteros, dist. 50. & ex cit. cap. saluberrimum*, quatenùs ibi dicitur, eos habere debere pro beneficio, quod in susceptis Ordinibus ministrare possint: Nam, si pro beneficio ea ministratio haberi debet, signum est, quod non sit ipsis iure debita. Imò Suarez *vbi supra*, Coninch *n. 52.* & Sanch. *n. 14.* putant, neque Episcopum dispensare posse quoad vsum Sacerdotis: quia sic satis colligitur *ex cit. cap. Presbyteros*, & ideò forsan Pius V. prohibuit Generali Hispaniæ Inquisitori, ne habiles redderet Presbyteros hæreticos, vt in Altari deseruirent, sicuti refert Pegna *3. part. Directorij, q. 126. comment. 157.*

Difficultas igitur est, an ab hac irregularitate, si delictum hæresis sit occultum, neque deductum ad forum contentiosum possit Episcopus virtute Tridentini *sess. 24. cap. 6. de reformat.* dispensare. His suppositis. 3

Respondetur affirmatiuè. Atque ita contra Suarez *tom. 5. de censur. disp. 43. sect. 1. num. 15.* Toletum *lib. 1. cap. 46.* Filiuccium *in tract. 20. n. 231.* & Bonacinam *de irregular. disp. 7. p. 3. punct. 7. n. 11.* docent Sanchez *lib. 2. moral. cap. 25. n. 18.* Farinac. *de heresi q. 164. n. 79.* Garz. *de benefic. part. 11. cap. 10. n. 86.* Vgolin. *de irregular. cap. 36. §. 5. n. 3.* & Viualdus *part. 2. de irregular. n. 70. & 89.*

Probatur: quia Concilium *sess. 24. cap. 6. de reformat.* non limitauit facultatem in irregularitatibus, sed absolutè dixit, Episcopos posse dispensare super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & exceptis alijs delictis ad forum contentiosum deductis: quæ exceptio firmat regulam in contrarium; Præsertim, cùm dictum privilegium Episcopis concessum latè sit interpretandum, infrà dicetur. 4

Non obstat, si dicas: Ex negatione facultatis absoluendi ab hæresi arguitur negata facultas dispensandi in irregularitate. 5

Respondetur enim (quidquid sit, an Episcopis negetur à Tridentino facultas absoluendi ab hæresi occulta, qua de dictum est suprà *dubit. 53.*) id non argui, quia sunt res omninò diuersæ; & à separatis non fit illatio, iuxta Textum *in l. Papinianus, ff. de minoribus.* Præsertim, cum quid minus sit, dispensare in irregularitate, quæ non est certa, sed dubia; quàm absoluere ab hæresi certa, & indubitata.

Neque obstat secundò, si instes: Reuocata est Episcopis facultas absoluendi ab hæresi: Ergo reuocata est iisdem potestas dispensandi ab irregularitate inde prouenire. Consequentia probatur, quia hæc irregularitas est accessoria hæresi. Tum quia *in cap. cum illorum, de sentent. excommunic.* dicitur, Episcopos non habere potestatem dispensandi in casibus, in quibus eorum absolutio est illis interdicta, cùm maiora intelligantur prohibita illis, quibus vetita sunt minora: sed absolutio minor est, quàm dispensatio, Gloss. *ibi*, Abb. *n. 2.* Felin. *num vnico.* Ergo, denegata Episcopis potestate absoluendi ab hæresi, censetur etiam denegata consequenter potestas dispensandi ab irregularitate inde prouenente. 6

Respondetur enim: Nego consequentiam, quia talis dispensatio non potest dici maior, quàm absolutio à crimine hæresis, & excommunicatione: Nam talis irregularitas non est certa, sed dubia, ac proinde

etiamsi denegata sit Episcopis facultas absoluendi ab hæresi, non ideò infertur, quod denegata sit eisdem facultas dispensandi ab eius irregularitate, quæ dubia est.
7 Cùm autem dicitur facultatem dispensandi maiorem esse facultate absoluendi, intelligi debet de facultate dispensandi ab impedimento certo, non autem dubio, qualis est irregularitas, de qua nunc est sermo. Neque dispensatio huius irregularitatis est annexa excommunicationis absolutioni, cùm sint facultates omninò distinctæ, & separatæ, sicuti dicebam.
8 Neque obstat tertiò, si vrgeas: Priuilegium dispensandi (sicut & priuilegium absoluendi, vel aliæ gratiæ, seu beneficia concessa Episcopis, quibus lege communi, & ordinaria non competunt) est præter ius, siue vt alij loquuntur, vltra ius: priuilegium autem
9 præter ius, seu vltrà ius ex eo, quia iuri communi derogat, strictæ est interpretationis, vti habetur *in cap. Porrò, & in cap. sanè, de priuileg.* & tradunt Innocentius, Abbas *in cap. quod dilectio, de consanguinit. & affinit.* Nauarr. *cap. 12. num. 79.* Syluest. *verb. priuileg. q. 3.* Suarez *de legib. lib. 8. disput. 27. n. 5.* Sanch. *lib. 8. de matrim. disput. 1. num. 1.* & ratio est: quia priuilegium huiusmodi licèt sit fauorabile, quatenùs exorbitat à iure communi, est odiosum; & consequenter, cùm fauor iuris communis præferatur fauori priuato, sit, quod priuilegium à iure communi exorbitans, strictam potiùs habere debeat interpretationem.
10 Respondetur enim cum communi sententia Doctorum, quod ab hoc dicto, seu ab hac regula excipitur primò, si priuilegium concessum sit in fauorem publicæ, piæ, religiosæ, vel alterius similis fauorabilis causæ, sicuti est in casu nostro. Qua de re Syluest. *cit. q. 3.* & Tiraquel. *de priuileg. piæ causæ, priuileg. 162. cap. 27. n. 7.* Vbi propterea docent, priuilegium exemptionis
11 clericorum à iurisdictione Principum sæcularium, & priuilegium exemptionis Religiosorum à iurisdictione Ordinariorum amplè esse interpretandum, in fauorem Religionis; quia summa ratio est, quæ facit pro Religione, sicut habetur *in l. sunt person. ff. de relig. & sumpt.*
12 *funer.* Adde, quod priuilegia non vni personæ, sed communitati in perpetuum concessa æquantur legibus corpori iuris insertis; quæ latam habent interpretationem, sicuti docent præter alios Henriq. *lib. 7. cap. 12.*
13 *num. 16.* & Sanch. *lib. 8. de matrim. disp. 1. num. 3.* Excipitur secundò, si priuilegium, quamuis sit contra ius commune, motu proprio Principis (vt etiam est in casu nostro) concessum sit; quia tunc similiter amplam habet interpretationem, & quod proprium Principis beneficium est, & ex certa scientia concessum censetur. Argumen. *cap. si motu, de præbend. in 6.* & tradit Abb. *in cap. vltimo n. vlt. de translat. Episcop.* & Suarez *cit. cap. 27. n. 8.* Videri etiam potest Textus *in cap. quia circa, de priuileg. in cap. olim, de verbor. signific. & in l. 3. ff. de constit. Principum.*
14 Aduerte tamen, quod, licèt Mandos. *de signatur. Gratiæ, verbo absolutio ab hæresi, in princ.* Vmbert. Locat. *in iudicial. Inquisitor. verb. irregularitas, num. 2.* Campeg. *in addit. ad Zanchinum, tract. de hæret. cap. 27. verb. Adde vlterius.* Zechius *in summa, tom. 1. tit. de fide cap. 11. num. 16.* & Henriq. *lib. 14. cap. 18. num. 2.* velint, posse quemlibet ex Inquisitoribus, saltem pro foro conscientiæ, dispensare in hac irregularitate apud ex Bulla Clementis VII. *cum sicut, §. vobis etiam,* quod Pegnam *in Director. Inquisitor. circa finem.* Probabilius tamen sit oppositum, quod tradit Pegna *5. part. Direct. q. 126. comment. 175.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 25. n. 19.* Suar. *de cens. disp. 43. sect. 1. num. 5.* & Farinac. *de hæresi q. 192. n. 76.* quia prædicta Bulla non fuit vsu recepta, vel consuetudine, aut aliis posterioribus Pontificum Bullis censetur reuocata. Accedit, quod videtur lata pro iis, qui tunc temporis aderant, neque ad alios extendi, (sicuti infrà in corollariis dicetur) quapropter, Pegna vbi supr. Pius V. an. 1567. prohibuit, cum reste sacerdote hæretico dispensari, quod Missam celebraret.

Aduerte secundò, quod si loquamur de irregularitate 15 contracta ob apostasiam à fide fictam, possit Episcopus dispensare cum Clericis Præsbytero inferioribus, vt in susceptis Ordinibus ministrent. At cum Præsbytero, vt officium sacerdotale, & munus prædicandi exerceat, solus poterit dispensare Pontifex, sicut & dispensare, vt ad Ordines promoueatur, vel ad superiores ascendat; Cùm iis verò, qui à fide sponte apostatarunt, neque ad ascensum ad Ordines, neque ad susceptorum vsum potest alius, quàm Pontifex dispensationem concedere. Quæ omnia patent *ex cap. Presbyteros, dist. 50.* & traduntur à Sanchez *cit. cap. 25. n. 21.* & à Suarez *disp. 43. sect. 2. n. 4.*

Aduerte tertiò, quod, si loquamur de irregularitate, 16 quam filij, & nepotes hæreticorum incurrunt, apud Pontificem similiter solùm sit potestas dispensandi, neque talis potestas vllo modo in Tridentino conceditur Episcopis: quia dicta irregularitas non potest prouenire ex delicto occulto. Tum quia, etiamsi ex delicto ortum habeat, non tamen prouenit immediatè ex delicto, sed ex indecentia, quam filij contrahunt ob 17 parentum delictum. In susceptis autem Ordinibus prius quàm parentum delictum declaretur, vel notorium fiat, possunt filij absque vlla dispensatione requisita ministrare: quia filij ob parentum delictum non priuantur iure quæsito, sicuti colligitur *ex cap. 2. de hæretic. in 6.* vbi huiusmodi filij non repelluntur ab officiis obtentis, licèt inhabiles reddantur ad alia obtinenda, & tradunt Glossa *in cap. satis peruersum, dist. 56. in principio,* Maiolus *de irregular. lib. 5. cap. 47. num. 6.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 27. n. 10.*

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex solus potest dispensare in irregularitate quam incurrunt hæretici: Idemque dicendum est de irregularitate, quam incurrunt fautores, defensores, & receptatores hæreticorum.*

2 *Inquisitores non possunt dispensare in irregularitate, quam incurrunt hæretici.*

3 *Summus Pontifex solus potest in hac irregularitate dispensare, videlicet quoad ordines suscipiendos, & Episcopus è contra potest dispensare quoad Ordines susceptos ministrandos: Et etiam quoad vsum sacrificij Missæ, contra aliquos, oppositum minus rectè asserentes.*

5 *Inferior licèt non possit dispensare in lege Superioris, quando tamen Canones permittunt dispensari in vsu Ordinum susceptorum, eo ipso censentur concedere Episcopo facultatem dispensandi circa illorum vsum, sicut etiam in aliis legibus: Nam potestas dispensandi, vtpotè fauorabilis est latè interpretanda, quando non cedit in alterius præiudicium.*

6 *Dispensandi facultas, quam de iure antiquo habebant Episcopi dispensandi cum eo, qui antè hæresim Ordines susceperat, non est ablata per Concilium Tridentinum, quia Concilium potiùs auget Episcopis facultatem.*

7 *Episcopus hodie vigore Concilij Tridentini potest, si crimen sit occultum, dispensare in irregularitate ob hæresim, vel apostasiam contracta non solùm quoad Ordines susceptos exercendos, sed etiam quoad Ordines suscipiendos, quia in Decreto generaliter conceditur Episcopis facultas dispensandi in irregularitate, quæ prouenit ex delicto occulto.*

8 *Facultas dispensandi ab irregularitate, quæ prouenit ex hæresi occulta, non est necessarium, quod exprimatur, sicut necesse est exprimi facultatem absoluendi ab hæresi occulta: quia in generali concessione*

cessione absolutionis facienda est, specialis mentio de heresi; quia ista est expressa mentio Romanorum Pontificum: At de dispensatione in irregularitate, que prouenit ex heresi, non est aliquis Textus.

9 *Facultas dispensandi in hac irregularitate, quod nō sit reuocata per Bullam Cœnæ, prout aliqui tenent, asserunt alij Doctores, quibus assentitur Author.*

10 *Facultas dispensandi in irregularitate prædicta non est ablata Episcopis per Bullam Cœnæ; quia cùm exprimat prohibitionem circa absolutionem, & non circa dispensationem, quam similiter possunt vigore Concilij, non est in hac secunda facultate à Concilio recedendum, quia sicut dici solet, illud, quod non tollitur, stare non prohibetur.*

11 *Priuilegium dispensandi in irregularitate Episcopis à Tridentino concessum, latè est interpretandum.*

1 EX dictis igitur habetur primò, quod solus Pontifex possit dispensare in irregularitate, quam incurrunt hæretici. Angel. *verb. irregularitas, n.28.* Syluester *eodem verb. q.5. n.7.* Ledesma *2. part. 4. quæst. 26. art. 2.* Penna *in Director. part. 3. q. 126. comment. 175.* Soarez *tom. 5. de censur. disput. 43. sect. 1. n. 6.* Valentia *tom. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 21. q. 8.* & Farinac. *de hæres. q. 189. §. 4. n. 13.*

Idemque dicendum est de irregularitate, quam incurrunt fautores, defensores, & receptatores hæreticorum. Suarez *loc. suprà cit. n. 5.* Nauarrus *in summa cap. 27. n. 205.* & Phyliarch. *de offic. Sacerd. tom. 1. part. 1. lib. 4. cap. 9.*

2 Quapropter non possunt in hac irregularitate dispensare Inquisitores; vti suprà dicebam, & notant Eymer. *in Director. part. 3. quæst. 126.* & Penna *ibidem comment. 175.* vbi subdit Constitutionem Clementis VII. *Cùm sicut*, apud ipsum Pennam inter literas Apostolicas (in qua dabatur Inquisitoribus, eorumque Commissariis facultas dispensandi cum clericis sæcularibus, & cum omnibus Religiosis ab omni irregularitate, ob hæresim, vel ob apostasiam contracta, reuocatum fuisse per Pium V. in quodam rescripto ad Didacum Spinosam apud eundem Pennam *loco sup. cit.*) Quamuis alij, inter quos Suarez *vbi suprà, n. 5.* putent, prædictam Constitutionem Clementis VII. fuisse personalem, & non perpetuam, nec vsu receptam.

3 Cùm verò dixi, quod solus Pontifex possit in hac irregularitate dispensare, intellige quoad Ordines suscipiendos, non item quoad Ordines susceptos exercendos; quia è contra in hoc potest quidem Episcopus dispensare. Doctores, quos suprà etiam ibidem citabam, inter quos Suarez *tom. 5. de censur. disput. 43. sect. 1. n. 6.* Vbi tamen subdit, quod non possit similiter Episcopus dispensare quoad vsum Ordinis in sacrificio Missæ. Et fauet, quod sit Penna *in Direct. part. 3. quæst. 126. comment. 175.* Pium V. scilicet anno 1577. prohibuisse Inquisitori Generali Hispaniarum, quod possit cum Sacerdotibus hæreticis pœnitentibus dispensare, vt Missam celebrent.

4 Quod autem Episcopus possit cum Clericis, si ad fidem reuertantur, dispensare quoad vsum Ordinum susceptorum, patet *ex supracitato cap. saluberrimum, ex supracitato cap. nos consuetudine, dist. 18. ex cap. omnis 1. q. 1. ex cap. conuenientibus 1. q. 7. & ex cap. Presbyteros, dist. 50.* in quibus locis permittitur clericis exercere post dispensationem obtentam actus Ordinum susceptorum.

5 Non obstat, quod non possit inferior dispensare in lege Superioris; quia quando Canones permittunt, dispensari in vsu Ordinum susceptorum, eo ipso censentur concedere Episcopo facultatem dispensandi circa illorum vsum, sicut etiam in aliis legibus, seu Canonibus. Gloss. *in cap. si quis, de elect.* Ostiens. *ibid. in fine,* Innocentius *n. vnico,* Abb. *in cap. veniens, de eo qui cognoscit consanguineam, n. 3.* Angelus *verb. dispensatio, n. 5.* Sylu. *eodem verb. q. 9. n. 13.* Couarr. *in cap. alma, part. 1. §. 7. n. 8.* & Henriq. *lib. 4. de irregul. cap. 19. n. 2.* Nam potestas dispensandi, tanquam fauorabilis, est latè interpretanda. Bartol. *in l. 2. ff. de verb. oblig. n. 2.* & Bald. *ibid. n. vnico*; sicut enim Principis priuilegium, & beneficium est latè interpretandum, *cap. olim, de verb. signific. & l. beneficium, ff. de constit. Princip.* quando non cedit in alterius præiudicium, sed solùm in iuris communis derogationem. Ita etiam facultas dispensandi est amplè interpretanda, quando non cedit in alicuius præiudicium, sed solùm in dictam iuris communis derogationem, iuxta ea quæ suprà dicebam.

Cæterùm, quod aiunt nonnulli, inter quos Vgolin. *de irregul. cap. 37. n. 2.* facultatem scilicet, quam de iure antiquo habebant Episcopi dispensandi cum eo, qui ante hæresim Ordines susceperat, reuocatam, quando hæresis est publica, vel ad forum contentiosum deducta, fuisse per Concilium Tridentinum *sess. 14. cap. 6. de reformat.* mihi minùs probatur; quia dictum Concilium Tridentinum ibi non adimit Episcopis facultatem dispensandi, quam illi priùs habebant, sed potiùs illam auget. 6

Habetur secundò, quod Episcopus hodie vigore Concilij Tridentini per Decretum *dict. sess. 14. cap. 6. de reformation.* possit (si crimen sit occultum) dispensare in irregularitate ob hæresim, vel apostasiam contracta, non solùm quoad Ordines susceptos exercendos, sed etiam quoad Ordines suscipiendos. Doctores communiter, quos suprà citabam; quia in eo Decreto generaliter conceditur Episcopo facultas dispensandi in irregularitate, quæ prouenit ex delicto occulto: Ergo etiam in irregularitate, quæ prouenit ex hæresi occulta. 7

Non obstat, si dicas: Quamuis in Decreto concedatur Episcopo facultas absoluendi ab hæresi occulta, non tamen conceditur facultas dispensandi in irregularitate, quæ prouenit ea hæresi occulta; quia in generali concessione non conceditur hæresis, quæ requirit, vt specialis mentio de ipsa fiat. At in eo Decreto solùm conceditur facultas absoluendi ab hæresi occulta, & nihil dicitur de irregularitate annexa hæresi occultæ; Ergo Episcopus vigore illius Decreti non potest dispēsare in irregularitate, quæ pronenit ex hæresi occulta. 8

Respondetur enim: Nego consequentiam: Et disparitas est; quia in generali concessione absolutionis facienda est specialis mentio de hæresi, eo quod talis sit expressa intentio Romanorum Pontificum. At de dispensatione in irregularitate, quæ prouenit ex hæresi, non est vllus Textus, vnde id colligatur. Præsertim cùm, vti suprà dicebam, satis probabile videatur, quod non sit per se hæresi irregularitas annexa.

Non obstat, si instes: facultas, concessa Episcopo absoluendi ab hæresi occulta, est in Bulla Cœnæ reuocata: Ergo & reuocata etiam erit facultas eidem concessa dispensandi in irregularitate, quæ prouenit ab hæresi occulta. Et quidem talem facultatem dispensandi reuocatam esse; tenent Maiolus *de irregular. lib. 5. cap. 46. n. 5.* Suarez *tom. 5. de censur. disput. 43. sect. 1. num. 15. & in tract. de fide disput. 21. sect. 5. num. 2.* & Ricciullus *de iur. personar. lib. 5. cap. 16. num. 5.* 9

Respondetur enim: Transeat pro nunc antecedens (qua de re dicebam suprà *dubit. 53.*) Nego etiam consequentiam; quia præter ea, quæ suprà dicebam, difficilius conceditur Episcopo, quod absoluat ab hæresi occulta, quàm quod dispenset in irregularitate; quæ prouenit ab hæresi occulta. Quapropter licèt sit reuocata prior facultas, non propterea reuocata etiam erit posterior: Et quidem è contra facultatem dispensandi in hac irregularitate reuocatam non esse, tenent Viuald. *part. 2. de irregularit. num. 70. & 89.* Garzias *de benefic. part. 11. cap. 10. num. 86.* Sanchez *lib. 2. moral. 25. num. 18.* Vgolin. *de irregularit. cap. 16. §. 5. num. 3.* 10

num. 3. & Farinac. *de heres. quæst.* 192. *num.* 79.

10 Noo obstat, si vrgeas: *In cap. cùm illorum de sent. excomm.* haberut, quod Episcopus dispensare non possit in ijs casibus, in quibus oon potest absoluere; quia maius est dispensare, quàm absoluete, sicuti doceot *in cit. cap. cum illorum*, Abb. *n.* 2. Felin. *num.* 1. Soccin. *n.* 6. & alij passint: Ergo.

Respondetur enim, nego similiter consequentiam; quia præter ea, quæ suprà etiam dicebam, cùm Concilium Tridentinum concedat Episcopo facultatem absoluendi ab hæresi occulta, & facultatem dispensandi in irregularitate, quæ prouenit ab hæresi occulta, & posteà per Bullam Cœnæ prohibeat absolutionem dumtaxat, fit, qood in reliquo noo sit à Concilio recedendum; quia sicuti dici solet; illud, quod non tollitur, stare non prohibetur. Citatum antem *cap. cum illorum, de sent. excommun.* loquitur, quando maius non est expressè permissum; Videatur Garz. *de benefic. part.* 11. *cap.* 10. *n.* 86. & Vgolin. *de irregular. cap.* 36.

11 Ex eo autem, quod suprà dicebam (Priuilegium scilicet dispensandi in irregularitate Episcopis à Tridentino concessum latè esse interpretandum,) solui poteruot difficultates sequentes: Quare sit.

DVBITATIO LXXIII.

An ex priuilegio à Tridentino Episcopis concesso possint alij, præter Episcopos, similiter, ac Episcopi, ab irregularitate dispensare?

SVMMARIVM.

1 *Ex priuilegio à Tridentino Episcopis concesso possunt alij præter Episcopos, similiter ac Episcopi, ab irregularitate dispensare; ita vt ex tali priuilegio dispensare possint super omni irregularitate prouenientе ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & exceptis aliis delictis ad forum contentiosum deductis.*

2 *Abbates, & Priores, qui in Diœcesi aliquam iurisdictionem quasi Episcopalem habent, vti possunt prædicto priuilegio.*

3 *Prælati Regularium exempti ab Episcopi iurisdictione in suos subditos pariter vti possunt prædicto priuilegio, contra nonnullos contrarium sentientes; quia ij iurisdictionem Episcopali æqualem in subditos suos habent.*

4 *Prælati Regularium exempti ab Episcopi iurisdictione possunt approbare Confessarios pro suis subditis.*

5 *Capitulum Sede vacante potest vti recensito priuilegio, contra nonnullos contrarium sentientes, quia Capitulum Sede vacante potest omnem ordinariam Episcopi iurisdictionem exercere.*

6 *Dispensandi facultas prædicta Episcopis ratione dignitatis perpetuo iure concessa, censetur ordinaria.*

1 Respondetur affirmatiuè; Ita vt ex tali priuilegio dispensare possint super omni irregularitate prouenientе ex delicto occulto, excepto homicidio voluntario, & exceptis aliis delictis ad forum conteotiosum deductis (idest, super qnibua tractus est quis ad Tribunal, quousque ab instantia absoluatur) non solùm Episcopi consecrati, sed etiam confirmati, licèt nondum consecrati.

2 Item Abbates, & Priores, qui in Diœcesi aliqoam iurisdictionem, quasi Episcopalem habent; Hurtad. *de irregular. disp.* 2. *difficult.* 10. & alij.

3 Item in suos subditos Prælati Regularium exempti ab Episcopi iurisdictione. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 18. *n.* 2. *lit. P.* Sanch. *de matrim. lib.* 8. *disput.* 2. *num.* 12. & indicat Nauarr. *cap.* 12. *num.* 75. (etsi contrarium sentiant alij, inter quos Suar. *lib.* 8. *de Legib. cap.* 27. *n.* 7.) Et ratio est, quia Prælati Regularium exempti iurisdictionem Episcopali æqualem in suditos suos habent. Quare & Confessarios etiam pro suis subditis approbare possunt, vt fatetur ipse Suarez 3. *part. tom.* 4. *disp.* 28. *sect.* 5. 4

Item, qui Episcopo in iurisdictione æquiparantur, vt Capitulum Sede vacante. Sanch. *loc. suprà cit. n.* 10. & Rodoriq. *tom.* 1. *quæst. Regular. q.* 61. *art.* 9. (etsi dissentiat etiam Suarez *de censur. disput.* 41. *sect.* 2. *n.* 13.) & ratio est, quia Capitulum, Sede vacante, potest omnem ordinariam Episcopi Iurisdictionem exercere (sicuti aiunt Abb. *in cap. verum, num.* 9. *de foro compet.* & Rodoriq. *loc. suprà cit.*) Hæc verò dispensandi facultas Episcopis, ratione dignitatis, perpetuo iure concessa, censetur ordinaria: Ergo. 5 6

At de hac re vide, quæ diffusè dicebam *dub.* 53.

DVBITATIO LXXIV.

An possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex delicto non notorio, vel famoso, licèt ab aliquibus certò sciatur?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, & etiam prædicti Prælati exempti in suos subditos, cæterique habentes iurisdictionem quasi Episcopalem possunt dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex delicto non notorio, vel famoso, licèt ab aliquibus certò sciatur; dummodò non pateat maiori parti Viciniæ, Collegij, Monasterij, vel alterius communitatis, in qua ad minus decem personæ sint, quamuis à tribus, vel quatuor, per quos, vt per testes iudicialiter probari possit.*

2 *Delictum dicitur etiam occultum, etiamsi committatur domi coram multis, vel noctu, vel in itinere, vt cùm in itinere stabularij blasphemant.*

Respondetur affirmatiuè; ita vt possint super omni irregularitate prooeniente ex omni delicto non notorio, vel famoso, idest non patenti maiori parti Viciniæ, Collegij, Monasterij, vel alterius Commonitatis (in qua ad minus decem personæ sint) quamuis à tribus, vel quatuor, per quos, vt per testes iudicialiter possit probari sciatur; quia adhuc delictum censetur occultum. Qua de re Nauarr. *cap.* 27. *n.* 254. Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 6. & *nos citat. dubit.* 53. diffusè dicebamus. 1

Aduerte, delictum dici etiam occultum, si committatur domi coram multis, vel noctu, vel in itinere (vt cùm io itinere stabularij blasphemant) qua de re Graff. *de casib. reseru.* & alij passim. 2

DVBITATIO LXXV.

An possint aliquando dispensare super irregularitate quæ prouenit ex delicto notorio?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, &c. possunt aliquando dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex delicto notorio, si delictum sit notorium sumptum materialiter; sit autē occultum sumptum formaliter; Vt v.g. si notorium sit*

fit factum: quia scilicet multi præsentes erant, sed nesciebant, illud esse prohibitum, &c.

1 RESPONDETVR affirmatiuè, si delictum sit notorium, sumptum materialiter, sit autem occultum, sumptum formaliter: vt si notorium sit factum, quia scilicet multi præsentes erant, sed nesciebant, illud esse prohibitum. Quapropter delictum sumptum formaliter mansit occultum: v. g. si Diaconus solemniter baptizauit coram multis nescientibus, Diaconum ad id commissionem legitimam non habuisse, vel sine commissione tale ministerium exercere prohiberi. Atque ita præter alios docent Auila *loc. sup. cit.* & Rodriq. *in summ. part. 1. cap. 166. concl. 3.* Vide etiam quæ dicebam *cit. Dubit. 53.*

DVBITATIO LXXVI.

An possint dispensare super irregularitate ex delicto occulto, si alibi sit notorium?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, ex non improbabili sententia Doctorum, possunt dispensare super irregularitate ex delicto occulto, si alibi sit notorium, vel famosum, si scilicet sit occultum vbi dispensant; quamuis sit notorium, vel famosum alibi.*

2 *Sententia tamen opposita est probabilior.*

1 RESPONDETVR ex non improbabili sententia Doctorum affirmatiuè; si scilicet sit occultum vbi dispensant, quamuis sit notorium vel famosum alibi. Atque ita docet Auila *de censur. part. 2. disp. 2. cap. 7. dub. 11.* qui citat Sanchez, & alios Doctores Salmanticenses de hac re consultos.

2 Diai, *ex non improbabili sententia Doctorum*: quia contrariam cum Suarez, & aliis probabiliorem censebam eadem *Dubit. 53.*

DVBITATIO LXXVII.

An possint aliquando dispensare super irregularitate quæ prouenit ex delicto ad forum contentiosum deducto.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, &c. licet non possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex delicto, quamdiu sub foro contentioso versatur: possunt tamen dispensare, postquam iudicium fuerit finitum, siue quia reus esto iniquis, & falsis mediis, v. g. falsis testibus absolutionem obtinuerit, siue quia reus cum sufficienti satisfactione punitus fuerit, dummodo delictum publicum, vel famosum non sit, & cur.*

2 *Item dispensare non improbabiliter etiam possunt quotiescumque iudicium est finitum, & delictum iam punitum: quia etiam in tali casu per dispensationem super irregularitate non turbatur Tribunal Iudicis: quod vitare intendere videtur Tridentinum per exceptionem prædictam.*

3 *Delictum esse notorium, vel publicum non obstat in tali casu: quia Concilium ideò requirit esse secretum, vt vitetur publicum scandalum.*

1 RESPONDETVR: licet non possint dispensare super irregularitate quæ prouenit ex delicto, quamdiu sub foro contentioso versatur: etiamsi, vt rectè dixit Henriquez *lib. 14. cap. 7. n. 5.* non videatur, illud plenè posse probari: Possunt tamen dispensare, postquam iudicium fuerit finitum; siue quia reus, esto iniquis, & falsis mediis, v. g. falsis testibus absolutionem obtinuerit (vt docent Henriq. *cit. lib. 14. cap. 4. n. 5.* Rodriquez *cap. 167. concl. 4.* & Auila *de censur part. 7. disp. 10. dub. 6.* moti ex eo, quia cùm in tali casu delictum maneat occultum, cessat ratio deducti ad forum contentiosum) siue quia reus cum sufficienti satisfactione punitus fuerit, dummodo delictum publicum, vel famosum non sit, sicuti contra Rodriq. *cap. 168. concl. 16.* docent Auila *loc. sup. cit. dub. 7.* & alij graues Doctores apud Guttierr. *lib. 1. canonic. quæst. cap. 3. in fine*, moti ex eo, quia Concilium vetat dispensari super delicto ad forum contentiosum deducto, ad finem ne processus iudiciarius impediatur, vel imminuatur. Quæ ratio cessat, si iudicio finito reus iam punitus in Ecclesia toleratur, ideòque delictum manet occultum.

2 Quin addo, quod & dispensare non improbabiliter etiam possunt quotiescumque iudicium est finitum, & delictum iam punitum. Ratio est, quia in tali casu etiam per dispensationem super irregularitate non turbatur Tribunal Iudicis, quod vitare intendere videtur Tridentinum per exceptionem prædictam, atque præter alios docet Hurtad. *disput. 2. difficult. 20.* & videri etiam poterit Auila *loco sup. cit. &* *cit. nostra dubit. 53.*

3 Non obstat, quod delictum sit notorium, vel publicum; quia Concilium ideò requirit, esse secretum, vt vitetur publicum scandalum, quod cessat per punitionem.

DVBITATIO LXXVIII.

An possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex mutilatione?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, &c. possunt dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex mutilatione: quia Concilium Tridentinum excepit solùm homicidium, quale non est mutilatio.*

2 *Exceptio firmat Regulam in contrarium.*

3 *Exceptiones huiusmodi facultatis ordinariæ, cùm sit fauorabilis, non sunt extendendæ vltra verborum proprietatem, sed potiùs restringendæ.*

4 *Homicidium, & mutilatio licet æquiparentur in iure quatenus spectat ad causas incurrendi irregularitatem, non tamen æquiparantur quoad cætera, quia illud prius, non item hoc posterius reperitur expressum in iure.*

RESPONDETVR affirmatiuè, atque ita docent ex probabiliori sententia Doctorum Auila *de censur. part. 7. disp. 6. sect. 5. dub. 4.* Rodriq. *tom. 1. sum. cap. 181. concl. 1.* & Sà *verb. irregularitas ex deform. illic. n. 7.* contra Medinam *lib. 1. sum. cap. 11. n. 12.* Henriquez *cap. 9. n. 3. lit. Z.* & Sanch. *lib. 1. moral. cap. 10. n. 94.* 1

Probatur, quia Tridentinum Concilium excipit solum homicidium, qualis non est mutilatio.

Confirmatur, quia exceptio firmat regulam in contrarium. 2

Confirmatur secundò, quia huiusmodi exceptiones facultatis ordinariæ (qualis est facultas dispensandi super irregularitate) cùm sit fauorabilis, vti dicebam *dub. 75.* non sunt extendendæ vltra verborum proprietatem, sed potiùs restringendæ, sicuti patet ex dictis ibi, & notauit Finell. *de cas. reseru. cas. 3. n. 16.* 3

Vnde licet homicidium, & mutilatio æquiparentur in iure, quatenus spectat ad causas incurrendi irregu- 4

regularitatem, non tamen æquiparantur quoad cætera. Ratio est, quia illud priùs, non item hoc posterius repetitur expressum in iure.



DVBITATIO LXXIX.

An possint dispensare super irregularitate quæ prouenit ex homicidio indirectè volito?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, &c. possunt dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex homicidio indirectè volito, si scilicet quis necem hominis indirectè intendit, vel in causa, &c.*

2 *Item secundò si graui ligno, vel lapide volens solùm percutere, occidit.*

3 *Item tertiò, si volens occidere Clericum A, & adhibita diligentia, ne occidat Clericum B, occidit Clericum B, seu putans occidere Clericum A, occidit Clericum B, quem adhibita diligentia certò putabat esse Clericum A.*

4 *Occidens, vel mutilans in casu recensito neque incurrit excommunicationem cap. Si quis suadente, quia licet dicto casu homicidium Clerici sit volitum, non tamen est voluntarium, vtpote non præcognitum.*

5 *Volens occidere vtrumque Clericum A, & B, & incidens in Clericum A, putando inuincibiliter esse Clericum B, si illum occidat, quem etiam occidisset, si cognouisset eum pro Clerico A, neque incurrit excommunicationem, quia in hoc casu est ignorantia concomitans, quæ licet non faciat inuoluntarium, facit tamen non voluntarium.*

6 *Occidens, vel mutilans vtrumque Clericum A, & B, sed A, putans inuincibiliter esse B, & B, putans inuincibiliter esse A, neque excommunicationem incurrit, quia vtrumque clericidium per ignorantiam concomitantem est non voluntarium.*

7 *Volens occidere, &c. seu occidens, &c. in casibus recensitis, præter clericidium internè volitum, tenetur confiteri actum externum, per quem conatur occidere clericum: quia licet occisio Clerici non sit voluntaria, conatus tamen occidendi illum Clericum quem adesse ex errore putabat, est voluntarius, cùm sit ex odio talis Clerici, &c.*

8 *Item quartò, si tegulam è tecto imprenidè deiecit, & hominem occidit.*

9 *Item quintè, si quempiam iniquè verberari mandauit, & prohibuit occidi: mandatarius tamen mandati terminos excedens, homicidium committit.*

10 *Item sextò, si ad rixam prouocatus accessit animo percutiendi tantùm, postcà verò ne à prouocante occideretur, illum occidit.*

11 *Idem dic de similibus aliis casibus, licèt proueniant ex opere, cum quo frequenter coniuncta est hominis occisio.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè: si scilicet quis necem hominis non directè intendit, sed indirectè, vel in causa, v.g. si mulierem grauidam incautè percussit, & abortum induxit.

2 Item secundò, si graui ligno, vel lapide volens solùm percutere, occidit.

3 Item tertiò, si volens occidere Clericũ A, & adhibita diligentia, ne occidat Clericum B, occidit Clericum B, seu putans occidere Clericum A occidit Clericum B, quem, adhibita diligentiá certò putabat esse Clericũ A.

4 In quo casu neque incurrit excommunicationem *cap. Si quis suadente*, sicuti docet Suar. *de censur. disput.* 22. *sect.* 1. *n.* 14. & ratio est, quia licet in dicto casu homicidium Clerici sit volitum, non tamen est voluntarium (vtpote non præcognitum.) Excommunicatio autem est annexa non homicidio Clerici volito, vt per se patet, sed voluntario: Ergo.

Hinc etiam sequitur, quod si velit occidere vtrumque Clericum A, & B, & incidens in Clericum A, putando inuincibiliter esse Clericum B, illum occidat, quem etiã occidisset, si cognouisset eum pro Clerico A, neque incurrit excommunicationem. Ratio est, quia in hoc casu est ignorantia concomitans, quæ licet non faciat inuoluntarium, facit tamen non voluntarium. Atque adeò eximit ab excommunicatione, quæ solùm annexa est clericidio voluntario, sicuti supra dicebam. 5

Hinc etiam sequitur, quod si occidat vtrumque Clericum A, & B, sed A, putans inuincibiliter esse B, & B, putans inuincibiliter esse A, neque excommunicationem incurrit, quia vtrumque clericidium per ignorantiam concomitantem est non voluntarium. 6

Verum tamen est, quod in his casibus præter clericidium internè volitum teneatur confiteri actum externũ per quem conatur occidere Clericum, quia licet occisio Clerici non sit voluntaria, conatus tamen occidendi illum Clericum, quem adesse ex errore putabat, est voluntarius, cùm sit ex odio talis Clerici vt præcogniti, excommunicatio tamen non est annexa conatui percutiendi, vel occidendi Clericum, sed ipsi percussioni, vel occisioni Clerici, quæ in dictis casibus non est voluntaria, sicuti dicebam. 7

Item quartò, si regulam è tecto improuidè deiecit, & hominem occidit. 8

Item quintò, si quempiam iniquè verberari mandauit, & prohibuit occidi, mandatarius autem mandati terminos excedens homicidium commisit, iuxta Textum *in cap. vlt. de homicid. in 6.* 9

Item sextò, si ad rixam prouocatus accessit animo percutiendi tantùm, postcà verò, ne à prouocante occideretur, illum occidit. 10

Idemque dico de similibus aliis casibus, licet proueniant ex opere, cum quo frequenter coniuncta est hominis occisio. 11

Atque ita docent Nauarr. *cap.* 27. *n.* 240. *& lib.* 5. *consil.* 27. *de homicid. edit.* 1. Suar. *disput.* 44. *sect.* 1. *n.* 4. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 19. *n.* 2. Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 5. & Sà *verb. homicidium, n.* 6. contra Caietan. 2. 2. *q.* 69. *art.* 8. Couarr *part.* 2. *Clem. n.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. & alios. Et ratio est, quia per homicidium voluntarium indispẽsabile, quod scilicet sibi reseruat Pontifex, intelligi videtur tantùm illud, quod est simpliciter, ac perfectè voluntarium: Sed eiusmodi numerata homicidia, cùm non sint ex proposito directo, ac formali occidendi, non sunt simpliciter, ac perfectè voluntaria, sed veluti mixta ex voluntario, & casuali, sicuti docet S. Thomas *cit. quæst.* 64. *art.* 8. & Nauarrus *cit. cap.* 37. *num.* 219. Ergo, &c.



DVBITATIO LXXX.

An possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex homicidio occulto, causa defensionis, vel ex subita ira facto?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, &c. possunt dispensare super irregularitate quæ prouenit ex homicidio occulto causa defensionis, vel ex subita ira facto, tametsi cum excessu moderaminis inculpatæ tutela factum fuerit, quia huiusmodi homicidium etiam non est simpliciter, & pefectè voluntarium.*

Idem

2 *Idem dic de homicidio facto ex subita ira, ita vt & super tali homicidio dispensare possint.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè, tametsi cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ factum fuerit. Nauar. *cit. cap. 27. n. 240. & cons. 36. de homicid. edit. 2.* Henriq *lib. 14. cap. 19. n. 3.* & Auila *de censur. part. 7. disput. 6. dub. 5.*

2 Probatur, quia huiusmodi homicidium etiam non est simpliciter, & perfectè voluntarium.

Idemque dico de homicidio facto ex subita ira, ita vt & super tali homicidio dispensare similiter possint, vti in specie notauit Hurtad. *disputat. 2. de irregularit. difficult. 20.* Mercerus *de Sacrament. q. 24. dub. 7.* & Diana *part. 4. tract. 2. resolut. 3.*

DVBITATIO LXXXI.

An possint pispensare super irregularitate, quæ prouenit ex homicidio occulto, sed præter intentionem, vel animum inimicum, seu crudelem?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, &c. possunt dispensare super irregularitate quæ prouenit ex homicidio occulto, sed præter intentionem, vel animum inimicum, seu crudelem, vt si quis commiserationis gratia infirmum vertit, vt liberet eum ab angustiis mortis, &c.*

1 VERBI gratia si quis ex commiserationis affectu motus infirmum vertit, vt liberet eum ab angustiia mortis.

Respondetur affirmatiuè, atque ita contra Henriq. *cit cap. 19. num. 3.* docet Auila *in fine disput. 6.* & videri etiam poterit Victor. *de Sacram. Ordin. n. 159.*

Probatur, quia ex dictis per homicidium voluntarium indispensabile, quod scilicet sibi reseruat Pontifex, intelligi videtur solùm illud, quod est simpliciter, & perfectè voluntarium: quodque præterea fit animo inimico, seu crudeli, non autem aliter.

DVBITATIO LXXXII.

An possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex homicidio, saltem quoad Ordines Minores, vel beneficium simplex?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, &c. licet non possint dispensare cum homicida perfectè voluntario, quamuis occulto, neque quoad Ordines Minores, seu recipiendos, seu exercendos, neque quoad beneficium simplex: tamen in homicidio casuali mixto, seu indirectè voluntario, notorio, dispensare possunt quoad Ordines Minores, & beneficium simplex non curatum, quia huiusmodi iura in quantum spectat ad homicidium indirectè voluntarium, non sunt immutata per Concilium Tridentinum.*

2 *Episcopi, & qui in Diœcesi iurisdictionem quasi Episcopalem habent, dispensare possunt etiam cum eiusmodi homicida ad retinendum beneficium curatum.*

1 RESPONDETVR: Etsi non possint dispensare cum homicida huiusmodi perfectè voluntario, quamuis occulto, neque quoad Ordines Minores, seu recipiendos, seu exercendos, neque quoad beneficium simplex, cùm id in Tridentino clarè prohibeatur iis verbis: *Omni beneficio careat*, vti præter alios notauit Nauarrus *cap. 27. num. 240.* Lopez *part. 2. cap. 93.* Saytus *lib. 7. Thesaur. cap. 7. num 14.* & Auila *de censur. part. 7. disput. 6. sect. 5. dub. 3.* Contra Sà *verb. irregularitas ex deformit. illicit. num. 7.* Henriquez *lib. 13. cap. 57. n. 1. & lib. 14. cap. 19. num. 11.* & alios: Tamen in homicidio casuali mixto, seu indirectè voluntario, notorio, dispensare possunt quoad Ordines Minores, & beneficium simplex non curatum. Atque ita docent Doctores *in cap. 1. de cleric. pugnant. in duell.* Syluest. *verb. homicidium 3. q. 8.* Nauarr. *cit. cap. 27. n. 240.* Sayr. *n. 10.* Henriq. *n. 2.* Auila *cit. sect. 5. dub. 2. ex cap. 2. & cap. ad audientiam, de homicidio.*

Probatur, quia huiusmodi iura, in quantum spectat ad homicidium indirectè voluntarium, non sunt immutata per concilium Tridentinum.

Quin addunt Nauarrus, & Auila *in locis sup. citatis*, quod Episcopi, & qui in Diœcesi iurisdictionem quasi Episcopalem habent (vti supra dicebam) dispensare possint etiam cum eiusmodi homicida ad retinendum beneficium curatum, antea obtentum. 2

DVBITATIO LXXXIII.

Quousque extendatur facultas dispensandi super irregularitates, quam habent Priuilegiati?

SVMMARIVM.

1 *Habentes priuilegium dispensandi super omnes irregularitates, excepta irregularitate quæ prouenit ex homicidio, bigamia, &c. dispensare possunt super irregularitates prouenientes ex homicidio indirectè vel imperfectè voluntario, & ex homicidio, quod factum est causa defensionis, quamuis cum excessu moderaminis inculpata tutela.*

2 *Item dispensare possunt super irregularitatem prouenientem ex homicidio iusto ob defectum lenitatis, vt in Milite, Iudice, Assessore, Fiscali, Accusatore, Aduocato, Teste, &c. quia in reseruatione Pontificis intelligitur solùm homicidium voluntarium iniustum, illudque iniustum quoad substantiam.*

3 *Clericus si pugnasset in bello iusto, & propria manu occidisset, possent etiam cum illo dispensare, qui habent priuilegium dispensandi omnem irregularitatem, excepta illa, quæ prouenit ex homicidio, bigamia, &c.*

4 *Facultas dispensandi priuilegiatis concessa, si tantum sit pro foro conscientia, ea illi facilè vti non debent, si factum sit notorium: quia talem dispensationem Episcopi non coguntur admittere in foro externo.*

5 *Episcopi, vel qui quasi Episcopalem iurisdictionem habent, ex vi facultatis sibi à Tridentino concessa dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, non possunt dispensare cum Milite, Iudice, Assessore, Accusatore, &c. & super omni simili alia irregularitate absque delicto contracta, ob defectum scilicet lenitatis, quia talis irregularitas non prouenit ex delicto.*

6 *Prælati Religionum ex vi suorum priuilegiorum habent facultatem dispensandi cum suis super omnes irregularitates, excepta illa quæ prouenit ex homicidio voluntario, vel bigamia vera, vel interpretatiua.*

7 *Prælati Religionum, secundum aliquos per sua priuilegia possunt etiam dispensare cum suis super irregularitatem, quæ prouenit ex bigamia, & quæ prouenit*

uenit ex homicidio voluntario, ad Missæ tamen celebrationem.

8 *Mendicantes habent à Martino V. speciale priuilegium simpliciter dispensandi cum suis super irregularitate, quæ prouenit ex homicidio voluntario, non tamen notorio.*

9 *Priuilegia Regularium quatenus pugnant cum Concilio Tridentino reuocata sunt.*

10 *Prælati Religiosorum neque in foro conscientiæ dispensare hodie possunt, vt homicida voluntarius Ordinem aliquem sacrum suscipiat.*

11 *Paulus III. concessit Religiosis S. Benedicti Vallisoleti, quod singulis quibusdam annis primo die Lunæ Quadragesimæ dispensent cum omnibus subditis super omni irregularitate quauis occasione, vel causa contracta.*

12 *Religiosi, cùm priuilegium præfatum non sit ab aliquo reuocatum, videntur posse illo vti prout iacet sine limitatione: quia cùm lex, vel Princeps non distinguit, neque nos distinguere debemus. Id tamen dicit Author non decisiuè, sed relatiuè.*

13 *Irregularitas, quæ prouenit ex defectu natalium, tollitur per professionem in Religione à Summo pontifice approbata, quantum spectat ad susceptionem Ordinum, etsi non etiam quantum spectat ad prælationem.*

14 *Bigamia si excipiatur in priuilegio dispensandi super irregularitates, non est intelligendum de bigamia similitudinaria: quia hæc indispensabilis non censetur.*

15 *Homicidium voluntarium si excipiatur, non est intelligendum de imperfectè, & indirectè, sed tantùm de perfectè, & directè voluntario, quodque (licet occultum) sit iniustum quoad substantiam.*

16 *Priuilegia, quin etiam & Bulla Cruciata, vel Iubilæi, &c. concedentia facultatem absoluendi ab omnibus censuris, pœnis, & sententiis, non comprehendunt facultatem tollendi irregularitatem ex defectu, etiamsi non exprimatur: neque etiam venit facultas tollendi irregularitatem ex delicto, quia irregularitas non tollitur absolutione, sed dispensatione: Tum quia irregularitas non est censura, neque pœna, contra plures.*

17 *Prælati Religionum, & de consensu ipsorum cæteri Religiosi Confessarij possunt ex vi suorum priuilegiorum, quando absoluunt similes Religiosos, vel etiã seculares, vti formula dispensandi ab omni irregularitate, quin & dispensare cum iisdem super irregularitatem contractam ob violationem censuræ.*

1 RESPONDETVR: qui habent priuilegium dispensandi super omnes irregularitates, excepta irregularitate, quæ prouenit ex homicidio, bigamia, &c. dispensare possunt super irregularitates prouenientes ex homicidio indirectè, vel imperfectè voluntario, & ex homicidio, quod factum est causa defensionis, quamuis cum excessu moderaminis inculpatæ tutelæ, sicuti constat ex iis quæ dicebam in dubitationibus præcedentibus, & videri poterit Caietan. 2.2.q.64. art.8.

2 Item dispensare possunt super irregularitatem prouenientem ex homicidio iusto ob defectum lenitatis, vt in milite, Iudice, Assessore, Fiscali, Accusatore, Aduocato, teste, &c. sicuti docet Caietan. *verb. irregularitas.* Armilla *eod. verb. n.* 13. Henriq. *cap.* 13. *n.* 5. *lit. R. & cap.* 19. *n.* 2. *lit. F.* Auila *sect.* 5. *dub.* 1. & Rodoriq. *tom.* 1. *qq. Regul. q.* 24. *art.* 8. Et ratio est, quia ex dictis supra, nomine homicidij indispensabilis, , id est, super cuius irregularitate dispensationem Pontifex in omnibus priuilegiis sibi reseruare solet, intelligitur solùm homicidium voluntarium iniustum, illudque iniustum quoad substantiam.

3 Dixi, *iniustum, illudque iniustum quoad substantiam:* quia si v.g. clericus pugnasset in bello iusto, & propria manu occidisset, possent etiam cum illo dispensare, qui habent priuilegium dispensandi super omnem irregularitatem, excepta illa quæ prouenit ex homicidio, bigamia, &c. sicuti docent Auila, & Rodoriq. *in locis sup. cit.*

4 Quamuis si facultas dispensandi priuilegiatis concessa tantùm sit pro foro conscientiæ, ea illi facilè vti non debent, si factum sit notorium: quia talem dispensationem Episcopi non coguntur admittere in foro externo. Qua de Nauarr. *lib.* 5. *consil.* 39. *de homicid. edit.* 2.

5 Hinc tamen non inferas, quod Episcopi, vel qui quasi Episcopalem iurisdictionem habent, ex vi facultatis sibi à Tridentino concessæ dispensandi super omni irregularitate proueniente ex delicto occulto, dispensare possint cum milite, Iudice, Assessore, accusatore, &c. & super omni alia irregularitate absque delicto contracta, ob defectum scilicet lenitatis. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 194. *& cit. consil.* 39. *de homicid.* Henriq. *cap.* 19. *n.* 4. *lit. I.* Auila *cit. dub.* 1. §. *ex dictis.* Rodoriq. *in sum. part.* 1. *cap.* 174. *concl.* 3. & Hurtad. *de irregularit disp.* 2. *diffic.* 20. contra Couarruuiam *in Clem. part.* 2 §. 3. *in fin.* & alios innominatos apud Hurtad. *loc. sup. cit.* Ratio est, quia talis irregularitas non prouenit ex delicto, super quam dispensare ex vi Tridentini possunt Episcopi, & qui iurisdictionem quasi Episcopalem habent, si delictum sit occultum, sed prouenit ex defectu lenitatis.

6 Aduerte tamen hic, quod Prælati Religionum ex vi suorum priuilegiorum habent facultatem dispensandi cum suis super omnes irregularitates, excepta illa, quæ prouenit ex homicidio voluntario, vel bigamia vera aut interpretatiua, sicuti videre est apud Rodoriq. *tom.* 1. *quæst. Regular. q.* 24. *art.* 2. *& seqq.*

7 Quin Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 11. & Auila *part.* 7. *disp.* 8. *dub.* 4. *concl.* 8. putant, quod illi per sua priuilegia possint etiam dispensare cum suis super irregularitatem, quæ prouenit ex bigamia, & quæ prouenit ex homicidio voluntario, ad Missæ tamen celebrationem.

8 Quod aliquibus non improbatur, præsertim, quia Mendicantes habent à Martino V. speciale priuilegium, simpliciter dispensandi cum suis super irregularitatem, quæ prouenit ex homicidio voluntario, non tamen notorio, sicuti tradunt Rodoriq. *cit. q.* 24. *art.* 12. Miranda *in manul. Prælator. tom.* 2. *q.* 8 *art.* 10. *concl.* 2. Bartholom. de Vechis *in prax. Nouitior. disput.* 9. *dub.* 16. *n.* 2. qui extendit etiam ad Nouitios. Ioan. de la Cruz *de stat. Relig. lib.* 1. *cap.* 6. *dub.* 1. Sigismund. à Bononia *tract. de elect. part.* 2. *cap.* 4. *dub.* 7 1. *n.* 1. Corduba, & alij, licèt dissentiant Molio. *de inst. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 70. *n.* 12. Layman *lib.* 2. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 9. *n.* 7. & Peytin. *in priuil. Minim. tom.* 1. *constit.* 1. *Iul. II.* §. 29. *n.* 103. quatenus aiunt, quod si homicidium sit voluntarium, esto sit occultum, statuit Concilium Trident. *sess.* 14. *cap.* 7. *de reform.* vt in eo non dispensetur ad sacros Ordines suscipiendos. Priuilegia 9 autem Regularium, quatenus cum dispositione Concilij Tridentini pugnauerint, reuocata sunt. Quapropter 10 (subdunt ipsi) Prælati Religiosorum neque in foro conscientiæ dispensare hodie possunt, vt homicida voluntarius Ordinem aliquem sacrum suscipiat.

11 Præsertim etiam, quia & adest aliud priuilegium concessum à Paulo III. Religiosis S. Benedicti Vallisoleti, & relatum à Rodoriq. *in Bullar. fol.* 817. Vbi conceditur, quod singulis quibusquam annis primo die Lunæ Quadragesimæ dispensent cum omnibus subditis super omnem irregularitatem, quauis occasione, vel causa contractam. In quo priuilegio Rodoriq. *compend. quæst. Regul. resol.* 16. *n.* 14. *& resol.* 52. *num.* 25. Portellius *in addit. ad dub. Regular. verb. dispensare, num.* 5. & alij obseruant, quod Pontifex non limitat, si sit delictum homicidij voluntarij, vel casualis: neque limitat, si sit delictum occultum, vel publicum. Neque excipit bigamiam, &c sed absolutè, & in communi ait, *quauis occasione, vel causa contractam.* Quare cùm hoc priuilegium sit tam amplum, & generale, & Pontifex id possit concedere, nec ab aliquo successore reperiatur in specie reuocatum; videtur etiam, quod Religiosi possint

sint illo vti, provt iacet, sine limitatione, quia cum lex, vel princeps non distinguit, nec nos distinguere debemus, maximè in fauoribus, & fauoribus concessis communitati.

Hæc tamen dixerim, non decidendo, sed inquirendo, & referendo; sicut & illud aliud; An dicti Prælati Regulares possint vigore priuilegiorum dispensare super bigamiam veram, vel interpretatiuam: Nam negant Layman *loc. suprà cit.* & alij, quos citat, & sequitur Barthol. à Vechis *cit. disp.* 9. *dub.* 25. *n.* 2. Affirmant autem Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 8. *dub.* 4. *conclus.* 8. Henriquez *lib.* 12. *cap.* 6. *n.* 11. *in gloss. lit. Z.* vt suprà dicebam.

13 At (quidquid sit de istis priuilegiis) illud tamen fatendum est, quod per professionem in Religione, à Summo Pontifice approbata, tollitur irregularitas, quæ est ex defectu natalium, quantum spectat ad susceptionem Ordinum, etsi non etiam quantum spectat ad Prælationem, vt sumitur *ex cap.* 1. *de filiis Presbyterorum*, ibi: *Filij illegitimè nati ad sacros Ordines non promoueantur, nisi aut Monachi fiant, aut in Congregatione canonica regulariter viuant: Prælationem verò nullatenus habeant.* Et videri poterit Sotus *in* 4. *dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 3. Medina *cap.* 11. §. 12. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 8. *num.* 10. & Auila *de censuris part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 3.

14 Item fatendum est, quod si in priuilegio dispensandi super irregularitates excipiatur bigamia, non sit intelligendum de bigamia similitudinaria, quia hæc indispensabilis non censetur, sicuti præter alios notauit Lay-

15 man *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 5. *cap.* 6. *num.* 6. Et si excipiatur homicidium voluntarium, non sit intelligendum de imperfectè, & indirectè, sed tantùm de perfectè, & directè voluntario. Quodque (licèt occultum) sit iniustum quoad substantiam, vt suprà dicebam.

16 Aduerte secundò, quod cum in priuilegiis, quin etiam in Bulla Cruciatæ, vel in Iubilæo, &c. conceditur facultas absoluendi ab omnibus censuris, pœnis, & sententiis, non venit (etiamsi non exprimatur) facultas tollendi irregularitatem ex defectu; in quo Doctores omnes conueniunt; nec etiam venit facultas tollendi irregularitatem ex delicto. Et ratio est, quia irregularitas non tollitur absolutione, sed dispensatione. Tum quia irregularitas non est censura, neque pœna, neque, cùm solo iure inducatur, sententia. Ergò, &c.

Atque ità tenent Molin. *de iust. tom.* 4. *tract.* 3. *disp.* 8. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 17. *n.* 4. *in gloss. lit. L.* Reginald. *tom.* 2. *lib.* 30. *tract.* 2. *cap.* 3. *sect.* 3. *n.* 24. Suarez *in* 3. *part. tom.* 5. *disp.* 40. *sect.* 3. *n.* 3. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 85. *n.* 7. Filiuc. *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 1. *n.* 9. Graff. *de casib. reseru. lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 35. Sanctarell. *de Iubilæo cap.* 7. *dub.* 5. Beia *part.* 1. *cas.* 17. Zerola *part.* 1. *vers. irregularitas, n.* 13. & *part.* 2. *num.* 7. Chapeuill. *de casib. reseruat. part.* 1. *cap.* 4. *dub.* 5. Fabrus *de Sacrament. Ordin. dist.* 25. *quæst.* 1. *disp.* 3. *n.* 35. Sanch. *lib.* 6. *moral. cap.* 17. *n.* 43. Miranda *tom.* 2. *quæst.* 33. *art.* 11. *concl.* 3. Paris. *de resignat. benefic. lib.* 8. *quæst.* 7. *num.* 23. Homobon. *part.* 1. *tract.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 36. qui citat Caietanum, Nauarrum, Sotum, Viualdum, Saytum, & Maiolum. Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 10. *dub.* 4. *conclus.* 2. qui citat Villadieg. Lopez, & Ledesm. Acosta in Bulla *q.* 48. & Hurtad. *de irregularit. disp.* 2. *difficult.* 20.

Etsi contrarium sentiant Bannes, Salonius, & Aragonius *in* 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 8. Sotus *in* 4. *dist.* 22. *quæst.* 3. *art.* 1. Nuñus *in* 3. *part. tom.* 2. *tract. de bull.* §. *vltimo.* Medina *part.* 2. *q.* 99. *art.* 4. Ledesma *tom.* 1. *tract. de censur. cap.* 1. *concl.* 3. Corduba *quæst.* 28. Fernand. *part.* 3. *cap.* 9. §. 14. *n.* 1. Vega *in spec. curat. tom.* 2. *cap.* 12. *n.* 323. & *in summa tom.* 2. *cap.* 15. *cas.* 8. Guttierrez *lib.* 1. *cap.* 37. *n.* 6. Salas *de legib. tract.* 15. *sect.* 1. *conclus.* 2. *num.* 16. Castr. *de legib. lib.* 8. *disp.* 5. Naldus *in summa verb. irregularitas, num.* 25. Ioan. de la Cruz *part.* 2. *tract. de irregul. dub.* 15. *conclus.* 2. & Rodoriq. *in Bull.* §. 9. *num.* 29.

17 Aduerte tertiò, quod Prælati Religionum, & de consensu ipsorum cæteri Religiosi Confessarij possunt ex vi suorum priuilegiorum, quandò absoluunt similes Religiosos, vel etiam sæculares: vti formula dispensandi ab omni irregularitate, quin & dispensare cum iisdem super irregularitatem contractam ob violationem censuræ, sicuti videre est apud Peregrin. *in compend. priuileg. verb. Absolutio, & verb. dispensatio.*



DVBITATIO LXXXIV.

Quid ex se possint irregulares ex delicto in casu necessitatis? Vbi etiam quid possint excommunicati?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, qui occultum homicidium commisit, si non celebrando in suspicionem sceleris incidit cum periculo vitæ, vel graui dispendio famæ, vel bonorum, debet in primis adhibere diligentiam, vt quamprimum à Pontifice dispensationem obtineat, interim tamen post peractam pœnitentiam celebrare potest, quotiescumque necessitas sic vrget ad vitandam infamiam, vel aliud vitæ, & bonorum graue periculum, quia lex naturalis de defendenda propria fama, vel vita, &c. vincit legem positiuam de abstinendo à Sacro in irregularitate.*

2 *Amplia, id procedere etiam in aliis irregularitatibus, & censuris.*

3 *Excommunicatus, licet ipsi interdicta sit susceptio, siue vsus passiuus Sacramentorum, tamen si vrgeat grauis necessitas ad euitandum periculum mortis, mutilationis, iacturæ bonorum, scandali, vel similium, &c. poterit non obstante occulta censura, licitè, nedum validè Sacramenta suscipere, vel ministrare.*

4 *Habens casus reseruatos cum censura, si vrgeat prædicta, vel similis alia necessitas, poterit simplici confessario omnia peccata, tàm non reseruata (à quibus absoluatur directè) quàm reseruata (à quibus absoluatur indirectè) ad hoc vt confessio sit integra, confiteri, & sic communicare.*

5 *Habens casus reseruatos cum censura, nè cogatur bis eadem peccata, scilicet reseruata confiteri (quod est magnum onus, & à nemine impositum) confiteri potest tantùm non reseruata (à quibus absoluatur directè) & reticere reseruata (à quibus absoluetur indirectè) vel si hoc etiam facere non velis, elicere, si confidis, tanquam nòn habens copiam confessoris, solum actum contritionis, & sic communicare, contrà nonnullos Doctores.*

6 *Diaconus, si ipsi recenter ordinato, qui se ab ordine suspensum nouit, offeratur in Missa Episcopi canere Euangelium, quod commodè sine infamia, scandalo, vel alio periculo graui, non potest declinare, poterit, nihil impediente censura occulta, canere Euangelium.*

7 *Idem dic de omni alio simili casu propter eandem rationem.*

8 *Sacerdos, qui occultum homicidium commisit, si non potest facilè recurrere ad Pontificem, poterit Episcopus ob rationem dictam in tali casu cum illo dispensare, vt in susceptis ordinibus ministrare possit, quamuis tunc Episcopus non tollat simpliciter irregularitatem, sed tollat solum illius effectum suspensioni similem, &c.*



RESPONDETVR, si Sacerdos v.g. qui occultum homicidium commisit, non celebrando in suspicionem sceleris incidit cum periculo vitæ, vel graui dispendio famæ, vel bonorum, debet in primis adhibere diligentiam, vt quamprimùm à Pontifice dispensationem 1

tionem obtineat: Interim tamen post peractam pœnitentiam celebrare potest, quoties cumque necessitas sic vrget ad vitandam infamiam, vel aliud vitæ, aut bonorum graue periculum. Atque ita docet Nauarr. *cap.* 27. *num.* 239. Castr. *lib.* 2. *de lege pœnali cap.* 15. Molin. *de iust. tract.* 3. *disp.* 79. & Guttier. *lib.* 1. *canonic. quæst. cap.* 13. *num.* 21.

Probatur, quia lex naturalis de defendenda propria fama, vel vita, &c. vincit legem positiuam de abstinendo à sacro in irregularitate, cùm lex illa fortiùs liget, quàm ista, quæ potiùs non obligat cum magno rigore, & incommodo.

2 Eademque ratio est (etsi dissentiat Couarruuias *in cap. Alma, part.* 1. §. 2. *n.* 11.) de aliis irregularitatibus, & etiam censuris.

3 Hinc & excommunicatus etiam, licet ipsi interdicta sit susceptio, siue vsus passiuus Sacramentorum, *cap. cum illorum, & cap. si quem, de sent. excommunic.* Tamen si vrget grauis necessitas ad euitandum periculum mortis, mutilationis, facturæ bonorum, scandali, vel similium, &c. poterit, non obstante occulta censura, licitè, nedum validè, Sacramenta suscipere, vel ministrare. V. g. si vrgeat prædicta, vel similis alia necessitas ad

4 communicandum, vel celebrandum, &c. poterit, habens casus reseruatos cum censura, simplici confessario omnia peccata, tàm non reseruata, à quibus absoluatur directè; quàm reseruata, à quibus absoluatur indirectè; ad hoc, vt confessio sit integra, confiteri. Vel nè cogatur bis eadem peccata, scilicet reseruata,

5 confiteri: Quod est magnum onus, & à nemine impositum; confiteri tantùm non reseruata, à quibus absoluatur directè; & reticere reseruata, à quibus absoluetur indirectè. Vel, si hoc etiam facere non velit, elicere, si confidit, tanquàm non habens copiam Confessoris, solum actum contritionis. Et sic communicare, si sit laicus; vel celebrare, si sit Sacerdos.

Qua de re videri poterit Durandus *in* 4. *dist.* 17. *q.* 17. Riccard. *ibid. art.* 2. *quæst.* 8. *ad* 2. Adrianus *quæst.* 4. *de confess.* Alensis *part.* 4. *quæst.* 18. *membr.* 4. *art.* 5. §. 2. *ad vltimum*, Angelus *verb. confessio* 1. §. 7. Caietanus *verb. Absolution. impedimenta, & in opusc. quæst.* 1. *de qualit. confessor.* Suarez *in* 3. *part. tom.* 4. *disp.* 31. *sect.* 3. *n.* 6. *& tom.* 5. *disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 9. Nauarr. *cap.* 9. *n.* 5. Couarruu. *in cap. Alma mater, part.* 1. §. 2. *n.* 5. Petrus de Sot. *lect.* 10. *de confess.* Filiucc. *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 7. *num.* 213. Vega *tom.* 1. *cap.* 11. *n.* 273. Cardinalis de Lugo *de Sacrament. Eucharist. disp.* 14. *sect.* 5. Chappeauill. *de cas. reseru. cap.* 8. Sancius *in select. disp.* 32. *num.* 10. Layman. *lib.* 1. *tract.* 5. *part.* 2. *cap.* 2. *num.* 1. & Villalob. *tom.* 1. *tract.* 9. *diffic.* 40. *n.* 7.

Quamuis contrarium sentiant Paludanus *in* 4. *dist.* 17. *quæst.* 6. *art.* 1. Ledesma *de pœnit. cap.* 20. *dub.* 2. Vasquez *in* 3. *part. tom.* 4. *de excommunic. dub.* 4. *n.* 8. & Toletus *lib.* 3. *cap.* 8. §. *tertius casus.*

6 Hinc secundò Diaconus, si ipsi recenter ordinato, qui se ab ordine suspensum nouit, offeratur in Missa Episcopi canere Euangelium, quod commodè sine infamia, scandalo, vel alio periculo graui (vti suprà dicebam) non potest declinare, poterit, nihil impediente censura occulta, canere Euangelium.

7 Idemque dico de omni alio simili casu propter eandem rationem.

8 Adde, quod si Sacerdos, qui occultum homicidium commisit, non potest facilè recurrere ad Pontificem, poterit Episcopus ob rationem dictam in tali casu cum illo dispensare, vt in susceptis ordinibus ministrare possit. Atque ita docet Syluester *verb. dispensatio, num.* 15. Henriquez *cap.* 19. *num.* 1. *&* 2. Auila *part.* 7. *disp.* 6. *sect.* 5. *dub.* 3. *concl.* 1. Quamuis tunc Episcopus non tollat simpliciter irregularitatem, sed tollat solùm illius effectum suspensioni similem, vt nimirum interim Sacerdos celebrare possit, donec culpa, & defectus occultus manet, & à Papa dispensatio impetrabitur.

DVBITATIO LXXXV.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex defectu corporis?

RESpondetur: de hac re dixi *in tract. de irregularit.*

DVBITATIO LXXXVI.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex mutilatione proprij corporis?

RESpondetur, de hac re dixi *ibidem.*

DVBITATIO LXXXVII.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex defectu animæ?

RESpondetur, de hac re dixi etiam *ibidem.*

DVBITATIO LXXXVIII.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex bigamia? Vbi etiam, an bigamus gaudeat priuilegio clericali?

RESpondetur, de hac re dixi *loco suprà citato.*

DVBITATIO LXXXIX.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex defectu natalium?

RESpondetur, de hac re dixi *vbi suprà.*

DVBITATIO XC.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex defectu libertatis?

RESpondetur, de hac re vide *in eod. tract. de irregul.*



DVBITATIO XCI.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex iteratione Baptismi?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Qui alterum rebaptizat, & qui rebaptizanti ministrat efficitur irregularis.*

2 *Rebaptizatio licèt secundùm Ostiensem, & alios non debeat esse publica, & solemnis, vt rebaptizans, & Minister sit irregularis, non improbabiliter tamen secundùm Abbatem, & alios debet esse publica, & solemnis, & cur.*

3 *Irregularitas hæc Accolyto imposita, qui rebaptizanti ministrauit, non est perfecta, & totalis, sed tantùm partialis, vt solùm ad superiores Ordines ascendere non possit, cum non priuet vsu, & exercitio ordinis habiti; sed solùm ascensu ad superiores*

viores Ordines; adeò vt Doctores arbitrentur, neque de ipso rebaptizante maiorem pœnam asserendam esse.

4 *Rebaptizans non incurrit vllam irregularitatem, si rebaptizet eum, quem putabat baptizatum non esse, quia comparatiuè sui non fuit rebaptizatio: Quandoquidem probabiliter putabat, baptizatum non esse: Non enim dici potest iteratum, quod factum esse nescitur.*

5 *Ignorantia qualibet, modò non sit crassa, & supina, excusat ab hac irregularitate, quia ad eam, sicut & ad omnes alias, quæ ex delicto nascuntur, requiritur dolus, vel culpa lata.*

6 *Rebaptizans neque incurrit vllam irregularitatem, si licet temerè, & non præmissa inquisitione, vtrùm baptismus anteà acceptus fuerit, rebaptizet aliquem exteriùs, absque intentione rebaptizandi, vt si v. g. metu impulsus animo simulato exteriùs aliquem rebaptizet; quia talis actio non est absolutè, & perfectè rebaptizatio.*

7 *Rebaptizans neque incurrit vllam irregularitatem, si licet similiter temerè, & absque vlla præmissa diligentia rebaptizet sub conditione, si non est baptizatus.*

8 *Quia leges pœnales intelligi debent cum effectu, contra Sotum, & alios oppositum tenentes, ex eo quod conditio apposita habetur pro non adiecta, sed transeat haberi pro non adiecta quoad peccatum: At secùs est quoad irregularitatem.*

9 *Rebaptizari se culpabiliter permittens, irregularis efficitur simpliciter, & absolutè: Ideoque non solùm impeditur à susceptione Ordinum, sed etiam ab vsu susceptorum.*

10 *Rebaptizari qui se sinit ignoranter, & inculpabiliter incurrit dictam irregularitatem, eo quod hæc irregularitas non in pœnam delicti à rebaptizato commissi, sed in detestationem solius facti, ob honorem, & reuerentiam Sacramenti videatur imposita esse, vt proindè etiam ab ignorantibus incurratur.*

11 *Qui in qualibet ætate alibi, quàm in Ecclesia Catholica, aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiã prorsus non permittãtur accedere.*

12 *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundùm Canones ordinari non possunt, nisi magna necessitas cogat.*

13 *Rebaptizari qui se sinit ignoranter, & inculpabiliter prædictus non obstantibus ex communiori, & probabiliori Doctorum sententia, non incurrit dictam irregularitatem, & ex Textibus allegatis; & ratione, quia cum ex nullo iure manifestè habeatur, hanc irregularitatem esse impositam ex defectu alicuius significationis, censeri debet imposita in pœnam delicti commissi, cum id naturæ irregularitatis magis conueniat.*

14 *Textus in can. Qui in qualibet 1. q. 7. explicandus est de qualibet ætate adulta, & doli capaci.*

15 *Paruuli ab Hæreticis baptizati, cum ad Ecclesiam Dei reuersi fuerint, ordinari possunt.*

16 *Textus in can. Qui bis, dist. 4. de consecrat. non est alicuius Pontificis, aut Concilij generalis, sed cuiusdam Theodori Archiepiscopi Cantuariensis: ideoque vim legis habere non potest.*

17 *Baptismum qui ab hæretico taliter declarato liberè, & absque vrgenti necessitate suscipit, irregularis efficitur, eo quod censetur hæreticis commisceri, & eorum erroribus communicare.*

18 *Limita, nisi ignorantia, vel necessitas à culpa excusset: Est enim hæc etiam irregularitas ex iis, quæ propter peccatum introducta sunt.*

19 *Baptizatus in ægritudine propter mortis periculum Presbyter ordinari non debet ob defectum probatæ fidei, quia suspicio est, quod fides ab ipso non tam voluntariè, quam ex necessitate suscepta sit.*

20 *Limita primò nisi postea ipsius studium, & fides probabilis reddatur.*

21 *Limita secundò, si hominum in Sacerdotium promouendorum raritas sit: Et ipse, qui in ægritudine baptizatus est post superatum morbum ex aliis indiciis non indignus ordinatione videatur: Ità vt Episcopus non aliter eum ordinare possit, nisi fides rectæ vitæ testimonio probetur, & Sacerdotũ penuria vrgeat.*

22 *Irregularitas recensita secundum aliquos extendi etiam debet ad illos, qui ob vim, metum, vel similem necessitatem baptismum susceperunt, ob identitatem rationis; quia scilicet pariter probatæ fidei defectum habent, cum non voluntariè, sed quasi necessitate coacti illam susceperint.*

23 *Irregularitas recensita ne assumeretur ad Sacerdotiũ in lecto baptizatus, fuit, teste Cornelio Papa, multò anteà in Romana Ecclesia obseruata, Nouatianum ità baptizatum memoranti, & posteà in Episcopum ordinatum fuisse; ideoque vniuersum Clerum, & complures laicos ab illo abstinuisse.*

24 *Irregularitas prædicta, quæ contrahitur ob iterationem baptismi, an contrahatur ob iterationem aliorum Sacramentorum, & ita affirmant nonnulli, quia eodem modo prohibetur Confirmationis iteratio, ac iteratio baptismi; & sub eadem pœna religiosi obsequij sub habitu regulari, vel clericali.*

25 *Pars negatiua est probabilior, quia nullo iure hæc irregularitas expressa est; Nam esto in cap. dictum, de consecrat. dist. 5. decernatur non posse iterari Confirmationem, sicut nec baptismum, pœna tamen, quæ ibi apposita est, potiùs probat sic iterantem ab irregularitate immunem esse, siquidem Clerici famulatus, cui iterantes addicuntur, in exercitio ordinum, & maximè in Eucharistiæ consecratione consisti*

26 *Irregularitas nulla apposita est pro iteratione aliorum Sacramentorum characterem non imprimentium.*



VPPONO, quod qui alterum rebaptizat, & qui rebaptizanti ministrat, irregularis efficiatur. Sic communiter Doctores, & quatenùs spectat ad ministrantem, expressè habetur *in cap. 2. de apostatis*, ex quo colligunt communiter etiam Doctores, idem multò magis de rebaptizãte dicendum esse, quibus & consuetudo, quæ est optima legum interpres, consentit. Nauarr. *cap. 27. num. 246.* Henriquez *lib. 2. cap. 31. n. 1. & lib. 14. cap. 4. n. 4.* Suarez *3. part. tom. 3. disp. 31. sect. 6.* Auila *de censur. part. 7. dub. 1.* & Coninch. *disp. 18. dub. 4. n. 35.*

An autem, vt ipse rebaptizans, & Minister rebaptizantis, incurrant irregularitatem requiratur, quod rebaptizatio sit publica, seu solemnis? F

Negant Ostiens. *in cit. cap. 1.* Scot. *in 4. dist. 6. quæst. 8.* Auila *cit. disp. 7. dub. 1.* Henriq. *lib. 14. cap. 4. n. 5.* & Syr. *lib. 7. thes. cap. 8. n. 6.* quia Textus *in cap. qui in qualibet 1. quæst. 7. & cap. qui bis, & cap. eos quos, de consecrat. dist. 4.* nullatenus publicitatem criminis requirunt. Et licet *in dicto cap. 2. de apostat.* dixerit Pontifex de Ministro rebaptizantis, quod iste ad Ordines superiores, si publicum sit delictum, promoueri non possit, nisi transierit ad Religionem. Si verò occultum fuerit, permittitur promoueri. Id tamen intelligendum est ex dispensatione Episcopi.

Affirmant verò, & non improbabiliter, Abbas *in dicto cap. 2. de apostat. n. 1.* Paludan. *in 4. dist. 6. quæst. 4. art. 1. concl. 2.* Syluest. *verb. irregularitas, quæst. 4.* Tolet. *lib. 1. cap. 70. n. 4.* & Hurtad. *de irregular. disp. 2. diffic. 5.* quia Textus *in dicto cap. 2. de apostat.* absolutè decidit, quod si crimen occultum sit, ordinari Accolytus ille possit, neque dispensationis mentionem facit. Ergò absque fundamento dispensatio requiritur, alij verò Textus non de rebaptizante, sed de rebaptizatis loquuntur. Præterquam quod explicari debent iuxtà dictum Textum *in cap. 2. de apostat.* Vbi Pontifex clarè loquitur, vt per rebaptizationem occultam à rebaptizante irregularitas non incurratur.

Aduerte

3 Aduerte tamen hic, quod irregularitas hæc Accolyto imposita, qui rebaptizanti ministrauit, non sit perfecta, & totalis, sed tantùm partialis, vt solùm ad superiores Ordines ascendere non possit, cum non priuet vsu, & exercitio Ordinis habiti, sed solùm ascensu ad superiores Ordines, vt *ex ipso cap. 2. de apostat.* constat. Et aduertunt Suar. *tom. 5. in 3. part. disp. 31. sect. 6.* Coninch. *disp. 18. dub. 5. n. 34.* & Hurtad. *de irregul. disp. 2. diffic. 1.* Adeò vt prædicti Doctores, præcipuè Suarez, arbitrentur, neque de ipso rebaptizante maiorem pœnam asserendam esse; cùm ius non exprimet.

4 Aduerte secundò, quod rebaptizans non incurrat vllam irregularitatem, si rebaptizet eum, quem putabat baptizatum non esse, quia comparatiuè sibi non fuit rebaptizatio. Quandoquidem probabiliter putabat, baptizatum non esse. Non enim dici potest iteratum, quod factum esse nescitur, *cap. solemnitates, de consecrat. dist. 1.*

5 *& cap. vnico, de clerico per saltum promoto.* Quapropter ab hac irregularitate excusat quælibet ignorantia, modò non sit crassa, & supina, quia ad hanc irregularitatem, sicut & ad omnes aliàs, quæ ex delicto nascuntur, requiritur dolus, vel culpa lata, ideoque, sicuti dicebam, excusat ignorantia quæcumque si non sit crassa, & supina. Doctores, quos citat, & sequitur Bonacin. *de irregular. disp. 7. quæst. 3. punct. 3. num. 3.*

6 Aduerte tertiò, quod rebaptizans neque incurrat vllam irregularitatem, si licet temerè, & non præmissa inquisitione, vtrum baptismus anteà acceptus fuerit, rebaptizet aliquem exteriùs absque intentione rebaptizandi, vt si v.g. metu impulsus animo simulato exteriùs aliquem rebaptizet; quia talis actio non est absolutè, & perfectè rebaptizatio. Bonacin. *cit. punct. 3. n. 4.* Coninch. *disp. 18. dub. 5. n. 38.* & Hurtad. *de irregular. disp. 2. diffic. 1.*

7 Aduerte quartò, quod rebaptizans neque incurrat vllam irregularitatem, si licet similiter temerè, & absque vlla præmissa diligentia, rebaptizet sub conditione, *si non es baptizatus*, quia leges pœnales debent intelligi cum effectu, sed qui baptizatum sub conditione prædicta baptizat, is re vera non baptizat; quia apposita prædicta conditio, si subsit, suspendit, & impedit actum, ac proinde exterior illa ablutio non est rebaptizatio, & consequenter neque irregularitati subiecta. Nauarr. *cap. 27. n. 246.* Suar. *disp. 3. sect. 6. dub. 5.* Henriq. *lib. 14. cap. 4. n. 4.* & Auila *de censur. part. 7. disp. 7. dub. 3.*

8 Quidquid in contrarium dixerint Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vnica, art. 9.* Corduba *in summa q. 37.* & Vgolin. *de irregular. cap. 35. §. 3.* quia in prædicto casu, inquiunt ipsi, conditio apposita habetur pro non adiecta, sicuti tradidit Pius V. in Cathechismo Romano *tract. de baptis. cap. de effectib. baptismi, in fine.*

Respondetur enim distinguendo, quod in prædicto casu conditio apposita habeatur pro non adiecta, quoad peccatum, transeat, quoad irregularitatem incurrendam, nego.

9 Suppono secundò, quod qui se culpabiliter rebaptizari permittit, irregularis efficiatur simpliciter, & absolutè, ideoque non solùm impediatur à susceptione Ordinum, sed etiam ab vsu susceptorum, *cap. confirmandum, dist. 50. cap. si bis, cap. eos quos, de consecrat. dist. 4. cap. Aphros, dist. 98. & cap. qui in qualibet 1. quæst. 7.*

10 An autem idem dicendum sit de eo, qui se rebaptizari sinit ignoranter, & inculpabiliter?

Affirmant Palud. *in 4. dist. 6. quæst. 4. art. 1. concl. 2.* Syluest. *verb. baptismus 5. q. 3.* S. Antonin. *3. part. tit. 14. cap. 13. §. 12.* & Maiol. *de irregular. lib. 3. cap. 14.* eo quod hæc irregularitas, non in pœnam delicti à rebaptizato commissi, sed in detestationem solius facti ob honorem, & reuerentiam Sacramenti videatur imposita esse, vt proinde etiam ab ignorantibus incurratur.

11 Probatur primò *ex cit. cap. qui in qualibet*, ibi: *Qui in qualibet ætate alibi, quàm in Ecclesia Catholica aut baptizati, aut rebaptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus non permittantur accedere.* Ex quo colligi videtur, quod etiam infantes, atque adeò & etiam ignorantes ab hæreticis baptizati, vel rebaptizati irregularitatem incurrant.

Secundò, quia *in cap. qui bis, dist. 4. de consecrat.* expressè dicitur: *Qui bis ignoranter baptizati sunt, non indigent pro eo pœnitere, nisi quod secundùm canones ordinari non possunt, nisi magna aliqua necessitas cogat.* 12

Negant verò ex communiori, & probabiliori Doctorum sententia Scotus *in 4. dist. 6. quæst. 8.* Sotus *in 4. dist. 3. quæst. vnica, art. 9. §. vnum hic.* Nauarr. *cap. 27. n. 146.* Couarruu. *in Clement. si furiosus, part. 1 n. 8.* Toletus *lib. 1. cap. 70. §. 2* Henriquez *lib. 14. cap. 4. n. 3. lit. K.* Auila *de censur. part. 7. disp. 7. dub. 2.* Suarez *3. part. disp. 31. sect. 6. & de censur. disp. 42. sect. 1.* Sà *verb. irregularitas ex iterato baptismo, n. 1.* Valent. *tom. 4. disp. 7. q. 19. punct. 3. §. 5.* & Sayr. *lib. 7. thes. cap. 8. n. 8. & seqq.* 13

Probatur ex Textu *in cap. placuit, & cap. qui apud 1. quæst. 4.* ex quibus textibus id clarè colligitur.

Secundò probatur ratione, quia cùm ex nullo iure manifestè habeatur, hanc irregularitatem esse impositam ex defectu alicuius significationis, dicendum est, esse impositam in pœnam delicti commissi, cum id naturæ irregularitatis magis conueniat. At stante ignorantia, nullum delictum committitur: Ergò nullum irregularitas hæc locum habet.

Confirmatur, quia Textus suprà citati nihil probant: Nam Textus *in cap. qui in qualibet*, explicandus est de qualibet ætate adulta, & doli capace, sicuti Glossa ibidem explicat. Et colligitur, tum ex verbis subsequentibus: *Quibus satis esse debet (considerata eorum culpa) quod in Catholicorum numero sunt recepti:* Tum *ex cap. placuit, & cap. qui apud 1. q. 4.* In quibus expressè decernitur, paruulos ab hæreticis baptizatos, cum ad Ecclesiam Dei reuersi fuerint, ordinari posse. Textus verò *in cap. qui bis*, non est alicuius Pontificis, aut Concilij Generalis, sed cuiusdam Theodori Archiepiscopi Cantuariensis; ideoque vim legis habere non potest, vti notauit Couarruu. Suarez, Sayrus, & alij *in locis suprà citatis.* 14 15 16

Hinc patet ad fundamenta prioris opinionis.

Suppono tertiò, quod qui ab hæretico, taliter declarato, liberè, & absque vrgenti necessitate Baptismum suscipit, irregularis etiam efficiatur, eo quod censeatur hæreticis commisceri, & eorum erroribus communicare, *cap. Aphros, dist. 98. cap. ventum est 1. quæst. 1. & cap. qui in qualibet 1. quæst. 7.* 17

Limitari tamen debet vti suprà, nisi scilicet ignorantia, vel necessitas à culpa excuset. Est enim hæc etiam irregularitas ex eis, quæ propter peccatum introductæ sunt, quasi quædam pœnæ, sicuti colligitur *ex cit. cap. placuit, & cap. qui apud 1. quæst. 4.* 18

Suppono quartò, quod qui in ægritudine propter mortis periculum baptizatus est, Presbyter ordinari non debeat ob defectum probatæ fidei, sicuti constat *ex cap. vnico, dist. 57.* vbi dicta ratio subditur, quia scilicet suspicio est, quod fides ab ipso, non tam voluntariè, quàm ex necessitate suscepta sit. 19

Limitatur tamen primò, si posteà ipsius studium, & fides probabilis reddatur. 20

Limitatur secundò, si hominum in Sacerdotium promouendorum raritas sit, & ipse, qui in ægritudine baptizatus est, post superatum morbum ex aliis indiciis non indignus ordinatione videatur. Ità vt Episcopus non aliter eum ordinare possit, nisi fides rectæ vitæ testimonio probetur, & Sacerdotum penuria vrgeat. Maiolus *de irregular. lib. 3. cap. 10.* Sayr. *lib. 7. de irregul. cap. 8. n. 30.* Suarez *de censur. disp. 42. sect. 1. n. 5.* & alij. 21

Arbitrantur verò Maiol. & Suar. *in loc. suprà cit.* irregularitatem istam extendendam esse etiam ad illos, qui ob vim, metum, vel similem necessitatē baptismum susceperunt, ob identitatem rationis, quia scilicet similiter probatæ fidei defectum habent, cum similiter non voluntariè, sed quasi necessitate coacti illam susceperint: Quæ extensio non improbabilis omninò mihi videtur. 22

Cæterùm

23 Cæterum dictam irregularitatem (vt scilicet ad Sacerdotium, & omninò in clerum non assumeretur, qui in lecto propter morbum baptizatus erat:) multò ante in Romana Ecclesia obseruatam fuisse, testatur Cornelius Papa apud Eusebium *lib. 1. Histor. cap. 35.* memorans, Nouatianum ita baptizatum, & postea Episcopum ordinatum fuisse; Ideoque vniuersum clerum, & complures laicos ab illo abstinuisse.

24 An autem ob iterationem aliorum Sacramentorum characterem imprimentium (qualia sunt Confirmatio, & Ordo) contrahatur eadem irregularitas, quæ contrahitur ob iterationem Baptismi?

Affirmant Richardus *in 4. dist. 7. quæst. 1.* S. Antonin. *3. part. tit. 28. cap. 6. §. 3.* Maiol. *de irregular. lib. 8. cap. 15.* Nauarr. *cap. 27. num. 247. & lib. 1. consil. tit. de tempor. ordinat. consil. 36.* Ostiensis *in summa lib. 1. tit. de Sacrament. non iterand. §. vltimo, num. 12.* Archidiaconus *in cap. dictum, de consecrat. dist. 5. & ibi Gloss. vers. amplius,* Graff. *lib. 4. cap. 27. num. 15.* & alij. Quia *in dicto cap. dictum, de consecrat. dist. 5.* eodem modo prohibetur Confirmationis iteratio, ac iteratio Baptismi; & sub eadem pœnà religiosi obsequij sub habitu regulari, vel clericali.

25 Negant verò probabiliùs Scot. *in 4. dist. 5. q. 5.* Paludan. *dist. 7. quæst. 2. art. 1. conclus. 2.* Sotus *dist. 7. quæst. vnica, art. 5.* Syluest. *verb. irregularitas, quæst. 4.* Couarruu. *in Clement. si furiosus, part. 1. num. 8.* Suar. *de sacram. disp. 38. sect. 1. & 2.* Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 19. punct. 3. §. 5.* Auila *de censur. part. 7. disput. 7. dubit. 5.* Alphons. à Castro *lib. 1. de leg. pœn. cap. 7. docum. 3.* Sà *verb. irregularitas ex iterato Baptismo, n. 2.* & Henriq. *lib. 14. cap. 4. num. 5.* quia nullo iure hæc irregularitas expressa est: Nam esto *in dicto cap. dictum,* decernatur, non posse iterari confirmationem, sicut nec baptismum, pœna tamen, quæ ibi apposita est, potiùs probat, sic iterantem ab irregularitate immunem esse. Siquidem clerici famulatus, cui iterantes addicuntur, in exercitio Ordinum, & maximè in Eucharistiæ consecratione, consistit, vti rectè notarunt Scotus, & Alphons. à Castro *in locis suprà citatis.*

26 Hinc à fortiori constat, nullam irregularitatem appositam esse pro iteratione aliorum Sacramentorum characterem non imprimentium. His suppositis.

SECTIO II.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Pontifex solus dispensare potest super irregularitate, quæ prouenit ex iteratione Baptismi spectato iure communi; At si proueniat ex delicto secreto poterit etiam Episcopus virtute Tridentini Concilij sess. 24. cap. 6. de reformat.*

2 *Rebaptizationem fieri, quoties publicè ignoratur, occultum delictum censetur.*

1 Respondetur super irregularitatem, quæ prouenit ex iteratione baptismi dispensare, spectato iure communi, solus Pontifex potest; At si proueniat ex delicto secreto, poterit etiam Episcopus virtute Tridentini Concilij *sess. 24. cap. 6. de reformat.* Sic communiter Doctores, quos citat, & sequitur Auila *de censur. part. 7. disput. 7. in fine,* Sayr. *lib. 7. thes. cap. 8. in fine,* & Bonacin. *de irregular. disp. 7. quæst. 3. punct. 3. num. 9.*

2 Occultum autem delictum censetur, quoties publicè ignoratur, rebaptizationem fieri. Auila, Sayrus, & Bonacina *in locis suprà citatis.*



DVBITATIO XCII.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex illicita Ordinum susceptione?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitatem contrahit qui ordinem furtiuè suscipit; Ex Canone enim prohibetur, ne qui Diaconatu furtiuè ordinatus est, ne ad ordinem Sacerdotalem ascendat.*

2 *Ordinatio furtiua multis modis contingere potest; Primò, si quis sacris ordinetur sine vero titulo.*

3 *Secundò, si sine Literis dimissoriis.*

4 *Tertiò, si non seruatis interstitiis.*

5 *Quartò, si per saltum.*

6 *Quintò, si ante legitimam ætatem.*

7 *Sextò, si absque approbatione, & admissione Episcopi, sicuti contingit cùm non admissus, neque vocatus se ingerit cum aliis ordinandis, vel vsurpato nomine alterius examinati, & approbati locum illius occupet, vel si sub nomine suo facit alium examinari, & approbari, & posteà ipse proprio nomine vocatus ad ordines accedit.*

8 *Ordinatio furtiua propriè solùm hoc sexto modo contingit, & irregularitatem saltem quoad Superiores ordines suscipiendos inducit; nam aliæ furtiuæ ordinationes potiùs suspensionem, quàm irregularitatem inducunt.*

9 *Ordinatus furtiuè Diaconatu, & Subdiaconatu eodem die, prohibetur in susceptis ordinibus ministrare: quæ pœna potiùs suspensionis, quàm irregularitatis esse videtur: sed id procedit ex eo, quia ibi sic ordinatus duo delicta commisit, vnum recipiendo ordinem furtiuè, alterum recipiendo duos sacros Ordines eodem die. Propter primum enim incurrit irregularitatem, & propter secundum suspensionem.*

10 *Recipiens ordinem sine confirmationis receptione, an irregularitatem incurrat, affirmant quidam: alij verò negant probabiliùs, quia nullibi reperitur in iure hæc pœna expressa, neque imposita.*

11 *Suscipiens, & exercens Ordinem, Confirmatione non suscepta, neque peccat mortaliter: quia nullibi reperitur expressum, &c.*

12 *Suscipiens sacros Ordines post matrimonium contractum extra casus à iure permissos, contrahit irregularitatem.*

Svppono, Irregularitatem contrahere illum, qui Ordinem furtiuè, suscipit, *cap. de eo, qui ordinem furtiuè suscepit,* vbi prohibetur illi, qui Diaconatu furtiuè ordinatus est, ne ad ordinem Sacerdotalem ascendat. 1

Suppono secundò, hanc furtiuam ordinationem multis modis contingere posse. Primò, si ordineris 2
sacris sine vero titulo. Secundò, si sine Literis di- 3
missoriis. Tertiò, si non seruatis interstitiis. Quar- 4
tò, si per saltum. Quintò, si ante legitimam ætatem. 5 6
Sextò, si absque approbatione, & admissione Episcopi, 7
sicuti contingit, cùm non admissus, neque vocatus
se ingeris cum aliis ordinandis, vel si, vsurpato nomine

alterius examinati, & approbati locum illius occupas, vel si sub nomine tuo facis alium examinati, & approbari, & postea tu ipse proprio nomine vocatus ad ordines accedis.

8 Suppono tertiò, furtiuam ordinationem solùm hoc sexto modo propriè contingere, & irregularitatem, saltem quoad superiores Ordines suscipiendos, inducere: Nam aliæ furtiuæ ordinationes potiùs suspensionem, quàm irregularitatem inducunt. Gloss. *in cit. cap.* 1. Suarez *disput.* 42. *sect.* 3. *num.* 5. Sayr. *lib.* 7. *thesaur. cap.* 9. *num.* 57. & Coninch. *disput.* 18. *dub.* 5. *num.* 43.

9 Obiicies. *In cap. vltimo, de eo, qui furtiuè Ordinem suscepit*, sic ordinatus furtiuè Diaconatu, & Subdiaconatu eodem die, prohibetur in susceptis ordinibus ministrare: Quæ pœna potiùs suspensionis, quàm irregularitatis esse videtur; Ergo.

Respondetur, id esse; quia ibi sic ordinatus duo delicta commisit, vnum recipiendo ordinem furtiuè, alterum recipiendo duos sacros ordines eodem die. Propter primum delictum incurrit irregularitatem latam *in cap.* 1. *&* 2. *eodem tit.* Propter secundum verò incurrit pœnam suspensionis.

10 An autem propter receptionem Ordinis sacri sine Confirmationis receptione, irregularitatem incurras?

Affirmant quidam, inter quos Maiolus *de irregularit. lib.* 4. *cap.* 12. *num.* 9. ob Decretum Tridentini Concilij *sess.* 23. *cap.* 4. *de reformat.* statuentis, ne recipiantur Ordines, non præmissa Confirmationis receptione.

Negant verò probabiliùs Henriq. *lib.* 14. *cap.* 6. *n.* 3. Vgolin. *de irregular. cap.* 38. §. 1. Suarez *tom.* 3. *de sacrament. disput.* 38. *sect.* 1. & Sayr. *lib.* 7. *thes. cap.* 9. *n.* 42. quia nullibi reperitur in iure hæc pœna expressa, neque imposita.

11 Quod adeò verum est, vt Nauarr. *cap.* 22. *num.* 9. Suarez, & Sayrus *in locis suprà citatis* putent, neque peccare mortaliter eum, qui suscipit, & caeteer Ordinem, Confirmatione non suscepta; quia neque in dicto Tridentini Concilij Decreto, neque alibi reperitur præceptum suscipiendi Confirmationem ante Ordinis susceptionem.

12 Suppono quartò, irregularitatem etiam contrahere suscipientem sacros Ordines post matrimonium contractum, extra casus à iure permissos. Doctores communiter ex Extrauag. *Antiquæ concertationi*, de voto. His suppositis.

SECTIO II.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus potest dispensare ab irregularitate, quæ prouenit ex furtiua Ordinis susceptione; nisi sub excommunicatione ipso facto incurrenda, sicuti plerumque ab Episcopis interdici consueuit, interdictum fuerit: quo casu dispensatio Summo Pontifici reseruatur; Excepto, si delinquens fuerit Religionem ingressus, & ibi aliquandiu laudabiliter vixerit.*

2 *Crimen prædictum si sit occultum, dispensare poterit etiam Episcopus virtute Tridentin. sess.* 14. *cap.* 6. *de reform.*

3 *Pontifex solus potest dispensare in irregularitate contracta ab illo, qui indebitè post matrimonium ordinatus est, nisi posteà Religionem approbatam profiteatur.*

1 RـEspondetur, & dico primò; quatenùs spectat ad dispensationem irregularitatis, quæ prouenit ex furtiua Ordinis susceptione, potest Episcopus dispensare, *citat. cap.* 1. *de eo, qui ordines furtiuè suscepit*: nisi sub excommunicatione ipso facto incurrenda (sicuti plerumque ab Episcopis interdici consueuit) interdictum fuerit. Quo casu dispensatio Summo Pontifici reseruatur; Excepto, si delinquens fuerit Religionem ingressus, & ibi aliquandiù laudabiliter vixerit, *citat. cap.* 1.

Quamuis, si crimen occultum sit, dispensare possit 2
etiam Episcopus virtute Tridentini *sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* Sayr. *loco suprà cit. n.* 30. & Bonacin. *de irregular. disp.* 7. *q.* 3. *punct.* 4. *n.* 7.

Dico secundò: quatenus verò spectat ad irregularitatem contractam ab illo, qui indebitè post matri- 3
monium ordinatus est, solùm Pontifex dispensare potest: nisi posteà Religionem approbatam profiteatur, *cit. extrauag. Antiquæ concertationi*, vel nisi delictum occultum fuerit.

SECTIO III.

PETITIO PRIMA.

An Clericus, qui suscipit Ordines sacros cum patrimonio ficto, & posteà celebrat, in ordinatione ratione patrimonij ficti incurrat suspensionem, & postea celebrando incurrat irregularitatem?

SVMMARIVM.

1 *Clericus, qui suscipit Ordines sacros cum patrimonio ficto, & posteà celebrat in ordinatione, ratione patrimonij ficti, secundum plures Doctores incurrit suspensionem, & irregularitatem celebrando.*

2 *Clericus prædictus secundùm Suarez duas incurrit suspensiones, vnam ob patrimonium fictum; quia Tridentinum sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat. videtur innouare canones antiquos: Alteram, quia sine proprij Episcopi Literis dimissoriis ordinatur; siquidem Episcopus conferens huiusmodi literas titulo patrimonij illas non conferret, si sciret patrimonium esse fictum.*

3 *Clericus ordinatus sine titulo, licèt peccet mortaliter, tamen suspensionem non incurrit; atque adeò celebrando irregularitatem non contrahit, ex pluribus Doctoribus, & ex declaratione Congregationis Concilij apud Piasecium, & secundùm vsum Pœnitentiariæ apud Sayrum.*

4 *Episcopus si quempiam sine titulo, vel beneficio, de quo necessaria vitæ percipiat, ordinauerit, suis sumptibus eum alere tenetur, donec de beneficio sufficienti eidem prouiderit.*

5 *Concilij Tridentini intentio hac in re fuit innouare pœnas antiquorum Canonum, qui non erant sublati, & correcti per alium Canonem posteriorem: quapropter antiquam illam suspensionem nouo iure per Textum cum secundum Apostolum, sublatam non innouat Concilium Tridentinum.*

6 *Ordinatus cum ficto patrimoio non incurrit aliam suspensionem latam aduersus illos, qui sine Literis dimissoriis proprij Episcopi ordinantur; quia licèt per fraudem Literas dimissorias obtineant, adhuc tamen vera licentia est.*

7 *Non obstat si dicatur, quod obtinuisse Literas dimissorias ex causa falsa, sit idem, ac illas non obtinuisse: quia debet Episcopus sufficientem diligentiam adhibere, an patrimonium sit verum.*

8 *Neque obstat secundò, si dicatur, supradictum clericum incurrere suspensionem, ex Bulla Sixti V. contra clericos malè promotos, quia talis Bulla fuit à Clemente VIII. redacta ad terminos iuris communis.*

Ordinatus

9 *Ordinatus prædictus etiam in Doctorum posteriori sententia potest pœna extraordinaria (cum à iure pœna certa sancita non sit) ab Episcopo puniri & forsan ab Episcopo poterunt illi necessaria denegari, cùm ipse Episcopus non fuerit in culpa : sed deceptus ab ordinato.*

10 *Sententia prior, his non obstantibus magis Auctori probatur.*

1 RESpondetur affirmatiuè ex dictis. Atque ita tenent etiam Nauarr *cap.27.num.*158. Sanch. *de matrim. lib* 6.*disp.*32.*n.*8. Comitol. *lib.*6.*q.*38. Filliuc. *tom.*1. *tract.*17.*cap.*5. *n.*89. Bonac. *de sacram. disp.*8.*q.vnica, punct.*5.*num.*24. Io. de la Cruz.*part.*2.*de sacram.ordin. dub.*6.*concl.*2. Scortia *Theorem.*149. Reginald. *tom.* 2. *lib.*32. *tract.*2. *cap.*25. *sect.*3. *n.*71. Vasquez *in* 3.*part. tom.*3. *disp.* 146. *cap.*6. *n.*61. & Suarez *ibidem tom.* 5. *disput.*31. *sect.*1. *n.*15. qui subdit, talem clericum duas incurrere suspensiones, vnam ob patrimonium fictum:
2 quia Tridentinum *sess.*21.*cap.*2.*de reformat.* videtur innouare Canones antiquos(Textum scilicet *in cap. Neminem,& in cap Sanctorum,dist.*70.)in quibus expressè definitur, suspensum illum; qui ordinatur sine beneficio, & patrimonio. Alteram, quia sine proprij Episcopi literis dimissoriis ordinatur: siquidem Episcopus conferens huiusmodi literas titulo patrimonij, illos non conferret, si sciret patrimonium esse fictum: Ergo dictæ literæ sunt subreptitiæ, atque adeò nullæ, seu nullius effectus, ac valoris.

3 Quamuis contrarium (supradictum scilicet clericum ordinatum sine titulo, licèt peccet mortaliter, tamen suspensum non esse, atque adeò celebrando irregularitatem non contrahere) teneant Toletus *lib.*1. *cap.*48. *num.*5. Auila *de censur. disp.*5. Henriq. *lib.*13. *cap.*37. *n.* 2. *& in gloss. lit.G.* Garzias *de benefic. tom.*1. *part.*2.*cap.*5.*n.*10. Flamin. *de resignat.benefic.lib.*2.*q.*6. *num.*18. Gonzalez *ad* 8.*Regul.Cancell.gloss.*6.§.10.*n.*25. Squillan. *de oblig. cleric. part.* 2. *dub.* 4. Coninch. *de sacram. disp.*16.*dub.*5. *n.*38. Piasecius *in prax. Episcop. part.*1. *cap.*1. *art.*7. *num.*5. Homob. *part.* 2. *tract.* 11. *cap.*10.*q.*12. Sayr.*de censur.lib.*4. *cap.*14.*n.*16.Ledesm. *in summa de sacramen.in.cap.*7. *concl.*6.*difficult.* 3. Villalob. *tom.*1. *tract.* 11. *diffic.* 15. *n.*10. & Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 184. quia secundùm declarationem Congregationis Concilij apud Piasecium *loc. cit.* & secundùm vsum Pœnitentiariæ apud Sayrum vbi suprà, ordinatus sine titulo nullam suspensionem incurrit, & Tridentinum Concilium non innouat pœnam illam suspensionis *in dicto cap. neminem, & dicto cap. Sanctorum, dist.* 70. iure antiquo latam aduersùs ordinatos absque titulo (cùm iam talis pœna ante Tridentinum per alios Canones, scilicet per Textum *in cap. Episcopus*, qui est Alexandri III. & per Textum *in cap. cum secundum Apostolum, de præbendis*, qui est Innocentij III. fuerit sublata) sed solùm innouat pœnas horum duorum Canonum recentiorum; *cap. Episcopus,*
4 *& cap. cum secundum Apostolum*, in quibus in pœnam ordinantis statutum est, quod Episcopus eos, quos sine titulo, vel beneficio, de quo necessaria vitæ percipiant, ordinauerit, suis sumptibus alere teneatur, donec de beneficio sufficienti eis prouideri. Vnde.

5 Ad primam nostram rationem respondent, Intentionem Concilij Tridentini solùm fuisse, innouare pœnas antiquorum Canonum, qui non erant sublati, & correcti per alium Canonem posteriorem: Quapropter antiquam illam suspensionem nouo iure per Text.*in cap. cum secundùm Apostolum*, sublatam non innouat Concilium Tridentinum; quia sic declarauit Congregatio Cardinalium apud Piasecium *loco suprà citato.*

6 Ad secundam respondent præcipuè Henriquez *vbi suprà*, negando, eum, qui cum ficto patrimonio ordinatur, incurrere aliam suspensionem latam aduersùs illos, qui sine Literis dimissoriis proprij Episcopi ordinantur; quia, tametsi per fraudem Literas dimissorias, vel licentiam obtineant, adhuc tamen vera licentia est.

Neque obstat, si dicas, quod obtinuisse Literas dimissorias ea causa falsa sit idem, ac illas non obtinuisse; quia, vt ait Auila *vbi suprà*, debet Episcopus sufficientem diligentiam adhibere, vt sciat an patrimonium sit verum. Accedit, quod, si fictio patrimonij sufficeret ad incurrendam illam suspensionem, sufficeret etiam falsitas in probatione morum, & generis, quod nemo dixerit. 7

Neque obstat secundò, si dicas, supradictum clericum incurrere suspensionem ex Bulla Sixti V. contra clericos malè promotos, vti notat Gonzalez *vbi suprà*. Quia talis Bulla fuit à Clemente VIII redacta ad terminos iuris communis, vti notauit Vioald. *in fine Candelabri.* 8

Aduerte tamen, quod, etiam stando in istorum Doctorum sententia posteriori, taliter ordinatus possit pœna extraordinaria (cùm à iure pœna certa sancita non sit) ab Episcopo puniri, vt obseruat Gonzal. *n.*32. & forsan ab Episcopo poterunt illi necessaria denegari; cùm ipse Episcopus non fuerit in culpa, sed deceptus ab ordinato. 9

His tamen non obstantibus adhuc tamen mihi magis probatur sententia prior, de qua meliùs constabit infrà petitione octaua. 10

SECTIO IV.

PETITIO SECVNDA.

An suspensionem incurrat, qui Ordinem aliquem suscipit ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit?

SVMMARIVM.

1 *Ordinem aliquem maiorem qui ab Episcopo suscepit, qui Episcopali dignitati, ac iurisdictioni renunciauit, ab eiusdem ordinis executione in perpetuum suspensus est.*

2 *Episcopus si ignorantia probabilis, vel etiam aliquo modo culpabilis, dummodò non crassa, & supina intercesserit, potest cum tali ordinato dispensare.*

RESpondetur: Qui maiorem aliquem ordinem suscipit ab Episcopo, qui Episcopali dignitati, ac iurisdictioni renunciauit, ab eiusdem ordinis executione in perpetuum suspensus est. Doctores communiter *ex cap.* 1. *de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopat. renunc.* 11

Quamuis, si ignorantia probabilis, vel etiam aliquo modo culpabilis, dummodò non crassa, & supina, intercesserit, possit Episcopus cum illo dispensare. 12

SECTIO V.

PETITIO TERTIA.

An suspensionem incurrat, qui ordinatur à schismatico, hæretico, simoniaco, vel alio excommunicato, ac denunciato post extrauag. *Ad euitanda.*

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus à schismatico, hæretico, simoniaco, vel alio excommunicato, ac denunciato post extrauag. Ad*

Ad euitanda, in perpetuum suspensus est.

2 *Episcopus potest dispensare cum tali ordinato, si ignorantia facti non crassa laborauit.*

3 *Suspensio, seu canonica hæc inhabilitas contrahitur quotiescumque quis ordinatur ab Episcopo, cui ordinandi facultas adempta sit per denunciatam scilicet excommunicationem, suspensionem, depositionem, vel degradationem; quia per sacros Canones ab antiquo tempore constitutum est, vt qui ordinis conferendi executionem legitimam non habet, eiusdem ordinis exercitium legitimum, quamuis characterem imprimat, conferre non possit.*

4 *Ordinatus à tali Episcopo excommunicato, &c. probabili ignorantia, si posteà celebret, non incurrit irregularitatem; Secùs si scienter, vel cum ignorantia culpabili, præsertim crassa.*

5 *Suspensio hæc tertia, & iam dicta secunda, non sunt propriè dictæ censuræ; sed canonicæ quædam inhabilitates propter Ordinantis defectum constitutæ; quæ proinde etiam sine culpa ordinati ignorantia inuincibili laborantis, contrahi possunt.*

1 RESPONDETVR: Qui ordinatur à schismatico, hæretico, simoniaco, vel alio excommunicato (ac denunciato post extrauag. *Ad euitanda*) in perpetuum suspensus est: *cap. 1. & 2. de schismatic. cap. statuimus 2. caus. 1. quæst. 1. & eadem caus. 1. quæst. 9.*

2 Quamuis cum tali, si ignorantia facti non crassa laborauerit, Episcopus similiter possit dispensare, *cap. si qui à simoniacis 1. quæst. 1. & cap. Ordinationes 9. quæst. 1.*

3 Aduerte tamen, quod suspensio, seu Canonica hæc inhabilitas contrahatur, quotiescumque quis ordinatur ab Episcopo, cui ordinandi facultas adempta sit, per denunciatam scilicet excommunicationem, suspensionem, depositionem, vel degradationem; quia per sacros Canones ab antiquo tempore constitutum est, vt qui ordinis conferendi executionem legitimam non habet, eiusdem ordinis exercitium legitimum (quamuis characterem imprimat) conferre non possit. Gloss. communiter recepta *in cap. per tuas, de Simonia.*

4 Aduerte secundò, quod si quis à tali Episcopo ordinatus probabili ignorantia, posteà celebret, non incurrat irregularitatem: secùs si scienter, vel cum ignorantia culpabili, præsertim crassa. Nauarr. *cap. 25. n. 69.* Coninch. *tom. 1. disp. 15. dub. 5. n. 34.* & Auila *de cens. part. 3. disput. 5. dub. 8. & 9.*

5 Aduerte tertiò, quod hæc tertia, & præcedens secunda suspensio non sint propriè dictæ censuræ, sed Canonicæ quædam inhabilitates propter ordinantis defectum constitutæ, quæ proinde etiam sine culpa ordinati, ignorantia inuincibili laborantis, contrahi possunt. Gloss. *in cit. cap. 1. de ordinatis ab Episcopo, verb. ignorantia.* Nauarr. *cap. 27. num. 241.* Couarru. *in cap. alma, part. 1. §. 1. n. 6.* Auila *loco suprà cit.* & de Simoniaco tradit expressè S. Thomas 2. 2. *q. 100. art. vltimo ad 2.* Ibi: *Si quis ordinetur à simoniaco, non recipit ordinis executionem, etiamsi ignoraret, eum esse simoniacum, sed indiget dispensatione.*

SECTIO VI.

PETITIO QVARTA.

An suspensionem incurrat, qui extra legitima tempora, vel ante legitimam ætatem, vel absque literis dimissorijs Ordinem suscipit?

SVMMARIVM.

1 *Ordinem aliquem sacrum suscipere præsumens extra legitima tempora, vel ante legitimam ætatem, vel absque literis dimissoriis, ab eodem ordine suspensus manet, donec ab Ordinario suo absoluatur.*

2 *Dubium olim fuit circa hanc triplicem suspensionem, an ob dictas causas antiquo iure extiterit suspensio sententiæ latæ, vel ferendæ; nunc autem post Bullam Pij II. nullum dubium.*

3 *Suspensio item tantum lata est contra eum, qui ordinem aliquem sacrum vno ex tribus illis illegitimis modis suscipit.*

4 *Ordines minores ab Episcopo alieno suscipiens sine proprij Ordinarij licentia, seu Dimissoriis literis, grauiter peccat: & quamuis propriè suspensus non sit, ita vt exercendo sui ordinis actum, irregularis efficiatur, est tamen à ministerio interdicendus.*

5 *Ordinatus in minoribus ab Episcopo alieno sine licentia, &c. etiam ante interdictum est inhabilis ad sic suscepti ordinis exercitium. Ita vt ministrando priusquam dispensationem obtinuerit, peccet mortaliter, quia sicuti sententia lata à non iudice irrita est, ita & ordinatio data ab Episcopo, qui ius ordinandi non habet, irrita in ordine ad legitimam eius executionem, seu vsum censetur.*

6 *Suspensio prædicta spectatis verbis Pij II. sit tantum ab exercitio ordinis illegitimè suscepti, non item ab vsu aliorum ordinum ritè susceptorum.*

7 *Ordinatus ita illegitimè secundùm aliquos, impeditus est quominùs ante absolutionem, vel dispensationem suscipere possit Ordinem superiorem: Quod verum est de inhabilitate iuris; Ita quod peccet; sed non ita quod irregularitatem incurrat in suscipiendo ordinem Superiorem: cum reuera non exerceat actum ordinis inferioris, à quo suspensus est.*

8 *Suspensio hæc vt incurratur, requiritur in ordinato dolus, vel saltem culpa lata, & mortalis; quia pœna suspensionis per Pium II. apposita tantum est contra præsumentes; At qui bona fide facit, credens v.g. se habere ætatem, vel quid simile, non dicitur præsumere.*

9 *Ordinem si quis mala fide ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel ab alieno Episcopo suscipiens licèt suspensionem incurrat; si tamen posteà bona fide, vel saltem sine culpa mortali, in ordine ministret, neque irregularitatem incurrit: quia talis irregularitas est vna ex eis, quæ quasi pœnæ ob delictum incurruntur.*

10 *Amplia secundùm aliquos id ita verum esse in ordinato adeò dolum requiri, vt quamcumque ignorantiam etiam crassam, si affectata non sit à suspensione, & ab irregularitate contrahenda, excusare arbitrentur.*

11 *Ordinatus si bona fide ante legitimam ætatem, mala fide adueniente celebret ante prædictam legitimam ætatem, neque incurrat irregularitatem: quia cùm à principio suspensionem non incurrerit, non est, cur si adueniente mala fide, celebret ante legitimam ætatem, irregularitatem incurrat: Nam celebrando, nullam censuram, quæ subsit, tunc violat.*

12 *Ordinatus modo supradicto peccat mortaliter sic celebrando, secundum communem contra aliquos: peccat enim mortaliter, si adueniente mala fide celebret ante legitimam ætatem: quia si celebrat postquam ad legitimam ætatem peruenit, certum est, quod non peccet: quia certum est, quod*

est, quod tunc sine vlla dispensatione celebrare, seu exercere actum ordinis possit.

13 *Amplia secundum aliquos etiam ad casum, quo quis mala fide ordines susceperit antè prædictam legitimam ætatem.*

14 *Ordinatus ante legitimam ætatem, quamuis à suspensionis censura absolutus sit; tamen non potest in suscepto ordine antè completam prædictam legitimam ætatem ministrare, nisi Pontifex cum ipso dispenset.*

15 *Absolutio ab ista suspensione duos effectus operatur, primum quod completa legitima ætate, mox sine alia dispensatione ordinis ministerium exercere possit: secundum, quod si absolutus ante legitimam ætatem in ordine ministret, licet peccet mortaliter, irregularitatem non incurrat.*

1 RESpondetur: Qui extra legitima tempora, vel antè legitimam ætatem, vel absque literis dimissoriis sacrum aliquem ordinem suscipere præsumit, ab eodem ordine suspensus manet, donec ab Ordinario suo absoluatur; Extrauag. Pij II. *Cum ex sacrorum*, & docent Nauarr. *in cap. accepta, de restit. spoliat. opposit.* 8. *n.* 32. *& in summa cap.* 27. *n.* 155. Porrell. *in dub. regul. vers. ordines sacri, n.* 13. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 11. *diffic.* 11. *n.*6. & Diana *part.* 3. *tract.*4. *resol.* 192.

2 Aduerte tamen circa hanc triplicem suspensionem iam modò dictam, quod olim dubium fuerit, an ob dictas causas antiquo iure extiterit suspensio sententiæ latæ, vel ferendæ, vt videre est apud Syluest. *verb. irregularitas, n.* 12. Couarr. *in Clement. si furiosus, part.* 1. §.1.*n.*4. & Auilam *de censur. part.*3. *disput.*5. *dubit.*7. Nunc autem post prædictam Bullam Pij II. nullum dubium sit.

3 Aduerte secundò, quod suspensio tantum lata sit contra eum, qui ordinem aliquem sacrum vno ex tribus illis illegitimis modis suscipit. Qui autem minores or-
4 dines ab Episcopo alieno sine proprij ordinarij licentia, seu dimissoriis literis accipit, is grauiter peccat: Et quamuis propriè suspensus non sit; ita vt exercendo sui ordinis actum, irregularis efficiatur, est tamen à ministerio interdicendus, *cap. quod translationem, de tempor. ordin.* Et docet præter alios Nauarr. *cap.* 25. *n.* 69. *& lib.*1. *consil.* 19. *& seqq. eodem tit. de tempor. ordinat.*

5 Quinimmò etiam antè interdictum, est inhabilis ad sic suscepti ordinis exercitium, ita vt ministrando, priùs quàm dispensationem obtinuerit, peccet mortaliter; quia sicuti sententia lata à non iudice irrita est, ita, & ordinatio data ab Episcopo, qui ius ordinandi non habet, irrita in ordine ad legitimam eius executionem, seu vsum censetur, *cap. si quis ausus, dist.*71; & tradit Glossa *in cap. eos qui, eod. tit. in*6. *verb. statuunt*, Suarez *disput.* 31. *sect.*1. *num.* 18. & Auila *cit. dubit.* 7.

6 Aduerte tertiò, quod suspensio hæc, spectatis verbis Pij II. sit tantùm ab exercitio ordinis illegitimè suscepti, non item ab vsu aliorum ordinum ritè susceptorum. Suarez *cit. sect.* 1. *n.* 31. Auila *cit. dub.*7. Henriq. *lib.*13. *cap.* 18. *n.* 1. & Villalob. *tom.*1. *tract.* 18. *diffic.*11. *num* 2.

Etsi contrarium teneant Nauarr. Rodoriq. & alij, stante quadam Bulla Sixti V. vt ipsi inquiunt, apud Dianam *loco supra cit. resol.* 182. *in fine.*

7 Addunt nonnulli, inter quos Suarez *vbi suprà*, Ita illegitimè ordinatum impeditum esse, quominus antè absolutionem, vel dispensationem suscipere possit ordinem superiorem: Quod verum est, si loquamur de inhabilitate iuris, ita quod peccet, sed non ita quod irregularitatem incurrat, suscipiendo ordinem superiorem; cum reuera non exerceat actum ordinis inferioris, à quo suspensus est.

8 Aduerte quartò, quod ad suspensionem hanc incurrendam requiratur in ordinato dolus, vel saltem culpa lata, & mortalis; quia pœna suspensionis per Pium II. apposita tantum est contra præsumentes: At qui bona fide facit, credens v.g. se habere ætatem, vel quid simile, non dicitur præsumere: Ergo, &c. Atque ita etiam docent Miranda *tom.*1. *q.* 39. *art.*6. Suarez *de censur. disput.* 31. *sect.* 1. *n.*26. Nauarr. *in locis suprà cit.* & Henriquez *lib.*13. *cap.*38. *n.*1.

Adde cum Nauarro, Couarr. & Suar. *vbi suprà*, quod etsi quis ordinem mala fide antè legitimam ætatem, vel extra tempora, vel ab alieno Episcopo suscipiens suspensionem incurrat, tamen si postea bona fide, vel saltem sine culpa mortali (quia scilicet ob iuris, vel facti ignorantiam id sibi licitum esse arbitratur) in ordine ministret, neque irregularitatem incurrat; quia talis irregularitas est vna ex eis, quæ quasi pœnæ, ob delictum incurruntur, sicuti colligitur ex verbis prædictæ Bullæ Pij II. Ibi: *Si durante suspensione in ordinibus celebrare præsumpserint, irregularitatem incurrant.* Cùm igitur talis pœna grauis sit, grauem, seu mortalem culpam requirit. 9

Quod ita verum est, vt quidam, inter quos Auila *cit. dubit.*7. & Diana *part.* 3. *tract.*4. *resolut.* 192. adeò hic in ordinato dolum requirant, vt quamcumque ignorantiam, etiam crassam, si affectata non sit, à suspensione, & irregularitate contrahenda excusare arbitrentur; quia etiam quoad hanc contrahendam prædicta Bulla Pij II. præsumptionem requirit, vt ex ipsius verbis prædictis apparere videtur: Etsi contrarium Doctores alij complures sentiant. 10

Aduerte quintò, quod si bona fide ordinatus ante legitimam ætatem, postea, mala fide adueniente, celebret ante prædictam legitimam ætatem, neque incurrat irregularitatem. Nauarr. Mirand. & Quaranta, quos citat, & sequitur Peyrinus *in priuileg. Minimorum tom.* 1. *constit.* 1. *Iulij II.* §. 16. *n.* 29. & Diana *part.* 3. *tract.*4. *resol.* 182. quia cum à principio suspensionem non incurrerit, non est, cur si, adueniente mala fide, celebret ante legitimam ætatem, irregularitatem incurrat: Nam celebrando nullam censuram, quæ subsit, tunc violat. 11

Peccat tamen mortaliter sic celebrando, vt mox infrà dicetur, & tradunt communiter Doctores, quos sequitur Villalob. *tom.* 1 *tract.*11. *diffic.*11. *n.*7. 12

Etsi contrarium sentiat Nauarrus; cuius sententiam probabilem putat Ledesma *in summ. tom.*1. *de sacram. ordin. cap.*7. *concl.*1.

Peccat, inquam, mortaliter, si adueniente mala fide, celebret ante legitimam ætatem; quia si celebret, postquam ad legitimam ætatem peruenit, certum est, quod non peccet; quia certum est, quod tunc sine vlla dispensatione celebrare, seu exercere actum ordinis possit, vt etiam mox infra dicetur, & docent ex communi Doctores, quos citat, & sequitur Scottia *Epitome* 39. *Theorem.* 109.

Quod adeò verum est, vt Corduba *cas.* 144. Sotus *in* 4. *dist.*25. *q.*1. *art.* 2. *in fine*, Medin. *in summ. lib.*1. *cap.*11. §.8. Zerula, Passarellus, & Sorbus, quos citat, & sequitur Peyrinus *loc. suprà cit. num.* 21. extendant etiam ad casum, quo quis mala fide ordines susceperit ante prædictam legitimam ætatem; quod mihi cum Syluestro, Mandosio, Couarr. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 38. §.1. *in Glos. lit. F.* & aliis non probatur. 13

Aduerte sextò, quod ordinatus antè legitimam ætatem, quamuis à suspensionis censura absolutus sit, tamen non possit in suscepto ordine antè completam prædictam legitimam ætatem ministrare, nisi Pontifex cum ipso dispenset, vti colligitur ex supra dictis, & ex Gloss. *in Clement. Generalem, de ætat. & qualit. ordin.* Et ex communi docet etiam Henriq. *cit. lib.*13. *cap.*35. *n.* 4. Med. *lib.* 1. *cap.*11. §.8. Auila *cit. dub.*7. & Villalob. *vbi suprà.* 14

Duos tamen absolutio à suspensione ista effectus operatur. Primum, quod completa legitima ætate, mox sine alia dispensatione, sicuti dicebam, ordinis ministe- 15

rium exercere possit. Secundum, quod si absolutus, antè legitimam ætatem in ordine ministret (etsi peccet mortaliter, sicuti etiam dicebam, tamen irregularitatem non incurrat.

SECTIO VII.

PETITIO QVINTA.

An possit Episcopus dispensare in Interstitiis, cùm aliquem familiarem suum ordinat?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, licet secundum aliquos possit dispensare in Interstitiis, cùm aliquem familiarem suum ordinat; probabiliter tamen alij id negant, quia id quod concedit in tali casu Concilium Tridentinum Episcopis, est privilegium, atque adeò non extendendum ad ea, de quibus non loquitur: probabile tamen est etiam oppositum.*

2 *Episcopus, cum possit ordinare familiarem suum alienæ Diœcesis, si per triennium secum sit commoratus, & ei beneficium conferat, consequens est, quod & cum isto possit in casibus dicti Concilij quoad interstitia dispensare.*

1 RESpondetur, quamuis Nauarr. *lib. 1. consil. 23. de tempor. ordin.* Ledesm. *in summ. tom. 1. de sacram. ordin. cap. 8. conclus. 5.* & Villalob. *tom. 1. tractat. 11. diffic. 9. n. 10.* probabiliter negent; quia id quod concedit in tali casu Concilium Tridentinum Episcopis, est priuilegium, atque adeò non extendendum ad ea, de quibus non loquitur: Probabile tamen est etiam oppositum, quod docet Ioan. de la Cruz *part. 2. de sacram. ordin. dubit. 44. concl. 1.* afferens pro se Cardinalium Congregationem.

2 Probatur; quia cum ex Concilio Trident. *sess. 23. cap. 9.* possit Episcopus ordinare familiarem suum alienæ Diœcesis (si per triennium secum sit commoratus, & ei beneficium conferat:) consequens est, quod & cum isto possit in casibus dicti Concilij, *cap. 11. & 13.* quoad interstitia dispensare; quia eo ipso, quod Concilium Episcopis concedit, concurrentibus illis conditionibus, potestatem ordinandi suos familiares, concedit etiam eisdem necessaria ad talem ordinationem faciendam, qualis est dispensatio in Interstitiis.

SECTIO VIII.

PETITIO SEXTA.

An suspensionem incurrat Episcopus, qui ordinat subditum alienæ Diœcesis?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, qui ordinat subditum alienæ Diœcesis scienter, vel per ignorantiam affectatam, à collatione ordinum per annum suspenditur.*

2 *Episcoporum Titularium nemo subditum alterius prælati, sine eiusdem expresso consensu, etiam prætextu continuæ suæ commensalitatis potest ordinare; contra faciens ab exercitio Pontificialium per annum ipso iure suspenditur.*

3 *Episcopi suspensio, postquam propter alieni subditi temerariam ordinationem contracta, manifesta fuerit, subditis eiusdem Episcopi sine ipsius licentia interim suscipiendi ordines ab Episcopis vicinis facultas ipso iure concessa est.*

4 *Ordinandi licentia si in dimissoria concedatur à quocumque Episcopo in propria Diœcesi ordinante, an possit quis, ordinari ab Episcopo in aliena Diœcesi de licentia Ordinarij loci ordinationem exercente, alij negant, alij verò affirmant, quorum sententia, non obstante dicta limitatione, videtur probabilis, saltem in casu, quo ordinandus, & Episcopus ordinans certò scirent proprium Episcopum, si id nosset, generales dimissorias concessurum fuisse, non enim sumus in casu, quod si ratihabitio non adsit, Sacramentum sit nullum.*

RESpondetur: Episcopus, qui ordinat subditum alienæ Diœcesis scienter, vel per ignorantiam affectatam, à collatione ordinum per annum suspenditur, *cap. eos qui, de temper. ordin. in 6.* & docent Tolet. *lib. 1. cap. 8. n. 4.* Suarez *de censur. disp. 31. sect. 5.* Campanil. *in diuers. iur. can. rubr. 9. n. 16.* Sayr. *de censur. lib. 4. cap. 12. n. 13.* & alij communiter. 1

Idem statuitur in Tridentino *sess. 23. cap. 8. de reformat. & sess. 6. cap. 5.* prohibetur Episcopo, ne sub pœna suspensionis à Pontificalibus ipso iure incurrendæ, in aliena Diœcesi ordinet, nisi de licentia expressa proprij Ordinarij, & tunc eiusdem Ordinarij subditos solos. *Et sess. 14. cap. 2.* decernitur, quod nemo Episcoporum Titularium (quos alij suffraganeos vocant) subditum 2 alterius Prælati sine eiusdem expresso consensu, etiam prætextu continuæ suæ commensalitatis possit ordinare; contra faciens ab exercitio Pontificalium per annum ipso iure suspenditur.

Additur verò *in cit. cap. eos qui,* quod postquam suspensio Episcopi, propter alieni subditi temerariam ordinationem contracta, manifesta fuerit, subditis eiusdem Episcopi sine ipsius licentia interim suscipiendi ordines ab Episcopis vicinis facultas ipso iure concessa sit. 3

An autem, si in dimissoria concedatur licentia ordinandi à quocumque Episcopo in propria Diœcesi ordinante, possit quis ordinari ab Episcopo in aliena Diœcesi de licentia Ordinarij loci ordinationem exercentis? 4

Negant quidam, quos sequitur Gutier. *lib. 1. cap. 16.*
Affirmant verò alij, quos sequitur Ledesma *tom. 1. de Sacram. ordin. cap. 8. concl. 4. difficult. 5.*

Quorum sententia, non obstante dimissoria cum tali limitatione concessa, non improbabilis mihi videtur, saltem in casu, quo ordinandus, & Episcopus ordinans certò scirent, proprium Episcopum (si id nosset) generales dimissorias concessurum esse, & omnia rata habere; quia non sumus in casu, quod si ratihabitio non adsit, Sacramentum sit nullum (vti contingit in Sacramento Pœnitentiæ, non item in Sacramento Baptismi, Confirmationis, & ordinis) quapropter non plus requiri videtur.

Atque ita, præter Ledesmam suprà tenent Paludan. *in 4. dub. 18. q. 1. art. 2. cas. 19.* Villalob. *tom. 1. tract. 11. diffic. 9. n. 8.* contra Riccium *in addit. ad Institut. canon.* Lancellott. *lib. 1. tit. 25. §. pari ratione.* Bonac. *de Sacram. disput. 6. q. vnic. punct. 4. n. 18.* Turrian. *de censur. lib. 5. disput. 46. dubit. 1.* & alios.

SECTIO IX.

PETITIO SEPTIMA.

An suspensionem incurrat Episcopus, qui confert primam tonsuram alienæ Diœcesis subdito, infanti, illitterato, vel coniugato?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, vel quilibet alius Prælatus, qui præsumit conferre primam tonsuram alienæ Diœcesis subdito, vel infanti, nisi Religionem ingressurus sit, vel illitterato, nisi legere saltem, & scribere, aut prima fidei rudimenta sciat, vel coniugato, nisi Religionem*

Religionem ingredi, aut sacros ordines iuxta sacros canones suscipere velit per annum à collatione tonsuræ clericalis suspensus est.

2 *Episcopus primam tonsuram alicui sine proprij Episcopi licentia conferens, an incurrat præterea pœnam suspensionis latam* in cap. eos, de tempor. ordin. in 6. *affirmant alij, alij verò non improbabiliter negant, quia Textus* in cap. cit. *loquens de de Episcopo ordinante clericum alienum, supponit eum esse clericum saltem tonsuratum, quapropter dicendum est, eum solùm incurrere suspensionem à collatione primæ tonsuræ.*

3 *Amplia adhuc non esse improbabile, quamuis Concil. Tridentinum explicet id de ordinante simpliciter, & non restringat se ad ordinantem clericum.*

1 RESpondetur: Episcopus, vel quilibet alius Prælatus, qui præsumit conferre primam tonsuram alienæ Diœcesis subdito, vel infanti (nisi Religionem ingressurus sit) vel illiterato (nisi legere saltem, & scribere, aut prima fidei rudimenta sciat, iuxta Tridentinum Concilium *sess. 23. cap. 4. de reformat.*) vel coniugato (nisi Religionem ingredi, aut sacros ordines iuxta sacros canones suscipere velit) per annum à collatione tonsuræ clericalis suspensus est, *cap. vltimo, de tempor. ordinat. in 6.* & habet communis sententia Doctorum.

2 An autem Episcopus primam tonsuram alicui sinè proprij Episcopi licentia conferens, incurrat præterea pœnam suspensionis latam *in cap. eos, de tempor. ordin. in 6.* de qua dicebam suprà *Petit. præcedenti.*

Affirmat Gloss. *in dicto cap. eos, verb. ordinare, & in cap. nullus, eodem tit.* quam sequuntur Salsed. *in Pract. Bernardi Diaz, cap. 26.* Barbos. *in collect. tom. 3. lib. 1. tit. 9. cap. 2. n. 10.* Diana *part. 3. tract. 4. resol. 149.* Et videri poterit etiam Filliuc. *tom. 1. tract. 17. cap. 8. n. 141.* & Bonacina *de censur. disp. 3. punct. 5. § 2. n. 4.*

Negat verò non improbabiliter Geminian. quem sequuntur Villalob. *tom. 1. tract. 18. difficult. 7. n. 27.* & Riccius *in addit. ad Institut. canon.* Lancellott. *lib. 1. tit. 25. §. pari ratione.*

Probatur, quia Textus *in cap. eos*, loquens de Episcopo ordinante clericum alienum, supponit, eum esse clericum, saltem tonsuratum: Ergo Episcopus, si tantum primam tonsuram conferat laico alienæ Diœcesis, non incurrit suspensionem à collatione ordinum, sed solùm à collatione primæ tonsuræ, *argum. cap. nullus, de tempor. ordin. in 6.*

3 Et quamuis Tridentinum Concilium explicet id de ordinante simpliciter, & non restringat se ad ordinantē clericum (vt propterea dubium esse possit, an saltem ex virtute talis decreti, Episcopus conferens laico alieno subdito primam tonsuram, à collatione ordinum suspensus sit:) nihilominùs improbabile iuxta ea, quæ dicebam, adhuc non videtur, talem Episcopum scilicet non nisi à collatione primæ tonsuræ suspensum esse.

SECTIO X.

PETITIO OCTAVA.

An suspensionem incurrat Episcopus aliquem ordinans ordine maiori cum pacto, ne super prouisione ordinato debitâ, ipse molestetur?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus si aliquem ordinat ordine maiori, vel alius clericus beneficiatus, eum ad ordinem præsentans, si promissionem, vel iuramentum ab eo recipiat, vt super prouisione ei debita ipse non molestetur, ordinans ab ordinum collatione, & præsentans ab ordinum executione, ordinatus verò ab ordine ità suscepto suspensus manet, donec à Sede Apostolica absoluantur.*

2 *Episcopo prohibitum est, ne quempiam ad ordinem sacrum admittat, nisi beneficium Ecclesiasticum ad sui substentationem sufficiens habeat, vel de sua, aut paterna hæreditate vitæ subsidium sufficiens possideat, vel ab aliquo Patrono, v.g. à Parocho, vel alio Beneficiato ad titulum Beneficij sui præsentatus sit.*

3 *Professi in aliqua Religione approbata non indigent alio titulo substentationis.*

4 *Ordinatio facta sine titulo sustentationis antiquo iure irrita est quoad ordinis executionem. Quod tamen correxit Innocentius III. decernendo, quod si quis sine titulo ordinatus esset, Episcopus eum ordinans, & susceptor ipsius tandiu prouidere debeat ordinato, quamdiu Ecclesiasticum beneficium sufficiens consecutus fuerit.*

5 *Episcopo suffraganeo si ab Ordinario commissa fuerit facultas ordinandi subditos suos, nulla persona expressa, ille verò aliquem ordinauerit sine titulo, ipse suffraganeus, qui fuit in culpa, illi interim vitæ necessaria ministrare tenetur.*

6 *Episcopus si ad preces Præsentatoris aliquem ordinauerit, tunc Præsentator, seu Patronus illi interim prouidere tenetur.*

7 *Ordinari qui obtinet exhibito titulo patrimonij ficto, seu quia mentitur habere quod non habet, seu quia ab aliquo impetrat patrimonij donationem cum pacto statim illud redonandi, an suspensionem incurrat? Opinio magis communis est affirmatiua.*

8 *Textus in cap. per tuas, & cap. penultimo de simonia, probant id minus efficaciter; quia ibi tantum est sermo de clerico beneficiato, qui ad titulum sui beneficij, aliquem ordinandum Episcopo præsentat, interposito pacto nihil ab ipso petendi.*

9 *Textus* in can. 1. & 2. dist. 70. *Vbi absolute decernitur, quod ordinatio facta sine titulo irrita, seu potius suspensa sit, efficacius id probat.*

10 *Beneficium, ad cuius titulum aliquis ordinatus fuit, non potest ex dispositione Tridentini Concilij resignari, nisi aliundè sustentatio sufficiens habeatur.*

11 *Patrimonium, aut pensio, cuius intuitu aliquis ordines suscepit, alienari, extingui, vel remitti non potest, sine licentia Episcopi, nisi vel beneficium Ecclesiasticum sufficiens obtineatur, vel sustentatio ex alia causa sufficiens acquiratur; cui tamen prohibitioni nulla censura annexa reperitur.*

12 *Patrimonij eiusdem, vel pensionis renunciatio ante obtentum sufficiens beneficium, vel ante obtentam sufficientem sustentationem, an non tantum illicita, sed etiam valida sit? Quidam negant esse inualidam; alij verò affirmant propter illud verbum (nullatenus possint) quod nullitatem ipso iure inducit.*

13 *Subdiaconatus si quis post ordinationem ad titulum patrimonij, vel pensionis promissæ, eidem renunciauerit, & deindè sine alio sustentationis titulo diaconatus ordinem susceperit, non incurrit suspensionem; quia renunciatio irrita est; atque adeo renuncians adhuc habet veram actionem ad petendum patrimonium, vel pensionem sibi promissam.*

14 *Illatio prædicta auctori probatur, si in Diœcesi vigeat aliqua executio ad rescindendam renunciationem iuxta decretum Tridentini Concilij. Secus autē esse videtur, si quis Patrimonio, vel pensioni renunciauerit sine vlla spe rescindendi renunciationē factā; quia tunc reuera nullum titulum substentationis habens sacrū ordinē diaconatus illegitimè suscipit.*

15 *Ordinatus cum patrimonio ficto, vtpotè v. g. sub conditione donato, vt post ordines susceptos illud restituat donanti, non tenetur in conscientia illud ei restituere; quia talis conditio vtpotè contra ius, tanquam turpis reiicitur, & pro non apposita habetur, contra nonnullos asserentes.*

16 Quid

16 *Quod talis donatio fuit conditionalis, & licet fraudulenter, & verbotenus sit facta, tamen in iure non est reprobata, & alias donator potuit conditionaliter donare, & clericus sic admisit donationem.*

17 *Donatio prædicta conditionalis licet in sententia prædictorum in foro conscientiæ sit remittenda à sic ordinato; adhuc in foro exteriori potest rescindi talis redonatio in pœnam donatoris; quia voluit decipere Ecclesiam, & Episcopum ordinantem.*

1 RESpondetur: Si Episcopus aliquem ordinans ordine maiori, vel alius (clericus beneficiatus) cum ad ordinem præsentans, promissionem, vel iuramentum ab eo recipiat, vt super prouisione ei debita ipse non molestetur, ordinans ab ordinum collatione, & præsentans ab ordinum executione, ordinatus verò ab ordine ita suscepto suspensus manet, donec à Sede Apostolica absoluantur. Patet *ex cap. penult. de simonia,* & tradunt Nauarr. *cap.* 27. *n.* 158. Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *suspens.* 7. & Henriq. *lib.* 13. *cap.* 37. *n.* 1.

2 Aduerte tamen pro intelligentia, quod prohibitum sit Episcopo, ne quempiam ad ordinem sacrum admittat, nisi beneficium Ecclesiasticum ad sui substentationem sufficiens habeat, vel de sua, aut paterna hæreditate vitæ subsidium sufficiens possideat, *cap. Episcopus, & cap. tuis, de Prabendis* (quod tamen limitauit Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.*) Vel ab aliquo Pattono, v. g. à Parocho, vel alio beneficiato, ad titulum beneficij sui præsentatus sit, *cap. per tuas* 3. *de simon. cap. vlt. de iurepatr. & cap. cum secundum, de prabend.*

3 Quamuis, qui in aliqua Religione approbata professi sunt alium titulum sustentationis, non requirant, *cap. primo, dist.* 70. & est communis sententia Doctorum.

4 Aduerte secundò, quod antiquo iure *cit. cap.* 1. *&* 2. *dist.* 70. Ordinatio facta sine titulo sustentationis irrita (quoad ordinis executionem) censetur. Quod tamen correxit Innocentius III. *in cit. cap. cum secundum*, vbi decreuit, quod si quis sine titulo ordinatus esset, Episcopus eum ordinans, & successor ipsius tamdiu prouidere debeat ordinato, quamdiu Ecclesiasticum beneficium sufficiens consecutus fuerit.

5 Consentit Textus *in cap. si Episcopus, de prabend.* Vbi etiam significatur, quod si alieni Episcopo, scilicet suffraganeo, ab Ordinario commissa fuerit facultas ordinandi subditos suos, nulla persona expressa: Ille verò aliquem ordinauerit sine titulo, ipse suffraganeus, qui fuit in culpa, illi interim vitæ necessaria ministrare teneatur.

6 Sin autem Episcopus ad preces Præsentatoris aliquem ordinauit, tunc Præsentator, seu patronus illi interim præcidere tenetur, Abb. *cit. cap. cum secundum, n.* 7. quem sequuntur communiter Doctores.

7 An verò suspensionem incurrat, qui ordinationem obtinet, exhibito titulo patrimonij ficto; seu quia mentitur habere, quod non habet, seu quia ab aliquo impetrat patrimonij donationem, cum pacto statim illud redonandi.

Respondetur affirmatiuè ex probabiliori sententia Doctorum, iuxta ea, quæ dicebam suprà *Petit.* 1.

8 Probatur ab aliquibus *ex Textu in cit. cap. per tuas, & cap. penultimo, de simonia.*

Sed minus efficaciter, quia ibi tantum est sermo de clerico beneficiato, qui ad titulum sui beneficij aliquem ordinandum Episcopo præsentat, interposito pacto nihil ab ipso petendi. Quod à sacris canonibus, tanquam simoniacum indicatur, ideoque sub pœna suspensionis prohibetur: At id cùm pœnale sit, extendi non debet ad alias promissiones patrimonij cum pacto statim remittendi: Ergo, &c.

9 Probatur igitur secundò efficacius ex Textu, *in cap.* 1. *&* 2. *dist.* 70. vbi absolutè decernitur, quod ordinatio facta sine titulo irrita, seu potius suspensa sit: Quæ iura, licet mutata fuerint per Textum *in cap. cum secundum,* in casu, quo Episcopus scienter aliquem titulo carentem ordinat; quia tacite tunc illi prouisionem ex Episcopali mensa sua promittere censetur, vt proindè vetus titulus tunc non deficiat. Attamen in casu, quo aliquis titulo ficto sacrum ordinem impetrat, Episcopus ordinans eum alere non tenetur, ideoque ordinatus re ipsa titulo caret, idque propter culpam, & dolum suum: Ergo suspensionem incurrere censeri debet ex iuribus antiquis, quorum correctio extendi non debet vltra casum expressum *in cit. cap. cum secundum.*

Atque ita præter alios Doctores, quos citabam dicta *Petit.* 1. docet Nauarr. *consil. vlt. de tempor. ordinat. edit.* 2. Et consentire videtur Tridentinum Concilium *sess.* 21. *cap.* 2. *de reformat.*

Porrò in eodem Tridentino Concilio decernitur, 10
neque posse valide resignari beneficium (ad cuius titulum aliquis ordinatus fuit, nisi aliundè sustentatio sufficiens habeatur:) Neque posse sine licentia 11
Episcopi alienari, extingui, vel remitti patrimonium, aut pensionem, cuius intuitu aliquis ordines suscepit, nisi vel beneficium Ecclesiasticum sufficiens obtineatur, vel sustentatio ex alia causa sufficiens acquiratur: cui tamen Concilij prohibitioni nulla censura annexa reperitur.

An autem eiusmodi patrimonij, vel pensionis renun- 12
ciatio ante obtentum sufficiens beneficium, vel ante obtentam sufficientem sostentationem, non tantum illicita, sed etiam inualida sit?

Quidam, inter quos Suarez *disp.* 31. *sect.* 1. *suspens.* 7. *n.* 38. negant, esse inualidam.

Alij verò, inter quos Nauarr. *conf.* 21. *de tempor. ordin. edit.* 2. *& in summ. cap.* 27. *n.* 158. Henriquez *cap.* 28. *n.* 3. & Auila *cit. dub.* 5. affirmant propter illud verbum *nullatenus possint*, quod nullitatem ipso iure inducit, secundùm Glossam *in Clement.* 2. *de sequestrat. verb.* nullatenus.

Hinc infertur cum Nauarro, & Auila vbi suprà, quod 13
si quis post ordinationem Subdiaconatus ad titulum patrimonij, vel pensionis promissæ, eidem renunciauerit, & deinde sine alio sustentationis titulo Diaconatus ordinem susceperit, non incurrat suspensionem; quia renunciatio irrita est, atque adeò renuncians habet adhuc veram actionem ad petendum patrimonium, vel pensionem sibi promissam.

Quæ illatio mihi probatur, si in Diœcesi vigeat ali- 14
qua executio ad rescindendam renunciationem, iuxta decretum Tridentini Concilij. Secus autem esse videtur (vt ait Medina in summa *lib.* 1. *cap.* 11. §. 8. *in fine*) si quia patrimonio, vel pensioni renunciauit sine vlla spe rescindendi renunciationem factam; quia tum re vera nullum titulum sustentationis habens sacrum ordinem Diaconatus illegitimè suscipit: Ergo suspensionem incurrere dici debebit.

Infertur secundò cum Ledesma *in summ. tom.* 1. *de* 15
Sacram. ordin. cap. 7. *concl.* 6. *diffic.* 3. & Villalob. *tom.* 1. *tract.* 11. *diffic.* 15. *n.* 10. quod ordinatus cum Patrimonio ficto, vtpotè v. g. sub conditione donato, vt post ordines susceptos illud restituat donanti, non teneatur in conscientia illud ei restituere; quia talis conditio, vtpotè contra ius, tanquam turpis reiicitur, & pro non apposita habetur.

Quamuis contrarium sentiant Corduba, & Lopez, 16
quos citat, & sequitur Auila *de censur. part.* 3. *disput.* 5. *dub* 5. *concl.* 3. & Ioan. de la Cruz *part.* 2. *de Sacram. ordin. dub.* 6. *concl.* 2. Quatenùs aiunt, quod talis donatio fuit conditionalis, & licet fraudulenter, & verbotenus sit facta, tamen in iure non est reprobata. Et aliàs donator potuit conditionaliter donare, & clericus sic admisit donationem: Ergo in tali casu ordinatus tenetur in conscientia redonare patrimonium ita conditionaliter donatum.

At

17 At ad istorum Authorum fundamentum Responsio patet ex dictis. Et stando in ipsorum sententia (quod scilicet in foro conscientiæ teneantur sic ordinatus restituere patrimonium ità conditionaliter donatum) adhuc in foro exteriori potest rescindi talis redonatio in pœnam donatoris; quia voluit decipere Ecclesiam, & Episcopum ordinantem: In quo conueniunt etiam aduersarij, inter quos præsertim Auila; saltem vbi viget dictum Decretum Concilij Tridentini.

SECTIO XI.

PETITIO NONA.

An suspensionem incurrat, qui per saltum ordinatur?

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus per saltum, suspensus est ab exercitio ordinis suscepti, donec per Episcopi dispensationem, ordinem intermissum suscipiat, sicque in vtroque ministrare permittatur.*

1 RESpondetur: Qui per saltum ordinatur, is suspensus est ab exercitio ordinis suscepti, donec per Episcopi dispensationem ordinem intermissum suscipiat, sicque in vtroque ministrare permittatur. Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 1. art.* 8. Henriquez *lib. 13. cap. 39. num. 1.* Suarez *cit. sect. 1. suspens.* 9. Nauarrus *cap. 15. num. 31.* Auila *de censur. part. 7. disp. 11. sect. 1. dub. 4.* & alij communiter ex Textu *in cap. unic. de clerico per saltum promoto, & in cap. sollicitudo, dist. 52.* & ex Trident. Concil. *sess. 23. cap. 14. de reformat.*

SECTIO XII.

PETITIO DECIMA.

An suspensionem incurrat, qui vno die duos sacros Ordines suscipit?

SVMMARIVM.

1 *Ordines duos sacros qui vno die suscipit, suspensionem incurrit, licet secundum aliquos non lata, sed sententia ferenda: Attamen alij communiter tenent saltem ipsum illegitimè ordinatum ipso iure suspensum esse.*

2 *Is qui vno die cum minoribus tantùm ordinibus celebrare permittatur: Vndè Cardinalium Congregatio sess. 23. cap. 13. de reformat. declarans eum, qui ex Regionis consuetudine sic ordinatus est, suspensum non esse, tacitè insinuans, suspensum fore, si talis consuetudo in Diœcesi non inualuisset.*

1 RESpondetur affirmatiuè, quia *in cap. literas, de tempor. ordin.* Pontifex ait: *Si vno die duo sacri Ordines eidem conferantur, volumus, Episcopum à collatione vtriusque Ordinis, ordinatum verò ab executione posterioris manere suspensos, donec de illis aliter disponamus.*

Et quamuis ex his verbis non satis colligi suspensionem latæ sententiæ, sed potiùs ferendæ, putent quidam, inter quos Suar. *loc. supra cit. suspens. 8. n. 41.* tamen communiter alij tenent, saltem ipsum illegitimè ordinatum ipso iure suspensum esse. Ità præter alios Nauarr. *cap. 25. n. 71.* & Auila *part. 3. disp. 5. argum. cap. 2.*
2 *de eo, qui furtiuè, &c.* vbi habetur, quod is, qui vno die cum minoribus ordinibus Subdiaconatum suscipit, in minoribus tantùm ordinibus celebrare permittatur; Vnde Concilium *sess. 23. cap. 13. de reformat.* declarauit, eum qui ex regionis consuetudine sic ordinatus est, suspensum non esse, tacitè insinuans, suspensum fore, si talis consuetudo in Diœcesi non inualuisset.

SECTIO XIII.

PETITIO VNDECIMA.

An suspensionem incurrat Episcopus, qui in aliena Diœcesi Pontificalia exercet?

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, qui in aliena Diœcesi Pontificalia exercet, suspensionem incurrit, quia Tridentino Concilio sess. 6. cap. 5. de reformat. expressè mandatur, quod nullus Episcopus in aliena Diœcesi Pontificalia exerceat, nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario tantùm subiectas; si secùs factum fuerit, Episcopus ab officio Pontificalium, & sic ordinati ab exercitio Ordinum ipso iure suspensi sint.*

RESpondetur affirmatiuè; quia in Trident. Concil. *sess. 6. cap. 5. de reformat.* expressè mandatur, quod nullus Episcopus in aliena Diœcesi Pontificalia exerceat; nisi de Ordinarij loci expressa licentia, & in personas eidem Ordinario tantùm subiectas; si secùs factum fuerit, Episcopus ab officio Pontificalium, & sic ordinati ab exercitio Ordinum ipso iure suspensi sint. 1

SECTIO XIV.

PETITIO DVODECIMA.

An suspensionem incurrat, qui durante matrimonio sacrum Ordinem suscipit?

SVMMARIVM.

1 *Ordinem sacrum qui durante matrimonio suscipit, suspensionem incurrit, quia in extrauag. antiqua, de voto, id sub eadem pœna expressè cauetur.*

RESpondetur affirmatiuè, quia *in extrauagant. antiqua, de vot.* Pontifex in primis prohibet; *Ne quisquam durante matrimonio, nondùm etiam consummato, sacrum Ordinem suscipere præsumat, nisi prout sacris Canonibus conuenit* (nempe cum consensu vxoris, Religionem ingredientis, vel in sæculo sine periculo incontinentiæ permanentis, edito continentiæ voto, sicuti aduertit Gloss. *in cit. extrauag. noueris.*) sin verò secus attentatum fuerit, subdit ibidem Pontifex: *Vt ordinatus, ne quidem matrimonio soluto, in sic suscepto ordine ministrare, nec ad superiores Ordines proueht, nec ad aliquod beneficium, vel officium Ecclesiasticum valeat promoueri.* Potest verò hæc suspensio irregularitatibus annumerari. 1

SECTIO XV.

PETITIO DECIMA-TERTIA.

An suspensionem incurrat, qui excommunicationis censura ligatus ordinem suscipit?

SVMMARIVM.

1 *Ordinem suscipiens ligatus excommunicationis censura, suspensionem incurrit, nisi ignorantia, vel metus grauis excuset.*

2 *Suspensio ista, quam aliqui irregularitatem appellant, locum habet non solum si in excommunicatione quis suscipiat ordinem sacrum; sed etiam si in excommunicatione suscipiat quemcumque ordinem minorem, contrà aliquot, &c.*

1 RESPONDETUR affirmatiuè, quia ex Textu *in cap. cum illorum, de sent. excommun.* Is, qui excommunicatus ordinem suscipit, ab eodem suspensus manet, nisi ignorantia, vel metu graui à culpa excusetur, S. Antonin. *3. part. tit. 24. cap. 86. effect. 6.* Syluest. *verb. excommunicatio 3. quæst. 14.* Suarez *vbi suprà suspens. 11.* & alij ex communiori sententia Doctorum.

2 Subdit verò Suarez *loc. cit.* quod suspensio ista, quam aliqui irregularitatem appellant, locum habeat non solùm, si in excommunicatione suscipias Ordinem sacrum, sed etiam, si in excommunicatione suscipias quemcumque Ordinem minorem. Quamuis contrarium sentiant Nauar. *lib. 5. consil. 43. quæst. 2. de sent. excommun. edit. 2.* Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 34. n. 95.* & alij.

DVBITATIO XCIII.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate, quæ prouenit ex illicita Ordinis administratione.

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *In ordine non habito culpabiliter si quis seriò, solemniter, & ex officio ministret, v.g. si Diaconus Missam celebret, aquam, vel nuptias solemniter benedicat, absque Sacerdotis commissione solemniter baptizet, &c. irregularis efficitur.*

2 Abiiciatur, *verbum positum in Textu cap. 1. de Clerico non ordinato ministrante, secundùm aliquos denotat excommunicationem ferendam, secundùm alios verò depositionem, seu suspensionem à statu Clericali; qua depositio, seu suspensio temperata est, vt solùm sit per biennium, vel triennium ab Ordine, qui inter susceptos præcipuus fuerit: irregularitatem autem quæ partò impedit Ordinum susceptionem ipso iure ferri.*

3 *Irregularitas hæc vt locum habeat, requiritur primò, vt in ea re mortaliter quis peccet, non excusatus probabili ignorantia.*

4 *Irregularitas hæc vt locum habeat, requiritur secundò, vt ordinem non habitum exerceat seriò, quia si exerceat per iocum, seu ludum ad aliquam historiam repræsentandam, dictam irregularitatem non incurrit, siquidem non censetur Ordinem exercere; sed illius exercitium repræsentare, quod intercedente honesta causa, & secluso rerum diuinarum contemptu, licitum est, atque adeò irregularitati non subiectum.*

5 *Irregularitas prædicta, vt locum habeat, requiritur tertiò, vt quis exerceat solemniter, & ex officio, quia si sic ordinem non exerceat, non censetur officium Ordinis exercere, hoc enim ex sua natura exigit, vt solùm ab ordinatis exerceri possit.*

6 *Epistolam, vel Euangelium decantans in Missa solemni cum dalmatica indutus, modò manipulum, vel stolam non deferat, irregularis non est, quia proprium insigne Diaconi est stola, Subdiaconi verò manipulus.*

7 *Clerici in minoribus constituti, an licitè fieri possit, vt tanquam Cantores adhibeantur, superpelliceo, vel dalmatica induti, ad cantandum epistolam, vel Euangelium, vel Passionem Domini, standum est consuetudini Ecclesiarum, quia in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis non permittitur: in quibusdam autem aliis Ecclesiis, præsertim regularium, fieri cõsuetum est in defectũ Diaconi, & Subdiaconi.*

8 *Clericus Subdiacono inferior apud Fratres Minores ex consuetudine etiam cum manipulo epistolam solemniter canit, ideoque irregularis non efficitur.*

9 *Clerico inferiori quamuis concessum sit, Epistolam in Missa solemni canere, concessum tamen similiter non est, sacrum Calicem ad Altare porrigere, aliàs irregularis efficeretur.*

10 *Clericus inferior, probabilius est, quod licet peccet porrigendo Calicem ad Altare, tamen irregularis non fiat, quia per id non exercet actum Ordinis solemniter, siquidem solemniter ministrare est cum propriis ornamentis ministrare. Proprium autem ornamentum Subdiaconi est manipulus.*

11 *Laicus sine solemnibus vestibus indutus, v.g. superpelliceo, non licet, vt canat in solemni Missa Epistolam: Et quidem non est decens, si saltem Clericus haberi possit, sin verò non possit, forsan ob causam permitti poterit: Præsertim si Religiosus sit, quia talis non exercet actum Ordinis; sed simplicis Cantoris: Id tamen intellige, præcisa consuetudine in contrarium.*

12 *Epistolam, vel Euangelium cantans in solemni Missa cum manipulo, & stola respectiuè, vbi non est priuilegium, aut consuetudo, vt ea solemnitate decantetur ab illis, qui tali ordine non sunt insigniti, irregularis est.*

13 *Irregularis etiam est, si baptizet solemniter, quia baptizare solemniter est vsus, & exercitium Ordinis Sacerdotalis; secùs dicendum, si baptizet non solemniter, qualiter baptizare sæpè solent etiam laici.*

14 *Irregularis etiam est, si attentet conficere Eucharistiam, vel illam ministret, vel ministret Ordinem, Confirmationem, aut Extremam vnctionem, cùm Sacerdos non sit, quia sic officium Ordinis, quem non habet, exercet; secùs dicendum, si assistat matrimonio; quia matrimonio assistere non est actus ordinis; sed iurisdictionis, & propter actum, vel vsum iurisdictionis non habitæ non est vllibi imposita irregularitas.*

15 *Idem dic de officio concionandi; nam quamuis illicitè non ordinatus illud vsurpet, tamen quia non est officium per se annexum Ordini sacro, illud vsurpando, irregularitatem non incurrit, idque siue laicus, siue Clericus sit, & tanquam Diaconus, cum manipulo, & stola prædicare in Ecclesia præsumat; quia per hoc actum ordinis non exercet.*

16 *Prædicans stola indutus tanquam Diaconus, cùm Diaconus non sit, peccat: Alioquin verò consuetudo ferè totius orbis Christiani est, vt Parochi non solùm Diaconos, sed inferiores etiam Clericos Theologiæ eruditos ad prædicandum in Ecclesia interdum assumant: Etsi in quibusdam Diœcesibus consuetudo sit in oppositum, vt scilicet Parochis non liceat ad prædicandum assumere nisi Diaconos.*

17 *Ad prædicandum substituti Parochorum ex Concilio Tridentino ab Episcopo examinari debent, & approbari, sed quoad hæc cuiuscumque Diœcesis recepta consuetudo seruari debebit.*

18 *Absolutionem Sacramentalem si non Sacerdos impendat, an irregularis sit, affirmant alij, alij verò negant probabilius; quia absolutio Sacramentalis quantumcumque secreta sit, est actus, & exercitium Ordinis Sacerdotalis, cuiusmodi est celebratio.*

SVPPONO, quod si quis in Ordine non habito culpabiliter, seriò, solemniter, & ex officio ministret 1

nistret (v. g. si Diaconus Missam celebret, aquam, vel nuptias solemniter benedicat, absque Sacerdotis commissione solemniter baptizet, &c.) irregularis efficiatur, *cap. 1. de cleric. non ordin. ministrant.* ibi: *Si quis baptizauerit*, (intellige culpabiliter, seriò, solemniter, & ex officio, sicuti dicebam) *aut officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abiiciatur de Ecclesia, & nunquam ordinetur.*

2 Quamuis aliqui velint, in hoc Textu per illa verba: *Abiiciatur de Ecclesia*: excommunicationem ferendam statui, alij velint, depositionem, aut suspensionem à statu clericali, quæ depositio, seu suspensio *cap. 2. eodem titulo*, temperata est, vt solùm sit per biennium, vel triennium ab Ordine, qui inter susceptos præcipuus fuerit, decerni: irregularitatem autem, quæ parte impedit ordinum susceptionem, ipso iure ferri, tàm *in dicto cap. 1.* quàm *in cap. 2. de cleric. non ordin. ministr.*

3 Vt igitur irregularitas hæc locum habeat, requiritur primò, vt in ea re mortaliter pecces, non excusatus probabili ignorantia, &c. sicuti infrà meliùs dicetur.

4 Requiritur secundò, vt ordinem non habitum exerceas seriò, quia si exerceas per iocum, seu ludum ad aliquam historiam repræsentandam, dictam irregularitatem non incurris; siquidem non censeris ordinem exercere, sed illius exercitium repræsentare: Quod, intercedente honesta causa, & secluso rerum diuinarum contemptu, licitum est, atque adeò irregularitati non subiectum. Syluest. *verb. irregularitas, quæst. 12.* Sotus *in 4. dist. 25. quæst. 1. art. 3.* Nauarr. *cap. 27. num. 241.* Henriquez *lib. 14. cap. 6. num. 1.* & Saytus *lib. 7. thes. cap. 10. num. 2.*

5 Requiritur tertiò, vt exerceas solemniter, & ex officio; idem Syluester, Sotus, Nauarrus, Henriquez, & Saytus *in locis suprà cit.* quia, si sic ordinem non exerceas, non censeris officium ordinis exercere. Hoc enim ex sua natura exigit, vt solùm ab ordinatis exerceri possit. Vndè, cum vsus Ordinum Minorum communiter à non ordinatis exerceatur, & Epistola, atque Euangelium sæpiùs in Missa solemni decantetur cum dalmatica absque manipulo, vel stola ab illis, qui eo Ordine insigniti non sunt, quin etiam cum stola, seu manipulo à Clericis Subdiacono inferioribus in Ecclesiis Fratrum Minorum, vt ex Villadiego testantur Nauarrus *cap. 27. n. 142.* & Auila *de censur. part. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 13.* fit, quod ob has actiones, hæc irregularitas non incurratur: Requiritur igitur ad hanc irregularitatem incurrendam, vt solemniter, & tanquam ex officio exerceas actum Ordinis, quem secundùm Ecclesiæ institutionem, aut consuetudinem non liceat exercere illis, qui tali ordine carent. Paludan. *in 4. dist. 24. quæst. 4.* Syluest. *verb. irregularitas, num. 14.* Angel. *eodem verb. num. 38.* S. Antonin. *part. 3. tit. 28. cap. 1. §. 11* Tolet. *lib. 1. cap. 72.* Nauarr. *cap. 27. num. 232.* Henriquez *lib. 14. cap. 6. num. 1.* Auila *cit. dub. 13.* Sayr. *cit. cap. 10. num. 3. & 4.* & Sà *verb. irregularitas ex abusu ordin. num. 3*

6 Hinc sequitur, quod irregularis non sis, si in Missa solemni Epistolam, vel Euangelium decantes cum dalmatica indutus, modò manipulum, vel stolam non deferas; quia proprium insigne Diaconi est stola, Subdiaconi verò manipulus.

7 An autem etiam licitè fieri possit, vt Clerici in minoribus constituti, tanquam Cantores, adhibeantur, superpelliceo, vel dalmatica induti ad cantandam Epistolam, vel Euangelium, vel Passionem Domini?

Respondetur, id ex consuetudine petendum esse; quia in quibusdam Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis non permittitur, in quibusdam autem aliis Ecclesiis, præsertim Regularium, fieri consuetum est, in defectum Diaconi, & Subdiaconi. S. Antonin. *cit. cap. 1.* Nauarr. *lib. 5. consil. 5. de cleric. non ordin. edit. 2.* Tole-

8 tus *vbi suprà*, & Sà *verb. clericus, num. 32.* Imò, sicuti suprà dicebam, apud Fratres Minores consuetudo viget, vt Clericus Subdiacono inferior, etiam cum manipulo, Epistolam solemniter canat, ideoque irregularis non efficiatur.

Monent verò Syluest. & S. Antonin. *in locis suprà citatis*, quod quamuis concessum sit Clerico inferiori Epistolam in Missa solemni canere (sicuti suprà dicebam) concessum tamen similiter non sit, sacrum Calicem, ad Altare porrigere, aliàs irregularis efficietur. 9

At probabiliùs docent Henriq. & Auila *vbi suprà*, quod talis, licèt peccet, tamen irregularis non fiat; quia per id non exercet actum Ordinis solemniter; siquidem solemniter ministrare, est cum propriis ornamentis ministrare: proprium autem ornamentum Subdiaconi est manipulus, vti dicebam. 10

Cæterum, laicum, siue solemnibus vestibus, indutum v. g. superpelliceo, epistolam in solemni Missa canere, videtur non esse licitum, & saltem quidem non est decens, si Clericus haberi possit; sin verò non possit, forsan ob causam permitti poterit, præsertim si Religiosus sit; quia talis non exercet actum Ordinis, sed simplicis cantoris. Vndè cur laico huiusmodi officium in solemni Missa competere non possit, solùm obstare videtur consuetudo, quæ tamen in diuersis locis diuersa est. 11

Sequitur secundò, quod è contrà irregularis sis, si in solemni Missa Epistolam cum manipulo, vel Euangelium cum stola decantes, vbi non est priuilegium, aut consuetudo, vt ea solemnitate decantetur ab illis, qui tali ordine non sunt insigniti. Sayr. *lib. 7. thes. cap. 10. num. 3. & 4.* Suar. *disp. 42. sect. 4. n. 16.* Coninch. *disp. 18. dub. 6.* & Bonacin. *disp. 7. de irregular. quæst. 3. punct. 6. num. 1. & 2.* 12

Sequitur tertiò, quod etiam irregularis sis, si baptizes solemniter, quia baptizare solemniter est vsus, & exercitium Ordinis Sacerdotalis, *cap. 1. de cleric. non ordin. ministr.* secùs dicendum, si baptizes non solemniter, qualiter baptizare sæpè solent etiam laici. Nauarr. *cap. 22. num. 7.* Henriq. *lib. 2. cap. 19. num. 2. & 3.* Sayr. *cit. cap. 10. n. 5.* Auila *part. 7. disp. 9. dub. 14.* & alij communiter. 13

Sequitur quartò, quod similiter irregularis sis, si attentes conficere Eucharistiam, vel illam ministres, vel ministres Ordinem, Confirmationem, aut Extremam vnctionem, cùm Sacerdos non sis, quia sic officium Ordinis, quem non habes, exerces. Secùs dicendum, si assistas matrimonio, tanquam Parochus, cum Parochus non existas, quia matrimonio assistere non est actus ordinis, sed iurisdictionis. Et propter actum, vel vsum iurisdictionis non habitæ non est vllibi imposita irregularitas Suarez *disp. 42. sect. 4. n. 19.* & Coninch. *disp. 18. dub. 6. num. 48.* 14

Idemque dicendum de officio concionandi: nam quamuis illicitè non ordinatus illud vsurpes, tamen, quia non est officium per se annexum Ordini sacro, illud vsurpando, irregularitatem non incurris. Idque siue Laicus, siue Clericus sis, & tanquam Diaconus, cum manipulo, & stola prædicare in Ecclesia præsumas; quia, sicuti dicebam, per hoc actum Ordinis non exerces. Doctores communiter contra Nauarrum *cap. 27. num. 163.* 15

Peccas nihilominùs, quandò actum Ecclesiasticum prædicandi stola indutus, tanquam Diaconus, exerces, cum Diaconus non sis. Alioquin verò (ait idem Nauarrus *lib. 1. consil. 7. de offic. delegat.*) consuetudo ferè totius orbis Christiani est, vt Parochi non solùm Diaconos, sed inferiores etiam Clericos Theologiæ eruditos ad prædicandum in Ecclesia interdum assumant. Etsi in quibusdam tamen Diœcesibus consuetudo sit in oppositum, vt scilicet Parochis non liceat ad prædicandum assumere, nisi Diaconos. Imò Tridentin. Concil. *sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4. de reformat.* significat, tales substitutos in munere prædicandi priùs ab Episcopo examinari, & approbari debere, quod etiam docent nonnulli inter quos Simancha *de cathol. instit.* 16

17

cap. 49. *n.* 1. *ex cap. excommunicatus, §. quia verò, de hæret.* & ex Concilio Lateranens. sub Leone X. *sess.* 11. sed quoad hæc cuiuscumque Diœcesis recepta consuetudo seruari debebit.

18 An autem neque irregularis sis, si non Sacerdos, absolutionem Sacramentalem impendas?

Affirmant Syluest. *verb. confessor* 1. *in princ.* Ledesma 2. *part.* 4. *quæst.* 7. *art.* 3. *dub.* 1. & ex probabili Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 9. *dub.* 15. Quia talis actus exercetur absque vlla solemnitate: Ergò inter officium Ordinis reputari non debet.

Negant verò probabiliùs Nauarr. *cap.* 27. *num.* 242. Suarez *disp.* 42. *sect.* 4. *num.* 19. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 6. *n.* 1. Sayr. *lib.* 7. *thes. cap.* 10. *n.* 5. & alij communiter.

Colligitur *ex cap.* 1. *de cleric. non ordin. ministr.* & probatur; quia absolutio Sacramentalis, quantumcumque secreta sit, est actus, & exercitium Ordinis Sacerdotalis, cuiusmodi est celebratio: Ergò, sicut irregularitatem inducit vsurpatio celebrationis à non Sacerdote, ità & irregularitatem inducet vsurpatio absolutionis: falsumque est, sub officio Ordinis Sacerdotalis absolutionem Sacramentalem non contineri. His suppositis.

SECTIO II.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Super irregularitate, quæ prouenit ex illicita Ordinis administratione solus Pontifex dispensat, vt ad superiores Ordines ascendat, vt verè possit in susceptis Ordinibus ministrare, dispensat etiam Episcopus.*

2 *Episcopus, imposita vigore cap. 2. de cleric. non ordin. ministr. suspensione biennij, non videtur posse super illa dispensare, excepto, si irregularitas proueniat ex delicto occulto.*

1 Respondetur, super irregularitate, quæ prouenit ex illicita Ordinis administratione, solus Pontifex dispensat, vt ad superiores Ordines ascendas: vt verò possis in susceptis Ordinibus ministrare, dispensat etiam Episcopus. Innoc. *in cap. dilectus de tempor. ordinat. n.* 3. Abbas *in cap.* 2. *de cleric. non ordin. ministr. n.* 3. Syluest. *verb. irregularitas quæst.* 12. *in fine*, Angel. *eodem verbo n.* 28. Nauarr. *cap.* 27. *num.* 243. & Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 9. *dub.* 15. *ex dicto cap.* 2. *de cler. non ordin. ministr.* Vbi hæc suspensio arbitrio Episcopi remittitur.

2 At si rectè aduertatur, in prædicto Textu solùm Episcopo committitur, an sis biennio, vel triennio suspendendus, moderari verò tempus biennij non videtur concedi: Ergò, imposita suspensione biennij, non videtur Episcopus posse super illam dispensare. Excepto, si irregularitas proueniat ex delicto occulto, iuxtà concessionem Trident. Concil. *sess.* 24. *cap.* 6. sicuti in præsenti aduertit Suar. *de censur. disp.* 42. *sect.* 4. *n.* 3. & Bonacin. *de irregular. disp.* 7. *quæst.* 3. *punct.* 6. *n.* 10.

SECTIO III.

PRIMA PETITIO.

An seriò exercens officium ordinis, quem non habes, v. g. canendo solemniter Epistolam, vel Euangelium, celebrando, vel ministrando aliud Sacramentum, &c. absque intentione tamen vsurpandi Ordinis vsum, irregularitatem incurras?

SVMMARIVM.

1 *Ordinis officium seriò exercens, quem non habet, v. g. canendo solemniter Epistolam, vel Euangelium, celebrando, vel ministrando aliud Sacramentum, & absque intentione tamen vsurpandi Ordinis vsum, irregularitatem non incurrit.*

2 *Diaconus existimans per ignorantiam non crassam officium v. g. solemniter baptizandi in Ecclesia Ordini suo annexum esse, non fieret irregularis, licet sine Sacerdotis commissione baptizaret, quia non haberet intentionem baptizandi vt Sacerdos.*

3 *Idem dic, si absolueret à peccatis in articulo mortis, existimans similiter per ignorantiam non crassam, quod tunc possit & ipse id præstare, si copia Sacerdotis non sit, seu si Sacerdos non adsit.*

4 *Irregularitas prædicta, quæ decreta est in cap. 1. de cleric. non ordin. ministr. ideò statuitur, eo quod non ordinatus solemniter baptizauit, vel aliud officium Ordini annexum exercuit.*

5 *Irregularitas prædicta vt incurratur, opus esse videtur, vt officium Ordinis quis exerceat, si non verè, saltem quantum est ex se: at non exercetur illud officium, si desit intentio.*

6 *Rebaptizans exteriùs absque intentione, irregularitatem aduersus rebaptizantes impositam non incurrit, quia quantum est ex se non rebaptizat.*

7 *Non ordinatus si temerè exerceat officium ordinis, quem non habet, v. g. celebret, vel confessiones audiat, tenetur etiam pœna falsi, sicuti qui non habens dignitatem, profitetur se habere, vel vtitur insignibus eius.*

Respondetur negatiuè, atque ità contra Suarez *de censur. disp.* 42. *sect.* 4. *n.* 18. *& seq.* Coninch. *disp.* 18. *dub.* 6. *n.* 47. & alios, probabiliùs docent Tabien. *verb. irregularitas* 4. §. 3. Nauarr. *consil.* 1. *de Sacram. non iterand. & in summa cap.* 27. *n.* 242. Vgolinus *de censur. cap.* 37. *n.* 10. & Auila *part.* 7. *disp.* 9. *sect.* 2. *dub.* 13. specialiter 1
loquentes de officio Diaconi, & Subdiaconi, quatenùs 2
aiunt, opus esse, vt habeas intentionem, id faciendi tanquam Diaconus, vel Subdiaconus. Præter quàm, si quis per ignorantiam non crassam existimaret, tale officium, etiam suo Ordini, quem habet, conuenire, vt si Diaconus existimaret, solemniter baptizare in Ecclesia Ordini suo annexum esse, non fieret irregularis, etsi sine Sacerdotis commissione baptizaret, quia non haberet intentionem baptizandi, vt Sacerdos, vti docet idem Nauarr. *consil.* 3. *de cleric. non ordin. edit.* 2. Idem- 3
que dicas, si absolueret à peccatis in articulo mortis, existimans similiter per ignorantiam non crassam, quod tunc possit & ipse id præstare, si copia Sacerdotis non sit, seu si Sacerdos non adsit.

Probatur, quia *in cap.* 1. *de cleric. non ordin. ministr.* 4
statuitur hæc irregularitas, eo quod non ordinatus solemniter baptizarit, vel aliud officium Ordini annexum exercuerit. Quod formaliter intelligi debet.

Confirmatur, quia ad hanc irregularitatem incurren- 5
dam opus esse videtur, vt officium Ordinis exerceas, si non verè, saltem quantum est ex te. At si intentionem non habes illud officium exercendi, etiam quantum est ex te non exerces, cum deficias in intentione: Ergò irregularitatem incurrere non videris.

Confirmatur secundò, quia sicuti suprà suo loco di- 6
cebam, si rebaptizes exteriùs absque intentione, irregularitatem aduersus rebaptizantes impositam non incurris; quia quantum est ex te, non rebaptizas: ergò sic &c. in casu nostro.

His adde ex Abb. *in cap.* 1. *de cler. non ordin. &c.* quod 7
si non ordinatus temerè exerceas officium Ordinis, quem non habes, v. g. celebres, vel confessiones audias, tenearis etiam pœna falsi, sicuti qui non habens dignitatem profitetur, se habere, vel vtitur insignibus eius, *l. eos, ff. ad leg. Cornel. de falsis.*

SECTIO

SECTIO IV.

SECVNDA PETITIO.

An hæc irregularitas afficiat non solùm Clericos vsurpantes officium Ordinis, quem non habent, sed etiam laicos.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas hæc secundum aliquos Doctores afficit non solùm Clericos vsurpantes officium Ordinis, quem non habent, sed etiam laicos: quia in cap. 1. de cleric. non ordin. ministr. generaliter statuitur, ne ordinetur qui cùm ordinatus non sit, baptizauerit, vel officium sacrum exercuerit.*

2 *Verbum illud (de Clerico) in titulo appositum, forsan ex inaduertentia fuit appositum, cùm in antiquis codicibus non reperiatur.*

3 *Laicus grauiùs peccat Ordinis officium vsurpans, quàm Clericus.*

4 *Pars negatiua dicitur probabilior, quia hæc irregularitas de laico ministrante in iure expressa non est si sequamur probabilem intellectum cap. 1. quem rubrica, & titulus indicat.*

5 *Textus in dicto cap. 1. de cleric. non ordin. ministr. licet generaliter videatur loqui, & tam Clericos, quàm laicos comprehendere, tamen quia sub titulo de cler. non ordin. ministr. constitutus est, indicat manifestè, quod pro clericis tantùm latus sit.*

6 *In antiquis codicibus omissum esse verbum illud (de Clerico) non est verum: præterquam, quod Textus hanc irregularitatem imponentes, satis apertè significant solis Clericis illam imponi.*

7 *Textus in cap. 1. de cler. non ordin. ministr. si sequamur probabilem intellectum Abbatis, per illa verba (abiiciatur ab Ecclesia) suspensionem, seu depositionem ferendam, imponi, manifestè indicat, quod de clericis tantùm loquatur.*

8 *Laicus licet grauiùs peccet, quàm Clericus officium Ordinis vsurpans; tamen quia Clericus frequentiùs, quàm laicus illud vsurpare consueuit, propterea contra Clericum Ordinis officium vsurpantem imposita est irregularitas, & non contra laicum.*

9 *Sententia illorum, qui tenent, quod laicus, si fingens se Sacerdotem esse à peccatis absoluerere præsumat, irregularis efficiatur, reiicitur; contra Sotum, & Valentiam.*

1 Affirmant S. Anton. *part. 3. tit. 28. cap. 1.* Syluester *verb. irregularitas, q. 11. dict. 2.* Sotus *in 4. dist. 18. q. 4. ar. 1.* Nauarr. *cap. 27. n. 242.* Suar. *tom. 3. de Sacram. disput. 31. sect. 4. circa fin.* & Valentia *tom. 4. disp. 6. q. 10. punct. 1.* Ita vt & laicus etiam exercens actum ordinis v. g. solemniter baptizãs, dictam irregularitatẽ incurrat.

Probatur, quia *in cap. 1. de cler. non ordin. ministr.* generaliter statuitur, ne ordinetur, qui cùm ordinatus non sit, baptizauerit, vel officium sacrum exercuerit. At hic Textus cùm sit antiquior Rubrica, non potest Rubricâ restringi: Ergo.

2 Confirmatur, quia verbum illud, *de Clerico*: in titulo appositum, forsan ex inaduertentia fuit appositum, cùm in antiquis codicibus non reperiatur.

3 Confirmatur secundò, quia grauiùs peccat laicus Ordinis officium vsurpans, quàm Clericus: Ergo si per hoc Clericus irregularitatẽ incurrit, incurret & laicus.

4 Negant verò probabiliùs Couarr. *in Clem part. 1. §. 1.* Angel. *verb. irregularitas 1.* Rosella *eod. verb. n. 6.* Armill. *ibid. n. 5.* vbi subdit, hanc sententiam tanquam benigniorem in materia odiosa, sequendam esse. Henriq. *lib. 2. cap. 29. n. 1. lit. H.* Sayr. *lib. 7. Thesaur. cap. 10. n. 6.* & Sà *verb. Clericus, n. 32.*

Probatur, quia hæc irregularitas de laico ministrante in iure expressa non est, si sequamur probabilem intellectum *cap. 1.* quem rubrica, & titulus indicat, & tradunt Abb. ibi, Sylu. & Sayr. *in loc. sup. cit.* quod ministrans solemniter in ordine quem non habet, sit deponendus, & nunquam ordinandus: depositio enim est propria Clericorum.

Confirmatur, quia esto Textus *in d. cap. 1. de cleric. non ordin. ministr.* generaliter videatur loqui, & tam Clericos, quàm laicos comprehendere, tamen quia sub titulo, & rubrica *de cler. non ordin. ministr.* constitutus est, indicat manifestè, quod pro Clericis tantùm latus sit. 5

Hinc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ. 6

Ad primam confirmationem respondetur negando, in antiquis codicibus omissum esse verbum illud, *de Clerico*: sicuti videre est apud Sayr. *lib. 7. Thesaur. cap. 10. num. 6.* Præterquam quod Textus hanc irregularitatem imponentes satis apertè significant solis clericis, illam imponi. Nam Text. *in cap. 2.* expresse loquitur de ordinato, cui vltra prohibitionem, ne ad superiores ordines ascendat, imponitur suspensio per biennium, vel triennium ab ordine præcipuo, quem habet. Textus verò *in cap. 1.* (si vti dicebam, sequamur probabilem intellectum Abbatis ibi, Syluestri, & Sayri *vbi sup.* asserentium, per illa verba, *abiiciatur ab Ecclesia*: suspensionem, & depositionem ferendam imponi) manifestè indicat, quod de Clericis tantùm loquatur, cùm laici nec suspendi, nec deponi possint. 7

Ad secundam confirmationem Respondetur, negando consequentiam, quia licèt grauiùs peccet laicus, quàm clericus officium Ordinis vsurpans; tamen quia clericus frequentiùs, quàm laicus, illud vsurpare consueuit, propterea contra clericum ordinis officium vsurpantem, imposita est irregularitas, & non contra laicum. 8

Quapropter ipse etiam S. Antonin. *3. part. titul. 17. cap. 7. §. 1.* & Syluest. *verb. confessor 5. n. 1.* reiiciunt sententiam illorum qui tenent; quod laicus, si fingens se Sacerdotem esse, à peccatis absoluere præsumat, irregularis efficiatur; licet hanc opinionem sequatur Sotus, & Valentia *in locis sup. cit.* adducentes pro se Paludanum *in 4. dist. 17. q. 3.* qui tamen in contrarium magis propendere videtur. 9

SECTIO V.

PETITIO TERTIA.

Qualiter ob illicitam Ordinis habiti administrationem irregularitas incurratur?

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas ob nullam illicitam Ordinis habiti administrationem incurritur, præter illam in qua censura excommunicationis, suspensionis, vel interdicti violatur: ita vt Clericus solùm violans censuram maioris excommunicationis, suspensionis ab ordine, interdicti personalis, aut localis, exercendo actum proprium ordinis, irregularis efficiatur.*

2 *Irregularitas hæc vt incurratur, requiritur vt Clericus vsurpando hoc ordinis ministerium, mortaliter peccet. Quapropter per ignorantiam, si crassa non sit, ab irregularitate incurrenda liberatur.*

3 *Irregularitas non incurritur ab eo, qui ante sententiam appellauerit; Iudex autem existimans appellationem illegitimam, ac nullam esse, nihilominus ad sententiam excommunicationis procedat, excommunicatur verò in appellatione sua confisus bona fide, si postea superior ad quem appellatum fuit pronunciet, appellationem nullam fuisse, & iudicis prioris iurisdictionem non suspendisse: quia ad irregularitatem incurrendam requiritur temeritas, vel saltem mala fides, & culpa mortalis.*

4 *Secus dicendum, si mala fide appellationem prosecutus post latam sententiam celebrasset.*

5 *Irregularitas prædicta vt incurratur, requiritur secundò, vt ministerium, quod Clericus in censura exercet, sit proprium ordinis, seu ab alio qui talem ordinem non habet, exerceri non possit.*

6 *Clericus in minoribus Ordinibus constitutus vix potest ex hac causa irregularitatem incurrere: quia consuetudo obtinet, vt talis Clerici ministeria à laicis etiam solemniter exerceantur.*

7 *Clericus excommunicatus, vel suspensus neque irregularitatem incurrit, si quamuis illicitè præstet ea, quæ solius iurisdictionis, non ordinis officia sunt, v.g. si Episcopus in censura existens excommunicet, vel ab excommunicatione absoluat (omissa tamen solemnitate precum:) Item si Parochus matrimonio assistat, sed nuptias non benedicat.*

8 *Clericus neque irregularitatem incurrit, si censura ligatus in Ecclesia Lectiones, & Responsoria cantet, dummodo officiator non sit, dicendo Collectam, præmisso* Dominus vobiscum. *Item si in loco sacro mortuum sepeliat intermisso officio diuino.*

9 *Irregularitas prædicta vt incurratur, requiritur tertiò, vt exercitium ordinis sit ipsi Clerico secundum substantiam prohibitum, & non secundùm modum solum accidentalem.*

10 *Episcopus si suspensus à Pontificalibus Missam celebret cum apparatu Episcopali neque incurrit irregularitatem, quia ab actu celebrandi non est suspensus secundum substantiam, sed tantùm secundum solemnitatem accidentalem.*

11 *Clericus in interdicto generali loci celebrans officium diuinum Ordini Clericali proprium, non obseruata moderatione, quam ponit tex. in cap. Alma, de sent. excomm. irregularitatem incurrit, & tamen in hoc casu celebratio officij secundum substantiam actus ipsi non est prohibita: sed id non officit, quia talis casus est specialis; siquidem iure antiquo simpliciter decretum erat, quod Clericus interdicti tempore celebrans irregularitatem incurreret, quod ius postea mutatum non est simpliciter, sed cum moderationibus, & conditionibus, &c.*

12 *Episcopus excommunicatus, interdictus, vel ab officio suspensus irregularitatem incurrit, secundum Doctores, si coram se celebrari auctoritatiuè iubeat. At hæc irregularitas non nititur Iuri scripto.*

RESpondetur: Irregularitas ob nullam illicitam ordinis habiti administrationem incurritur, præter illam in qua censura excommunicationis, suspensionis,
1 vel interdicti violatur: ita vt Clericus solùm violans censuram maioris excommunicationis, suspensionis ab ordine, interdicti personalis, aut localis, exercendo actum proprium ordinis, irregularis efficiatur, sicuti constat ex toto titulo *Decret. de cleric. excomm. ministr. ex cap. 1. de sent. & re iudic. in 6. & ex cap. is cui, de sent. excommunic. lib. 6.*

2 Requiritur autem ad hanc irregularitatem incurrendam, vt clericus vsurpando hoc ordinis ministerium mortaliter peccet. Quapropter per ignorantiam, si crassa non sit, ab irregularitate incurrenda liberatur, *cap. Apostolica, de cler. excomm. ministr.* & ibi communiter DD.

3 Hinc si quis ante latam sententiam appellauerit, iudex autem existimans, appellationem illegitimam, ac nullam esse, nihilominus ad sententiam excommunicationis procedat, excommunicatus verò in appellatione sua confisus, bona fide celebret, irregularitatem (si postea superior ad quem appellatum fuit, pronunciet, appellationem nullam fuisse, & iudicis priora iurisdictionem non suspendisse) minimè incurrit, ait Glossa communiter recepta *in cap. solet, verb. in officiis, de sentent. excommun. in 6.* Nauar. *cap. 23. n. 104.* & Auila *de censur. part. 2. cap. 5. dub. 12. & cap. ad præsentiam, de appellat.* quia ad irregularitatem incurrendam requiritur temeritas, vel saltem mala fides, & culpa mortalis, vti dicebam.
4 Quare secus dicendum, si mala fide appellationem prosecutus post latam sententiam celebrauerit, vt idem Auila *loc. sup. cit.* notauit.

Requiritur secundò, vt ministerium quod clericus in censura exercet, sit proprium Ordinis, seu ab alio qui talem ordinem non habet exerceri non possit. 5

Hinc sequitur, quod clericus in minoribus constitutus, vix possit ex hac causa irregularitatem incurrere, quia consuetudo obtinet, vt talis clerici ministeria à laïcis etiam solemniter exerceantur. Sotus *in 4. dist. 22. q. 3. art. 1. concl. 5.* Sayr. *lib. 7. Thes. cap. 9. n. 4.* Henriquez *lib. 14. cap. 7. n. 1. lit. F.* Auila *de cens. part. 7. disp. 9. sect. 2. dub. 13.* & S. Antonin. *part. 3. tit. 28. cap. 1. in princip.* 6

Sequitur 2. quod clericus excommunicatus, vel suspensus neque irregularitatem incurrat, si quamuis illicitè, præstet ea quæ solius iurisdictionis, non ordinis officia sunt, v.g. si Episcopus in censura existens excommunicet, & ab excommunicatione absoluat (omissa tamen solemnitate precum, & stolæ) Item si parochus matrimonio assistat, sed nuptias non benedicat. DD. *in loc. supra cit.* præsertim Henriquez. *num. 7.* & Auila *sect. 2. dub. 2.* 7

Sequitur 3. quod neque irregularitatem incurrat clericus, si censura ligatus in Ecclesia Lectiones, & Responsoria cantet (dummodo Officiator non sit, dicendo Collectam, præmisso *Dominus vobiscum.*) Ricchard. *in 4. dist. 18. art. 3. q. vlt.* & Abb. *in cap. vltim. de excessib. Prælat. n. 5.* Item si in loco sacro mortuum sepeliat, intermisso Officio diuino. Henriq. & Auila *vbi sup.* Nauarrus *cap. 27. n. 244.* & alij passim. 8

Requiritur tertiò, vt exercitium Ordinis sit ipsi clerico secundum substantiam prohibitum, & non secundum modum solum accidentalem. 9

Hinc Episcopus, si suspensus à Pontificalibus Missam celebret cum apparatu Episcopali, irregularitatem neque incurrit: quia ab actu celebrandi non est suspensus secundum substantiam, sed tantùm secundum accidentalem solemnitatem. Syluest. *verb. suspensio, q. 3.* Couarr. *in Clem. part. 1. §. 1. n. 1.* & Auil. *cit. dub. 2.* contra Angelum *verb. suspensio 3. n. 3.* & alios. 10

Obiicies: Ex communi sententia DD. quam sequitur Syluest. *verb. interdictũ 5. q. 5.* Couarr. *in cap. Alma, part. 2. §. 4. n. 6.* & Henriq. *lib. 14. cap. 7. n. 4.* Clericus in interdicto generali loci celebrans Officium diuinum ordini clericali proprium, non obseruata moderatione quam ponit Text. *in cap. Alma*, irregularitatem incurrit: & tamen in hoc casu celebratio officij secundum substantiam actus ipsi non est prohibita: Ergo. 11

Respondetur; disparitas est, quia talis casus est specialis: siquidem iure antiquo simpliciter decretum erat, quod clericus interdicti tempore celebrans irregularitatem incurreret. Quod ius postea mutatum non est simpliciter, sed cum moderationibus, seu conditionibus *cap. Alma*, sicuti significatur *in cap. is qui, §. is verò, de sent. excomm. in 6.* ibi: *Is verò qui scienter in loco celebrat, supposito interdicto, nisi super hoc priuilegiatus existat, aut à iure sit concessum eidem, irregularitatem incurrit.*

An autem Episcopus excommunicatus, interdictus, vel ab officio suspensus, &c. irregularitatem incurrat, si coram se celebrari auctoritatiuè iubeat? 12

Affirmant Abb. *in cap. illud, de cleric. excommunic. n. 8.* Syluest. *verb. irregularitas, n. 15. dict. 4.* Nauarr. *cap. 27. n. 244.* Couarr. *in cap. Alma, part. 1. §. 9. n. 8.* & alij multi, *arg. cap. illud, de cler. excommunic.*

At ibi reuerà id non exprimitur. Quapropter hæc irregularitas potiùs auctoritati Doctorum, quàm iuri scripto nititur, inquit Coninch. *disput. 18. dub. 6. circa finem.*

SECTIO VI.

PETITIO QVARTA.

An Clericus suspensus à suo Ordine irregularitatem incurrat, si ad superiorem Ordinem promoueatur.

SVMMARIVM.

1 *Clericus suspensus à suo Ordine irregularitatem non incurrit, si ad superiorem ordinem promoueatur, quia hac irregularitas neque à iure expressa est, neque rationes pro ipsa allatæ conuincere videntur.*

2 *Ad ordinem superiorem ascensus non nisi impropriè, & abusiuè dici potest exercitium ordinis inferioris: Quapropter irregularitas ob ordinis illicitum exercitium decreta non debet extendi ad illicitam ordinis superioris susceptionem, cùm pœna non sint extendenda.*

3 *Diaconus ab ordine suspensus Presbyteratum suscipiens exercet ministerium Presbyteri sacrificando cum Episcopo. Item Subdiaconus Diaconatum recipiens exercet ministerium Diaconi canendo solemniter Euangelium, non propterea irregulares efficiuntur, quia vltra quod id est per accidens, primum sacrificium illud non æstimatur actus concelebrationis, cùm neque certum sit, an reuerà ipse consecret, vel solus Episcopus.*

4 *Presbyter non efficitur irregularis, quando in sui ordinatione contracta suspensione ob immaturam ætatem, simul cum Episcopo verba consecrationis profert: sed quando postea, non obtenta priùs dispensatione, primum sacrum facit.*

5 *Diaconi ordinati non omnes Euangelium canunt, quia si contingat, vt alicui hoc officium deferatur, qui se ab ordine suspensum nouit, & absque sui diffamatione, vel aliorum scandalo declinare non possit, tunc nihil obstante censura occulta obedire poterit: quia censura cùm sit de iure positiuo, non obligat cum tanto rigore.*

1 RESpondetur negatiuè. Atque ita ex probabili sententia Doctorum docent Suar. *disp.* 42. *sect.* 3. *n.* 2. & Sayr *lib.* 4. *cap.* 16. *n.* 22. contra Nauarr. *lib.* 1. *consil.* 26. *n.* 2. *de tempor. ordin.* Couar. *in cap. Alma, part.* 1. §. 3. *n.* 5. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 6. *n.* 4. & alios.

Probatur, quia hæc irregularitas, neque (sicuti Henriquez ipse fatetur) in iure expressa est, neque rationes pro ipsa allatæ conuincere videntur, vt ex mox infra dicendis apparebit: Ergo.

2 Obiicies: Ascensus ad ordinem superiorem est veluti exercitium ordinis inferioris, à quo clericus suspensus est: Ergo, &c.

Respondetur: Nego antecedens, siquidem ascensus ad ordinem superiorem non nisi impropriè, & abusiuè dici potest exercitium ordinis inferioris Quapropter irregolaritas ob ordinis illicitum exercitium decreta non debet extendi ad illicitam ordinis superioris susceptionem, cùm pœnæ non sint extendendæ, sed potiùs restringendæ.

3 Obiicies secundò: Diaconus ab ordine suspensus Presbyteratum suscipiens exercet ministerium Presbyteri sacrificando cum Episcopo. Item Subdiaconus Diaconatum recipiens exercet ministerium Diaconi canendo solemniter Euangelium: Ergo his actibus irregulares efficiuntur.

Respondetur: Nego consequentiam, quia (vt omittam id esse per accidens in Diacono suscipiente Presbyteratum) primum sacrificium illud non æstimatur actus concelebrationis, cùm neque certum sit, an reuerà ipse consecret, vel solus Episcopus, vti tenent Medin. *lib.* 1. *cap.* 11. §. 8. Sayr. *loc. sup. cit. n.* 23. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 3. *n.* 6. & Auila *de censur. part.* 3. *disp.* 5. *dub.* 7. *assert.* 3. qui propterea subdunt (etsi contrarium teneant Nauarrus *lib.* 5. *cons.* 8. *de cleric. excom. ministr. edit.* 2. Couar. *cit.* §. 3. & alij) non effici irregularem Presbyterum, quando in sui ordinatione, contracta suspensione ob immaturam ætatem, simul cum Episcopo verba consecrationis profert, sed quando postea non obtenta priùs dispensatione primum sacrum conficit. 4 Ordinati verò Diaconi non omnes Euangelium canunt. Quia si contingat, vt alicui hoc officium deferatur, qui se ab ordine suspensum nouit, & absque sui diffamatione, vel aliorum scandalo declinare non potest; tunc nihil obstante censura occulta obedire poterit, quia censura cùm sit de iure positiuo, non obligat cum tanto rigore, & incommodo. 5



DVBITATIO XCIV.

An Episcopi, vel alij possint dispensare super irregularitate quæ prouenit ex infamia?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Infamia est boni nominis, seu bonæ famæ diminutio, quia cùm bona fama, seu bona existimatio sit dignitatis illæsæ status legibus, ac moribus comprobatus, sequitur, quod infamia non sit aliud, quàm talis status diminutio.*

2 *Infamia est duplex, vna iuris, seu legalis: alia facti, seu popularis, ac vulgaris.*

3 *Infamia iuris, seu legalis est triplex: vna ex delicto proprio, cui ex iuris constitutione, seu iure ipso infamia annexa est: alia ex delicto alieno: alia ex officio vili, quod exercetur.*

4 *Infamia ex delicto proprio est duplex: vna quæ annectitur ipsi delicto tantùm ante iudicis sententiam: altera quæ prærequirit delicti condemnatoriam sententiam.*

5 *Infamia iuris annexa delicto tantùm ante iudicis sententiam, oritur ex delicto, cui propter suam atrocitatem ius ciuile, vel canonicum infamiã annectit.*

6 *Crimen lenocinij infamat, & ad eius infamiam incurrendam, vt lenocinium, id est prostitutionem maris, vel fœminæ quis per consuetudinem quasi exerceat, requiritur.*

7 *Contrahens bina sponsalia, seu matrimonia, quamuis inualida propria auctoritate, infamis efficitur: secus si contrahat iussu alterius cui subiicitur; quia tunc infamia refunditur in præcipientem.*

8 *Locans sua opera, vt pugnet cum bestia, nisi bestia aliis sit perniciosa, infamis efficitur.*

9 *Descendens in certamen priuatum cum alio homine quæstus causa, seu pretio accepto: secus si descendat causa fortitudinis ostendendæ, vel etiam exercendæ etiam proposito præmio.*

10 *Dux, vel miles ab exercitu dimissus ob delictum ibi commissum, vel si ob eam causam militantibus insignibus priuetur, quæ ignominiosa exauthoratio militis dicitur, infamis efficitur.*

11 *Miles cùm quis similiter sit, conducens prædia aliena negotiationis causa, infamis efficitur.*

12 *Vsurarius publicus, seu qui exercet publicè ex officio fœnus, infamis efficitur.*

13 *Periurij promissorij crimen committens, seu non adimplens cùm possit, iuramentum promissorium, quo tenebatur, infamis efficitur.*

14 *Læsæ Maiestatis tam Diuinæ, quàm humanæ Rei iure canonico ante sententiam iudicis etiam infames*

fiunt

sunt, eorumque fautores, & Cardinalium S.R.E. hostiliter insectatores, eorumque auxiliatores.

15 *Item mulierum raptores, & qui illis consilium, vel auxilium præstant, sunt infames.*

16 *Item in duellum descendentes, eorumque patrini sunt infames.*

17 *Item omnes illi, qui iure ciuili infames sunt: Nam hi omnes iure canonico etiam infames existunt; nisi infamiam à iure ciuili introductam canones speciatim abstulerint: Quemadmodum in cap. vlt. de 2. nupt. ablata est infamia decreta mulieri intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeunti.*

18 *Homagium non adimplentes iure Regio in Hispania ante iudicis sententiam etiam infames sunt, cum possint, & debeant, licet promissio iuramento firmata non sit.*

19 *Nobiles palinodiam recantantes in iudicio sunt infames.*

20 *Item sodomitæ voluntarij non vim passi sunt infames, isti enim iure communi probabiliter infames non sunt, etsi nonnulli Doctores contrarium sentiant, quatenus aiunt, quod si non iure expresso, tamen per consuetudinem, & Doctorum consensum infames sint.*

21 *Altera infamia iuris ex delicto proprio, quæ delicti vtpotè non tam atrocis sententiam condemnatoriam requirit, oritur ex condemnatione delicti publici, scilicet delicti, de quo quilibet de populo accusare potest, vti sunt crimen adulterij latè sumpti, proditionis, falsi, rapinæ, Institut. de public. iudic.*

22 *Adde insuper quædam crimina priuata, vt furti, iniuriarum, & doli mali, nam esto crimina hæc priuata sint, subsequente condemnatione tamen, infamiam inducunt.*

23 *Item infamiam incurrunt non solum qui de his criminibus proprio nomine condemnati sunt; sed etiam qui pactum fecerunt, ne de tali crimine accusarentur; siquidem intelligitur confiteri crimen qui paciscitur: Requiritur tamen & hic iudicis sententia condemnatoria de turpi pactione.*

24 *Item infamiam incurrunt, qui actione directa pro socio, tutelæ, mandati, vel depositi ob interuenientem dolum damnati sunt.*

25 *Item infamiam incurrunt, qui de calumnia per iniquam accusationem illata, vel de præuaricatione damnati sunt: Dicitur autem præuaricator quasi variator, qui diuersam, vel potiùs aduersam causam adiuuat, prodita causa sua.*

26 *Infamia ex hoc capite vt incurratur, requiritur, quod antecesserit processus ordinarius per viam accusationis, vel saltem citato, & audito reo ad sui defensionem, si iudex ex officio procedat.*

27 *Infamia ex hoc capite vt incurratur, requiritur etiam, quod sequatur sententia condemnatoria; quia sola iudicialis probatio, vel confessio criminis, non habentis ipso iure annexam infamiam, non infert infamiam iuris.*

28 *Quamuis si causa subsit, cur ordinarius iuris processus, & sententia condemnatoria non præmittatur, & reus crimen confessus, vel in illo deprehensus verberum, vel simili publica, & crimini competente pœna afficiatur, hoc ipso iuris infamiam incurrat.*

29 *Tortura cum non sit ad condemnationem, sed ad veritatis indagationem, infamiam non infert.*

30 *Infamia vt ex hoc capite incurratur, requiritur, quod sententia iudicis condemnatoria sit per sententiam definitiuam, quæ transeat in rem iudicatam; nam quousque talis sententia non accesserit, non censetur reus damnatus; & quod ab illa intrà tempus à iure definitum non fuerit appellatum; quia sicut interposita appellatio suspendit sententiam, ità etiam suspendit infamiam ex tali sententia sequentem.*

31 *Condemnatio prædicta vt infamiam inferat secundum aliquos debet esse non ex officio iudicis, sed instigante accusatore.*

32 *Damnatus ob criminis notorietatẽ aliqua pœna publica v.g. fustigationis, flagellationis, vel similium, infamiã incurrit, quia huiusmodi pœna infamiã inducũt.*

33 *Textus in l. nullam, Cod. ex quib. caus. infamia irrogatur, definiens non incurri infamiam, loquitur, quando talis pœna infligitur ad indagandam veritatem, quo casu infamia non contrahitur.*

34 *Infamia oritur secundò ex delicto alieno: Infames enim sunt iure ciuili filij proditorum, & crimen læsæ maiestatis committentium.*

35 *Infames sunt iure canonico filij, & nepotes parentum violentas manus in Cardinalem S. R. E. iniicientium, vel eum hostiliter prosequentium.*

36 *Hæreticorum filij, ad quos etiam nonnulli Doctores extendunt prædictam infamiam, quibus officia publica, & beneficia prohibentur, licet irregulares sint; non tamen infames sunt, aliàs redderentur inhabiles ad testimonium ferendum: Item si Clerici essent, priuari deberent officiis, & beneficiis habitis, cùm hæc omnia infamibus prohibeantur, quæ tamen filiis hæreticorum prohibita non sunt.*

37 *Histrionum, carnificum, & aliorum vilia officia exercentium filij nullo modo sunt infames; quia neque sunt irregulares, quia nullibi id habetur in iure, etsi nonnulli testentur in quibusdam locis, vt in Germania filios carnificum, & quorundam lictorum infames esse, ita vt non solum à publicis dignitatibus, sed etiam à mechanicis officiis repellantur.*

38 *Filij, qui ex non legitimo matrimonio nati sunt, putant complures Doctores, quod infames sint, quia infames, seu ignominia notati censentur, quapropter eorum natalium defectus dicitur, sed nullatenus infames dici possunt, cum admittantur ad actus legitimos, v.g. ad testimonium ferendum in iudicio, & ad ius hæreditatis ex testamento, tametsi iure canonico irregulares, & ad Ordines suscipiendos, & beneficia Ecclesiastica obtinenda, aliosque effectus, inhabiles existant.*

39 *Infamia oritur tertiò ex officio: sunt enim quædam officia ità vilia, vt ea exercẽtes infames fiant: Tales sunt histriones, qui in publicis obscœnis spectaculis agunt, & ob indignas repræsentationes infamia notantur.*

40 *Item tales sunt, qui cum muliere publicis eiusmodi spectaculis mancipata matrimonium contrahunt.*

41 *Carnificum, macellariorum, lictorum, & similia officia secundùm aliquos Doctores irrogant infamiam, sed absque fundamento, quia esto officia ista sint infimæ conditionis, nullo tamen iure scripto cauetur, quod ea exercentes infames fiant, quod multò magis dicendum est de filiis ipsorum; præscindendo tamen à iure municipali aliquorum locorum, &c.*

42 *Infamia altera dicitur facti, quia ex facto ipso, seclusa omni lege, oritur; nam cum fama sit dignitatis illæsæ status, legibus, ac moribus comprobatus, fit quod sanè quolibet facto, seu opere legibus, & bonis moribus cõtrario status integritas diminuatur.*

43 *Infamia hæc ex facto graui, scilicet ex peccato mortali, orta, esto generalis sit, sufficit tamẽ, quod spectato iure canonico, dum perseuerat, ab ordinib. suscipiendis infamatũ repellat, quinimò non solũ peccatũ graue, sed etiam eius vulgata opinio apud viros probos, & prudẽtes sufficit etiam, vt sic infamatũ ab ordinibus, & aliis officiis reiiciat interim dum non se purgat.*

44 *Peccata multa sunt spectato iure ciuili, quæ suos Auctores, attento eorum statu, & communitate, in qua viuunt, vilis, & abiectæ existimationis non efficiunt, neque ab officiis, & muneribus communibus reiiciunt.*

45 *Infamia facti cum sit publica notitia, vel opinio commissi criminis, per quod fama, vel existimatio hominis, spectata personæ qualitate, & statu apud viros*

viros probes, & prudentes grauiter læditur, non solùm ex publica commissi criminis euidentia; sed etiam ex communiter vulgata opinione infamia contrahatur, siquidem infamia aliud non est, quàm publicæ famæ, seu existimationis diminutio.

46 *Infamis non ex eo quis censeri debet, quod de crimine infami accusetur, nisi apud viros probes, & prudentes fama eius læsa sciatur.*

47 *Clericus quotiescumque non ex vanis, sed ex probabilibus coniecturis infamatus est de crimine, quod probari tamen non potest, indici ipsi debet purgatio canonica, vt iuret se delictum non commisisse, & a hibeat compurgatores viros honestes, qui etiam iurent se credere, purgatorem verè iurasse.*

48 *Crimen, de quo aliquis infamatus est, si graue sit, & cum scandalo iunctum, tunc superior eum intcrim suspendere debet, donec se purgauerit.*

49 *Infamatus, vt aliquis de crimine dicatur, opus est, viros probos, & prudentes talem de illo opinionem habere: nam si constet ab hominibus tantum leuibus, & imprudentibus rumorem criminis emanasse, non contrahitur infamia; quia vana voces hominum non sunt audienda.*

50 *Crimen, de quo aliquis infamatur, debet esse, tale, vt eum attento statu persone, & communitatis, in qua viuit, meritò vilis existimationis efficiat; quare si homo sæcularis in simplices fornicationes incidat, vel nimis iuret, vel similia alia crimina committere consueuerit, non contrahit infamiam facti.*

51 *Quod intellige ad contrahendos ciuiles effectus infamia: Nam ad Ecclesiasticos ordines talis inhabilis est.*

52 *Infamia facti, seu vulgaris, aut popularis aliquo modo pendet ex iuris dispositione, nempè quatenus spectat ad effectus, seu impedimenta legalia; quare facilius contrahitur hac infamia spectato iure canonico, nempè propter quodlibet peccatum mortale, in quo aliquis notoriè perseuerat.*

53 *Infames ciuili iure in primis sunt, quos ipsa legee apud viros probos, & prudentes sinistra epinione specciatim notatos significant, v.g. filij, quos pater in testamento seriò increpauit: sin verò leges non significarunt, tunc id iudicis arbitrio videtur commissum, considerata tam criminis nondum emendati grauitate, quàm etiam dignitate munerie, à quo criminosus repelli debet.*

54 *Amplia, id etiam ferè locum habere in infamia canonica; quia antiquus ille canonum rigor, vt propter quodlibet peccatum mortale infamia contrahatur, hodie non tam strictè in vsu est, saltem in ordine ad aliquos effectus infamia. Quamuis maximè in vsu essa deberet vt talis persona antequam emẽdata sit, ad Ecclesiastices ordines, & beneficia non admittatur, & testimonio illius magna fides non habeatur.*

55 *Infamee siue iuris, siue facti repellũtur à dignitatibus.*

56 *Item repelluntur ab actibus legitimis, & publicis muneribus, cuiusmedi sunt iudicis, assessoris, causarum patroni, accusatoris, testis, &c.*

57 *Infames item sunt irregulares, & proindè non possunt ad ordinas promoueri, nec in susceptis ministrare, ex communi Doctorum sententia.*

58 *Discrimen assignatur inter prædictos infames; quod infames infamia iuris sunt simpliciter irregulares, cùm ipsorum irregularitas perpetua sit; at infames infamia facti sunt irregulares secundum quid; cùm ipsorum irregularitas cesset emendatione vitæ.*

1 SVPPONO, quod infamia sit boni nominis, seu bonæ existimationis diminutio; quia, cùm bona fama, seu bona existimatio sit *dignitatis illæsa status, legibus, ac moribus comprobatus, l. cognitionem, ff. de variis, & extraordin. cognition.* sequitur, quod infamia non sit aliud, quàm talis status diminutio. Gregor. Tholos. *lib. 31. syntag. cap. 29. num. 7. Tom. I.* Suarez *disput. 48. sect. 1. num. 1.* & alij communiter.

Suppono secundò, quod infamia sit duplex, vna iuris 2
seu legalis, altera facti, seu popularis, ac vulgaris.

Infamia iuris, seu legalis est triplex, vna ex delicto 3
proprio, cui ex iuris constitutione seu iure ipso infamia annexa est; alia ex delicto alieno; alia ex officio vili, quod exercetur.

Rursus infamia ex delicto proprio est duplex; vna 4
quæ annectitur ipsi delicto tantum ante iudicis sententiam; altera, quæ præ requirit delicti condemnatoriam sententiam. Alphons. de Castr. *lib. 2. de leg. pœn. cap. vlt. circa finem,* Couarruu. *3. resolut. cap. 3. n. 2.* Auila *de censur. part. 7. disp. 4. dub. 5.* & alij passim.

Infamia iuris annexa delicto tantum, ante iudicis 5
sententiam, oritur ex delicto, cui propter suam atrocitatem ius ciuile, vel canonicum infamiam annectit. Eiusmodi est.

Primò crimen lenocinij, *l. athletas, §. ait prætor, ff.* 6
de his, qui notantur infamia, & l. palam, §. Lenocinium, ff. de ritu nupt. ex quibus tamen iuribus colligi videtur, quod opus sit ad hanc infamiam incurrendam, vt Lenocinium, idest prostitutionem maris, vel fœminæ, quasi per consuetudinem exerceas; nempè per consuetudinem marem, vel fœminam prostituas, aut suadeas, vt cum alio foroicetur.

Secundò, si bina sponsalia, seu matrimonia, quamuis 7
inualida, propria authoritate contrahas, *l. 1. & l. quid ergo, ff. de his, qui notantur infamia, & cap. nuper, de bigamis*: Secus, si contrahas iussu alterius, cui subiiceris, quia tunc infamia refunditur in præcipientem, iuxta præcitata eadem iura.

Tertiò, si loces tuam operam, vt cum bestia pugnes 8
(nisi bestia aliis sit perniciosa) *l. 1. §. item senatusconsulto, ff. de postulande.*

Quartò, si descendas in certamen priuatum cum alio 9
homine quæstus causa, seu pretio accepto, *l. 2. §. vlt. ff. de his, qui notantur infamia*: Secus si descendas causa fortitudinis ostendendæ, vel exercendæ, etiam proposito præmio (quo casu pugil, seu athleta diceris) *l. 2. Cod. de athletis, lib. 10.* & *ibi* Glossa.

Quintò, si cum sis miles, vel dux, ab exercitu dimit- 10
taris ob delictum ibi commissum, vel si ob eam causam militaribus insignibus priueris (quæ ignominiosa exauthoratio militia dicitur) *l. 1. & 2. ff. de his qui not. infam.*

Sextò, si cum sis similiter miles, prædia aliena con- 11
ducas negociationis causa, *l. vltim. ff. de locat.*

Septimò, si sis vsurarius publicus, seu ex officio pu- 12
blicè fœnus exerceas, *l. improbum fœnus, Cod. ex quib. causis infamia irrogetur.*

Octauò, si crimen periurij promissorij committas, 13
seu cum possis, iuramentum promissorium, quo teneberis, non adimpleas, *l. si quis maior, Cod. de transact. & l. quotise, Cod. de dignit. lib. 12.*

His adde, quod iure canonico ante sententiam iudicis 14
etiam infames sint læsæ maiestatis, tam diuinæ, quàm humanæ rei, eorumque fautores, & Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ hostiliter insecutores, eorumque auxiliatores, *cap. felicis. de pœnis in 6.*

Item raptores mulierum, & qui illis consilium, vel 15
auxilium præstant, iuxta Trid. Concil. *sess. 24. cap. 6. de reformat. matrimon.*

Item in duellum descendentes, eorumque patroni, 16
sess. 25. cap. 19. de reformat.

Item omnes illi, qui iure ciuili infames sunt: Nam 17
hi omnes iure canonico etiam infames existunt, iuxta generalem regulam Adriani Papæ *in cap. omnes 6. q. 1.* Ibi: *Omnes infamee esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant.* Nisi infamiam à iure ciuili introductam canones speciatim abstulerint: Quemadmodum *in cap. vltim. de secund. nupt.* ablata est infamia decreta mulieri intra annum viduitatis ad secundas nuptias transeunti, *Auth. Cod. de secund. nupt.*

Adde secundò, quod iure regio in Hispania ante 18
sententiam iudicis etiam infames sint non adimplentes

homagium, com possint, & debeant, tametsi promissio
iuramento firmata non sit, *leg. Reg. 2. tit. 5. part. 7.*

19 Item nobiles Palinodiam recantantes in iudicio, *leg.
suprà cit.*

20 Item sodomitæ voluntarij non vim passi, *leg. Reg. 4.
tit. 6. part. 7.* Isti enim iure communi probabilius infa-
mes non sunt; etsi nonnulli Doctores contrarium sen-
tiant, quatenus aiunt, quod si non iure expresso, tamen
per consuetudinem, & Doctoŭ consensum infames sint.

21 Altera infamia iuris ex delicto proprio, quæ delicti,
vtpotè non tam atrocis (vti sunt superiora, de quibus
modo diximus) sententiam condemnatoriam requirit,
oritur ex condemnatione delicti publici, scilicet delicti,
de quo quilibet de popolo accusare potest; vti sunt cri-
men adulterij latè sumpti, proditionis, falsi, rapinæ,
Institut. de public. indic. l. 1. & l. infamem, ff. eodem titulo.

22 His adde etiam quędã crimina priuata, vt furti, iniuria-
rum, & doli mali: Nam esto crimina hæc priuata sint,
subsequente condemnatione tamen infamiam inducunt,
l. 1. & l. athletas, §. vltim. ff. de his, qui not. infam.

23 Item infamiam incurrunt non solùm qui de his crimi-
nibus proprio nomine condemnati sunt, sed etiam qui
pactum fecerunt, nè de tali crimine accusarentur, *cit. l.
athletas, §. vlt. Siquidem intelligitur confiteri crimen, qui
paciscitur, l. seq. ff. eodem.* Requiritur tamen & hîc iudi-
cis sententia condemnatoria de turpi pactione.

24 Item infamiam incurrunt, qui actione directa, pro
socio, tutelæ, mandati, vel depositi ob interuenientem
dolum damnati sunt, de quibus Molina *tract. 4. disp. 9.
n. 6. & 21.*

25 Item infamiam incurrunt, qui de calumnia per ini-
quam accusationem illata, vel de præuaricatione dam-
nati sunt, *cit. l. athletas, §. calumniator, & §. Item præua-
ricator*: Dicitur autem præuaricator, quasi variator, qui
diuersam, vel potius aduersam causam adiuuat, prodita
causa sua.

26 Requiritur autem ad infamiam ex hoc capite incur-
rendam, quod antecesserit processus ordinarius per viam
accusationis, vel saltem citato, & audito reo ad sui de-
fensionem, si iudex ex officio procedat. DD. communiter,
quos sequitur Clar. *lib. 5. sent. §. practica crimin. q. 72.
num. 3.*

27 Requiritur etiam, quod sequatur sententia condem-
natoria; quia sola iudicialis probatio, vel confessio cri-
minis non habentis ipso iure annexam infamiam, non
infert infamiam iuris. Barthol. *in l. infamem, ff. de public.
indic.* Angel. *verb. infamia, n. 6.* & alij passim.

28 Quamuis, si causa subsit, cur ordinarius iuris proces-
sus, & sententia condemnatoria non prę mittatur, & reus
crimen confessus, vel in illo deprehensus verberum, vel
simili publica, & crimini competente pœna afficiatur,
hoc ipso iuris infamiam incurrat, vt mox infrà dicetur.

29 Tortura tamen cum non sit ad condemnationem, sed ad
veritatis indagationem, infamiam non infert, *l. nullam,
Cod. ex quib. caus. infamia irrogatur*, & Gloss. *ibidem.*

30 Requiritur tandem, quod sententia iudicis condem-
natoria sit per sententiam definitiuam, quæ transeat in
rem iudicatam: Nam quovsque talis sententia non ac-
cesserit, non censetur reus damnatus, *argum. l. 1. ff. de his,
qui notantur infamia, & cit. l. infamem, ff. de public. indic.*
& tradunt Syluest. *verb. infamia, num. 12.* & Nauarrus
cap. 25. n. 73. Et quod ab illa intra tempus à iure defi-
nitum non fuerit appellatum; quia sicut interposita
appellatio suspendit sententiam, ita etiam suspendit in-
famiam ex tali sententia sequentem. Doctores commu-
niter, inter quos Molina *tract. 3. disp. 9. n. 4.*

31 Quinimmò quidam (vt Abb. *in cap. inquisitiones, de
accusat. n. 2. & Suar. disput. 48. sect. 1. n. 6.*) volunt, quod
ista condemnatio debeat esse non ex officio iudicis, sed
instigante accusatore.

32 At quidquid sit de hoc, illud certum est, quod si ob
criminis notorietatem damnatus sit alicui pœnæ publi-
cæ, v. g. fustigationis, flagellationis, vel similium, infa-
miam incurrat, vti supra dicebam; quia huiusmodi
pœnæ infamiam inducunt, ex *l. ictus, ff. de his qui notant.
infam. & l. fustibus, Cod. ex quibus causis infamia irro-
gatur*, & docet Gloss. *in l. nullam, §. quæstione; Cod. eo-
dem*, & Molina *cit. disp. 9. n. 19.*

Non obstat, quod citata *l. nullam, Cod. eod. tit.* definiat, 33
non incurri infamiam; quia (vt aduertit Molina *loc.
supra cit.*) hæc lex loquitur, quando talis pœna infli-
gitur ad indagandam veritatem: Quo casu quidem in-
famia non contrahitur, vti suprà dicebam de tortura.

Secundò, oritur infamia ex delicto alieno: Infames 34
enim sunt iure ciuili filij proditorum, & crimen Læsæ
Maiestatis committentium, *l. quisquis, §. filij Cod. ad
leg. Iul. Maiest.*

Item infames sunt iure Canonico filij, & nepotes 35
patentum violentas manus in Cardinalem S. R. Ecclesiæ
inijcientium, vel eum hostiliter persequentium, *cap.
felicis, vers. quod si quis, de pœnis in 6.*

Nonnulli Doctores id extendunt ad filios hæretico- 36
rum, quibus officia publica, & beneficia prohibentur.

At, licet huiusmodi filij irregulares sint, non tamen
infames sunt; alias redderentur inhabiles ad testimo-
nium ferendum, iuxta Textum *in cap. testimonium, &
in cap. licet, de testibus.* Item, si clerici essent, priuari
deberent officiis, & beneficiis habitis, cùm hæc omnia
infamibus prohibeantur: quæ tamen filiis hæreticorum
prohibita non sunt, vti infrà suo loco dicetur. Vide
Suar. *de fide disp. vlt. sect. vlt. n. 7.* & Sanch. *lib. 2. moral.
cap. 28. n. 5.*

Filij autem Histrionum, Carnificum, & aliorum vi- 37
lia officia exercentium nullo modo sunt infames, quin
neque sunt irregulares; quia nullibi id habetur in iure.
Doctores, quos sequitur Soarez *de censuris disp. 48.
sect. 3. in fine.* Etsi nonnulli testentur, in quibusdam
locis, vt in Germania, filios carnificum, & quorum-
dam lictorum infames esse, ita vt non solùm à publi-
cis dignitatibus, sed etiam à mechanicis officiis repel-
lantur.

Filij, qui ex non legitimo matrimonio nati sunt, pu- 38
tant complures Doctores, quod infames sint; quia infa-
mes seu ignominia notati censentur. Quapropter eorum
natalium defectus dicitur, vti notauit Abb. *in cap. per
venerabilem, n. 3. qui filij sunt legitimi*, & fauet *lex regia
2. tit. 6. part. 7.* Sed (vt rectè Couarr. *pract. quæst. cap. 19.
n. 6.* & Molina *tract. 4. disp. 7. n. 5.* dixerunt) nullatenus
infames dici possunt; cum admittantur ad actus legiti-
mos, v. g. ad testimonium ferendum in iudicio, & ad
munera publica, v. g. Tabellionatus, & Decurionatus,
l. generaliter, §. spurios, & l. spurij, ff. de decurionibus,
& ad ius hæreditatis ex testamento; vt si quis carens
ascendentibus, & descendentibus illegitimum instituit,
à fratre testatoris per querelam testamenti inofficiosi,
quasi vilis, & infamis persona instituta esset, repelli
non possit. Doctores, quos sequitur Molina *tract. 4.
disput. 7. n. 5.*

Tametsi iure canonico irregulares, & ad ordines
suscipiendos, & beneficia Ecclesiastica obtinenda, aliosque
effectus, inhabiles existant.

Tertiò oritur infamia ex officio: Sunt enim quædam 39
officia ita vilia, vt ea exercentes infames fiant. Tales
sunt histriones, qui in publicis obscœnis spectaculis
agunt, & ob indignas repræsentationes infamis notan-
tur, *l. 1. & 2. §. vltim. ff. de his qui not. infamia, cap. defi-
nimus 4. q. 1. & cap. aliquantos, dist. 51.* & tradit Henriq.
lib. 14. cap. 15. n. 4. & Auila *de censur. part. 7. disput. 4.
dub. 5. concl. 2.*

Item tales sunt, qui cum muliere publicis eiusmodi 40
spectaculis mancipata matrimonium contrahunt, *cap.
si quis viduam, dist. 34.*

Præter supradictum officium histrionum, seu sce- 41
nicorum alij Doctores enumerant officium carnificum,
macellariorum, lictorum, & similium; sed absque funda-
mento; quia esto officia ista sint infimæ conditionis, nullo
tamen iure scripto cauetur, quod ea exercentes infames
fiant: Quod multò magis dicendũ est de filiis ipsorum,
præscin

præſcindendo tamen à iure municipali aliquorum locorum, vt de filijs carnificum, & quorumdam lictorum ſupra dicebam in Germania, ad mentem aliquorum Doctorum.

42 Altera infamia dicitur facti; quia ex facto ipſo, ſecluſa omni lege, oritur: Nam cùm fama ſit, *dignitatis illæſa ſtatus legibus, ac moribus comprobatus*, vti ſupra dicebam, fit, quod ſanè quolibet facto, ſeu opere legibus, &
43 bonis moribus contrario ſtatus integritas diminuatur. Hæc infamia ex facto graui, ſcilicet ex peccato mortali orta, eſto generalis ſit, ſufficit tamen, quod ſpectato iure canonico, dum perſeuerat, ab ordinibus ſuſcipiendis infamatum repellat, ex *cap. teſtimonium, de teſtibus, & ex cap. alieni 2. q. 7.*

Quinimmò non ſolùm peccatum graue, ſed etiam eius vulgata opinio apud viros probos, & prudentes ſufficit etiam, vt ſic infamatum ab ordinibus, & alijs officijs teneiat interim, dum non ſe purgat, iuxta textum *in cap. quoties, & cap. inter, de purgat. canonic.* Quia non decet in clericum aſſumi, & officia honorifica exercere illum, cuius exiſtimatio, ſeu opinio grauata eſt.

44 Dixi, ſpectato iure canonico; quia ſpectato iure ciuili, multa ſunt peccata, quæ ſuos authores, attento eorum ſtatu, & communitate, in qua viuunt, vilis, & abiectæ exiſtimationis non efficiant, neque ab officijs, & muneribus communibus reijciant. Doctores, quos ſequitur Molina *de iuſt. tract. 4. diſp. 7. n. 6.*

45 Hinc ſequitur, quod (cùm infamia facti ſit publica notitia, vel opinio commiſſi criminis, per quod fama, vel exiſtimatio hominis, ſpectata perſonæ qualitate, & ſtatu, apud viros probos, & prudentes grauiter læditur, vti patet ex dictis, & colligitur *ex l. ea quæ pater, Cod. ex quib. cauſ. infam. & ex cap. vltimo, de tempor. ordinat.*) non ſolùm ex publica commiſſi criminis euidentia, ſed etiam ex communiter vulgata opinione infamia contrahatur; ſiquidem infamia aliud non eſt, quàm publicæ famæ, ſeu exiſtimationis diminutio, vti
46 ſupra dicebam. Verùm, etſi de crimine infami aliquis accuſetur, non tamen propterea infamis cenſeri debet, niſi apud viros probos, & prudentes fama eius læſa ſciatur, vti etiam ſuprà dicebam, & tradunt Oſtienſis *in cap. meminimus, de accuſat.* Nauarrus *lib. 5. conſ. 7. de accuſat. edit. 2.* & alij paſſim.

47 Quo caſu, & quotieſcumque clericus non ex vanis, ſed ex probabilibus coniectoris infamatus eſt de crimine, quod probari tamen non poteſt, indici ipſi debet purgatio canonica, vt iuret, ſe delictum non commiſiſſe, & adhibeat compurgatores viros honeſtos, qui etiam iurent, ſe credere, purgatorem verè iuraſſe, iuxta textum *in cap. quoties, de purgat. canon.* & tradit Simancha *de cathol. inſtitut. cap. 56.*

48 Quod ſi crimen, de quo aliquis infamatus eſt, graue ſit, & cum ſcandalo iunctum, tunc ſuperior eum interim ſuſpendere debet, donec ſe purgauerit, ſicuti colligitur *ex cap. inter, eodem tit.*

49 Sequitur ſecundò, quod vt aliquis de crimine infamatus dicatur, opus ſit, viros probos, & prudentes talem de illo opinionem habere: Nam ſi conſtet, ab hominibus tantum leuibus, & imprudentibus rumorem criminis emanaſſe, non contrahitur infamia; quia vanæ voces hominum non ſunt audiendæ, *l. decurionum, Cod. de pœnis.* Videatur Abb. *in cap. quæſitum, de accuſat. numer. 4. & in cap. qualiter 2. eod. tit. num. 19.*

50 Sequitur tertiò, quod crimen, de quo aliquis infamatur, debeat eſſe tale, vt eum, attento ſtatu perſonæ, & communitatis, in qua viuit, meritò vilis exiſtimationis efficiat. Quarè, ſi homo ſæcularis in ſimplices fornicationes incidat, vel nimis iuret, vel ſimilia alia crimina committere conſueuerit, non contrahit infamiam facti. Molin. *loc. ſuprà cit. diſput. 7. num. 6.*

51 Quod intellige ad contrahendos ciuiles effectus infamiæ: Nam ad Eccleſiaſticos ordines talis inhabilis eſt, vti conſtat *ex can. 17. Apoſt.* & ex iis, quæ infrà dicentur.

Sequitur quarto, quod etiam infamia facti, ſeu vulgaris, aut popularis aliquo modo pendeat ex iuris diſ- 52
poſitione, nempè quatenus ſpectat ad effectus, ſeu impedimenta legalia. Vndè faciliùs contrahitur hæc infamia ſpectato iure canonico, nempè propter quodlibet peccatum mortale, in quo aliquis notoriè perſeuerat, *cap. teſtimonium, de teſtib. cap. conſtituimus 3. quæſt. 5. cap. alieni 2. q. 7. cap. Infames, & cap. illi 6. quæſt. 1.*

Ciuili autem iure infamea in primis ſunt, quos ipſæ 53
leges apud viros probos, & prudentes ſiniſtra opinione ſpeciatim notatos ſignificant, v. g. filij, quos pater in teſtamento ſeriò increpauit, *cit. l. ea quæ pater*: Sin verò leges non ſignificarunt, tunc id iudicis arbitrio videtur commiſſum, conſiderata tam criminis nondum emendati grauitate, quàm etiam dignitate muneris, à quo criminoſus repelli debet.

Quod ferè etiam locum habet in infamia canonica; 54
quia antiquus ille canonum rigor, vt propter quodlibet peccatum mortale infamia contrahatur, hodie non tam strictè in vſu eſt, ſaltem in ordine ad aliquos effectus infamiæ. Quamuis maximè in vſu eſſe deberet, vt talis perſona antequam emendata ſit, ad Eccleſiaſticos ordines, & beneficia non admittatur, & teſtimonio illius magna fides non habeatur.

Suppono tertiò, quod infamea, ſiue iuris, ſiue facti 55
repellantur à dignitatibus, *vt ſect. ſeq.* dicetur.

Item repellantur ab actibus legitimis, & publicis 56
muneribus, cuiuſmodi ſunt iudicis, aſſeſſoris, cauſarum patroni, accuſatoris, teſtis, &c. *cauſ. 3. q. 7. cap. licet, & cap. teſtimonium, de teſtibus.* Et tradunt Sylueſter *verb. infamia, q. 8.* Gregor. Tholoſ. *lib. 31. ſyntag. cap. 29. n. 7.* & Molin. *tom. 4. diſp. 11.*

Item ſint irregulares, ac proinde non poſſint ad or- 57
dines promoueri, nec in ſuſceptis miniſtrare. Quæ eſt communis ſententia Doctorum apud Nauarr. *cap. 27. num. 204.* Suar. *diſput. 48. ſect. 2.* & Aulain *de cenſur. part. 7. diſp. 4. dub. 5. ex cap. infames 6. q. 1. ex cap. qui in aliquo, diſt. 51. ex cap. omnipotens, de accuſat. & ex Regul. infamibus, de Regul. iur. in 6.* Puros enim, & immaculatos, non autem infamatos in clerum, ſeu ſortem Domini, & ſacrum eius miniſterium aſſumi conuenit. Vide Scholaſticos *in 4. diſt. 25.* & ibi Ricchard. *art. 6.*

Eſt tamen diſcrimen inter prædictos infames, quod 58
infames infamia iuris ſunt ſimpliciter irregulares, cùm ipſorum irregularitas perpetua ſit: At infames infamia facti ſunt irregulares ſecundum quid; cùm ipſorum irregularitas ceſſet emendatione vitæ, vt infrà dicetur. His ſuppoſitis.

SECTIO II.

Dubitationis Reſolutio.

SVMMARIVM.

1 *Pontifex quatenus ſpectat ad effectus iure canonico indictos perſonis infamibus, poteſt ſuper illos diſpenſare: Poteſt enim abſolutè infames ad ordines & beneficia promouere; ſed quia talis promotio non expedit, niſi purgata infamia, & perſona in priſtinum ſtatum reſtituta, id nunquam præſtabit, niſi prius infamiam abſoluerit.*

2 *Pontifex poteſt infamiam iuris à quolibet clerico abolere; quia ſuæ iuriſdictioni ſubditus eſt; à laico verò non poteſt, niſi vel ipſe, vel iudex infamiam irrogans, Pontificis iuriſdictioni ſubdiens ſit.*

3 *Princeps ſæcularis etiam infamiam iure ciuili indictam à ſubditis ſuis abolere poteſt, qua abolita, ceſſat irregularitas, quæ in illa fundabatur.*

4 *Episcopus non potest dispensare cum infamibus, vt ad ordines ascendant, potest tamen dispensare cum illis, vt in susceptis ministrent post peractam pœnitentiam, si delicta, ex quibus infamia contracta fuerat, sint adulterio minora.*

5 *Infamiam auctoritatiuè abolere, seu tollere spectat ad principem comparatiuè ad subditos suos; v. g. spectat ad Pontificem Ecclesiasticas personas quascumque in qualibet Republica degentes, quæ ex quacumque causa infamiam iuris contraxerunt, pristinæ famæ restituere; quin & laicos ex plenitudine suæ potestatis vltra casum supradictum restituere etiam poterit, si videlicet eos in clericalem statum per sacram ordinationem ex causa recipiendos putauerit.*

6 *Infamia facti ex communi Doctorum opinione aboletur emendatione vitæ; saltem si emendatio vitæ fuerit per triennium continuata, quia infamia, quæ oritur ex facto, adhæret facto, ex quo infertur, quòd facto cessante, cesset infamia.*

1 Respondetur, & dico primò. Quatenus spectat ad effectus iure canonico indictos personis infamibus, potest Pontifex super illos dispensare: Potest enim absolutè infames ad ordines, & beneficia promouere; sed quia talis promotio non expedit, nisi purgata infamia, & persona in pristinum statum restituta, Pontifex id nunquam præstabit, nisi prius infamiam aboleuerit.

2 Infamiam autem iuris à quolibet clerico abolere potest; quia suæ iurisdictioni subditus est: à laico verò non potest, nisi vel ipse, vel iudex infamiam irrogans, Pontificis iurisdictioni subditus sit. Doctores, quos sequitur Molina *tract.* 4. *disp.* 10. *n.* 3. & colligitur *ex cap. cum te, de sent. & re iudic.*

3 Dico secundò. Princeps sæcularis etiam infamiam iure ciuili indictam à subditis suis abolere potest; qua abolita, cessat irregularitas, quæ in illa fundabatur. Suar. *disput.* 48. *sect.* 2. *n.* 4. & 10. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 3. & Auila *part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 5.

4 Dico tertiò, Episcopus non potest dispensare cum infamibus, vt ad ordines ascendant, potest tamen dispensare cum illis, vt in susceptis ministrent post peractam pœnitentiam, si delicta, ex quibus infamia contracta fuerat, sint adulterio minora. Abb. *in cap. cum te, de sent. & re indic. n.* 15. Molina *tract.* 4. *disp.* 10. *n.* 6. Henriq. & Auila *in locis supra cit.* & colligitur *ex cap. At si clerici*, §. *de adulteriis, de iudic.*

5 Hinc sequitur, quod authoritatiuè abolere, seu tollere infamiam iuris spectet ad Principem, comparatiuè ad subditos suos, v. g. spectat ad Pontificem Ecclesiasticas personas quascumque in qualibet Republica degentes, quæ ex quacumque causa infamiam iuris contraxerunt, pristinæ famæ restituere. Doctores, quos sequitur Molina *cit. disp.* 10. *n.* 4. Quin & laicos ex plenitudine suæ potestatis, vltra casum supradictum, restituere etiam poterit, si scilicet eos in clericalem statum per sacram ordinationem ex causa recipiendos putauerit. Syluest. *verb. infamia, q.* 12. & Molina *loco suprà citato.*

6 Cæterum, si loquamur de infamia facti, conueniunt Doctores, Abb. *in cap. Inquisitionis, de accusat. & cap. ex diligenti, de simonia, n.* 6. Syluest. *verb. infamia, n.* 11. Molina *vbi suprà*, Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 3. Garzias *de benefic. part.* 7. *cap.* 8. *num.* 64. & alij communiter, quod talis infamia aboleatur emendatione vitæ, saltem si emendatio vitæ fuerit per triennium continuata. Clar. *lib.* 5. *sent.* §. *vltim. q.* 21. *n.* 2. & alij passim; quia infamia, quæ oritur ex facto, adhæret facto: Ergo eo facto cessante, cessat infamia, sicuti colligitur *ex cap. si duo* 15. *q.* 6. Ibi: *Infames effecti donec ab incepto crimine desistant.*

SECTIO III.

Petitio Prima.

An alicui alteri crimini præter ea, quæ dicebantur supra, irregularitas annexa sit?

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas licet secundum aliquos Doctores annexa sit alicui alteri crimini præter ea, quæ superius recensita sunt, quatenus aiunt, omnia crimina depositione digna irregularitatem inducere; Dicendum tamen est oppositum; quia ex sacris Canonibus ex nullo crimine depositione digno, si occultum sit, homo à sacris ordinibus prohibendus est.*

2 *Adulterij, periurij, homicidij, vel falsi testimonij crimina proposita, ordine iudiciario si probata, vel alias nota non fuerint, non debent ij, præter reos homicidij post pœnitentiam in susceptis ordinibus, vel suscipiendis impedire.*

3 *Crimina prædicta quando publica, vel notoria sunt, tunc non ratione criminis præcisè, sed ratione infamiæ inde exortæ ab ordinibus repelluntur.*

Respondetur: licet nonnulli, quos sequitur Maiolus *lib.* 4. *de irregular. cap.* 23. & *lib.* 5. *cap.* 1. & 12. affirment; quatenus aiunt, omnia crimina depositione digna, irregularitatem inducere: Dicendum esse tamen oppositum, nulli scilicet alteri crimini præter ea, quæ dicebantur sect. præcedenti, irregularitatem annexam esse. Atque ita tenent Nauarr. *c.* 27. *n.* 248. Henriq. *lib.* 13. *cap.* 36. & Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 7. 1

Probatur ex Textu, *in cap. ex tenore, de tempor. ordinat.* vbi expressè dicitur, quod ex nullo crimine depositione digno, si occultum sit, homo à sacris ordinibus prohibendus sit.

Secundò probatur ex Textu *in cap. vltimo, eod. tit.* vbi habetur, quod si proposita crimina (scilicet adulterij, periurij homicidij, vel falsi testimonij) ordine iudiciario probata, vel alias notoria non fuerint, non debeant ij (præter reos homicidij) post pœnitentiam in susceptis ordinibus, vel suscipiendis impediri. 2

Quando verò hæc crimina publica, vel notoria sunt, tunc non ratione criminis præcisè, sed ratione infamiæ indè exortæ ab ordinibus repelluntur, vti supra dicebam. 3

SECTIO IV.

Petitio Secvnda.

Quodnam discrimen sit inter infamiam iuris, & facti?

SVMMARIVM.

1 *Discrimen est inter infamiam iuris, & facti; quod infamia iuris aboletur dispensatione superioris; quia perseuerat post crimen commissum, & emendatum, vtpotè effectus iure positiuo inductus; at infamia facti aboletur sola emendatione vitæ.*

2 *Textus in cap. at si clerici, §. de adulteriis, de iudiciis, non loquitur de infamia facti, sed de infamia iuris orta ex sententia iudicis.*

Respondetur, discrimen esse, quod infamia iuris aboletur dispensatione Superioris; quia perseuerat post crimen commissum, & emendatum, vtpotè effectus iure positiuo inductus. At infamia facti aboletur sola emendatione vitæ; Abb. *in cap. ex diligenti, de simon.* Nauarr. *cap.* 27. *n.* 204. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 15. *n.* 3. & Auila *part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 5. *concl.* 2. 1

Obiicies:

2 Obiicies. *In cap. At si clerici, §. de adulteriis, de iudic.* habetur quod de adulteriis, & aliis criminibus, quæ sunt minora, potest Episcopus post peractam pœnitentiam cum clericis dispensare; Ergo signum est, quod talis infamia non abluitur per solam pœnitentiam.

Respondetur: Nego consequentiam; quia Textus ille non loquitur de infamia facti, sed de infamia iuris orta ex sententia iudicis, vt colligitur ex §. antecedenti, ibi: *Si verò coram Episcopo de criminibus in iure confessi sunt, seu legitima probatione conuicti, &c.*

At de hac re vide diffusiùs infrà *petit. penult. & vlt.*

SECTIO V.

PETITIO TERTIA.

An infamia iuris (saltem quæ annexa est crimini tantùm, ante iudicis sententiam) & quæ inde nascitur irregularitas, contrahatur ob solam admissionem criminis, licèt occultum maneat, seu in publicam notitiam non deueniat?

SVMMARIVM.

1 *Infamia iuris saltem quæ annexa est crimini tantùm ante iudicis sententiam, & quæ inde nascitur irregularitas, secundùm aliquos contrahitur ob solam admissionem criminis, licèt occultum maneat, seu in publicam notitiam non deueniat; quatenùs aiunt, ex delicto etiam occulto infamiam incurri; & quatenùs aiunt eum, qui occultè commisit crimen, cui infamia ipso iure annexa est, teneri abstinere ab ordinibus, tanquam irregularem, si cesset pericu-*
2 *lum se infamandi. Sed opinio etiam negatiua est probabilis: quatenùs aiunt, quamuis ex ipso crimine infamia proueniat, nihilominùs illius manifestationem, seu publicationem requiri tanquam conditionem, sine qua non, vt infamia contrahatur.*

3 *Infamia est famæ, seu bonæ æstimationis diminutio: quæ diminutio non oritur, dum crimen est occultum: nam cùm infamia consistat essentialiter in diminutione famæ, pœna infamiæ cum suis effectibus incurri saltem completè non potest ante publicationem criminis: quo tamen publicato, statim sine omni sententia iudicis, infamia indelebilis, & irregularitas propriè dicta contrahitur.*

4 *Delinquens, si timetur crimen esse publicandum, & consequenter infamiam esse contrahendam, tenetur abstinere ab omnibus illis actibus, à quibus infames abstinent: aliàs exponit se periculo depositionis, & annullationis à iudice facienda.*

1 AFfirmant, & quidem probabiliter, Syluest. *verb. irregularitas, quæst.* 14. S. Antonin. *part. 3. tit.* 28. *cap. 6. §. 7.* Suarez *disp. 48. sect. 1. n.* 17. & alij multi; quatenùs aiunt, ex delicto, etiam occulto, infamiam incurri; & quatenùs aiunt, eum, qui occultè commisit crimen, cui infamia ipsn iure annexa est, teneri abstinere ab Ordinibus, tanquam irregularem, si cesset periculum, se infamandi, &c.

Probatur, quia in casu, de quo loquimur, infamia non contrahitur ex manifestatinne criminis, sed ex ipso crimine.

2 Negant verò, & etiam probabiliter Glossa *in cap. Inquisitionis, de accusat.* Abbas *in cap. ex tenore, de tempor. ordinat.* Coustr. *3. var. resol. cap. 3. num.* 2. Henriq. *lib. 13. cap. 36.* & Auila *de censur. part. 7. disp. 4. dub. 7. conclus. 1.* quatenùs aiunt, quamuis ex ipso crimine infamia proueniat, nihilominus illius manifestationem, seu publicationem requiri, tanquam conditionem sine qua non, vt infamia contrahatur; Et quatenùs regulam tradunt *ex cap. vlt. de tempor. ordinat. Per nullum crimen occultum, excepto homicidio,* (adde tu violationem censuræ Ecclesiasticæ) *irregularitatem contrahi.*

Probatur, quia infamia est famæ, seu bonæ æstimationis diminutio; sed dum crimen est occultum, fama, seu bona æstimatio delinquentis non diminuitur; Ergo ex crimine, dum est occultum, infamia, sicque irregularitas, oriri non potest: Nam cùm infamia consistat essentialiter in diminutione famæ, pœna infamiæ cum suis effectibus incurri saltem completè, non potest ante publicationem criminis: quo tamen publicato, statim sine omni sententia iudicis, infamia indelebilis, & irregularitas propriè dicta contrahitur, vt mox infrà ex dicendis clariùs apparebit. 3

Cum his tamen, quæ modò dixi, stat, quod, si timetur, crimen esse publicandum, & consequenter infamia contrahenda, teneatur delinquens abstinere ab omnibus illis actibus, à quibus infames abstinent; aliàs exponit se periculo depositionis, & annullationis à iudice faciendæ, vt præter alios aduertit Suar. *loc. suprà cit. num.* 16. 4

SECTIO VI.

PETITIO QVARTA.

An Infamis repellatur à dignitatibus?

SVMMARIVM.

1 *Infamis repellitur à dignitatibus, siue infamia sit iuris, siue per sententiam, siue per malam, & improbam vitam: quod multo magis ex canonico iure locum habet in ordine ad dignitates Ecclesiasticas, vtpotè quæ à purioribus administrari debent.*

2 *Idem debet intelligi de quibuscumque Ecclesiasticis Beneficiis, quod ab infami acquiri non possunt, adeò vt nomine dignitatum comprehendantur personatus, & Beneficia quælibet Ecclesiastica, quin & officia publica Reipublicæ, Iudicis, Assessoris, Aduocati, Tabellionis, & similium.*

3 *Discrimen est inter infamiam iuris, seu legalem, & inter infamiam facti, seu popularem, quod prior infamia non tantùm repellit à Dignitatibus, & Beneficiis acquirendis; sed etiam priuat quæsitis, quia sicut Miles per contractam infamiam priuatur iure militari, ita multo magis Miles spiritualis per contractam infamiam priuatur iure Ecclesiastico.*

4 *Iudicis tamen sententia requiritur ad executionem.*

5 *Limita id intelligi solùm de Dignitatibus, non de aliis minoribus Beneficiis, quorum priuatio non incurritur ipso iure per infamis criminis admissionem, cùm id iure expressum non reperitur, sed solùm post iudicis sententiam.*

6 *Infamia facti, seu popularis repellit quidem ipso iure à dignitatibus, & beneficiis acquirendis, non tamen priuat ante quæsitis: cum id nullo iure expressum inueniatur: quare priuatio dignitatis à legitimo Superiore inferenda erit, si crimen depositione dignum sit.*

7 *Accusatus de crimine eligi non potest, si infamia præcessit: sin minùs, eligi quidem potest, ne malitiosè accusatio prætendatur: sed interim promouendus, seu instituendus non est.*

8 *Electio, seu collatio beneficij facta infami ipso iure nulla est, si loquamur de infamia iuris, cum hic vnus esse videatur effectus ex effectibus sententiæ, vel à canone, vel ab homine inflictæ.*

9 *Si verò loquamur de infamia facti, triplex est sententia: Affirmatiua, ex eo, quia omnis irregularitas beneficij collationem præcedens, reddit*

ipsam subsequentem irritam: Negatiua, ex auctoritate aliquorum Doctorum: Alij verò procedunt cum distinctione de foro externo, & interno. Hinc.

10 *Iudex in foro externo beneficij electionem, seu collationem factam moribus infami perinde cassare debet, ac si à principio irrita illa fuisset.*

11 *Electus in foro conscientiæ, vel prouisus, si vitæ emendatione infamiam, & consequenter irregularitatem abstergere velit, non obligatur ad resignandum beneficium: quia cùm talis criminosus, nec à iure, nec ab homine condemnatus sit, non videtur ad id obligari, si se ad beneficium habilem reddere voluerit.*

12 *Prouisus in irregularitate iuxta sententiam aliquorum beneficium retinere potest, si super sola irregularitate dispensationem impetraturus speret.*

13 *Infames à dignitatibus, beneficiis, & officiis obtinendis sic exclusi sunt, vt eorum prouisio irrita, seu nulla sit, iuxta communem sententiam Doctorum; quia Ecclesia, & Respublica à suis dignitatibus, beneficiis, & officiis, seu muneribus eos excludit quantum potest per illa verba:* Infamibus portæ non pateant dignitatum.

14 *Prouisio supradictorum in foro conscientiæ valida videtur quousque à iudice rescindatur: idque forsan etiamsi prouisus sit infamis infamia iuris: quia annullatio actus vtpotè odiosa absque manifesto textu induci non debet, & nullus est Textus, qui hanc annullationem inducat ipso iure.*

15 *Infamia si superueniat Dignitatum, Officiorum, vel Beneficiorum possessioni, quamuis iure ipso priuationem illorum inducat, non tamen infamis tenetur ea abdicare à se, quousque sententia iudicis, saltem declaratoria criminis, accedat.*

16 *Infamia si facti sit, non iuris, dignitatibus, officiis, vel beneficiis ante quæsitis non priuat ipso iure, ex communi Doctorum sententia.*

1 Respondetur affirmatiuè *ex l. vnica, Cod. de infamib. lib. 10. & ex l. 2. Cod. de dignitatibus lib. 12.* ibi: *Neque famosis, & notatis, & quos scelus, & vita turpitudo inquinat, & quos infamia ab honestorum Cœtu segregat, dignitatis porta patebunt.*

Quibus verbis admonet ibi Gloss. omnem infamiam comprehendi, siue sit iuris, siue per sententiam, siue per malam, & improbam vitam: quod totum multo magis ex Canonico iure locum habet in ordine ad dignitates Ecclesiasticas, vtpotè quæ à purioribus administrari debent, *cap. inter dilectos, de excessib. Prælat.* ibi: *Cùm personis vilibus, & indignis porta dignitatis patere non debeant, iuxta legitimas sanctiones:* Et *regul. 87. in 6. Infamibus porta non pateant dignitatum.* Et
2 debet intelligi de quibuscumque Ecclesiasticis beneficiis, quod ab infami acquiri non possint: adeò vt nomine dignitatum comprehendantur personatus, & beneficia quælibet Ecclesiastica, quin & officia publica Reipublicæ, Iudicis, Assessoris, Aduocati, Tabellionis, & similium, sicuti dicebam *sect. præced.* supposito tertio, & tradit Abb. *in cap. querelam, de iureiur.* Couarru. 3. *var. cap. 3. num. 3.* & Molin. *tract. 4. disp. 11. num. 3.*

3 Est tamen inter infamiam iuris, seu legalem, & inter famiam facti, seu popularem discrimen, quod prior infamia non tantùm repellit à dignitatibus, & beneficiis acquirendis, sed etiam priuat quæsitis, vti colligitur *ex cit. l. vnica, Cod. de infamib. lib. 10.* & docent Syluest. *verb. infamia, num. 15.* Armilla *eodem verbo num. 4.* Couarr. *in pract. quæst. cap. 19. num. 5.* Molina *loc. suprà cit.* & alij passim: quia, sicut miles per contractam infamiam priuatur iure militari, *l. 2. §. miles, ff. de his qui not. infam.* ita multo magis miles spiritualis per contractam infamiam priuatur iure Ecclesiastico, vt ibi argumentatur Glossa.

Requiritur tamen sententia iudicis ad executionem: 4
Doctores communiter, quos sequitur Molin. *vbi supr.*

Præterea debet intelligi solùm de dignitatibus, non 5
de alijs minoribus beneficiis, quorum priuatio non incurritur ipso iure per infamis criminis admissionem; cùm id iure expressum non reperiatur: sed solùm post iudicis sententiam. Syluest. & Molin. *in locis suprà cit.* Garzias *de benefic. part. 7. cap. 8. num. 37.* & videri poterit Glossa *in cap. vltimo, verb. exui, de iureiurando.*

At verò posterior infamia, scilicet facti, seu popula- 6
ris, repellit quidem ipso iure à dignitatibus, & beneficiis acquirendis, non tamen priuat ante quæsitis: cùm id nullo iure expressum inueniatur. Vnde priuatio dignitatis à legitimo superiore inferenda erit, si crimen depositione dignum sit. Molin. *loco supra cit.* Garzias *num. 35.* Henriq. *lib. 14. cap. 5. num. 3.* & Auila *part. 7. dispat. 4. dub. 5. concl. 1.* Et videri poterit Abb. *in cap. omnipotens, de accusat.* vbi tractans, an accusatus de cri- 7
mine eligi possit, respondet negatiuè, si infamia præcessit; sin minùs, eligi quidem posse, ne malitiosè accusatio prætendatur; sed interim promouendum, seu instituendum non esse.

An autem electio, vel collatio beneficij facta infami, 8
ipso iure nulla sit?

Respondetur: Si loquamur de infamia iuris, videtur ipso iure nulla esse: cum hîc vnus esse videatur effectus ex effectibus sententiæ, vel à Canone, vel ab homine
inflictæ: sic communiter Doctores. Sin verò loquamur 9
de infamia facti; An scilicet electio, vel collatio beneficij facta cuicumque alteri criminoso, seu improbo homini, ipso iure irrita sit?

Affirmant communiter etiam Doctores, Abb. *cap. inter dilectos, de excessib. Prælat. num. 8.* Nauarr. *cap. 27. num. 204. & 251.* Molin. *tract. 4. disp. 11. num. 3.* & Auila *de censur. part. 7. disp. 4. dub. 7.* quia omnis irregularitas beneficij collationem præcedens reddit ipsam subsequentem irritam (inquiunt ipsi, præsertim Nauarr. *loco suprà cit.*) sed omnis infamia, non solùm iuris, verum etiam facti, induit irregularitatem: Ergo non solùm infamia iuris, verùm etiam facti, reddit beneficij electionem, vel collationem subsequentem irritam.

Negant verò alij, quos citat, & sequitur Garz. *de beneficiis part. 7. cap. 8. num. 47.* etiamsi crimen sit depositione dignum.

Distinguunt alij de foro externo, & interno, seu
conscientiæ, quod scilicet prior sententia vera sit in 10
foro externo, ita vt iudex beneficij electionem, vel collationem factam moribus infami, perinde cassare
debeat, ac si à principio irrita illa fuisset. At verò in foro 11
conscientiæ electus, vel prouisus si vitæ emendatione infamiam, & consequenter irregularitatem abstergere velit, non obligetur ad resignandum beneficium; quia cùm talis criminosus nec à iure, nec ab homine condemnatus sit, non videtur ad id obligari, si se ad beneficium habilem reddere voluerit.

Confirmatur: quia iuxta sententiam aliquorum in 12
materia de beneficiis, prouisus in irregularitate beneficium retinere potest, si super sola irregularitate dispensationem impetraturus speret: Ergo multo magis in casu nostro, si hanc minùs propriè dictam irregularitatem, ex vitæ scilicet improbitate exortam, notoria pœnitentiâ amouere paratus sit.

Ex dictis igitur habetur, quod à dignitatibus, benefi- 13
ciis, & officiis obtinendis sic exclusi sunt infames, vt eorum prouisio irrita, seu nulla sit, iuxta communem sententiam Doctorum, quam suprà dicebam: quia præter rationes supradictas, Ecclesia, & Respublica à suis dignitatibus, beneficiis, & officiis, seu muneribus eos excludit, quantum potest per illa verba: *Infamibus porta non pateant dignitatum,* quasi diceret: Omnis via ad dignitates illis exclusa sit. At si validè possent obtinere dignitatem, iam aliqua via ad dignitates obtinendas illis pateret: Ergo, &c.

Nihilo

14 Nihilominus adhuc, etsi hæc sententia communis sit, & in foro externo passim obseruetur; non improbabile videtur, supradictorum prouisionem in foro conscientiæ validam esse, quousque à iudice rescindatur, idque forsan, etiamsi prouisus sit infamis infamia iuris; quia annullatio actus, vtpotè odiosa, absque manifesto Textu induci non debet. At nullus est Textus, qui hanc annullationem inducat ipso iure: Nam esto infamibus nullæ sint dignitatum portæ patentes, sed omnes occlusæ, exinde tamen solùm infertur, illarum ingressum illis esse interdictum, non autem, si defacto fiat, inualidum esse, sicuti non est inualidus ordo infamibus collatus, tametsi & ordinum portæ infamibus non pateant.

15 Quod si infamia dignitatum, officiorum, vel beneficiorum possessioni superueniat, quamuis iure ipso priuationem illorum inducat, non tamen infamis tenetur ea abdicare à se, quousque sententia iudicis, saltem declaratoria criminis, accedat, vti suprà dicebam, & tradunt Syluest. *verb. infamia, num.* 15. Couarr. *pract. quæstion. cap.* 19. *num.* 5. & Molina *tract.* 4. *disp.* 11. *n.* 3.

16 Quinimmò, si infamia sit facti, & non iuris, dignitatibus, officiis, vel beneficiis ante quæsitis non priuat ipso iure, vti etiam suprà dicebam, & ex communiori sententia Doctorum tenent Couarru. & Molin. *in locis suprà cit.* Garzias *de benefic. part.* 7. *cap.* 8. *num.* 35. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 3. & Auila *part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 5 *concl.* 2. quia nullo iure hæc priuatio probari potest.

SECTIO VII.

PETITIO QVINTA.

An criminis infamia, & quæ inde sequitur irregularitas, tollatur per pœnitentiam.

SVMMARIVM.

1 *Criminosus, si crimen, quod vt infame à iure damnatum est, occultum fuit, & publicandum non timetur, potest post actam pœnitentiam sacros Ordines suscipere, ex probabili Doctorum sententia, & è contra debet abstinere si publicandum timet; nam alioquin ordinatus à iudice deponeretur, & collatio officij, vel beneficij rescinderetur, perinde ac si ab initio irrita fuisset.*

2 *Infamia ipso iure, vel per sententiam iudicis contracta propter crimen notorium non tollitur per pœnitentiam, sed per solam dispensationem Principis, cuius auctoritate talis infamia decreta fuerat: quia talis infamia habet rationem pœnæ sententialis, quæ à legitimo Superiore in perpetuum illata est.*

3 *Magistratus Ecclesiasticus via ordinaria, & directa non potest iure ciuili infamem restituere in ordine ad effectus ciuiles, vt scilicet ad dignitates, & actus legitimos admitti debeat: neque è contra Magistratus ciuilis potest infamem iure canonico restituere.*

4 *Limita, si infamia iure canonico directè, & speciatim decreta non fuerit: sed solùm indirectè, quatenus omnes iure ciuili infames, etiam canonicè infames, & irregulares censeantur; eo quod non deceat illos, qui à ciuilibus officiis repelluntur, ad Ecclesiasticos ordines, vel beneficia assumi.*

5 *Infamia facti, licèt orta sit ex crimine enormi, & depositione digno, penitùs tollitur per factum contrarium, nempè per publicam, & constantem vitæ emendationem: & sublata infamia consequenter cessat omnis inhabilitas; quia, vt habetur ex sacris Canonibus, non debet despici in eo, quod fuit, qui iam incipit esse quod non fuit, &c.*

6 *Item cessante causa cessat effectus, & per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissoluitur.*

7 *Irregularitas prædicta non oritur propriè, & simpliciter ex infamia facti, quia irregularitas est perpetua inhabilitas ad ordines suscipiendos, quousque dispensatione tollatur.*

8 *Sacerdos concubinarius, vel adulter publicus post actam pœnitentiam, & vitæ emendationem publicam, interposito saltem aliquo temporis spatio, potest sine dispensatione celebrare: quamuis contrarium sentiant alij, eo quod existimant ex omni crimine notorio, & depositione digno nasci irregularitatem propriè dictam, & indelebilem.*

9 *Suspensio ab officio inflicta ex sacris Canonibus clerico concubinario publico, consuetudine ablata est; & colligitur ex Tridentin. sess.* 24. *cap.* 14. *de reformat. vbi habetur, quod tales post vnam, & alteram admonitionem à beneficiis suspendi, & si adhuc se non emendauerint, omninò priuari debeant: quamuis post manifestam vitæ emendationem cum eisdem dispensari possit.*

10 *Prohibitio non audiendi Missam Sacerdotis concubinarij publici, nunc post Extrauag.* Ad euitanda, *locum non habet, priusquam iste Sacerdos tanquam in sacris vitandus publicè denuncietur.*

RESpondetur, & dico primò: Si crimen, quod, vt 1 infame à iure damnatum est, occultum fuit, & publicandum non timetur, potest criminosus post actam pœnitentiam, sacros ordines suscipere. Sic ex probabili sententia Doctorum (etsi probabilis sit etiam opposita) dicebam suprà *petit.* 3. vbi tamen subdebam cum Suarez, quod si quis existimaret, crimen infame, à se occultè commissum, in publicam notitiam deuenturum fore, abstinere deberet à susceptione Ordinum, officij, vel beneficij, &c. Nam alioquin ordinatus à iudice deponeretur, collatioque officij, vel beneficij, 2 &c. rescinderetur, perinde ac si ab initio irrita fuisset.

Dico secundò: Infamia ipso iure, vel per sententiam iudicis contracta propter crimen notorium, non tollitur per pœnitentiam, sed per solam dispensationem Principis, cuius auctoritate talis infamia decreta fuerat. Sic dicebam *sect.* 97. *circa fin.* & docent communiter Doctores, quos sequitur Gratian. *in cap. Euphemium,* 2. *q.* 3. & ex Calixto Papa *epist.* 2.

Probatur, quia talis infamia habet rationem pœnæ sententialis, quæ à legitimo superiore in perpetuum illata est: Ergo tolli non potest, nisi ab eodem superiore. Antecedens patet. Consequentia probatur; quia eiusdem iurisdictionis est ligare, & absoluere, seu pœ- 3 nam imponere, & in integrum restituere.

Hinc sequitur, quod nec Magistratus Ecclesiasticus via ordinaria, & directa possit iure ciuili infamem restituere in ordine ad effectus ciuiles, vt scilicet ad dignitates, & actus legitimos admitti debeat; Neque viceuersa Magistratus ciuilis possit infamem iure canonico (v. g. hæreticum, vel binas nuptias contrahentem) restituere in ordine ad effectus canonicos, vt sci- 4 licet ad ordines promoueri possit.

Quod tamen loc. supr. cit. limitabā cum Suar. *disp.* 48. *sect.* 2. *n.* 10. si infamia iure canonico directè, ac speciatim decreta non fuerit, sed solùm indirectè, quatenùs omnes iure ciuili infames, etiam canonicè infames, & irregulares censeantur; eo quod non deceat, illos, qui à ciuilibus officiis repelluntur, ad Ecclesiasticos ordines, vel beneficia assumi, quia tunc, ablata infamia ciuili per sæcularis Principis restitutionem, aufertur consequenter etiam & inhabilitas, seu irregularitas ca- 5 nonica. Vide quæ dicebam *cit. sect.* 97. *circa finem.*

Dico tertiò. Infamia facti, licèt orta sit ex crimine enormi, & depositione digno, penitùs tollitur per factum contrarium, nempè per publicam, & constantem vitæ emendationem: & sublata infamia, consequenter & etiam tollitur, seu cessat omnis inhabilitas, tam ciuilis, quàm canonica.

Probatur

Probatur, *ex cap. testimonium, de testibus, & attestat.* (vbi id docet Gloss. & Innocentius) *ex cap. ferrum, dist.* 50. Ibi: *Non debet despici in eo, quod fuit, qui iam incipit esse, quod non fuit; ex cap. si duo* 35. *quæst.* 9. Ibi: *infames effecti donec ab incepto crimine desistant, & ex cap. nunquam, dist.* 56. Ibi: *Ad meliora conuersum nequaquam prior vita commaculat.*

6 Probatur secundò ratione; quia *cessante causa, cessat effectus, cap. cùm cessante, de appellat.* Et *per quas causas aliquid nascitur, per easdem dissoluitur, cap.* 1. *de iuribus.*

Vide, quæ dicebam *cit. sect.* 97. *in fine,* vbi subdebam cum Claro, *lib.* 5. *sent.* §. *vlt. q.* 21. *in fine, n.* 1. infamiam istam plenè purgari emendatione vitæ per triennium.

7 Hinc sequitur, quod ex infamia facti non oriatur propriè, & simpliciter dicta irregularitas; quia irregularitas est perpetua inhabilitas ad ordines suscipiendos, quousque dispensatione tollatur. Quare Regula generalis sit: Impedimentum, quod absque dispensatione rolli, sed ipso facto cessare potest, non est propriè irregularitas, vt v.g. defectus ætatis, scientiæ, vel morum, &c.

8 Sequitur secundò, quod Sacerdos concubinatius, vel adulter publicus post actam pœnitentiam, & vitæ emendationem publicam, interposito saltem aliquo temporis spatio, possit sine dispensatione celebrare; Quamuis contrarium sentiant alij, eo quod existimant, ex omni crimine notorio, & depositione digno nasci irreguleritatem propriè dictam, & indelebilem; qua de re videri poterunt, quæ dicebam suprà *petit.* 1.

9 Obiicies: Syluest. *verb. concubinarius, q.* 5. Sanctus Antonin. *part.* 3. *tit.* 27. *cap.* 3. Couarruu. *in Clement. si furiosus, part.* 1. §. 1. *n.* 5. docent, clericum concubinarium publicum contrahere suspensionem ab officio: cùm ita habeatur *in cap. præter, dist.* 32. *cap. si qui sunt, dist.* 81. *& cap. vlt. de cohabit. cleric. & mulier.* Ergo, &c.

Respondetur: Nego consequentiam: quia talis suspensio consuetudine sublata est, vti testantur Sotus *in* 4. *dist.* 1. *q.* 5. *art.* 6. Medina *lib.* 1. *cap.* 11. §. 8. Sayr. *lib.* 4. *thes. cap.* 15. *num.* 14. Henriq. *cap.* 13. *art.* 36. Suar. *de censur. disp.* 31. *sect.* 4. & alij complures: Et colligitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 24. *de reformat.* Vbi habetur, quod tales post vnam, & alteram admonitionem à beneficiis suspendi, & si adhuc se non emendauerint, omninò priuari debeant, quamuis post manifestam vitæ emendationem cum eisdem dispensari possit, vti etiam habetur *in cap. at si clerici,* §. *de adulter. de iudiciis.*

10 Obiicies secundò, iure antiquo prohibitum erat, ne fideles Sacerdotis concubinarij publici Missam audirent, *cap. si qui sunt, cap. nullus, & cap. præter, dist.* 32. & docet S. Thom. 3. *part. q.* 82. *art.* 9. *ad* 3. & Nauarr. *cap.* 25. *n.* 80. Ergo, &c.

Respondetur. Nego etiam consequentiam; quia talis prohibitio nunc post Extrauag. *Ad euitanda,* locum non habet, priusquam iste Sacerdos, tanquam in sacris vitandus, publicè denuncietur. Sot. *loc. suprà cit.* Henriq. *lib.* 9. *cap.* 25. *n.* 12. & Suar. 3. *part. tom.* 3. *disp.* 18. *sect.* 1. & colligitur *ex cap. vera, de cohabit. cleric. &c. in fine.*

SECTIO VIII.

PETITIO SEXTA.

An hæreticus, & apostata post pœnitentiam, & absolutionem, ad sacros Ordines admitti possit?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus, & apostata post pœnitentiam, & absolutionem ad sacros ordines admitti potest; si hæresis, vel apostasia occulta fuerit: quia non propter hæresim, & apostasiam secundùm se: sed quatenùs iuris infamiam annexam habent, irregularitas decreta esse videtur: contra nonnullos contrarium etiam probabiliter asserentes.*

2 *Hæresis, vel apostasia si notoria fuerit, impedit à susceptione ordinum etiam post pœnitentiam peractam, & absolutionem obtentam.*

3 *Hæretici, eorumque fautores, & in hæresi decedentium filij, ac nepotes ad nullum Ecclesiasticum beneficium, vel publicum officium admittendi sunt.*

4 *Limita, id intelligi secundùm nonnullos Doctores de liberis natis, postquam parens in hæresim lapsus est: nam liberi, qui nati sunt antea, non procedunt ex infecta radice.*

7 *Hæreticorum filij irregulares non sunt in Regionibus, in quibus nulla ipsis ob crimen parentum infamia aspersa est: Quapropter ob hanc eamdem rationem probabiliter defendi potest consuetudo quarumdam septentrionalium Regionum, in quibus Episcopi ex hæresi ad fidem Catholicam conuersos, & absolutos ordinare consueuerunt, eo quod tales neque in ciuili foro à publicis dignitatibus, & officiis reiiciantur.*

6 *Ad fidem Catholicam cum huiusmodi conuersis in dictis Regionibus Episcopi dispensare possunt, si priuilegium habeant dispensandi super omnes irregularitates, præter eas, quæ ex voluntario homicidio, mutilatione, bigamia, vel natalium defectu proueniunt.*

Respondetur, & dico primò affirmatiuè, si hæresis, vel apostasia occulta fuit. Ita ex probabili sententia Doctorum dicebam suprà *petit.* 3. quia non propter hæresim, & apostasiam secundùm se, sed quatenùs iuris infamiam annexam habent; irregularitas decreta esse videtur. Etsi contrarium probabiliter etiam asserant alij, quatenùs absolutè censent, per hæresim irregularitatem incurri. Vide quæ dicebam suprà *petit.* 3. 1

Dico secundò, si hæresis, vel apostasia notoria fuit, impedit à susceptione ordinum, etiam post pœnitentiam peractam, & absolutionem obtentam. Sic communiter Doctores. 2

Probatur; quia *in cap. Presbyteros, dist.* 50. *cap.* 1. *cap. qui in qualibet, cap. saluberrimum* 1. *q.* 7. & *cap.* 2. §. *hæretici, de hæretic. in* 6. statuitur, hæreticos, eorumque fautores, & in hæresi decedentium filios, ac nepotes ad nullum Ecclesiasticum beneficium, vel publicum officium admittendos: Ergo signum est, quod ipso iure sint infames, atque adeò irregulares. 3

Aduerte tamen, quod nonnulli Doctores id intelligunt de liberis natis, postquam parens in hæresim lapsus est: Nam liberi, qui nati sunt antea, non procedunt ex infecta radice (licet alij Doctores contrarium sentiant) vt videre est apud Couarruu. 2. *resolut. cap.* 18. *n.* 5. & Simanch. *de Cathol. institut. tit.* 29. *n.* 22. & nos dicemus infrà *dubit.* 102.

Aduerte secundò, quod filij hæreticorum irregulares non sunt in Regionibus, in quibus nulla ipsis ob crimen parentum infamia aspersa est. Quapropter ob hanc eamdem rationem probabiliter defendi potest consuetudo quarumdam Septemtrionalium Regionum, in quibus Episcopi ex hæresi ad fidem Catholicam conuersos, & absolutos ordinare consuerunt, eo quod tales neque in ciuili foro à publicis dignitatibus, & officiis reiiciantur. Qua de re Nauarr. *lib.* 1. *cons.* 1. *de constitut. quæst.* 14. 4

At quidquid sit de hoc, illud certum est, quod cum talibus ad fidem Catholicam in iis Regionibus conuersis, & absolutis dispensare possint, qui priuilegium habent dispensandi super omnes irregularitates, præter eas, quæ ex voluntario homicidio, mutilatione, bigamia, vel Natalium defectu proueniunt. 5

DVBITA

DVBITATIO XCV.

An irregularis sit (sicut hæreticus) qui exteriùs fidem negat, interiùs tamen retinet?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis crimini, etiam occulto annectitur irregularitas, sicut annectitur excommunicatio, ex communi DD. sententia: quia ex sac. Canonibus Clerici apostatantes à fide prohibentur ad vlteriorem gradum ascendere, etsi in susceptis ordinibus postquam conuersi sunt permittantur ministrare.*

2 *Textus in can. si qui voluerint 1. q. 7. de Nouatianis redeuntibus ad Ecclesiam, vbi dicitur posse eos ordinari, intelligitur non simpliciter, sed ex dispensatione, vel saltem intelligi debet de laicis, quibus non est certum hanc irregularitatem impositam esse, cum omnes Textus, qui hanc irregularitatem imponere videntur, de Clericis loquantur.*

3 *Hæretici redduntur inhabiles ad beneficia Ecclesiastica, & officia publica.*

4 *Sententia contraria, irregularitatem scilicet crimini hæresis, si sit occultum, non annecti, est valde probabilis: quia Textus qui hanc irregularitatem inducunt, exigunt notorietatem criminis, dirigunt enim sermonem non ad ipsos hæreticos, sed ad Ecclesiæ Pastores, quibus præcipitur, ne admittant hæreticos ad Ordines.*

5 *Fidem negans exteriùs, retinens tamen interiùs, posita sententia communi, quod scilicet hæreticus quamuis occultus, & non publicus irregularis sit, licet nonnulli asserant, quod sit irregularis, quia qui exteriùs fidem negat, est apostata verbo, & opere, & apostata pœnis hæreticorum subiicitur: probabile tamen est oppositum; quia nullibi continetur irregularitas contra fictè negantem fidem, &c.*

1 SVPPONO, quod communis sententia affirmet irregularitatem annecti crimini hæresis, etiam occulto, sicut annectitur excommunicatio. Ita Syluest. *verb. irregularitas, q. 5.* Nauarrus *cap. 27. n. 105.* Tolet. *lib. 1. cap. 64.* Pegna *in Director. part 3. comment 162. q. 113.* Suar. *de censur. disp. 43. sect. 11. n. 3.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 25. n. 2.* Farinac. *de hæresi q. 189. n. 43.* & alij, quos supra citabam *Dubit. præced. petit. 3. & Dubit. 74. circa fin.*

Primò, quia *in cap. si qui presbyteri, cap. saluberrimum, & cap. conuenientibus 1. q. 7 & cap. nos consuetudine, dist. 12.* Clerici apostatantes à fide prohibentur ad vlteriorem gradum ascendere, etsi in susceptis Ordinibus, postquam conuersi sunt permittantur ministrare.

2 Neque obstat, quod *in cap. si qui voluerint 1. q. 7.* de Nouatianis redeuntibus ad Ecclesiam dicatur, posse eos ordinari: nam intelligitur ex dispensatione, iuxta Text. *in cap. maximum, & in cap donatum* Vel saltem intelligi debet de laicis, quibus non est certum, hanc irregularitatem impositam esse, cùm omnes Textus, qui hanc irregularitatem imponere videntur, de clericis loquantur.

3 Secundò, quia *in cap. 2. & 15. de hæretic. in 6.* hæretici redduntur inhabiles ad beneficia Ecclesiastica, & officia publica: Ergo signum est, quod & reddantur irregulares.

4 Quamuis contraria sententia (irregularitatem scilicet crimini hæresis, si sit occultum non annecti) sit valde probabilis, vti dicebam *locis sup. cit.* & docent Glos. *in cap. Inquisitiones, de accusat.* Abb. *in cap. ex tenore, de tempor. ordinat.* Couarr. *3. var. resolut. cap. 3. num. 2.* Henriquez *lib. 13. cap. 36.* Auila *de censur. part. 7. disput. 4. dub. 7. concl. 1.* Sayr. *lib. 7. Thes. cap. 11. n. 16.* Philiarchus *lib. 4. cap. 25.* Sà *verb. irregularitas ex defectu animæ n. 2.* Hurtad. *disp. 2. diffic. 4. n. 14.* & alij, quos refert Barb. *de remiss. Concil. sect. 24. cap. 6. verb. hæresis.*

Probatur, quia Textus qui hanc irregularitatem indicant, exigunt notorietatem criminis, dirigunt enim sermonem non ad ipsos hæreticos, sed ad Ecclesiæ Pastores, quibus præcipitur, ne admittant hæreticos ad ordines (vt omittam, quod Text. *in cap. saluberrimum*, loquitur de peccato: siquidem mandat, fieri abiurationem solemnem, quæ fit in scriptis) Et Text. *in cap. 2. & 15. de hæretic. in 6.* apertè supponit notitiam criminis communem. Prohibet enim, ne hæretici, & ipsorum fautores ad beneficium, vel officium publicum admittantur: quod fieri non potest, nisi delictum sit publicum ac diuulgatum.

Posita tamen sententia communi, quod scilicet hæreticus, quamuis occultus, & non publicus irregularis sit, quæritur, an talis irregularitas extendatur ad illum, qui fidem exteriùs negat, retinet tamen interiùs. 5

Respondetur, quamuis probabiliter affirment Maiol. *de irregularit. lib. 5. cap. 34. n. 2.* Suar. *de censur. disp. 43. sect. 2. n. 2.* Farinac. *de hæres. q. 192. n. 75.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 25. n. 6.* quia *in cap. Presbyteros, dist. 50.* dicitur de Presbytero qui ex timore fidem negauit, sacerdotale officium non posse ministrare, neque offerre, neque sermonem ad populum habere. Tum quia qui exteriùs fidem negat, est apostata verbo, & opere. Apostata verò pœnis hæreticorum subiicitur, *cap. non potest, q. 7. & cap. contra Christianos, de hæret. in 6.* Probabile tamen esse etiam oppositum, quod tenent Nauarr. *lib. 5. consil. tit. de hæres. cons. 3.* Azor. *lib. 8. cap. 11. q. vlt.* & alij.

Probatur, quia neque in supradicto *cap. Presbyteros*, nec alibi continetur irregularitas contra fictè negantem fidem; siquidem *in d. cap. Presbyteros*, nullum est verbum ex quo colligatur, quod Presbyter ille fictè apostatauerit à fide: poterat enim timore duci, & nihilominus fidem ex animo negare. Et dato, quod Textus loquatur de fictè negante fidem, solùm comprehendit delinquentem. Nam in conclusionem dicitur, eos quorum crimina manifesta sunt ante, vel post ordinationem, à sacris Ordinibus repellendos esse, quorum tamen peccata secreta sunt, secreta satisfactione, secundum Sacerdotis edictum, in propriis Ordinibus remanere posse. Textus autem *in cap. non potest, & in cap. contra Christianos*, in quibus apostata à fide pœnis hæreticorum subiicitur, intelliguntur de vero apostata, qui fidem ex animo negauit: Secus, qui solùm verbis, vel factis negare significauit.

Hinc patet ad rationes oppositæ sententiæ.

DVBITATIO XCVI.

An irregularis sit (sicut hæreticus) fautor, receptator, vel defensor hæretici, quatenus hæretici?

SVMMARIVM.

1 *Fautor, receptator, vel defensor hæretici quatenus hæretici probabiliter est irregularis: quia in cap. 2. §. hæretici, de hæretic. in 6. Hæretici, & ipsorum filij vsque ad secundam generationem prohibentur, ne ad Ecclesiasticum beneficium, vel publicum officium admittantur. At nomine officij venit officium ordinis: Probabile tamen est etiam oppo-*
2 *situm, quia neque in dicto cap. 2. de hæretic. in 6. neque aliunde talis irregularitas colligitur: nam licet in d. cap. fautores hæreticorum excludantur ab officio publico: nomine tamen officij publici non venit officium Ordinis, sed officium Iurisdictionis, v. g. Magistratus, Prætoriatus, vel Notariatus.*

3 *Officium publicum illud vocatur, quod ad publicam*

vtilitatem, & populi regimen ordinatur.

4 *Fautoria deberet esse publica, dato quod ab his fautoribus hæreticorum irregularitas contrahatur, quia de ea vt publica loquitur Textus. Prohibentur enim ibi Ordinarij admittere fautores hæreticorum ad publica officia: quod fieri non potest, nisi ipsis Ordinariis fautoria perfectè nota fuerit.*

1 RESPONDETVR (quamuis Suarez, Sanch. & alij *in locis sup. cit.* probabiliter affirment, quia *in cap. 2. §. hæretici, de hæret. in 6.* Hæretici, & ipsorum filij vsque ad secundam generationem prohibentur, ne ad Ecclesiasticum beneficium, vel publicum officium admittantur. At nomine officij venit officium ordinis: Ergo excluduntur ab ordine: atque adeò sunt irregulares:) Probabile tamen esse etiam oppositum, quod docent Henriq. *lib. 14. cap. 4. n. 6.* Sà *verb. irregularitas ex defectu animæ, n. 2.* & alij.

2 Probatur, quia neque *ex d. cap. 2. de hæretic. in 6.* neque aliunde talis irregularitas colligitur. Nam licet *in d. cap.* fautores hæreticorum excludantur ab officio publico, nomine tamen officij publici non venit officium ordinis, sed iurisdictionis, v.g. Magistratus, Prioratus, vel Notariatus, &c. vt ait Glossa ibi, ex Text. *in cap. felices, §. quod si quis, de pœn. in 6.* Et meritò, quia illud
3 vocatur officium publicum, quod ad publicam vtilitatem, & populi regimē ordinatur. Tum quia, si nomine officij publici veniret etiam officium ordinis, prius Pontifex fautores hæreticorum exclusisset ab officio publico, quàm à beneficio, cùm ordinis collatio præsupponatur ad collationem beneficiorum.

4 Confirmatur, quia dato, quod ab his fautoribus hæreticorum irregularitas contrahatur, fautoria tamen deberet esse publica: quia de ea, vt publica loquitur Tex. Prohibentur enim ibi Ordinarij, admittere fautores hæreticorum ad publica officia; quod fieri non potest, nisi ipsis Ordinariis fautoria nota perfectè fuerit.



DVBITATIO XCVII.

An irregularis sit (sicut hæreticus) suspectus de hæresi?

SVMMARIVM.

1 *De hæresi suspectus est irregularis secundùm quid, nempe dum non purgauerit suspicionem; qua tamen purgata, poterit absque dispensatione ad ordines promoueri.*

2 *Abiurare coactus de vehementi propter vehementem de hæresi suspicionem, facta abiuratione non manet irregularis, neque inhabilis ad beneficia, vel officia publica: quia non fuit damnatus tanquam hæreticus, sed tanquam suspectus de hæresi, quam suspicionem abiuratione purgauit.*

1 RESPONDETVR: Est irregularis secundum quid, nempe dum non purgauerit suspicionem: qua tamen purgata, poterit absque dispensatione ad ordines promoueri. Suar. *disp. 43. sect. 2. n. 9.* Henriquez *lib. 14. cap. 4. n. 6.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 25. num. 10.* & Farin. *de hæresi q. 192. n. 81.*

2 Hinc si quis propter vehementem de hæresi suspicionem coactus est abiurare de vehementi, facta abiuratione non manet irregularis, neque inhabilis ad beneficia, vel officia publica, quia non fuit damnatus tanquam hæreticus, sed tanquam suspectus de hæresi: quam suspicionem, abiuratione illa facta (se scilicet nunquam incurrisse, neque vnquam incursurum in hæresim) sufficienter purgauit. Quapropter neque infamis, neque ad beneficia, vel officia inhabilis manet, neque eius beneficia habita vacare debent. Nauar. *lib. 6. cons. 5. de hæretic.* Henriq. *lib. 13. cap. 56. n. 1.* Farin. *cit. q. 192. num. 80.* & Flamin. *de resignat. lib. 4. q. 3. n. 17.*



DVBITATIO XCVIII.

An irregulares sint (sicut hæreticus) filij & nepotes hæreticorum?

SVMMARIVM.

1 *Filij, & nepotes hæreticorum, & eorum fautores, & receptatores, si descendant per lineam masculinam, irregulares sunt: si verò descendant per lineam fœmininam, irregulares sunt filij, non nepotes.*

2 *Amplia, dictam irregularitatem extendi etiam ad filios illegitimos, & spurios, cùm nulla sit ratio ob quam isti speciali priuilegio, quàm filij legitimi gaudeant. Præsertim quia Textus de filiis generaliter loquitur.*

3 *Fundamentum dictæ sententiæ communis, scilicet asserentis irregulares esse filios, & nepotes hæreticorum, est inefficax: quia nomine officij publici non venit officium ordinis, sed iurisdictionis temporalis. Quapropter sententia contraria, nempe hos filios irregulares non esse, non est omnino improbabilis: quia nullibi aduersus hos statuta reperitur talis irregularitas.*

4 *Irregularitas prædicta si incurratur, iuxta præfatam sententiam Doctorum. Requiritur primò, quod ipsi filij nati fuerint ante delictum parentum: nam si priusquam parentes deliquerint, ipsi fuerint nati, irregulares non sunt: quia qui ante nati sunt, non censentur per hæresim parentis superuenientem inquinari: siquidem eo casu non sunt formaliter filij hæreticorum, sed potiùs Catholicorum, cùm à parentibus catholicis concepti, & nati sint, &c.*

5 *Irregularitas prædicta quatenus sit, & incurratur, requiritur secundò, quod delictum parentum sit notorium, scilicet sit notorium, parentes esse in hæresi, vel in hæresi decessisse, & non esse emendatos, & non sufficit, quod de hæresi suspecti sint, vel suspecti decesserint: quia Textus damnat filios hæreticorum, non autem filios eorum, qui de hæresi suspecti sunt, vel decesserunt: siquidem tales non sunt formaliter hæretici.*

6 *Item requiritur secundum multos Doctores, vt parentes sint damnati de hæresi, quæ sententia non improbatur aliquibus in locis, vbi propter multitudinem hæreticorum, non censetur infamia filium esse, vel nepotem hæretici: secus verò in aliis locis.*

7 *Exponitur Textus in cap. statutum, de hæretic. in 6. in quo comprehenduntur omnes illi parentes, quos passim constat, vel adhuc hæreticos esse, vel hæreticos decessisse, vt filij ipsorum irregularitatem incurrant.*

8 *Filij eorum parentum, qui ob crimen hæresis repetitum comburuntur, quique ab hæresi ante mortem ob data signa pœnitentiæ sunt absoluti, non sunt irregulares: quia Textus in dicto cap. statutum, hanc irregularitatem filiis hæreticorum imponens, requirit, vt in hæresi decedant parentes à delicto non emendati, neque Ecclesiæ incorporati, &c.*

9 *Contraria sententia est etiam satis probabilis, quia sic conuersi præsumuntur in hæresi decedere, & fictè conuerti, timore potiùs, ne viui comburantur, quàm amore fidei: ideóque nec iuridicè admittuntur ad pœnitentiam, nec solemniter absoluuntur, quæ iuridica, & solemnis absolutio requiri videtur vt Ecclesia iudicet, eos decedere sibi reconciliatos, & reincorporatos.*

10 *Amplia, prædictam irregularitatem extendi à præfatis Doctoribus ad filios eorum qui comburuntur, eo quod probatam hæresim negant: nam cùm de hæresi*

hæresi conuicti sint, & eam confiteri recusent, præsumuntur in ea perseuerare, atque adeò hæretici esse.

11 *Amplia extendi etiam ad filios eorum, qui in absenti condemnantur, quorumque statuæ comburuntur: quia ipsorum contumacia hæresim probat, à qua tamen contumacia censentur liberi, si constiterit, ipsos ante mortem signa contritionis dedisse, & absolutionem petiisse.*

12 *Irregularitas prædicta si sit, quatenus incurratur, requiritur tertiò, vt constet filios esse hæreticorum: quia si res sit occulta, non affert illis infamiam, atque adeò neque irregularitatem.*

14 *Requiritur quartò, quod eorum parentes decedentes hæretici reputentur ob hæresim infames: quod non contingit in iis locis, vbi passim permixtim hæretici viuunt cum Catholicis, vt in Anglia, Germania, &c. filij istorum parentum, quos constat in hæresi decessisse, irregulares non sunt: quia hæc irregularitas prouenit in filios ob infamiam parentum ex hæresi contractam.*

14 *Filij supradicti ex quorumdam Doctorum sententia licet sint inhabiles ad beneficia, possunt tamen ordinari: quia iure non prohibentur, sed obstat Curiæ stylus, qui seruari debet.*

15 *Nepotes non sunt irregulares, si mater sit hæretica, pater verò non sit, sed solummodo filij.*

16 *Pœna prædicta extenditur ad eos qui hostiliter infestati sunt Cardinalem, vel Episcopum, & ad filios, nepotesque illorum.*

17 *Filij prædicti excusantur ex priuilegio Pontificis ab irregularitate, inhabilitate, & aliis pœnis statutis, si ipsi denuncient parentes hæreticos Inquisitoribus.*

1 RESPONDENT communiter DD. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 205. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 9. *n.* 14. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 28. *n.* 7. Valentia *disp.* 7. *q.* 19. *punct.* 3 & Suar. *de censur. disp.* 43. *sect.* 3. *n.* 1. irregulares esse filios, & nepotes hæreticorum, & eorum fautores, & receptatores, si descendant per lineam masculinam: si verò descendant per lineam fœmininam, irregulares esse filios, non nepotes.

Probant, quia *in cap. statutum, de hæret. in 6.* ij filij excluduntur ab officio, & beneficio: Sed nomine officij venit officium ordinis: Ergo.

2 Quod adeò verum arbitrantur Gloss. *in cit. cap. statutũ, vers. volumus.* Couarr. 2. *var. cap.* 8. *n.* 3. Peña 3. *part. director. comment.* 163. & alij, quos refert Sanch *loc. sup. cit. cap.* 27. *n.* 1. vt eandem irregularitatem extendant ad filios illegitimos, & spurios; cùm nulla sit ratio, ob quam isti specialiori priuilegio, quàm filij legitimi gaudeant: præsertim, quia Textus de filiis generaliter loquitur.

3 Dixi: Respondent communiter Doctores, quia quamuis talis sententia asserens irregulares esse filios, & nepotes hæreticorum, sit communis; tamen cùm talis sententiæ communis fundamentum sit inefficax (nam vt supra *sect.* 10. dicebam, nomine officij publici non venit officium ordinis, sed officium iurisdictionis temporalis) sententia contraria (hos scilicet filios irregulares non esse) quam tenent Tolet. *lib.* 1. *cap.* 25. *n.* 8. Sayrus *lib.* 6. *Thesaur. cap.* 10. *n.* 40. & alij, non est omninò improbabilis: quia nullibi aduersus tales irregularitas statuta reperitur.

4 At concesso cum communi sententia Doctorum, hos filios irregulares esse, ad incurrendam tamen hanc irregularitatem.

Requiritur primò, quod ipsi filij nati fuerint ante delictum parentum: nam si priusquam parentes deliquerint, ipsi fuerint nati, irregulares non sunt. Nauarr. *cons.* 25. *de hæretic.* Simanch. *de cathol. instit. tit.* 23. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 4. & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 17. *n.* 14 quia qui ante nati sunt, non censentur per hæresim parentis superuenientem inquinari: Siquidem eo casu non sunt formaliter filij hæreticorum, sed potiùs catholicorum, cùm à parentibus catholicis concepti, & nati sint. Tum quia non est verisimile, quod Ecclesia propter parentum delictum velit priuare filios iure quæsito, & habilitate possessa ad ordines suscipiendos, & exercendos: quod esset, si filij ante hæresim parentum nati, irregulares redderentur, ob hæresim parentum posteà superuenientem.

5 Requiritur secundò, quod delictum parentum sit notorium, scilicet sit notorium, parentes esse in hæresi, vel in hæresi decessisse, & non esse emendatos, *citato cap. statutum.* Et non sufficit, quod de hæresi suspecti sint, vel suspecti ex hac vita decesserint: quia Textus damnat filios hæreticorum, non autem filios eorum, qui de hæresi suspecti sunt, vel decesserunt: Siquidem tales non sunt formaliter hæretici. Pegna 3. *part. Director. quæst.* 115. *commentar.* 164. *vers. nam filij.* Sayrus *lib.* 6. *Thesaur. cap.* 10. *num.* 40. Sanchez *lib.* 2. *Moral. cap* 27. *num.* 29 & Farinacius *de hæresi quæstione* 191. *num.* 67.

6 Quod adeò verum quidam Doctores arbitrantur, vt requirant, parentes esse damnatos de hæresi: quia *in cap. statutum,* dicitur: *Qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur*: per quæ verba videtur requiri, vt id probatum sit in iudicio. Quæ sententia non improbatur aliquibus in iis locis, vbi propter multitudinem hæreticorum non censetur infamia, filium esse, vel nepotem hæretici: secus verò in aliis locis.

7 At reuerà non est ea mens illius Textus, quia si ageretur de probatione in iudicio, dicendum erat, *Non qui tales esse, vel decessisse probantur,*: sed, *qui probati legitimè fuerint.* Debuisset enim probatio præcedere: Idque non in solis defunctis, sed etiam in viuentibus: quare nec filij hæreticorum viuentium essent incapaces, nisi in iudicio probatum fuerit, parentes iam esse hæreticos, & fuisse tales ante filiorum procreationem. Ly igitur *Probantur*, idem est, quod *Noscuntur*, seu ex certis signis probari possunt. Quæ formula loquendi frequens est Gregorio Papæ, quem alij Pontifices sequuntur.

Comprehenduntur itaque *in cap. statutum*, omnes illi parentes, quos passim constat, vel adhuc hæreticos esse, vel hæreticos decessisse, vt filij ipsorum irregularitatem incurrant.

8 Hinc Simancha *de catholic. institut. tit.* 29. *num.* 17. Henriquez *lib.* 14. *de irregular. cap.* 5. *num.* 4. & alij, quos citat Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 27. *num.* 22. & Pegna 3 *part. Director. commentar.* 164. negant, filios eorum parentum (qui ob crimen hæresis repetitum comburuntur, quique ab hæresi ante mortem ob data signa pœnitentiæ sunt absoluti) irregulares esse: quia Textus *in cap. statutum*, hanc irregularitatem filiis hæreticorum imponens, requirit, vt in hæresi decedant parentes à delicto non emendati, neque Ecclesiæ reincorporati. Quod de iis parentibus non videtur posse verificari, cùm de facto ab hæresi absoluantur, & decedant parati pœnitentiam adimplere, & Ecclesiæ præceptis obtemperare. Neque obstat, quod solemniter non absoluantur: satis enim esse videtur, quod de facto absoluantur; siquidem hac absolutione, quantumuis priuata, Ecclesiæ reconciliantur, & reincorporantur. Neque Textus reconciliationem, & reincorporationem solemnem requirit: & cùm simus in materia pœnali, & odiosa, non est restrictio facienda.

9 Quamuis contrarium, & satis quidem probabiliter teneant Pegna, & Sanchez *in loc. sup cit.* Royas *tract. de hæretic* 2 *part. n.* 337. Suarez *de censur. disp.* 43. *sect.* 3. *n.* 4. & Molin. *tract.* 3. *disp.* 658. *n.* 19. Quia sic conuersi præsumuntur in hæresi decedere, & fictè conuerti, timore potiùs, ne viui comburantur, quàm amore Fidei, ideoque nec iuridicè admittuntur ad pœnitentiam, nec solemniter absoluuntur: quæ iuridica, & solemnis absolutio requiri videtur, vt Ecclesia iudicet, eos decedere sibi reconciliatos, & reincorporatos.

Quod adeò verum præcitati Doctores arbitrantur, vt eandem irregularitatem extendant ad filios eorum, qui comburuntur, eo quod probatam hæresim negant. Nam cùm de hæresi conuicti sint, & etiam confiteri recusent, præsumuntur in ea perseuerare, atque adeò hæretici esse.

11 Item extendunt ad filios eorum, qui in absentia condemnantur, quorumque statuæ comburuntur: quia ipsorum contumacia hæresim probat, *cap. cùm contumacia, de hæret. in 6.* Ab hac tamen contumacia censentur liberi, si constiterit, ipsos ante mortem signa contritionis dedisse, & absolutionem petiisse. Pegna *loc. sup. cit.* & Sanch. *num.* 19.

12 Requiritur tertiò, quod constet, filios esse hæreticorum: quia si res sit occulta, non affert illis infamiam, atadeò neque irregularitatem.

13 Requiritur 4. quod eorum parentes decedentes hæretici, reputentur ob hæresim infames. Quod cùm non contingat in iis locis, vbi passim permixtim hæretici viuunt cum Catholicis (vt in Anglia, Germania, &c.) filij istorum parentum, quos constat in hæresi decessisse, irregulares non sunt: quia hæc irregularitas prouenit in filios ob infamiam parentum ex hæresi contractam. Sanch. *cit. cap.* 27. *n.* 28. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 4. Sà *verb. irregularitas ex defectu animæ, n.* 4. & alij passim.

14 Aduerte tamen, quosdam Doctores sentire, quod etsi supradicti filij sint inhabiles ad beneficia, possint tamen ordinari, quia iure non prohibentur: sed obstant Curiæ stylus, qui seruari debet; & quæ supra dicebam.

15 Aduerte secundò, si mater sit hæretica, pater autem non sit, tunc nepotes non esse irregulares, & inhabiles, sed filios solos, *cap. statutum, supra.*

16 Aduerte tertiò, hanc pœnam extendi ad eos, qui hostiliter insecuti sunt Cardinalem, vel Episcopum, & ad filios, nepotesque illorum, *cap. felicis, de pœn. in 6. & Clement.* 1. *de pœnis.*

17 Aduerte quartò, ex priuilegio Pontificis excusari filios ab irregularitate, inhabilitate, & aliis pœnis iure statutis, si ipsi denuncient parentes hæreticos Inquisitoribus. Pegna 2. *part. direct. cap.* 14. *comment.* 15. *vers. hoc addiderim.* Sanch. *cit. cap.* 27. *n.* 31. Simanch. *de cath. institut. tit.* 29. *n.* 47. & Farin. *de hæresi q.* 191. *n.* 57.



DVBITATIO XCIX.

An irregularis sit (sicut hæreticus) qui Neophytus est?

SVMMARIVM.

1 *Neophytus, qui scilicet nouus est in Baptismo in ætate adulta suscepto, dum neophytus est, irregularis existit, & ab Ordinibus suscipiendis repellitur, quod quidem probatur sacrorum Canonum auctoritate, & sacr. Scripturarum testimonio per tot.*

2 *S. Ambrosij ordinatio cur, & à quibus commendata.*

3 *Episcopi nomine etiam Presbyter comprehenditur, sicut intellexit Concilium Nicænum I. Concilium Sardicense, & vniuersim S. Gregorius I.*

4 *Recenter conuersus ad fidem, nec in doctrina fidei potest esse satis instructus, nec in Ecclesiasticis rebus expertus, imò nec in constantia fidei satis probatus.*

5 *Episcopus prudens declarare debet, considerata personæ qualitate, & temporis spatio, an transierit status neophyti, vt sine dispensatione aliqua ordinari possit: durante tamen conditione neophyti, non potest ei Ordines conferre sine consensu summi Pontificis; quia ad solum Summum Pontificem spectat in vniuersalis Ecclesiæ Canonibus dispensare.*

6 *Episcopus potest determinare tempus, pro quo neophytus quis censendus est, dummodo decennium non excedat: nam transacto decennio post Baptismum, non est qui neophytus censeatur.*

7 *Neophytus si vltra biennium, vel triennium à baptismo suscepto sufficientia probatæ fidei signa dederit, ad arbitrium Episcopi poterit absque dispensatione aliqua ad Ordines promoueri: quia cessat tunc hæc irregularitas.*

8 *Neophytus non est irregularis, qui in infantia baptizatus est, etiamsi descendat ex patre Iudæo, vel Gentili, neque est inhabilis ad obtinendas dignitates, vel Ecclesiastica beneficia: quia nullibi contrarium cauetur.*

9 *Iuramentum, cùm à testibus exigitur, an ordinandus sit Christianus veteranus, intelligi debet, an sit ita Christianus veteranus, vt non sit Neophytus, neque filius ancillæ, vel hæretici, vt taliter condemnati. Quapropter esto descendat ex patre Iudæo, Gentili, vel ad fidem reconciliato, poterunt in prædicta depositione testes absolutè iurare, illum esse Christianum veteranum, neque à Iudæis descendentem: quia non descendit eo modo, quo impediatur ab Ordinibus, beneficiis Ecclesiasticis, vel officiis publicis.*

10 *Bulla Pauli IV. in qua prohibentur descendentes ex Iudæis, & hæreticis vsque ad quartam generationem sacris Ordinibus initiari, quam Greg. XIII. extendit ad descendentes ex Sarraceis, non est vsu recepta.*

11 *Bullæ prædictæ latæ sunt pro Ordine Sancti Francisci, ad quem Ordinem prohibentur admitti sic descendentes: quinimmò Sixtus V. prædictas Bullas restrinxit ad secundam generationem paternam, & primam maternam.*

12 *Textus in can. constituit 17. q. 4. vbi Iudæi, vel qui ex Iudæis sunt, ab officiis publici excluduntur, intelligi debet de iis, qui sunt ex Iudæis nouiter ad fidem conuersis, non autem de iis, qui ab infantia fidem susceperunt.*

13 *Dicta de Iudæis, & Saracenis, &c. eorumque descendentibus, intelligi debent spectato iure communi: quia si spectentur particularia statuta à Pontifice confirmata, descendentes à Iudæis, Mauris, vel Saracenis, &c. excluduntur etiam vsque ad millesimam generationem ab aliquibus officiis publicis, vt in Tribunali Sanctæ Inquisitionis, & ab aliquibus beneficiis, & capellaniis, vt in Ecclesia Legionensi, & Toletana.*



RESPONDETVR: Neophytus (qui scilicet nouus est in Baptismo in ætate adulta suscepto, iuxta Textum *in cap. sicut Neophytus, dist.* 48.) dum Neophytus est, irregularis existit, & ab Ordinibus suscipiendis repellitur. 1

Probatur, quia sic manifestè deciditur *in cap.* 1. *&* 2. *cit. dist.* 48. & ratio redditur ab Apostolo 1. *ad Thimot.* 3. *Ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli*, existimans, Ecclesiam suo ministerio indigere: ideoque *in cap. constituit* 17. *q.* 4. neophytus redditur etiam incapax ad officia publica. Nam (vt inquit Textus *in cap. miserum, dist.* 61.) *Miserum est, eum magistrum fieri, qui nondum esse discipulum didicit.*

Confirmatur *ex can. Apost.* 79. ibi: *Eum qui ex vita gentili acceperit, & baptizatus fuerit, vel ex improba viuendi ratione, non est æquum protinus Episcopum fieri: Iniquum est enim, vt qui sui nondum experientiam ostenderit, sit aliorum magister, nisi fortè hoc digna gratia, seu speciali vocatione fiat.* Sicuti postea S. Ambrosio contigit. Quapropter ipsemet se excusans *epist.* 82. *ad Vercellenses*, inquit: *Si dilatio ordinationi defuit, vis cogentis est.* Addit tamen, quod *ordinationem suam Occidentales Episcopi iudicio, Orientales etiam exemplo in ordinatione Nectarij Constantinopolitani probarunt.* 2

Nomine autem Episcopi comprehenditur etiam Presbyter, sicuti intellexit Concilium Nicænum I. *can.* 2. ibi: *Ne accedentes nuper ad fidem, simul vt baptizati* 3

zati

Zati sunt, ad Episcopatum, vel Presbyteratum promoueantur: Nam & tempore opus est ei; qui cathechizatur, & post baptisma probatione quamplurima: manifesta est enim Apostolica scriptura. Quinimmò Concilium Sardicense latiùs intellexit *can.* 13. ibi: *Conueniens non est, nec ratio, nec disciplina patitur, vt temerè ordinetur aut Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui Neophytus est.* Et vniuersim de sacris Ordinibus, & de Clericali statu intellexit Gregor. 1. *lib.* 4. *epist.* 50. *ad Vigilium, Episcopum*, ibi: *Cùm ad sacros ordines Apostolus Neo-*
4 *phytum venire prohibeat*, &c. Et meritò, quia recenter conuersus ad fidem nec in doctrina fidei potest esse satis instructus, nec in Ecclesiasticis rebus expertus: Immò nec in constantia fidei satis probatus, vt rectè notarunt Sayr. *lib.* 6 *thes. cap.* 13. *n.* 10. Suar. *disp.* 43. *sect.* 3. *n.* 6.
5 & Coninch. *disp.* 18. *dub.* 7. *n.* 55. qui subdunt ad prudentem Episcopum pertinere, quod declaret, considerata personæ qualitate, & temporis spatio, transiisse statum Neophyti, vt sine dispensatione aliqua ordinari possit; durante tamen conditione Neophyti, non potest Episcopus ei ordines conferre sine consensu Summi Pontificis, quia ad solum Summum Pontificem spectat in vniuersalis Ecclesiæ canonibus dispensare. Idque clarè colligitur *ex cit. can.* 2. Concilij Nicæni, vbi hoc ipsum culpatur, quod *Neophyti ex necessitate, vel vrgentibus hominibus, præter Ecclesiasticum canonem ordinati fuerunt.*

6 Determinare igitur tempus, pro quo Neophytus quis censendus sit, arbitrio prudentis Episcopi relinquitur, qui, sicuti dicebam, iuxtà qualitatem personæ, & debitam illius instructionem poterit coarctare, vel prolongare tempus, dummodò decennium non excedat: nam transacto decennio post baptismum, non est, qui Neophytus censeatur. Doctores communiter, quos sequitur Sayr. *loco supra cit.* & Bonacin. *disp.* 7. *de irregul.*
7 *quæst.* 2. *punct.* 1. *num* 6. Quare, si quis Neophytus intrà biennium, vel triennium à baptismo suscepto sufficientia probatæ fidei signa dederit, ad arbitrium Episcopi poterit absque dispensatione aliqua ad ordines promoueri, quia cessat tunc hæc irregularitas, *cap. Neophytus, dist.* 61. ibi: *Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur in superbiam; sed si non deest humilitas competens Sacerdotio, vbi causa non adhæret, vitium non imputatur.* Videri etiam poterit Textus *in cap. si quis, dist.* 57. & Couarr. *in Clement. si furiosus*, 1. *part.* §. 1. *n.* 8. *concl.* 3. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 28. *num.* 12. & Auila *de censur. part.* 7. *disp.* 4. *dub.* 4.

8 Hinc sequitur, quod Neophytus non sit neque irregularis, qui in infantia baptizatus est (etiamsi descendat ex parte Iudæo, vel Gentili) neque sit inhabilis ad obtinendas dignitates, vel Ecclesiastica beneficia; quia nullibi contrarium cauetur, Couarr. *loc. suprà cit.* Sanch. *n.* 11. Nauarr. *cap.* 27. *n.* 205. & Sayr. *cit. n.* 10. qui rectè subdunt, in hac parte nihil esse à Concilio Tridentino mutatum *sess.* 23. *cap.* 3. *de reformat.* Vbi præcipitur Episcopis, inquirere ordinandorum genus, &c. quia hac inquisitione Concilium tantum voluit, vt ea, quæ
9 sunt à iure statuta, exactè obseruarentur. Vndè, cum à testibus exigitur iuramentum, an ordinandus sit Christianus veteranus, iuramentum intelligi debet, an sit ità Christianus veteranus, vt non sit Neophytus, neque filius ancillæ, vel hæretici, vt taliter condemnati. Quapropter esto descendat ex parte Iudæo, Gentili, vel ad fidem reconciliato, poterunt in prædicta depositione testes absoluté iurare, illum esse Christianum veteranum, neque à Iudæis, vel Gentilibus descendere; quia non descendit eo modo, quo impediatur ab Ordinibus, beneficiis Ecclesiasticis, vel officiis publicis. Sanch. *cit. cap.* 28. *num.* 16. & alij passim.

10 Obiicies: In Bulla Pauli IV. apud Nauarr. *lib.* 5. *consil. tit. de Iudæis, & Saracenis, cons.* 1. descendentes ex Iudæis, & hæreticis, vsque ad quartam generationem prohibentur sacris Ordinibus initiari: Quam Bullam Gregor. XIII. extendit ad descendentes ex Saracenis.

Respondetur, has Bullas non esse vsu receptas, teste Auila *cit. disp.* 4. *dub.* 3. & Hurtad. *disp.* 2. *diffic.* 3. *n.* 9.
Accedit, quod latæ sunt pro Ordine Sancti Francisci, 11
ad quem Ordinem prohibentur admitti sic descendentes, Rodoriq. *tom.* 1. *quæst.* 14. *art.* 1. & 2. & *in summa tom.* 2. *cap.* 5. *n.* 2. Quinimmò Sixtus V. (vt idem Rodoriq. ait) prædictas Bullas restrinxit ad secundam generationem paternam, & primam maternam.

Obiicies secundò: *in cap. constituit* 17. *q.* 4. Iudæi, 12
vel qui ex Iudæis nati sunt, ab officiis publicis excluduntur: Ergo, quomodocumque descendant, censentur inhabiles, & irregulares.

Respondetur cum Sanch. *loc. suprà cit. num.* 15. intelligi de iis, qui sunt ex Iudæis nouiter ad fidem conuersis, non autem de iis, qui ab infantia fidem susceperunt.

Cæterum, quæ dixi, intellige, si spectetur ius com- 13
mune quia si spectentur particularia statuta à Pontifice confirmata, descendentes à Iudæis, Mauris, vel Saracenis, &c. excluduntur, etiam vsque ad millesimam generationem, ab aliquibus officiis publicis, vt in Tribunali Sanctæ Inquisitionis: & ab aliquibus beneficiis, & Capellaniis, vt in Ecclesia Legionensi, & Toletana.



DVBITATIO C.

Quid quoad cætera, quæ spectant ad materiam de irregularitate?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus scilicet internus, & externus est excommunicatus, & etiam saltem si sit publicus, est infamis, & irregularis, pœnas etiam alias incurrit, quæ recensentur Dubitationibus sequentibus.*



RESPONDETVR. Vide *in tractatibus moralibus, tract.* 5. *de Radice restitutionis, & irregularitatis*, (quæ oritur ex delicto) *à dubit.* 1. *vsque ad* 9.

Dixi vsque adhuc, quod hæreticus (scilicet inter- 1
nus, & externus) sit excommunicatus; & etiam (saltem, si sit publicus) sit infamis, & irregularis, nunc dicam, quod præter has pœnas excommunicationis, infamiæ, & irregularitatis incurrat etiam alias pœnas spirituales, nempe priuationis beneficiorum, & officiorum ritè acquisitorum, & inhabilitatis ad futura, iuxtà Textum *in cap. vt commissi*, §. *priuandi, de hæret. in* 6. & *in cap. statutum* 1. *eodem tit.* & iuxtà communem sententiam Doctorum: Quæ omnia, vt clarius elucescant, sit



DVBITATIO CI.

An hæreticus (scilicet internus, & externus) sit inhabilis ad beneficia, & officia publica?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Beneficij collatio facta excommunicato excommunicatione maiori, vel suspenso, vel interdicto, est nulla.*
2 *Beneficij collatio facta excommunicato excommunicatione minori, non est ipso facto nulla, sed annullanda.*
3 *Collatio non solùm, sed etiam electio, præsentatio, & postulatio excommunicati excommunicatione maioris*

vel suspensi, vel interdicti, quin & resignatio in eius fauorem, est nulla.

4 *Prædicta locum habent in omnibus beneficiis, quæ potestate humana conferuntur; sicque etiam in Episcopatu, quia iura generaliter de beneficiis loquuntur: Tum quia qui minorum capax non est, multò magis maiorum capax esse non debet.*

5 *Limita, dicta de excommunicato non procedere in Papatu, qui non ab hominibus, sed ab ipso Christo Domino confertur ei, qui secundùm formam in Ecclesia receptam, tanquam conditione sine qua non, à Cardinalibus fuerit electus, etiamsi excommunicatus, suspensus, interdictus, vel irregularis sit. Vndè clarè sequitur, quod non obstet ei censura aliqua prior, neque sua, neque eligentium, vt vitentur occasiones schismatis, quod Ecclesiæ quamplurimum obest.*

6 *Electio, vel collatio beneficij, si prouisus ignoret ignorantia probabili se esse excommunicatum, licet sit valida secundùm aliquos: Probabilius tamen est oppositum, quia sic seruatur in praxi: Nam Pontifex solet ad cautelam à censuris absoluere, dum alicui de beneficio prouidet, ad effectum solum præsentis collationis consequentem, &c.*

7 *Collatio si alicui facta sit antè excommunicationem, & is acceptet excommunicatus, licèt sit valida secundum aliquos, quia iam antè excommunicationem censetur ei ius quæsitum per collationem, siquidem acceptatio, seu consensus non tribuit nouum ius: Probabilius tamen est oppositum; quia licèt per talem collationem acquirat ius ad rem, non tamen acquirit ius in re, nec facit illud suum: Ad hoc enim requiritur acceptatio.*

8 *Collatio, electio, vel præsentatio, &c. si facta sit existenti in censura, is tamen acceptet eam post absolutionem, cùm capax est, licèt secundùm aliquos acceptatio sit valida, quia acquiritur ius absolutum, dum fit acceptatio, tunc autem est capax, non autem incapax: Probabilius tamen est oppositum, quia canones irritant electionem excommunicati, nec mentionem faciunt acceptationis, &c.*

9 *Opposita prior sententia valdè probabilis est, si electores, vel patroni persistant in eadem voluntate eo tempore, quo iam electus, præsentatus, vel prouisus est absolutus, quia tunc videntur tacitè priorem actum ratificare.*

10 *Collatio facta irregulari est etiam nulla, quia irregularis est inhabilis ad ordines, eorumque vsum, ex quo etiam infertur esse inhabilem ad beneficium ordini annexum: Tùm quia irregularis in iure dicitur indigere dispensatione etiam ad beneficium simplex.*

11 *Irregularis esse potest quis tantum secundùm quid, v. g. irregularis ad suscipiendum Sacerdotium, ita tamen vt non sit irregularis ad vsum Ordinis suscepti, v. g. ad canendum Euangelium, vel Epistolam, & Sacerdos amissis quibusdam digitis, potest esse irregularis ad celebrandum, ità tamen vt non sit irregularis ad audiendas confessiones: Vndè tali irregulari poterit conferri beneficium, quod non requirit aliud ministerium, quàm illud, ad quod aptus remansit.*

12 *Titulus quando inualidè collatus fuit, etiam ob censuram, irregularitatem, vel inhabilitatem, quæ per Episcopum tolli poterat, adhuc Episcopus, sublata illa inhabilitate, non potest titulum reualidare, si prima collatio spectabat ad Pontificem, cùm hæc reualidatio fieri debeat per eum, cuius est beneficium primo conferre: Quamuis si iusta causa subsit, possit Episcopus titulum reualidare ex tacito Pontificis consensu.*

1 SVPPONO, quod collatio beneficij facta excommunicato excommunicatione maiore, vel suspenso, vel interdicto, sit nulla. Sic cõmuniter Doctores.

De excommunicato habetur *in cap. postulastis, de clerico excomminic.*

De suspenso habetur *in cap. cùm dilectus, de consuetudin. in cap. cum inter, de elect. & in cap. cum bona, de ætat. & qualit.*

De interdicto colligitur *ex cap. 1. de postulat. Prælat.* Quia quamuis ibi non dicatur inhabilis, qui est interdictus, sed qui interdictum violauit. Dubium tamen non est, quin mens Canonum sit, vt etiam is, qui sua colpa interdictum personale contraxit, inhabilis efficiatur: Nam, qui non potest præstare officium publicè, sicut in Ecclesia fieri consueuit, par est, vt beneficij capax non sit, vti colligitur ex iuribus citatis.

Dixi *excommunicato excommunicatione maiori*; quia si minore tantùm sit excommunicatus, collatio non est ipso facto nulla, sed annullanda, sicuti patet *ex cap. si celebrat, de cleric. excommunic.* Quamuis Glossa, quam molti Doctores sequuntur; ly *annullanda* explicet *nulla declaranda*, sed meo iudicio minus rectè; quia potius in pœnis mitior interpretatio est facienda, & odia sunt restringenda, iuxta vulgatam regulam iuris apud Doctores. 2

Suppono secundò, quod non solùm collatio, sed etiam electio, præsentatio, & postulatio excommunicati excommunicatione maiori, vel suspensi, vel interdicti, quin & resignatio in eius fauorem sit nulla, sicuti colligitur *ex cit. textibus*, & docent Gloss. *in cap. si postquam, de election.* Couarr. *in cap. Alma, 1. part. §. 7. n. 1.* Rebuff. §. *formula dimissoriarum, num. 14.* & alij communiter. 3

Suppono tertiò, quod quæ dixi, locum habeant in omnibus beneficiis, quæ potestate humana conferuntur; sicque etiam in Episcopatu; quia iura generaliter de beneficiis loquuntur. Tum quia, qui minorum capax non est, multò magis maiorum capax esse non debet. 4

Dixi, quæ potestate humana conferuntur, vt excludatur Papatus, qui non ab hominibus, sed ab ipso Christo Domino confertur ei, qui secundum formam in Ecclesia receptam (tanquam conditione sine qua non) à Cardinalibus fuerit electus, etiamsi excommunicatus, suspensus, interdictus, vel irregularis sit, vti colligitur *ex cap. licet*, ibi: *Ille absque vlla exceptione ab vniuersali Ecclesia pro Romano Pontifice habeatur, qui à duabus partibus concordantibus electus fuerit, & receptus.* Vnde clarè sequitur, quod non obstet ei censura aliqua prior, neque sua, neque eligentium; de quibus sic etiam expressè statuitur, *in Clement. Ne Romani, §. cæterum.* Causa sic statuendi fuit, vt vitentur occasiones schismatis, quod Ecclesiæ quamplurimum obest. Cessat verò in illo casu excommunicatio, vel quæcumque alia censura per se ipsam; quia euectus in Papatum non potest amplius lege excommunicationis, vel cuiuscumque alterius censuræ, vtpotè à pari lata constringi; cùm par in parem imperium non habeat. 5

Petes: An, si prouisus ignoret ignorantia probabili, se esse excommunicatum, electio vel collatio beneficij sit valida? 6

Respondetur: quamuis Gloss. 1. *in cap. Apostolicæ, de cleric. excommunic. ministr.* Cardinalis, & Felinus, quos citat, & sequitur Nauarr. *in cap. Fratres, de pænit. dist. 5. n. 45.* affirment: quod multò magis dicerent de suspenso, & interdicto; probabilius tamen esse oppositum, quod docent Gloss. common. Abbas, & alij *in dicto cap. Apostolicæ*; quia sic seruatur in praxi: Nam Pontifex solet ad cautelam à censuris absoluere, dum alicui de beneficio prouidet, ad effectum solùm præsentis collationis consequendum. Tum quia, licet ignorantia excommunicationis, vel cuiuscumque alterius censuræ valeat ad non incurrendam irregularitatem ei, qui aliquid prohibitum in tali statu fecerit, non tamen valet ad habilitandum hominem in ordine ad ea, ad quæ per excommunicationem, vel quamcumque aliam censuram

censuram inhabilis existit. Doctores, quos sequitur Couarr. *loco supra cit. n. 3.*

Petes secundò, an si facta sit alicui collatio ante excommunicationem, & eam is acceptet in excommunicatione, acceptatio sit valida?

7 Respondetur, quamuis complures Doctores, quos citat Couarr. *lib. 3. var. cap. 26. n. 4. & in cap. Alma, supra n. 4.* affirment, quia iam ante excommunicationem censetur ei ius quæsitum per collationem; siquidem acceptatio, seu consensus non tribuit nouum ius; cum fiat auctoritate priuata, sed solùm declarat consensum beneficiarij capientis collatum sibi ius retinere: Probabilius tamen esse oppositum; quia licet per talem collationem acquirat ius ad rem, non tamen acquirit ius in re, nec facit illud suum: Ad hoc enim requiritur acceptatio, sicuti clarè colligitur *ex cap. si tibi absenti, de præbend. in 6.* Ergo cùm illo tempore sit incapax noui iuris acquirendi, non videtur acceptatio pro illo tempore esse valida, sed pro tempore, quo desinit esse excommunicatus; quia tunc acceptatio prior, quæ adhuc, cum non sit reuocata, censetur manere, habebit effectum suum, neque opus erit noua acceptatione. Doctores, quos sequitur Couarruu. *vbi supra*, etsi idem Couarr. fateatur priori sententiæ contrariæ praxim fauere.

8 Petes tertiò, an si collatio, electio, vel præsentatio, &c. facta sit existenti in censura, acceptet tamen eam is post absolutionem, cùm capax est, acceptatio sit valida?

Respondetur, quamuis nonnulli, quos sequitur Henriquez *cap. 13.* affirment; quia acquiritur ius absolutum, dum fit acceptatio; tunc autem est capax, non autem incapax. Probabilius tamen esse oppositum; quia canones irritant electionem excommunicati, nec mentionem faciunt acceptationis. Tum quia electus, præsentatus, vel prouisus in excommunicatione facilè differre posset acceptationem, donec esset absolutus; sicque nihil ei obesset excommunicatio: Quod videtur esse contra mentem canonum.

9 Fateor tamen priorem oppositam sententiam valdè probabilem esse, si Electores, vel patroni persistant in eadem voluntate eo tempore, quo iam electus, præsentatus, vel prouisus est absolutus, quia tunc videntur tacitè priorem actum ratificare.

10 Suppono quartò, quod collatio facta irregulari, etiam sit nulla. Est similiter communis sententia Doctorum, Abb. *in cap. tanta, de excessib. prælat.* Nauarr. *cap. 27. n. 251.* & aliorum passim. Quia irregularis est inhabilis ad ordines, eorumque vsum: ergo etiam est inhabilis ad beneficium ordini annexum; cùm inhabilis ad vnum, inhabilis sit ad annexum. Tum quia irregularis in iure dicitur indigere dispensatione, etiam ad beneficium simplex, *cap. studeat, dist. 50.* & *cap. 2. de cleric. pugnan. in duell.*

11 Aduerte tamen, quod possit quis esse irregularis tantum secundum quid, v. g. irregularis ad suscipiendum Sacerdotium, ita tamen, vt non sit irregularis ad vsum ordinis suscepti, v. g. ad canendum Euangelium, vel Epistolam, & Sacerdos, amissis quibusdam digitis, possit esse irregularis ad celebrandum, ita tamen, vt non sit irregularis ad audiendas confessiones. Quibus casibus poterit tali irregulari conferri beneficium, quod non requirit aliud ministerium, quàm illud, ad quod is aptus remansit. Nauarr. *loc. supra cit.* & alij passim.

12 Aduerte secundò, quod quando titulus inualidè collatus fuit, etiam ob censuram, irregularitatem, vel inhabilitatem, quæ per Episcopum tolli poterat, adhuc Episcopus, sublata illa inhabilitate, non possit titulum reualidare, si prima collatio spectabat ad Pontificem; cùm hæc reualidatio fieri debeat per eum, cuius est, beneficium primò conferre. Quamuis, si iusta causa subsit (vt si esset prouisus vir benemeritus, & pro ratione sui status indigens, & qui sine scandalo vix posset beneficium deserere, quique ob paupertatem non posset commodè Pontificem adire) possit Episcopus ei titulum reualidare ex tacito Pontificis consensu. Doctores, quos citat, & sequitur Henriq. *cap. 14.* de de excommun. Idemque dicendum arbitrantur alij ex priori ratione, quod (si scilicet similiter iusta causa subsit, & collatio spectet ad alium, apud quem prouisus infamaretur, si se aperiret:) æquitas etiam suadeat, præsertim, cùm prior, quantum in se est, suam collationem iam ante in illum fecerit; hanc eamdem esse mentem Pontificis, qui in hoc caso titulum reualidare potest; quare si prouisus non possit adire Pontificem, poterit ei titulum reualidare Episcopus, sicut in casu priore. His suppositis.

SECTIO II.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus internus, & externus, est inhabilis ad beneficia, & officia publica, durante hæresi; quia saltem est excommunicatus, si non irregularis.*

2 *Collatio beneficij sic facta nulla est, & fructus inde percepti restitui debent ante omnem sententiam.*

3 *Hæreticus, si hæresis fuit publica, adhuc est incapax beneficiorum Ecclesiasticorum, si dispensatus non sit; quia irregularis est. Si autem hæresis fuit occulta, ex probabili sententia Doctorum non est inhabilis ad beneficia Ecclesiastica; quia ex probabili sententia Doctorum ab hæresi occulta non oritur irregularitas.*

4 *Limita prædicta procedere in foro externo; ita tamen vt non omninò improbabilis sit supradictorum prouisionem in foro conscientiæ validam esse, quousque à iudice rescindatur, vti ad mentem nonnullorum superius dictum est.*

5 *Prouisus in irregularitate, in sententia aliquorum, beneficium retinere potest, si se super irregularitate speret dispensationem impetraturum.*

Respondetur affirmatiuè, durante hæresi; quia saltem est excommunicatus si non est irregularis: Et patet etiam ex Textu *in cap. statutum 1. de hæret. in 6.* Ibi: *Ne hæretici ad aliquod beneficium Ecclesiasticum admittantur*, & ex Constitutione Innocentij IV. *Nouerit vniuersitas*, & ex Constitutione simili Nicolai III. *Nouerit vniuersitas*, & tenent Simanch. *de cath. Instit. tit. 46. n. 63.* Vitalin. *in rubric. de crimin. hæres. num. 6.* Lambertin. *de iurepatr. lib. 1. part. 1. art. 3.* Locat. *in Iudicial. Inquisit. verb. beneficium, n. 1.* & Zanchin. *tract. de hæret. cap. 18.* 1

Quod adeò verum est, vt collatio beneficiorum facta hæreticis, & illorum fautoribus, defensoribus, vel receptatoribus, ipso iure sit inualida; Et fructus, quos isti ex illo beneficio perceperunt, restituere teneantur. Castr. *de inst. hæret. punit. lib. 2. cap. 9.* Penna *in Direct. part. 3. q. 113. comment. 162. vers. ad hæc*, Lopez *in addit. ad Diaz, in Pract. crimin. cap. 11. verb. hæretici, litt. A.* Sayr. *lib. 3. cap. 9. n. 3.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13. q. 9.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 26. n. 4.* Et patet, *ex cap. 2. §. hæretici, de hæretic. in 6.* Ibi: *si secùs fiat, sit inualidum*; & ex eo, quia isti, sicuti dicebam, sunt saltem excommunicati, si non sunt irregulares; Collatio verò beneficiorum facta excommunicatis, vel irregularibus, est inualida. Idemque tenent Suarez *tract. de fide disput. 21. sect. 5. circa finem*, vbi subdit, quod prædicti neque post conuersionem retinere possint beneficium absque noua collatione. Lambert. *de iure patron. lib. 2. part. 1. q. 9.* Ignatius ad Diaz *lib. 8. q. 13. cap. 8. vers. hæretici*, & Ricciull. *lib. 5. cap. 19. n. 3.*

Item secundò adeò verum est, vt sit puniendus ordinarius, qui beneficium confert ei, quem nouit esse

hæreticum,

hæreticum, *cit. cap. vt commissi.* Et notant ibi communiter Canonistæ, qui etiam volunt, quod Ordinarius puniendus sit, tanquam hæreticorum fautor. Idemque tenent Penna *in director. part. 3. quæst. 113. comment. 162.* Lambertin. *tract. de iurepatron. lib. 2. part. 3. quæst. 9. art. 6.*

Item tertiò adeò verum est, vt hæretici non solùm sint inhabiles ad obtinenda beneficia, sed etiam sint inhabiles ad obtinendas pensiones: Doctores, quos sequitur Ricciull. *cit. cap. 19. n. 6.* subdens, ità fuisse decisum in Rota in Conchen. pensionum die 24. Octobr. & die 16. Decemb. 1594. Quia licet pensio non sit beneficium, nec veniat appellatione beneficij, præsertim in materia odiosa (sicut adnotauit Gygas *de pension. quæst. 28. & cons. 139.* Nauarr. *cons. 66. de simonia, num. 30.* Suarez *tom. 5. de censur. disp. 15. sect. 1. num. 7.* Gonzal. *in regul. mensium gloss. 5. §. 5.* Caccialup. *de pension. quæst. 12. & ult.* Mandos. *in regul. 29. cancell. quæst. 11. num. 11. & cons. 55. num. 18.* Suarez *tom. 5. de censuris, disp. 15. sect. 1. num. 7.* Redoanus *de simonia part. 2. cap. 14. num. 10.* Hieron. Paulus *in practic. cancell. vers. quod pensiones quæ constituuntur,* Hoieda *de incompatibilit. benefic. in præfat. n. 30.* & Duard. *de benefic. lib. 6. cap. 4. vers. annua huiusmodi:*) in materia tamen hæresis in odium, & pœnam tanti criminis, pensio venit appellatione beneficij, ità vt tunc beneficium sumatur paulò latiùs, prout comprehendit etiam pensionem: Et quidem, quod interdum nomine beneficij veniat pensio, docent Glossa *in cap. quicumque, §. hæretici, verb. beneficium, de hæretic. in 6.* Barbat. *in cap. ad audientiam 2. de rescript.* Abbas *ibid. n. 2.* Felin. *in principio,* Gambar. *de offic. legat. lib. 6. n. 309.* & Gygas *de pension. quæst. 94. num. 7.*

2 Hinc, vti dicebam, collatio beneficij sic facta nulla est, & fructus indè percepti (vtpotè sine titulo, & sine titulo à principio percepti) restitui debent ante omnem sententiam. Pegna *3. part. direct. quæst. 113. commen. 162.* Garz. *de benef. part. 12. cap. 10. num. 72.* Farin. *de hæres. quæst. 189. n. 71.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 26. n. 4.* & alij, quos suprà citabam.

3 An autem, si reliquit hæresim, & ab illa fuit absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus, adhuc maneat inhabilis ad beneficia, & officia publica, ità vt adhuc nulla reddatur eorum collatio, si ei conferantur ab alio, quàm ab illo, qui dispensare potest in inhabilitate contracta?

Respondetur: quamuis apud Farinacium *loc. sup. cit. num. 81. & seqq.* aliqui affirment, alij verò negent: distinguo, si hæresis fuit publica, hæreticus adhuc est incapax beneficiorum Ecclesiasticorum, si dispensatus non sit: quia irregularis est. Si autem hæresis fuit occulta, ex probabili sententia Doctorum non est inhabilis ad beneficia Ecclesiastica, quia ex probabili sententia Doctorum ab hæresi occulta non oritur irregularitas, vti dicebam *dubit. 98. petit. 3. & 6.* Et nullibi cauetur, hanc inhabilitatem ex occulta hæresi, iam exclusa, manere. Et textus *in cit. cap. statutum,* vbi imponitur, intelligi debet de hæretico, vt hæretico, non de hæretico pœnitente.

4 Cæterum, cum dixi, hæreticum (scilicet internum, & externum) esse inhabilem ad beneficia, & officia publica, durante hæresi, intellige secundum sententiam communem, quam meritò forum externum in iudicando sequitur: ita tamen, vt interim non omninò improbabiliter supradictorum prouisio in foro conscientiæ valida sit, quovsque à iudice rescindatur, vti ad mentem nonnullorum annuebam *dubit. 98.*

5 *petit. 4. circà fin.* Præsertim, quia in sententia aliquorum prouisus in irregularitate, beneficium retinere potest, si se super irregularitate speret dispensationem impetraturum, vt ibidem dicebam: Præsertim etiam, quia Text. *in cap. statutum 1. de hæretic. in 6.* solùm dicit, ne hæreticus ad aliquod beneficium Ecclesiasticum admittatur, non tamen irritat, neque annullat admissionem. Quapropter videri alicui poterit, quod non sit inhabilis ipso iure ad alia, & similia beneficia obtinenda, sed illa recipere possit, si conferantur, & retinere, quovsque rescissoria sententia iudicis aduenerit.



DVBITATIO CII.

An hæreticus (internus scilicet, & externus) ipso iure priuetur beneficiis, etiam ritè possessis?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus internus scilicet, & externus ipso iure non priuatur beneficiis ritè possessis, quia in casu dubio an sit priuatio per sententiam, vel ipso iure, pro priuatione per sententiam interpretatio facienda est: vt enim aliqua pœna ipso iure incurratur, debet esse in iure expressa, & nullus est Textus, qui talem priuationem exprimat ipso iure.*

2 *Textus in cap. quo iure, dist. 8. vbi dicitur, qui præter Ecclesiæ Catholicæ excommunicationem vsurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis Authorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere: non loquitur de possessione habita, sed de possessione habenda, quod contingit, cùm hæreticus petit possessionem, & restitutionem alicuius rei, cui obstare potest exceptio hæresis.*

3 *Textus in cap. ad abolendam, §. 1. de hæretic. in 6. vbi habetur, (si clericus est, totius Ecclesiastici Ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni officio, & beneficio spoliatus Ecclesiastico, sæcularis relinquatur.) Qui textus etiam nihil probat, sed potiùs probat contrarium, sententiam scilicet iudicis expectandam esse.*

4 *Textus in cap. vt commissi, de hæretic. in 6. vbi de hæreticis dicitur (priuandi, vel priuatos nunciandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis, &c.) etiam nihil probat, quia quod nonnulli volunt, ly* vel, *non sumitur ibi disiunctiuè, sed declaratiuè, ita vt faciat hunc sensum, Inquisitoribus concedimus facultatem priuandi hæreticos beneficiis.*

5 *Expositio Couarruuiæ asserentis, particulam illam* Priuandi, *referri ad receptatores, & defensores hæreticorum: Particulam verò illam, priuatos nunciandi, referri ad ipsos hæreticos, non probatur, quia id gratis asserit.*

6 *Particula prædicta refertur ad vtrumque: Noluit enim Pontifex definire modum, quo hæretici, & eorum fautores beneficiis priuantur; sed siue hæc priuatio contingat ipso iure, siue contingat per sententiam, tribuit Inquisitoribus facultatem priuandi, si priuati non sunt, & priuatos nunciandi, si ipso iure priuati sunt, iuxtà stylum frequentem Inquisitionis.*

7 *Item particula* vel, *disiunctiuè, seu copulatiuè sumi potest, vti sæpè fit in iure, & tunc facit hunc sensum, facultatem concedimus Inquisitoribus priuandi hæreticos, & eorum defensores beneficiis publicis, & sic iam priuatos nunciandi, quare non satis ex hoc infertur priuatio ipso iure.*

8 *Textus in Bulla Pij V.* Cum ex Apostolatus officio, *vbi dicitur beneficia vacantia propter hæresim Apostolicæ sedi reseruari, & à nemine posse impetrari, nisi vacationis modus explicetur, nihil probat, quia ibi non habetur quandonam propter hæresim beneficia vacent, antè sententiam scilicet, vel post sententiam, sed solùm habetur, reseruata esse, quandocumque vacent; ex quo non infertur vacare ipso iure.*

9 *Beneficia, dum sententia priuationis eiusmodi succedit possunt renunciari, permutari, & adueniente sententia renunciationem, vel permutationem antea factam*

factam non infirmari: quia & sequitur neque posse ab aliquo impetrari, cùm hoc generale sit quoties beneficium non vacet ipso iure.

10 *Pars affirmatiua dicitur probabilior, quatenus Doctores aiunt, hæreticum externum, quantumcunque occultum, ipso iure priuatum esse beneficiis ritè possessis: quia ex stylo Curiæ, & consuetudine Romanæ Ecclesiæ à die commissi criminis reputatur beneficium ipso iure vacare, neque posse renunciari: sed posse à quolibet alio impetrari.*

11 *Hæretici bona à die commissi criminis, ex cap. Cum secundùm leges, de hæretic. in 6. sunt confiscata, ita vt is à die commissi criminis omnium bonorum temporalium titulum, & dominium deperdat.*

12 *Hæreticus non tenetur ante sententiam criminis declaratoriam se beneficiis, sicut neque aliis bonis spoliare.*

13 *Sententia criminis declaratoria non solùm requiritur; sed & executio facta per iudicem: quamuis Gonzalez & alij putent, hæreticum obligatum esse dimittere beneficium non solùm post sententiam declaratoriam criminis; sed etiam ante illam à die commissi criminis, quia ex tunc caret hæreticus beneficij titulo, & sine titulo non potest quis beneficium retinere, neque fructus lucrari.*

1 NEGANT Alphonsus de Castro *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap.* 4. Ludouic. Gomez *regul. de annual. possess. q.* 52. Ignatius Lopez *in addit. ad Diaz in pract. crimin. cap.* 114. *lit. A.* vbi ait, hanc sententiam esse benigniorem, & forsan probabiliorem. Candelabr. *in Appendic. cap.* 1. *num.* 15. Zerul. *in prax. Episc. part.* 1. *verb. Priuatio, in princip.* Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 26. *n.* 6. Simanch. *de Cathol. institut. tit.* 46. *n.* 72. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 56. *n.* 2. Aragon. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *vers. secunda pœna*, Vasq. *part.* 2. *disp.* 172. *cap.* 2. *n.* 11. & alij, quatenùs expresse aiunt, non esse ipso iure priuatum, sed venire priuandum.

Probatur, quia in casu dubio, an sit priuatio per sententiam, vel ipso iure, pro priuatione per sententiam interpretatio facienda est; sed ita res se habet in casu nostro: Ergo. Maior patet; quia semper in pœnis facienda est benignior interpretatio, cùm odia ex vulgata regula iuris restringenda sint: Tum quia, vt aliqua pœna ipso iure incurratur, debet esse in iure expressa, vt communiter docent Doctores apud Garziam *de benefic. part.* 11. *cap.* 10. *n.* 3. Minor probatur; quia in iure nullus est Textus, qui talem priuationem exprimat ipso iure.

2 Primò enim adducitur Textus *in cap. quo iure, dist.* 8. (vbi sicut & *in cap. si vos* 23. *q.* 5. & *cap. si de rebus*, & *cap. quod autem* 23. *q.* 7. dicitur. *Qui præter Ecclesiam Catholicæ excommunicationem vsurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis Authorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere.*

At hic textus nihil probat: Respondetur enim cum Glossa, quod non loquatur de possessione habita, sed de possessione habenda. Quod contingit, cùm hæreticus petit possessionem, & restitutionem alicuius rei; cui obstare potest exceptio hæresis, quia non est iustum, vt audeat nomine Ecclesiæ consequi possessionem, cùm ipsam Ecclesiam offendat.

3 Secundò adducitur Textus *in cap. ad abolendam,* §. 1. *de hæret.* vbi habetur: *Si clericus est, totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni officio, & beneficio spoliatus Ecclesiastico, sæcularis relinquatur.*

At hic Textus etiam nihil probat, sed potiùs probat contrarium, sententiam scilicet iudicis expectandam esse: Nam ly *nudetur, & spoliatus relinquatur*, diriguntur ad iudicem, qui debet nudare, & spoliatum relinquere, atque ideò important sententiam.

4 Tertiò adducitur Textus *in cap. vt commissi, de hæret. in* 6. vbi de hæreticis dicitur: *Priuandi, vel priuatos nunciandi dignitatibus, ac aliis beneficiis Ecclesiasticis, de Diœcesanorum, vel eis absentibus, Vicariorum suorum consilio, & officiis publicis, ac honoribus quibuscumque eosdem hæreticos, credentes, receptatores, & defensores ipsorum, eorumque filios, & nepotes, plenam concedimus facultatem.*

At hic Textus etiam nihil probat: quia, quod nonnulli (vt Ioan. Andreas, Geminianus, & alij Canonistæ ibi) volunt ly *vel*, non sumi disiunctiuè, sed declaratiuè, ita vt faciat hunc sensum; Inquisitoribus concedimus facultatem priuandi hæreticos beneficiis, idest, declarandi, priuatos esse beneficiis; mihi non probatur: Nam, si per illa verba, *priuandi hæreticos*, Pontifex non intenderet concedere Inquisitoribus facultatem illos beneficiis, & officiis priuandi, sed supponeret, iam esse priuatos, & solùm concederet facultatem renunciandi priuatos, clariùs procederet, omittendo illa verba: *priuandi hæreticos*. Siquidem illa nihil aliud operantur, nisi Pontificem verba superflua assumpsisse, & reddere sensum difficilem: quæ non videntur dicenda.

Neque mihi probatur, quod per accommodatam partitionem dicit Couarruuias *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 4. particulam scilicet illam *priuandi*, referri ad receptatores, & defensores hæreticorum: particulam verò illam *priuatos nunciandi*, referri ad ipsos hæreticos. 5
Quia id gratis asserit, cum ex Textu colligi non possit, magis vnum, quàm aliud ad hæreticos referri: Ergo dicendum, referri ad vtrumque, & noluisse Pontificem definire modum, quo hæretici, & eorum fautores beneficiis priuentur: sed siue hæc priuatio contingat ipso iure, siue contingat per sententiam, tribuit Inquisitoribus facultatem priuandi, si priuati non sunt, & priuatos nunciandi, si ipso iure priuati sunt, iuxta stylum frequentem Inquisitionis: Nam, cùm aliquis hæreticus condemnatur, sententia profertur, *Eum priuamus, seu priuatum declaramus.* Accedit ly, *vel*, disiunctiuè, seu copulatiuè sumi posse, vti sæpè fit in iure, & tunc facit hunc sensum: facultatem concedimus Inquisitoribus priuandi hæreticos, & eorum defensores beneficiis, & officiis publicis, & sic iam priuatos nunciandi. Non igitur ex huiusmodi Textu *in dicto cap. vt commissi*, satis infertur priuatio ipso iure. 6 7

Quapropter rectè inquit Suarez *de fide disput.* 21. *sect.* 2. *num.* 18. quod tam expositio Ioann. Andreæ, Geminiani, & aliorum Canonistarum prior, quàm expositio Couarruuiæ posterior asserantur absque sufficienti ratione, & in materia pœnali sint nimis rigorosæ; & ideò ipse Suarez putat, quod Pontifex loquutus sit sub disiunctione, quia noluit modum determinare; & *num.* 10. subdit quod non constet proprio, & speciali iure, hæreticum amittere beneficium ipso iure, sed quod solùm probetur vsu, & stylo Curiæ, possitque comprehendi *in cap. Cùm secundùm leges, de hæretic. in* 6. 8

Cæterùm, quamuis hæreticus priuaretur beneficiis ipso iure, nihilominùs priùs quam amittat possessionem illorum, requiritur sententia declaratoria iudicis, iuxta ea, quæ dicam infrà *n.* 12. & 13. & tradunt Petr. Ledesma *tom.* 1. *summæ, tract.* 1. *cap.* 6. *concl.* 14. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 5. *cas.* 416. *n.* 62. & *seqq.* Ignatius Lopez *in addit. ad Diaz, loco suprà cit. vers. fateor tamen.* Flamin. *de resignat. benefic. lib.* 3. *q.* 1. *num.* 43. & Azor. *tom.* 1. *lib* 8. *cap.* 13. *q.* 3. & 8.

Quartò adducitur Textus in Bulla Pij V. *Cùm ex Apostolatus officio*, apud Pegnam *in Direct. circa finem*, vbi dicitur, beneficia vacantia propter hæresim Apostolicæ Sedi reseruari, & à nemine posse impetrari, nisi vacationis modus explicetur; Ergo signum est, quod ex vi huius Bullæ saltem priuatio ipso iure inducatur propter hæresim; cum supponere videatur Pontifex, propter hæresim beneficia vacare.

8 At hic Textus etiam nihil probat: Quia ibi non habetur, quandonam propter hæresim beneficia vacent (ante sententiam scilicet, vel post sententiam) sed solũ habetur, reseruata esse, quandocumque vacent: Ergo neque ex hoc textu sufficienter infertur, vacare ipso iure, vt ex Authoribus contrariæ sententiæ fatetur præter alios Sanchez *lib. 2. moral. cap. 25. num.6.*

Ex hoc modo dicendi sequitur interim, dum senten-
9 tia succedit, posse beneficia renunciari, permutari, & adueniente sententia, renunciationem, vel permutationem antea factam non infirmari: quin & sequitur, neque posse ab aliquo impetrari; cùm hoc generale sit, quoties beneficium non vacat ipso iure. Sanch. *vbi suprà, n.16. & de matrim.lib.7. disp.42. num.2.*

Affirmant autem probabiliùs Gonzalez *regul.8.Can-*
10 *cellar. gloss.15.n.65.* Couarr. *lib.2. var. cap.8. n.4.* vbi ait, esse communem sententiam: eamdemque supponit *in cap. Alma mater, part.1.cap.2.n.9.* quatenùs ait, hæretici beneficium ante sententiam contra eum latam posse impetrari, & conferri. Abb. *in cap. inter dilectos, n.11. de excessib. Prælator.* Prob. *in Monach. à cap. alma mater, de sent.excomm.in 6.n.8.* Paris. *de resignat.lib.1. q.3.n.2.& lib.3.q.1.n.31.* Io.Andræas *in cap. vt commissi, de hæretic. in 6.n.4.* Geminian. *ibidem n.4.* Franch. *n.2.* Rebuff. *in Practica part.3. rubrica, de modo amittendi benef. n.4.* Nauarr. *cons.19. de hæret.* Suar. *tom.5. de censur. disput.43. sect.1. num.4. & de fide disput.21. sect.5. num.20.* vbi subdit, posse propterea beneficium impetrari à die commissi criminis, & resignationem ab illo factam ex eodem tempore inualidari. Cassiodor. *decis.14. super Regul.num.1.* Corras. *de benefic. part.2. cap.4.n.13. & part.3.cap.6. num.15.& seqq.* Royas *singul 73.* Ricciull. *lib.6.cap.19.n.9.* vbi subdit beneficium hæretici propterea impetrari posse ante sententiam declaratoriam iudicis. Rota *decis. 707. & 728. lib. 3. part.3. diuers.* & apud Cassiodorum *dicta decis.14. super Regul.* Sarnens. *in Regul. de annalib.q.52.& de trienn. q.52.* Locat. *post indic. Inquisit.pag.473.* vbi refert Decretum Pauli IV. in quo decernitur, hæreticorum beneficia vacare à die commissi criminis: *& pag.475. in rubrica, ne Ordinarij conferant,* Diaz *in practic. crimin. cap.114. verb.hæretici, n.2.* & ibi Lopez *lit. A. vers. qua hodie,* vbi subdit, nunc esse certum ex Constitutione Pij V. At minùs rectè: quia ex Constitutione Pij V. hoc non habetur: cum ibi non dicatur, nec supponatur, ipso iure vacare huiusmodi beneficia, sed solùm Sedi Apostolicæ reseruetur collatio eorum, quando vacauerint, siue vacent ipso iure, siue post sententiam iudicis. Azor. *tom.1.lib.8.cap.13.q.3.& 8.& tom.2.lib.7. cap.17.q.1.* Lancell. *de attent. cap 5.n.34.* Arag. *22.q.1. art.10.* Duaren. *lib 8.cap.6. §.5.* Rodoriquez *in summa tom.1.cap.129. n.3* Petr. Ledesma *part.2. summa tr.1. cap.4. concl.14* Mandos *de signat. gratia tit.de absolut. ab hæresi, vers. hæreticorum beneficia,* Menoch. *de recuper. remed.1.n.340.& de arbitrar.lib.2.cas.416.n.61.* Pegn. *3.part. Direct. q.133. comment. 162.* Salsed. *cap. 14.* Garz. *de benefic. part.11. cap.10. n.60.* Sanchez *lib. 2. moral. cap.26. n.6.* Farinac. *de hæres. disp.189.art.69.& 77.* Barbos. *de potest.Episc. 3.part.allegat.57. n.37.* & alij passim: quatenùs aiunt, hæreticum externum, quantumcumque occultum, ipso iure priuatum esse beneficiis etiè etiam possessis.

Probatur *ex cap. quo iure, dist.8.*

Sed contra; quia, præter ea, quæ suprà dicebam; ibi solùm refertur sententia S. August. nec fertur lex Ecclesiastica, sed solùm refertur lex Imperatoris, qui non habet potestatem ferendi leges circa materiam beneficiorum.

Contra secundò, quia *in cit. cap. quo iure,* de hæretico dicitur: *Nihil nomine Ecclesiæ audeat possidere.* Quæ verba exigunt sententiam iudicis.

Probatur secundò, *ex cap. ad abolendam, §.1. de hæret.* vbi de eodem hæretico dicitur: *Et sic omni officio, & beneficio spoliatus Ecclesiastico, sæcularis relinquatur arbitrio potestatis:* Quo verbo *spoliatus*, significatur priuatio ipso iure. Butrius *in cap. finali de postulat.* Felin. *in cap.2.n. 3. de rescript. & in cap. Rodulphus, n.5. eodem tit.* Et quidam alij Canonistæ.

Sed contra, quia cum *in dicto cap. ad abolendam,* hæreticus dicatur esse nudandus totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua, & consequenter nudandus per sententiam iudicis, fit quod sequentibus verbis; *& sic omni officio, & beneficio spoliatus Ecclesiastico*, significetur similiter esse spoliandum omni beneficio Ecclesiastico per sententiam iudicis, non autem esse spoliatum ipso iure ante dictam sententiam iudicis. His igitur probationibus, & alijs, quas suprà adducebam, reiectis, sic meliùs.

Probatur tertiò; quia ex stylo Curiæ, & consuetudine Romanæ Ecclesiæ (sicuti testantur Pegna, & Farinac. *in locis suprà cit.*) à die commissi criminis reputatur beneficium ipso iure vacare, neque posse renunciari, sed posse à quolibet alio impetrari.

Probatur quartò, quia *ex cap. Cùm secundùm leges,* 11
de hæretic. in 6. à die cõmissi criminis omnia bona hæretici sunt confiscata, ita vt is à die cõmissi criminis omnium bonorum temporalium titulum, & dominium deperdat: Ergo idem multò magis dicendum erit de beneficiis Ecclesiasticis: Præsertim, quia nomine bonorum veniunt etiam beneficia Ecclesiastica, *l. bonorum, ff. de verb. signif. & cap.1. de præbend.*

Probatur quintò; quia in Constitutione Nicolai III. quæ incipit: *Nouerit vniuersitas,* apertè dicitur, quod hæreticus ipso iure priuetur beneficiis Ecclesiasticis.

Requiritur tamen declaratoria sententia criminis, 12
ita vt ante illam non teneatur hæreticus se beneficiis, sicut neque alijs bonis, spoliare, vti colligitur *ex cit. cap. cum secundum,* & tradit Farinac. *vbi suprà num.80.* Sanch. *n.7.* & Suar. *de fide disp.21. sect.5. in fine.*

Requiritur etiam non solùm sententia declaratoria criminis, sed & etiam executio facta per iudicem. Farinac. *n.79.* Sanch. *n.8.* & Couarr. *4. decretal. 2.part. cap.6. §.8. n.6.* iuxta ea, quæ dicebam *suprà n.7.*

Quamuis Gonzal. *gloss.15. n.150.* Flamin. *de resign. lib.3.q.1.n.81.* Garz. *de benefic. part.11.cap.10 n.18.* & Barbos. *cit. allegat.57.n.254.* putent, hæreticum obligatum esse dimittere beneficium, non solùm post sententiam declaratoriam criminis, sed etiam ante illam à die commissi criminis: quia ex tunc caret hæreticus beneficij titulo: & sine titulo non potest quis beneficium retinere, neque fructus lucrari.

At nego hæreticum carere beneficij titulo absolutè ipso facto ante sententiam, sed sub conditione, si sententia succedat, vt *dubit. seq.* commodiùs explicabo.



DVBITATIO CIII.

Quinam sint effectus huius priuationis ipso iure?

SVMMARIVM.

1 *Priuationis huius ipso iure primus effectus est, posse beneficium impetrari à quocumque, præsentari à patrono, conferri ab Episcopo, tanquam vacans ipso iure.*

2 *Præsentatio, vel electio, &c. an fieri possit, hæretico non citato, licèt Doctores citati affirment, eo quod hæreticus careat iam titulo beneficij; Negant verò probabiliùs alij: quia quoticscumque quis in pœnam alicuius criminis priuatur beneficio, non priuatur titulo beneficij perfectè ante sententiam: sed imperfectè, & sub conditione, si sententia succedat: alias deberet is ante sententiam dimittere beneficium, sicut dimittere debet, cùm obtinet beneficium aliud ei incompatibile: cùm tunc absolutè*

absolutè, & perfectè titulum Beneficij deperdat.

3 *Beneficij possessio non potest alteri conferri, hæretico non citato; quia per crimen non amisit possessionem beneficij: sed neque amisit titulum perfectè, & absolutè.*

4 *Priuationis huius secundus effectus est, impetrantem beneficium hæretici non teneri in impetratione exprimere requisita in Regul. Cancell. 32. disponente, quod impetrans beneficium pacificè possessum, debet exprimere valorem beneficij, & alia, quæ ibi decernuntur.*

5 *Tertius effectus est, hæreticum non posse resignare irreuocabiliter beneficium in fauorem alterius; quia non est perfectè suum, sed Apostolicæ Sedi reseruatum: Neque propterea resignatarius ex vi talis resignationis acquirit irreuocabiliter ius in beneficium sibi resignatum.*

6 *Hæreticus si de facto resignationem beneficij faciat, vel cum altero permutet, resignatio, vel permutatio tenet, quousque sententia declaratoria criminis adueniat: quia hæreticus non amitit beneficij possessionem, etiamsi amittat titulum, & proprietatem, quod videtur sufficiens vt beneficium de facto transferat; & is, in quem tale beneficium translatum est, non teneatur dimittere quousque sententia declaratoria criminis aduenerit.*

7 *Ratio Sanchez reiicitur: quia non videtur posse transferri in alium beneficij possessio, non translato titulo.*

8 *Regnatio, vel permutatio beneficij, supposito, hæreticum priuatum esse ipso iure beneficio, facta declaratione criminis rescinditur, & aufertur beneficium ab eo, cui via resignationis, vel permutationis collatum fuit beneficium: quia sententia illa declaratoria criminis habet effectum suspendendi, & inualidandi omnes actus, qui subsecuti fuerunt à die commissi criminis, &c.*

9 *Resignatarius si loco beneficij ab hæretico accepti aliud illi contulit, potest ad suum pristinum beneficium redire propria auctoritate, vel saltem adueniente noua collatione: quia resignatio, vel permutatio non habuit effectum.*

10 *Quartus effectus est priuatio fructuum ex beneficio perceptorum: quia si hæreticus priuatur beneficio, priuari etiam debet fructibus ex eo perceptis; neque allegare poterit eos sibi deberi ex ministerio exhibito; quia vndecumque habet, omnibus priuatur.*

11 *Hæreticum ante sententiam declaratoriam criminis teneri fructus restituere, affirmat Gonzalez, & alij: quia fructus acquiri non possunt sine titulo beneficij, & hæreticus amittit titulum: negant tamen probabilius alij: quia ad horum acquisitionem sufficit titulus possessionis, & administrationis legitimæ beneficij, sicut contingit in qualibet alia re temporali fructifera, qua hæreticus priuatus est ipso iure.*

12 *Posterior sententia licèt Auctori magis probetur; non tamen eidem probatur ratio: quia putat priuationem beneficij hæretico factam ante sententiam, non esse ita absolutam, & perfectam, vt is titulum, & dominium beneficij, & aliarum rerum deperdat: quia non potest intelligi, quomodò hæreticus possit beneficium retinere, & illo vti, si titulo beneficij scienter careat: sed putat esse quamdam imperfectam, & conditionalem priuationem, vt adueniente sententia declaratoria criminis, censeatur à die commissi criminis priuatus beneficio, & omnibus aliis rebus.*

1 RESPONDETVR: Primus effectus est, posse beneficium impetrari à quocumque, præsentari à Patrono, conferri ab Episcopo, tanquam vacans ipso iure, *cap. licèt Episcopus, de prabend. in 6.* & ibi Glossa *vers. Te non vocato.* Gonzal. *gloss. 15. num. 148, & seqq.* Garz. *de benefic. part. 11. cap. 10. num. 23.* Farinac. *de heres. quæst. 189. n. 76.* Barb. *in cit. allegat. 57. num. 255.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 26. num. 12.* Parisius *de resignat. benef. lib. 3. quæst. 1. n. 33.* Decian. *in pract. lib. 3. cap. 44. num. 26.* & vniuersaliter, quotiescomque beneficia ipso iure amittuntur, tenet Gloss. *in cit. cap. licet Episcopus, de prabendis in 6. verb. Te non vocato.* Dominicus *ibidem in fine,* Franch. *circa fin.* Parisius *loc. cit. n. 37.* Abbas *in cap. si diligenti, de for. compet. n. 20.* Surd. *decis. 247. n. 2.* Alex. *lib. 2. cons. 103. n. 17.* Dec. *in Auth. cas. Cod. de sacros. Eccles. num. 14.* Mizinger. *obseru 43. centur. 1.* Saroen. *in Regul. de annal. quæst. 52. num. 5.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 8. q. 3.* Borsat. *lib. 1. cons. 14. n. 18.* Rota *decis. 707. n. 4. part. 3.* & patet *ex cap. cum secundum leges, in fine, de hæret. in 6.*

An autem hæc præsentatio, vel electio, &c. fieri possit, hæretico non citato? 2

Affirmant Doctores adducti suprà, eo quod hæreticus careat iam titulo beneficij: & adducunt etiam pro se Textum *in cit. cap. licet Episcopus:* Nam esto talis Textus loquatur de beneficio vacante ob assecutionem alterius beneficij incompatibilis, extendendum tamen illum arbitrantur ad casus, in quibus inducitur priuatio ipso iure.

Negant verò probabiliùs alij; quia quotiescumque quis in pœnam alicuius criminis priuatur beneficio, non priuatur titulo beneficij perfectè ante sententiam, sed imperfectè, & sub conditione, si sententia succedat; aliàs deberet is ante sententiam dimittere beneficium, sicut dimittere debet, cùm obtinet beneficium aliud ei incompatibile; cum tunc absolutè, & perfectè titulum beneficij deperdat: ergo, vt valida sit præsentatio, vel electio, &c. debet hæreticus citari, & taliter declarari.

Confirmatur; quia possessio beneficij non potest alteri conferri, hæretico non citato, sicuti probat Sanch. *vbi suprà.* Et videri poterit Parisius, Decianus, Glossa, Abbas, Surdus, Alexander, Decius, Myzingerius, Sarnen. Azorius, Bursatus, Rota, & alij, quos suprà citabam: quia per crimen non amisit possessionem beneficij; sed neque amisit titulum perfectè, simpliciter, & absolutè, vti dicebam: Ergo. 3

Secundus effectus est, impetrantem beneficium hæretici non teneri in impetratione exprimere requisita in Regula Cancellariæ XXXII. disponente, quod impetrans beneficium pacificè possessum debet exprimere valorem beneficij, & alia quæ ibi decernuntur. Diaz *cap. 14. n. 2.* Cassador. *in decis. Rot. 14.* & alij, quos citat & sequitur Farin. *loc. suprà cit. n. 79.* 4

Tertius effectus est, hæreticum non posse resignare irreuocabiliter beneficium in fauorem alterius: quia nō est perfectè suum, sed Apostolicæ Sedi reseruatum. Neque propterea resignatarius ex vi talis resignationis acquirit irreuocabiliter ius in beneficium sibi resignatum. Salsed. *cap. 114.* & Pegna *3. part. q. 113. comment. 162. vers. huc quoque.* Idemque tenet Azor. *lib. 8. cap. 13. q. 14.* & Sanch. *vbi suprà, n. 9* qui subdit, quod si de facto hæreticus resignationem beneficij faciat, vel cum altero permutet, resignatio, vel permutatio teneat, quousque sententia declaratoria criminis adueniat; quia hæreticus non amittit beneficij possessionem, etiamsi amittat titulum, & proprietatem: quod videtur sufficiens (loquit ipse) vt hæreticus beneficium de facto transferat, & is, in quem tale beneficium translatum est, non teneatur dimittere, quousque sententia declaratoria criminis aduenerit. 5 6

At licet, quod subdebat Sanchez, mihi probetur, non tamen probatur ratio: quia, si verum esset, hæreticum amittere titulum, id quod subdebat Sanch. non videtur posse defendi, quia non videtur posse transferri in alium beneficij possessio, non translato titulo: Ergo, si crimine hæresis deperdatur titulus, non videtur, quod ab hæretico possit transferri possessio. 7

8 Sed quidquid sit de hoc, illud certum est, quod supposito, hæreticum priuatum esse ipso iure beneficio, facta declaratione criminis rescindatur resignatio, vel permutatio beneficij, & auferatur beneficium ab eo, cui via resignationis, vel permutationis collatum fuit beneficium: quia sententia illa declaratoria criminis habet effectum suspendendi, & inualidandi omnes actus, qui subsecuti fuerunt à die commissi criminis; rescissa autem tali renunciatione, vel permutatione au-
9 fertur à resignatario beneficium collatum; Ipseque resignatarius, si loco beneficij ab hæretico accepti aliud illi contulit, potest ad suum pristinum beneficium redire, propria authoritate, vel saltem adueniente noua collatione; quia resignatio, vel permutatio non habuit effectum. Doctores, quos sequitur Paris. *lib. 1. de resignat. benefic. quæst. 14. num. 6. & seqq.* Flam. & Sanch. *in loc. suprà cit.*

10 Quartus effectus est priuatio fructuum ex beneficio perceptorum; quia, si hæreticus priuatur beneficio, priuari etiam debet fructibus ex eo perceptis: Ergo cùm, adueniente sententia declaratoria criminis hæretico confiscantur omnia bona, confiscati manebunt etiam fructus. Neque allegare poterit, eos sibi deberi ob ministerium exhibitum, quia vndecumque habeat, quæ habet, omnibus priuatur: Doctores communiter, inter quos Molin. *de iust. tom. 1. disp. 96.* & Henriq. *de excommunic. cap. 56. num. 2.*

11 An autem ante sententiam declaratoriam criminis teneatur fructus restituere?

Affirmant Gonzal. *gloss. 15. n. 150.* & alij plures, quos citat, & sequitur Barb. *3. part. allegat. 52. n. 253.* quia fructus acquiri non possunt sine titulo beneficij, sed hæreticus ob crimen hæresis amittit titulum beneficij, ergo. Neque allegare potest bonam fidem, cùm se esse titulo priuatum rectè nouerit: nam ignorantia iuris non præsumitur, atque adeò non excusat.

Negant autem probabiliùs alij, inter quos Salsed. *loco suprà cit.* Suar. *de fide disp. 21. sect. 5. n. 19.* Sanch. *cit. cap. 26. n. 10.* Ita vt hæreticus beneficiatus lucretur fructus beneficij, taliter quod non teneatur illos restituere ante sententiam; quia ad horum acquisitionem sufficit titulus possessionis, & administrationis legitimæ beneficij, etiamsi priuatus sit titulo, & proprietate beneficij, sicuti contingit in qualibet alia re temporali fructifera, qua hæreticus priuatus est ipso iure: nam, sicut cum hac priuatione stare potest excusatio restituendi rem, & fructus illius, ante sententiam, ita & de beneficio, & eius fructibus etiam dici poterit: In quo discrimen est ab illo qui scienter à principio titulum non habet, (cùm iste talis neque possessionem, neque administrationem beneficij legitimam habeat: siquidem hæc fundantur in titulo:) sed, cùm titulus in pœnam delicti deperditur, non deperditur possessio, neque administratio; Ergo neque deperditur titulus legitimus ad lucrandos fructus.

12 At, licèt mihi ista posterior sententia magis probetur, non tamen probatur ratio; quia puto, priuationem beneficij hæretico factam ante sententiam non esse ita absolutam, & perfectam, vt is titulum, & dominium beneficij, & aliarum rerum deperdat; quia non potest intelligi, quomodò hæreticus possit beneficium retinere, & illo vti, si titulo beneficij scienter careat: neque intelligi potest, quomodò possit validè beneficium in alium transferre, non translato titulo, sicuti patet ex iis, quæ suprà dicebam. Sed puto, esse quamdam imperfectam, & conditionalem priuationem, vt scilicet adueniente sententia declaratoria criminis, censeatur à die commissi criminis priuatus beneficio, & omnibus aliis rebus simul cum fructibus earum, sicuti patet ex iis, quæ suprà dicebam, & magis patebit ex iis, quæ dicam de confiscatione bonorum *dubit. 130. & seqq.*



DVBITATIO CIV.

An si clericus ex toto corde conuertatur, priuandus sit beneficiis, & officiis?

SVMMARIVM.

1 *Clericus hæreticus, si ex toto corde conuertatur, secundùm nonnullos Doctores, non est priuandus beneficiis, & officiis; quia in cap. Ad abolendam, de hæretic. dicitur, si clericus est, totius Ecclesiastici Ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni beneficio, & officio spoliatus Ecclesiastico, sæcularis relinquatur arbitrio Potestatis, animaduersione debita puniendus, nisi continuò post deprehensionem erroris ad fidem Catholicam sponte recurreret, & errorem suum ad arbitrium Episcopi, &c.*

2 *Hæreticus dicitur contrario sponte ad fidem reuerti; si infra tempus gratiæ veniat non monitus, re integra, vel ante receptas probationes, vel ante sententiam definitiuam.*

4 *Clericus hæreticus, etiamsi ex toto corde conuertatur, secundùm alios est priuandus beneficiis, & officiis: ita vt solùm ex dispensatione Pontificis ea hæreticus retinere possit, quia in Concilio Elibertino dicitur cap. 51. Ex omni hæresi qui ad nos fidelis euenerit, minimè est ad clerum promouendus, vel si qui sunt in præteritum ordinati, sine dubio deponuntur, quod verbum,* deponuntur, *significat depositionem perpetuam.*

4 *Prima sententia secundùm Pegnam intelligenda est de hæretico ad fidem redeunte ante sententiam, vel antequam recepta sint probationes. Secunda autem intelligenda est de hæretico, qui non continuò sponte, sed potiùs testibus conuictus, vel post sententiam ad fidem reuertitur.*

5 *Hæreticus iuxta sententiam, quæ affirmat, ipsum à die commissi criminis ipso iure beneficiis, & officiis priuatum esse, ea retinere non potest, nisi ex dispensatione Pontificis, si crimen ipsius declaratum sit, quantumcumque ante declaratoriam ad fidem redierit: Et in hoc sensu vera est secunda sententia: quia, facta declaratione, contrahit pœnas à iure decretas, quarum vna est priuatio ipso facto beneficiorum.*

6 *Beneficia quæcumque ob hæresim vacantia ex Bulla Pij V. quæ incipit,* Cum ex Apostolatus officio, *reseruantur Sedi Apostolicæ.*

7 *Hæreticus si continuò sponte fuerit conuersus, scilicet priusquam fuerit sæpiùs monitus, vel testibus conuictus, vel ante sententiam, conueniens sit, quod à Sede Apostolica beneficia ipsi reddantur: quia hæc gratia aliorum conuersionem inducit, & in hoc sensu explicandus est Textus in cap. Ad abolendam, de hæreticis.*



EGANT Eymer. 3. *part. Director. q. 113.* Decian. *tractat. crimin. lib 5. cap. 54. n. 8.* Carrer. *in pract. crimin. tract. 4. de hæretic. §. modò qualiter, n. 1.* & alij, quos citat Farinac. *de hæres. q. 180. num. 82.* 1

Probatur, quia *in cap. Ad abolendam, de hæretic.* dicitur: *Si Clericus est, totius Ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni beneficio, & officio spoliatus Ecclesiastico, sæcularis relinquatur arbitrio Potestatis, animaduersione debita puniendus, nisi continuò post deprehensionem erroris ad fidem Catholicam sponte recurreret, & errorem suum ad arbitrium Episcopi, &c.* Ergo, si continuò sponte ad fidem reuertitur, non priuatur beneficiis.

Dicitur

2 Dicitur autem cootinuo ſponte ad fidem reuerti, ſi infrà tempus gratiæ veniat non monitus, re integra, vel antè receptas probationes, vt dicit Archidiacon. *in cap. vt commiſſi, de hæretic. in 6.* vel ante ſententiam definitiuam, vt dicit Pegna *3. part. director. q. 109. comment.* 158. & Campeg. *in lucerna, verb. redire, §. 6.*

3 Affirmant Simanch. *de cathol. Inſtitut. cap. 47. n. 76.* Repertor. Inquiſitor. *verb. conquerantur*, Zecch. *in ſumma part. 1. tit. de fid. cap. 11. n. 16.* & alij, quos citat Farin. *vbi ſuprà.* Ita vt ſolùm ex diſpenſatione Pontificis ea hæreticus retinere poſſit.

Probatur; quia in Concilio Elibertino *cap. 51.* dicitur: *Ex omni hæreſi qui ad nos fidelis euenerit, minimè eſt ad clerum promouendus, vel ſi qui ſunt in præteritum ordinati, ſine dubio deponuntur.* Sed verbum *deponuntur*, ſignificat depoſitionem perpetuam, vt ex Gloſſa, & aliis communiter notat Farin. *loc. ſuprà cit.* Ergo.

4 Diſtinguunt Pegna *cit. 3. part. q. 113. commentar. 162.* & alij complures, quos citat, & ſequitur Farin. *vbi ſupra*, vt prima ſententia intelligenda ſit de hæretico ad fidem redeunte ante ſententiam, vel ante quàm receptæ ſint probationes, & teſtibus conuincatur. Secunda autem intelligenda ſit de hæretico, qui non continuò ſponte, ſed potius teſtibus conuictus, vel poſt ſententiam ad fidem reuertatur.

His tamen ſententiis relatis non obſtantibus.

5 Reſpondetur: Iuxta noſtram ſententiam, quæ affirmat hæreticum ipſo iure à die commiſſi criminis beneficiis, & officiis priuatum eſſe, dicendum eſt, ea hæreticum retinere non poſſe, niſi ex diſpenſatione Pontificis, ſi crimen ipſius declaratum ſit, quantumcumque ante declarationem ad fidem redierit, & in hoc ſenſu vera eſt ſecunda ſententia; quia facta declaratione criminis, contrahit hæreticus pœnas à iure decretas, quarum vna eſt priuatio ipſo facto beneficiorum: Ergo, &c.

6 Confirmatur; quia ex Bulla Pij V. *Cum ex Apoſtolatus officio*, ſuper relata, reſeruantur Sedi Apoſtolicæ quæcumque beneficia ob hæreſim vacant; ſed vacant ſaltem hæreſi declarata: Ergo.

7 Quamuis, ſi hæreticus continuo ſponte fuerit conuerſus (ſcilicet priuſquam fuerit ſæpius monitus, vel teſtibus conuictus, vel ante ſententiam) conueniens ſit, quod à Sede Apoſtolica beneficia ipſi reddantur; quia hæc gratia aliorum conuerſionem inducit, & in hoc ſenſu vera eſt prima, & tertia ſententia. Et in hoc eodem ſenſu explicandus eſt Textus *in dicto cap. ad abolendam, de hæretic.* cum dicit, clericum non eſſe Eccleſiaſticis officiis, & beneficiis priuandum ſi continuo, & ſponte ad fidem reuertatur.



DVBITATIO CV.

An, ſi clericus obtineat beneficium ad preces hæretici, vel fautoris, &c. priuandus ſit beneficiis, & officiis?

SVMMARIVM.

1 *Clericus ſi obtineat beneficium ad preces hæretici, vel fautoris, &c. priuandus eſt beneficiis, & officiis ex cap. quicumque. §. ad hæc, de hæretic. in 6.*

2 *Pœna prædicta vt locum habeat, requiritur primò preces eſſe efficaces, ita vt ex vi illarum obtineatur beneficium. Secundò requiritur, recipientem beneficium debere ſcire ad preces hæreticorum ſibi beneficium eſſe collatum: quibus conditionibus exiſtentibus recipiens perpetuo priuatur beneficiis ſic acquiſitis, & redditur inhabilis ad alia ſimilia obtinenda, &c.*

3 *Hæreticus prædictus non redditur inhabilis ipſo iure ad alia; vel ſimilia beneficia in poſterum obtinenda; ſed illa recipere poteſt, ſi eidem conferantur, & retinere, donec reſciſſoria ſententia iudicis aduenerit; eo quod Textus ſolùm dicit, Ne ad beneficia admittatur, non tamen irritat, neque annullat admiſſionem, &c.*

RESPONDETVR affirmatiuè *ex cap. quicumque, §. ad hæc, de hæretic. in 6.* vbi dicitur, *quoſcumque viros Eccleſiaſtices, qui ad preces huiuſmodi perſonarum* (ſcilicet hæreticorum, vel credentium, receptatorum, defenſorum, vel fautorum eorum) *dignitates, perſonatus, & quæcumque alia beneficia Eccleſiaſtica ſunt adepti, ex nunc priuamus taliter acquiſitis, volentes, quod tales, & habitis careant perpetuo, & ſi receperunt illa ſcienter, ad alia, vel ſimilia nequaquam in poſterum admittantur.* 1

Aduerte tamen hic, quod vt hæc pœna locum habeat, requiritur primò, preces eſſe efficaces, ita vt ex vi illarum obtineatur beneficium. Secundò requiritur, recipientem beneficium debere ſcire, ad preces hæreticorum ſibi beneficium eſſe collatum, quibus conditionibus exiſtentibus, recipiens perpetuò priuatur beneficiis ſic acquiſitis, & redditur inhabilis ad alia, vel ſimilia in poſterum obtinenda. Niſi forſan dicas, non eſſe eum inhabilem ipſo iure ad alia, vel ſimilia in poſterum obtinenda, ſed illa recipere poſſe, ſi conferantur, & retinere, donec reſciſſoria ſententia iudicis aduenerit, eo quod Textus ſolùm dicit, *ne ad beneficia admittatur*, non tamen irritat, neque annullat admiſſionem. 2 3

COROLLARIA.

Ex dictis igitur *dubit. 101. & ſeqq.* habetur primò, quod hæreticus propter crimen hæreſis ſit priuatus beneficiis. Et patet ex *cap. ad abolendam, §. præterea, de hæretic. in 6.* Ibi: *Et ſic beneficio, & officio ſpolietur Eccleſiaſtico.* Ex *cap. vt commiſſi, §. priuandi, de hæretic. in 6.* vbi de hæreticis dicitur: *Priuandi prætrea, vel priuatos denunciandi dignitatibus, & aliis beneficiis Eccleſiaſticis.* Ex conſtitut. Alexandri IV. *Quod ſuper*, Nicolai III. *Nouerit vniuerſitas*, Martini V. *Inter cunctas*, Honorij III. *Exhibita*, Gregorij IX. *Contra Patarenos*, & Pij V. *Cum ex Apoſtolatus officio*, ibi: *Sedi Apoſtolicæ eſt reſeruatum ius conferendi beneficia, quibus clerici priuati ſunt propter hæreſim, & nunquam intelligitur, eſſe collata huiuſmodi beneficia, niſi in collatione fiat expreſſa mentio, quod beneficia vacauerint propter hæreſim.* Quas omnes conſtitutiones reperies apud Pennam inter literas Apoſtolicas poſt Director. Inquiſit.

Habetur ſecundò, quod ex probabiliori ſententia Doctorum, hæreticus ob crimen hæreſis ſit priuatus beneficiis, etiam ritè obtentis, & poſſeſſis ante crimen commiſſum ipſo iure, iuxta ea, quæ dicebam *dubit. 102.*

Habetur tertiò, quod etiam ex probabiliori ſententia Doctorum hæreticus propter crimen hæreſis ſit inhabilis ad obtinendum in poſterum alia beneficia, & penſiones, iuxta ea, quæ dicebam *dubit. 101.*

Habetur quartò, quod etiam ex probabiliori ſententia Doctorum, non ſolùm hæreticus propter crimen hæreſis ſit priuatus beneficiis (etiam ritè obtentis, & poſſeſſis ante crimen commiſſum) ipſo iure, & inhabilis ad obtinendum in poſterum alia beneficia, & penſiones, ſed ſint etiam ſimiliter priuati ipſo iure, & inhabiles ab obtinendum in poſterum alia beneficia, & penſiones ipſius hæretici credentes, fautores, defenſores, & receptatores. Et patet *ex cap. vt commiſſi, §. priuandi, de hæreticis in 6.* vbi notant communiter Canoniſtæ, *ex cap. ſtatutum 1. eod. tit.* vbi etiam notant communiter Canoniſtæ, *ex cap. excommunicamus, §. credentes, de hæretic.* ex conſtitutione Innocentij IV. *Nouerit vniuerſitas*, Alexandri IV. *Quod ſuper*, Nicolai III. *Nouerit vniuerſitas*, vbi ſic habetur: *Hæretici*

autem, & receptatores, defendentes, & fautores eorum, ipsorumque filij vsque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum beneficium, seu officium admittantur; quod si secus actum fuerit, decernimus irritum, & inane: Nos enim prædictos ex nunc priuamus beneficiis acquisitis, volentes, vt tales & habitis perpetuò careant, & ad alia similia nequaquam in posterum admittantur.) Et ex constitutione Pauli IV. Cum ex Apostolatus, & docent Angel. *verb. hereticus*, n.8. Sylvest. *eod. verb. hereticus* 1. n.14. & 16. & *verb. hereticus* 2. n.12. Tabiena *eodem verb. hereticus* 1. n.8. Armilla *verb. heresis*, n.6. Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 5* 1. n.45. & Azor. *tom. 2. lib. 7. cap. 17. q. 1.*

Obiicies: hæc constitutio Nicolai III. non est posita in libro 6. Ergo nullam vim habet. Antecedens patet. Consequentia probatur; quia abrogantur omnes constitutiones præcedentium summorum Pontificum, quæ in libro 6. non sunt positæ, sicuti constat ex proœmio talis libri.

Respondetur: Concedo antecedens; at nego consequentiam, & ad illius probationem respondeo distinguendo: Abrogantur omnes constitutiones præcedentium summorum Pontificum, quæ in libro 6. non sunt positæ, si non sint circa materiam de hæresi, concedo: si sint circa materiam de hæresi, nego: Huiusmodi enim posteriores constitutiones non abrogantur, etiamsi non sint positæ in constitutionibus, quæ in libro 6. sunt insertæ, sicuti patet *ex cap. finali de heretic. in* 6. & notat Gloss. *in cit. proœmio, verb. reseruantur.*

Dixi, quod & etiam ex probabiliori sententia Doctorum sint priuati beneficiis ipso iure, & inhabiles ad obtinendum in posterum alia beneficia, & pensiones ipsius hæretici, fautores, defensores, & receptatores; quia non desunt Doctores, qui probabiliter velint, tales fautores, &c. non esse priuatos ipso iure, sed esse solùm priuandos per sententiam iudicis. Ita Couarruu. *lib. 2. var. cap.* 8. n.4. Penna *in direct. Inquis. part. 3. q.* 113. *comment.* 162. & alij; quos sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap.* 26. n.15. & 16.

Habetur quintò, quod è contra suspectus de hæresi non sit similiter priuatus beneficiis ipso iure, seu non amittat beneficia ipso iure, sicut hæreticus. Abb. *in cap. inter sollicitudines, de heretic.* n.6. quatenus ait, statutum loquens de hæretico non habere locum in suspecto de hæresi. Penna *in direct. part. 2. comment.* 162. *ad q.* 113. Sanchez *lib. 2. moral. cit. cap.* 26. n.16. & Rota apud Achill. *decis.* 1. *de heretic.* & apud Anton. August. *decis.* 1. *eodem tit.* & coram Comitolo die 20. Iunij 1587.

Hinc, si suspectus de hæresi prinsquam per sententiam iudicis priuetur beneficiis, in fauorem alterius renunciaret, vel permutaret beneficium, talis renunciatio, vel permutatio est valida, nec post latam sententiam iudicis rescinditur, quia, licet is, qui est priuatus beneficiis ipso iure non possit satis probabiliter in fauorem alterius resignare, vel permutare beneficium, etsi resignet, vel permutet, talis resignatio sit inualida. Domioic. *in cap.* 1. *de rer. permut. in* 6. n.6. Franch. *ibidem num.* 17. Cosm. *in Pragmat. sanct. tit. de collat. §. item insuper, verb. disponere, circa fin.* Lessius *de Iust. lib. 2. cap.* 34. n.195. Azor. *tom. 2. lib. 7. cap.* 19. q.19. Parif. *lib. 3. de resign. benefic. q.* 1. n.21. & *seqq.* Farinac. *de hæres. q.* 189. n.79. Riccinll. *lib. 5. cap.* 19. n.13. & alij multi, quos suprà citabam, quia iste talis, inquiunt ipsi, nullum ius habet in eo beneficio, is tamen, qui non est priuatus ipso iure, sed est solùm priuandus per sententiam iudicis, potest è contra in alterius fauorem resignare, vel cum altero permutare beneficium (etiam lite pendente) quia iste alter è contra ante latam sententiam beneficium habet vt suum. Gloss. *in cap.* 1. *verb. finita, vt lit. pend.* Couar. *in Clement. si furiosus, de homicid. part.* 2 §. 1. n.7. Rebuff. *de pacific. possess.* n.261. Zauallos *in Practica* q.147. n.7. Henriq. *lib.* 13. *de excommun. c.* 56. n.4. & alij cõmuniter.

Hinc secundò, si in aliquo loco fuerit statutum, quod filij, & nepotes hominis hæretici non admittantur ad beneficia, non extenditur tale statutum ad filios, & nepotes hominis suspecti de hæresi. uteus *decis.* 400. *lib.* 1. & alij, quos sequitur Ricciull. *lib. 5. cap.* 19. n.27.

Hinc tertiò, constitutio Pij V. (quæ est 29 in ordine Bullarij) sedi Apostolicæ reseruans beneficia vacantia per hæresim, non comprehendit eum, qui est suspectus de hæresi, licet abiurauerit de vehementi. Parif. *de resig. lib.* 4. q.3. n.17. Nauarr. *conf.* 6. *de heretic.* Sanchez *lib. 2. moral. cap.* 25. n.12. & Ricciull. *loco suprà citato.*

Habetur sextò, quod permutatio beneficij facta ab hæretico sit inualida, saltem post sententiam criminis declaratoriam. Quapropter is, cum quo facta est permutatio, potest redire ad beneficium, quod permutauit cum hæretico. Parif. *lib. 1. de resignat. benefic. q.* 14. n.6. & *seqq.* & alij, quos suprà citabam; quia cùm hæreticus, saltem post sententiam criminis declaratoriam sit incapax, & inhabilis ad beneficia consequenda, nullum ius acquirit in illo beneficio, sicque cum permutatio non sit valida, nec fortita sit suum effectum, periodè est, ac si non fuisset facta: Ergo poterit permutans propria authoritate redire ad illud beneficiũ, quod priùs habebat.

Habetur septimò, quod beneficia hæretici (cum ob eius hæresim vacant ipso iure) possint, tanquam vacantia, impetrari, & alteri conferri ante sententiam criminis declaratoriam. Et in sententia multorum probabiliter non sit necesse, quod citetur hæreticus; quia in sententia multorum probabiliter hæreticus post hæresim commissam, & ante sententiam criminis declaratoriam in illis beneficiis ius vllum amplius non habet. Possessio tamen eorumdem beneficiorum in sententia communi omniũ alteri conferri non poterit, si non citetur prædictus hæreticus: quia in sententia communi omnium hæreticus post hæresim commissam, & ante sententiam criminis declaratoriam, si in dicta beneficia ius vllum amplius non habet, habet saltem possessionem. DD. quos suprà etiam citabam: Et patet *ex cap. cum secundum leges, de heret. in* 6. & *ex cap. licet Episcopus, de prebend. in* 6. *verb. Te non vocato*, & docent ibi Glossa, Dominicus, Franch. & alij Canonistæ. Videri etiam poterit Parif. *de resignat. lib.* 3. q.1. n.33. Decian. *in Pract. lib.* 5. *cap.* 44. n.26. Abbas *in cap. si diligenti, de for. compet.* n.20. Alex. *lib. 2. conf.* 03. n.17. Decius *in Auth. cas. Cod. de sacros. Eccles.* n.14. Surd. *decis.* 147. n.2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. q.3. But fat. *lib.* 1. *conf.* 14. n.18. Sarnco. *in Regul. de Annal. q.* 5. n.5. & Rota *decis.* 707. *part.* 3.

Habetur octauò, quod hæreticus, quamuis post sententiam hæresis declaratoriam non solùm priuetur beneficiis, sed etiam fructibus perceptis à die commissi delicti; Molin. *tom. 1. de iust. disp.* 96. Henriquez *lib.* 13. *de excommun. cap.* 56. n.2. & alij quos suprà citabam. Nihilominus ante dictam sententiam hæresis declaratoriam faciat beneficij fructus suos (sicut & quoscumque vacant beneficia per quodcumque aliud delictum.) DD. quos suprà etiam citabam, inter quos Suarez *tract. de fide disp.* 21. *sect.* 5. n.19. vbi iuxta ea, quæ supra dicebam, rectè inquit, quod hæreticus ante sententiam criminis declaratoriam non teneatur ad dimittendum beneficium, seu ad se spoliandum beneficio. Ita vt si nunquam denuncietur, possit absque noua collatione, vel confirmatione retinere beneficium, & tuta conscientia retinere fructus beneficij, subditque etiam rectè n.10. iuxta ea, quæ suprà etiam dicebam, quod si postea sequatur sententia criminis declaratoria, omnes fructus ex tali beneficio percepti ab illo die, quo beneficiarius incidit in hæresim, confiscati remaneant; quia retrotrahitur dicta sententia ad dictum diem, quo beneficiarius incidit in hæresim.

Non obstat, si dicas: fructus beneficij non acquiruntur absque titulo (ita vt si quis ab initio vsurpasset beneficium sine titulo, non faceret fructus illius beneficij suos:) Ergo neque postquam illud amisit, quod amittere quilibet delinquens, cuius beneficia vacant ipso iure.

Respondetur enim, concedo antecedens; At nego consequentiam. Et disparitas est; quia quando benefi-

ciam

tium acquisitur sine titulo (cùm tunc nec etiam legitima possessio acquiratur) nullo modo potest is, qui beneficium sine titulo occupauit facere fructus suos: At quando propter crimen beneficiarius amittit titulum (quem tamen in sententia nostra ante sententiam criminis declaratoriam non amittit perfectè, simpliciter, & absolutè, sed solùm imperfectè, secundùm quid, & conditionatè, si scilicet sequatur postea dicta sententia) cum tunc ante sententiã criminis declaratoriã retineat, & habeat saltem possessionem, poterit vsque ad dictam sententiam criminis declaratoriam facere fructus suos.

Dixi vsque adhuc de pœnis hæreticorum spiritualibus (vt excommunicationis, infamiæ, irregularitatis, inhabilitatis ad beneficia, & officia, eorumdemque beneficiorum & officiorum priuationis, &c.) dicam nunc.



De pœnis hæreticorum temporalibus.

DVBITATIO CVI.

An sub confiscatione cadant bona hæretici?

SVMMARIVM.

1 *Hæretici bona cadunt sub confiscatione, ex legibus ciuilibus.*

2 *Innocentius III. confirmauit dictas leges ciuiles; cum hac tamen differentia, quod si damnati sint laici, eorum bona confiscentur, si sint clerici, eorum bona applicẽtur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt.*

3 *Clemens IV. in Bulla, quæ incipit* Ad extirpanda, *decreuit; quod bona hæreticorum in tres partes diuidantur, ita vt prima deuenire debeat in commune ciuitatis, vel loci. Secunda in fauorem, & expeditionem officij Inquisitionis. Tertia ponatur in aliquo loco tuto, & distribuatur pro arbitrio Diœcesani, & Inquisitoris in fauorem fidei, & extirpationem hæreticorum.*

4 *Bonifacius VIII. in cap.* Cum secundum leges, *de hæret. in 6. decreuit, bona hæreticorum non solùm esse confiscanda, quemadmodum decreuerant prædecessores, sed etiam esse ipso iure confiscata.*

5 *Benedictus XI. in* Extrauag. Ex eo, *de hæretic. ne Ordinarij putarent habere potestatem exigendi rationem ab Inquisitoribus de huiusmodi bonis distributis, decreuit, quod solùm Cameræ Apostolicæ, vel alteri, qui vices Romanæ Sedis habuerit, obligati sint rationem reddere.*

6 *Clemens V. ne Inquisitores potestatem extenderent, Ecclesiasque hac cõfiscationis pœnas damnificarẽt, in Clem. de hæreticis prohibuit, ne bona Ecclesiarũ ob delicta clericorũ etiã fisco Ecclesiæ applicarẽtur.*

7 *Leges non ciuiles, sed Ecclesiasticæ attendi debent in executione talis pœnæ, confiscatione scilicet bonorum hæretici; quia crimen hæresis est crimen merè Ecclesiasticum, cùm autem crimen est Ecclesiasticum, tam laici, quàm clerici legibus, & iurisdictioni Ecclesiæ subduntur.*

8 *Principes, & Domini temporales hanc pœnam confiscationis non possunt exequi contra voluntatem Ecclesiæ; quia hæc pœna est accessoria delicto, ac proinde illius executio spectat ad idem Tribunal, ad quod spectat delictum, cùm accessorium sequatur naturam sui principalis.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè, & ita vt bona hæretici sint ipso iure confiscata à die, quo quis incidit in hæresim.

Probatur *ex cap. cum secundum leges, de hæretic. in 6.* ibi: *Bona hæreticorum ipso iure decernimus confiscata.* vbi Glossa *verb. ipso iure*, Archidiac. *n. 1.* Franch. *num. 1.* Henric. *in cap. vergentis, de hæret. n. 4.* Abb. *ibidem n. 2.* Zabarell. *n. 1.* Angel. *verb. hæreticus, n. 1.* Syluest. *eod. verb. hæreticus 1. n. 12.* Armilla *verb. hæresis, n. 5.* Anton. Gomez *de delict. cap. 2. rubric. de crimin. læsæ maiest. n. 1.* Roland. *cons. 8 n. 7. lib. 3.* Scacc. *de iudic. caus. ciuil. tom. 8. cap. 98. n. 20.* Simanch. *de catholic. instit. tit. 9. num. 21.* Bursat. *vol. 1. cons. 43. n. 3. & vol. 3. cons. 289. n. 10* Clar. *lib. 5. recept. sentent. §. hæresis, vers. item bona condemnatorum.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 12. q. 1.* & alij communiter. Et ex constitutione Martini V. *Inter cunctas*, apud Pennam inter literas Apostolicas. Quod idem statutum est in crimine Læsæ Maiestatis humanæ, *l. quisquis, Cod. ad leg. iul. maiest. human.* ibi: *Bonis eius omnibus fisco nostro addictis.*

Probatur etiam *ex l. Manichæos, Cod. de hæretic.* ibi: *Quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur.* Et ex *Auth. Gazaros, Cod. eodem tit.* ibi: *Et omnes hæreticos vtriusque sexus quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus, atque bannimus, censentes, vt bona talium confiscentur, neque ad eos vlterius reuertantur: Ita vt filij eorum ad successionem peruenire non possint, cum longè sit grauius, æternam, quàm temporalem offendere Maiestatem.*

Quas leges ciuiles Innocentius III. *in cap. vergentes,* 2
de hæretic. & in cap. excommunicamus 1. § damnati, eodem tit. confirmauit, cum hac tamen differentia, quod
si damnati sint laici, eorum bona applicentur Ecclesiis,
à quibus stipendia receperunt. Et Clemens IV. in Bulla, 3
quæ incipit *Ad extirpanda*, decreuit, quod bona hæreticorum in tres partes diuidantur, ita vt prima deuenire debeat in commune ciuitatis, vel loci. Secunda in fauorem, & expeditionem officij Inquisitionis, detur officialibus, qui tunc tale munus peregerint: Tertia ponatur in aliquo loco tuto, & distribuatur pro arbitrio Diœcesani, & Inquisitoris in fauorem fidei, & extir-
pationem hæreticorum. Et postea Bonifacius VIII. *in* 4
cap. cum secundum leges, de hæret. in 6. decreuit, bona hæreticorum, non solùm esse confiscanda (quemadmodum decreuerant prædecessores) sed etiam esse ipso iure confiscata, ibi: *Confiscationis tamen executionem non debere à Principibus, & aliis Dominis temporalibus fieri, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.*

At Benedictus XI. *in Extrauag. ex eo, de hæretic.* Ne 5
ordinarij putarent, habere potestatem exigendi rationem ab Inquisitoribus de huiusmodi bonis distributis, decreuit, quod solum Cameræ Apostolicæ, vel alteri, qui vices Romanæ Sedis habuerit, obligati sint ratio-
nem reddere. Et ne Inquisitores potestatem extende- 6
rent, Ecclesiasque hac confiscationis pœnas damnificarent, Clemens V. *in Clem. 2. de hæretic.* prohibuit, ne bona Ecclesiarum ob delicta clericorum, etiam Fisco Ecclesiæ applicarentur.

Cæterum in executione talis pœnæ (confiscatione sci- 7
licet bonorũ hæretici) attendi debent leges, non ciuiles, sed Ecclesiasticæ; quia crimen hæresis est crimen merè Ecclesiasticum, *cap. Inquisitionis, §. prohibemus, de hæret. in 6.* cum autem crimen est Ecclesiasticum, tam laici, quàm clerici legibus, & iurisdictioni Ecclesiæ subduntur, *cap. licet, de for. compet.* & ibi Gloss. *verb. vacante imperio*, quam sequuntur communiter Doctores.

Quod adeò verum est, vt non possint Principes, & Do- 8
mini temporales hanc pœnam confiscationis exequi contra voluntatem Ecclesiæ, quia hæc pœna est accessoria delicto, Geminian. & alij Doctores passim *in cit. cap. cum secundum leges, de hæretic. in 6.* ac proindè illius executio spectat ad idem Tribunal, ad quod spectat delictum, cùm accessorium sequatur naturam principalis, *cap. accessorium, de regul. iur. in 6.* Et videri potest Pegna *3. part. direct. q. 109 commentar. 158.*

Ex dictis igitur, hæretici propter crimen Læsæ Maiestatis diuinæ priuantur suis bonis, quæ Fisco applicantur, citata *l. Manichæos, & 2. seqq. cit. Auth. Gazaros*

Cod.

Cod.de hæretic. l. quisquis, l. vltima, Cod. ad leg. Iul. maiest. l. vlt. Cod. de bonorum præscript. cap. cum secundum leges, de hæretic. in 6. &c. quæ pœna iure optimo in hæreticos infligitur.

Primò; quia homines quam maximè timent, quod suis bonis priuentur: Ergo meritò leges crimini hæresis talem pœnam imponunt; vt scilicet timore dictæ pœnæ homines in officio contineantur, & ab huiusmodi delicto perpetrando detineantur.

Secundo; quia cùm hæretici sint hostes Ecclesiæ, & fidelium) iustum est, quod priuentur bonis temporalibus (quæ possident, vt hac ratione ipsorum vires debilitentur; cum homines ad suos hostes vexandos, & persequendos dictis bonis quamplurimum iuuentur.

Tertiò, quia qui committunt crimen læsæ maiestatis humanæ, & quædam alia delicta, priuantur suis bonis: Ergo meritò priuabuntur etiam, qui committunt crimen læsæ maiestatis diuinæ, cùm hoc crimen sit multò grauius, & ænormius, quàm illud.



DVBITATIO CVII.

An sub confiscatione cadant bona hæretici omnia?

SVMMARIVM.

1 *Hæretici bona omnia cadunt sub confiscatione; ita vt comprehendantur tam bona mobilia, quàm immobilia, iura, & actiones, quæ hæretici propria sunt, cum delictum committit, ex communi Doctorum sententia.*

2 *Particula, omnia, exprimitur tantum in l. Manichæos, Cod. de hæretic. & licet in cap cum secundum leges, de hæret. in 6. non exprimatur, vbi hæc pœna confiscationis ipso iure decernitur, non ideò obstat; quia sufficit sine limitatione bonorum confiscationem ipso iure decerni, vt omnia bona intelligantur comprehensa, aliàs effectum confiscatio non haberet.*

3 *Bona tantum hæretici confiscantur; quia bona, quæ sunt alterius, licet in potestate hæretici reperiantur, in confiscationem non cadunt; quia aliàs Innocentes punirentur.*

4 *Bona, quæ fuerunt hæretici; sed non sunt illius de tempore commissi delicti, eo quod illa à se alienauerit, seu per donationem simplicem, seu per contractum, non cadunt sub confiscationem.*

5 *Excipe, nisi alienauerit in fraudem fisci; quia tunc nulla est alienatio, siue fuerit per donationem simplicem, siue per contractum, vt venditionis, &c. sed omninò reuocatur à fisco, ex communi Doctorum sententia.*

6 *Fraus prædicta præsumitur primò, si facta alienatione statim delictum committatur, nisi alienandi necessitas appareat.*

7 *Fraus prædicta præsumitur secundò, si sit donatio omnium bonorum, vel maioris illorum partis, vel bonorum meliorum, seu magis pretiosorum.*

8 *Amplia adeò id verum esse, vt etiamsi donatio bonorum omnium facta sit interpolatis vicibus, & diuersis personis, adhuc tamen præsumatur in fraudem fisci facta.*

9 *Idem dic de venditione omnium bonorum: non tamen de venditione maioris illorum partis, de hac enim venditione fraus non præsumitur, cum facilè possit honestari.*

10 *Fraus neque præsumitur in venditione omnium bonorum, si talis venditio facta sit iusto pretio, vel parum minori, palam, & absque vlla occultatione.*

11 *Fraus item tertiò præsumitur, si donatio, vel venditio facta sit persona amicitia, vel sanguine iuncta, à qua facilè possis sic donatum, vel venditum recuperare.*

RESPONDETVR affirmatiuè, ita vt compre- 1
hendantur tam mobilia bona, quam immobilia, iura, & actiones, quæ hæretici propria sunt, cùm delictum committit. Est communis sententia Doctorum, &c.

Probatur *ex l. Manichæos, Cod. de hæretic.* vbi ex- 2
pressè id traditur per particulam *Omnia*. Et licet *in cap. cum secundum leges, de hæretic. in 6.* vbi hæc pœna confiscationis ipso iure decernitur, non apponatur prædicta particula *Omnia*, nooproptereà quidquam obstat in contrarium; quia sufficit, sine limitatione bonorum confiscationem ipso iure decerni, vt omnia bona intelligantur comprehensa; aliàs effectum confiscatio non haberet; cùm nulla esset ratio, cur magis hæc, quàm illa bona confiscarentur. Vide etiam, quæ dicentur infrà *Dubit.* 119.

Dixi, confiscari bona, quæ hæretici propria sunt; quia 3
bona, quæ sunt alterius, licet in potestate hæretici repeciantur, in confiscationem non cadunt; quia aliàs Innocentes punirentur, contra *l. sancimus, Cod. de pœnis.* Tum quia *in dicto cap. cum secundum leges*, & aliis relatis semper dicitur, confiscari bona hæreticorum: Ergo, si non sunt bona hæreticorum, sed Catholicorum, confiscari non debent.

Dixi secundò, *cùm delictum committit*, vt excludê- 4
rem bona quæ fuerunt hæretici, sed non sunt illius tempore delicti, eo quod illa à se alienauerit, su per donationem simplicem, seu per contractum.

Excipe, nisi alienauerit in fraudem fisci: quia tunc 5
nulla est alienatio (siue, inquam, fuerit per donationem simplicem, siue per contractum, vt venditionis, &c.) Sed omninò reuocatur à fisco. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *in pract. q.* 164. *n.*48. *& seqq.*

Petes, quandonam hæc fraus præsumatur? 6

Respondetur, præsumitur primò, si facta alienatione, delictum committatur, nisi alienandi necessitas appareat. Menoch. *lib.* 3. *præsump.* 127. *n.* 18. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 14. *n.*4. & Farinacius *cit. q.* 164. *n.* 154 etsi dissentiant Ioannes Faber *in § item si quis, n.* 7. *& seqq. Inst. de action.*

Præsumitur secundò, si sit donatio omnium bono- 7
rum, vel maioris illorum partis, vel bonorum meliorum seu magis pretiosorum. Menoch. *loc. sup. cit. n.* 9. Gomez *cit. n.* 4. & Farin. *vbi sup. n.* 126.

Quod adeò verum est, vt etiamsi donatio bono- 8
rum omnium facta sit, interpolatis vicibus, & diuersis personis, adhuc tamen præsumatur in fraudem fisci facta. Menoch. Gomez. Farinac. *in loc. sup. cit.* Idemque
dicendum de venditione omnium bonorum, non tamen 9
de venditione maioris illorum partis. De hac enim venditione fraus non præsumitur, cùm facilè possit honestari. Menochius, Gomez, & Farinac. *ibidem.* Neque 10
etiam in venditione omnium bonorum præsumitur fraus, si talis venditio facta sit iusto pretio, vel parum minori, palam, & absque vlla occultatione. Gomez. *n.* 18. & Farinac. *n.* 133.

Præsumitur tertiò fraus, si donatio, vel venditio fa- 11
cta sit personæ amicitiâ, vel sanguine iunctæ, à qua facilè possis sic donatum, vel venditum recuperare. Menochius *n.* 23. & Farinac. *n.* 136.



DVBITATIO CVIII.

An sub confiscatione cadant bona donata sub conditione?

SVMMARIVM.

1 *Bona donata sub conditione, cadunt sub confiscationem*

nem, ita vt sub bonis confiscatis comprehendantur etiam bona, quæ quis sub conditione donauit, quando conditio purgatur adueniente delicto, ex communi Doctorum sententia; quia bona, quæ sub conditione donantur, sunt donantis, dum conditio non purgatur, tempore autem conditionis iam sunt fisci ob hæresim, vel ob aliud simile delictum.

2 *Amplia, id adeò verum esse, vt extendi debeat non solum ad donationem inter viuos; sed etiam ad donationem causa mortis.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè, ità vt sub bonis confiscatis comprehendãtur etiam bona, quæ quis sub conditione donauit, quando conditio purgatur, adueniente delicto. Est communis sententia Doctorum apud Simanch. *de cathol. instit. cap. 9. n. 9.* Suar. *de fide disp. 22. sect. 5. n. 3.* & Farin. *de hæresi quæst. 190. n. 12.*

Probatur, quia bona, quæ sub conditione donantur, sunt donantis, dum conditio non purgatur: Tempore autem conditionis iam sunt fisci ob hæresim, vel ob aliud simile delictum.

2 Et quod dixi, adeò verum est, vt extendi debeat, non solùm ad donationem inter viuos, sed etiam ad donationem causâ mortis.

DVBITATIO CIX.

An sub confiscationem cadant bona donata per donationem absolutè factam causa mortis, quæ reuocari potest?

SVMMARIVM.

1 *Bona donata per donationem absolutè factam causa mortis, quæ reuocari potest, si à viro vxori donata sint, donatio firma manet, commisso delicto, & bonis publicatis, ac si mors naturalis euenisset, atque adeò in fiscum non transit, ex communi Doctorum sententia, quia ita deciditur ex legibus.*

2 *Donatio dicta manet firma respectu fisci, non item manet firma respectu viri, vir enim, dum superstes est, potest eam reuocare.*

3 *Donatio hæc viri facta vxori respectu fisci, vt firma maneat, & sub confiscationem res donata non cadat, requiritur traditio.*

4 *Donatio si non à viro vxori; sed ab vxore viro, vel à viro aliis facta sit, morte ciuili donantis non confirmatur; sed omninò dissoluitur, atque ideò res donata transit in fiscum, quia morte ciuili firmari donationem causa mortis respectu fisci, est speciale priuilegium vxoris.*

5 *Donatio maritalis ante tempus criminis, ac reatus collata in vxorem, quia pudicitia præmio cessit, obseruanda est, tanquam si maritus eius natura, non pœna subduxerit.*

1 RESPONDETVR distinguendo: si talis donatio facta sit à viro vxori, firma manet, cõmisso delicto, & bonis publicatis, ac si mors naturalis euenisset, atque adeò in fiscum non transit. DD. communiter, quos citat, & sequitur Farin. *de hæres. quæst. 25. n. 130.* Molin. *de iust. disp. 659. in fine,* & Sanch. *de matrim. lib. 6. disp. 17. n. 5.*

Probatur, quia ità expressè deciditur *in l. sed si mors, ff. de donation. inter vir. & vxor.* & in *l. quisquis, §. vxores, Cod. ad leg. Iul. maiest.*

2 Dixi, manere firmam donationem respectu fisci, quia non item manet firma respectu viri: vir enim, dum superstes est, potest eam reuocare, Farin. Sanch. & alij *in locis suprà cit.* ex dicta *l. sed si mors, ff. de donat. int. vir. & vxor.*

3 Vt autem hæc donatio viri facta vxori respectu fisci firma maneat, & sub confiscationem res donata non cadat, Clarus in *§. donatio, q. 9. vers. scias autem,* Farin. *q. 25. n. 137.* (vbi testatur de communi) tenent, requiri traditionem. Molin. tamen *tom. 2. disp. 288. §. dubium est,* Sanch. *de matrim. cit. lib. 6. disp. 11. num. 5* & alij contrarium, & quidem satis probabiliter docent, quia text. *in d. l. sed si mors,* hanc traditionem non requirit.

At si donatio non à viro vxori, sed ab vxore viro, vel à viro aliis facta sit, morte ciuili donantis non cõfirmatur sed omninò dissoluitur, atque adeò res donata transit in fiscum, quia morte ciuili firmari donationem causa mortis respectu fisci, est speciale priuilegium vxoris. Molin. *cit. tom. 2. disp. 289.* Sanch. *cit. lib. 6. de matrim. disp. 10. n. 5.* & Farin. *de hæresi quæst. 25. n. 151. & quæst. 164. n. 17. & l. res vxoris, Cod. de donat. inter vir. & vxor.* ibi: *Donatio maritalis ante tempus criminis, ac reatus collata in vxorem, quia pudicitia præmio cessit, obseruanda est, tanquam si maritus eius natura, non pœna subduxerit.* Quod inde etiam sufficienter confirmatur; quia ad hanc confiscationem faciendam nihil aliud requiritur, quàm sententia declaratoria criminis. 4 5

DVBITATIO CX.

An sub confiscationem cadant bona acquisita post delictum commissum?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Bona, quæ post commissum delictum, & latam sententiam sunt acquisita, non cadunt sub confiscationem; quia tunc cessat fundamentum confiscationis, quod est delictum: Tum quia quando confiscantur bona hæreticorum; & similium aliarum personarum, confiscantur tantum bona præsentia, & non futura.*

2 *Textus in l. 2. Cod de bonis damnatorum, (vbi dicitur: Deportati neque earum quidem rerum, quas post pœnam irrogatam habuerint, heredem habere possunt, sed hæ publicabuntur,) non loquitur de quolibet delinquente, cuius bona confiscantur, sed de delinquente deportato, qui cùm capite minutus sit, heredem habere non potest.*

SVPPONO, sub confiscationem non cadere bona, quæ post commissum delictum, & latam sententiam sunt acquisita, quia tunc cessat fundamentum confiscationis, quod est delictum. 1
Tum quia quando confiscantur bona hæreticorum, & similium aliarum personarum, confiscantur tantùm bona præsentia, & non futura, *ex l. si mandauero, §. is cuius, ff. mandat.* ibi: *In publicandis bonis quidquid postea acquiritur, non sequitur fiscum.* Ex *l. eius qui, §. 1. ff. de test.* ibi: *Bona quoque, quæ tunc habuit, cum damnaretur, publicantur.* Ex *l. certa forma, Cod. de iur. fisci,* ibi: *Parentibus heredes existere eos non oportere, nulla legis sanctione statutum est.* Et ex *cap. felicis, de pœnis in 6. vers. cùm talis,* ibi: *De postmodum acquisitis repetitio denegetur:* Et docet Gloss. ibi *verb. acquisitis, in leg. iam ad ea, vers. præsens, ff. de condit. & demonstr. & in l. 1. ff. de pœnis,* vbi dicitur, quod delinquens eam causam substinere debeat, quam substinuisset, si eo tempore esset sententiam passus, cum deliquisset. Simanch. *de cathol. instit. tit. 9. num. 61. & in Enchirid. tit. 56. num. 5.* Cephal. *cons. 321. num. 49.* Rota *decis. 515. num. 4. part. 1. diuers.* Baiard. *ad Iulium Clarum in §. hæresis,* Alex. *lib. 1. cons. 23. num. 5. & cons. 75. num. 15.* Natta *cons. 471. num. 4. & seqq.* Bursat. *lib. 1. cons. 14. num. 28. & cons. 43. num. 42.* Locat. *verb. publicatio bonorum, num. 5.* Curt. Sen. *cons. 59. num. 13. & cons. 62. num. 32.* Bossius *de publicatione bonorum, num. 19.*

*num.*15.*&* 27. Dec. *conf.*438 *num.*10.*&* *conf.*441.*n.*20. Repert. Inquisit. *verb. bona, vers. sed bonorum,* Zecch. *in summ. part.*1. *tit. de fide, rubr. de hæresi, cap.*11.*num.*16. Suar. *de fide disp.*22.*sect.*1.*num.*13. Clarus *lib.*5 *recept.* §.*fin. quæst.*78 *num.*24. Vasquez 1.2.*disp.*169.*cap.*1.*n.*8. Azor. *tom.*1.*lib.*5.*cap.*7.*quæst.*8. Farin. *de hæres. quæst.*190. *num.*25.*&* *quæst.*25.*num.*138. Sanch. *lib.*2.*moral. cap.*14. *num.*8. & alij passim.

2 Non obstat textus *in l.* 2. *Cod. de bonis damnatorum,* vbi dicitur: Deportati neque earum quidem rerum, quas post pœnam irrogatam habuerint, hæredem habere possunt, sed hæ publicabuntur.

Respondetur enim cum Fachin. *lib.* 9. *controvers. cap.*51. & aliis, textum illum non loqui de quolibet delinquente, cuius bona confiscantur, sed de delinquente deportato, qui quia capite minutus est, hæredem habere non potest. His suppositis, sit

---

SECTIO II.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Bona donata per donationem absolutè factam causa mortis, quæ reuocari potest, non cadunt sub confiscationem: Ita vt non confiscentur bona, quæ intermedio tempore inter delictum, & sententiam sunt acquisita, sed solùm ea, quæ tempore delicti commissi, hæreticus, vel similis delinquens habebat; quia confiscatio hæc est annexa delicto, neque delinquenti sententia aliam confiscationem imponit, nisi quæ per delictum imposita est.*

2 *Confiscatio ipso iure hoc præstat, vt ius loco sententiæ succedat, & delinquens puniatur ex delicto, ac si tunc sententia pronunciata esset.*

3 *Delinquens in l.*1.*ff. de pœnis, eam pœnam substinere cogitur per sententiam, quam substinuisset, si eo tempore, quo deliquit, esset lata sententia, quæ si lata esset, non extenderetur ad bona postea acquisita.*

4 *Nullibi habetur extendi debere sententiam ad bona acquisita post commissum delictum.*

5 *Contrarium defenditur à pluribus Doctoribus ibi citatis primò, quia consuetudo est, vt omnia bona, quæ habet delinquens, dum eius delictum declaratur, publicentur. Quod in hæresis delicto efficacius procedit ob præsumptam perseuerantiam, dum ad Ecclesiam non redit, sed transeat hoc, cùm id eueniat, quia rarò inter delictum, & sententiam bona acquiruntur: Tum quia nescitur, an bona illo intermedio tempore incrementum, vel decrementum habuerint.*

6 *Ad textum in l. eius qui, §.*1. *de testamentis, vbi dicitur bona quoque, quæ tunc habuit, cum damnaretur, publicabuntur, respondetur, legem illam loqui non de delictis, in quibus publicatio habetur ipso facto, sed de delictis, in quibus publicatio facienda est per iudicem, & in his delictis transeat, quod iudex possit omnia bona, quæ tunc delinquens habet, cùm damnatur, publicare.*

7 *Sententia Auctoris à quibusdam limitatur, vt intelligatur casu, quo aliquis hæresim renunciauerit, & ex toto corde ad fidem conuersus fuerit: secus si in illa perseueret, quia si in illa perseuerat, iam hæreticus est.*

8 *Limitatio prædicta reiicitur, quia confiscatio non fit ob hæresim mentalem, vel ob hæresim habitualiter permanentem, sed ob hæresim externam, & manifestam; quæ iam cessauit, vti supponit Auctor.*

9 *Non obstat, hæreticum esse obligatum redire ad Ecclesiam, à qua se seiunxit, vt dicatur bona illius esse confiscata ob non impletam talem obligationem, quia confiscatio bonorum non est annexa peccato huius omissionis, sed hæresis externæ.*

10 *Perseuerans habitualiter in hæresi, ob hæresim habitualiter permanentem, vel est factus incapax acquirendi aliquam hæreditatem, vel non. Si primum, ea non acquiritur fisco, sed hæredibus venientibus ab intestato. Si secundum, acquiritur donatario, & eius hæredibus, dum sententia non præcedit.*

11 *Ratio in contrarium adducta non obstat, quia licet confiscentur bona hæretici, non tamen confiscantur bona hæretici habitualis, sed actualis, quemadmodum confiscantur bona sodomitæ, qui scilicet actu est talis, non tamen qui fuit, & est solum in habitu talis.*

1 RESpondetur negatiuè, ità vt non confiscentur bona, quæ intermedio tempore inter delictum, & sententiam sunt acquisita, sed solum ea, quæ tempore delicti commissi hæreticus, vel similis delinquens habebat: Ità ex probabiliori sententia Doctorum docent Angel. *in leg. quoties, in fine, ff. de nouat.* Salsed. *in pract. Bernard. cap.* 86. Gutierez *lib.* 1. *quæst. pract. quæst.* 39. *num.* 6. Bursat. *vol.* 1. *cons.* 14. *num.* 28. *& cons.*43. *num.*4. Marian. *lib.*5. *recopil. tit.*4. *leg.*3. *gloss.*7. *num.* 6. Baiard. *in addition. ad Clarum, lib.*5. §. *hæresis, num.* 19. *&* *quæst.*78. *num.*212. & Sanchez *lib.*2. *moral. cap.*14. *num.* 10.16.*&* 20.

Probatur, quia confiscatio hæc est annexa delicto, neque delinquenti sententia aliam confiscationem imponit, nisi quæ per delictum imposita est: sed per delictum non imponitur confiscatio, nisi bonorum, quæ tempore delicti habentur: Ergo neque sententia aliam confiscationem imponit.

2 Confirmatur, quia confiscatio ipso iure hoc præstat, vt ius loco sententiæ succedat, & delinquens puniatur ex delicto, ac si tunc sententia pronunciata esset: Ergo non punitur in bonis acquisitis post delictum.

3 Confirmatur secundò, quia *in l.*1.*ff. de pœnis,* delinquens eam pœnam substinere cogitur per sententiam, quam substinuisset, si eo tempore, quo deliquit, esset lata sententia: Sed si eo tempore esset lata sententia, non extenderetur ad bona postea acquisita: Ergò neque etiam extenditur postea.

4 Confirmatur terriò; quia nullibi habetur, extendi debere sententiam ad bona acquisita post commissum delictum: Ergo non est, cur nos eam extendamus; cùm pœnæ non sint extendendæ, sed potiùs restringendæ.

5 Contrarium tamen tenent Azor. *tom.* 1. *lib.*5. *cap.* 7. *q* 8. Iul. Clar. *lib.*5. *recept.* §. *hæresis, n.* 19. Cur. Sen. *cons.* 59. *n.*13. Tellus *ad leg. Taur. leg.*4. *n.*48. Peregr. *de Iur. fisc. lib.*5. *tit.*1. *n.*132. Gratian. *tom.*1. *discept. forens. cap.* 309. *n.*19. Suar. *de fid. disp.* 22. *sect.* 1. *n.*15. Simanch. *de cathol. Institut. tit.*9. *n.*61. Vasq. 1.2. *disp.*169. *cap.*1. *n.*8. Farin. *de hæres. q.* 190. *n.* 25. & alij.

Primò, quia consuetudo est, vt omnia bona, quæ habet delinquens, dum eius delictum declaratur, publicentur: Quod in hæresis delicto efficacius procedit; quia dum ad Ecclesiam non redit, in hæresi censetur perseuerare: Ergo.

At respondetur: Transeat, consuetudinem esse, bona delinquentis, quæ tempore sententiæ habet, publicari, id tamen esse, quia rarò inter delictum, & sententiam bona acquiruntur. Tum quia nescitur, an bona illo intermedio tempore incrementum, vel decrementum habuerint: Immò semper præsumitur, delinquentem illa deteriora reddidisse, ne ad fiscum deuenirent.

6 Secundò, quia *in l. eius qui, §.*1. *de testament.* dicitur: *Bona quoque, quæ tunc habuit, cùm damnaretur, publicabuntur*: Ergo signum est, quod attendatur ad condemnationem, & non solùm ad delictum.

At

At respondetur, id ibi dici; quia tunc damnatur delinquens, cùm delictum committit. Vel respondetur, legem illam loqui non de delictis, in quibus publicatio habetur ipso facto, sed de delictis, in quibus publicatio facienda est per iudicem: Et in his delictis transeat, quod iudex possit omnia bona, quæ tunc delinquens habet, cum damnatur, publicare.

7 Sententiam nostram tamen limitant quidam, inter quos Sanchez *loco suprà citato*, vt intelligatur casu, quo hæresi renunciaueris, & ex toto corde ad fidem conuersus fueris, secùs, si in illa perseueres, quia si in illa perseueras, iam hæreticus es: At bona hæretici confiscantur: Ergò. Non idem, subdunt, dicendum est in sodomia, quæ est peccatum transiens, & finito actu finitur.

At hæc limitatio mihi non probatur, ita vt idem dicendum putem de hæresis, ac de sodomiæ peccato: quia confiscatio non fit ob hæresim mentalem, vel ob hæresim habitualiter permanentem, sed ob hæresim externam, & manifestam; sed hæc hæresis externa, & manifesta (etiamsi de illa non fueris absolutus) iam cessauit, vti suppono: Ergò cessat effectus confiscationis ex tali hæresi prouenientis.

9 Neque obstat, te esse obligatum redire ad Ecclesiam, à qua te seiunxisti, vt dicatur, bona illa esse confiscata ob non impletam talem obligationem; quia confiscatio bonorum non est annexa peccato huius omissionis, sed hæresis externæ.

10 Confirmatur, quia vel perseuerans habitualiter in hæresi, ob hæresim habitualiter permanentem es factus incapax acquirendi aliquam hæreditatem, vel non. Si primum, ea non acquiritur fisco, sed hæredibus venientibus ab intestato. Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *lib.1. prax. quæst.25 num.159. ex leg. si quis mihi, §. si quis planè, ff. de acquirend. hæreditat. ex l. 1. Cod. de hæredib. instituend. & ex l. metallum, ff. de iur. fisc.* Si secundum, acquiritur tibi, & tuis hæredibus, dum sententia non præcedit. Doctores, quos citat, & sequitur idem Farinac. *cit. quæst.25. num.140. & quæst.108. num.110.*

12 Neque obstat ratio, quæ adducebatur in contrarium, quia concedo, confiscari quidem bona hæretici, non tamen hæretici habitualis, sed actualis, quemadmodum confiscantur bona sodomitæ, qui scilicet actu est talis, non tamen qui fuit, & est solùm in habitu talis.

SECTIO III.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Hæreditas delata hæretico post bonorum confiscationem non acquiritur fisco.*

2 *Legitima non confiscatur, si tempore, quo quis in hæresim incidit, parentes viuebant, quia tunc ius legitimæ non erat perfectè acquisitum; & ius futurum non confiscatur, si verò in hæresim incidit post mortem patris, cùm ius petendi legitimam ex bonis patris defuncti transeat ad hæredes extraneos, transit etiam illud in fiscum.*

3 *Fiscus potest etiam agere ad supplementum legitimæ hæretici, & petere restitutionem in integrum.*

4 *Hæretici non semper confiscantur omnia bona, quæ ante sententiam declaratoriam habebat, sed solùm quæ habebat ante hæresim, quod idem dicendum est de omnibus aliis criminosis, quorum bona ipso iure ob ipsorum delictum confiscantur, quia ex dictis bona confiscantur propter hæresim.*

5 *In pœnis imponendis inspicitur tempus delicti, non autem sententiæ latæ.*

6 *Sententia eorum, qui dicebant publicari omnia bona, quæ hæreticus habebat ante sententiam declaratoriam, licet ante illam ab hæresi resipuerit, non probatur.*

7 *Multò minùs probatur sententia aliorum dicentium hæreticum emendatum, & absolutum post sententiam acquirere quidem vsum suorum bonorum, manere tamen hæc bona confiscata, ita vt de illis testari non possit, ex eo, quia is, qui propter delictum omnibus suis bonis priuatur, testari non potest. At respondetur, quod hæreticus Ecclesiæ non reconciliatus testari non potest, secus autem si sit reconciliatus, qui non est amplius hæreticus.*

Ex dictis sequitur, quod non acquiritur fisco hæreditas delata hæretico post bonorum confiscationem. Bald. *in l. si qua pœna, ff. de his qui sunt sui, num.2. & lib.2. cons.7.* Gratian. *tom.2. discept. forens. cap.309. n.13.* Castr. *lib.8. cons.212.* Boss. *de publicat. bonor. n.77.* Peregr. *de iur. fisc. tit.2. n.133.* Cæphal. *cons.381. num.51.* & Cepoll. *cons.58. n.24. in ciuil.* 1

Sequitur secundò, quod si tempore, quo quis in hæresim incidit, parentes viuebant, legitima non confiscatur, Boss. *loc. suprà cit. n.17.* Dec. *cons.428. n.8.* Ruin. *lib.3. cons.129. num.13.* Menoch. *cons.77. num.26.* Rota *decis.515. n.4. part.1. diuers.* Cepoll. *cons.58. num.19. in ciuil.* Laudem. *tract. de fisco quæst. 6.* & Roland. *lib.2. cons.97. n.5.* Quia tunc ius legitimæ non erat perfectè acquisitum, *l.1. §. si impuberi. ff. de collat. bonor.* Et ius futurum non confiscatur. Si verò in hæresim incidit post mortem patris (cùm ius petendi legitimam ex bonis patris defuncti transeat ad hæredes extraneos, *leg. quamquam, Cod. ad leg. falcid.*) transit etiam illud in fiscum. Peregr. *de iur. fisc. lib.5. tit.1. n.97.* & Menoch. *loc. suprà cit.* Potest etiam fiscus agere ad supplementum legitimæ hæretici, & petere restitutionem in integrum, Pereg. *vbi suprà num.84.* 2 3

Sequitur tertiò, quod non semper confiscantur omnia bona hæretici, quæ antè sententiam declaratoriam habebat, sed solùm, quæ habebat ante hæresim: Quod idem dicendum est de omnibus aliis criminosis, quorum bona ipso iure ob ipsorum delictum confiscantur, quia ex dictis bona confiscantur propter hæresim. Ergò confiscantur bona, quæ acquisita erant ante hæresim, non item quæ post hæresim, cùm nullo iure hoc habeatur. Tum quia iudex solùm declarat, hæreticum incidisse in pœnam amissionis rerum, vt in iure statuitur, sed in iure solùm statuitur, ob hæresim amitti bona præsentia: Ergò solùm amittuntur bona, quæ quis habet tempore hæresis, non item quæ habet post hæresim. Tum quia in pœnis imponendis inspicitur tempus delicti, non autem sententiæ latæ, *cit. leg.1. ff. de pœnis*, ibi: *Eam causam debet sustinere, quam sustineret, si eo tempore esset sententiam passus, cum deliquit.* 4 5

Hinc mihi non probatur sententia eorum, qui dicebant, publicari omnia bona, quæ hæreticus habebat ante sententiam declaratoriam, tametsi ante illam ab hæresi resipuerit. 6

Et multò minùs mihi probatur sententia Emmanuel. Suar. *in scholio ad Antonium Gomez lib. 3. var. cap. vlt.* & aliorum asserentium, hæreticum emendatum, & absolutum, post sententiam acquirere quidem vsum suorum bonorum, manere tamen hæc bona confiscata, ita vt de illis testari non possit, sed in ea fiscus succedat. 7

Ex eo, quia is, qui propter delictum omnibus suis bonis priuatur, testari non potest, *leg.2. Cod. de bonis proscript.* At hæreticus omnibus bonis priuatur: Ergò si tempore mortis habeat aliqua bona, de illis testari non poterit.

Respondetur enim, legem illam loqui de bonis confiscatis, vel ad summum de hæretico nondum Ecclesiæ reconciliato, hic enim testari non potest. At hæreticus reconciliatus non est ampliùs hæreticus.



DVBITATIO CXI.

An ſub confiſcationem cadant bona ſub conditione futura hæretico, vel ſimili alteri delinquenti debita?

SVMMARIVM.

1 *Bona ſub conditione futura hæretico, vel ſimili alteri delinquenti debita non cadunt ſub confiſcationem, quia illa bona non ſunt hæretici quovſque adimpleatur conditio; & conditio non eſt adimpleta, cùm delictum committitur.*

2 *Hæretico dupliciter quid deberi poteſt: Vel ex teſtamento, vel ex contractu: quod debetur ex teſtamento, qualia ſunt hæreditas, fideicommiſſum, & legatum, ad fiſcum non tranſit, quia ea ſola ad fiſcum tranſeunt quæ ad hæredes extraneos remitti poſſunt, cùm fiſcus ſuccedat loco hæredis extranei, ſed ius ſuccedendi in hæreditate, fideicommiſſo, & legato, tranſmiſſibile non eſt ad hæredes, ex quo neque tranſmitti poteſt ad fiſcum.*

3 *Subſtitutio conditionalis, quod non tranſeat in fiſcum, ſi purificetur conditio poſt ſententiam, liquet ex legibus.*

4 *Fideicommiſſum, quod neque tranſeat ad fiſcum, patet, quia venientia ex vltima voluntate non tranſmittuntur ad hæredes, ſi fideicommiſſarius decedat ante conditionis euentum.*

5 *Legatum conditionale, quod neque ſimiliter tranſeat ad fiſcum, ſi conditio, ſub qua eſt legatum, impleatur poſt delictum, habetur pariter ex legibus. Hoc enim procedit, ſiue conditio ſit poteſtatiua, hoc eſt pendens à voluntate legatarij, ſiue mixta, nempe partim pendens ex voluntate legatarij, partim ex voluntate alterius; quocumque enim modo conditio purificata non ſit, cùm delictum committitur, legatum non tranſit in fiſcum.*

6 *Legatum etiam alimentorum, quod non tranſeat ad fiſcum durante vita banniti, tenent Doctores.*

7 *Filius, ſi viuente patre committat homicidium, eoque mortuo formetur inquiſitio contra filium, & condemnetur de delicto cum confiſcatione bonorum, talis paterna hæreditas non adita per filium, quamuis bene ante condemnationem delata, non tranſit in fiſcum, quia ius adeundi tranſmiſſibile non eſt ad hæredes extraneos, atque adeò neque ad fiſcum.*

8 *Hæretico quod debetur ex contractu, v. g. venditione, ſtipulatione, &c. tranſit ad fiſcum, etiamſi conditio poſt condemnationem impleatur, quia tale ius eſt tranſmiſſibile ad hæredes.*

9 *Ratio cur tranſeat ad hæredes, quod alicui debetur ex contractu, non autem quod debetur ex vltimis voluntatibus, ea eſt, quia in contractu interuenit factum, & perſona creditoris, qui in dubio præſumitur non ſolùm ſibi, ſed etiam ſuis hæredibus proſpicere, & perpetuam vtilitatem ex contractu acquirere: At in vltimis voluntatibus non interuenit vllum factum eius, in cuius fauorem eſt facta diſpoſitio, ſed ſolùm interuenit factum diſponentis, & legantis, qui ſolùm merita, & perſonam legatarij attendiſſe videtur.*

1 ESPONDETVR negatiuè; quia illa bona non ſunt hæretici, quovſque adimpleatur conditio, ſed non eſt adimpleta conditio, cùm delictum committitur: Ergò neque tranſeunt in fiſcum, cum fiſcus ſolùm vſurpet bona, quæ ſunt hæretici, atque ita habetur *in l. non ad ea, ff. de condit. & demonſtr.* ibi: *Vel ſi publica ſunt: nam poſtea quæſita non caderent in eas cauſas:* Et docet ibi Gloſſa, quam communiter ſequuntur Doctores apud Gomez *tom. 3. var. cap. 14. num. 2.* & Farinac. *lib. 1. prax. quæſt. 25. num. 142.*

Obiicies: Quamuis illa bona non ſint hæretici, ius tamen ad illa bona ſpectat ad hæreticum: Ergò illud ius poteſt hæreticus per delictum tranſmittere in fiſcum, ita vt fiſcus repræſentans perſonam hæretici in illis bonis, adueniente conditione, ſuccedat.

Reſpondetur, dupliciter poſſe quid deberi hæretico, vel ex teſtamento, vel ex contractu. 2

Quod debetur ex teſtamento (qualia ſunt hæreditas, fideicommiſſum, & legatum) ad fiſcum non tranſit, quia ea ſolùm ad fiſcum tranſeunt, quæ ad hæredes extraneos remitti poſſunt, cùm fiſcus ſuccedat loco hæredis extranei, *leg. 2. Cod. ad leg. iul. de vi, & leg. eorum, ff. ad leg. Iul. maieſt.* & tradunt communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Farinac. *lib. 1. prax. quæſt. 25. num. 51.* Peregr. *de iur. fiſc. lib. 1. tit. 1. num. 68.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 14. num. 5.* Sed ius ſuccedendi in hæreditate, fideicommiſſo, & legato, tranſmiſſibile non eſt ad hæredes, *l. vnic. §. ſin autem, Cod. de caducis tollendis:* Ergò neque tranſmitti poteſt ad fiſcum: Farinacius *loco ſuprà citato, num. 143.* Sanchez *num. 15.* & alij paſſim.

Et quidem quatenus ſpectat ad ſubſtitutionem conditionalem, quod hæc non tranſeat in fiſcum, ſi purificetur conditio poſt ſententiam, colligitur *ex l. ſubſtitutio, ff. de acquir. rer. dom.* ibi: *Subſtitutio, quæ nondum competit, extra bona noſtra eſt,* & *ex l. ex facto, §. fin. ff. de vulgar. & pupillar.* & docet ibi Bald. quem refert, & ſequitur Gygas *de crimin. læſ. maieſt. lib. 2. quæſt. 7. num. 2.* Farinac. *quæſt. 25. num. 144.* & Sanch. *cit. cap. 14. num. 18.* 3

Quatenus ſpectat ad fideicommiſſum, quod neque hoc tranſeat ad fiſcum, patet, quia venientia ex vltima voluntate non tranſmittuntur ad hæredes, ſi fideicommiſſarius decedat ante conditionis euentum, *leg. legata ſub conditione, ff. de condit. & demonſtr. & leg. in cauſa, §. pomponius,* & ibi Gloſſa *ff. de minoribus:* Ergò neque etiam in tali caſu tranſeunt ad fiſcum. 4

Quatenus ſpectat ad legatum conditionale, quod neque hoc ſimiliter tranſeat ad fiſcum, ſi conditio ſub qua eſt legatum, impleatur poſt delictum, habetur *ex leg. vnica, §. ſin autem, Cod. de caducis tollendis,* & *ex leg. ſi ità expreſſum, de condit. & demonſtrat.* & docent Farinac. *loc. ſuprà cit. num. 142.* Couarr. *practic. quæſt. cap. 39. in fine,* & Sanchez *vbi ſuprà num. 17.* ſubdens, hoc procedere, ſiue conditio ſit poteſtatiua, nempe pendens à voluntate legatarij; ſiue caſualis, nempe pendens ex fortunæ caſu; ſiue mixta, nempe partim pendens ex voluntate legatarij, partim ex voluntate alterius. Quocumque enim modo conditio purificata non ſit, cùm delictum committitur, legatum non tranſit in fiſcum. 5

Quinimmò, quod legatum alimentorum, etiam durante vita banniti, non tranſeat ad fiſcum, tenent Doctores, quos citat, & ſequitur Farinacius *quæſt. 25. num. 145.* qui *eadem quæſtione num. 141.* ita doctrinam 6
noſtram ſupra traditam extendit, vt affirmet, quod ſi 7
viuente patre, filius committat homicidium, eoque mortuo, formetur inquiſitio contra filium, & condemnetur de delicto cum confiſcatione bonorum, talis paterna hæreditas non adita per filium, quamuis benè ante condemnationem delata, non tranſeat in fiſcum, quia ius adeundi tranſmiſſibile non eſt ad hæredes extraneos, atque adeò neque ad fiſcum.

Quod autem hæretico debetur ex contractu, v. g. venditione, vel ſtipulatione, &c. tranſit ad fiſcum, etiam ſi conditio poſt condemnationem impleatur: quia tale ius eſt tranſmiſſibile ad hæredes, vti conſtat *ex §. ex conditionali, Inſtit. de verb. obligation.* ibi: *Ex conditionali ſtipulatione tantum ſpes eſt, debitum iri, eamque ipſam ſpem in hæredem tranſmittimus, ſi priuſquam conditio extet, mors nobis contigerit,* & ex ibi 8

Gloſſa,

Glossa, quam sequuntur communiter Doctores: Ergo transit ad fiscum, *ex lanter socerum*, §. *final. ff. de pact.* & docent passim Doctores, quos citat, & sequitur Gomez *tom. 3. var. cap. 14. num. 2.* Farinac. *de haeresi quaest. 160. num. 13.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 14. num. 2.*

9 Ratio autem, cur transeat ad haeredes, quod alicui debetur ex contractu, non autem quod debetur ex vltimis voluntatibus ea est, quia in contractu interuenit factum, & persona creditoris, qui in dubio praesumitur non solùm sibi, sed etiam suis haeredibus prospicere, & perpetuam vtilitatem ex contractu acquirere, *arg. l. si pactum, ff. de probat.* At in vltimis voluntatibus non interuenit vllum factum eius, in cuius fauorem est facta dispositio, ex quo colligatur sibi, & suis haeredibus voluisse prospicere, sed solùm interuenit factum deponentis, & legantis, qui solùm merita, & personam legatarij attendisse videtur.



DVBITATIO CXII.

An sub confiscationem cadant non solùm bona haeretici debita sub conditione casuali, & mixta, sed etiam debita sub conditione potestatiua?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Bona haeretico debita sub conditione casuali, & mixta, sed etiam debita sub conditione potestatiua, non cadunt sub confiscationem; quia bona huius posterioris generis non transeunt ad haeredes, neque ad fiscum, si tempore quo viuebat hereticus, implere conditionem omiseris, quia tunc creditor censetur esse in culpa, non implendo conditionem, & tali culpa tacitè videtur iuri sibi debito renunciasse.*

2 *Debita ex contractu lucratiuo sub conditione potestatiua non transeunt ad haeredes: secus verò debita ex contractu oneroso, vltro citroque obligatorio, hoc enim transit ad haeredes, ne alter contrahentium detrimentum patiatur.*

3 *Contractus onerosus non potest committi in liberam voluntatem alicuius contrahentis: secus tamen resolutio contractus, quae inducitur per pactum de retrouendendo: hac enim bene potest committi in liberam voluntatem alicuius contrahentis.*

1 Respondetvr negatiuè, quia bona huius posterioris generis non transeunt ad haeredes: Ergo neque ad fiscum, si tempore quo viuebat haereticus, implere conditionem omiserit, *l. si decem, ff. de verb. obligat. & l. qui balneum, ff. qui potior. in pignor.* Et ratio est, quia tunc creditor censetur esse in culpa, non implendo conditionem: & tali culpa tacitè videtur iuri sibi debito renunciasse. Gomez *tom. 3. cap. 14. num. 2.* Sanchez *cit. cap. 14. num. 24.* & Farinac. *cit. quaest. 25. num. 147.*

2 Obijcies: *in l. 2. Cod. de pact. inter emptor. & vendit.* si quia vendidit rem cum pacto de retrouendendo, ipse & haeres eius potest redimere rem oblato pretio, & tamen talis conditio est potestatiua: Ergo quod debetur sub conditione potestatiua, transit ad haeredes, & consequenter ad fiscum.

Respondetur cum Gomez *tom. 2. var. cap. 11. n. 36.* & alijs, debita ex contractu lucratiuo sub conditione potestatiua non transire ad haeredes: secus verò debita ex contractu oneroso, vltro citroque obligatorio. Hic enim non transit ad haeredes, ne alter contrahentium detrimentum patiatur.

Instabis: Contractus onerosus non potest committi in liberam voluntatem alicuius contrahentis, *l. in venditoris, Cod. de contrah. empt.* Ergo neque in conditionem potestatiuam, quod idem est. 5

Respondetur: Concedo, contractum onerosum, & eius substantiam non posse committi in liberam voluntatem alicuius contrahentis, secus tamen resolutionem contractus, quae inducitur per pactum de retrouendendo: haec enim benè potest committi in liberam voluntatem alicuius contrahentis, *ex l. quod si nolit, ff. de edilit. edict.* Et tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Gomez *cit. cap. 11. num. 36.*

SECTIO II.

Corollaria.

SVMMARIVM.

1 *Haereticus si priusquam incidat in haeresim, & quilibet incidat in aliquod aliud delictum, ob quod bona ipso iure confiscantur, celebret contractum cum alio sub conditione, si conditio impleatur, postquam fuerit condemnatus, iura, & debita prouenientia ex tali contracta pertinent ad fiscum.*

2 *Contrahens cum alio hoc modo: Si Titius viuit, dabis mihi centum; si mortuus fuerit, dabis nihil, si interim tua bona confiscantur ob haeresim, vel aliud delictum simile, si Titius viuit, illa centum debentur fisco: non item si mortuus fuerit, quia si tunc Titius viuit, statim illa centum tibi acquiruntur, & consequenter fisco, tanquam ei qui succedit in bonis tibi acquisitis. At si non viuit, nihil debetur fisco, cum nihil tibi delinquenti fuerit acquisitum.*

3 *Delinquens si dixerit Titio, do tibi centum, si hoc feceris: & Titius antequam delictum committat, illam conditionem non impleat, ea centum lucrabitur fiscus, si Titius eam conditionem impleat eo modo quo tunc cum Titio conuenit: quia quotiescumque haeredes possunt adimplere conditionem eo modo quo contrahentes intendebant, ius implendae conditionis transmittitur ad haeredes.*

4 *Delinquens priusquam incidat v. g. in haeresim, vel aliud simile delictum, si dicat Titio, promitto, si hoc feceris, me daturum tibi centum, & post delictum Titius impleat conditionem, fiscus succedens in bonis delinquentis non tenetur soluere Titio illa centum quae promisit ipse delinquens.*

5 *Fiscus tenetur soluere debita, & subire onera haeretici, vel alterius similis delinquentis, prouenientia ex contracta conditionali, quamuis conditio eueniat, postquam fuerit condemnatus: quia haeres tenetur soluere debita prouenientia ex contractu conditionali, cùm bona transeant ad haeredes cum onere suo: quamuis contrarium doceant aliqui Doctores.*

6 *Filius licet non sit quidem propriè haeres, est tamen propriè, & verè vniuersalis successor bonorum haeretici, vel alterius similis delinquentis. Quapropter hoc ipso, quod est vniuersalis successor bonorum, tenetur subire omnes obligationes ad quas tenebatur is cui succedit. Accedit, quod licet fiscus non sit propriè haeres, tamen habetur loco extranei haeredis.*

7 *Fiscum vocat Baldus successorem anomalum, & aequiparat illum successori in Praelatura.*

8 *Debita, & iura conditionalia non confiscantur quando conditio impletur post condemnationem, si praedicta*

dicta iura, & debita oriantur ex vltima voluntate, cuiusmodi sunt hereditas, fideicommissum, legatum, &c.

9 *Hereticus si fuerit alteri substitutus, & post condemnationem eueniat conditio, seu tempus quo debet substitui, bona qua hereticus ratione illius substitutionis consequitur, non confiscantur, sed reputantur bona futura: quia talia iura non transeunt ad heredes.*

20 *Conditio aliqua quando apponitur vltimis voluntatibus, attenditur illud tempus, in quo impletur talis conditio, nec conditio retrotrahitur ad tempus quo fuit apposita, sed quando est adimpleta conditio post condemnationem heretici, vel alterius similis delinquentis, tunc verè acquiruntur illa bona, que tanquam futura, non pertinent ad fiscum.*

11 *Spes pupillaris substitutionis non egreditur personam substituti, & consequenter non transit in fiscum.*

1 EX dictis supra sequitur, quod si priusquam incidas in hæresim, vel in aliquod aliud delictum, ob quod bona ipso iure confiscantur, celebres contractum cum alio sub conditione, Si conditio impleatur: postquam fueris condemnatus, iura, & debita prouenientia ex tali contractu pertineant ad fiscum. Bald. *in l. fin. Cod. de contrahend. num.* 15. Salycet. *ibidem n.* 7. *q.* 5. Roman. *consil.* 194. Imola *in l. non ad ea, ff. de condit. & demonstr.* Iason *in l. si quis arbitratu, ff. de verb. obligat. num.* 30. Alex. *in l.* 3. *§. illud, ff. quod quisque iuris, num.* 3. Rip. *in in l.* 1. *ff. de vulg. & pupillar. num.* 155. Peregrin. *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 76. Cephal. *consil.* 101. *num.* 26. Grammat. *consil.* 7. *num.* 3. *in crimin.* Natta *consil.* 472. *num.* 14. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 9. *num.* 12. Vasquez 1. 2. *disput.* 169. *cap.* 1. *num.* 5. Menoch. *volum.* 1. *consil.* 101. *num.* 26. Et patet *ex l. inter socerum. §. fin. ff. de pact. dotal. ex l.* 1. *Cod. de bon. liber. ex l. final. Cod. de contrahend. emption. & ex l. si filiusfamil. in princip. ff. de verb. obligation.* vbi habetur, quod cùm in contractibus ponitur aliqua conditio, retrahatur illa statim ac est impleta, perinde ac si esset impleta tempore quo fuit apposita dicta conditio, ita vt tempore, quo nondum erant confiscata bona acquisita per illam conditionem, fuissent acquisita condemnato: Ergo impleta conditione post confiscationem, pertinebunt ad fiscum eo modo, quo pertinuissent ad condemnatum: atque adeo talia bona confiscabuntur cum reliquis bonis condemnati.

2 Sequitur secundò, quod si contrahas cum alio hoc hoc modo: Si Titius viuit, dabis mihi centum, si mortuus fuerit, dabis mihi nihil: & interim tua bona confiscantur ob hæresim, vel aliud delictum simile. Si Titius viuit, illa centum debentur fisco, non item si mortuus fuerit: quia si tunc Titius viuit, statim illa centum tibi acquiruntur, & consequenter fisco tanquam ei qui succedit in bonis tibi acquisitis. At si non viuit, nihil debetur fisco, cùm nihil tibi delinquenti fuerit acquisitum. Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 11. *n.* 38. *conclus.* 5. & Vasquez 1. 2. *disp.* 169. *cap.* 1. *n.* 6.

3 Sequitur tertiò, quod si dixeris Titio: Dabo tibi centum, si hoc feceris: & Titius antequam delictum committat, illam conditionem non impleat, ea centum lucrabitur fiscus, si fiscus dictam conditionem impleat eo modo, quo tunc cum Titio conuenisti. Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 8. & Simanch. *de cathol. instit. tit.* 9. *n.* 11. Quia quotiescumque hæredes possunt adimplere conditionem eo modo, quo contrahentes intendebant, ius adimplendæ conditionis transmittitur ad hæredes: Ergo etiam transmittitur ad fiscum, & consequenter fiscus, si dictam conditionem impleat, lucrabitur illa centum.

3 Sequitur quartò, quod si priusquam incidas in hæresim, vel aliud simile delictum, dicas Titio: Si hoc feceris, promitto me daturum tibi centum, & post delictum tuum Titius impleat conditionem, fiscus succedens in bonis tuis, non tenetur soluere Titio illa centum, quæ tu ipsi Titio promisisti. Baldus *in leg. fin. Cod. de contrahend. emption. n.* 15. Alex. *in leg. si marito. ff. solut. matrimon. num.* 2. Gomez *tom.* 3. *var. cap. vltimo, num.* 2. & Farinac. *in pract. tom.* 1. *part.* 1. *titul. de delict. quæstion* 25. Quia, vt dicitur *in l. qui balneum, in princip. & in l. potior, ff. qui potior. in pignor.* conditio potestatiua (nempe pendens à sola voluntate eius, cui imponitur: Vt v.g. *si feceris hoc, dabo tibi centum*) non retrotrahitur, sed habetur ratio temporis, quo conditio impletur, vt tunc vim suam habeat. At si delinquens contraheret tempore conditionis impletæ, & promitteret illa centum, non tenetur illa centum dare, cùm non sint ampliùs illa centum plenè sub dominio ipsius, sed obligata fisco: Ergo nec etiam tenebitur fiscus ea centum dare.

Quamuis contrarium doceant alij, inter quos Baiardus *ad Iul. Clar. in §. fin. q.* 78. *n.* 105. & Barb. *in l. constante; §. fin. ff. solut. matr. n.* 6. 5

Sequitur quintò, quod fiscus teneatur soluere debita, & subire onera hæretici, vel alterius similis delinquentis prouenientia ex contractu conditionali, quamuis conditio eueniat, postquam fuerit condemnatus. Salycet. *in l. fin. Cod. de contrahend. empt. n.* 7. *q.* 5. Boss. *in pract. tit. de bonor. possess. n.* 14. Quia hæres tenetur soluere debita prouenientia ex contractu conditionali, cùm bona transeant ad hæredes cum onere suo: Ergo etiam tenetur & fiscus. Tum quia fiscus tenetur soluere creditoribus hæretici, vel alterius similis delinquentis. At creditores sub conditione sunt propriè creditores, *l. creditores, ff. de verb. significat. & l. is cui, ff. de actionib. & obligat.* Ergo illis tenetur soluere ea quæ debebat soluere hæreticus, vel alter similis delinquens.

Quamuis contrarium (quod scilicet non teneatur fiscus soluere debita prouenientia ex contractu conditionali, si conditio eueniat, postquam fuerit quis condemnatus, seu inciderit in hæresim, vel in aliud simile delictum) doceant Iason *in l. si quis arbitrator, ff. de verb. oblig. circa fin.* Aret. *vol.* 4. *consil.* 110. & Nellus *in* 1. *part.* 2. *tempor. q.* 31. 6

Obiicies fundamentum istorum Doctorum: Fiscus non est propriè hæres: Ergo ratio nostra supra allata, quod teneatur fiscus soluere debita hæretici, vel alterius similis delinquentis, cùm bona transeant ad hæredes cum onere suo, nihil probat. Consequentia patet. Antecedens probatur *ex l. filius, ff. de iur. fisc. & ex l. si sub pignore, Cod. de fiscal.* vbi id expressè habetur: & notat Glossa final. *in l. inter eos, §. fin. ff. de fideicommiss.* Surd. *de aliment. tit.* 8. *priuileg.* 59. *num.* 1. Et ratio est, quia dum quis viuit, non potest hæredem habere, *l. inter eos, §. fin. ff. de fideiuss.* & notat Iason *in l. ex facto, §. Iulianus, ff. de vulgar. & pupillar. substit.* Sed fiscus succedit hæretico, vel alteri simili delinquenti, dum viuit: Ergo fiscus non est propriè hæres. Tum quia hæres succedit in omnibus bonis defuncti, vbicumque illa fuerint, *l. ex facto, ff. de hered. instituend. & l.* 2. *Cod. vbi de heredit.* Sed fiscus tantùm succedit in bonis delinquentis constitutis sub sua iurisdictione. Bartolus *in l. cunctos populos, quæst.* 8. *Cod. de Summ. Trinit.* & nos dicemus infra suo loco. Tum quia hæres tenetur soluere creditoribus defuncti in solidum, quamuis hæreditas non sit soluendo, nisi illam adierit cum beneficio inuentarij, *l. fin. Cod. de iur. deliber.* Sed fiscus ad quem pertinent bona confiscata, vel alio modo vacantia, non tenetur vltra vires bonorum. Alex. *in rubr. ff. de acquir. hered. num.* 19. Ripa *in l. ex facto, ff. ad senatusconsult. Trebellian. num.* 7. Bossius *de publicat. bonor. num.* 25. Ancharanus *consil.* 294. *num.* 317. Et patet ex *l.* 1. *§. an bona, & l. non possunt, ff. de iur. fisc. & l. eius, §.* 1. *ff. de testam.* Ergo.

Respondetur: Nego consequentiam, quia licet fiscus non sit quidem propriè hæres, est tamen propriè, & verè vniuersalis successor bonorum hæretici, vel alterius

tius similis delinquentis. Doctores, quos sequitur Boss. *in pract. tit. de bonor. publicat. num.* 3. Quapropter hoc ipso, quod est vniuersalis successor bonorum, tenetur subire omnes obligationes ad quas tenebatur is, cui succedit, modo quo supra dicebam. Accedit, quod licet fiscus non sit propriè hæres, tamen habetur loco extranei hæredis, *l. si marito, in principio, ff. soluto matrimonio, & l. cum fisco, ff. ad Syllan.* Et tradit Bartol. *in l. capitis, ff. de fideiussor.* Soccin. Iun. *cons.* 34. Surdus *de aliment. tit* 8. *priuileg.* 59. *num.* 3. Ruinus *lib.* 1. *consil.* 24. *num.* 12. Menochius *de arbitr. cas.* 137. *n.* 41. Aymon. *consil.* 263. *num.* 7. & Gayll. *lib.* 2. *obseruat.* 86. *num.* 6.

7 Quare Baldus *in l. final. Cod. de contrahend. emption. num.* 15. vocat fiscum hæredem anomalum. Et *in lib.* 2. *Cod. de bonis quæ, &c.* æquiparat illum successori in Prælatura, quod etiam tradunt Afflictus *in cap.* 1. *de non. benefic. inuestit.* & Gratian. *tom.* 3. *disceptatio. forens. cap.* 423. *num.* 16. Sicut igitur hæres extraneus tenetur soluere debita eius, cuius est hæres, ita & tenebitur fiscus.

8 Sequitur sextò, quod non confiscentur debita, & iura conditionalia, quando conditio impletur post condemnationem, si prædicta iura, & debita oriantur ex vltima voluntate (cuiusmodi sunt hæreditas, fideicommissa, legata, &c.) Gloss. *in l. non ad ea, verb. præsens, ff. de condition. & demonstr.* Bartolus *in l. traditam, ff. eod.* Romanus *in l. si mora, ff. solut. matrimon. num.* 24. Baldus *in l. etiam, Cod. ad leg. Falcid. num.* 4. Cephal. *lib.* 3. *consil.* 381. *num.* 51. Peregrinus *de iur. fisc. libro* 5. *tit.* 1. *num.* 93. Simancha *de cathol. institut. tit.* 9. *num.* 621. Decianus *lib.* 1. *consil.* 18. *num.* 337. Alex. *volumin.* 1. *cons.* 23. *num.* 5. Menochius *lib.* 1. *cons.* 191. *num.* 25. Curt. Sen. *cons.* 60. *num.* 32. Paul. de Castr. *vol.* 1. *cons.* 56. Dec. *cons.* 438. & Felin. *in cap. ad liberandum, de Iudæis, num* 1.

9 Quare si hæreticus fuerit alteri substitutus, & post condemnationem eueniat conditio, seu tempus quo debet substitui, bona quæ hæreticus ratione illius substitutionis consequitur, non confiscantur, sed reputantur bona futura, *leg. substitutio, ff. de acquirend. rerum dominio,* ibi: *Substitutio, quæ nondum competit, extra bona nostra est.* Et probatur, quia talia iura non transeunt ad hæredes, *leg. legata sub conditione, ff. de condit. & demonstrat. & l. vnic. §. sin autem, Cod. de caduc. tollendis.* Siquidem (vt dicitur *in leg.* 1. *§. Seius, ad Syllanian. & in l. si cùm hæres, ff. quando dies legat. & in l.*

10 *quæ legata, ff. de regulis iuris:*) quando vltimis voluntatibus apponitur aliqua conditio, attenditur illud tempus, in quo adimpletur talis conditio, nec conditio retrotrahitur ad tempus quo fuit apposita, sed quando est adimpleta conditio post condemnationem hæretici, vel alterius similis delinquentis, tunc verè acquiruntur illa bona. Ergo tanquam futura, non pertinebant ad fiscum, cùm bona acquisita à delinquente post condemnationem non pertineant ad fiscum, vti supra dicebam.

11 Hinc spes pupillaris substitutionis non egreditur personam substituti, *l. qui habebat, ff. de vulg. & pupill.* & consequenter non transibit in fiscum, *l. ex facto, §. Iulius, ff. eod.* & tradit Natt. *consil.* 472. *num.* 6. & Cephal. *lib.* 3. *cons.* 321. *n.* 30.

DVBITATIO CXIII.

An confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis, cadat sub confiscationem Iuspatronatus?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Iurispatronatus confiscatio non datur, quia cùm de facto dicitur confiscari, non trasfertur in fiscum, sed datur extinctio talis iuris in fauorem Ecclesiæ: ita vt Ecclesia à die confiscationis iurispatronatus maneat libera ab illo iure sibi oneroso, neque in posterum pertineat amplius id ius præsentandi ad hæredes delinquentis, neque ad fiscum: quia sicut ab hæredibus auferuntur bona condemnati, sic etiam aufertur iuspatronatus, quod est annexum illis bonis, ita vt omnino extinguatur in fauorem Ecclesiæ ex priuilegio, licet non expresso in iure, recepto tamen consuetudine.*

2 *Limita, nisi sint alij compatroni, quibus conueniat ius præsentandi, quia tunc Ecclesia non manet libera, sed ius præsentandi ad illos pertinebit, cùm non debeant ob vnius delictum alij patroni iure suo acquisito priuari.*

3 *Limita secundo, nisi iuspatronatus sit institutum cum conditione, quod vocentur hæredes sanguinis, vel alij de certa familia: quia tunc etiam iuspatronatus neque confiscatur, sed deuoluitur per sententiam declaratoriam ad sequentes vocatos eo modo quo vocantur fideicommissarij ad bona subiecta fideicommisso.*

4 *Ecclesia manet libera in perpetuum, si alij ab institutore vocati non sunt: sed iure hæreditario iuspatronatus ad successores erat cum aliis bonis transiturus, quia in hoc successoribus nulla fit iniuria, cùm solùm habeant ius succedendi casu, quo delinquens ad ipsos possit bona transmittere.*

5 *Ecclesia etiam manebit libera, durante vita delinquentis, si dispositio instituentis, quæ attendi debet, post vitam delinquentis vocet agnatos, & eius successores: sed si dispositio non solùm vocet post vitam delinquentis agnatos, & eius successores, verùm etiam cum primùm talis deliquerit, quidam Doctores putant, talem dispositionem non præiudicare fisco, atque adeò manere liberam Ecclesiam. Alij verò tenent oppositum.*

6 *Iuspatronatus si transire non possit ad hæredes extraneos, eo quod in ipsius fundatione cautum est debere succedere agnatos, aut alios homines talis conditionis, neque transit ad fiscum, quia fiscus habetur loco hæredis extranei. Fiscus enim non potest vsurpare bona delinquentis, nisi quatenus illius sunt: At illius non est iuspatronatus, si sit sub conditione transitoria, & ius succedendi competit ipsis, non ex voluntate delinquentis, sed instituentis, &c.*

7 *Limita cum pluribus Doctoribus, id intelligi de confiscatione perpetua, secus autem de confiscatione ad vitam delinquentis, quia durante vita delinquentis, nulli ex vocatis fit iniuria, si fiscus habeat ius præsentandi: cùm ipsi non sint vocati, durante vita delinquentis.*

8 *Limitatio prædicta non probatur, quia est contra dispositionem instituentis iuspatronatus: Nam instituens prohibuit iuspatronatus alienationem, & successionem in alios, qui tales qualitates non haberent.*

9 *Confiscatio si facta sit à iudice Ecclesiastico, vt fit in crimine hæresis, siue patronus sit Laicus, siue Clericus, & confiscentur omnia bona delinquentis, confiscatum manet iuspatronatus, quod ad hæredes extraneos trasire potest: quia delictum est dignum tali pœna, & condemnans Ecclesiasticus*

talem

talem iurisdictionem habet; quare curandum tunc non est, an iuspatronatus veniat ad confiscationem bonorum principaliter, vel accessoriè, &c.

10 *Confiscatio è contra si facta sit à Iudice laico, vt fit in crimine sodomiæ, & læsæ Maiestatis humanæ, & reus est laicus; tunc directè, & per se non potest confiscari iuspatronatus, quia hoc est spirituale, & circa spiritualia Iudex laicus non habet iurisdictionem neque indirectam.*

11 *Iuspatronatus à Iudice Ecclesiastico confiscatur directè, quando in confiscatione illud exprimitur, quocumque modo exprimatur: Confiscatur verè accessoriè, cùm non exprimitur, sed confiscantur bona, quibus est annexum. Et rectè dicunt Doctores hoc in casu posteriori, cùm tunc nulla exerceatur iurisdictio in iuspatronatus, sed solùm in bona.*

12 *Iuspatronatus in confiscatione exprimi potest, & adhuc nihilominus confiscari non directè, sed accessoriè. Quapropter in priori casu vniuersaliter non rectè dicunt: siquidem dupliciter potest in confiscationem iuspatronatus exprimi vel per particulam &, vel per particulam cum. Per particulam &, confiscatur directè, si per particulam cum, confiscatur accessoriè. Vide exempla ibi adducta.*

1 SVPPONO, quod non detur huius iurispatronatus confiscatio: quia, cùm de facto dicitur confiscari, non transfertur in fiscum, sed datur extinctio talis iuris in fauorem Ecclesiæ, ita vt ipsa à die confiscationis iurispatronatus maneat libera ab illo iure sibi oneroso, nec in posterum pertineat amplius ius præsentandi ad hæredes delinquentis, nec ad fiscum, quia sicut ab hæredibus auferuntur bona condemnati, sic etiam aufertur iuspatronatus, quod est annexum illis bonis, ita vt omnino extinguatur in fauorem Ecclesiæ. Quod priuilegium, licet non sit expressum in iure, est tamen receptum consuetudine. Ioan. Lupus *in rubr. de donat. inter vir. & vxor. §. 37. n. 7.* Glossa *in Clem. Pastoralis, de re iudic. verb. subiecta.* Imol. *ibidem n. 71.* Anan. *in cap. vergentis, de heret. n. 6.* Cardinalis *in Clement. plures, de iurepatr. n.* 8. Royas *singul.* 117. *n.* 4. Lambert. *de iurepatr. lib. 3. q. 8. art.* 8. *num.* 16. Molina *lib. 1. de primogen. cap. 24. num. 27.* Bernardus Diaz *in prax. cap.* 132. *num* 5. Cantera *quæstion. crimin. tit. de quæst. tangent. punit. delict. cap* 1. *num.* 50. Rota *decis.* 53. *n.* 5. *tom. 1. in recent.* Vasquez 1. 2. *disput.* 167. *cap. 2. n.* 19. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *q.* 9. Suarez *de fid. disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 6. Simancha *de catholic. institut. tit. 9. num.* 95. & 96. Farinacius *de hæresi q.* 190. *n.* 24. Sanch. *lib. 2. moral. cap.* 19. *num.* 16.

2 Limita, nisi sint alij compatroni, quibus conueniat ius præsentandi, quia tunc Ecclesia non manet libera, sed ius præsentandi ad illos pertinebit, cùm non debeant ob vnius delictum alij patroni iure suo acquisito priuari. Sanchez *loco citato num.* 17. & Cantera *citato num.* 50.

3 Limita secundò, nisi iuspatronatus sit institutum cum conditione, quod vocentur hæredes sanguinis, vel alij de certa familia: quia tunc etiam iuspatronatus neque confiscatur, sed deuoluitur post sententiam declaratoriam ad sequentes vocatos eo modo, quo vocantur fideicommissarij ad bona subiecta fideicommisso. Cantera *vbi supra* Peregrinus *de iure fisci lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 72. & 121. Diaz *in praxi cap.* 132. *num.* 5. Iulius Clarus *in § final. quæst.* 78. *num.* 8. Soccinus Iunior *consilio* 51. *n.* 3. & Rota apud Farinac. *tom. 2. consil. dec.* 221. & 241.

4 Si igitur alij ab institutore vocati non sunt, sed iure hæreditario iuspatronatus ad successores erat cum aliis bonis transiturum, Ecclesia manet libera in perpetuum, quia in hoc successoribus nulla fit iniuria, cùm solum habeant ius succedendi casu, quo delinquens ad ipsos possit bona transmittere: sed si alij ab institutore vocati sunt, attendi debet dispositio instituentis: quæ si post vitam delinquentis vocet agnatos, & eius successores durante vita delinquentis, Ecclesia etiam manebit libera: sed si dispositio non solùm vocet post vitam delinquentis, agnatos, & eius successores, verùm etiam cum primum talis deliquerit, quidam Doctores putant, talem dispositionem non præiudicare fisco, atque adeò manere liberam Ecclesiam. Alij verò Doctores tenent præiudicare fisco, atque adeò statim ipso facto iuspatronatus transire ad successores. Qua de re tamen quid ego sentiam, dicam infra *Dubitatione* 116. 5

6 Suppono secundò, quod si ius iuspatronatus transire non possit ad hæredes extraneos, eo quod in ipsius fundatione cautum est, debere succedere agnatos, aut alios homines talis conditionis, neque transeat etiam ad fiscum: quia fiscus habetur loco hæredis extranei, *leg. 2. Cod. ad leg. Iul. de vi.* Et ratio est clara, quia fiscus non potest vsurpare bona delinquentis, nisi quatenus illius sunt. At illius non est iuspatronatus, si sit sub conditione transitoria: Ergo. Tum quia delinquentis agnati, vel alij homines talis conditionis non habent ius succedendi in iurepatronatus ex voluntate delinquentis, sed ex voluntate instituentis. Quo iure priuari non possunt ex alterius delicto, alias innocentes sine causa directè punirentur. Diaz *pract. cap.* 132. *num.* 5. *circa fin.* Clarus *in practica lib.* 5. *q.* 78. *num.* 8. Peregr. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. n.* 72. & Farinac. *de hæresi q.* 190. *n.* 24.

7 Limitant Soccinus Iunior *consil.* 51. *volum.* 2. Cantera *titulo de quæst. tangent. punit. delict. cap. 1. num.* 50. Locatus *post iudic. Inquisit. quæst.* 7. & Farinacius *de hæresi citata quæst.* 190. *num.* 24. vt id intelligatur de confiscatione perpetua, secus de confiscatione ad vitam delinquentis: quia durante vita delinquentis, nulli ex vocatis fit iniuria, si fiscus habeat ius præsentandi; cùm ipsi non sint vocati, durante vita ipsius delinquentis.

8 At minus rectè sic limitant: quia est contra dispositionem instituentis iuspatronatus talis limitatio: Nam instituens prohibuit iuspatronatus alienationem, & successionem in alios, qui tales qualitates non haberent: Ergo, cùm illa temporalis successio sit verè successio, & alienatio, nequit fieri à fisco: aliàs posset patronus ad vitam vendere iuspatronatus contra voluntatem instituentis.

9 Suppono tertiò, quod si confiscatio sit facta à Iudice Ecclesiastico (vt fit in crimine hæresis, siue patronus sit Laïcus, siue Clericus) & confiscentur omnia bona delinquentis, confiscatum maneat iuspatronatus, quod ad hæredes extraneos transire potest. *Clement. pastoralis, §. rursus, de sentent. & re iudic.* à contrario sensu. Et ratio est, quia delictum est dignum tali pœna, & condemnans Ecclesiasticus talem iurisdictionem habet. Quare curandum tunc non est, an iuspatronatus veniat ad confiscationem bonorum principaliter, vel accessoriè. Itemo an exprimatur, vel non exprimatur, quia Iudex Ecclesiasticus, vti dicebam, habet iurisdictionem cognoscendi de iurepatronatus etiam directè, & principaliter, cùm ad Iudicem Ecclesiasticum spectet iudicare de rebus spiritualibus. Cantera *in quæst. crim. tit. de quæst. tangent. punit. delict. cap. 1. n.* 5. Lambertin. *de iurepatr. lib. 3. q. 8. art. 8. n.* 10. Diaz *in pract. cap.* 132. *n.* 5. & alij, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap.* 19. *n.* 3.

10 Suppono quartò, quod si confiscatio è contra sit facta à Iudice Laïco (vt fit in crimine sodomiæ, & læsæ Maiestatis humanæ, & reus est laïcus) tunc directè, & per se non possit confiscari iuspatronatus, quia hoc est spirituale; & circa spiritualia, Iudex Laïcus non habet iurisdictionem directam, immò neque indirectam, *cap. tuam, de ordin. cognit.* Lambertinus *loco supra citato, numero* 11. Sanchez *num.* 4. & Farinacius *quæst.* 25. *num.* 152.

Petes

11 Petes, quandonam à iudice Ecclesiastico confiscetur iuspatronatus directè?

Respondetur: Quidam dicunt, confiscari directè, quando in confiscatione illud exprimitur quocumque modo exprimatur, confiscari verò accessoriè, cum non exprimitur, sed solùm confiscantur bona, quibus est annexum.

Et quidem in posteriori casu rectè dicunt, cum tunc nulla exerceatur iurisdictio in iuspatronatus, sed solùm in bona, v. g. in Castrum, Villam, vel domum, quibus est annexum. Gygas *de crimin. læs. maiest. q.4. n.5.* Lambert. *cit. quæst.8. art.8. num.* 20. Farinac. *cit. quæst.25.n.156.* & alij communiter, & habetur *in cap. piæ mentis 16.quæst.7. & in cap. cum secundum, de iurepatronat.*

12 In priori autem casu vniuersaliter non rectè dicunt, quia in confiscatione exprimi potest iuspatronatus, & adhuc nihilominus confiscari, non directè, sed accessoriè; siquidem dupliciter potest in confiscatione iuspatronatus exprimi, vel per particulam *&*, vel per particulam *cum*, si exprimatur per particulam *&*, vt si iudex dicat: *Confisco omnia bona huius delinquentis, & iuspatronatus*: tunc confiscatur directè; quia tunc videtur iuspatronatus æquè, ac alia bona confiscari. Quapropter, si talis confiscatio iuspatronatus facta sit à iudice laico, nulla est defectu iurisdictionis. At si confiscatio fiat per particulam *cum*, vt si iudex laicus dicat: *Confisco omnia bona huius delinquentis cum iurepatronatus*: Tunc iuspatronatus confiscatur accessoriè; quia sic nominans solùm intendit confiscare iuspatronatus ad confiscationem reliquorum bonorum, quibus illud inest, & eo modo, quo inest. Quapropter si sic confiscatio facta sit à iudice laico, valida est; quia vtpotè accessoria, non est iudici laico prohibita; sicut neque ipsi delinquenti est prohibita eiusdem iurispatronatus accessoria alienatio. His suppositis.

Difficultas est, an ex eo, quod à iudice laico confiscentur, vel vendantur bona delinquentis, censeatur etiam tunc confiscari iuspatronatus, quod ad hæredes extraneos transire potest?

SECTIO II.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus non censetur confiscatum ex eo, quod à iudice laico confiscentur, vel vendantur bona delinquentis, quod ad hæredes extraneos transire potest; quia dispositio de re spirituali, qualis est iuspatronatus, aliena est à iudice laico, non solùm expressa, sed etiam tacita.*

2 *Limitant quidam Doctores, vt intelligatur de confiscatione perpetua; secus de temporali, & quæ durat tantum ad vitam condemnati: hanc enim volunt comprehendi sub confiscatione bonorum delinquentis facta à iudice laico, quia hoc solum est confiscare exercitium iurispatronatus, non autem ipsum ius.*

3 *Limitatio prædicta non est admittenda; sed æquè dicendum de confiscatione temporali, ac de perpetua; quia ratio æquè procedit de vtroque; cum tam iuspatronatus, quàm exercitium illius sit quid spirituale, atque adeò extra iurisdictionem iudicis sæcularis; tum quia exercitium præsupponit iuspatronatus, &c.*

4 *Iuspatronatus secundum alios censetur confiscatum ex eo, quod à iudice laico confiscantur, vel venduntur bona delinquentis; quia in tali confiscatione solùm indirectè, & accessoriè confiscatur iuspatronatus: At illius confiscatio, & venditio non est prohibita fieri à iudice laico; nam quamuis iudex laicus non possit per se, & directè priuare iurepatronatus; potest tamen indirectè, & accessoriè, quatenus confiscat omnia bona, quibus annexum est iuspatronatus.*

5 *Iuspatronatus, vel est annexum alicui rei directè confiscabili à iudice laico, vel est annexum solùm personæ, quæ in alios illud transmittere potest. Si est annexum rei, &c. tunc confiscatis bonis, & ipsum confiscatum manet; si verò est annexum solum personæ, tunc confiscatis bonis, non manet confiscatum iuspatronatus; quia non potest à iudice laico confiscari accessoriè ad bona directè confiscabilia.*

NEgant Glossa *in cap. satis peruersum, dist. 50. & in Clement. Pastoralis, verb. subiecta, de re iudic.* Felin. *in cap. quanto, de indic. num. 3.* Barbat. *ibidem num. 17.* Angel. *de malefic. verb. & eius bona, num. 15.* Archidiac. *in cap. filiis 16. quæst. 7. num. 2.* Bellamera *ibidem n.6.* Franch. *in cap. felicis, §. nullus, de pœnis in 6. num. 2.* Ancharan. *ibidem num. 4. notab. 10.* Imol. *in Clement. Pastoralis, de sent. & re iudic. n. 71.* Lambert. *de iurepatr. quæst. 8. art. 8. num. 13.* Nellus *de Bannitis part. 1. secundi tempor. num. 31.* Cantera *in quæst. crimin. tit. de quæst. tangen. punit. delict. cap. 1. num. 49.* Gygas *lib. 1. de crimin. læs. maiest. quæst 4. numer. 4.* Roch. de Curte *de iurepatr. quæst. 29.* & Farinac. *de hæres. quæst. 190. num. 14.* Quia dispositio de re spirituali, qualis est iuspatronatus, aliena est à iudice laico, non solùm expressa, sed etiam tacita, *ex cap. tuam, de ordine cognitionis*; & *ex cap. at si clerici, de indic.* & ibi Gloss. Sed si iuspatronatus confiscatur, iudex laicus tacitè disponit de re spirituali: Ergo. 1

Limitant tamen quidam ex prædictis Doctoribus (vt Gygas, & Rochus in locis citatis) supradictam doctrinam (quæ negat sub confiscatione bonorum intelligi iuspatronatus) vt intelligatur de confiscatione perpetua, secus de temporali, & quæ durat tantum ad vitam condemnati: Hanc enim volunt comprehendi sub confiscatione bonorum delinquentis facta à iudice laico; quia hoc solum est confiscare exercitium iurispatronatus, non autem ipsum ius. 2

At hæc limitatio, vt rectè probat Farinac. *lib. 1. prax. q. 25. n. 154.* admittenda non est, sed æquè dicendum de confiscatione temporali, ac de perpetua; quia ratio æquè procedit de vtroque; cùm tam iuspatronatus, quàm exercitium illius sit quid spirituale, atque adeò extra iurisdictionem iudicis sæcularis. Tum quia exercitium iurispatronatus haberi non potest, nisi habito prius ipso iurepatronatus; at hoc, siue ad tempus, siuè in perpetuum, ob eius spiritualitatem non potest confiscari, ergo neque exercitium illius. 3

Affirmant Gulielmus Benedict. *in cap. Raynutius, ver. & vxorem, decis. 8. num. 380. de testament.* & alij quos citat, & sequitur Molin. *de primogen. cap. 24. num. 26.* Clar. *lib. 5. pract. quæst: 78. num. 8.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 19. num. 10.* Surd. *de aliment. tit. 9. quæst. 32. num. 28.* Quod scilicet si iudex laicus confiscet omnia bona hæretici, vel alterius similis delinquentis, eo ipso confiscare intelligatur iuspatronatus; quia in tali confiscatione solùm indirectè, & accessoriè confiscatur iuspatronatus: At illius confiscatio, & venditio indirecta, & accessoria non est prohibita fieri à iudice laico; sicuti neque ipsi delinquenti est prohibita iurispatronatus indirecta, & accessoria alienatio, vti suprà dicebam. Nam quamuis iudex laicus non possit per se, & directè priuare iurepatronatus; quia cùm sit quid spirituale, non est sub potestate, & iurisdictione iudicis laici, vt patet ex dictis, & ex communi docet Peregrin. 4

de iur.fisc.lib.5.tit.1.n.72. Lambert. *de Iurepatr. lib.3. quæst.8. art.8. n.11.* & Gigas *tract. de crim. læs. maiest. tit. de pœnis, quæst. 4. n.3.* 1 otest tamen indirectè, & accessoriè; quatenus confiscat omnia bona, quibus annexum est ios patronatus. His tamen oon obstantibus.

3 Respondetur distioguendo: Vel iuspatronatus est annexum alicui rei directè confiscabili à iudice laico, vel est annexum solùm personæ, quæ io alios illud transmittere potest: si iuspatronatus est annexum alicui rei, vt Castro, Villæ, domui, &c. directè confiscabili à iudice laico, tunc confiscatis boois, & ipsom iuspatronatus confiscatum manet, vt patet ex iis, quæ suprà dicebam, & facit Textus *in cap. ex literis, de Iurepatr.* & ibi Glossa, quam sequuntur ferè communiter Doctores. Si verò iuspatronatus non est aonexum vlli rei directè confiscabili à iudice laico, sed solùm personæ, tuoc confiscatis bonis, non manet confiscatum iuspatronatus; quia non potest à iudice laico confiscari accessoriè ad bona directè confiscabilia, cùm non sit illis annexum, neque etiam confiscari potest directè, vtporè spirituale, & consequenter extra iurisdictionem iudicis laici: Ergo.



DVBITATIO CXIV.

An, confiscatis bonis à iudice laico, quibus annexum est iuspatronatus, possit iudex Ecclesiasticus, declarando delictum, confiscare Iuspatronatus?

SVMMARIVM.

1 *Iudex Ecclesiasticus, confiscatis bonis à iudice laico, quibus annexum est iuspatronatus, non potest, secundum aliquos, declarando delictum, confiscare iuspatronatus; quia non habet cognitionem criminis in laicum: Tum quia quando semel de delicto cognitum fuit ab vno iudice, amplius, ab alio cognosci non potest.*

2 *Iudex Ecclesiasticus potest, secundum alios, confiscatis bonis à iudice laico, declarando delictum, confiscare iuspatronatus; quia illa declaratio delicti non est aliena à iudice Ecclesiastico, &c.*

3 *Iudex Ecclesiasticus secundum probabiliorem, licet non possit delinquentis delictum à iudice laico semel punitum, vocare iterum in iudicium, & augere impositam pœnam, iuxta Doctores primæ sententiæ; quia absolutè esset bis idem crimen iudicare; potest tamen formare processum de condemnatione facta à iudice laico, & de infamia, & tanquam ab indignò iuspatronatus auferre.*



1 Negant Nellus *1.part. secundi tempor.q.32.* & alij, quos sequitur Farinac. *lib.1. praxis q.25. n.153.* quia iudex Ecclesiasticus non habet cognitionem criminis in laicum. Tum quia, quando semel de delicto cognitum fuit ab vno iudice, amplius ab alio cognosci non potest, *l. licet, §. penult. ff. nautæ, caupones, & stabularij.*

2 Affirmant alij, quos refert Lambert. *de Iurepatron. q.8. art.8. n.15.* & Sanch. *lib.2. moral.cap.19. n.7.* quia illa declaratio delicti non est aliena à iudice Ecclesiastico. Tum quia est ad tollendum iuspatronatus, quod condemnatus iustè habere non potest; tum quia est ad complendam sententiam iudicis laici, quæ non potuit se extendere ad iuspatronatus. His tamen noo obstantibus.

Respondetur probabiliùs: Iudex Ecclesiasticus, quamuis non possit delinquentis delictum à iudice laico semel punitum, vocare iterum in iudicium, & & augere impositam pœnam, iuxta Doctores primæ sententiæ; quia absolutè esset bis idem crimen iudicare, contra Textum *in dicta l. licet*, potest tamen formare processum de condemnatione facta à iudice laico, & de infamia, quam ex illa acquisiuit condemnatus, ob quæ videtur indignus retinendi iuspatronatus; & tanquam ab indigno, iuspatronatus auferre à condemnato: Quod non est, delictum bis iudicare, vel declarare, sed illius declaratione supposita, ad defensionem Ecclesiæ, & bonorum illius procedere. 3



DVBITATIO CXV.

An confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis, cadat sub confiscationem pensio Ecclesiastica?

SVMMARIVM.

1 *Pensio Ecclesiastica, confiscatis bonis hæretici, vel alterius delinquentis, non cadit sub confiscationem; quia hæc est quid spirituale; quinimmò neque videtur pensionarius posse iudicari à iudice laico; quia ratione pensionis est de iurisdictione Ecclesiæ.*

2 *Fructus pensionis decursi ante sententiam; si confiscatio bonorum fiat à iudice Ecclesiastico, confiscantur; quia sunt bona delinquentis; secus est de fructibus decurrendis post sententiam.*

3 *Quia confiscatio non extenditur ad futura; neque etiam ius ad eos colligendos propriè confiscatur; sed si delictum est dignum priuatione, extinguitur fauore Ecclesiæ, vt beneficium liberum maneat ab illo onere.*

Respondetur (quidquid sit de fructibus, de quibus dicetur mox infrà) negatiuè; ita vt sub confiscatione bonorum non comprehendatur pensio Ecclesiastica; quia hæc est quid spirituale; quinimmò neque videtur pensionarius posse iudicari à iudice laico; quia ratione pensionis est de iurisdictione Ecclesiæ. 1

Cæterum, si confiscatio bonorum fiat à iudice Ecclesiastico; distinguendum arbitror de fructibus decursis ante sententiam, & de fructibus post sententiam: si loquamur de fructibus decursis ante sententiam, confiscantur; quia sunt bona delinquentis; si verò loquamur de fructibus decurrendis post sententiam, non confiscantur; quia confiscatio non extenditur ad futura. Neque etiam ius ad eos colligendos propriè confiscatur; sed si delictum est dignum priuatione pensionis, extinguitur in fauorem Ecclesiæ, vt beneficium, ex quo pensio soluebatur, liberum maneat ab illo onere, & delinquens exindè nullam amplius iam pensionem retineat. Vide Suarez *de fide disputation. 22. section. 5. numer. 6.* 2 3

DVBITATIO CXVI.

An ob hæresim, vel aliud simile delictum cadant sub confiscationem bona prohibita alienari?

SVMMARIVM.

1 *Bona expresè probibita alienari in fauorem aliorum, non cadunt sub confiscationem ob delictum illius, qui ea possidet; sed statim spectabunt ad sequentes vocatos.*

2 *Bona huiusmodi expresè probibita alienari non solùm non cadunt sub confiscationem ob delictum possessoris quoad proprietatem; sed neque etiam quoad fructus: Quapropter illorum bonorum fructus non spectabunt ad fiscum, etiam durante vita condemnati, sed statim pertinebunt ad sequentes vocatos.*

3 *Legans alteri seruos cum conditione, ne aliis seruiant, si contingat bona legatarij ob eius delictum confiscari, serui non pertinent ad fiscum, sed consequuntur libertatem; quia legans expresè prohibuit, ne illi serui alienentur.*

4 *Expresè probibita aliquorum bonorum alienatione, tunc commoditas illorum fructuum, quæ ex talibus bonis percipitur, est annexa dominio illorum bonorum.*

5 *Fructuum commoditas, quod durante vita possessoris pertineat ad fiscum, etiam quando est expressa probibitio alienandi, sentiunt plures Doctores.*

6 *Textus in l. Statius, ff. de iur. fisci, vbi dicitur vniuersaliter, & absolutè bona fideicommisso subiecta confiscari quoad fructus, quamdiu delinquens vixerit, loquitur in casu, quo est solùm tacita probibitio alienandi; non autem in casu, quo est expressa probibitio.*

7 *Delinquens potuit tales fructus alienare toto tempore vitæ suæ; dummodo tamen retineret dominium illius rei, ex qua fructus erant percipiendi: At cum statim post delictum commissum censeatur vocatus successor, vt dominium illius rei transeat in successorem, transibunt etiam & fructus percipiendi ex illa re post delictum prædecessoris.*

8 *Neque etiam sub confiscationem cadunt bona, cum is, qui reliquit bona, non prohibuit absolutè, ne alienentur; sed solùm ne alienentur extra familiam.*

9 *Bona subiecta fideicommisso non possunt alienari, & consequenter non possunt confiscari.*

10 *Delinquens non tenetur statim ea bona, quæ ob crimen transeant in successorem vocatum, in foro conscientiæ, tradere successori vocato; sed post sententiam iudicis condemnatoriam, vel declaratoriam: Qua secuta retrotrahitur dominium illorum bonorum ad successorem vocatum, cui debentur à die commissi delicti etiam fructus percepti; quia talia bona relinquuntur à testatore cum hac conditione, ne transeant extra familiam.*

11 *Bona huiusmodi item relinquuntur cum conditione, vt transeant ad successorem deficiente possessore, & ante sententiam iudicis nullo iure statutum est, quod delinquens non remaneat possessor.*

12 *Clausula apponi solita in fideicommissis, & maioratibus, vt à puncto attentati, vel commissi delicti bona possessoris pertineant ad successorem vocatum, facit sensum, non vt transferatur dominium talium bonorum statim in successorem vocatum, sed talia bona esse ita affecta, & obligata successori vocato, vt facta delicti declaratione, retrotrahatur dominium talium bonorum, & pertineant ad successorem vocatum cum omnibus fructibus perceptis à possessore post delictum.*

13 *Bona, quæ probibeantur alienari, non deueniunt ad fiscum etiam quoad fructus, dum vixerit delinquens, si testator, vel institutor vtitur his, vel similibus verbis, vt scilicet eo ipso, quod possessor tractauerit, vel attentauerit committere delictum ob quod bona sunt confiscanda, statim amittat bona prohibita alienari, & transeat ad alios vocatos cum omnibus suis commoditatibus, tunc enim fructus non pertinebant ad fiscum ob delictum possessoris; sed pertinebunt ad alios vocatos.*

14 *Testator, vel institutor fideicommissi, vel maioratus potest, cùm quilibet rei suæ sit moderator, & arbiter, relinquere sua bona cum conditione, & onere, ac suos successores præferre fisco; præsertim, cùm id onus non apponat in fraudem fisci, neque in bonum possessoris delinquentis, sed in bonum familiæ.*

15 *Probibitio facta in fraudem fisci tunc non est valida, quando is, qui disponit, est ille idem, qui deliquit, vel cogitauit delinquere, cum in potestate delinquentis non sit pœnam vitare; quare non valeret institutio, si quis ita institueret: Dono tibi bona mea, si contingat, vt ob meum delictum illa confiscentur; quia tunc non valeret probibitio alienationis suorum bonorum, secus in casu recensito.*

16 *Bona prædicta ob delictum possessoris non transeunt in fiscum, si à principe obtinetur, vt hanc ipsam clausulam confirmet, vel si is, qui instituit fideicommissum in institutione exprimat, se id non prohibere causa fraudandi fiscum, sed causa conseruandi bona in sua familia.*

17 *Expresè tunc aliquid alienari prohibetur, quando qui de rebus suis disponit, verbis expressis prohibet, ne bona sua alienentur, tunc verò prohibetur tacitè, cum non prohibet verbis expressis, sed disponit tali modo, vt ex tali dispositione sequatur, bona sua non posse alienari.*

18 *Discrimen est inter prohibitionem tacitam, & expressam; quia in prohibitione expressa non potest possessor vllo modo bona alienare, quod si alienet, poterit successor vocatus statim ea bona sibi vendicare, nec tenetur expectare mortem prioris possessoris, seu tempus illud limitatum, quo possessor illa bona alienauit: At in prohibitione tacita, quamuis non possit possessor in perpetuum bona illa alienare; potest tamen alienare, vel ad certum tempus, vel quamdiu fructibus illorum bonorum, durante vita sua, est fruiturus.*

19 *Fructus in probibitione expressa alienandi non separantur à dominio: Et sicut dominium bonorum non transit in fiscum, ita nec transeunt fructus illius dominij, sed tam dominium illius rei, quàm fructus spectant ad successorem vocatum; secùs est in prohibitione tacita.*

20 *Res confiscatur non solùm quoad fructus; sed etiam quoad Dominium, seu proprietatem, quando prohibetur aliquid alienari in fauorem solùm illius, cui res relinquitur, ob illius delictum; quare illud, quod prohibetur alienari, spectabit in perpetuum ad fiscum, & ob delictum possessoris totus ille fauor deperditur; quia quando lege prohibetur aliquid alienari in fauorem alterius, si iste postea delinquit, priuatur ob delictum fauore, & priuilegio legis, frustra enim legis auxilium implorat, qui in legem delinquit.*

RESPONDETVR, & dico primò. Bona expresè prohibita alienari in fauorem aliorum, non cadunt sub confiscationem ob delictum illius, qui ea possidet, sed statim spectabunt ad sequentes vocatos. Ioan. Andreas in 1

Addit. ad Speculat. dit. de feud. verf. 40. Natta *conf.* 528. *n.* 21. Roin *vol.* 2. *conf.* 129. *n.* 4. Rota *decif.* 10. *n.* 9. *tom.* 1. *in Recent.* Rolan. *vol.* 1. *conf.* 101 *n.* 15. Grammat. *decif.* 105. *n.* 29. Boët. *decif.* 168. *n.* 6. Cepoll. *conf. ciuil.* 58. *n.* 3. Menoch. *vol.* 1. *conf.* 104. *num.* 42. & Hier. Gabr. *vol.* 1. *conf.* 284. *num.* 2. Vide etiam, quæ dicam infrà *dubit. sequenti.*

2 Et huiusmodi bona expresè prohibita alienari non solùm non cadunt sub confiscationem ob delictum possessoris quoad proprietatem, sed nec etiam quoad fructus. Quapropter illorum bonorum fructus non spectabunt ad fiscum, etiam durante vita condemnati, sed statim pertinebunt ad sequentes vocatos. Ruin. *vol.* 2. *conf.* 198. *n.* 4. Alciat *tom.* 3. *conf.* 67. *n.* 1. Dec. *vol.* 3. *conf.* 441. *n.* 27. Riminald. Iun. *vol.* 3. *conf.* 313. *n.* 8. Hiet. Gabr. *lib.* 1. *conf.* 184. *num.* 2. Pancirola *conf.* 181. *vol.* 1. Natta *conf.* 528. *n.* 19. *&* 20. Et patet *ex l. cum verò, ff. de fideicom. liber. ex l. iura, ff. de Iurepatr. & ex l. Imperator,*
3 *ff. de fideicom. liber.* vbi dicitur, quod cùm quis legat alteri seruos cum conditione, ne aliis seruiant; si contingat, bona legatarij ob eius delictum confiscari, serui non pertineant ad fiscum, sed consequantur libertatem; quia legans expresè prohibuit, ne illi serui alienentur: Ergo, quæ sunt expresè prohibita alienari, non pertinebunt ad fiscum ob delictum delinquentis.

4 Quod verò neque pertineant ad fiscum eorum fructus, probatur; quia quando expresè prohibetur, ne aliqua bona alienentur, tunc commoditas illorum fructuum, quæ ex talibus bonis percipitur, est annexa dominio illorum bonorum: Ergo sicut ob delictum possessoris non transit ad fiscum, sed pertinet ad sequentes vocatos dominium, ita nec etiam transibunt ad fiscum, sed pertinebunt similiter ad sequentes vocatos eorumdem bonorum fructus.

5 Quamuis contrarium (quod scilicet, durante vita possessoris commoditas fructuum pertineat ad fiscum, etiam quando est expressa prohibitio alienandi) sentiant non improbabiliter Paul. *in l. fil. fam.* §. *Diui, n.* 11 *ff. de legat.* Alciat. *ibidem n.* 4. *&* 5. Molin. *de Iust. tom.* 2. *disput.* 470. & alter Molin. *de primogen. lib.* 1. *cap.* 20. *num.* 9. & Sayr. *in clau. Reg. lib.* 9. *cap.* 7. *n.* 7. & alij.

6 Obiicies fundamentum istorum Doctorum: *in l. statius, ff. de Iur. fisc.* dicitur vniuersaliter, & absolutè bona fideicommisso subiecta confiscari quoad fructus, quamdiu delinquens vixerit: Ergo.

Respondetur, hanc legem loqui in casu, quo est solùm tacita prohibitio alienandi, non autem in casu, quo est expressa prohibitio: Nam in prohibitione tacita ob delictum delinquentis commoditas fructuum pertinebit ad fiscum, quamdiu delinquens vixerit: Pertinebit autem ad vocatos, seu successores, statim ac delinquens mortuus fuerit.

7 Obiicies secundò: Is, qui delictum commisit, poterat toto tempore vitæ suæ illos fructus alienare, tanquam verus dominus talium fructuum, nec successores habebant aliquod ius ad tales fructus: Ergo, cùm ob ipsius delictum omnia bona transeant in fiscum, transibunt etiam in fiscum prædicti fructus.

Respondetur: Concedo antecedens (quod scilicet delinquens poterit tales fructus alienare toto tempore vitæ suæ) dummodò tamen retineret dominium illius rei, ex qua fructus erant percipiendi; at cum statim post delictum commissum cessatur vocatus successor, vt dominium illius rei transeat in successorem, transibunt etiam & fructus percipiendi ex illa re post delictum prædecessoris: Ita vt, cùm illa res non sit amplius sub dominio delinquentis, sed successoris, fructus etiam pertineant ad successorem, qui est verus dominus.

8 Dico secundò. Nec etiam sub confiscationem cadunt bona, cùm is, qui reliquit bona, non prohibuit absolutè, ne alienentur, sed solùm ne alienentur extra familiam; Doctores, quos sequitur Anton. Gabr. *lib.* 7. *commun. opinion. tit. de criminal. concl.* 24. & Farin. *in Praxi tom.* 1. *part.* 2. *tit. de delictis, quæstion.* 25. *numer.* 31.

Hinc patet, bona subiecta fideicommisso non posse alienari, vt etiam expresè habetur *in l. Imperator, ff. de fideicomm.* & consequenter non posse confiscari. Dec. *conf.* 441. *num.* 18. Peregr. *de Iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 98. Alex. *lib.* 1. *conf.* 25. Soccin. Iun. *lib.* 3. *conf.* 34. *num.* 49. Cepoll. *conf.* 58. *dub.* 1. Ruin. *lib.* 5. *conf.* 88. & Roland. *lib.* 2. *conf.* 98. 9

Dico tertiò: Cùm dixi, *ob crimen possessoris fideicommissi, vel maioratus transire huiusmodi bona in successorem vocatum,* non intellexi, teneri delinquentem statim ea bona in foro conscientiæ tradere successori vocato, sed post sententiam iudicis condemnatoriam, vel declaratoriam. Qua secuta, retrotrahitur dominium illorum bonorum ad successorem vocatum, ita vt à puncto delicti commissi dominium illorum bonorum, & fructus pertineant ad successorem vocatum; sicut pertinuissent ad fiscum, si talia bona non fuissent subiecta fideicommisso; qua de re vide diffusius infrà *dubit.* 131. *&* 133. 10

Probatur, quia talia bona relinquuntur à testatore cum huiusmodi conditione, ne bona transeant extra familiam, sed conseruentur in familia: At hoc rectè obseruatur, quamdiu possessor retinet illa bona, & illorum fructus (quæ omnia retineantur ante sententiam iudicis) Ergo ex mente testatoris non obligatur delinquens tradere illa bona successori ante sententiam iudicis.

Confirmatur; quia relinquuntur talia bona cum conditione, vt transeant ad successorem, deficiente possessore; sed ante sententiam iudicis nullo iure statutum est, quod delinquens non remaneat possessor: Ergo non tenetur talia bona tradere successori vocato ante sententiam iudicis. 11

Obiicies. In fideicommissis, & maioratibus apponitur clausula, vt à puncto attentati, vel commissi delicti bona possessoris pertineant ad successorem vocatum, ergo mens testatoris est, vt ipso facto talia bona confignentur à possessore successori vocato. 12

Respondetur, sensum illorum verborum esse, non vt transferatur dominium talium bonorum statim in successorem vocatum, sed talia bona esse ita affecta, & obligata successori vocato, vt facta delicti declaratione, retrotrahatur dominium talium bonorum, & pertineant ad successorem vocatum cum omnibus fructibus perceptis à possessore post delictum commissum.

Dico quartò: Ad hoc, vt bona, quæ prohibentur alienari, non deueniant ad fiscum, etiam quoad fructus, dum vixerit delinquens, testator, vel institutor debet vti his, vel similibus verbis; *Vt (scilicet) eo ipso, quod possessor tractauerit, vel attentauerit committere delictum, ob quod bona sunt confiscanda, statim amittat bona prohibita alienari, & transeant ad alios vocatos cum omnibus suis commoditatibus.* Tunc enim fructus non pertinebunt ad fiscum ob delictum possessoris, sed pertinebunt ad alios vocatos. Menoch. *vol.* 1. *conf.* 91. *num.* 6. Riminal. Iun. *vol.* 1. *conf.* 131. *num.* 63. Hier. Gabr. *vol.* 1. *conf.* 123. *num.* 12. Roland. *vol.* 1. *conf.* 56. *num.* 11. Marian. Soccin. Iun. *vol.* 3. *conf.* 49. *n.* 2. Tobias Nonins *vol.* 1. *conf.* 97. *num.* 2. Ruin. *vol.* 2. *conf.* 129. *n.* 4. Sfortius Oddo *vol.* 1. *conf.* 53. *num.* 7. Molin. *tom.* 3. *de iust. disput.* 616. *num. vltimo*, & Suar. *de fide disp.* 22. *sect.* 5. *num.* 12. 13

Probatur, quia testator, vel institutor fideicommissi, vel maioratus potest, cùm quilibet rei suæ sit moderator, & arbiter, relinquere sua bona cum conditione, & onere; ac suos successores præferre fisco. Præsertim, cum id onus non apponat in fraudem fisci, nec in bonum possessoris delinquentis, sed in bonum familiæ, nempè vt bona conseruentur in familia. 14

Obiicies: Testator, vel institutor videtur apponere id onus ex dolo in fraudem fisci: Ergo talis institutio tanquam 15

tanquam facta ex dolo in fraudem fisci, non est valida; cùm omnia iura disponant fraudibus, & dolis non esse locum dandum, *l. in fundo, ff. de rei vendicat.*

Respondetur. Nego antecedens: cùm testator, vel institutor in tali casu vtatur iure suo. Accedit, licitum esse, vt fraudibus, cùm illæ iniustitiam non inuoluunt: Nam tunc non sunt propriè fraudes, cùm nemo rebus suis alterum fraudet. Accedit secundò, tunc prohibitionem factam in fraudem fisci non esse validam, quando is, qui disponit, est ille idem, qui deliquit, vel cogitauit delinquere, cùm in potestate delinquentis non sit pœnam vitare: quare non valeret institutio, si quis ita institueret: *Dono tibi bona mea, si contingat, vt ob meum delictum illa confiscentur*; quia tunc non valeret prohibitio alienationis suorum bonorum; At, cùm is, qui instituit fideicommissum, vel maioratum, nec deliquerit, nec cogitauerit de delicto, non censetur dispo-nere in fraudem fisci, sed id facere, vt successores ab ipso instituti in suis bonis timore illa amittendi retrahantur à delictis committendis: quod est in bonum Reipublicæ, & iuxta bonos mores, tam ciuiles, quàm naturales.

16 Cæterùm certum est, quod non transeant prædicta bona ad fiscum ob delictum possessoris, si à Principe obtinetur, vt hanc ipsam clausulam confirmet, vel si is, qui instituit fideicommissum, in institutione exprimat, se id non prohibere causa fraudandi fiscum, sed causa conseruandi bona in sua familia. Doctores, quos sequitur Farin. *in pract. tom. 1. part. 1. tit. de delictis, & pœnis, quæst. 25. num. 19.*

17 Dico quintò. Tunc prohibetur expressè, aliquid alienari, quando, qui de rebus suis disponit, verbis expressis prohibet, ne bona sua alienentur. Tunc verò prohibetur tacitè, cùm non prohibet verbis expressis, sed disponit tali modo, vt ex tali dispositione sequatur, bona sua non posse alienari.

18 Est verò (sicut rectè præter alios adnotauit Peregr. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. n. 120.* & Farinac. *in pract. crimin. loco suprà cit. q. 25. n. 38. & 39.* discrimen inter prohibitionem tacitam, & expressam: quia in prohibitione expressa non potest possessor vllo modo bona alienare; quod si alienet, poterit successor vocatus, statim ea bona sibi vendicare, nec tenetur expectare mortem prioris possessoris, seu tempus illud limitatum, quo possessor illa bona alienauit. At in prohibitione tacita, quamuis non possit possessor in perpetuum bona illa alienare, potest tamen alienare, vel ad certum tempus, vel quandiù fructibus illorum bonorum, durante vita sua, est fruiturus. Quare, si alienet, valebit alienatio, nec poterit ea reuocari, nisi elapso illo certo tempore, ad quod fuerunt illa bona alienata, vel adueniente morte prioris possessoris.

19 Dico sextò: In prohibitione expressa alienandi, fructus non separantur à dominio (vt suprà dicebam) & sicut dominium bonorum non transit in fiscum, ita nec transeunt fructus illius dominij: sed tam dominium illius rei, quàm fructus spectant ad successorem vocatum. At in sola prohibitione tacita, sicut, durante vita possessoris, possunt illa bona transire in alterum, ita etiam & fructus; & consequenter illa bona quoad fructus poterunt transire in fiscum toto tempore vitæ delinquentis: Quare, si in institutione fideicommissi, vel maioratus prohibeatur tacita alienatio, potest tunc fideicommissum, vel maioratus confiscari quoad fructus. Secùs, si addatur expressa prohibitio alienandi; quia tunc non confiscatur, nec quoad dominium, nec quoad fructus, sed fideicommissum, vel maioratus absolutè spectabant ad successorem vocatum.

20 Dico septimò: Quando prohibetur aliquid alienari in fauorem solùm illius, cui res relinquitur, ob illius delictum res illa confiscatur, non solùm quoad fructus, sed etiam quoad dominium, seu proprietatem. Quare illud, quod prohibetur alienari, spectabit in perpetuum ad fiscum, & ob delictum possessoris, totus ille fauor deperditur. Bartol. Soccin. *vol. 1. cons. 166 n. 38.* Anton. Gabr. *lib. 7. commun. opinion. titul. de minim. concl. 14. n. 3.* Natta *vol. 3. cons. 528. num. 11.* Molina *de de inst. tom. 3 disp. 656. n. 3.* & Fario. *cit. q. 25. num. 46.* Quia, quando lege prohibetur aliquid alienari in fauorem alterius, si iste posteà delinquat, priuatur ob delictum fauore, & priuilegio legis; cùm frustrà legis auxilium imploret, qui in legem delinquit; *cap. quia frustra, de vsur.* Hæc de bonis alienari prohibitis diximus in genere, & vniuersali, dicam nunc in specie, & particulari. Quare sit.



DVBITATIO CXVII.

An, confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis, cadat sub confiscationem fideicommissum, & maioratus?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Fideicommissum, & maioratus, confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis, non cadit sub confiscationem: Ita vt sub publicatione bonorum non comprehendantur fideicommissum, & maioratus, vtpotè prohibita alienari, quia quilibet habet de suis bonis liberam disponendi facultatem.*

2 *Bona fideicommissi, & maioratus alienari non possunt in præiudicium alterius contrahendo, neque delinquendo: quia delictum est quasi contractus cum fisco factus, ratione cuius bona sunt fisco obligata.*

3 *Nemo potest amittere, nisi ea, quæ sibi propria sunt, & quorum liberam dispositionem habet.*

4 *Successores non accipiunt fideicommissum, & maioratum à proximo possessore, sed ab institutore fideicommissi, vel maioratus.*

5 *Bona, quæ non transeunt ad heredes extraneos, non cadunt sub confiscationem, & huiusmodi sunt fideicommissum, & maioratus, contra nonnullos contrarium sentientes.*

6 *Possessor maioratus non est absolutus dominus; sed tenetur bona maioratus ex institutione facta conseruare successoribus.*

7 *Omnia iura clamant, vt ob grauia delicta delinquentis bona confiscentur: sed id intelligitur de bonis, quorum delinquens est absolutus dominus. At possessor non est absolutus dominus bonorum maioratus.*

8 *Ampliatur responsio principalis in principio posita non solùm ad bona, quæ ei sunt prohibita alienari; sed etiam ad bona, quæ eidem sunt prohibita diuidi: quia diuidere non potest quin alienet: & diuisio est quædam alienatio.*



RESPONDETVR ex dictis *dubit. præcedenti*, negatiuè: Ita vt sub publicatione bonorum non comprehendantur fideicommissum, & maioratus, vtpotè prohibita alienari, sicuti patet ex dictis: & habetur expressè in *l. Imperator, de fideicomm. libr.* & docet ibi Bartol. *num. 1.* quem sequuntur communiter Doctores apud Molinam *de primogen. lib. 4. cap. 11. num. 32.* Castr. *de inst. heret. punie. cap. 2.* Vasq. *part. 2. disp. 169. cap. 4. n. 50.* Soar. *de fid. disp. 22. sect. 5. n. 12.* Clar. *pract. quæst. 38. vers.* saltem, 1

saltem. Gig. *de crimin. læs. Maiest. lib. 2. tit. de pœnis, quæst. 3. num.* 1. Molinam *de iust. tom. 3. disput.* 556. Farinacium *lib. 1. pract. quæst. 25. num. 22. & de hæret. quæst.* 190. §. 4. *num.* 60. & Riucciullum *tract. de iure personarum, lib. 5. cap. 31. num. 65. & seqq.* Vide etiam, quæ dicebam suprà *dubit. præcedenti.*

Probatur, quia quilibet habet in suis bonis liberam disponendi facultatem, *l. sed & si, §. consuluit, ff. de petit. hæred.* sed qui tibi talia bona reliquit, non reliquit absolutè, sed sub conditione, ne ea alienare possis; Ergo sub confiscationem non cadunt.

2 Confirmatur, quia non potes in præiudicium alterius talia bona alienare contrahendo: Ergo neque delinquendo, *l. si filius, Cod. de bon. proscript.* & tradit Bartol. *in l. si finita, §. de vectigalibus, n.* 12. *ff. de damn. infecto:* præsertim, quia delictum est quasi contractus cum fisco factus, ratione cuius bona sunt fisco obligata, *l. Imperatores, ff. de iur. fisc.* ibi: *Tu te ipsum pœnæ subdidisti.*

3 Confirmatur secundò, quia nemo potest amittere, nisi ea, quæ sibi propria sunt, & quorum liberam dispositionem habet, *ex l. si dotem, Cod. de iur. dotium, & ex l. emancipatum, §. fin. de senat.*

4 Confirmatur tertiò, quia successores non accipiunt fideicommissum, & maioratum à proximo possessore, sed ab institutore fideicommissi, vel maioratus: Ergo cùm sic successores habeant ius ad bona fideicommissi, vel maioratus, non debent illis priuari ob delictum possessoris contra voluntatem primi institutoris, qui voluit, quod si possessor committat aliquod delictum, fideicommissum, vel maioratus pertineat ad successores: Nam quilibet potest sua bona relinquere cum illis conditionibus, & oneribus, quæ voluerit, si rectæ rationi non repugnant.

Confirmatur quartò, quia bona quæ non transeunt ad hæredes extraneos, non cadunt sub confiscationem: At huiusmodi sunt fideicommissum, & maioratus; Ergo.

Quamuis contrarium sentiant Simanch. *de Cathol. institut. tit. 9. num. 153. & tit. 13. num. 252. & seqq.* & Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 12. quæst. 7. & 13.* quatenùs aiunt, ob crimen hæresis in perpetuum publicari bona maioratus, & pertinere ad fiscum, nunquam reuersura ad hæredes eius, qui maioratum instituit.

6 Obiicies fundamenta ipsorum: Possessor maioratus est verus dominus bonorum maioratus; Ergo ob ipsius delictum bona maioratus in perpetuum cadunt sub confiscationem.

Respondetur: Nego consequentiam; quia talis possessor non est absolutus dominus, sed tenetur bona maioratus ex institutione facta conseruare successoribus.

7 Obiicies secundò, omnia iura clamant, vt ob grauia delicta delinquentis bona confiscentur: Ergo.

Respondetur, intelligi de bonis, quorum delinquens est absolutus dominus: At possessor non est absolutus dominus bonorum maioratus.

8 Ampliatur responsio nostra principalis in principio posita non solùm ad bona, quæ tibi sunt prohibita alienari, sed etiam ad bona, quæ tibi sunt prohibita diuidi; quia diuidere non potes, quin alienes; & diuisio est quædam alienatio, *l. si pupillorum, ff. de reb. eorum*; & tradunt Ruin. *cons. 23. num. 15. lib. 5.* Roland. *cons. 84. num. 30. vol. 1.* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *lib. 5. pract. quæst. 25. n. 31.* & Sanch. *lib. 4. moralium, cap. 12. num. 17.*

SECTIO II.

Limitatio prima.

SVMMARIVM.

1 *Limitatur primò eadem responsio, vt procedat casu, quo Testator prohibuerit alienationem fieri in fauorem alterius à delinquente, quod sæpè contingit à fideicommissis, & quoties aliqui sunt vocati; quia si prohibuerit alienationem fieri in fauorem delinquentis, tunc in fiscum transeunt illa bona: siquidem propter delictum fauor ille deperditur.*

2 *Amplia, id verum esse, etiamsi testator expressè prohibuerit bona illa in fiscum transire: quia talis prohibitio vtpotè fauens delinquenti, & facta in fraudem fisci, non impedit translationem in fiscum.*

3 *Delinquentibus omnibus, quorum occasione facta est alienationis prohibitio, fideicommissum alienari prohibitum, transeat in fiscum: quia cessat tunc ratio damnificandi Innocentis ex tali transitu.*

1 Limitatur tamen eadem responsio primò, vt procedat casu, quo testator prohibuerit, alienationem fieri in fauorem alterius à delinquente (quod semper contingit in fideicommissis, & quoties aliqui sunt vocati:) quia, si prohibuerit alienationem fieri in fauorem delinquentis, quod contingit, quando nullus est datus substitutus, neque aliqui sunt vocati; Tunc in fiscum transeunt illa bona, siquidem propter delictum fauor ille deperditur, vti dicebam *dubit. præcedenti.* & & docet Farin. *q. 25. num. 46.* Molin. *de primogen. lib. 4. cap. vltimo, n. 5.* & alij multi, quos citat, & sequitur Sanch. *lib. 2. moral. cap. 18. n. 5.*

2 Quod verum est, etiamsi testator expressè prohibuerit, bona illa in fiscum transire; quia talis prohibitio, vtpotè fauens delinquenti, & facta in fraudem fisci, non impedit translationem in fiscum. Farinac. Molin. & Sanch. *in loc. suprà cit.* & fauet Textus *in l. filiusfam. §. Diui, ff. de legat. 1.* Ibi: *sed neque creditoribus, neque fisco fraudi esse.*

3 Hinc sequitur, quod delinquentibus omnibus, quorum occasione facta est alienationis prohibitio, fideicommissum alienari prohibitum transeat in fiscum: quia cessat tunc ratio damnificandi Innocentis ex tali transitu, vti dicebam *cit. dubit. præcedenti.* Et videri poterit Sanch. *vbi suprà num.* 49.

SECTIO III.

Limitatio secunda.

SVMMARIVM.

1 *Responsio item superior limitatur secundò, vt intelligatur de alienatione perpetua: quia loquendo de temporali, & ad vitam damnati, fideicommissum transire potest in fiscum, ita vt fiscus percipiat eius commoditatem, & vsumfructum, quem percipere debuisset damnatus: siquidem in hoc nulla fit iniuria Innocenti.*

2 *Non obstat, sic delinquentem bannitum cum publicatione bonorum reputari pro mortuo, vt dicamus substitutum debere succedere, & non fiscum: quia id verum est in iis, quæ spectant commodum delinquentis, non autem in iis, quæ spectant vtilitatem aliorum.*

3 *Intellige supradicta, quando fideicommisso non esset expressè addita prohibitio alienationis extra familiam: quia si prohibitio fideicommisso expressè addita*

addita esset, tunc ex probabiliori sententia Doctorum neque commoditas, vel vsusfructus transit in fiscum.

4 *Vsusfructus non potest transire in fiscum, quin bona sint alienata in fiscum: & eo ipso, quod sunt alienata, transeunt expressa dispositione testatoris in substientum.*

5 *Conditio requisita vt succedat substitutus, & excludatur fiscus, purificatur, stante alienatione per delictum in fiscum.*

6 *Legatis tribus seruis Mutiano hac conditione, ne alijs seruirent, cum Mutiani bona fuerint confiscata, serui manserunt liberi: quia purificata fuit legati conditio, ex l. Imperator, ff. de fideic. libert.*

7 *Testator in casu, de quo agitur, non impedit, vt leges in sua dispositione locum non habeant: quia non impedit legis dispositionem ex eo; quod ante commissum delictum disponat, vt si de facto delictum committatur, bona illa delinquentis in alterum transeant. At illa bona iam desinunt esse delinquentis ex dispositione testatoris, cùm delinquens delictum committit, & applicantur successori.*

8 *Testatoris dispositio neque videtur facta in praeiudicium fisci: quia praeiudicium esse non potest, vbi non tollitur ius quaesitum.*

9 *Ius, quod acquisiturus erat fiscus ex delicto, si talis dispositio non fuisset, licèt tollatur, id tamen in causa esse non potest, vt dicatur dispositio facta esse in praeiudicium fisci: aliàs in omni fideicommisso hoc praeiudicium adesset; quod non est dicendum.*

10 *Dispositio hoc modo facta, volo vt mea bona, si delinquam, ad agnatum proximum perueniant, & non ad fiscum, non valet: quia talis dispositio censetur facta in praeiudicium fisci; cùm facta sit in fauorem delinquentis, & ideò non tenet: Secùs, quando nec deliquit, nec delinquere cogitauit, disponit non in fauorem delinquentis, sed in fauorem familiae, quam intendit praeferre fisco, &c.*

11 *Taciti, & expressi est idem iuris; quando tacitum loco expressi, & expressum loco taciti succedit: At secùs est, quandò expressum, vt in praesenti, tacito superadditur: quia duplex prohibitio, legis scilicet, & hominis, plus operatur, quàm simplex.*

12 *Alienari prohibita tacitè, si alienantur non possunt; nec per fideicommissarium, nec per eius substitutum, durante vita grauati vindicari: At fideicommissa alienari prohibita expressè, si alienentur, possunt non quidem à fideicommissario, sed à substituto etiam durante vita grauati vindicari.*

13 *Testatoris adaequatus finis sic disponentis non est ne bona illa transeant in alienum, sed est, ne in delinquente iam declarato retineantur. Ex quo fine sequitur, quod non possit fiscus commoditates, & vsusfructus percipere: quia illis bonis in substitutum innocentem translatis, debent etiam & fructus transferri: aliàs sine culpa fructibus sibi debitis priuaretur.*

14 *Bona fideicommissi, vel maioratus praedicta transeũt ad substitutum post delicti declarationem, & delinquentis condemnationem: quia delinquens vsque ad illud tempus retinere potest fideicommissum, vel maioratum: siquidem testator solùm voluit, ne extra familiam veniret, quod non venit, donec delinquens retinet: data tamen sententia declaratoria, dominium retrotrahitur à die commissi criminis, & cum fructibus transfertur in sequentem vocatum.*

1 Limitatur secundò, vt intelligatur de alienatione perpetua, quia loquendo de temporali, & ad vitam damnari, fideicommissum transire potest in fiscum, ita vt fiscus percipiat eius commoditatem, & vsumfructuum, quem percipere debuisset damnatus; siquidem in hoc nulla fit iniuria innocenti, vti patet ex iis quae dicebam *cit. dubit. praeced.* & ex textu in *l. Statius, §. Cornelio, ff. de iur. fisc. in l. cùm pater, §. haereditatem, ff. de legat. 2. & in l. ex facto, ff. ad Trebellian.* & ex communi traditur à Doctoribus apud Farinac. *q. 25. n. 34.* & apud Sanch. *lib. 2. moral. cap. 18. num. 8.*

Non obstat, sic delinquentem Bannitum cum publicatione bonorum reputari pro mortuo, *ex cit. l. ex facto, §. ex facto*, vt dicamus, substitutum debere succedere, & non fiscum; quia id verum est in iis, quae spectant commodum delinquentis, non autem in iis, quae spectant vtilitatem aliorum. Boët. *q. 41.* Riminal. *conf. 50. n. 109. lib. 1.* & alij passim, quos citat, & sequitur Farinac. *loco suprà cit. num. 34.* 2

Hoc autem, quod modò dixi, intellige, quando fideicommisso non esset expressè addita prohibitio alienationis extra familiam: quia, si talis prohibitio fideicommisso expressè addita esset, tunc ex probabiliori sententia Doctorum neque commoditas, neque vsusfructus transit in fiscum. Clar. *in pract. q. 78. vers. quaro,* & ibi Baiard. *n. 36.* Diaz *in pract. cap. 132. n. 4.* Hieron. Gabr. *cons. 123. & cons. 184. num. 1. lib. 1.* Farinac. *q. 25. n. 35.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 18. n. 15.* & alij, quos citabam *dubit. praeced.* Etsi contrarium non improbabiliter doceant Gyg. *tract. de crim. laesae Maiest. lib. 2. tit. de poen. committ. in crimin. q. 3. n. 4.* Peregr. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. n. 101.* Molin. *de primogen. lib. 1. cap. 20. n. 9. & lib. 4. cap. vltimo, n. 11.* & alij, quos citabam eadem *dubitatione praecedenti.* 3

Probatur, quia non potest vsusfructus transire in fiscum, quin bona sint alienata in fiscum. Et eo ipso, quod sunt alienata, transeunt ex expressâ dispositione testatoris in substitutum: Ergo. 4

Confirmatur, quia stante alienatione per delictum in fiscum, purificatur conditio requisita, vt succedat substitutus, & excludatur fiscus: Ergo. 5

Confirmatur secundò, *ex l. Imperator, ff. de fideicom. libert.* vbi legatis tribus seruis Mutiano hac conditione, ne aliis seruirent, cùm Mutiani bona fuerint confiscata, serui manserunt liberi: quia purificata fuit legati conditio; sed cùm tibi fideicommissum tradatur ex conditione ne extra familiam deueniat, si per delictum alienas, iam purificatur conditio, vt illud transeat in substitutum: Ergo. 6

Obiicies fundamenta contraria: Testator non potest impedire, quin leges in sua dispositione locum habeant, iuxta Textum *in l. nemo potest, ff. de legat. 1.* At si, commisso delicto, testator impedit, ne bona delinquentis transeant in fiscum, impedit, quin leges in sua dispositione locum habeant: Nam impedit legis dispositionem, quae bona delinquentis fisco applicat: Ergo. 7

Respondetur: Concedo maiorem, nego tamen minorem; impedire scilicet testatorem, quin leges in sua dispositione locum habeant: quia non impedit legis dispositionem ex eo, quod ante commissum delictum disponat, vt si de facto delictum committatur, bona illa delinquentis in alterum transeant: siquidem lex solùm disponit, vt bona delinquentis, quae sunt delinquentis, cum ab isto delictum committitur, fisco applicentur. At illa bona iam desinunt esse delinquentis ex dispositione testatoris: cùm delinquens delictum committit, & applicantur successori; Ergo.

Obiicies secundò. Haec dispositio testatoris videtur facta in praeiudicium fisci, ergo reiicienda, & nulla; Argumento Textus *in l. filiusfamil. §. Diui 2. ff. de legat. 1.* 8

Respondetur: Nego antecedens, quia praeiudicium esse non potest, vbi non tollitur ius quaesitum.

Quod si dicas: Tollitur ius, quod acquisiturus erat fiscus ex delicto, si talis dispositio non fuisset. 9

Respondetur, id in causa esse non posse, vt dicatur dispositio facta esse in praeiudicium fisci: aliàs in omni fideicommisso hoc praeiudicium adesset; quod non est dicendum: cum cuilibet liberum sit; de suis bonis disponere; neque in hac dispositione

iniuriatti

iniuriam alicui inferat, vtpotè iure ſoo vtens.

10 Quod ſi inſtes. Ergo valebit hæc diſpoſitio: Volo vt mea bona, ſi delinquam, ad agnatum proximum perueniant, & non ad fiſcum, contra Bartoli doctrinam *in l. poſt contract. n. 9. ff. de donat.* quam ſequuntur communiter Doctores.

Reſpondetur: Nego conſequeotiam. Et diſparitas eſt: quia talis diſpoſitio cenſetur facta in præiudicium fiſci, cum facta ſit in fauorem delinqoentis, & ideò non tenet: At cùm pater delinquentis, vel alius, qoi nec deliquit, nec delinquere cogitauit, diſpooit, quod, ſi delictum à fideicommiſſario committatur, fideicommiſſum traoſeat ad agnatos, non diſponit in fauorem delinquentis, ſed in fauorem familiæ, quam intendit præferre fiſco, & ideò è contra talis diſpoſitio ſubſtineri debet. Vide Farinacium, Molinam, & Sanchez *in locis ſuprà citatis.*

11 Obiicies tertiò: Taciti, & expreſſi idem eſt iuris, *l. de quibus, in fine, ff. de legib. & l. cùm quid, ff. ſi cert. per.* At tacita alienationis prohibitio (quæ in quolibet fideicommiſſo reperitur) non impedit, quominùs fiſcus vſumfructum fideicommiſſi percipiat: Ergo neque impediet expreſſa prohibitio.

Reſpoodetur: Concedo maiorem (taciti ſcilicet, & expreſſi eſſe idem ioris) quando tacitum loco expreſſi, & expreſſum loco taciti ſuccedit. At ſecùs, qoando expreſſum (vt in præſenti) tacito ſuperadditur. Quia duplex prohibitio, legis ſcilicet, & hominis, plus operatur, quàm ſimplex: *cap. cùm ad verum,* & ibi Gloſſa *de condit. appoſit.* & tradunt Doctores, quos citat, & ſequitur Sanch. *lib. 2. moral. cap. 18. n. 2.* & Farinac.

12 *q. 25. n. 36.* Ex qoo rectè inferunt differeotiam inter ea, quæ à lege alienari ſoot prohibita tacitè, qualia ſuot bona reſtitutioni obnoxia, ac fideicommiſſaria, & inter ea, quæ vltra tacitam prohibitiooem à teſtatore, alienari ſunt prohibita expreſsè: vt videlicèt alienari prohibita tacitè, ſi alienentur, non poſſint, nec per fideicommiſſarium, oec per eios ſubſtitutum, durante vita grauati, vindicari. At fideicommiſſa alienari prohibita expreſsè, ſi alienentur, poſſint noo quidem à fideicommiſſario, ſed à ſubſtituto, etiam durante vita grauati, vindicari. Et quoad hoc conſentiunt Molina *lib. 1. de primogen. cap. 16. num. 33.* & Peregr. *de iure fiſc. lib. 5. tit. 1. num. 102.*

13 Obiicies quartò: Finis teſtatoris eſt, ne bona illa tranſeant in alienum. At hoc ſaluari poteſt, etiamſi commoditates, & vſusfructus tranſeant in fiſcum, vti contingit, quando fideicommiſſo noo additur expreſſa alienationis prohibitio: Ergo.

Reſpondetur. Nego, adæquatum fioem teſtatoris, ſic diſponentis, eſſe ne bona illa tranſeant in alienum, ſed etiam eſſe, ne in delinqoente iam declarato retineantur. Ex qoo fine ſequitur, quod noo poſſit fiſcus commoditates, & vſusfructus percipere: quia illis bonis io ſubſtitutum innocentem tranſlatis, debent etiam & fructus transferri, aliàs ſine culpa fructibus ſibi debitis priuaretur.

14 Aduerte tamen, bona fideicommiſſi, vel maioratus prædicta traoſire ad ſubſtitutum poſt delicti declarationem, & delinqueotis condemnationem; quia delinquens vſque ad illud tempus retinere poteſt fideicommiſſum, vel maioratum; ſiquidem teſtator ſolùm voluit, ne extra familiam veniret, quod non venit, donec delinquens retinet; data tamen ſententia declaratoria, dominium retrotrahitur à die commiſſi criminis, & cum froctibus transfertur in ſequentem vocatum; ita vt bona illa ſint ſucceſſori addicta, & obligata à puncto commiſſi delicti; non ſecùs, ac alia bona, quæ ipſo facto ſont coofiſcata, & obligata fiſco, vti dicebam *dubitatione præcedenti* Et videri poterit Sanch. *cit. lib. 2. moral. cap. 18. n. 30.*

SECTIO IV.

Limitatio tertia.

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio prior limitatur tertiò in confiſcatione facta ob crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, vel humanæ, & ob crimen ſodomiæ: In hac enim confiſcatione præſertim ob crimen hæreſis, volunt ſub publicatione bonorum maioratum comprehendi: quia maioratus ſub hac tacita conditione videtur inſtitui: & inſtitutio à Principe approbari, ſecùs repelli.*

2 *Limitatio prædicta ſic vniuerſaliter ſumpta Auctori non probatur: plures enim caſus diſtinguendi videntur.*

3 *Maioratus non comprehenditur ſub confiſcatione bonorum, ſi alius à primo inſtitutore poſſideat maioratum conſtitutum ex diſpoſitione iuris communis, concedentis cuilibet non habenti hæredes neceſſarios diſponere de propriis bonis, prout voluerit, & incidat in crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, vel humanæ, vel in crimen ſodomiæ.*

4 *Fiſcus ſolùm occupat bona delinquentis, quatenùs ſunt delinquentis, & maioratus prædictus non eſt delinquentis abſolutè, & in perpetuum, ſed ſolum pro tempore ſuæ vitæ.*

5 *Fideicommiſſa omnia, & alienari prohibita communi iure ſtatutum eſt, non confiſcari in perpetuum.*

6 *Textus in l. 1. Cod. de bonis libert. non obſtat, vbi bona libertorum ob crimen læſæ Maieſtatis confiſcantur, quia hic Textus loquitur de iis iuribus libertorum, quæ tranſire poſſunt ad hæredes extraneos, &c.*

7 *Bona aliqua ſi à Rege alicui donata ſunt abſolutè, & non ſub titulo maioratus; Is verò ex illis maioratum inſtituit, talia bona delinquente aliquo ex poſſeſſoribus non confiſcantur in perpetuum, ſed tranſeunt ad ſequentem vocatum: quia talis poſſeſſor delinquens non à Rege, ſed à ſe maioratum habet.*

8 *Bona aliqua ſi à Rege alicui donata ſunt ſub titulo maioratus, & confiſcationem faciat non Rex, ſed Pontifex, vt de facto facit in crimine hæreſis, Pontifex non poteſt ea confiſcare in perpetuum: ſed ſolùm poteſt commoditates, & fructus maioratus applicare Eccleſiæ pro vita delinquentis: cum non poſſit priuare innocentes iure ipſis debito in maioratu.*

Limitatur tertiò ab Azorio *tom. 1. lib. 8. cap. 12. quæſt. 7.* Simaoch. *de Cathol. inſtitut. tit... num. 253. & ſeqq.* & aliis, in confiſcatione, præſertim ob crimen læſæ Maieſtatis diuinæ, vel homanæ, & ob crimen ſodomiæ: In hac enim confiſcatione, præſertim ob crimen hæreſis, volunt, ſub poblicatione booorum maioratum (qui eſt quoddam fideicommiſſum) comprehendi: quia maioratus ſub hac tacita conditione videtur inſtitui, & ioſtitutio à Principe approbari, ſecùs repelli. 1

At hæc limitatio ſic vniuerſaliter ſumpta, mihi non probatur, ſed plures caſus diſtingueodi videntur; quare. 2

Dico primò. Si alius à primo inſtituente poſſideat maioratum conſtitutum ex diſpoſitione iuris communis concedeotis cuilibet non habeoti hæredes oeceſſarios, diſponere de propriis bonis, prout voluerit: & incidat in crimen læſæ maieſtatis diuinæ, vel humanæ, vel in crimen ſodomiæ, ſub coofiſcatione bonorum non comprehenditur maioratus. Molin. *de primogen. cap. 2. num. 10.* alter Molin. *de inſt. tom. 3. diſput. 657. n. 3.* Sanchez *lib. 2 moral. cap. 18. num. 36.* & Vaſq. *part. 2. diſp. 169. cap. 4. n. 30. & ſeqq.*

Proba

4 Probatur: quia fiscus solùm occupat bona delinquentis, quatenus sunt delinquentis: At hic maioratus non est delinquentis absolutè, & in perpetuum, sed solùm pro tempore suæ vitæ; illa enim transacta, addictus est ea dispositione primi instituentis aliis cognatis: Ergò solùm pro tempore vitæ delinquentis, atque adeò solùm quoad fructus, & commoditates, confiscari potest.

5 Secundò probatur, quia communi iure statutum est, omnia fideicommissa, & alienari prohibita non confiscari in perpetuum. At nullus est textus, qui ob hæc crimina confiscet maioratum; sed potiùs sunt plures textus, qui maioratum in his criminibus à confiscatione excipiant: Ergò. Minor probatur *ex leg. iura libert. ff. de iurepatr.* vbi ex causa perduellionis, sicut ex aliis, non datur confiscatio. Tum *ex leg. eorum, ff. ad leg. Iul. Maiest.* vbi ob crimen læsæ maiestatis iura libertorum non confiscantur. Tum *ex cap. felicis, §. si qua verò feuda, de pœnis in 6.* Vbi feuda, quæ ad hæredes extraneos transire non possunt, non cadunt in confiscationem.

6 Neque obstat textus *in leg. 1. Cod. de bonis libert.* Vbi bona libertorum ob crimen læsæ maiestatis confiscantur; quia hic textus loquitur de iis iuribus libertorum, quæ transire possunt ad hæredes extraneos, iuxta *leg. si non sortem, §. libertus, ff. de condit. indebit.* vt ibi notauit Bald. *num. 2.* & Paul. *num. 4.* Vel loquitur de confiscando iurepatronatus, quod competebat eius hæredibus, & successoribus; maioratus autem si in perpetuum confiscaretur, non solùm delinquenti, sed etiam successoribus auferretur.

7 Dico secundò, si bona aliqua à Rege tibi donata sunt absolutè, & non sub titulo maioratus: Tu verò ex illis maioratum instituisti, talia bona, delinquente aliquo ex possessoribus, non confiscantur in perpetuum, sed transeunt ad sequentem vocatum. Molin. *de primog. lib. 4. cap. vlt. num. 48.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 18. num. 37.* & alij.

Probatur, quia talis possessor delinquens non à Rege, sed à re maioratum habet, & bona illa non possunt dici regalia, cùm à Rege fuerint donata absolutè, & translata non possessori maioratus, sed primo instituenti: Ergò.

8 Dico tertiò. Si bona aliqua à Rege tibi donata sunt sub titulo maioratus, & confiscationem facit non Rex, sed Pontifex (vt de facto facit in crimine hæresis) applicans ea fisco Ecclesiæ, Pontifex non potest ea confiscare in perpetuum, sed solùm poterit commoditates, & fructus maioratus applicare Ecclesiæ pro vita delinquentis. Doctores, quos sequitur Sanchez *loc. supra cit. num. 40.* & Vasquez *part. 2. disp. 169. cap. 4. num. 18.*

Probatur, quia non potest Pontifex priuare innocentes iure ipsis debito succedendi in maioratu, cùm nec datus, nec institutus fuerit sub ea conditione ab ipso Pontifice: Ergò.

SECTIO V.

Quid dicendum, si bona aliqua à Rege tibi, tuisque successoribus donata sint sub titulo maioratus in perpetuum: Et quis ex possessoribus crimen læsæ maiestatis humanæ committat in Regem?

SVMMARIVM.

1 *Crimen læsæ maiestatis humanæ si quis ex possessoribus bonorum à Rege donatis sub titulo maioratus committat in Regem, secundùm aliquos Doctores, prædicta bona confiscantur in perpetuum, & deuoluuntur ad coronam Regis, quia donatis à Rege videtur tacita conditio inesse, vt quicumque ex*

possessoribus Regem offenderit, statim ea deuoluantur ad coronam Regis: Et probatur à simili de feudo, quod sub ea conditione datum esse videtur.

2 *Item quia donationes ex ingratitudine donatarij aduersus donantem iure reuocantur.*

3 *Bona prædicta his non obstantibus neque ob crimen læsæ maiestatis humanæ, neque Diuinæ, neque ob crimen sodomiæ confiscari in perpetuum, & deuolui ad coronam Regis possunt, secundum probabiliorem sententiam, quia non reperitur in iure textus expressus, qui talem confiscationem perpetuam inducat.*

4 *Argumentum de feudo non est simile, quia tunc solùm in feudo admittitur confiscatio, quando aduersus dominum feudi committitur offensio, ratione cuius offensionis dominus feudi in præiudicium sequentium vocatorum vindicat sibi feudum, cùm hæc sit via à iure concessa, qua vindicare iniuriam potest: At id non procedit in maioratu, cuius possessor habet dominium directum, & vtile.*

5 *Item argumentum ex ingratitudine donatarij non est efficax, quia successor in Regno, & in maioratu non sunt propriè donator, & donatarius, sed per quandam analogiam.*

6 *Donatio ob ingratitudinem esto reuocetur, reuocari debet respectu donatarij ingrati, non respectu aliorum, qui ingrati non sunt: At in maioratu tot sunt donatarij, quot sunt successores vocati.*

7 *Maioratus donatio si ob ingratitudinem reuocaretur, reuocari deberet donatio, cuiuscumque fuerit conditionis, & non solùm oppidorum, castrorum, & similium sub titulo maioratus, vel ducatus concessorum.*

8 *Dicta de iure communi, idem etiam dic de iure regio Castellæ, quamuis contrarium non improbabiliter doceant aliqui Doctores ex quadam pragmatica Henrici II.*

9 *Maioratus donatio reuocabilis ex dicta pragmatica in casu recensito intelligi non debet de omnibus bonis donatis, sed solùm de castris, oppidis, & villis, quia de his solùm ipsa loquitur, & hæc sunt, quæ seruitij, & fidelitatis iura exigunt, non alia donationes minoris momenti.*

10 *Item subdunt, quod impediatur confiscatio, si bona à Rege donata iure maioratus donata sint in remunerationem seruitij facti, & illius qualitatem, & quantitatem non excedant, quia hæc ob ingratitudinem reuocari non possunt, cum non sint donationes gratuitæ, sed debita respectu illius qualitatis, ac quantitatis.*

11 *Pragmatica dicta Henrici II. non constat, quod sit publicata, ac proinde valorem non habet.*

12 *Pragmatica dicta non est lata in forma legis, est enim solùm quædam responsio ab Henrico II. vassallis sic petentibus facta, quorum petitionem ipse gratam habuit, & promisit executioni mandare.*

13 *Item ibi non ex quocumque læsæ maiestatis humanæ crimine villa, & oppidum videntur esse publicanda, sed ex eo solùm, quod villam, vel oppidum regale vsurpauerit, vel inde bellum aduersus Regem mouerit, & vocatus à Rege non obedinerit.*

14 *Pragmatica prædicta è contra videtur loqui non solùm de crimine læsæ maiestatis humanæ, sed de quacumque crimine confiscatione digno, & de quibuscumque bonis.*

15 *Bona maioratus à Rege donata neque de iure cõmuni, neque de iure regio Castellæ cõfiscari in perpetuũ possunt, sed solùm quoad vsusfructus, & commoditates, quas delinquẽs percepturus erant durãte vita ipsius, secus autẽ est de iure regio Lusitaniæ, quod loquitur de quocũque maioratu, feudo, vel foro à Rege recepto.*

QVidam, vt Molin. *lib. 4. de primogen. cap. vlt. n. 40. & seqq.* Vasquez *part. 2. disp. 168. cap. 4. num. 28.*

Sanchez *lib. 2. moral. cap. 18. num. 37.* & Molina *de iustit. tract. 2. tom. 3. disp. 660. num. 1.* putant, in tali casu (si quis scilicet ex possessoribus crimen læsæ Maiestatis humanæ committat in Regem) prædicta bona confiscari in perpetuum, & deuolui ad coronam Regis, seu ad ipsum Regem, ipsiusque successores, quia donatis à Rege videtur tacita conditio inesse, vt possessores talium bonorum sint fideles Regi, eique inseruiant in bello, & si quis ex possessoribus Regem offenderit, statim ea deuoluantur ad coronam Regis. Et probant à simili ex feudo, quod sub ea conditione datum esse videtur, vt si feudatarius dominum offenderit, excludantur agnati, & feudum reuertatur ad dominum, *cap. 1. §. denique, quæ fuerit 1. caus. benefic. amit.* & *cap. 1. §. si vassallus, si de feudo fuerit controuersia inter domin.*
2 *& agnat.* Probant etiam ex ratione generali (qua donationes reuocari consueuerunt) quæ est ingratitudo donatarij aduersus donantem, *cap. si propter, de donat. & leg. final. Cod. de reuocand. donat.* & ibi Glossa, quam sequuntur communiter Doctores; & in præsenti locum habet, quia quilibet possessor maioratus à Rege instituti est immediatus Regis donatarius, & ab ipsa Regia corona, quæ nunquam moritur, maioratum accipere censetur: Ergo ipsa Regia corona potest ob ingratitudinem donatarij maioratum reuocare: Quia sicuti dicebatur, in his donationibus inest tacita conditio, vt possessores talium bonorum sint Principi fideles, eique inseruiant in bello. Quare si fideles non fuerint, quin eum offendere tentent in re graui, talis donatio ob ingratitudinem donatarij reuocatur, & consequenter illa bona redibunt ad principem, eiusque successores, libera ab omni vinculo maioratus. His tamen non obstantibus.

3 Respondetur, oppositum (nempe prædicta bona, neque ob crimen læsæ maiestatis humanæ, neque Diuinæ, neque ob crimen sodomiæ confiscari in perpetuum, & deuolui ad coronam Regis) esse probabilius: Atque ita tenent Gregor. Lopez *leg. 2. verb. mandas, quæst. 2. tit. 2. part. 7.* Anton. Gomez *leg. 41. Tauri, circa finem*, & probabile putat Sanchez *loc. supra cit. num. 37.*

4 Probatur, quia non reperitur in iure textus expressus, qui talem confiscationem perpetuam inducat, argumentum autem de feudo non est simile, quia tunc solùm in feudo admittitur confiscatio, quando aduersus dominum feudi committitur offensio, ratione cuius offensionis dominus feudi in præiudicium sequentium vocatorum, vindicat sibi feudum, cùm hæc sit via à iure concessa, qua vindicare iniuriam potest, *cap. 1. §. denique, quæ fuit prima causa benefic. amit.* & *cap. 1. §. si vassallus, si de feudo fuerit controuersia inter domin. & agnat.* At in maioratu hoc locum non habet, quia possessor maioratus habet dominium & directum, & vtile, absque eo quod vllum ius in institutore remaneat.
5 Et argumentum ex ingratitudine donatarij non est efficax; quia esto, ob ingratitudinem donatio gratuita reuocari possit, cum tamen certum sit, hanc reuocationem solùm fieri posse ab eo, qui verè donator fuit respectu sui donatarij, & non transire ad hæredes donantis, neque competere aduersus hæredes donatarij, sed hoc ius reuocandi sistere, & finiri in persona primi donantis, & primi donatarij *ex leg. finali Cod. de reuocand. donation.* ibi: *Hoc tamen vsque ad primas personas tantummodò stare censemus*, cumque successor in regno, & in maioratu non sint propriè donator, & donatarius, sed per quandam analogiam: sequitur, quod dicta donatio reuocari non possit ob titulum ingratitudinis.

6 Confirmatur, quia esto donatio ob ingratitudinem reuocetur, reuocari debet respectu donatarij ingrati, non respectu aliorum, qui ingrati non sunt: At in maioratu tot sunt donatarij, quot sunt successores vocati: Ergò par non est, vt ob ingratitudinem vnius donatio aliis facta reuocetur.

Confirmatur secundò, quia si ob ingratitudinem reuocaretur donatio maioratus, reuocari deberet donatio, cuiuscumque fuerit conditionis, & non solùm oppidorum, castrorum, & similium sub titulo maioratus, vel ducatus, &c. concessorum (vt volunt aduersarij, sicut patebit ex infrà dicendis) cum æquè in qualibet donatione ingratitudo reperiatur. 7

Cæterùm, quod dixi de iure communi, idem etiam dico de iure regio Castellæ. Quamuis contrarium non improbabiliter doceant Molina *lib. 4. de primogenit. cap. vltimo, num. 40. & seqq.* & alter Molina *de iustitia tract. 2. tom. 3. disp. 660.* ex quadam pragmatica 9
Henrici II. circa quam subdunt, quod intelligi non debeat de omnibus bonis donatis, sed solùm de castris, oppidis, & villis, quia de his solùm ipsa loquitur: Et hæc sunt, quæ seruitutis, & fidelitatis iura exigunt, non aliæ donationes minoris momenti: Et consentit Sanch. *lib. 2. moral. cap. 18. num. 38.* Item subdunt, quod impediatur confiscatio, si bona à Rege donata iure maioratus, donata sint in remunerationem seruitij facti, & illius qualitatem, ac quantitatem non excedant, quia hæc ob ingratitudinem reuocari non possunt; cum non sint donationes gratuitæ, sed debitæ respectu illius qualitatis, ac quantitatis, *cap. relatum, de testament. &*
leg. si donationem, Cod. de collat. vbi Doctores. Item 10
subdunt, quod dicta bona ob crimen hæresis, & sodomiæ non publicentur, sed solùm ob crimen læsæ maiestatis humanæ, quia in solo hoc crimine reperitur ingratitudo, quæ est causa reuocandi donationes. Et consentit etiam Sanch. *vbi suprà, num. 39.* Idem etiam, inquam, dico de iure regio Castellæ. 8

Primò, quia prædicta pragmatica Henrici II. non constat, quod sit publicata, ac proinde valorem non habet, aliàs in compilatione legum regalium contineretur. 11

Secundò, quia non est lata in forma legis: Est enim solùm quædam responsio ab Henrico II. vassallis sic petentibus facta, quorum petitionem ipse gratam habuit, & promisit executioni mandare: Quomodo autem executioni mandanda foret, & quid in ea statuerit, non apparet. 12

Tertiò, quia ibi non ex quocumque læsæ maiestatis humanæ crimine villa, & oppidum videntur esse publicanda, sed ex eo solùm, quod villam, vel oppidum regale vsurpaueris, vel inde bellum aduersus Regem moueris, & vocatus à Rege non obedieris: Ergò de aliis criminibus non videtur loqui prædicta pragmatica. 13

Quartò, quia è contrà videtur loqui non solùm de crimine læsæ maiestatis humanæ, sed de quocumque crimine confiscatione digno, & de quibuscumque bonis: Ergò videtur non solum ad bona ex donatione Regis, sed etiam ad bona aliundè acquisita extendi, & in omni crimine confiscatione digno, quod est contrà præcitatos Doctores. 14

Dicendum igitur est, neque de iure communi, neque de iure regio Castellæ bona maioratus à Rege donata confiscari in perpetuum, sed solùm quoad vsusfructus, & commoditates, quas delinquens percepturus erat, durante vita ipsius. 15

Dixi, *neque de iure communi, neque de iure regio Castellæ*, quia de iure regio Lusitaniæ pro parte affirmatiua videtur clara decisio legis *lib. 5. ordin. tit. 3. §. 5.* quæ loquitur de quocumque maioratu, feudo, vel foro à Rege recepto, non tamen aliundè acquisito, & in solo crimine læsæ maiestatis humanæ, non tamen Diuinæ, neque sodomiæ.

SECTIO

SECTIO VI.

Quid dicendum, si bona aliqua, vt oppida, Ciuitates, & similia à Rege tibi donata sint sub titulo Maioratus, cum conditione, vt ob crimen læsæ Maiestatis, vel simile non confiscentur?

SVMMARIVM.

1 *Bona aliqua, vt Oppida, Ciuitates, & similia, si à Rege alicui donata sint sub titulo maioratus cum conditione, vt ob crimen læsæ Maiestatis, vel simile non confiscentur, ob tale crimen possessoris prædicta bona non confiscantur; sed transeunt ad successores: quia talis conditio non repugnat bonis moribus, nec rectæ rationi. Quamuis secus, si apponeretur in bonum delinquentis, quia tunc præberet occasionem delinquendi, &c. contra Molinam, &c.*

1 Respondetur: Tunc ob tale crimen possessoris, prædicta bona non confiscari, sed transire ad successores. Molina *tom. 3. de iust. disput. 660. n. 2.* Vasquez 1. 2. *disput. 169. cap. 4. n. 28.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 18. n. 38.*

Probatur, quia talis conditio non repugnat bonis moribus, nec rectæ rationi, cùm scilicet dicta conditio apponitur in vtilitatem, & commoditatem aliorum innocentium ex illa familia; quamuis secus si apponetetur in bonum delinquentis, quia tunc præberet occasionem delinquendi, & consequenter tanquam contraria bonis moribus, esset habenda pro non adiecta.

Quidquid in contrarium dixerit Molina *libr. 4. de primogen. cap. vltim. num. 69.* Vbi in priori casu ait, non impediri confiscationem, etiamsi à Rege cautum esset, ne fisco applicarentur illa bona casu, quo quis è possessoribus delinqueret: quia & talis remissio, atque conuentio (inquit ipse) vtpote fauens delicto, nulla esse videtur.

At minùs rectè, vt patet ex dictis: Quia talis remissio, & conuentio consona est iuris communis dispositioni, quæ habet, bona non fisco, sed successoribus in priori casu applicari. Neque talis remissio, & conuentio delicto fauet, quia delinquens nullum ex ea commodum reportat. Faueret autem delicto, & delinquenti, si Rex statueret, non confiscare commoditates, & vsusfructus à delinquente, etiamsi delictum committeret.

SECTIO VII.

Quid dicendum, si Maioratus sit institutus ex facultate Regis, & Rex è contra facultatem concesserit ea conditione, vt si quis ex possessoribus Maioratus crimen commiserit læsæ Maiestatis humanæ, vel Diuinæ, vel contra naturam, eo ipso bona in sequentes successores non transeant, sed confiscentur?

SVMMARIVM.

1 *Maioratus, si sit institutus ex facultate Regis, & Rex è contra facultatem concesserit ea conditione, vt si quis ex possessoribus maioratus crimen commiserit læsæ Maiestatis Diuinæ, vel humanæ, vel contra naturam, eo ipso bona in sequentes successores non transeant, sed confiscentur, prædicta bona manent confiscata à die commissi delicti, quia in tali casu instituens maioratum, applicat fisco bona maioratus.*

2 *Dispositio prædicta reiici non debet, sed sustineri quia bonis moribus fauet, & possessores maioratus à delicto committendo compescit.*

3 *Si quis vtitur facultate regia prædictam clausulam habente, non potest instituere maioratum sub ea conditione, vt si vnus ex successoribus tractauerit de delicto contra Maiestatem Diuinam, vel humanam, vel naturam, tempore aliquo antecedenti ad delictum bona maioratus transeant ad successorem: quia hoc esset eludere fiscum, & facultatem regiam.*

Respondetur, quod in tali casu prædicta bona maneant confiscata à puncto, seu instanti commissi delicti. Doctores, quos citat, & sequitur Molina *de primogen. lib. 2. cap. 2. num. 10.* alter Molina *de iustitia disputat. 657. num. 2.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 18. num. 41.* 1

Probatur, quia in tali casu instituens maioratum applicat fisco bona maioratus, ita vt & ipse fiscus sit vocatus ab instituente maioratum, sicut quilibet alius ex descendentibus: Ergo.

Neque talis dispositio reiici debet, sed sustineri: quia bonis moribus fauet, & possessores maioratus à delicto committendo compescit. 2

Hinc sequitur, quod is, qui vtitur facultate Regia prædictam clausulam habente, non possit instituere maioratum ea conditione, vt si vnus ex successoribus tractauerit de delicto, contra Maiestatem Diuinam, vel humanam, vel contra naturam tempore aliquo antecedenti ad delictum, bona maioratus transeant ad successorem: quia hoc esset eludere fiscum, & facultatem regiam. Doctores prædicti *in locis supra citatis.* 3

SECTIO VIII.

Quid dicendum, si in facultate regia omittatur conditio; maioratum scilicet applicandum esse fisco ob crimen læsæ maiestatis humanæ, vel diuinæ, vel sodomiæ?

SVMMARIVM.

1 *Maioratus non applicatur fisco, sed deuenit ad successores, si in facultate regia omittatur conditio, maioratum scilicet applicandum esse fisco ob crimen læsæ maiestatis humanæ, vel diuinæ, vel sodomiæ; quia talis facultas regia aliquando sine ista clausula, aliquando cum ista clausula conceditur: Et quando vno, vel altero modo fit concessio, non debet id, quod frequentius accidit, suppleri, sed potius vt omissum, & ad ius commune redactum reputari.*

2 *Princeps in facultate instituendi maioratum cùm frequentius soleat ob supradicta crimina fisco maioratum applicare, si aliquando hanc applicationem omittat, censeri debet, non voluisse talem facultatem grauare.*

3 *Quæ solent apponi in alicuius rei concessione, semper censentur apposita, quamuis omittantur; secus autem est de iis, quæ frequentius apponi solent.*

4 *In facultatibus recentioribus debet constare de libera voluntate principis concedentis, cum omittit hanc clausulam apponere; quia facultas, quæ hanc clausulam non habet, deuiat à stylo his temporibus communi, & quæ à communi stylo deuiant, suspecta debent iudicari.*

5 *Maioratus institutus ex regia donatione non confiscatur in perpetuum; & quatenus id esset concessum,*

cessum, non deberet extendi ad maioratum ex bonis patrimonialibns ex facultate regia institutum, siquidem illud non est propriè ex donatione Regis quoad bena, ex quibus maioratus constat, sed quoad priuilegia, & exemptiones.

1 RÉspondetur, maioratum in tali casu non applicari fisco, sed deuenire ad successores. Doctores, quos seqnitur Molin. *de inst. disp.* 657. *n.* x. & Sancbez *lib.* 2. *moral. cap.* 18. *n.* 43.

Probatur, quia talis facultas Regia aliquando sine ista clausula, aliquando (etsi frequentiùs) cum ista clausula conceditur. At quando vno, vel altero modo fit concessio, non debet id quod frequentiùs accidit, suppleri, sed potiùs, vt omissum, & ad ius commune redactum reputari, *l. commodissimè, ff. de liberis, & posthumis*. Ergo cùm data fuerit facultas instituendi maioratum, & in ea non fuerit apposita clausula, vt ob ea crimina fisco maioratus applicetur, relinquitur dispositioni iuris communis, in quo nulla est applicatio.

2 Confirmatur, quia cùm Princeps in facultate instituendi maioratum frequentius soleat, ob supradicta crimina fisco maioratum applicare, si aliquando hanc applicationem omittat, censeri debet, non voluisse talem facultatem grauare: si enim voluisset, id expressisset.

3 Obiicies: Ex *leg. final. Cod. de fideinssorib. & cap. Cum te, de constitution.* quæ solent apponi in alicuius rei concessione, semper censentur apposita, quamuis omittantur: Ergo cùm soleat apponi in Regia facultate applicatio fisco facienda, censeri debet semper apposita.

Respondetur, id intelligi de iis quæ semper solent apponi: secus de iis quæ frequentiùs. Doctores, quos citat, & sequitur Molina *lib.* 4. *de primogen. cap. vltim. num.* 66.

4 Non nego tamen, in facultatibus recentioribus debere constare de libera voluntate Principis concedentis, cùm omittit hanc clausulam apponere: quia facultas, quæ hanc clausulam non haberet, deuiat à stylo bis temporibus communi; nulla enim ferè est, quæ dictam clausulam non habeat. At quæ à communi stylo deuiant, suspecta debent iudicari. Felinus *in cap.* 2. *num.* 16. *de rescript.* & alij passim, quos sequitur Molina *cit. cap. vlt. n.* 68. Ergo.

5 Obiicies secundò: Maioratus institutus ex regia facultate, reputari debet ac si esset institutus ex regia donatione, eo quod Princeps donare censeatur illud, super quo suam authoritatem interponit, *l. in ædibus*, §. 1. *ff. de donat. & l. etsi liqueat, Cod. de inoffic. donat.* & ibi communiter Doctores: Ergo.

Respondetur: Transeat antecedens, id tamen non obstat. Tum quia, sicuti supra dicebam, maioratus institutus ex regia donatione, non confiscatur in perpetuum. Tum quia, esto id esset concessum, non deberet extendi ad maioratum ex bonis patrimonialibus ex facultate regia institutum. Siquidem illud non est propriè ex donatione Regis quoad bona ex quibus maioratus constat, sed quoad priuilegia, & exemptiones: si tamen bona essent ipsius Regis, & Rex super illorum dispositione suam authoritatem interponeret, censeretur illa donasse.

SECTIO IX.

Quid dicendum, quando non constat, an maioratus ex regia facultate, an sine illa sit institutus?

SVMMARIVM.

1 *Maioratus, quando non constat, an ex regia facultate, an sine illa sit institutus, quamuis nonnulli putent ex regia facultate esse institutum, & facultatem concessam esse sub illo frequentiori, & communi onere, vt scilicet ad fiscum deueniat. Probabilius tamen est oppositum, nempe sine facultate Regis esse institutum.*

2 *Institutio enim censenda est fieri ex communi iure, cùm de priuilegio non constat: nam priuilegium consistit in facto, quod non præsumitur, nisi demonstretur.*

3 *Institutum esse ex communi iure, vtilius est possidenti, cùm securior sit ab alienatione. At hoc è conuerso præsumitur.*

4 *Maioratum instituens ex facultate regia, quem poterat instituere ex dispositione iuris communis absque illa facultate, censeri debet instituisse ex dispositione iuris communis, & non ex facultate regia, ac proinde maioratum non esse subiectum confiscationi.*

5 *Actus quando fieri potest ex iure communi, & speciali, præsumi debet fieri ex iure communi, & non ex speciali.*

6 *In dubio semper quis præsumitur de suis bonis disponere eo modo, quo sibi dispositio vtilior est.*

RÉspondetur: quamuis in tali casu nonnulli, quos sequitur Simancha *de catholic. institution. titul.* 9. *num.* 275. putent, maioratum ex regia facultate esse institutum, & facultatem esse concessam sub illo frequentiori, & communi onere, vt scilicet ad fiscum deueniat: Probabilius tamen esse oppositum (nempe sine facultate Regis esse institutum, ac proinde non confiscari.) Quod docent Molina *lib.* 2. *de primogen. cap.* x. *num.* 18. *& sequentibus*, alter Molina *de iustitia tom.* 3. *disput.* 657. *num.* x. & Sanchez *lib.* x. *moral. capite* 19. *num.* 53. 1

Probatur, quia institutio censenda est fieri ex communi iure, cùm de priuilegio non constat: Nam priuilegium consistit in facto, quod non præsumitur, nisi demonstretur, *l. in bello*, §. *facta, ff. de capt.* 2

Accedit, quod, esse institutum ex communi iure vtilius est possidenti, cùm securior sit ab alienatione. At hoc è conuerso præsumitur: Ergo. 3

Hinc sequitur, quod si quis ex facultate regia instituat maioratum, quem poterat instituere ex dispositione iuris communis absque illa facultate (vt quia v. g. in bonis liberis instituit, si habuit descendentes, in tertia, & quinta parte suorum bonorum, iuxta *leg. Tauri*. Et si habuit ascendentes in tertia:) censeri debet, instituisse ex dispositione iuris communis, & non ex facultate regis, ac proinde maioratum non esse subiectum confiscationi. Molina *de primogen. citato cap.* 2. *num.* 10. alter Molina *citato tom.* 3. *disput.* 582. & Sanchez *citato cap.* 18. *num.* 47. 4

Quia, sicuti dicebam, quando actus fieri potest ex iure communi, & speciali, præsumi debet, fieri ex iure communi, & non ex speciali, *leg. quamquam, Cod. de testament. militar.* Et Doctores, quos sequitur Molina *dicto cap.* 2. *n.* 13. Tum quia, sicuti etiam dicebam, in dubio semper quis præsumitur de suis bonis disponere eo modo, quo sibi dispositio vtilior sit. At vtilior est dispositio ex iure communi, quàm ex priuilegio. Siquidem sic facta perire non potest ob confiscationem, sicuti potest, si ex priuilegio sit facta: Ergo. 5 6

SECTIO X.

An cum habens descendentes, & ex facultate regia instituens maioratum ex omnibus suis bonis non possit, cessante facultate, maioratum instituere, nisi in tertia, & quinta parte suorum bonorum, censeatur talis maioratus institutus ex facultate regia, ac proinde subiectus confiscationi, non solùm quoad excessum, sed etiam quoad illam partem, in qua poterat instituere, secluso priuilegio?

SVMMARIVM.

1 *Habens descendentes, & ex facultate regia instituens maioratum ex omnibus suis bonis, si non possit cessante facultate maioratum instituere, nisi in tertia, & quinta parte suorum bonorum, non censetur talis maioratus institutus ex facultate regia; ac proindè non subiectus confiscationi non solum quoad excessum, sed etiam quoad illam partem, in qua poterat instituere, secluso priuilegio; quia non debet quis censeri quod vtatur priuilegio, nisi quatenus priuilegium ipsi necessarium est, vel conueniens.*

2 *Amplia etiam in casu, quo institutor dicat, se ex facultate regia sibi concessa maioratum instituere; quia id intelligi debet solùm quoad eam partem; in qua non poterat, secluso priuilegio instituere.*

3 *Quamuis contrarium, nempe totum maioratum etiam in priori casu ex facultate regia esse institutum, non improbabiliter alij doceant, quia sola regia facultas est, quæ totam illam dispositionem comprehendere potest, & cùm videatur quædam dispositio indiuisibilis, non videtur dari locus, ut pars vna facultati regali, pars altera facultati legali correspondeat.*

4 *Opinio prædicta in duobus casibus Authori satis probatur.*

5 *Primus est, si institutor habens descendentes, maioratum instituat ex regia facultate in tertia, & quinta parte bonorum, & in reliquis bonis, relictis reliquis filiis alimentis, & in hac maioratus institutione non seruet ordinem præscriptum, vt scilicet priùs vocet descendentes legitimos, & naturales, deinde agnatos, & cognatos, seu collaterales, postremò extraneos; quia tunc finis institutionis est, vt maioratus integrè perueniat ad vocatos, & integrè peruenire non potest ad eos, nisi fuerit institutus ex regia facultate.*

6 *Secundus casus est, si institutor habens vnicum filium, disponat non solùm de quinta bonorum parte; sed etiam de tertia, vel de omnibus bonis, quia tunc cum solùm possit disponere de quinta parte bonorum, si de tertia, & reliquis disponit, censeri debet ex priuilegio Regis, non solùm de iis, sed etiam de quinta parte disponere, quia est facultas Regis concessa æqualiter pro omnibus, & Rex non concederet facultatem grauandi filium in sua legitima, si parens quintam partem bonorum eo modo grauare non vellet.*

7 *Instituens ex facultate regia maioratum, quem saltem ex parte poterat absque illa facultate instituere, si protestetur se instituere illum tam ex facultate regia, quàm ex legali, prout sibi, & suis successoribus vtilius sit ad maioratum in totum, vel in partem conseruandum, tunc dicendum erit, maioratum institutum esse tam ex facultate regia, quàm ex legali, & pro illa parte, quæ ex facultate regia institutus est, subiici confiscationi, & non pro alia, quia talis institutio duplici institutioni æquiualere videtur.*

RESpondetur negatiue: Atque ita tenent Molina *de inst. tom. 3. disp. 582. num. 3.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 18. num. 50.* 1

Probatur; quia non debet quis censeri quod vtatur priuilegio, nisi quatenus priuilegium ipsi necessarium est, vel conueniens; sed ad firmitatem maioratus in illa parte, in qua poterat maioratum instituere secluso priuilegio, priuilegium ipsi necessarium non est, neque conueniens, quinimmò conuenientius est, ex dispositione iuris maioratum esse institutum, quàm ex priuilegio: Ergo, sic esse institutum, censeri debebit.

Ampliatur responsio etiam in casu, quo institutor dicat, se ex facultate regia sibi concessa maioratum instituere, quia id intelligi debet solùm quoad eam partem, in qua non poterat, secluso priuilegio, instituere. 2

Quamuis contrarium (nempe totum maioratum etiam in priori casu, ex facultate regia esse institutum) non improbabiliter doceant alij, quos sequitur Gomez *leg. 40. Tauri, num. 91.* Quia sola regia facultas est, quæ totam illam dispositionem comprehendere potest, & cum videatur esse quædam dispositio indiuisibilis, non videtur dari locus, vt pars vna facultati regali, pars altera facultati legali correspondeat: Ergò. 3

Quæ opinio in duobus casibus mihi satis probatur. 4

Primus est, si institutor habens descendentes maioratum instituat ex regia facultate in tertia, & quinta parte bonorum, & in reliquis bonis, relictis reliquis filiis alimentis, & in hac maioratus institutione non seruet ordinem præscriptum à *l. 11. tit. 5. lib. 5. recopilat.* (vt scilicet priùs vocet descendentes legitimos, & naturales, deinde agnatos, & cognatos, seu collaterales, postremò extraneos) quia tunc finis institutionis est, vt maioratus integrè perueniat ad vocatos: at integrè peruenire non potest ad eos, nisi fuerit institutus ex regia facultate, cum solùm ex illa possit omitti ordo præscriptus: Ergo. Tum quia priuilegio quis vti censetur, cum ipsi illud necessarium est, aut conuenientius; sed ad præsentem dispositionem est necessarium, aliàs dispositio in principaliori parte corrueret: Ergò. 5

Secundus est, si institutor habens vnicum filium, disponat, non solùm de quinta bonorum parte, sed etiam de tertia, vel de omnibus bonis, quia tunc cùm solum possit disponere de quinta parte bonorum, aliæ enim sunt legitimæ illius filij, quæ grauari non possunt: Si de tertia, & reliquis disponit, censeri debet ex priuilegio Regis, non solùm de iis, sed etiam de quinta parte disponere; quia est facultas regis concessa æqualiter pro omnibus, & Rex non concederet facultatem grauandi filium in sua legitima, si parens quintam partem bonorum eodem modo grauare non vellet: Tum quia dispositio aliarum partium trahit ad se quintæ partis dispositionem, vtpotè minùs præcipuam: Quæ rationes generales sunt, vt maioratus intelligatur, ex facultate regia integer esse institutus. 6

At, si instituens ex facultate regia maioratum, quem saltem ex parte poterat absque illa facultate instituere, protestetur, se instituere illum, tam ex facultate regia, quàm ex legali, prout sibi, & suis successoribus vtilius sit ad maioratum in totum, vel in partem conseruandum, tunc dicendum erit, maioratum institutum esse, tam ex facultate regia, quàm ex legali, & pro illa parte, qua ex facultate regia institutus est, subiici confiscationi, & non pro alia, quia talis institutio duplici institutioni æquiualere videtur. Molin. & Sanch. *locis suprà citatis.* 7

Etsi contra hoc dictum adhuc difficultatem aliquam faceßat ratio superiùs posita de indiuisibilitate institutionis, & de facultate regis aliàs non concedenda, nisi ex ea tota dispositio promanet.

SECTIO XI.

Quid dicendum, si ipse maioratus institutor crimen confiscatione dignum committat?

SVMMARIVM.

1 *Maioratus dupliciter institui potest, testamento, vel contractu.*

2 *Maioratus si sit institutus testamento nullum ius successoribus nominatis acquiritur, quovsque testator mortuus fuerit, quia talis est testamenti natura, quod locum habet etiamsi quoad maioratus institutionem factam in testamento ponantur aliqua verba, quæ donationem significent, quia non propterea censeri debebit donatio, sed legatum.*

3 *Maioratus si contractu sit institutus, inspecto iure communi, institui potest contractu reuocabili, vel irreuocabili, irreuocabili, si sit institutus in persona filij emancipati, vel alterius agnati vel extranei, donatione inter viuos acceptata: reuocabili, si fiat filio sub potestate existenti, vel si fiat causa mortis, quia hæc vsque ad mortem possunt reuocari.*

4 *Maioratum is qui instituit, inspecto iure regio Castellæ, siue in filio emancipato, siue in extraneo, reuocare semper illum potest, nisi in quibusdam casibus expressis.*

5 *Institutio fieri potest ante commissum crimen, vel illo iam commisso: Et crimen est duplex, vel cui confiscatio bonorum est ipso facto annexa, vel cui confiscatio solùm per sententiam imponi potest.*

6 *Maioratus si sit institutus post crimen, cui confiscatio est ipso iure annexa, & sit institutus de bonis habitis tempore criminis, institutio, quomodocumque, siue testamento, siue contractu fiat, non tenet; neque talis institutio confiscationem impedit, quia est facta de bonis fisco obligatis, ac proinde facta declaratione criminis, perit institutio, & in perpetuum confiscatur maioratus.*

7 *Bona, si ob crimen ipso iure non confiscantur, sed per sententiam confiscanda veniunt, distinguendum tunc erit. Si institutio maioratus est facta in codicillo, vel testamento ex bonis tempore criminis habitis, subiicitur confiscationi: Si verò est facta ex bonis post crimen acquisitis, spectato iure communi nulla est institutio.*

8 *At secus est spectato iure regio Castellæ.*

9 *Maioratus si institutus sit contractu irreuocabili, priusquam de crimine condemnetur institutor, tenet institutio, & confiscationi non subiicitur: Quia cum tunc illa bona non sint fisco obligata, potest institutor de illis, tanquam de bonis liberis liberè disponere.*

10 *Excipe, nisi talis contractus fiat in fraudem fisci, quia tunc reuocari poterit, cùm omnis contractus, omnisque alienatio, nedum donatio in fraudem fisci, siue ante crimen, siue post crimen sit facta, non valeat, ad hoc saltem vt non possit reuocari, & in foro externo quoties alienatio fit post crimen, semper præsumitur fraus.*

11 *Maioratus si institutus sit contractu reuocabili inter viuos post crimen commissum, quidam putant, etiam seclusa præsumptione fraudandi fiscum, quæ semper adest, subiici confiscationi, quia talis contractus non tollit à delinquente dominium bonorum: Alij verò distinguunt inter donationem factam à marito vxori, vel factam alijs, si facta sit alijs contractu reuocabili, non confirmatur, cum confiscantur bona donantis, sed transit in fiscum; si autem facta sit à marito vxori, confirmatur marito bannito, sicque non transit in fiscum.*

12 *Alij, quos sequitur Molina, probabilius tenent non subiici confiscationi perpetuæ, quoties institutor contractu reuocabili disponit de bonis fisco non obligatis, quia esto illa bona sint delinquentis, sunt tamen obligata transmitti successoribus vocatis, quibus ex tali contractu est ius acquisitum. Quod ius etsi reuocabile sit ab instituente dum viuit, non tamen cum sit personale, est reuocabile à fisco.*

13 *Maioratus si institutus sit contractu irreuocabili ante crimen commissum, certum est, quod non subiiciatur confiscationi, quia ea, quæ quis non potest alienare contractu, neque potest alienare delicto.*

14 *Excipe, nisi institutus sit in fraudem fisci, vel ex facultate regia sub ea conditione concessa, vt subiiciatur confiscationi.*

15 *Maioratus, si institutus est contractu reuocabili, probabilius est, quod non subiiciatur confiscationi, quia esto illa bona sint delinquentis, sunt tamen obligata transmitti successoribus vocatis, quibus ex tali contractu ius est acquisitum.*

16 *Delinquens, si ante mortem reuocet maioratum, secundum aliquos Doctores, si ante sententiam declaratoriam, maioratus pertinet ad fiscum, secus verò si reuocet post sententiam declaratoriam, eo quod in confiscatione solùm includuntur bona, quæ tunc erant delinquentis, alteri non obligata.*

17 *Maioratus etiam in posteriori casu probabilius pertinet ad fiscum, quia etiam in tali casu maioratus bona sunt delinquentis, etsi successoribus sint obligata.*

18 *Maioratus non est quid simile donationi factæ vxori à marito, hæc enim donatio non solùm morte naturali mariti, sed etiam eius morte ciuili confirmatur, esto non sit marito adempta potestas dictam alienationem reuocandi, ac proinde non potest in fiscum transire: At aliæ donationes morte ciuili donantis non confirmantur: Immò neque donatio facta marito ab vxore morte ciuili confirmatur.*

SVpponoo, maioratum dupliciter institui posse, testa- 1
mento, vel contracto.

Si sit institutus testamento, nullum ius successori- 2
bus nominatis acquiritur, quovsque testator mortuus fuerit, quia talis est testamenti natura: Quod locum habet, etiamsi quoad maioratus institutionem factam in testamento ponantur aliqua verba, quæ donationem significent, quia non propterea censeri debebit donatio, sed legatum, siquidem vt bene aduertit Molin. *de primogen. lib. 1. cap. 12. num.* 2. ea verba testamenti naturam non mutant, cùm verba intelligi debeant secundum subiectam materiam, *leg. si vine, ff. legat.*

Si verò maioratus sit institutus contractu, inspecto 3
iure communi, constitui potest contractu reuocabili, vel irreuocabili. *Irreuocabili*, si sit institutus in persona filij emancipati, vel alterius agnati, vel extranei, donatione inter viuos acceptata, *leg. perfecta donatio, Cod. de donat. quæ sub modo, & leg. fine emancipatis, Cod. de donation. Reuocabili*, si fiat filio sub potestate existenti, vel si fiat causa mortis; quia hæc vsque ad mortem possunt reuocari. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Molin. *cit. cap. 12. num. 10. & seqq.*

Dixi, *inspecto iure communi*, quia inspecto iure regio 4
Castellæ, is, qui instituit maioratum (siue in filio emancipato, siue in extraneo) reuocare semper illum potest, nisi in casibus expressis à *leg. 44. Tauri.*

Suppono secundò, institutionem fieri posse ante com- 5
missum crimen, vel illo iam commisso; & crimen esse duplex, vel cui confiscatio bonorum est ipso facto annexa, (quale est crimen contra Maiestatem diuinam, humanam, & naturam) vel cui confiscatio solum per sententiam imponi potest, (quale est homicidium, simonia, &c.) His suppositis.

Respon

6 Respondetur: Si maioratus sit institutus post crimen, cui confiscatio est ipso iure annexa, & sit institutus de bonis habitis tempore criminis, institutio (quomodocumque, siue testamento, siue contractu fiat) non tenet; neque talis institutio confiscationem impedit, quia est facta de bonis fisco obligatis, ac proinde facta declaratione criminis, perit institutio, & in perpetuum confiscatur maioratus. Doctores, quos sequitur Vasquez 1. 2. *disput.* 169. *num.* 39. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 18. *num.* 6. Videri etiam poterit Molin. *de inst. tom.* 3. *disput.* 659. & alter Molin. *de primogenit. lib.* 4. *cap. vlt.*

7 Si verò ob crimen bona ipso iure non confiscantur, sed per sententiam confiscanda veniunt, distinguendum tunc erit: Si institutio maioratus est facta in codicillo, vel testamento ex bonis tempore criminis habitis, subiicitur confiscationi, in quo conueniunt Doctores: Si autem est facta ex bonis post crimen acquisitis, spectato iure communi nulla est institutio, *ex l. eius qui*, §. *si cui*, *ff. de testament.* vbi committens crimen, cui pœna mortis, deportationis, aquæ & ignis interdictionis, bonorum amissionis imponitur, priuatur facultate testandi, ibi: *Neque illud testamentum valet, quod antea fecit, neque id, quod posteà fecit.*

8 Dixi, *spectato iure communi*; quia spectato iure regio Castellæ, valet institutio, & confiscationi non subiicitur ex *l.* 3. *tit.* 4. *lib.* 5. *compilat.* Et videri poterit Molin. *de primogen. lib.* 4. *cap. vlt. num.* 20.

9 Quod si maioratus institutus sit contractu irreuocabili, priusquam de crimine condemnetur institutor, tenet institutio, & confiscationi non subiicitur, quia cùm tunc illa bona non fiunt fisco obligata, potest institutor de illis, tanquam de bonis liberis liberè disponere, *argum. l. post contractum, ff. de donat.* & tradunt Molin. *de inst. tom.* 3. *disp.* 659. *n.* 1. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 18. *num.* 63.

10 Excipe, nisi talis contractus fiat in fraudem fisci; quia tunc reuocari poterit, cùm omnis contractus, omnisque alienatio, nedum donatio in fraudem fisci (siue ante crimen, siue post crimen sit facta) non valeat, ad hoc saltem, vt non possit reuocari, *leg. in fraudem, ff. de iur. fisc.* & docent communiter Doctores, quos sequitur Gomez *var. resolut. tom.* 3. *tit. de confiscat. cap.* 14. *num.* 4. Clarus *practic. quæst.* 78. & Farinac. *quæst.* 25. *num.* 134. qui *quæst.* 164. *de falsit. & simulat. num.* 18. & 46. rectè subdit, in foro externo, quoties alienatio fit post crimen, hanc fraudem semper præsumi.

11 At si maioratus institutus sit contractu reuocabili inter viuos post crimen commissum.

Quidam, quos sequitur Simanch. *de cathol. instit. tit.* 9. *num.* 156. putant, etiam seclusa præsumptione fraudandi fiscum, quæ semper adest, subiici confiscationi, quia talis contractus non tollit à delinquente dominium bonorum: Ergo tanquam bona ipsius delinquentis subiiciuntur confiscationi.

Alij, quos sequitur Farinac. *quæst.* 25. *num.* 130. distinguunt inter donationem factam à marito vxori, vel factam aliis, si facta sit aliis contractu reuocabili, non confirmatur, cum confiscantur bona donantis, sed transit in fiscum *ex l. si aliquis, ff. de donat. caus. mort.* Si autem facta sit à marito vxori, confirmatur, marito bannito, sicque non transit in fiscum, *ex l. sed si mors, ff. de donat. inter vir. & vxor.* & *ex l. si res vxoris, Cod. eod. tit.* Ex quo inferunt, ad maioratus institutionem, si facta hæc sit in alia persona, quàm vxoris (vt necessariò contingit, cùm instituuntur, omnes vocati) maioratum, crimine commisso (quod secum trahit bonorum confiscationem ipso iure) subiici confiscationi, & transire ad fiscum.

12 Alij, quos sequitur Molin. *de primogen. lib.* 4. *cap. vlt. num.* 23. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 18. *num.* 66. probabilius tenent, non subiici confiscationi perpetuæ, quoties institutor contractu reuocabili disponit de bonis fisco non obligatis, quia esto illa bona sint delinquentis, sunt tamen obligata transmitti successoribus vocatis, quibus ex tali contractu est ius acquisitum. Quod ius, etsi sit reuocabile ab instituente, dum viuit, non tamen cum sit personale, est reuocabile à fisco: Ergò, dum institutor non reuocat, fiscus non potest possidere illa bona, nisi cum obligatione transferendi illa ad successores vocatos.

Si tamen maioratus institutus sit contractu irreuocabili, ante crimen commissum, certum est, quod non subiiciatur confiscationi; quia ea, quæ non potes alienare contractu, neque potes alienare delicto. Molin. *cit. cap. vltim. num.* 18. & Sanchez *cit. cap.* 18. *num.* 64. 13

Excipe, nisi institutus sit in fraudem fisci, vel ex facultate regia sub ea conditione concessa, vt subiiciatur confiscationi. Sanch. *vbi suprà num.* 64. & 65. 14

Si autem institutus sit contractu reuocabili, probabilius est, quod non subiiciatur confiscationi perpetuæ. Molina, & Sanchez *in loc. suprà cit.* quia ex dictis esto illa bona sint delinquentis, sunt tamen obligata transmitti successoribus vocatis, quibus ex tali contractu ius est acquisitum modo, quo suprà dicebam: Talis enim contractus, licet sit similis vltimæ voluntati quoad potestatem reuocandi, tamen quoad ius donatariis acquisitum, non vltimæ voluntati, sed donationi inter viuos comparari debet. Molina *cit. cap. vltimo, num.* 23. & Sanch. *cit. cap.* 18. *num.* 66. 15

Petes: Quid dicendum, si delinquens antè mortem reuocet maioratum? 16

Quidam, quos sequitur Sanchez *vbi suprà num.* 67. distinguunt: Si reuocet ante sententiam declaratoriam, pertinere ad fiscum, in quo conueniunt Doctores. Secùs verò, si reuocet post sententiam declaratoriam, eo quod in confiscatione solum includuntur bona, quæ tunc erant delinquentis, alteri non obligata. Et confirmant exemplo donationis factæ vxori à marito, qui si post condemnationem criminis donationem vxori factam reuocet, donatio non fisco, sed delinquenti accrescit, *leg. sed si mors, ff. de donat.* & tradunt Iuristæ, præsertim Baldus *in leg. executorem, Cod. de execut. rei iudic.* & Iason. *in leg. si stipulatus fuerim*, §. 1. *de verb. obligat.* His tamen non obstantibus.

Respondetur, maioratum, etiam in posteriori casu, ad fiscum pertinere probabilius. Doctores, quos sequitur Molin. *de inst. tom.* 3. *disp.* 659. *num. vltim.* 17

Probatur, quia etiam in tali casu maioratus bona sunt delinquentis, etsi successoribus obligata: Ergò transeunt in fiscum cum illa obligatione, sed illa obligatio reuocata institutoris voluntate, cessat: Ergo remanent illa bona sub fisci potestate in perpetuum.

Neque est simile de donatione facta vxori à marito. Hæc enim donatio non solum morte naturali mariti, sed etiam eius morte ciuili confirmatur, esto non sit marito adempta potestas dictam donationem reuocandi. Ac proinde non potest in fiscum transire, iuxta textum *in cit. leg. sed si mors, & in cit. leg. res vxoris*, & tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *quæst.* 25. *num.* 130. *& seqq.* At aliæ donationes, vt idem Farinac. ibidem rectè probat, morte ciuili donantis non confirmantur, immò neque donatio facta marito ab vxore morte ciuili confirmatur (vti suprà dicebam, & ex communi docet Sanchez *de matrimon. lib.* 6. *disp.* 17. *num.* 6. Ac proinde mirum non est, quod facta reuocatione, ad fiscum transeat in perpetuum. 18

SECTIO

SECTIO XII.

Quid dicendum, si bona maioratus confiscentur in perpetuum?

SVMMARIVM.

1 *Maioratus bona si confiscentur in perpetuum transeunt in fiscum tanquam bona libera, quia in tali casu, cùm finita sit successio illorum, quos instituitor vocabat, finitus est maioratus.*

2 *Rex si de illis bonis disponat, & delinquentis successoribus illa titulo maioratus relinquat, nouus maioratus censeri debet institutus.*

1 Respondetur, io tali casu dicta bona transire in fiscum, tanquam bona libera. Doctores, quos sequitur Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 18. *num.* 58.

Probatur, quia in tali casu, cùm finita sit successio illorum, quos institutor vocabat, finitus est maioratus 1 Ergò.

2 Hinc sequitur, quod si Rex de illis bonis disponat, & delinquentis successoribus illa titulo maioratus relinquat, nouus maioratus censeri debeat institutus, non primus continuatus.



DVBITATIO CXVIII.

An confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis, cadat sub confiscationem emphyteusis, & census?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteusis est contractus, in quo dominus rei immobilis, vt domus, villa, vel agri, &c. eam alicui tradit reseruato sibi dominio directo, & in emphyteutam translato dominio vtili sub annua pensione in recognitionem dominij directi sibi reseruati, vel in compensationem fructuum.*

2 *Emphyteusis differt à censu, quia in censu transfertur in censuarium non solùm dominium vtile, sed etiam directum, cum obligatione tamen soluendi pensionem, census enim, seu pensio alteri soluenda constituitur aliquando in propria re, ob pretium, vel ob liberam donationem, quæ intercessit.*

3 *Emphyteusis alia est accepta ab Ecclesia, seu Ecclesiastico, alia est accepta à persona priuata, seu sæculari.*

4 *Item emphyteusis alia est, quæ transmitti potest ad hæredes extraneos, alia quæ non potest transmitti, si emphyteusis sit accepta à persona priuata, potest transmitti; si autem sit accepta ab Ecclesia transmitti non potest ad hæredes extraneos, nisi fuerit ab Ecclesia expressè in perpetuum concessa, & in qua concessione fuerint seruata conditiones requisita per extrauag.* Ambitiosæ.

5 *Emphyteusis, si transmitti potest ad hæredes extraneos, confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis, sub confiscationem cadunt bona, & prædia, ex quibus delinquens censum soluit Ecclesiæ, vel alteri particulari, saluo tamen iure dicti census præstandi ei, cui debitus sit; quia fiscus succedit in iuribus delinquentis.*

6 *Emphyteusis si transmitti non potest ad hæredes extraneos, sub confiscationem non cadunt prædicta bona, vel prædia, quia quæ transire non possunt ad hæredes extraneos, neque transire possunt ad fiscum, cùm fiscus in bonis confiscatis succedat loco hæredis extranei.*

7 *Emphyteusis, quæ transmitti non potest ad hæredes extraneos, sub confiscationem licet non cadat, illa tamen priuatur delinquens, & transit ad successorem vocatum, si quis vocatus sit, sin minùs ad dominum directum, quia emphyteuta facta declaratione criminis læsæ maiestatis Diuinæ, vel humanæ, vel contra naturam, priuatur omni emphyteusi, & efficitur inhabilis ad alia obtinenda.*

SvpponO, emphyteusim esse contractum, in quo dominus rei immobilis, vt domus, villæ, vel agri, &c. eam alicui tradit, reseruato sibi dominio directo, & in emphyteutam translato dominio vtili sub annua pensione in recognitionem dominij directi sibi reseruati, vel in compensationem fructuum, *leg.* 1. *Cod. de iur. emphyt.* 1

Differt autem emphyteusis à censu, quia in censu transfertur in censuarium, non solùm dominium vtile, sed etiam directum, cum obligatione tamen soluendi pensionem, *cap. constitutus, de religios. domib.* & ibi Gloss. & communiter canonistæ, qui subdunt, quod census seu pensio alteri soluenda constituatur aliquando in propria re ob pretium, vel ob liberam donationem, quæ intercessit. 2

Suppono secundò, emphyteusim aliam esse acceptam ab Ecclesia, seu Ecclesiasticum, aliam esse acceptam à persona priuata, seu sæcularem. 3

Item aliam esse, quæ transmitti potest ad hæredes extraneos, aliam, quæ non potest transmitti. Si emphyteusis sit accepta à persona priuata, transmitti potest ad hæredes extraneos, nisi fuerit restrictio opposita. Doctores communiter, quos sequitur Clarus *in practic.* §. *emphyteusis, quæst.* 19. Si autem sit accepta ab Ecclesia, transmitti non potest ad hæredes extraneos, nisi fuerit ab Ecclesia expressè in perpetuum concessa, & in qua concessione fuerint seruatæ conditiones requisitæ ex extrauag. *Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien.* de quibus dicebam *lib. de immunit. & iurisd. Eccles. cap.* 17. *dubit.* 9. *& seqq.* Et quas seruandas esse solùm in prima alienatione, innuebam *loc. sup. cit.* cùm semel res perpetuò alienatæ, & in emphyteusim concessa, reducitur perpetuò alienabilis absque solemnitate, nisi redeat ad Ecclesiam, & ex noua causa velit illam in emphyteusim concedere Ecclesia. His suppositis. 4

Respondetur, & dico primò: si emphyteusis transmitti potest ad hæredes extraneos, confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis, sub confiscationem cadunt bona, & prædia, ex quibus delinquens censum soluit Ecclesiæ, vel alteri particulari, saluo tamen iure dicti census præstandi ei, cui debitus sit. Doctores, quos sequitur Molina *de iust. tom.* 2. *disp.* 481. *& tom.* 3. *disp.* 654. *num.* 3. Gygas *de crimin. læs. maiest. lib.* 2. *tit. de pæn. commit. id crimen, quæst.* 6. *num. vlt.* Suarez *de fide disp.* 21. *sect.* 5. *num.* 15. Simanch. *de cathol. instit. cap.* 9. *num.* 20. Farin. *de hæres. quæst.* 190. *num.* 18. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 19. *num.* 18. & alij, quos citabo infrà *sect.* 8. contrà nonnullos, quos ibidem etiam citabo. 5

Probatur, quia fiscus succedit in iuribus delinquentis: Ergo in dominio vtili, & directo illorum bonorum, vel prædiorum, cum obligatione tamen soluendi censum ei, cui debitus sit: Qua de re vide distinctius infrà *sect.* 3. 6

Dico secundò: Si emphyteusis transmitti non potest ad hæredes extraneos, sub confiscationem non cadunt prædicta bona, vel prædia, Doctores etiam, quos citat, & sequitur Simancha, Farinacius, & Sanchez in *loc. supra cit.*

Probatur,

Probatur, quia quæ transire non possunt ad hæredes extraneos, neque transire possunt ad fiscum, cùm fiscus in bonis confiscatis succedat loco hæredis extranei, vt patet ex *l. 2. Cod. ad leg. Iul. de vi*, *ex l. iura libert. ff. de iurepatron.* & *ex l. eorum, ff. ad leg. Iul. Maiest.* & ex iis, quæ dicebam *dubitationibus præcedentibus.*

7 Cæterùm, licèt talis emphyteusis, quæ transmitti non potest ad hæredes extraneos, sub confiscationem non cadat, illa tamen priuatur delinquens; & transit ad successorem vocatum, si quis vocatus sit: sin minùs ad Dominum directum: quia emphyteuta, facta declaratione criminis læsæ Maiestatis diuinæ, vel humanæ, vel contra naturam, priuatur omni emphyteusi, & efficitur inhabilis ad alias obtinendas, ex Bulla Leonis X. *Exurge Domine*, apud Pegnam *in fine director. Inquisit. fol. 112.* & videri poterit Farinac. *de hæresi q. 190. num. 63.*

SECTIO II.

An in tali casu, quo emphyteusis sub confiscationem non cadit, durante vita huius emphyteutæ, fructus, & commoditates, quas ipse ex emphyteusi percipere debebat, transeant ad fiscum, vel ad illum, ad quem transit emphyteusis?

SVMMARIVM.

1 *Emphyteusis fructus non pertinent ad fiscum, sed transmittuntur simul cum emphyteusi, si vltra prohibitionem legis, quam secum trahit emphyteusis, addita fuerit alia expressa prohibitio à domino emphyteusim concedente.*

2 *Emphyteusis fructus si non est apposita ab institutore hæc expressa prohibitio alienationis, sed emphyteusis suæ naturæ relinquitur, durante vita emphyteutæ, secundùm aliquos Doctores, pertinent ad dominum directum, quia dominium vtile cum directo consolidatur.*

3 *Alij distinguunt inter emphyteusim concessam ab Ecclesia, & concessam ab alio particulari: Ita vt si emphyteusis sit concessa à particulari, affirment illius fructus, & commoditates, pertinere ad fiscum: At si emphyteusis sit concessa ab Ecclesia, negant pertinere ad fiscum: sed ad ipsam Ecclesiam, à qua concessa fuit, quæ omnia probantur iuribus ibi citatis.*

4 *Fructus, & commoditates emphyteusis sæcularis, ex probabili sententia Doctorum, & etiam Ecclesiasticæ, quæ transmitti non potest ad hæredes extraneos, pertinent ad fiscum durante vita emphyteutæ: quia vtraque est quoddam fideicommissum, cuius fructus, & commoditates percipere debebat emphyteuta tempore suæ vitæ.*

5 *Textus in cap. felicis, de pœnis in 6. intelligi potest non de locatione emphyteutica, sed de rigorosa ad tempus locatione alicuius agri, qui ad Ecclesiam liberè reuertitur, vt eum possit Ecclesia pro voluntate iterum locare: vel si loquitur de locatione emphyteutica, loquitur de illa, quæ statim ad Ecclesiam tanquam ad dominum directum reuertitur, &c.*

6 *Ex vi supradicti Textus neque videtur colligi, fructus emphyteusis, quæ ad Ecclesiam reuerti debet, non pertinere ad fiscum, durante vita emphyteutæ: quia dato, quod Textus loquatur de locatione emphyteutica, debet loqui non de quacumque, quæ ad Ecclesiam reuerti debet, eo quod non habeat successorem signatum: sed de illa, quæ statim amittitur ab emphyteuta, & quæ ad Ecclesiam reuertitur.*

7 *Textus cum dicit ad Ecclesiam locationes, officia, & beneficia liberè reuerti debere, ad hunc effectum id dicit, sicut dicit Glossa ibi, verbo disponant, vt illis non vocatis, etiamsi possiderent, possit Ecclesia de illis disponere.*

8 *Fructus emphyteusis, quæ transmitti non potest ad hæredes extraneos, habet tamen successores vocatos, durante vita delinquentis, ex probabiliori sententia Doctorum, pertinent ad fiscum, nisi vltra tacitam legis prohibitionem, aliam habeat expressam institutoris prohibitionem alienationis.*

9 *Si tamen nullum successorem vocatum habet, sed ad dominum directum reuerti debet, tunc si vltra tacitam prohibitionem, quam secum trahit emphyteusis, habeat etiam aliam expressam, statim ad dominum directũ cum fructibus, & commoditatibus pertinet: si autem vltra tacitam alienationis prohibitionem expressam non habet, durante vita delinquentis, fructus, & commoditates ad fiscum pertinebunt.*

SVppono, quod si vltra prohibitionem legis, quam secum trahit emphyteusis, addita fuerit alia expressa alienationis prohibitio à domino emphyteusim concedente, fructus non pertineant ad fiscum, sed transmittantur simul cum emphyteusi, vti *dubitatione præcedenti* dicebam de fideicommissis, & maioratibus, quibus est apposita expressa alienationis prohibitio. Et videri poterit Sanch. *loc. suprà cit. num. 23.* 1

Difficultas igitur solùm est, si non est apposita ab institutore hæc expressa alienationis prohibitio, sed emphyteusis suæ naturæ relinquitur, an tunc emphyteusis fructus, & commoditates, durante vita emphyteutæ pertineant ad fiscum, vel ad successorem vocatum, vel ad dominum directum? 2

Quidam, quos sequitur Vasquez *part. 2. disp. 169. cap. 3. n. 26.* tenent, pertinere ad dominum directum, quia dominium vtile cum directo consolidatur.

Alij, quos sequitur Gabr. *cons. 73. num. 3. & seqq.* Farinac. *quæst. 25. num. 58.* & Sanchez *loco suprà citato, numer. 21. & 22.* distinguunt inter emphyteusim concessam ab Ecclesia, & concessam ab alio particulari: ita vt, si emphyteusis sit concessa à particulari, affirment, illius fructus, & commoditates pertinere ad fiscum (vti *dubitatione præcedenti* dicebam, omnes fructus, & commoditates fideicommissi, durante vita fideicommissarij, pertinere ad fiscum) quia nulla videtur in his esse differentia: At si emphyteusis sit concessa ab Ecclesia, negant pertinere ad fiscum, sed ad ipsam Ecclesiam, à qua concessa fuit emphyteusis; quia *in cap. felicis, vers. si quæ verò feuda, de pœnis*, vbi sermo est de Reo læsæ Maiestatis in Pontificem, dicitur: *Si quæ verò feuda, locationes ab Ecclesiis obtinet, sit eis ipso iure priuatus, quæ liberè ad Ecclesiam reuertantur.* Sed sub nomine locationis, tanquam species sub genere comprehenditur emphyteusis: Ergo emphyteusis debet liberè reuerti ad Ecclesiam, atque adeò cum fructibus; Non enim liberè reuerteretur ad Ecclesiam, si fructus, & commoditates, durante vita emphyteutæ, pertinerent ad fiscum. His tamen non obstantibus. 3

Respondetur, ex probabiliori sententia Doctorum, tam fructus, & commoditates emphyteusis sæcularis, quàm Ecclesiasticæ, quæ transmitti non potest ad hæredes extraneos, pertinere ad fiscum, durante vita emphyteutæ. Gigas *de crimin. læs. Maiest. lib. 2. tit. de pœn. committ. quæst. 6. num. vltimo*, & Molina *de Iust. tom. 2. disput. 481.* 4

Probatur, quia emphyteusis tam sæcularis, quàm Ecclesiastica, est quoddam fideicommissum, cuius fructus, & commoditates percipere debebat emphyteuta tempore suæ vitæ: Ergo cùm fiscus succedat in omnibus iuribus delinquentis, succedit etiam in hoc iure, & potestate percipiendi hos fructus, & commoditates, nisi aliqua lege prohibeatur: sed nulla lege prohibetur: Ergo.

Minor probatur: quia si qua lege prohiberetur, prohiberetur Textu *in cap. felicis, de pœnis in 6.* sed tali Textu non prohibetur; quia dictus Textus intelligi potest, non de locatione emphyteutica, sed de rigorosa ad tempus locatione alicuius agri, qui ad Ecclesiam liberè reuertitur, & eum possit Ecclesia pro voluntate iterum locare: vel si loquitur de locatione emphyteutica, loquitur de illa, quæ statim ad Ecclesiam, tanquam ad dominum directum reuertitur: quod indicant illa verba: *Si qua verò feuda, locationes, officium, vel beneficium spirituale, vel temporale ab aliquibus Ecclesiis obtinet, sit eis ipso iure priuatus: Quæ sic liberè ad Ecclesiam reuertantur, quod Ecclesiarum Rectores de ipsis pro sua voluntate disponant.* Constat enim, quod emphyteusis, quæ signatos habet hæredes, non possit à Rectoribus Ecclesiarum pro sua voluntate disponi, neque ad hunc effectum possit liberè ad Ecclesiam reuerti: Ergo signum est, quod Textus non loquatur de hac emphyteusi, sed de illa, quæ nullum habet successorem vocatum: & consequenter, quod hanc dicat reuerti ad Ecclesiam, vt Ecclesia de ipsa, tanquam de quodam officio, vel beneficio, possit liberè disponere.

6 Accedit, quod neque ex vi huius Textus videtur colligi, fructus emphyteusis, quæ ad Ecclesiam reuerti debet, non pertinere ad fiscum, durante vita emphyteutæ: quia dato, quod Textus loquatur de locatione emphyteutica, debet loqui non de quacumque, quæ ad Ecclesiam reuerti debet, eo quod non habeat successorem signatum, sed de illa, quæ statim amittitur ab emphyteuta, & quæ ad Ecclesiam reuertitur: At id solùm contingit, vt concedunt ipsimet aduersarij, inter quos Sanch. *loco suprà cit. n.23.* cùm vltra tacitam legis prohibitionem, habet aliam expressam institutoris prohibitionem alienationis: Ergo emphyteusis, quæ hanc duplicem alienationis prohibitionem non habet, quamuis ad Ecclesiam, transacta vita delinquentis, reuerti debeat, quia non habet vocatum successorem, vt tunc Ecclesia pro sua voluntate disponat, ad fiscum tamen, durante tali vita, pertinebit.

7 Cæterum, cùm Textus dicit, ad Ecclesiam locationes, officia, & beneficia liberè reuerti debere, ad hunc effectum id dicit (sicut ait Glossa ibi. *verbo disponant*) vt illis non vocatis, etiamsi possiderent, possit Ecclesia de illis disponere.

8 Dicendum breuiter igitur est, quod ex probabiliori sententia Doctorum, fructus emphyteusis, quæ transmitti non potest ad hæredes extraneos, habet tamen successores vocatos, durante vita delinquentis, ad fiscum pertineant: nisi vltra tacitam legis prohibitionem, habeat aliam expressam institutoris prohibitionem alienationis: si tamen nullum successorem vocatum habet, sed ad dominum directum reuerti debet, tunc, si vltra tacitam prohibitionem, quam secum trahit emphyteusis, habeat etiam aliam expressam, statim ad dominum directum cum fructibus, & commoditatibus pertinet; si autem, vltra tacitam alienationis prohibitionem expressam non habet, durante vita delinquentis, fructus, & commoditates ad fiscum pertinebunt.

6

SECTIO III.

Quid dicendum de emphyteusi, quæ transire potest ad hæredes extraneos?

SVMMARIVM.

1 *Emphyteusis, quæ transire potest ad hæredes extraneos, quidam putant, non transmitti ad fiscum, siue sit Ecclesiastica, siue etiam sæcularis: sed reuerti ad dominum directum, & dominium vtile consolidari cum proprietate.*

2 *Alij distinguunt inter emphyteusim Ecclesiasticam, & sæcularem, ita vt illam negent transmitti ad fiscum: Affirment autem ad fiscum transmitti istam: quia Regula generalis est, quod quotiescumque bona delinquentis transire possunt ad hæredes extraneos, transeant ad fiscum, à qua regula generali excipitur emphyteusis Ecclesiastica, non item sæcularis, & cur.*

3 *Emphyteusis qualibet, siue sæcularis, siue Ecclesiastica, quæ ad hæredes extraneos transmitti potest, confiscatis bonis delinquentis, ex probabiliori sententia Doctorum cadit sub confiscationem, seu transit ad fiscum, quia Authentica Iustiniani suprà citata solùm concedit facultatem dominis directis, vt translata emphyteusi in fiscum Regis, vel in ciuitatem aliquam, vel in Curiam, vel in aliquam venerabilem aliam domum, possint declarare suam voluntatem intra biennium, vt rem emphyteuticam recuperent, vel possidentibus derelinquant cum obligatione soluendi annuam pensionem.*

4 *Emphyteusim reuocandi dicta facultas reuocandi intra biennium, non de qualibet emphyteusi, sed de emphyteusi Constantinopolitana, & non in perpetuum concessa, neque ad extraneos hæredes transmissibili debet intelligi.*

5 *Ecclesia non redditur deterioris conditionis ex eo, quod emphyteusis transeat ad fiscum, quia fiscus semper est soluendo, & suis priuilegiis nocere non potest Ecclesiæ: Nam soluere tenetur Canonem & præstare alia, quæ cæteri priuati tenentur; Non enim fiscus est priuilegiatus, nisi in casibus à iure expressis.*

6 *Dicta superiùs intellige de emphyteusis confiscatione, quam faciat iudex Ecclesiasticus: quia iudex sæcularis emphyteusim Ecclesiasticam, vtpotè à sua iurisdictione alienam confiscare non potest.*

QVidam, quos sequitur Cantera *in quæst. criminal. rubr. de hæretic. cap. 1. n. 46.* putant, non transmitti ad fiscum, siue sit Ecclesiastica, siue etiam sæcularis, sed reuerti ad dominum directum, & dominium vtile consolidari cum proprietate. 1

Alij, quos sequitur Clarus *in pract. lib. 4. §. emphyteusis, q. 29.* Bernard. Diaz *cap. 132. n. 4.* & Molina *de iust. tom. 2. disp. 481. concl. 1. & 2.* distinguunt inter emphyteusim Ecclesiasticam, & sæcularem, ita vt illam negent transmitti ad fiscum, affirment autem ad fiscum transmitti istam: quia regula generalis est, quod quotiescumque bona delinquentis transire possunt ad hæredes extraneos, transeant ad fiscum, à qua regula generali excipitur emphyteusis Ecclesiastica, non item sæcularis, quia in Authentica Iustiniani de alienatione, & emphyteusi §. 1. emphyteusis Ecclesiastica, translata in fiscum potest intra biennium vindicari: Tum quia, si emphyteusis Ecclesiastica transiret in fiscum, Ecclesia redderetur deterioris conditionis propter fisci potentiam, ob quam difficile conueniri potest, & ob eius priuilegia, & præcipuè, quia nulla esset spes caducitatis, cùm fiscus nunquam puniatur, ob quæ non videtur verisimile, voluisse Ecclesiam, vt emphyteusis sua transeat ad fiscum. His tamen non obstantibus. 2

Respondetur, ex probabiliori sententia Doctorum, quamlibet emphyteusim, siue sæcularem, siue Ecclesiasticam, quæ ad hæredes extraneos transmitti potest, confiscatis bonis delinquentis, cadere sub confiscationem, seu transire ad fiscum. Azor. *tit. 1. lib. 8. cap. 12. q. 11.* Simanch *de cathol. institut. tit. 9. n. 97.* Boss. *de bon. publicat. n. 62.* & alij, quos citat, & sequitur Farin. *q. 15. n. 54.* & Sanch. *lib. 2. moralium, cap. 19. n. 25.* 3

Probatur præter ea, quæ dicebam *sect. 1.* quia Authentica illa Iustiniani solùm concedit facultatem Dominis directis, vt translata emphyteusi in fiscum Regis, vel in Ciuitatem aliquam, vel in Curiam, vel in aliquam venerabilem aliam domum, possint declarare

suam

suam voluntatem intra biennium, vt rem emphyteuticam recuperent, vel possidentibus derelinquant cum obligatione soluendi annuam pensionem: sed ex hac facultate non sequitur, translationem esse nullam, & inualidam, sed potiùs subsistentem, & validam, quamuis reuocabilem: Ergo.

4 Confirmatur: quia dicta facultas reuocandi emphyteusim intra biennium, non de qualibet emphyteusi, sed de emphyteusi Constantinopolitania, & non in perpetuum concessa, nec ad extraneos hæredes transmissibili debet intelligi, vt *sect. seq.* dicetur: Ergo.

5 Confirmatur secundò, quia neque verum est ex eo, quod emphyteusis transeat ad fiscum, Ecclesiam reddi deterioris conditionis; quia fiscus semper est soluendo, & suis priuilegiis nocere non potest Ecclesiæ: Nam soluere tenetur Canonem, & præstare alia, quæ cæteri priuati tenentur: Non enim fiscus est priuilegiatus, nisi in casibus à iure expressis; *l. 1. Cod. de petit. hæred.* & *l. quod placuit, ff. de iur. fisc.* & Doctores, quos sequitur Menoch. *cons. 242. n. 9. lib. 3.* & Farinac. *in fragm. verb. fiscus, num. 149. & seqq.* spes autem caducitatis non videtur considerabilis, quoties emphyteusis in perpetuum ad hæredes extraneos transire potest, quia semper quis relinquit hæredem: Ergo.

6 Cæterùm, quod supra dixi, intellige de emphyteusis confiscatione, quam faciat iudex Ecclesiasticus: quia iudex sæcularis emphyteusim Ecclesiasticam, vtpotè à sua iurisdictione alienam, confiscare non potest. Doctores, quos sequitur Farinac. *cit. q. 15. n. 57.* & Sanch. *loc. suprà cit. num. 29.*

SECTIO IV.

An Ecclesiæ competat ius, seu facultas reuocandi emphyteusim translatam in fiscum?

SVMMARIVM.

1 *Emphyteusim translatam in fiscum, Ecclesiæ non competit ius, seu facultas reuocandi; quia non competit Ecclesiæ ex iure naturali, neque ex iure positiuo.*

2 *Emphyteusis alia ab Ecclesia Constantinopolitana transiens ad hæredes extraneos, si transeat ad fiscum, ex probabiliori sententia Doctorum reuocari non potest: sed perpetuò manet apud fiscum, qui integrum ius Domino directo seruare tenetur, contra nonnullos Doctores expresè asserentes, quamlibet Ecclesiam reuocare posse intra biennium emphyteusim suam translatam in fiscum.*

3 *Baldi doctrina reiicitur extendentis supradictam facultatem reuocandi alienationem emphyteusis solùm Ecclesiæ Constantinopolitanæ concessam, ad alias Ecclesias, ex eo, quia quidquid in alicuius Ecclesiæ fauorem decernitur, intelligi debet ius esse generale.*

4 *Contrarium reperitur expressum in citata Authentica Iustiniani, ex qua clarè colligitur, Imperatorem voluisse fauorem illum limitare ad Ecclesiam Constantinopolitanam.*

5 *Emphyteusis Ecclesiæ Constantinopolitanæ si transire non posset ad hæredes extraneos, necessaria non esset facultas eam reuocandi, casu quo translata esset in fiscum: quia iure ipso vendicari posset quolibet tempore, tanquam indebitè occupata à fisco, sed ratio non subsistit.*

6 *Emphyteusis Constantinopolitana transire potest ad hæredes extraneos non in perpetuum, sed pro determinato tempore: Ideoque potest pro illo tempore transire ad fiscum, & necessaria est facultas reuocandi: quæ tamen aliis Ecclesiis concessa non apparet, licet eis concessum sit, posse adhibitis iuris solemnitatibus emphyteusim perpetuam concedere.*

RESpondetur negatiuè: Doctores, quos citat, & 1
sequitur Fachin. *lib. 9. controuers. cap. 53.* Boss. *loc. suprà cit. n. 60.* & Farinac. *q. 85. n. 56.*

Probatur: quia hæc facultas non competit Ecclesiæ ex iure naturali, aliàs competeret non solùm Ecclesiæ, sed etiam cuilibet personæ particulari: neque ex iure positiuo: quia nullibi expressum id reperitur; siquidem Authentica illa Iustiniani, quæ ad id probandum inducitur, solùm loquitur de emphyteusi concessa ab Ecclesia Constantinopolitana, & non in perpetuum, neque ad hæredes extraneos transmissibili, sicuti patet ex Textu: ex cuius verbis habetur primò, potestatem reuocandi solùm emphyteusi Constantinopolitanæ esse concessam, non aliis. Secundò aliis Ecclesiis concessam esse facultatem alienandi rem in emphyteusim perpetuam, non tamen Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qua de re Fachin. *lib. 9. cap. 53.*

Ex quibus sequitur, emphyteusim aliam ab Ecclesia 2
Constantinopolitana transeuntem ad hæredes extraneos, si transeat ad fiscum, ex probabiliori sententia Doctorum reuocari non posse, sed perpetuò manere apud fiscum, qui integrum ius Domino directo seruare tenetur.

Quamuis contrarium doceant Bald. *vol. 3. consil. 417. num. 2. & in l. si quis presbyter. num. 2. Cod. de Episc. & cleric.* Salycet. *ibidem circa finem*, Sanch. *lib. 2. moralium, cap. 19. num. 31.* Clar. *in practic. lib. 4. §. emphyteusis, quæst. 29.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 12. q. 51.* Simanch. *de Cathol. institut. tit. 9. n. 104.* Molin. *de iustitia tom. 2. disp. 481.* & Vasq. *part. 2. disp. 169. cap. 3. n. 23.* quatenùs expresè aiunt, quamlibet Ecclesiam reuocare posse intra biennium emphyteusim suam translatam in fiscum.

Primò probant: quia licet supradicta facultas reuo- 3
candi alienationem solùm emphyteusi Ecclesiæ Constantinopolitanæ concessa sit, ad alias tamen Ecclesias extendi debet, ex doctrina Bald. *in Authentica nisi rogati, num. 13. Cod. ad Trebellian.* docentis, quidquid in alicuius Ecclesiæ fauorem decernitur, intelligi ius esse generale, nisi contrarium reperiatur expressum, *Authent. de non alienandis, §. hac ergo*, & tradunt Clar. *in pract. lib. 4. §. emphyteusis, q. 29.* & Bursat. *cons. 199. num. 6. lib. 2.*

At respondetur, contrarium in præsenti expres- 4
sum reperiri: quia ex supradicta Authentica Iustiniani clarè colligitur, Imperatorem voluisse fauorem illum limitare ad Ecclesiam Constantinopolitanam: Id enim indicant verba Textus, & distinctio ibi facta inter emphyteusim Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & aliarum Ecclesiarum.

Secundò probant; quia si emphyteusis Ecclesiæ 5
Constantinopolitanæ transire non posset ad hæredes extraneos, necessaria non esset facultas reuocandi emphyteusim, casu quo translata esset in fiscum: quia iure ipso vindicari posset quolibet tempore, tanquam indebitè occupata à fisco: Ergo dicendum, quod hæc facultas reuocandi conueniat cuilibet Ecclesiasticæ emphyteusi, quæ transire potest ad hæredes extraneos.

At respondetur; Nego consequentiam: Dico enim 6
emphyteusim Constantinopolitanam transire posse ad hæredes extraneos non in perpetuum, sed pro determinato tempore, ideoque posse pro illo tempore transire ad fiscum, & necessariam esse facultatem reuocandi, quæ tamen facultas aliis Ecclesiis concessa non apparet, etsi eis concessum sit posse, adhibitis iuris solemnitatibus, emphyteusim perpetuam concedere.

SECTIO V.

An (stante sententia contraria, posse scilicet quamlibet Ecclesiam intra biennium reuocare emphyteusim translatam in fiscum: quæ est satis probabilis) si biennium labatur, possit Ecclesia petere restitutionem in integrum?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia potest petere restitutionem in integrum secundùm aliquos, stante sententia contraria, posse scilicet quamlibet Ecclesiam intra biennium reuocare emphyteusim translatam in fiscum, quæ est satis probabilis.*

2 *Monasterium institutum sub conditione, vt intra annum ædificet Xenodochium substituto alio Monasterio, ob conditionem non impletam, potest non implens conditionem restitui aduersùs termini lapsum contra Monasterium substitutum: quia minori competit restitutio aduersus omissionem conditionis à testatore iniunctæ.*

3 *Oppositum, quod docent alij, est probabilius; quia cùm agitur de lucro captando, priuilegiatus non gaudet priuilegio contra pariter priuilegiatum.*

4 *Ratio prædicta non conuincit: Priuilegiatus enim non gaudet priuilegio contra pariter priuilegiatum, cùm vterque priuilegiatus agit de lucro captando, vel de damno vitando, ita vt sint cætera paria: At secùs cùm vnus priuilegiatus agit de lucro captando, alter verò de damno vitando.*

5 *Ecclesia si expressè intra biennium vellet habere fiscũ emphyteutam, non posset voluntatem reuocare, aliàs nulla esset translatio firma: sed quotiescumque aduertenter cognoscit labi biennium, & emphyteusim non reuocat, censetur velle habere fiscum emphyteutam.*

6 *Ratio de Monasterio substituto non applicatur ad fiscum; Monasterium enim substitutum non habet ius acquisitum ab ipso instituto, sed à primo instituente: At fiscus non habet esse perpetuus emphyteuta, nisi ex remissione, & voluntate Ecclesiæ; cui competit optio, vel reuocandi emphyteusim, vel relinquendi illam apud ipsum fiscum.*

QVidam, quos sequitur Simanch. *de Cathol. instit. tit. 9. num. 106.* Vasquez *cit. cap. 3. num. 23.* & Sanch. *vbi suprà,* affirmant ex doctrina Baldi, quem sequuntur communiter Doctores, quatenùs ait, quod
2 Monasterium institutum sub conditione, vt intra annum ædificet Xenodochium, substituto alio Monasterio ob conditionem non impletam, possit non implens conditionem restitui aduersus termini lapsum contra Monasterium substitutum. Et ratio doctrinæ Baldi esse potest; quia minori competit restitutio aduersus omissionem conditionis à testatore iniunctæ, *ex l. 3. §. si hæres, ff. de minorib.* Ergo, cùm Ecclesia gaudeat priuilegio minoris, *cap. 1. de restitut. in integrum,* poterit restitui, sicut & minor. His tamen non obstantibus.

3 Respondetur, oppositum (quod docent alij, quos sequitur Quemada *in quæstion. fiscal. quæst. 13.*) esse probabilius.

Probatur, quia cùm agitur de lucro captando, priuilegiatus non gaudet priuilegio contra pariter priuilegiatum, *l. 2. Cod. de priuileg. fisc. & l. verum, §. finali, ff. de minor.* Ergo, cùm Ecclesia, & fiscus gaudeant priuilegio minoris, non poterit Ecclesia contra fiscum vti priuilegio minoris.

4 At hæc ratio non conuincit: Nam respondere quis posset, priuilegiatum non gaudere priuilegio contra pariter priuilegiatum, cùm terque priuilegiatus agit de lucro captando, vel de damno vitando, ita vt sint cætera paria. At secùs, cùm vnus priuilegiatus agit de lucro captando, alter verò de damno vitando, ita vt non sint cætera paria, vt est in casu nostro; quia Ecclesia agit de vitando damno, quale est amittere emphyteusim sibi competentem, & habere illam translatam in fiscum potentiorem. At fiscus agit de lucro captando, cùm emphyteusis ei non competat, nisi ob omissam ab Ecclesia reuocationem.

Secundò igitur probatur melius: quia Ecclesia, si expressè intra biennium vellet habere fiscum emphyteutam, non posset voluntatem reuocare, aliàs nulla esset translatio firma; sed quotiescumque aduertenter cognoscit, labi biennium, & emphyteusim non reuocat, censetur velle habere fiscum emphyteutam, cùm ab Authentica illa Iustiniani concedatur biennium, vt deliberet, an velit habere fiscum emphyteutam, vel ab illo emphyteusim reuocare: Ergo, cùm non reuocat, deliberasse censetur, velle fiscum emphyteutam. 5

Atque hinc patet ad fundamentum contrariæ sententiæ prioris: Concedo enim, Monasterium institutum sub conditione, restitui posse aduersus aliud Monasterium substitutum, ob omissam illam conditionem; quia Monasterium substitutum est institutum ab ipso primo instituente ob omissam conditionem primi instituti: & quia Monasterium substitutum non habet ius acquisitum ab ipso instituto, sed à primo instituente, ideò restitutio ipsi conceditur: At in casu nostro fiscus non habet, esse perpetuus emphyteuta, nisi ex remissione, & voluntate Ecclesiæ, cui competit optio, vel reuocandi emphyteusim, vel relinquendi illam apud ipsum fiscum: vnde patet disparitas. 6

SECTIO VI.

An (stante etiam sententia contraria, posse scilicet quamlibet Ecclesiam intra biennium reuocare emphyteusim translatam in fiscum; quæ est satis probabilis) melioramenta facta in re emphyteutica pertineant ad fiscum, vel ad Ecclesiam, quæ reuocat emphyteusim?

SVMMARIVM.

1 *Melioramenta facta à delinquente post delictum commissum ob quod bona ipso iure confiscantur, pertinent ad fiscum, secundum aliquos, stante sententia contraria, posse scilicet quamlibet Ecclesiam intra biennium reuocare emphyteusim translatam in fiscum, quæ est satis probabilis: quia omnia bona delinquentis à puncto commissi delicti fisco sunt obligata.*

2 *Inter melioramenta computari debent labor, industria, & expensa in eis apposita.*

3 *Melioramenta facta ante delictum commissum, quamuis quoad proprietatem pertineant ad dominum emphyteusis, adhuc tamen quoad pretium, & æstimationem, pertinent etiam ad fiscum; quia melioramenta, quæ emphyteuta facit in re emphyteutica, licet quoad dominium directum pertineant ad dominum rei; quoad vtilitatem tamen sibi, vel successoribus acquirit: At fiscus confiscat omnia bona, quæ sunt delinquentis tempore commissi delicti.*

4 *Oppositum quoad vtramque partem est probabilius: quia confiscatio non extenditur ad bona futura, & sic non extenditur ad melioramenta facta post delictum commissum.*

5 *Confiscatio ipso iure imposita, cùm sit pœna certa, inspicis*

inspicit tempus delicti commissi, & statum, qui erat in delinquente tempore delicti commissi.

6 *Melioramenta facta ante delictum commissum pertinent ad Dominum directum, sicut pertinet res emphyteusis; siquidem cum re emphyteutica consolidantur.*

7 *Melioramenta in sententia communi quoad proprietatem pertinent ad Dominum; ideò enim res maximè fructifera pro modica pensione donatur.*

8 *Emphyteuta quotiescumque amittit emphyteusim, quia pensionem non soluit, vel aliam conditionem in emphyteusi appositam non exequitur, melioramenta pertinent ad Dominum emphyteusis.*

1 QVidam, quos sequitur Simanch. *de cathol. institut. tit. 9. n. 107. & seqq.* Diaz *in pract. cap. 132. n. 4.* Garx. *de expensis cap. 10. num. 51.* Molin. *de iustitia tom. 2. disput. 481.* Vasquez 1. 2. *disput. 169. cap. 3. num. 23.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 12. q. 11.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 19. n. 34.* tenent, quod melioramenta facta à delinquente post delictum commissum, ob quod bona ipso iure confiscantur, pertineant ad fiscum; quia omnia bona delinquentis à puncto delicti com-
2 missi fisco sunt obligata (inter quæ labor, industria, & expensæ in his melioramentis appositæ computari debent.) Melioramenta verò facta antè delictum com-
3 missum, quamuis quoad proprietatem pertineant ad Dominum emphyteusis, adhuc tamen quoad pretium, & æstimationem pertinent etiam ad fiscum; quia melioramenta, quæ emphyteuta facit in re emphyteutica, quamuis quoad dominium directum pertineant ad Dominum rei; nisi aliud in emphyteusis institutione conuentum sit, vel nisi melioramenta sint modici valoris; Doctores, quos sequitur Molin. *cit. tom. 1. disput. 463. concl. 1.* tamen quoad vtilitatem sibi, & successoribus acquirit; at fiscus confiscat omnia bona, quæ sunt delinquentis tempore commissi delicti: Ergo & hæc melioramenta etiam quoad vtilitatem confiscabit; ac proindè, si postea Ecclesia velit emphyteusim à fisco reuocare simul cum melioramentis, horum melioramentorum æstimationem debet fisco compensare. His tamen non obstantibus.

4 Respondetur, oppositum quoad vtramque partem esse probabilius.

Probatur quoad partem priorem; quia sicuti supra suo loco dicebam, confiscatio non extenditur ad bona futura: Ergo non extenditur ad melioramenta facta post delictum commissum; sic enim extenderetur ad bona futura.

5 Confirmatur; quia sicuti etiam suprà suo loco dicebam, confiscatio ipso iure imposita, cum sit pœna certa, inspicit tempus delicti commissi, & statum, qui erat in delinquente tempore delicti commissi: Ergo cadit super commoditates, & melioramenta, quæ tunc emphyteuta propria habebat (si aliqua habet) & non super ea, quæ subsequuntur delictum commissum.

6 Probatur quoad partem posteriorem; quia melioramenta facta ante delictum commissum pertinent ad Dominum directum, sicuti pertinent res emphyteusis; siquidem cum re emphyteutica consolidantur: Ergo sicut non potest emphyteuta deducere pretium, & æstimationem, sed solum vsumfructum, & re emphyteutica, ita etiam ex melioramentis factis antè delictum commissum.

7 Confirmatur; quia in sententia communi melioramenta quoad proprietatem pertinent ad Dominum rei: Ergo valor, & æstimatio melioramentorum quoad proprietatem pertinebunt ad eumdem; atque adeò valor, & æstimatio melioramentorum sub confiscationem non cadent.

Confirmatur secundò; quia omnis emphyteusis, nisi aliud expressè caueatur, videtur data sub conditione, quod melioramenta facta in re emphyteutica pertineant ad Dominum; ideò enim res maximè fructifera pro modica pensione donatur: Et licet in nonnullis emphyteusis institutionibus id expressè apponatur, non apponitur, quia necessarium sit, sed ad maiorem cautelam, vt scilicet omnis dubitatio tollatur, & impediatur vsus oppositæ sententiæ non omninò improbabilis. Simanch. Vasquez, & Azor. *in locis suprà cit.* Ergo, &c.

Confirmatur tertiò; quia quotiescumque emphyteuta amittit emphyteusim, quia pensionem non soluit, vel aliam conditionem in emphyteusi appositam non exequitur, melioramenta pertinent ad Dominum emphyteusis. Doctores communiter, quos sequitur Molina *de iustitia disput. 481. conclus. 2.* Vasq. *part. 2. disp. 169. cap. 3. n. 25.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 19. num. 36.* Ergo quotiescumque etiam, ob culpam emphyteutæ, amittitur emphyteusis, melioramenta ibi facta pertinebunt similiter ad eumdem Dominum emphyteusis. 8

SECTIO VII.

Quid cadat sub confiscationem, si Dominus emphyteusis committat delictum confiscatione dignum?

SVMMARIVM.

1 *Emphyteusis cadit sub confiscationem quoad dominium directum, si Dominus emphyteusis committat delictum confiscatione dignum; quia bonum illius est, & emphyteuta tenetur soluere fisco pensionem.*

RE spondetur, in tali casu cadere sub confiscationem emphyteusim quoad dominium directum; quia bonum illius est, & emphyteutam teneri fisco soluere pensionem: Cantera *in quæstion. criminal. tit. de quæst. tangent. punit. delict. cap. 1. n. 46.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 19. n. 38.* & alij passim. 1

SECTIO VIII.

Corollaria ex dictis in sectionibus præcedentibus.

SVMMARIVM.

1 *Emphyteusis, si accepta sit ab aliqua persona priuata, & non transeat ad hæredes extraneos, commoditas emphyteusis pertinet ad fiscum, quamdiu vixerit emphyteuta, ita tamen vt teneatur fiscus soluere pensionem Domino directe illius emphyteusis, vt à simili in bonis fideicommisso subiectis.*

2 *Idem dic, si similis emphyteusis sit accepta ab Ecclesia, quamuis contrarium, nempè fructus talis emphyteusis non confiscari; sed talem emphyteusim simul cum fructibus redire ad Ecclesiam, quæ habet directum dominium illius, probabiliter doceant aliqui Doctores.*

3 *Emphyteusis, quando non est accepta ab Ecclesia, & potest transire ad hæredes extraneos, tunc confiscatis bonis delinquentis confiscabitur etiam talis emphyteusis, ita vt vtile dominium sit apud fiscum, & directum sit apud eumdem, cuius erat prius quàm emphyteusis deueniret ad fiscum; quia quæ possunt deuenire ad hæredes extraneos, possunt etiam deuenire ad fiscum, nisi fuerit specialis aliqua prohibitio, sed nulla est specialis prohibitio, qua confiscatis omnibus bonis delinquentis, non confiscetur etiam emphyteusis.*

4 *Emphyteusis alienari non potest in potentiorem irreuocabiliter, potest tamen reuocabiliter: Quapropter in hac alterà opinione non improbabili, is, qui habet dominium directum, potest cogere fiscum, vt eam alienet in personam, quæ non sit ita potens, vt est fiscus, toto verò tempore, quo emphyteusis manebit apud fiscum, tenetur fiscus præstare Domino ea omnia, quæ præstare tenebatur delinquens.*

5 *Fiscus si alienet emphyteusim, tenetur soluere laudemium Domino directo, eumque præferre aliis emptoribus, si emere voluerit vtile dominium emphyteusis.*

6 *Emphyteusis Ecclesiastica quando transire potest ad hæredes extraneos, confiscatur simpliciter ob crimen emphyteutæ.*

7 *Sententia Bero. & Romani reiicitur; quia nullibi reperitur, quod emphyteusis Ecclesiastica non possit alienari, sed solùm conceditur Ecclesiæ priuilegium, an velit habere fiscum emphyteutam, vel potius reuocare emphyteusim.*

8 *Emphyteusim an velis reuocare, vel habere fiscum emphyteutam, datur cuilibet Ecclesiæ optio, vt intra biennium deliberet.*

9 *Textus in §. 1. vers. si verò contigerit, Auth. de alien. & emphyteus. licet loquatur de sola Ecclesia Constantinopolitana, & priuilegium concessum tali Ecclesiæ extendi non debeat ad alias Ecclesias; præsertim cùm talis lex sit lata à principe sæculari, & præsertim cum disponat de rebus Ecclesiæ, extenditur tamen ad omnem emphyteusim Ecclesiasticam; quia quando aliquid statuitur in fauorem alicuius Ecclesiæ, censetur esse statutum pro omnibus Ecclesiis, & esse factam veluti legem quamdam generalem.*

10 *Leges latæ à principibus sæcularibus in fauorem Ecclesiæ, eique priuilegium concedentes, vtpotè merè priuilegiatiuæ, suum valorem habent, ex communi sententia Doctorum.*

11 *Emphyteusis alia à Constantinopolitana transiens ad hæredes extraneos, si ad fiscum transeat, est probabilius, quod reuocari non possit, sed quod perpetuò maneat apud fiscum, qui integrum ius Domino directo seruare tenetur.*

1 EX dictis in sectionibus præcedentibus sequitur, quod si emphyteusis sit accepta ab aliqua persona priuata, & non transeat ad hæredes extraneos, commoditas emphyteusis pertineat ad fiscum, quamdiu vixerit emphyteuta, ita tamen vt teneatur fiscus soluere pensionem Domino directo illius emphyteosis. Farinac. *in pract. tom. 1. part. 1. tit. de delict. & pœn. quæst.* 25. *n.* 58. & alij, quos citabam *sect.* 1. Quia, sicuti in aliis bonis fideicommisso, quod non transit ad hæredes extraneos, subiectis commoditas fructuum confiscatur tempore vitæ delinquentis, ita similiter dicendum erit de bonis emphyteuticis, quorum fructus debebat percipere emphyteuta tempore, quo vixerit ipsemet emphyteuta.

2 Sequitur secundò, quod idem dicendum sit, si similis emphyteusis sit accepta ab Ecclesia, ob rationes, quas adducebam *sect.* 2.

Quamuis contrarium (nempè fructus talis emphyteusis non confiscari, sed talem emphyteusim simul cum fructibus redire ad Ecclesiam, quæ habet directum dominium illius) probabiliter doceant Gabr. *vol. 2. cons. 73. n. 3. & seqq.* Farinac. *q. 25. num.* 58. & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 19. ex cap. felicis, vers. si quæ verò feuda, de pœnis in 6.* vbi fit mentio de delicto in Pontificem commisso, & dicitur, eum qui tale delictum commisit, priuari feudis, & locationibus, quæ obtinet ab Ecclesia, & liberè illa reuerti ad Ecclesiam: Ergo, si locationes liberè reuertuntur ad Ecclesiam, pari ratione emphyteusis etiam liberè reuertetur ad Ecclesiam, cùm emphyteusis sit species quædam locationis; liberè autem non reuerteretur ad Ecclesiam, si toto tempore, quo vixerit delinquens, fiscus perciperet fructus, & commoditates ex emphyteusi.

Ad hanc tamen rationem respondebam suprà *citata sect.* 2.

Sequitur tertiò, quod quando emphyteusis non est 3
accepta ab Ecclesia, & potest transire ad hæredes extraneos, tunc confiscatis bonis delinquentis, confiscabitur etiam talis emphyteusis, ita vt vtile dominium sit apud fiscum, & directum sit apud eumdem, cuius erat priusquam emphyteusis deueniret ad fiscum. Bartol. *in l. si finita, §. si de vectigalibus, ff. de damno infecto, n. 6.* quem sequuntur communiter Doctores, Simanch. *de cathol. institut. tit. 9. num.* 97. Quemada *in quæstion. fiscal. quæst.* 11. Boss. *in pract. tit. de bonor. publicat. n. 60.* Clar. *in pract. lib. 4. §. emphyteusis, q. 19.* Molin. *de iustitia tom. 2. disputat. 485. concl.* 1. Vasquez 1. 2. *disput. 169. cap. 3. n.* 25. & Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 11. q.* 12. Quia quæ possunt deuenire ad hæredes extraneos, possunt etiam deuenire ad fiscum, nisi fuerit specialis aliqua prohibitio; sed nulla est specialis prohibitio, qua confiscatis omnibus bonis delinquentis, non confiscetur etiam emphyteusis: Ergo.

Obiicies, emphyteusis alienari non potest in poten- 4
tiorem, quia Dominus directus ob hanc alienationem graue damnum pateretur, cùm fiscus multis priuilegiis gaudeat, & nullo tempore deficiat, sicque nunquam esset spes, quod emphyteusis ad Dominum directum rediret: Ergo emphyteusis non transit ad fiscum, sed redit ad Dominum habentem dominium directum, & dominium vtile consolidatur cum dominio, seu cum proprietate.

Respondetur (vt omittam, quod dicebam *sect.* 3. secundum opinionem probabiliorem, negando antecedens, & sequendo nunc alteram opinionem non improbabilem) emphyteusim alienari non posse in potentiorem irreuocabiliter, posse tamen reuocabiliter. Quapropter in hac altera opinione non improbabili, is, qui habet dominium directum, potest cogere fiscum, vt eam alienet in personam, quæ non sit ita potens, vt est fiscus. Toto verò tempore, quo emphyteusis manebit apud fiscum, tenetur fiscus præstare Domino ea omnia, quæ præstare tenebatur delinquens. Ita Azor. Vasq. &
alij *in loc. suprà cit.* Vndè si fiscus alienet emphyteusim, 5
tenetur persoluere laudemium Domino directo, eumque præferre aliis emptoribus si emere voluerit vtile dominium emphyteusis.

Sequitur quartò, quod emphyteusis Ecclesiastica, 6
quando transire potest ad hæredes extraneos, confiscetur simpliciter ob crimen emphyteutæ: Bartholom. Soccin. *vol. 2. cons. 266. num.* 32. Ruin. *vol. 1. cons. 117. n. 16.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 12. q. 12.* & alij.

Non obstat, si dicas cum Bero. *vol. 1. cons. 114.* 7
num. 54. & Romano *in l. si finita, §. si de vectigalibus, ff. de damn. infect. n.* 21. (qui contrariam sententiam negatiuam sequuntur) *in §. 1. vers. si verò contigerit, Authent. de alienat. & emphyteusi,* Ecclesiæ conceditur priuilegium, vt emphyteusis Ecclesiastica non possit alienari: Ergo.

Respondemus enim: Nego antecedens, quia nec ibi, nec alibi reperitur, quod emphyteusis Ecclesiastica non possit alienari, quin ibi supponitur, talem emphyteusim alienari posse; sed solùm conceditur Ecclesiæ priuilegium, an velit habere fiscum emphyteutam, vel potius reuocare emphyteusim: Quapropter ibi supponitur, quod emphyteusis Ecclesiastica, sit iam alienata.

Sequitur quintò, quod ex probabili detur Ecclesiæ 8
cuilibet optio, vt intra biennium deliberet, an velit reuocare emphyteusim, vel habere fiscum emphyteutam. Doctores, quos citabam *sect.* 4.

Quod si dicas cum Bossio, Farinac. & Fachin. quos 9
sequebar *cit. sect.* 4. quamlibet Ecclesiam non habere

facultatem

facultatem reuocandi emphyteusim Ecclesiasticam; quia si haberet, maximè id esset, quia datur ipsi hæc facultas *in* §. 1. *vers. si verò contigerit*, *Auth. de alienat. & emphyteus.* sed hic textus minus probat; quia ibi solum est sermo de Ecclesia Constantinopolitana: Et priuilegium concessum tali Ecclesiæ extendi non debet ad alias Ecclesias. Præsertim cùm talis lex sit lata à à principe sæculari, & præsertim, cùm disponat de rebus Ecclesiæ, vim nullam habeat: Ergo.

Respondetur, esse quidem ibi sermonem de sola Ecclesia Constantinopolitana, extendi tamen ad omnem emphyteusim Ecclesiasticam, vt præter alios aduertit Clarus *in pract. lib.* 4. §. *emphyteusis*, *q.* 19. quia quando aliquid statuitur in fauorem alicuius Ecclesiæ, censetur esse statutum pro omnibus Ecclesiis, & esse factam, veluti legem quamdam generalem: Et quamuis huius-
10 modi lex sit lata à Principe sæculari, non tamen caret vi sua; quia leges latæ à Principibus sæcularibus in fauorem Ecclesiæ, eique priuilegium concedentes, vtpotè merè priuilegiatiuè, suum valorem habent, ex communi sententia Doctorum, quam diffusè probabam *lib. de immunit. & iurisdict. Eccles. cap.* 9. *dubit.* 1.

11 Dixi, *ex probabili*; quia oppositum (scilicet emphyteusim aliam à Constantinopolitana transeuntem ad hæredes extraneos, si ad fiscum transeat, reuocari non posse, sed perpetuo manere apud fiscum, qui integrum ius Domino directo seruare tenetur) est probabilius, & iuri conformius, vti suprà *cit. sect.* 4. dicebam, & rectè explicat Fachin. *lib.* 9. *cap.* 53. Cuiac. *ad Nouellam* 120. dicens: *Id est singulare in Ecclesia maiore Constantinopolitana, & aliis religiosis ædibus, quæ sunt intra eam vrbem, vel intra territorium eius, vt prædiorum suorum perpetuam emphyteusim, vel etiam permutationem prædiorum inuicem facere non possint.* Et paulò post: *Id etiam est singulare in eis, vt post contractam emphyteusim cum fisco, vel Imperatore, vel republica, vel curia, vel cum alio venerabili loco, possint pœnitere intra biennium.*



DVBITATIO CXIX.

An confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis, cadat sub confiscationem feudum?

SVMMARIVM.

1 *Feudum cùm naturam emphyteusis imitetur, & ei sit simillimum, Doctores eodem modo loquuntur de feudo, ac de emphyteusi.*

2 *Feudum duplex est: Vnum, in quo feudatarius astringitur soluere Domino directo certam aliquam pensionem pecuniæ, vini, vel frumenti, &c. Et hoc non est propriè feudum, sed emphyteusis; ac proinde de tali feudo idem ac de emphyteusi dici debet.*

3 *Feudum alterum est, pro quo feudatarius astringitur præstare seruitium personale, & hoc est propriè feudum: At si simul cum hoc seruitio personali soluenda sit aliqua pensio pecuniæ, vini, vel frumenti, &c. feudum, & emphyteusis simul dicetur.*

4 *Feudum debet primò constitui super re immobili, vel æquiualenti, cum obligatione Dominum recognoscendi, & fidelitatem illi præstandi: Quapropter feudatarij facere solent iuramentum de hac fidelitate seruanda.*

5 *Feudum secundò transit ad hæredes masculos in infinitum, non autem transit ad fœminas, quæ non succedunt; quia sunt inhabiles ad bella, & seruitia militaria, & ad secreta retinenda, & ad consilia danda.*

6 *Feudum tertiò non potest alienari, sine consensu Domini, & agnatorum.*

7 *Feudum si aliquando constituatur sine recensitis conditionibus, vel sine earum aliqua, non propriè feudum censetur, sed impropriè.*

8 *Feudum si proprium sit, & non transeat ad hæredes extraneos, non cadit sub confiscationem; quia fiscus est loco hæredis extranei, & cùm feudum huiusmodi non possit alienari contractu, non poterit alienari delicto.*

9 *Feudum quocumque modo fuerit concessum, applicatur Domino, si confiscatio bonorum fiat ob delictum commissum aduersus Dominum feudi; quia sub hac conditione à principio concessum videtur, vt in casu ingratitudinis contra Dominum, ad Dominum reuertatur.*

10 *Excipe, nisi ex inuestitura constet, noluisse concedentem, vt delictum vnius noceat alteri, vt si in inuestitura dicatur: Concedo de vno in alium, vel omnibus principaliter, vel insolidum, vel concedo attentis meritis singulorum, vel concedo generi suo.*

11 *Feudum si alicui concessum sit in feudum hæreditarium, vt ex eo, tanquam ex radice transeat ad hæredes, deuoluitur Domino, si confiscatio bonorum fiat, non ob delictum aduersus Dominum, sed ob aliud; secus si alicui, & suis cognatis æquè concessum sit; quia tunc deuoluitur cognatis.*

12 *Feudi vsusfructus, & commoditates in hoc casu, durante vita delinquentis pertinent ad fiscum secundum aliquos Doctores, quia feudatarius durante vita sua, potest commoditates, & vsusfructus feudi alienare contractu.*

13 *Oppositum tenent alij, quatenus aiunt, vsusfructus, & commoditates prædictas pertinere ad eum, ad quem pertinet feudum; quia fructus feudi comitantur feudum.*

14 *Feudum si vltra tacitam alienationis prohibitionem inductam à lege habet aliam expressam inductam ab institutore, tunc fructus feudi non ad fiscum, sed ad successorem pertinebunt; si autem solùm tacitam alienationis prohibitionem habet, probabile est, quod durante vita delinquentis ad fiscum pertineant; quia solùm tacita alienationis prohibitio non videtur impedire translationem feudi, durante feudatarij vita, sed solùm impedire translationem post vitam, aut in perpetuum.*

15 *Translatio hæc specialem habet difficultatem in feudo, quam non habet in emphyteusi, eo quod feudatarius ex natura feudi debet iurare Domino fidelitatem, & potius astringitur ad seruitium personale, quàm ad reale.*

16 *Feudum si possit transire ad hæredes extraneos, eò quod datum sit alicui, & suis hæredibus, vel ei, & quibus is dare voluerit, facta bonorum confiscatione transit ad fiscum; quia quæ transire possunt ad hæredes extraneos, transeunt ad fiscum.*

17 *Intellige id quando feudatarius potest de feudo disponere liberè; at secus si de illo non potest disponere sine Domini licentia.*



SVPPONO, quod cùm feudum naturam emphyteusis imitetur, & emphyteusi sit simillimum, Doctores eodem modo loqui consueuerint de feudo, ac de emphyteusi. Vt 1
tamen distinctius procedam, distinguo duplex feudum. 2
Vnum, in quo feudatarius astringitur soluere Domino directo certam aliquam pensionem pecuniæ, vini vel frumenti, &c. Et hoc non est propriè feudum, sed emphyteusis; ac proindè de tali feudo idem, ac de emphyteusi dici debet. Alterum est feudum, pro quo feudata- 3
rius

rius astringitur præstare seruitium personale, & hoc est propriè feudum. At si simul cum hoc seruitio personali soluenda sit aliqua pensio pecuniæ, vini vel frumenti, &c. feudum, & emphyteusis simul dicetur. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Matien. *lib. 5. Compilat. tit. 10. lib. 6. gloss. 2. num. 13. & seqq.* Vbi explicans naturam, & proprietates feudorum, subdit.

4 Primò, feudum debere constitui super re immobili, vel æquiualenti cum obligatione Dominum recognoscendi, & fidelitatem illi præstandi. Quapropter feudatarij facere solent iuramentum de hac fidelitate seruanda, iuxta *cap. 1.* de noua forma fidelitatis.

5 Secundò, feudum transire ad hæredes masculos in infinitum, iuxta *cap. 1. §. hoc autem, qui feudum dare possunt*, non autem transire ad fœminas, quæ non succedunt; quia sunt inhabiles ad bella, & seruitia militaria, & ad secreta retinenda, & ad consilia danda.

6 Tertiò, feudum non posse alienari sine consensu Domini, & agnatorum.

7 Quod, si quando feudum ex conuentione sine prædictarum aliqua conditionum constituatur, non feudum proprium, sed improprium dicetur. His suppositis.

8 Respondetur: si feudum sit proprium, & non transeat ad hæredes extraneos, non cadit sub confiscationem: Simanch. *de cathol. Institut. tit. 9. num. 120.* Clarus *in §. feudum, quæst. 84.* Pegna *in direct. 3. part. quæst. 112. comment. 161.* & Farinac. *quæst. 25. num. 71.*

Probatur; quia fiscus est loco hæredis extranei, & cùm feudum huiusmodi non possit alienari contractu, non poterit alienari delicto, vt suprà pluries dictum est in dubitationibus præcedentibus.

9 Petes: An cùm vniuersa bona feudatarij confiscantur, dictum feudum applicetur Domino, vel agnatis?

Respondetur: Si confiscatio bonorum fiat ob delictum commissum aduersus Dominum feudi, dictum feudum, quocumque modo fuerit concessum, applicatur Domino. Roland. *cons. 15. n. 1. & seqq. vol. 4.* Boss. *in tit. de bonorum publicatione n. 53.* & alij, quos citat, & sequitur Farin. *quæst. 25. n. 78.*

Probatur; quia sub hac conditione à principio concessum videtur, vt in casu ingratitudinis contra Dominum, ad Dominum reuertatur.

10 Excipe, nisi ex inuestitura constet, noluisse concedentem, vt delictum vnius noceat alteri (vt si in inuestitura dicatur: Concedo de vno in alium, vel omnibus principaliter, seu insolidum: vel concedo, attentis meritis singulorum, vel concedo generi tuo) quia tunc, cùm omnes per se, & æquè principaliter considerentur, & tanquam successores instituentis, non tanquam successores primi inuestiti, delictum vnius non nocet alteri. Doctores *in loc. suprà cit.*

11 At si confiscatio bonorum fiat, non ob delictum aduersus Dominum, sed ob aliud, distinguo: Si feudum tibi concessum sit in feodum hæreditarium, vt ex te, tanquam ex radice, transeat ad hæredes, deuoluitur Domino; secus si tibi, & tuis cognatis æquè concessum sit; quia tunc deuoluitur non Domino, sed cognatis, quia cognati non ex iure à te accepto, sed ex iure accepto à primo instituente, & concedente feudum, succedunt. Doctores, quos refert & sequitur Farinac. *cit. quæst. 15. n. 87. & seqq.*

12 Petes secundò: An in hoc casu saltem vsusfructus & commoditates durante vita delinquentis, pertineant ad fiscum?

Affirmant Doctores, quos citat, & sequitur Gigas *de crimin. læs. maiest. lib. 2. tit. de pœn. committent. crim. læs. maiest. q. 5. n. 3. & seqq.* & Menoch. *de recuper. possess. remed. 9. num. 260.* Quia feudatarius, durante vita sua, potest commoditates, & vsusfructus feudi alienare contractu, vt communiter tradunt Doctores *in l. si domus, §. fin. ff. de legat. 1.* & Roland. *cons. 80. n. 13. lib. 1.* Ruinus *cons. 176. n. 13. lib. 1.* & Clarus *§. feudum, quæst. 31. vers. successiuè*: Ergo & poterit alienare delicto.

13 Negant verò Doctores, quos citat, & sequitur Boss. *in tit. de bonor. publicat.* Pegna *3. part. Director. q. 112. comment. 161. vers. mihi quandoque*, & Farinac. *q. 25. num. 68.* quatenus aiunt, vsusfructus, & commoditates prædictas pertinere ad eum, ad quem pertinet feudum. Quia fructus feudi comitantur feudum: Ergo si feudum pertinet ad alium, confiscatis bonis delinquentis, & fructus pertinebunt ad eumdem. His tamen non obstantibus.

14 Respondetur probabilius, distinguendo: Si feudum vltra tacitam alienationis prohibitionem inductam à lege, habet aliam expressam inductam ab institutore (qualis esset, si diceret institutor, se velle, vt ea bona nullatenus exeant ex sua familia, vel vt in illa semper permaneant) tunc fructus feudi non ad fiscum, sed ad successorem pertinebunt, iuxta ea, quæ dicebam *Dubit. 118. de censu, & emphyteusi.* Si autem solùm tacitam alienationis prohibitionem habet, probabile est, quod durante vita delinquentis, ad fiscum pertineant; quia solùm tacita alienationis prohibitio non videtur impedire translationem feudi, durante feudatarij vita, sed solùm impedire translationem post vitam, aut in perpetuum.

15 Dixi, *probabile est*; quia hæc translatio specialem habet difficultatem in feudo, quam non habet in emphyteusi, eo quod feudatarius ex natura feudi debet iurare Domino fidelitatem, & potius astringitur ad seruitium personale, quàm ad reale: Quæ onera non videntur posse transferri in fiscum, ac proinde nec feudum.

16 Petes tertiò: Quid dicendum, si feudum possit transire ad hæredes extraneos, eo quod datum sit tibi, & tuis hæredibus; vel tibi, & quibus tu dare volueris; an in tali casu, facta bonorum confiscatione transeat ad fiscum?

Respondetur cum Rolando *cons. 29. num. 17. vol. 3.* Menoch. *de recuper. possess. remed. 9. n. 251.* Boss. *in tit. de publicat bonor. n. 10.* & Farinac *part. 1 pract. quæst. 25. n. 71.* affirmatiuè; quia ex dictis suprà in dubitationibus præcedentibus, quæ transire possunt ad hæredes extraneos, transeunt ad fiscum.

17 Quod tamen intellige, quando feudatarius potest de feudo disponere liberè. At secus, si de illo non potest disponere sine Domini licentia; quia ratione huius prohibitionis, sicut non potest feudum alienare contrahendo, ita neque potest alienare delinquendo, sed facta confiscatione bonorum, feudum reuertitur ad Dominum, & dominium vtile solidatur cum directo. Boss. *loc. suprà cit. n. 54.* Farinac. *n. 72.* & Clar. *§. feudum, quæst. 84. vers. secundum autem.*



DVBITATIO CXX.

An confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis, cadant sub confiscationem prædia, iura, alimenta, &c.

SVMMARIVM.

1 *Prædia, iura, alimenta, confiscatis bonis hæretici, vel alterius similis delinquentis cadunt sub confiscationem, quod probatur multis iuribus, quæ ibi passim citantur n. 2. & 3.*

4 *Bona prædicta confiscantur etiamsi post mortem hæretici memoria damnetur, ex cap. accusatus, §. in eo verò, de hæretic. in 6.*

5 *Amplia,*

5 *Amplia, id esse verum, licèt ante mortem non fuerit accusatus, licèt contrarium voluerit Ostiensis.*

6 *Fiscus vniuersim quoties bona sunt confiscata ipso iure ob delictum, agere potest aduersùs hæredes delinquentis, vt sibi bona illius tradantur; quia fiscus ob delictum acquirit actionem, ius, & hypothecam ad illa bona.*

7 *Fisco non datur actio aduersùs hæredes, quando delicto non est imposita pœna confiscationis ipso iure, & priusquam moriatur delinquens, non est lis contestata: quia fiscus non habet bona delinquentis obligata, priusquam illum condemnet.*

8 *Hæretici bona cum confiscantur, confiscantur etiam prædia, quæ soluunt censum Ecclesiæ: Tenetur tamen fiscus soluere Ecclesiæ censum huiusmodi bonis adhærentem.*

9 *Idem dic de rebus censui obligatis: quia deueniunt ad fiscum cum onere suo, pensionem scilicet soluendi.*

10 *Hæretici bona cum confiscantur, confiscantur etiam illius bona mobilia, & immobilia, iura, actiones illi competentes, & iura sepulchrorum: quia in iuribus citatis confiscantur absolutè bona hæreticorum, ac proinde ecusentur confiscari iura, & actiones.*

11 *Item cum confiscantur bona, confiscantur omnia iura, & actiones, quæ transeunt in hæredem extraneum, licèt quando confiscantur bona mobilia, & immobilia, non excludantur, & confiscentur iura, & actiones.*

12 *Quod est verum etiam quando confiscantur bona mobilia, immobilia, & se mouentia; quia publicatio bonorum est stricti iuris & strictè interpretanda.*

13 *Item non confiscantur iura personalia, quia cum sint personalia, non egrediuntur personam, & consequenter non transeunt ad hæredes.*

14 *Hinc neque confiscatur ius eligendi collatum in personam, cùm sit etiam personale.*

15 *Item neque confiscatur contractus societatis, qui morte vnius ex sociis dissoluitur: quia confiscatione bonorum dissoluitur societas.*

16 *Personalia, quæ merè sunt, sicut non transeunt in eos, qui verè sunt hæredes, multò minùs transeunt in fiscum, qui propriè non est hæres.*

17 *Neque confiscatur relictum, vel obligatio de dandis alimentis, quia non egreditur personam alimentarij.*

18 *Neque confiscantur alimenta; quia & hæc, vtpotè personalia non egrediuntur personam, atque adeò non transeunt ad hæredes, & multò minus ad fiscum.*

19 *Item non confiscatur vsusfructus, qui cùm non possit transire ad alios, neque poterit transire ad fiscum, licèt in aliquo sensu probabilius sit illum confiscari posse.*

20 *Hæretici bona confiscantur, quamuis doleat de peccato hæresis, quod commisit, probatur ex cap. vergentis, de hæreticis.*

21 *Hæretico pœnitenti in multis locis est consuetudo, vt bona confiscata ex misericordia condonentur.*

22 *Hæretico relapso, postquam traditus fuit Curiæ seculari, bonorum confiscatio non remittitur.*

23 *Hæreticus si in carcerem coniectus, antequam ipsi Testium dicta publicentur, hæresim fateatur, non solùm liberatur à pœna perpetui carceris: sed etiam à confiscatione bonorum.*

24 *Hæreticus pœnitens quando recuperat bona confiscata, recuperat etiam Iuspatronatus, si restitutio fiat auctoritate Pontificis.*

25 *Hæreticus pœnitens non recuperat iuspatronatus, si post sententiam latam auctoritate Pontificis fiat restitutio: nisi fiat expressa mentio de restitutione talis iuris.*

26 *Hæreticus pœnitens, si ei auctoritate Principis sæcularis restituantur bona, non recuperat iuspatronatus; quia Ecclesia per confiscationem iam acquisiuit suam libertatem, quam Princeps sæcularis non potest auferre.*

27 *Iuspatronatus hæretici compatroni si per confiscationem accreuerit aliis compatronis, non ideò Princeps sæcularis potest remittere pœnam in præiudicium aliorum compatronorum, quibus ius accreuit: quia hoc facere spectat solùm ad iudicium Ecclesiasticum.*

28 *Princeps non præsumitur in dubio velle facere ea, quæ sunt iudicis Ecclesiastici.*

29 *Hæreticus pœnitens non potest recuperare beneficia, nisi ipsi restituantur auctoritate Apostolica, ob Bullam Pij V. incipientem*, Cùm ex Apostolatus.

RESPONDETVR, & dico primo: Cadunt sub confiscationem prædia, & omnia similia bona. Bartol. *in l. post contractum, ff. de donat. num.* 12. Angel. *in in l. si debitor, ff. quæ in fraudem creditorum*, Abb. *in cap. dilecti, de arbitr. n.* 12. Sord. *tract. de aliment. tit. 8. priuileg.* 35. *& decis.* 247. *n.* 1. *& seqq.* Bursat. *cons.* 7. *n.* 30. Menoch. *cons.* 185. *n.* 8. Peregr. *de iur. fisc. lib.* 5. *tit. primo, n.* 166. Farin. *de hæres. q.* 198. *n.* 3. Sotus *de Iust. & iur. lib.* 1. *q.* 6. *art.* 6. Vasq. *de success. lib.* 1. §. 4. *num.* 166. Aragon. 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. Lessius *de Iust. & iur. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 8. & Rota *in Bononiensi alimentorum* 1594. coram Penia. 1

Probatur ex iis, quæ diecebam suprà *dubit.* 106.

Secundò, *ex l. Manichaos*, §. 1. *Cod. de hæretic.* ibi: *Quorum bonorum etiam omnium publicatione prosequimur*: Et ex Authentica *Gazaros, in principio, Cod. eodem*, ibi: *Consitutes, vt omnia bona talium confiscentur, nec ad eos vlteriùs reuertantur.* 2

Item probatur, *ex cap. vergentis*, §. 1. *de hæretic.* ibi: *In terris verò temporali nostra iurisdictioni subiectis bona hæreticorum statuimus publicari, & in aliis idem præcipimus fieri per potestates, & Principes sæculares*: & notant ibi communiter Canonistæ. Et *ex cap. excommunicamus* 1. *de hæretic.* §. *damnati*, ibi: *Ita quod bona huiusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur; si verò clerici, applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt*: Et *ex cap. super quibusdam, de verb. signification.* ibi: *Quorum bona propria confiscantur*: Et *ex cap. Cùm secundùm leges, de hæretic. in* 6. vbi hæc boootum confiscatio imponitur ipso iure. 3

Dico secundò. Confiscantur prædicta bona, etiamsi post mortem hæretici memoria damnetur. 4

Probatur *ex cap. accusatus*, §. *in eo verè, de hæretic. in* 6. ibi: *Ad confiscationem bonorum post mortem eiusdem nihilominùs procedatur*: Et notant ibi Glossa *in* §. *porrò*, Ostiens. *in cap. vergentis, in principio*, & ibi Io. Andr. *n.* 1. Bursat. *lib.* 1. *cons.* 43. *n.* 2. & Afflictus *in constitut. Regn. de hæret. Rubr.* 3. *de apostatantibus*, *n.* 3.

Quod est verum, quamuis ante mortem non fuerit accusatus. Roland. *lib.* 3. *cons.* 8. *n.* 41. *&* 58. & alij, licèt contrarium voluerit Ostiensis *in summ. rubr. de hæretic.* §. *qua pœna puniatur*, *num.* 8.

Et vniuersim, quoties bona ob delictum sunt ipso iure confiscata, fiscus agere potest aduersus hæredes delinquentis, vt sibi bona illius tradantur: quia fiscus ob delictum acquirit actionem, ius, & hypothecam ad illa bona, ita vt fiot ipsi fisco realiter obligata: Ergo, cùm transeunt ad hæredes cum tali onere, potest fiscus agere aduersùs hæredes delinquentis.

At, quando delicto non est imposita pœna confiscationis ipso iure, & priusqoam moriatur delinqoens, lis non est contestata, tunc non datur actio fisco aduersùs hæredes, vt pœnam pro delicto testatoris

R 1 soluant,

soluant, *leg. ex iudiciorum, ff. de accusat. & leg. vnica, Cod. ex delict. defunct. in quant. hæred, teneri.* Quia fiscus oon habet bona delinquentis obligata, priusquam illum condemnet: Et cùm crimen sit personale, sicque solùm sequatur personam deliquentis, non potest fiscus agere aduersus hæredes illius, Ancharan. *in cap. cum secundùm leges, de hæretic. in 6. in princ.* Vasq. 1.2. *disp.* 170. *cap.* 4. *num.* 22. & Gomez *tom.* 3. *variar. cap. vltima num.* 2.

8 Dico tertiò. Cùm hæretici bona confiscantur, confiscantur etiam prædia, quæ soluunt censum Ecclesiæ. Tenetur tameo fiscus soluere Ecclesiæ censum huius-
9 modi bonis adhærentem. Idemque dico de rebus censui obligatis, quia deueniuot ad fiscum cum onere suo, pensionem scilicet soluendi. Simanch. *de cathol. Institut. tit.* 9. *num.* 20. Aaotius *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *quæst.* 12. & alij passim. Et patet ex iis, quæ dicebam *dub.* 117.

10 Item, cum hæretici bona confiscantur, confiscantur etiam illius bona mobilia, & immobilia, iura, actiones illi competentes, & iura sepulchrorum. Zabarellus *consil.* 83. Imola *consil.* 35. Decius *consil.* 441. *vol.* 1. Azeuedus *in recopilat. lib.* 8. *tit.* 3. Simancha *citat. tit.* 9. *num.* 7. Azorius *cit. tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 8. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 14. & Ricciullus *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 17. Quia *in cap. cum secundum leges, de hæretic. in* 6. & in aliis iuribus suprà citatis, confiscantur absolutè bona hæreticorum. Cùm autem confiscantur absolutè bona, censeotur etiam confiscari iura, & actiones, *leg. si ademptis, Cod. de sent. pass.* Ità vt sub nomine bonorum coiuprehendantur etiam iura, & actiooes, *leg. bonorum, ff. de verb. significat. leg. princeps, & leg. nam quod, §. final. ff. ad Trebellian.* & probant Bartol. *in leg. Quintus, §. argentum, ff. de aur. & argent. legat.* Alexander *cons.* 59. *num.* 4. Imola *cons.* 35. Card. *cons.* 83. Decius *consil.* 442. *num.* 2. Peregrinus *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 50. & Barbosa *in leg. si constante, §. fin. ff. solut. matrim. num.* 2. Et meritò, quia omnia prædicta sunt reuerà bona.

11 Et quod, cum confiscantur bona, confiscentur omnia iura, & actiones, quæ traosennt in hæredem extraneum, docent etiam Glossa *in leg.* 1. *Cod. de bonis quæ liber.* Bartol. *in leg. iura, ff. de iurepatronat.* Decius *in leg. ea sola, ff. de regul. iur.* Alexander *cons.* 23. *num.* 19. *lib.* 1. Natta *consil.* 528. *num.* 23. Rolandus *consil.* 98. *num.* 16. *lib.* 2. & Soccinus Iunior *consil.* 49. *num.* 12. *lib.* 3.

Quamuis, quandò confiscantur bona mobilia & immobilia, non includantur, & confiscentur iura, & actiones; cùm hæc quandam tertiam speciem constituant, *leg. à Diuo Pio, §. in venditione, ff. de re iudic. & leg. quam Tuberonis, §. in peculio, ff. de peculio,* & docent Alexand. *in leg. si constante, §. final. ff. solut. matrim. n.* 9. *& cons.* 224. *lib.* 6. Soccio. Iuo. *lib.* 2. *cons.* 51. & Ricciul. *lib.* 5. *de iurepatr. cap.* 31. *num.* 14.

12 Quod est verum, etiam quando confiscantur bona mobilia, immobilia, & se mouentia. Peregrin. *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 49. Pinellus *in rubr. Cod. de bonis mater. part.* 1. *num.* 25. Alexaod. *cons.* 226. *lib.* 6. & Natt. *cons.* 146. *num.* 14. Quia publicatio bonorum est stricti iuris, & strictè interpretaoda. Peregrio. vbi suprà *n.* 47. Bald. *in leg.* 1. *Cod. de hæred. Instit.* Burrius *cons.* 49. & Dec. *cons.* 445. *num.* 67.

13 Dico quartò. Non tamen confiscantur iura personalia, quia cum sint personalia, non egrediuntur personam. Peregrin. *num.* 91. Cephal. *cons.* 321. *num.* 35. *lib.* 3. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 14. *num.* 6. & consequenter, cùm non egrediatur personam, sed adhæreant personæ, non transeunt ad hæredes, *leg. pluribus, ff. de suis, & legit. §. plenè, de iur. natur. leg. his solis, & leg. final. Cod. de reuoc. donat. & cap. si gratiosè, de rescript.* atque adeò minus transeunt ad fiscum, quia quæ non transeunt ad hæredes, minùs transeunt ad fiscum, vti pluries dicebam in præcedentibus dubitatiooibus, & tradunt communiter Doctores *in leg. cum qui, in princip. ff. de interdict. & relegat. & in leg. iura, ff. de iurepatronat.* Decius in *leg. ea sola, ff. de regul. iur.* Alexand. *cons.* 23. *num.* 9. Roland. *cons.* 98. *n.* 16. *lib.* 2. Soccin. Sen. *cons.* 121. *num.* 17. *lib.* 4. Soccin. Iun. *cons.* 51. *num.* 3. *lib.* 2. & Natta *cons.* 528. *num.* 23.

Hinc neque coofiscatur ius eligendi collatum io personam alterius, cum sit etiam personale, *leg. ex facto, §. si quis rogatus, ff. ad Trebellian. & leg. cum pater, §. hæreditatem, ff. de legat.* 2. 14

Item neque confiscatur contractus societatis, qui morte vnius ex sociis dissoluitur, *leg. actione, §. morte, ff. pro socio.* Quia confiscatione bonorum dissoluitur societas, *leg. actione, §. publicatione, ff. pro socio, & §. publicatione, Institut. eod. tit.* 15

Et ratio horum omnium est, quia sicuti dicebam, quæ vtpotè personalia non transeunt in eos, qui verè sunt hæredes, multò minùs transeunt io fiscum, qui propriè non est hæres. 16

Dico quinto. Neque confiscatur relictum, vel obligatio de dandis alimentis, quia relictum, vel obligatio de dandis alimentis ooo egreditur personam alimentarij; *leg. cùm hi, ff. de transact.* 17

Hinc, oeque confiscantur alimenta, quia & hæc vtpotè personalia, oon egrediuntur personam, atque adeò non transeunt ad hæredes, & multò minùs ad fiscum, Bald. *in leg. corruptionem, circà finem, Cod. de vsufruct.* Albericus *in* 3. *part. statut. quæst.* 11. Syluest. *in leg. si ademptis, Cod. de sent. pass.* Rota *decis.* 107. *n.* 5. Simanch. *de catholic. instit. tit.* 9. *num.* 63. Surd. *de aliment. tit.* 8. *priuileg.* 59. *num.* 14. Bossius *in pract. tit. de bonor. publicat. num.* 72. Farinac. *in pract. tom.* 1. *part.* 1. *tit. de delict. q.* 25. *n.* 145. Clar. *lib.* 5. *recept. quæst.* 78. *n.* 23. Peregr. *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 123. Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 32. *num.* 63. *ex leg. is cui, ff. de aliment. legat.* 18

Item oon confiscatur vsusfructus, qui cùm non possit transire ad alios, *leg. si vsusfructus, ff. de iur. dot. & §. finitur, eod. tit. de vsufructu.* Neque poterit transire ad fiscum, Baldus *in leg. corruptionem, Cod. de vsufruct.* Alexand. *in leg. si finit. §. de vectigalibus, ff. de damn. infect. num.* 51. *& cons.* 116. *lib.* 2. & Gabr. *cons.* 123. *n.* 10. *lib.* 1. 19

Quamuis in sententia aliorum probabilius sit, illum (quatenus scilicet est ius ad percipiendos annuos fructus) confiscari posse, sicuti dicetur infrà *dubit.* 122. *sect.* 1.

Dico sextò: Hæretici bona confiscantur, quamuis doleat de peccato hæresis, quod commisit: Geminian. *in cap. cum secundùm leges, de hæretic. in* 6. *num.* 4. *&* 5. Franc. *ibid. n.* 2. Simanch. *de cathol. Institut. tit.* 42. *n.* 17. Royas *de hæretic. part.* 1. *n.* 118. Felin. *cons.* 10. Brun. *de hæret. lib.* 5. *cap.* 6. *circà fin.* & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 14. *num.* 12. 20

Probatur *ex cap. vergentis, de hæretic.* ibi: *Nec ad eos bona eorum vlteriùs reuertantur, nisi eis ad cor reuertentibus, & abnegantibus hæreticorum consortium misereri aliquis voluerit.* Ex quibus verbis satis colligitur, per solam pœnitentiam hæretico pœnitenti non remitti pœnam confiscationis, posse tamen illi bona confiscata condonari ex misericordia, & benignitate, sicuti notant ibi Gloss. *verb. misereri,* Ancharan. *n.* 3. Abbas *n.* 2. & Felin. *n.* 2.

Et quidem, quod in multis locis sit consuetudo, vt hæretico pœnitenti bona confiscata condonentur, testatur Clarus *in §. hæresis, n.* 7. Bursatt. *cons.* 14. *n.* 33. *lib.* 1. & Farin. *de hæres. quæst.* 190. *n.* 144. 21

Hæretico autem relapso, postquam traditus fuit Curiæ sæculari, bonorum confiscatio non remittitur. Ostiens. *in cap. ad abolendam, de hæretic. n.* 9. & Decian. *in tract. criminal. lib.* 5. *cap.* 54. *n.* 2. 22

Cæterum, si hæreticus io carcerem coniectus, antequam ipsi testium dicta publicentur, hæresim fateatur, præterquam quod liberatur à pœna perpetui carceris. Ostiens. *in summ. titul. de hæretic. §. qualiter deprahensus,* Pegna *in director. part.* 3. *comment.* 142. *vers.* 3. 23

verf.3. & Simanch. *de cathol. Instit. tit.47. num.31.* Liberatur etiam à confiscatione bonorum. Farinac. *de heref. quaest.* 194 §.9.*n.*149. & Locatus *in indic. Inquisi. verb. gratia, num.3.*

24 Dico septimò. Quandò hæreticus pœnitens recuperat bona confiscata, recuperat etiam iuspatronatus, si restitutio fiat auctoritate Pontificis, Gloss. *in cap. maximum.* 1.*quaest.*7 Buti. *in cap. quia diligentia, de elect. n.*16. & Roland. *cons.*63. *num.*25. *lib.*3.

Probatur, quia licet hæreticus amittat iuspatronatus statim ac in hæresim incidit, iuxta textum *in cap. cum secundum leges, de haeretic. in 6.* Tamen cùm non priuetur possessione huius iuris ante sententiam iudicis, eo ipso quod dolet de crimine hæresis, & bona recuperat, recuperat etiam iuspatronatus.

25 Quod, si post sententiam latam authoritate Pontificis fiat restitutio, hæreticus pœnitens non recuperat iuspatronatus, nisi fiat expressa mentio de restitutione talis iuris. Lambert. *de iurepatr. lib.* 3. *quaest.* 8. *art.* 2. *num.*6. Quia, cum per talem sententiam Ecclesia liberetur ab onere, & ius Ecclesiæ sit quæsitum, in dubio non præsumitur Pontifex velle iterum Ecclesiam in seruiturem redigere, & ius quæsitum Ecclesiæ auferre.

26 At quidquid sit de hoc, illud certum est, quod quando authoritate Principis sæcularis hæretico pœnitenti restituuntur bona, talis hæreticus non recuperat iuspatronatus, quia cùm per confiscationem Ecclesia libertatem acquisierit, non potest Princeps sæcularis iterum Ecclesiam in seruitutem redigere. Gloss. *in cap. piamentis* 16. *quaest.*7. & colligitur *ex leg. seruientes, in fine, ff. de seruitut.*

27 Simili ratione, si plures sint, qui habent illud iuspatronatus, & aliis patronis per confiscationem hæretici compatroni accreuerit tale ius, neque tunc Princeps sæcularis poterit remittere pœnam in præiudicium aliorum compatronorum, quibus ius accreuit, quia cùm iuspatronatus sit ius spirituale, concedere, vel remittere iuspatronatus non pertinet ad ipsum, sed hoc est penes iudicem Ecclesiasticum, iuxta textum *in cap. illud, & in cap.*
28 *consuluit, de iurepatr.* Et in dubio non præsumitur id velle Principem facere, iuxta textum *in cap. nostrum, de concess. prabend. in cap. si postquam, de prabend. in 6. & in cap. super eo, de officio delegat.*

29 Simili ratione etiam non potest hæreticus recuperare beneficia, nisi ipsi restituantur auctoritate Apostolica, quia per Bullam Pij V. quæ incipit: *Cum ex Apostolatus*, omnia beneficia, canonicatus, & dignitates vacantia propter crimen hæresis reseruantur dispositioni Sedis Apostolicæ: Ergò non poterit hæreticus illa recuperare, nisi auctoritate eiusdem Sedis Apostolicæ.

DVBITATIO CXXI.

An confiscatis bonis filij (qui non sit sub patria potestate, sed emancipatus) ob crimen ipsius filij, cadant sub confiscationem bona omnia eiusdem filij?

SVMMARIVM.

1 *Confiscata si fiat bona filij emancipati ob crimen ipsius, cadunt sub confiscationem bona omnia ipsius filij.*

2 *Filius, qui non est sub patria potestate, sed emancipatus, est sui iuris.*

3 *Filius egreditur à patria potestate, primò si pater naturaliter moriatur, neque supersit alius ascendens per lineam masculinam, in cuius potestate filius reincidat.*

4 *Filius de iure Castella, & Lusitania solùm existit in potestate patris, ac proinde mortuo patre, filius efficitur sui iuris.*

5 *Filius egreditur à patria potestate secundò; si morte ciuili condemnetur, scilicet in insulam deportetur cum amissione omnium bonorum.*

6 *Filius egreditur a patria potestate tertiò, si pater haresim committat, etsi ipsemet filius hoc crimen committat.*

7 *Filius egreditur à patria potestate quartò, si scienter pater contrahat incastas nuptias, easque copula carnali consummet, quia tunc filij priorum nuptiarum à patria potestate eximuntur.*

8 *Filius item egreditur à patria potestate quintò, si eligatur in Episcopum, licet non sit consecratus, dummodò sit electus à Pontifice.*

9 *Idem dicendum, si eligatur in Cardinalem.*

10 *Filius egreditur à patria potestate sextò, si pater, vel filius religionem profiteatur.*

11 *Item si eligatur in patritium, nempe in Regis consiliarium.*

12 *Filius non egreditur à patria potestate per alias dignitates, vt Prætoris, Præfecti, & similium, nisi subierit illarum administrationem.*

13 *Filius egreditur à patria potestate octauò, si emancipetur à patre, nempe si coram iudice ordinario de communi consensu patris, & filij, filius à potestate patris eximatur.*

14 *Filius de iure Castella, & Lusitania hoc ipso egreditur à patria potestate, quo matrimonium contrahit, inuitis, & insciis parentibus.*

15 *Filius non egreditur à patria potestate ratione ætatis, etiam si sit senex; cùm nullo iure id cautum reperiatur.*

16 *Filius non egreditur à patria potestate ratione ordinis, etiam Sacerdotalis.*



ESPONDETVR affirmatiuè: Est communis sententia Doctorum. Et probatur, 1 quia filius, qui non est sub patria potestate, sed egressus ab illa, seu emancipatus, 2 est sui iuris: Ergò omnia ipsius bona confiscantur, ac si patrem superstitem non haberet.

Egreditur autem filius à patria potestate primò, si pater naturaliter moriatur, neque supersit alius ascendens per lineam masculinam, in cuius potestatem filius reincidat, §. *hi verò qui, Institut. quibus ius patr. potest. solu.* 3

Dixi, *neque supersit alius ascendens*, quia de iure Castellæ, & Lusitaniæ filius solùm existit in potestate patris, ac proinde mortuo patre, filius efficitur sui iuris. 4

Secundò, si pater, vel ipse filius morte ciuili condemnetur, scilicet in insulam deportetur cum amissione omnium bonorum, §. *cum autem, Instit. eod. tit.* 5

Tertiò si pater hæresim committat, *cap.2.§. vltimo, de haeret. in 6.* Idemque dicas, si ipse filius hoc crimen committat, *argum. text. in §. cum autem is, Institut. quib. mod. ius patr. potest solu.* 6

Quartò, si scienter pater contrahat incæstas nuptias, quia tunc filij priorum nuptiarum à patria potestate eximuntur, *Auth. incastus, Cod. de incestis nuptiis, §.1.* debent tamen hæ incestæ nuptiæ copula carnali consummari, vt pœna hæc incurratur, Doctores, quos sequitur Couarruu. *in Epit. decret.* 1. *part. cap.6.§.8. num.*10. 7

Quintò, si filius eligatur in Episcopum, *Auth. sed Episcopalis dignitas, Cod. de Episcop. & Cleric. & cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi.* Neque requiritur, quod consecratus sit, sed sufficit, si sit 8

electus à Pontifice, sicuti constat ex prædictis iuribus.
9 Idem dicendum, si eligatur in Cardinalem. Couarruu. *in cap. quia nos, num. 5. de testament.*
10 Sextò, si pater, vel filius religionem profiteatur, Gloss. *in leg. si ex causa, §. Papinianus, ff. de minorib.* quam sequuntur communiter Doctores apud Couarr. *cap. 2. de testament. num.* 8.
11 Septimò, si eligatur in Patritium, nempe in Regis consiliarium, Authen. *constituit, in princip. & cit. Authen.*
12 *sed Episcopalis dignitas, Cod. de Episcop. & Cleric.* Per alias autem dignitates, vt Prætoris, Præfecti, & similium, quæ numerantur *in leg. vltim. Cod. de Decurionib. lib.* 10. à patria potestate filius non egreditur, donec illarum administrationem subierit.
13 Octauò, si filius emancipetur à patre, nempe, si coram iudice ordinario de communi consensu patris, & filij, filius à potestate patris eximatur, *§ præterea, Instit. quib. modis ius patr. potest. solu. & leg. vlt. Cod. de emancipat. liberor.*
14 Aduerte tamen, quod de iure Castellæ, & Lusitaniæ filius egreditur à patria potestate hoc ipso, quod matrimonium contrahit, etiam inuitis, & insciis parentibus, *leg. Tauri* 47. & 48. *& ordinat. leg.* 1. *tit.* 67. §. 4.
15 Aduerte secundò, quod è contra filius non egreditur à patria potestate ratione ætatis, etiamsi sit senex, cùm nullo iure id cautum reperiatur: Gloss. *in leg. final. §. pupillus, ff. de verb. obligat.* quam sequuntur cæteri Doctores.
16 Aduerte tertiò, quod neque egreditur à patria potestate ratione ordinis, etiam Sacerdotalis, *cap. constitutus, de in integr. restitut.* & ibi Abb. *cap. si annum, de iudiciis in* 6. *& Authen. Presbyteros, Cod. de Episcop. & Cleric.* Et videri poterit Molin. *de iustit. tract.* 2. *disp.* 229. & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 15. *num.* 1.



DVBITATIO CXXII.

An confiscatis bonis filiifamilias (qui scilicet est sub patria potestate) ob crimen ipsius filiifamilias, cadant sub confiscationem bona omnia eiusdem filiifamilias?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Filiifamilias bona censeri possunt, legitima, peculium profectitium, aduentitium, castrense, & quasi castrense.*
2 *Legitima est pars hæreditatis, debita filio, mortuo parente.*
3 *Peculium profectitium est, quod filiofamilias prouenit à parente viuo, vel causa parentis principaliter donatur.*
4 *Peculium aduentitium est, quod filius labore suo, & industria extra militiam acquirit.*
5 *Peculium aduentitium item est, quod filio donatur non à parente, sed ab aliis, neque in gratiam parentis, sed in gratiam ipsius filij.*
6 *Hæreditas matris, superstite patre, connumeratur inter bona aduentitia respectu patris, quamuis non ita hæreditas patris respectu matris, ea superstite.*
7 *Peculium Castrense est, quod filius acquirit occasione militia, vel obsequij principis in palatio.*
8 *Item quod his acquisitis lucratur.*
9 *Peculium quasi castrense est, quod filius acquirit ex beneficio Ecclesiastico, & quod acquirit post Clericatum, etiamsi alias esset peculium aduentitium.*
10 *Item, quod acquirit officio publico alicuius artis liberalis, vt Cathedratici, Iudicis, Aduocati, Procuratoris, Tabellionis, &c.*
11 *Item libri, quos donò accipit occasione studendi his facultatibus, à quocumque eos accipiat.*
12 *Item quod solùm liberalitate Principis fuerit filio donatum.*
13 *Item quod donatum fuerit à quocumque ea conditione, vt pater non habeat vsumfructum.*
14 *Item quod donatum fuit patre contradicente, quia par non est, vt ex illo pater commodum reportet.*
15 *Item vsusfructus, quem filio remittit pater, quia tunc ipsi accrescit, & quasi Castrense peculium indicatur.*
16 *Item vsusfructus alicuius rei filio relictus, quia tunc ad patrem non pertinet, eo quod non datur vsusvsusfructus fructus, sicut nec seruitus seruitutis.*
17 *Filius efficitur sui iuris, & in bonis aduentitiis acquirit vsumfructum, si pater in hæresim incidat.*
18 *Filius in peculio profectitio nullum habet dominium, neque vtile, neque directum, sed totum huiusmodi peculium residet apud patrem.*
19 *Filius habet proprietatem in peculio aduentitio, sed non vsumfructum, neque administrationem: administratio enim, & vsusfructus deferuntur patri.*
20 *Filius, patre non consentiente, non potest peculium aduentitium alienare, neque de eo peculio disponere: Potest tamen, patre consentiente, donare causa mortis. Testari verò non potest nisi ad pias causas.*
21 *Filius in peculio castrensi, vel quasi castrensi habet proprietatem, vsumfructum, & administrationem, sicut paterfamilias, ac proinde alienare ea potest donatione, & contractu, quin & testamente, si pubes sit, nam ante pubertatem nemo testari potest.*

SVPPONO, bona filiifamilias esse posse legitimam, peculium profectitium, aduentitium, castrense, & quasi castrense. 1

Legitima est pars hæreditatis debita filio, mortuo parente, Syluest. *verb. peculium,* Nauarr. *cap.* 17. *n.* 141. Molin. *de iust. disp.* 9. & alij communiter. 2

Peculium profectitium est, quod filiofamilias prouenit à parente viuo, vel causa parentis principaliter donatur, §. *igitur. Instit. per quas personas nobis acquiratur,* & *leg. cum oportet, in principio, Cod. de bon. quæ liber.* 3

Aduentitium est, quod filio donatur non à parente, sed ab aliis, neque in gratiam parentis, sed in gratiam ipsius filij. 4

Item quod filius labore suo, & industria extrà militiam acquirit. 5

Item hæreditas matris, superstite patre: Hæc enim etiam inter bona aduentitia connumeratur respectu patris: Quamuis non sic hæreditas patris, superstite matre respectu matris; quia hoc ius solùm patriæ potestati defertur, *cit. §. igitur. Instit. & leg. cum oportet.* 6

Castrense est, quod filius acquirit occasione militiæ, vel obsequij Principis in palatio, *leg. Castrense, ff. de castrensi peculio.* 7

Item quod his acquisitis lucratur, *leg.* 1. *Cod. de castrens. pecul. lib.* 12. 8

Quasi castrense est, quod acquirit ex beneficio Ecclesiastico, & quod acquirit post Clericatum, etiamsi aliàs esset peculium aduentitium, *Authen. Presbyteros, Cod. de Episcop. & Cleric.* quia clericus est miles spiritualis. 9

Item quod acquirit officio publico alicuius artis liberalis, vt Cathedratici, Iudicis, Aduocati, Procuratoris, 10

ratoris, Tabellionis, &c. *leg. Advocati, Cod. de advocat. divers. iudic.*

11 Item libri, quos dono accipit occasione studendi his facultatibus, à quocumque eos accipiat.

12 Item quod solum liberalitate Principis fuerit filio donatum.

13 Item quod donatum fuerit à quocumque, ea conditione, vt pater non habeat vsumfructum.

14 Item quod donatum fuerit, patre contradicente, quia par non est, vt ex illo pater commodum reportet, *l. vlt. §. sin verò, Cod. de bon. quæ liber.*

15 Item vsufructus, quem filio remittit pater, quia tunc filio accrescit, & quasi castrense peculium iudicatur, *l. cum oportet, §. non autem, Cod. eodem.*

16 Item vsusfructus alicuius rei filio relictus, quia tunc ad patrem non pertinet, eo quod non datur vsufructus vsusfructus, sicut nec seruitus seruitutis, *leg. 1. ff. de vsufruct. legat.*

17 His adde, quod si pater in hæresim incidit, filius efficitur sui iuris, *cap. 2. §. final. de heretic. in 6.* Et in bonis aduentitiis acquirit vsumfructum, quia tunc vsusfructus consolidatur cum dominio directo, sicut infrà dicetur.

18 Suppono secundò, filium in peculio profectitio nullum habere dominium, neque vtile, neque directum, sed totum huiusmodi peculium residere apud patrem. Quare filius non potest illud alienare, neque in proprios vsus conuertere, nisi iuxtà præscriptum patris.

19 In peculio autem aduentitio filius habet proprietatem, sed non vsumfructum, neque administrationem. Administratio enim, & vsusfructus deferuntur

20 patri: Quare, patre non consentiente, filius non potest hoc peculium alienare, neque de hoc peculio disponere. Potest tamen, patre consentiente, donare causa mortis, *ex leg. tam is, ff. de mort. caus. donat.* Testari verò non potest, nisi ad pias causas, *cap. licet pater, de sepult. in 6.*

21 In peculio tandem castrensi, vel quasi castrensi filius habet proprietatem, vsumfructum, & administrationem, sicut paterfamilias, ac proinde alienare ea potest donatione, & contractu, quin & testamento, si pubes sit. Nam ante pubertatem nullus testari potest, *leg. qua ætate, ff. qui testament. facer. poss.* Et videri poterit Syluest. Nauarr. Molin. *in loc. suprà cit.* & Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 4. dubit. 3.*

SECTIO II.

An ob crimen filiifamilias cadat sub confiscationem legitima ei debita in bonis paternis?

SVMMARIVM.

1 *Legitima non venit confiscanda ob crimen filiifamilias.*

2 *Legitima non est delinquentis, quousque pater moriatur.*

3 *Confiscatio non extenditur ad bona aliena; sed solum ad propria delinquentis.*

4 *Legitimæ ius quia est personale, & ad heredes extraneos non transmissibile, non potest confiscari, licet filiusfamilias habeat ius, & ipsi, mortuo patre, detur legitima.*

5 *Confiscatio non extenditur ad iura futura, & conditionalia.*

6 *Legitima non confiscatur, licet post crimen filiifamilias pater moriatur, quia cùm fertur sententia confiscationis, solùm confiscantur bona præsentia, & non quæ acquiruntur post confiscationem.*

7 *Alimenta debita filio non confiscantur, quia sunt bona futura filij, non præsentia, & similiter ius alimentorum est personale, & ad heredes extraneos non transmissibile.*

8 *Legitima venit confiscanda duobus concurrentibus, & assignatione, & traditione legitima facta ipsi filio, & emancipatione à patria potestate, aliàs non confiscatur, contra Sanchez, & alios Doctores.*

RESPONDETVR negatiuè: Couarruuias *lib. 2. var. cap. 8. num. 7.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 9. n. 79.* Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. n. 97.* Farinac. *in pract. tom. 1. part. 1. tit. de delict. quæst. 24. n. 16.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 8.* Vasq. *1. 2. disp. 169. cap. 2. n. 18.* & alij communiter. 1

Probatur, quia legitima non est delinquentis, quousque pater moriatur: Ergò ob crimen filiifamilias non cadit sub confiscationem. Antecedens patet *ex leg. suis, de liber. & posthum. & ex leg. 1 §. si impuberes, ff. de collat. bonorum*, vbi expressè dicitur, quod viuentibus parentibus, filio non debeatur legitima. Consequentia probatur, quia confiscatio non extenditur ad bona aliena, sed solùm ad propria delinquentis. 2 3

Obiicies: Esto filiusfamilias, viuente patre, non habeat legitimam, quæ actu confiscari possit, habet tamen ius, vt ipsi detur legitima, mortuo patre: Ergò hoc ius confiscari poterit, & ratione talis iuris, mortuo patre, fiscus confiscabit legitimam. 4

Respondetur: Nego consequentiam, quia hoc ius est personale, & ad hæredes extraneos non transmissibile, *leg. 1. §. in nouissimo, Cod. de caduc. tollend.* & docet Bart. *in leg. & postquam, ff. de acquirend. heredit.* quem sequuntur passim alij Doctores. Accedit, quod confiscatio non extenditur ad iura remota, futura, & conditionalia, *leg. si mandauero tibi, §. si cuius bona, ff. mandati*, & docent Farinac. *in practic. quæst. 24. num. 19.* Vasquez *1. 2. disp. 169. cap. 2. num. 16.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. ... n. 19. & seqq.* 5

Nec confiscabitur legitima, quamuis post filiifamilias crimen pater moriatur. Speculator *tit. de execut. sent. §. sequitur videre, Cod. de bon. liber. num. 11.* Paul. *consil. 112. num. 1. vol. 3.* & Ruin. *consil. 149. num. 3. vol. 3.* Quia cum fertur sententia confiscationis, solum (vti dicebam) confiscantur bona præsentia, & non ea, quæ acquiruntur post confiscationem. At legitima acquiritur post sententiam confiscationis: Ergò legitima non confiscatur. 6

Idem dicendum de alimentis debitis filio: hæc enim etiam non confiscantur, quia similiter sunt bona futura filij, non præsentia: Et similiter ius alimentorum est personale, & ad hæredes extraneos non transmissibile. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Sanch. *loc. suprà cit. num. 22.* 7

An autem legitima cadat sub confiscationem, saltem si eam filio pater assignasset, & tradidisset? 8

Respondetur, quod quamuis Doctores, quos sequitur Sanchez, simpliciter affirment, quia illa assignatione, & traditione filius est factus dominus legitimæ, Doctores autem, quos sequitur Baiard. *in addit. ad Clar. lib. 5 quæst. 78. num. 48.* simpliciter negent: Probabilius cum distinctione dicatur, si filius simul cum assignatione, & traditione legitimæ à patria potestate eximitur, legitimam cadere sub confiscationem ob rationem assignatam ab iis, qui simpliciter affirmabant. At si filius sub patria potestate remanet, cùm tunc legitima reputari debeat, quasi peculium castrense, vel aduentitium; de legitima dicendum esse, quod infrà dicetur de peculio castrensi, vel aduentitio.

SECTIO III.

An ob crimen filiifamilias cadat sub confiscationem peculium profectitium?

SVMMARIVM.

1 *Peculium profectitium non venit confiscandum ob crimen filiifamilias.*

2 *Peculium profectitium tàm quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum, non est filij, sed patris.*

3 *Amplia, peculium profectitium non esse confiscandum, etiam si à patre filius haberet talis peculij administrationem, quia non per hoc censetur habuisse facultatem alienandi.*

4 *Amplia secundò, peculium profectitium non esse confiscandum, etiamsi à patre filius haberet expressè potestatem donandi, & dissipandi, quia adhuc per hoc non intelligeretur habuisse facultatem alienandi per delictum.*

1 RESpondetur negatiuè. Paris. *cons.* 157. *num.* 36. *vol.* 4. Curtius Senior *cons.* 59. *num.* 12. Soccinus Iunior *cons.* 77. *num.* 6. *vol.* 2. Lessius *de inst. & iur. lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 3. *num.* 12. Couarruuias *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 7. Farinacius *in practic. tom.* 1. *part.* 1. *tit. de delict. quæst.* 24. *num.* 3. Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 8. Suarez *de fide disput.* 22. *sect.* 5. *num.* 9. Bossius *tit. de bonorum publicat. num.* 71. Ruinus *cons.* 24. *num.* 5. Clarus *pract. quæst.* 78. *vers. præterea quæro.* Gomez *tom.* 2. *var. resol. tit. de seruit. cap.* 15. *num.* 16. Bernardus Diaz *practic. cap.* 132. *num.* 6. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 15. *num.* 17. & alij communiter.

Probatur *ex leg. cùm oportet, Cod. de bon. quæ liber. ex leg. filius* 3. *Cod. de bon. proscript. ex leg.* 3. *§. sed votum, ff. de minoribus, & ex leg. certum, Cod. famil. ercifcunda*, ex quibus iuribus sic claré colligitur.

2 Probatur secundò ratione, quia huiusmodi peculium tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum, non est filij, sed patris, *leg. si plures, §. in arrogato, ff. de vulgar. & pupillar.* Ergò, si ob crimen filij bona filij confiscantur, non debet propterea confiscari peculium profectitium, quod non ad filium, sed ad patrem pertinet, vti dicebam.

3 Ampliatur, etiamsi à patre filius haberet talis peculij administrationem, quia non per hoc censeretur habuisse facultatem alienandi, *argumento textus in leg. creditor, §. Lucius, ff. mandati, & in leg. si conuenire, ff. de pact. dotalib.* Et videri poterit Farinac. *cit. quæst.* 24. *num.* 3.

4 Ampliatur secundò, etiamsi à patre filius haberet expressè potestatem donandi, & dissipandi, quia adhuc per hoc non intelligeretur habuisse facultatem alienandi per delictum, cùm non præsumatur, cogitatum fuisse de delicto. Doctores, quos citat, & sequitur Gomez *num.* 16. Sanch. *num.* 18. & Bernard. Diaz *num.* 6.

SECTIO IV.

An ob crimen filiifamilias cadat sub confiscationem peculium aduentitium, reseruato patri vsufructu?

SVMMARIVM.

1 *Peculium aduentitium ob crimen filiifamilias non venit confiscandum, sed pertinet ad patrem non solùm quoad vsumfructum, quem priùs pater in eo peculio aduentitio habebat, sed etiam quoad proprietatem, contra nonnullos Doctores oppositum minus probabiliter sentientes.*

2 *Filius licet sit dominus peculij aduentitij quoad proprietatem, non tamen potest illam alienare sine consensu patris ob reuerentiam illi debitam, & ne talis alienatio à proprietario extraneo retorqueatur in damnum, & detrimentum patris in vsufructu sibi debito.*

3 *Filius licet sit dominus peculij aduentitij quoad proprietatem, non tamen potest illam alienare, vendere, vel obligare, sine consensu patris, & consequenter neque per delictum à fortiori.*

4 *Qui non potest alienare in præiudicium alterius per contractum, multò minus potest alienare per delictum.*

5 *Peculium castrense non confiscatur ob filiifamilias deportationem, & à fortiori neque peculium aduentitium, in quo filius minus habet.*

6 *Acquisita per filium iure antiquo erant patris qualiacumque essent, & à patre tanquam propria occupabantur, si fortè filius intestatus moriebatur.*

7 *Filio per delictum dignum confiscatione aufertur ius eidem concessum, vt proprietatem habeat in bonis aduentitiis, & patri reseruetur vsusfructus, tali enim casu bona relinquuntur patri, vt ea tanquam propria occupet.*

8 *Exponitur textus in leg. si postulauerit, §. iubet lex, ff. ad leg. Iul. de adulter. & soluitur argumentum ex ea deductum: Proprietas enim peculij aduentitij confiscanda foret, si illius alienatio in fauorem patris prohibita filio non esset, vel si pater publicatis bonis filij, eam statim vt propriam non occuparet.*

9 *Pater ex confiscatione proprietatis patitur damnum, cum facilè inquietari possit à fisco super administratione rei confiscatæ, an scilicet rectè illam administret, vt filius in proprietate nullum damnum patiatur: Et ideò argumenta in contrarium corruunt.*

10 *Bona minoris, licet non possint absque auctoritate tutoris alienari, confiscantur tamen ob delictum de facto, quia sola alienatio voluntaria per contractum, & vltimam voluntatem prohibetur, non autem alienatio necessaria, & inducta à lege.*

11 *Bona minoris de facto confiscantur ob delictum, non tamen confiscantur bona filiifamilias; quia cùm prohibitio alienandi facta sit in fauorem ipsius minoris, ob delictum amittit huiusmodi fauorem: At filiofamilias prohibita est alienatio peculij aduentitij ob fauorem patris vsufructuarij, qui tamen non amittitur ob delictum filij, per quod pater priuari non debet fauore suo.*

12 *Pater tenetur iudicati actione de peculio, si filius condemnatus sit soluere aliquam pecuniæ quantitatem: At secùs, cùm condemnatio sit in confiscatione bonorum.*

RESpondetur, quod quamuis affirment Paris. *cons.* 157. *lib.* 4. Caldas *in leg. si curatorem, vers. lasis, num.* 112. *Cod. de in integr. restitut.* Suarez *de fide disput.* 22. *sect.* 5. *num.* 9. subdens, in hoc omnes conuenire: Probabilius sit oppositum (scilicet peculium aduentitium ob crimen filiifamilias non confiscari, sed ad patrem pertinere, non solùm quoad vsumfructum, quem priùs pater in eo peculio aduentitio habebat, sed etiam quoad proprietatem) quod docent Abb. *cons.* 66. *num.* 2. Curt. Senior *cons.* 69. *num.* 12. Menoch. *de recuperand. possess. remed.* 9. *num.* 66. Peregr. *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 128. Ruin. *cons.* 24. *lib.* 5. Roland. *cons.* 56. *num.* 10. Anton. Gomez *tom.* 2. *var. cap.* 15. *num.* 14. Farinac. *quæst.* 24. *num.* 5. Fachin. *lib.* 4. *controu. cap.* 47. Clar. *lib.* 5. *recept. quæst.* 78. *num.* 12. Bernard. Diaz *cap.* 132. *num.* 6. & Sanch. *lib.* 2. *moral cap.* 15. *num.* 9. 1

Probatur, quia esto filius sit Dominus peculij aduentitij quoad proprietatem, non tamen potest illam alienare 2

nare sine consensu patris, ob reuerentiam illi debitam (ne scilicet pater ob talem alienationem factam inquietetur à proprietario extraneo; & patiatur aliquando detrimentum in vsufructu sibi debito:) sed quoties prohibita est alicui alienatio ob fauorem alterius, non potest prohibitus alienare per delictum, *leg. Imperator, ff. de fideicommiss. libert.* Ergò.

3 Confirmatur, quia esto, sicuti dicebam, filius sit dominus peculij aduentitij quoad proprietatem, non tamen potest illam alienare, vendere, vel obligare sine consensu patris, idque, sicuti sit dicebam, ob reuerentiam
4 patris, *ex l. final. §. filiis autem, Cod. de bon. quæ liber.* Ergò multò minùs poterit alienare per delictum, cùm qui non potest alienare in præiudicium alterius per contractum, multò minùs possit alienare per delictum.

5 Secundò probatur, quia *ex leg. si filius 3. Cod. de bonis proscript.* ob filiifamilias deportationem non confiscatur peculium castrense, sed remanet apud patrem in paternæ potestatis solatium: Ergò neque confiscabitur peculium aduentitium, in quo filius minus ius habet.
6 Vtrumque probatur; quia iure antiquo, quidquid filius acquirebat, erat patris, *leg. placet, ff. de acquir. hæredit.* illudque pater, tanquam proprium ipsius, occupabat, si fortè filius intestatus moriebatur, *leg. 1. & 2. ff. de castrens. pecul.* Ex noua autem *leg. 1. Cod. de bon. quæ*
7 *liber.* filio ius est concessum, vt proprietatem habeat in bonis aduentitiis, & patri reseruetur vsusfructus. At per delictum confiscatione dignum filio hoc ius aufertur, & bona relinquuntur patri, vt ea tanquam propria occupet: Ergò patri, & non fisco, deferri debent. Minor probatur *ex cit. leg. si filius*, ibi: *Si filius tuus, cum esset in potestate, in insulam deportari meruit, peculium eius, nec quod in castris acquisiuit, vel quod ei militaturo donasti, auferri tibi debet:* Vbi per ly *auferri*, denotatur ob delictum bona filij iam facta esse patris, & patri auferri non debere.

8 Obiicies ex aduersariis. Proprietas peculij aduentitij est filij, non patris: Ergò, confiscatis bonis filij, hæc proprietas confiscabitur, *ex leg. si postulauerit, §. iubet lex, ff. ad leg. Iul. de adulter.* ibi: *Iubet lex, eos homines, de quibus quæstio ita habita est, publicos esse, proinde in communi partem publicamus, in proprios cuius vsusfructus alienus est, nudam proprietatem.*

Respondetur, proprietatem peculij aduentitij confiscandam fore, si illius alienatio in fauorem patris prohibita filio non esset, vel si pater, publicatis bonis filij, eam statim, vt propriam, non occuparet.

9 Obiicies secundò. Facta hac confiscatione proprietatis, pater nullum damnum patitur, nullumque ius amittit, cum ipsi vsusfructus reseruetur: Ergò ob vsumfructum ipsi debitum, impediri non potest confiscatio, argumento textus *in leg. quinque legibus, & leg. sequenti, ff. de bonis damnatorum.* Vbi confiscatis bonis vxoris, maritus omnes actiones saluas habet aduersus fiscum: Quod idem videtur esse in casu nostro, cùm pater saluum habere possit vsumfructum.

Respondetur. Nego, patrem ex hac confiscatione nullum damnum pati, cum facilè inquietari possit a fisco super administrationem rei confiscatæ, an scilicet rectè illam administret, vt fiscus in proprietate nullum damnum patiatur.

10 Obiicies tertiò. Bona minoris, licet non possint absque authoritate tutoris alienari, *leg. Clarum, Cod. de authorit. præstan.* Confiscantur tamen ob delictum de facto, quia sola alienatio voluntaria per contractum, & vltimam voluntatem prohibetur, non autem alienatio necessaria, & inducta à lege: Ergò similiter alienatio proprietatis peculij aduentitij, licet prohibita sit absque consensu patris, *leg. final. §. filius autem, Cod. de bon. quæ liber.* prohibita tamen non erit per delictum.

11 Respondetur. Nego consequentiam, quia bona minoris de facto confiscantur in casu posito, eo quod prohibitio alienandi ei facta est in ipsius fauorem, qui ob delictum amittitur; sicut enim puniri potest in persona, sic & in bonis. At filiofamilias prohibita est alienatio peculij aduentitij ob fauorem patris vsufructuarij. Quare patet disparitas: nam (sicuti dicebam) quod filius alienare non possit bona aduentitia, statutum est in fauorem patris, & ideò ob delictum filij pater priuari non debet fauore suo, sed quod minor non possit alienare sua bona sine consensu tutoris, vel curatoris, statutum est in fauorem minoris, qui meritò tali fauore priuari debet ob proprium delictum.

Obiicies quartò. Pater tenetur iudicati actione de 12
peculio, si filius condemnatus sit, *leg. 3. §. idem scribit, ff. de peculio:* Ergò, condemnato filio, & eius bonis confiscatis, non potest pater peculium aduentitium retinere, sed debet tradere fisco, reseruando sibi vsumfructum.

Respondetur. Concedo, patrem teneri de peculio; cùm filius condemnatus est soluere aliquam pecuniæ quantitatem. At secus, cùm condemnatio fit in confiscatione bonorum, quia tunc sola bona, quæ filius habet, (si aliqua habet) sententia vendicat.

SECTIO V.

Limitationes.

SVMMARIVM.

1 *Peculium aduentitium filiifamilias, quod ob delictum non sit confiscandum, limitatur ab aliquibus Doctoribus, vt procedat casu, quo pater habeat in peculio aduentitio filij vsumfructum, vel spem vsufructus, quibus cessantibus filius potest illud peculium alienare per contractum, & consequenter etiam ob delictum.*

2 *Peculium aduentitium filiifamilias ob delictum ideò dicitur non esse confiscandum, quia filius illud alienare non potest ob fauorem patris, ne scilicet damnum aliquod patiatur in vsufructu, quæ ratio cessat, cùm pater in tali peculio non habet, neque sperat vsumfructum.*

3 *Pater habere vsumfructum, vel spem vsusfructus in bonis aduentitiis filij dicitur, cùm bona relicta sunt filio, reseruato alteri vsufructu: tunc enim pater habet spem vsusfructus, siquidem præmortuo vsufructuario ante filium, ipse pater succedit in vsufructu, qua spe durante, non potest filius absolutè ea bona alienare.*

4 *Dos non confiscatur ob delictum filiæ ex eo, quia pater habet in illa spem consolidationis.*

5 *Spes in pluribus casibus quod multa operetur, scribunt aliqui Doctores, qui ibi citantur.*

6 *Limitatio prædicta Authori non probatur, sed oppositum magis placet, scilicet peculium aduentitium non cadere sub confiscationem, etiamsi pater in illo non habeat vsumfructum, neque spem vsufructus.*

7 *Filiusfamilias de peculio aduentitio, licet pater in eo nullum habeat vsumfructum, non potest testari: Iure enim impeditur à testamento conficiendo, cum est sub patria potestate: At non conuincit hoc, quod non possit alienare illud per contractum, vel per delictum.*

8 *Peculium castrense, licet pater in illo non habeat vsumfructum, non confiscatur, sed patri defertur vt illius proprium, & idem dicendum videtur de peculio aduentitio, etiamsi pater non habeat in isto similiter vsumfructum.*

9 *Pater iure suo occupat peculium filij, quotiescumque filius ob capitis diminutionem amittit priuilegium sibi concessum.*

10 *Filius*

10 *Filio permissa est peculij aduentitij alienatio contractu, non tamen delicto, quia illa bona, facta capitis diminutione filij, sunt patri delata, & illius propria.*

11 *Bona aduentitia quod confiscari non possint per delictum filiifamilias, vna ex præcipuis rationibus licet sit prohibitio alienandi facta in fauorem patris; attamen hæc ratio solùm est efficax in bonis aduentitiis, quorum pater habet vsumfructum, vel spem vsusfructus: At non militat in bonis aduentitiis, in quibus non habet vsumfrum, neque spem vsusfructus.*

12 *Limita secundò cum Bartolo, & aliis post ipsum, vt procedat in peculio aduentitio, cuius pater habet administrationem: non in peculio, cuius liberam administrationem pater filio concessit.*

13 *Filiusfamilias cedere potest bonis aduentitiis, quæ possidet, volente patre, & potest de illis liberè disponere.*

14 *Limitatio supradicta ab Authore reiicitur, & magis probatur oppositum.*

25 *Facultas alienandi per delictum non infertur concessa ex libera facultate alienandi, cum de delicto nunquam intelligatur cogitatum.*

16 *Filius eo ipso, quod crimen confiscatione dignum committit, perdit in bonis priuilegia sibi concessa, & pater ea occupat, tanquam propria.*

17 *Limitatio supradicta neque procedit de iure regio Castellæ, ex quo filius disponere potest de tertia parte peculij aduentitij, tàm per testamentum, quàm per contractum absque consensu patris: si enim filius potest ex tali iure regio alienare testando, vel contrahendo, poterit etiam delinquendo.*

18 *Limitatio dicta non placet, quia non est certum, an lex loquatur de filiofamilias, vel de filio emancipato.*

19 *Affertur etiam alia ratio cur prædicta limitatio Auctori non probetur.*

20 *Pater fisco præfertur in bonis possessis à filio existente sub patria potestate.*

21 *Lex Tauri citata non concedit filiofamilias dispositionem liberam tertiæ partis suorum bonorum, nisi tantùm per testamentum, non autem per contractum.*

22 *Limita cum Azorio, vt non procedat in crimine læsæ maiestatis Diuinæ, & humanæ. Idemque dicendum in regno Castellæ de crimine contra naturam.*

23 *In crimine læsæ maiestatis Diuinæ, & humanæ, & in crimine contra naturam soluitur patria potestas.*

24 *Particula (quisquis) dicitur esse generalis, comprehendens tam eos, qui sui iuris sunt, quàm eos, qui sunt iuris alieni.*

25 *Particula (suorum) quæ comprehendat.*

26 *Filius innocens ob crimen læsæ maiestatis commissum à Patre priuatur quacunque hæreditate, & successione.*

27 *In delictis valet argumentum de minori ad maius affirmatiuè sumptum.*

28 *Limitatio prædicta licet non sit omninò improbabilis, adhuc tamen magis censetur probabile oppositum, omnes enim rationes, quæ à confiscatione excludunt peculium aduentitium, locum habent in confiscatione facta ob ista crimina, nempe quod non possit alienari peculium habente patre vsumfructum, & quod succedat pater in tali peculio, filio capite diminuto.*

29 *Limitationis supradictæ extensio, vt ob dicta crimina veniat sub confiscationem peculij aduentitij non solùm proprietas, sed etiam vsusfructus patri debitus, Auctori non probatur, quia licet filius egrediatur à patria potestate non solùm facta declaratione delicti, sed à puncto delicti commissi, factum tamen filij non potest præiudicare iuri patris acquisito.*

30 *Pater, licet filius per professionem emissam in Religione approbata non sit ampliùs sub eius potestate, non tamen propterea amittit vsumfructum, quem priùs acquisitum habebat in bonis aduentitiis filij.*

31 *Filius licet per crimen læsæ maiestatis non sit ampliùs sub patria potestate, non tamen pater perdit vsumfructum, quem priùs habebat in bonis aduentitiis ipsius filij.*

32 *Filius in regno Castellæ, & Lusitaniæ, si iam per hæresim exemptus à patria potestate Ecclesiæ reconcilietur, & matrimonium Ecclesiæ benedictionibus subsecutis contrahat, secundùm Molinam vsusfructus pertinet ad fiscum, quia succedit in omnibus bonis ipsius delinquentis.*

33 *At Auctori oppositum videtur probabilius, quia confiscatio non extenditur ad bona futura, sed solùm ad existentia tempore delicti.*

34 *Vsusfructus bonorum, quæ filius acquirit post hæresim, secundùm Molinam, applicandus est fisco, quia & proprietas fisco debetur acquisita durante hæresi, secundùm Sanchez. At aliis neque id probatur.*

LImitatur tamen à Parisio *cons.* 157. *num.* 11. *& seqq.* 1
vol. 4. Gig. *de crimin. læs. maiest. lib.* 2. *tit. de pœn.*
commit. id crimen. quæst. 11. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 15.
num. 14. & aliis responsio nostra, vt procedat casu,
quo pater habeat in peculio aduentitio filij vsum-
fructum, vel spem vsusfructus: Quia cùm pater in pe-
culio aduentitio filij non habeat vsumfructum, neque
spem vsusfructus, potest filius illud alienare, *leg. vlti-*
ma, §. filiis, Cod. de bon. quæ liber. sed quæ potest filius
alienare contractu, potest etiam alienare delicto: Ergò. 2
Tùm quia ratio, ob quam non confiscatur peculium
aduentitium filij, est, quia filius illud alienare non
potest ob fauorem patris (ne scilicet pater dam-
num aliquod ex tali alienatione in vsufructu perci-
piendo patiatur.) At hæc ratio cessat, cùm pater
in tali peculio non habet, nec sperat vsumfructum:
Ergò.

Dixi ad mentem istorum Doctorum, *casu quo pa-* 3
ter habeat in peculio aduentitio filij vsumfructum, vel
spem vsusfructus, sicuti contingit, cùm bona re-
licta sunt filio, reseruato alteri vsufructu: Tunc
enim pater habet spem vsusfructus. Siquidem præ-
mortuo vsufructuario ante filium, ipse pater suc-
cedit in vsufructu; quia ratione huius spei, in-
quiunt ipsi, talia bona non confiscantur, cùm
ratione huius spei filius non possit ea bona absolu-
tè alienare, *argumento textus in leg. final. §. filius*
autem, Cod. de bonis, quæ liber. vbi prohibetur filius
alienare bona, in quibus pater habet vsumfructum,
vel quid aliud; Per quæ posteriora verba non intel-
ligitur, nisi spes futuri vsusfructus. Sanchez *loco su-*
prà citato, num. 13. Menochius *num.* 87. Farinacius
quæst. 24. *num.* 7. qui cum Ruino *consil.* 54. *num.* 13. *vol.* 3.
id idem confirmat exemplo dotis, quæ non confisca- 4
tur ob delictum filiæ, iuxtà textum *in Authen. contrà,*
si filij, Cod. de repud. solùm ex eo, quia pater habet in
illa spem consolidationis, *leg.* 1. *§. quod si in patris, ff.*
solut. matrim.

Et quod in pluribus aliis casibus spes multa opere- 5
tur, tractant Tiraquellus *de legib. connubial. num.* 34.
& seqq. Ruin. *cons.* 19. *num.* 4. Soccinus Iun. *cons.* 95.
num. 30. *lib.* 3. & alij, quos citat, & sequitur Farinac.
vbi suprà num. 7.

At hæc limitatio mihi minùs probatur, sed magis 6
probatur oppositum (scilicet peculium aduentitium
non cadere sub confiscationem, etiamsi pater in illo
non habeat vsumfructum, neque spem vsusfru-
ctus) quod docent Ruinus *cons.* 24. *num.* 11. *lib.* 5.
Peregrin.

Peregrin. *de iur. fisc. tit. 3. n. 128. lib. 5.* Clar. *quæst. 78.* & Farinac. *q. 24. n. 6.*

7 Primò, quia *ex l. penultima, Cod. qui testament. facere poss.* Filiusfamilias de hoc peculio, licet pater in eo nullum habeat vsumfructum, non potest testari: Ergo non potest alienare in hæredes extraneos, ergo multò minus per delictum in fiscum. Quæ tamen ratio, vt fatear, non conuincit: Negare enim quis posset consequentiam, asserendo, quod filiusfamilias iure impeditur à testamento conficiendo, dum est sub patria potestate, non tamen iure impeditur, peculium aduentitium, in quo pater non habet vsumfructum, alienare per contractum, vel per delictum.

8 Secundò melius, quia ex supradicta *l. 3. Cod. de bon. damnat.* peculium castrense, etiamsi pater in illo non habeat vsumfructum, non confiscatur, sed patri defertur, vt illius proprium: Ergo nec confiscabitur peculium aduentitium, si pater non habeat in isto similiter vsumfructum.

9 Confirmatur; quia pater iure suo occupat peculium filij, quotiescumque filius ob capitis diminutionem amittit priuilegium sibi concessum.

10 Ad opposita respondetur. Ad primum; concedo, filio permissam esse peculij aduentitij alienationem contractu, non tamen delicto; eo quod illa bona, facta capitis diminutione filij, sunt patri delata, & illius propria.

11 Ad secundum respondetur: Concedo, prohibitionem alienandi factam in fauorem patris esse vnam ex rationibus, ob quam nego, bona aduentitia confiscari per delictum filiifamilias. At subdo, hanc rationem solùm esse efficacem in bonis aduentitiis, quorum pater habet vsumfructum, vel spem vsusfructus, in bonis autem aduentitiis, in quibus pater non habet vsumfructum, neque spem vsusfructus, non militat hæc ratio, sed altera deducta ex *cit. l. 3. Cod. de bon. proscript.*

12 Limitatur secundò à Bartolo *in l. si finita, §. si de vectigalibus, n. 13. ff. de damn. infect.* Paris. *cons. 157. n. 15. lib. 4.* Menoch. *de recuperanda possess. remed 9. num. 77.* & aliis, vt procedat in peculio aduentitio, cuius pater habet administrationem, non in peculio, cuius liberam administrationem pater filio concessit: Hoc enim peculium, inquiunt ipsi, confiscatur quoad proprietatem,
13 reseruato patri vsufructu. Quia *ex l. cum & filij, Cod. qui bonis cedere possunt*, filiusfamilias cedere potest bonis aduentitiis, quæ possidet, volente patre, & potest de illis liberè disponere: Ergo si potest ea alienare per contractum, poterit etiam alienare per delictum; præsertim, quia nullum ius patri aufertur, cum ex eius voluntate talis alienatio procedat.

14 At & hæc limitatio mihi minus probatur, sed magis probatur oppositum, quod docent Abb. *cons. 66. num. 5. vol. 1.* Boër. *decis. 7. num. 16.* Baiard. *ad Clar. quæst. 78. num. 55. lib. 5.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 25. num. 11.*

15 Primò; quia ex libera facultate alienandi non infertur concessa facultas alienandi per delictum; cum de delicto nunquam intelligatur cogitatum, *l. Creditor, §. Lucius, ff. mandat.* & *l. conuenire, ff. de pact. dotalib.* Et videri poterit Diaz *cap. 132. numer. 6. circa finem*; & Gomez *tom. 2. var. resol. lib. 2. cap. 15. num. 15.*

16 Secundò, quia ex dicta *l. 3. Cod. de bonis proscript.* eo ipso, quod filius crimen confiscatione dignum committit, perdit in bonis priuilegia sibi concessa, & pater bona ea occupat, tanquam propria: Ergo ex facultate alienandi non infertur confiscatio per delictum filij in bonis aduentitiis.

17 Limitatur tertiò ab aliis (quos sequitur Cantera *in quæst. criminal. tit. de quæst. tangen. punit. delict. cap. 1. num. 39.* vt non procedat de iure regio Castellæ; ex quo iuxta *l. 6. Tauri*, filius disponere potest de tertia parte peculij aduentitij, tam per testamentum, quàm per contractum absque consensu patris; quia, si filius potest ex tali iure regio alienare testando, vel contrahendo, poterit etiam alienare delinquendo.

18 At neque hæc limitatio mihi probatur; quia vt ait Sanch. *lib. 6. de matrim. disput. 39. n. 9.* non est certum, quod hæc lex loquatur de filiofamilias, sed de filio emancipato.

19 Secundò, quia esto loquatur tam de filiofamilias, quàm de emancipato, quod videtur probabilius, eo quod comparantur filij cum parentibus in tertia parte bonorum, & parentes comparantur cum filiis in quinta parte bonorum; de qua quinta parte bonorum cum non sit legitima, nec debita filiis, possunt parentes disponere non solùm per testamentum, sed etiam per contractum: Ergo similiter & poterunt filij non solùm per testamentum; sed etiam per contractum de tertia illa parte bonorum disponere. Gomez *in citat. lege 6. Tauri, numer. 14.* & Caldas *in l. si curatorem, vers. læsis, num. 152. Cod. de*
20 *in integr. restitut.* Adhuc tamen videtur non venire in confiscationem, quia semper militat ratio deducta *ex dicta l. 3. Cod. de bon. damnat.* per quam pater fisco præfertur in bonis possessis à filio existente sub patria potestate.

21 Atque ita præter alios tenet Sanch. *lib. 2. moral. cap. 15. n. 10.* etsi non ob hanc rationem, sed quia putat supradictam legem Tauri non concedere filiofamilias dispositionem liberam tertiæ partis suorum bonorum, nisi tantum per testamentum, non autem per contractum, iuxta *l. 5. Tauri.*

22 Limitatur quartò ab Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 8.* Simanch. *de catholic. institut. tit. 9. num. 16.* Vasquez 1. 2. *disput. 169. cap. 1. num. 9.* Fachin. *lib. 9. controuers. iur. cap. 48. vers. contraria sententia*, & Farinac. 1. *part. praxis quæst. 14. num. 9.* vt non procedat in crimine læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ (idemque dicendum in regno Castellæ de crimine contra naturam;) ita vt in istis criminibus ob filiifamilias crimen peculium aduentitium confiscetur, reseruato patri vsufructu.

23 Primò, quia in istis criminibus soluitur patria potestas, *§. cum autem, instit. quib. mod. ius patria potest. soluit.* Ibi: *Pari ratione, & si quis in potestate parentis sit, in insulam deportatus fuerit, desinit esse in potestate parentis*: Ergo filius, quasi sui iuris effectus, delinquendo bona propria alienat.

24 Secundò, quia *in lege quisquis, Codic. ad leg. Iul. maiestat.* cuicumque hoc crimen committenti imponitur pœna confiscationis suorum bonorum; sed sub illa particula *Quisquis* (quæ generalis est) comprehenduntur tam ij, qui iuris sui, quàm ij, qui iuris alieni sunt, argum. *l. si plures, vers. sicuti hac verba (quisquis)*
25 *ff. de legat. 3.* Et sub illa particula *suorum*, comprehenduntur bona, quæ quis habet, eo modo, quo habet: Ergo.

26 Tertiò, quia filius innocens ob crimen læsæ maiestatis commissum à patre priuatur quacumque hæreditate, & successione: Ergo à fortiori priuabitur domi-
27 nio suorum bonorum. Antecedens patet, consequentia probatur; quia in delictis valet argumentum de minori ad maius affirmatiuè sumptum, vt ex Bald. *in l. si quis, notab. 2. Cod. de Episc. & Cleric.* tradit Farinac. *q. 24. num. 110.*

28 At licet hæc limitatio non omninò mihi improbetur: adhuc tamen magis probatur oppositum, quod docet Gigas *de crimin. læs. maiest. lib. 2. tit. de pæn. committ. crim. læs. maiest. quæst. 11.* & Sanch. loquens de peculio Castrensi *lib. 2. moral. cap. 15. num. 4.* Quia omnes rationes, quæ à confiscatione excludunt peculium aduentitium, locum etiam habent in confiscatione facta propter ista crimina, sicque in istis etiam criminibus similiter non possit alienari peculium, habente patre vsumfructum illius; sed succedat in tali peculio pater filio propter crimen capite diminuto.

29 Hinc mihi non probatur supradictæ limitationis extensio, quam faciunt Vasquez *disp.* 169. *cap.* 1. *num.* 9. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 9. *n.* 18. & Azor. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 8. vt ob dicta crimina confiscetur peculij aduentitij, non solùm proprietas, sed etiam vsusfructus patri debitus, eo quod, inquiunt ipsi, filius ob talia crimina egreditur à patria potestate, §. *cum autem is*, *Instit. quib. mod. ius patr. potest. solu.* At vsusfructus in peculio aduentitio filij patri pertinet solum ob patriam potestatem: Ergo, illa exclusa, ad patrem non pertinet, *l. si ex causa*, §. *Papinianus*, *ff. de minorib.* sed consolidabitur cum proprietate, ita vt confiscata proprietate, confiscetur & vsusfructus.

Mihi, inquam, non probatur supradictæ limitationis extensio, quia licet filius egrediatur à patria potestate, non solùm facta declaratione delicti, sed à puncto delicti commissi, *argum. text. in cit.* §. *cum autem is*, *Instit. quib. mod. ius patr. potest. solu.* Sicut enim à puncto, quo pater ista delicta committit, filius à patria potestate egreditur, ita & egredi debet à puncto, quo ipse filius eadem delicta cõmittit. Doctores, quos sequitur. Molin. *de instit. disp.* 9. *vers. ab hoc regula*: Hoc tamen non præstat, vt pater vsumfructum sibi debitum in bonis acquisitis à filio antè delictum, & toto tempore, quo filius sub patria potestate erat, amittat; quia factum filij non potest præiudicare iuri patris acquisito. Tum quia ius percipiendi vsumfructum patriæ potestati non est annexum quoad conseruari, esto quoad primam acquisitionem à patria potestate dependeat. Doctores, quos sequitur idem Molina *loco supra cit.* Azeued. *in recopil. lib.* 8. *tit.* 3. *leg.* 1. *num.* 1212. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 15. *num.* 12. Sayr. *in Clau. regia lib.* 9. *cap.* 7. *n.* 7. & Octauian. Cacherius *decis. Pedemont.* 94.
30 *n.* 9. *& seqq.* Sicut, licet per professionem à filio emissam in Religione filius non sit amplius sub patria potestate, non tamen propterea pater amittit vsumfructum, quem prius acquisitum habebat in bonis aduentitijs filij! Ita similiter,
31 licet per crimen læsæ maiestatis filius non sit amplius sub patria potestate, non tamen propterea pater priuabitur vsufructu, quem prius habebat in bonis aduentitiis eiusdem filij.

32 Subdit tamen Molina, quod in regno Castellæ, & Lositaniæ, si filius iam per hæresim exemptus à patria potestate Ecclesiæ reconcilietur, & matrimonium, Ecclesiæ benedictionibus subsecutis, contrahat (in quo casu vsusfructus debitus patri, filio accrescit, iuxta *l.* 48. *Tauri*) vsusfructus pertineat ad fiscum; quia fiscus succedit in omnibus bonis ipsius delinquentis.

33 At mihi probabilius videtur oppositum (prædictum scilicet vsumfructum non pertinere ad fiscum, sed ad ipsum delinquentem:) quia confiscatio non extenditur ad bona futura, sed solùm ad præsentia, & existentia tempore delicti.

34 Subdit secundò, quod vsusfructus bonorum, quæ filius acquirit post hæresim, applicandus sit fisco; quia & proprietas fisco debetur: quod tamen Sanchez *loc. suprà cit. n.* 11. intelligit solùm de bonis acquisitis, durante hæresi, non de bonis acquisitis, retractata hæresi, cùm illa bona acquirantur filio iam constituto extra potestatem patris.

Quamuis aliis probabilios videatur, nulla ex iis bonis pertinere ad fiscum, sed ad ipsum criminosum, si acquisitionis sit capax (qua de re infrà) vel ad eius consanguineos, & hæredes, si ob crimen acquisitionis factus sit incapax.

SECTIO VI.

An ob crimen filiifamilias cadat sub confiscationem peculium castrense, vel quasi castrense?

SVMMARIVM.

1 *Peculium castrense, vel quasi castrense contra sententiam aliquorum Doctorum, probabilius in sententia auctoris non confiscatur; sed patri defertur ob delictum ipsius filij.*

2 *Textus in l. 3. Cod. de bonis proscript. patri, cuius filius est deportatus, concedit omnia bona castrensia vel quasi castrensia, & non est per aliam legem abrogatus.*

3 *Lex tertia citata solùm est abrogata, quatenus negat filiofamilias, quod habeat administrationem, & dispositionem peculij castrensis, & quod in illo habeat heredem, & successorem, si ab intestato moriatur: ex qua abrogatione non infertur eiusdem legis abrogatio, & cur.*

4 *Filiofamilias interdicta erat iure antiquo administratio & dispositio cuiuscumque peculij acquisiti, nam patri acquirebat, & nouo iure concessa est libera peculij castrensis dispositio; in qua concessione non intelligitur concessa administratio dolosa, & alienatio per delictum.*

5 *Filiofamilias non est concessa facultas alienandi peculium castrense ex iure communi, sed ex iure speciali, & priuilegiato, & ideò non potest is alienare dolosè, & per delictum, stante speciali priuilegio, quod tunc deperditur.*

6 *Filiusfamilias in peculio castrensi, vel quasi castrensi habet plenum, & perfectum dominium, tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum, habetque liberam illius administrationem, & dispositionem, ac si esset paterfamilias.*

7 *Non tamen potest illud alienare delinquendo; quia quod habeat illius peculij administrationem, & dispositionem, quin & dominium, est ex speciali priuilegio, non autem de iure communi.*

8 *Pater prefertur fisco in alienatione, filiifamilias per delictum, peculij castrensis, vel quasi castrensis, ex citata l. 3.*

9 *Vir, durante matrimonio, potest alienare omnia lucra communia cum vxore per contractum, non tamen potest ea alienare per delictum.*

10 *Obligatio, quæ nascitur ex delicto, non ita obligat, sicut ea, quæ nascitur ex contractu.*

11 *Lex 3. Cod. de bonis proscriptis, licet lata sit tempore quo filius omnia acquirebat patri, & sit hoc idem mutatum quoad successionem, acquisitionem, & dispositionem; non tamen mutatum est quoad illam partem, in qua statuitur, patrem præferri fisco, & eidem illa bona auferri non debere.*

12 *Leges antiquæ sæpè corriguntur posterioribus legibus quoad aliquam partem; ita tamen vt in alia parte suum vigorem retineant; præsertim cum à iure antiquo absque Textu expresso recedendum non sit, quia iuris correctio est odiosa, & omninò vitanda.*

13 *Amplia responsionem procedere etiam in casu, quo filius condemnatus habeat filios; quia hoc non obstat, quominus patri peculium sibi debitum deferatur.*

14 *Limita in casu, quo filius condemnatus esset sub patris potestate; quia in illius prærogatiuam, & solatium bona filij condemnati patri deferuntur.*

15 *Filius tamen in regno Castellæ, & Lusitaniæ, quia eo ipso, quo vxorem ducit, egreditur à patria potestate,*

potestate, si delictum confiscatione dignum committat, omnia bona sua in fiscum, & non in filios, neque parentes transmittit.

1 RESpondetur, quod quamuis affirment Antonius Gabriel *tom. 2. var. cap. 15. n. 15.* Simanch. *de cathol. institut. tit. 9. num. 15.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 8.* Vasquez *prima 2. quæst. 96. art. 5. disput. 169. cap. 1. num. 9.* Suarez *de fide disput. 2. sect. 5. num. 9.* Nellus *de bannitis 1. part. 2. tempor. num. 25.* Gigas *tract. de crim. læs. maiest. lib. 2. tit. de pæn. committit. hoc crimen, quæst. 12.* & alij; probabilius sit oppositum (peculium scilicet castrense, vel quasi castrense ob crimen filiifamilias non confiscari, sed patri deferri) quod docet Clar. *lib. 5. quæst. 78.* Couarruu. *lib. 2. var. cap. 8. num. 7.* Menoch. *de recuperanda possession. remed. 9. numer. 70.* Peregrin. *de iur. fisc. lib. 3. tit. 1. num. 130.* Fachin. *lib. 9. controuers. cap. 49.* Farinac. *1. part. praxis quæst. 24. n. 11.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 15. n. 4.*

2 Probatur quia Textus *in l. 3. Cod. de bonis proscript.* patri, cuius filius est deportatus, concedit omnia bona castrensia, vel quasi castrensia, Ibi: *Si filius tuus, cum esset in tua potestate, in insulam deportari meruit, peculium eius, nec quod in castris acquisiuit, nec quod ei militaturo donasti, auferri tibi debet.* Et notat ibi Bart. *num. unico*, Bald. *num. 1.* & Angel. *num. 1.* Sed hæc lex non est per aliam legem abrogata: Ergo dicendum, quod ob crimen filiifamilias confiscatione dignum, peculium castrense, vel quasi castrense ipsius filiifamilias non confiscetur, sed patri deferatur. Minor ostenditur; 3 quia dicta lex solùm est abrogata, quatenus negat filiofamilias, quod habeat administrationem, & dispositionem peculij castrensis, & quod in illo habeat hæredem, & successorem, si ab intestato moriatur; at ex horum abrogatione non infertur eiusdem legis tertiæ abrogatio quoad cætera; quia rectè stare potest, quod filiusfamilias possit administrare peculium castrense, & in illo habere hæredem, ac successorem. Et nihilominus, si delinquat, illud patri deferatur in prærogatiuam patriæ potestatis, & in solatium patris: Ergo.

4 Confirmatur; quia filiofamilias interdicta erat iure antiquo administratio, & dispositio cuiuscumque peculij acquisiti: Nam patri acquirebat, *l. placet, ff. de acquirend. hæred.* Et nouo iure concessa est libera peculij castrensis dispositio, *l. 3. Cod. de castrens. pecul. lib. 12. & l. 2. Cod. ad Macedonian.* At in hac concessione non intelligitur concessa administratio dolosa, & alienatio per delictum, *l. creditor, §. Lucius, ff. mandati*: Ergo.

5 Confirmatur secundò, quia filiofamilias non est concessa facultas alienandi peculium castrense ex iure communi, sed ex iure speciali, & priuilegiato. At cui est concessa facultas alienandi ex iure speciali, & priuilegiato, non potest is alienare dolosè, & per delictum. Doctores communiter *in supradicta l. si fiscus, Cod. de bon. proscript.* quia tunc deperditur priuilegium: Ergo.

6 Obiicies fundamentum aduersariorum: Filiusfamilias in peculio castrensi, vel quasi castrensi habet plenum, & perfectum dominium, tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum; habetque liberam illius administrationem, & dispositionem, ac si esset paterfamilias, *l. 2. Cod. ad Macedonian. l. miles 1. ff. de castrensi peculio, & l. cum oportet, Cod. de bon. quæ liber.* Ergo poterit alienare delinquendo; quia quicumque potest alienare contrahendo, potest alienare delinquendo; præsertim quia qui delictum confiscatione dignum committit, tacitè contrahere, & alienare censetur, *l. Imperatores, ff. de iur. fisc.*

7 Respondetur: Nego consequentiam; quia esto filiusfamilias habeat plenum, & perfectum dominium, & administrationem, & dispositionem peculij castrensis, vel quasi castrensis, non tamen habet iure communi, sed speciali, & priuilegiato: Ideoque alienare non potest per delictum, vti dicebam.

Respondetur secundò: Concedo, filiumfamilias, 8 alienare posse peculium castrense, vel quasi castrense, non tamen fisco, sed patri, qui *ex supradicta lege 3.* in hac alienatione fisco præfertur. Vt omittam, falsum esse, quod quicumque potest alienare contrahendo, possit etiam alienare delinquendo; quia vir, 9 durante matrimonio, potest alienare omnia lucra communia cum vxore per contractum, non tamen potest ea alienare per delictum. Et obligatio, quæ nascitur 10 ex delicto, non ita obligat, sicut ea, quæ nascitur ex contractu.

Obiicies secundò. Tota ratio, cur *in cit. lege 3.* 11 mandetur, bona castrensia non debere auferri patri, erat; quia tempore illius legis bona erant patris, & solùm filio permittebatur fauore militiæ de illis disponere; quod si non disponebat, patri deferebantur, tanquam propria, *ex l. 2. ff. de pecul. castrens.* At hodierno iure bona castrensia non sunt patris, sed filij, & pater in illis succedit non iure proprio, sed iure hæreditario. *Authent. de hæredibus ab intestato venientibus, collat. 9. §. si igitur, & Authen. defuncto, Cod. ad Tertyllian. & l. finali, Cod. communia de succession.* Ergo cùm finis illius legis cesset, cessare debet etiam eiusdem legis dispositio.

Respondetur: Concedo, legem illam latam esse tempore, quo filius omnia acquirebat patri: Quod licet mutatum sit quoad acquisitionem, dispositionem, & successionem, non tamen mutatum est quoad illam partem, in qua statuitur, patrem præferri fisco, & patri illa bona auferri non debere: Sæpè enim antiquæ 12 leges corriguntur posterioribus legibus quoad aliquam partem; ita tamen vt in alia parte suum vigorem retineant; præsertim, cum à iure antiquo absque textu expresso recedendum non sit; quia iuris correctio est odiosa, & omninò vitanda, *l. præcipimus, Cod. de appellat.* At nullus est Textus nouus expressus, qui neget, in his bonis patrem præferri fisco, & qui neget, hæc bona patri non debere deferri, cùm filius crimen aliquod confiscatione dignum committit: Ergo.

Ampliatur responsio, vt locum habeat etiam in casu 13 quo filius condemnatus habeat filios; quia hoc non obstat, quominus patri peculium sibi debitum deferatur. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap. 15. n. 5.*

Quod tamen intellige in casu, quo filius condem- 14 natus esset sub patris potestate; quia in illius prærogatiuam, & solatium bona filij condemnati patri deferuntur. Couarruu. *lib. 2. var. cap. 8. n. 7.* Clar. *lib. 5. quæst. 78. vers. quæro etiam, circa finem*, & Farinac. *q. 24. num. 13.*

Hinc in regno Castellæ; & Lusitaniæ id locum 15 non habet; quia eo ipso, quod filius vxorem ducit, egreditur è patria potestate; sicque effectus sui iuris, si delictum confiscatione dignum committit; omnia bona sua in fiscum, & non in filios, neque parentes transmittit.

SECTIO VII.

An ob crimen filiifamilias cadat sub confiscationem peculium castrense, vel quasi castrense, saltem in crimine læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ, & sodomitico?

SVMMARIVM.

1 *Peculium castrense, vel quasi castrense ob crimen filiifamilias saltem læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ, & sodomitico, licet secundum multos Doctores veniat confiscandum; cum filiofamilias in his criminibus imponatur pœna amissionis suorum bonorum, nisi enim prædicta posset amittere, supernacanea esset lex quisquis, Cod. ad leg. Iul. maiest.*

2 *Nihilominùs non improbabile est oppositum; quia nihil speciale de his criminibus clarè statutum esse videtur.*

1 REspondetur, quod quamuis affirment Vmbert. Locat. *quæst.* 18. *vers. sed vt nihil*, Repertor. Inquisit. *ver. confiscatio*, Gigas *de crimine læs. maiest. lib.* 2. *tit. de pœn. committent. hoc crimen, quæst.* 12. *in fine*, Fachin. *lib.* 9. *controuers. cap.* 49. *in fin.* Farin. *de hæres. quæst.* 190. §. 1. *n.* 17. & Octauian. *decis. Pedemont.* 94. Quia *ex l. quisquis*, §. *filij verò, Cod. ad leg. Iul. maiest.* in iis criminibus filiofamilias imponitur pœna amissionis suorum bonorum. At si ob ea crimina non amitteret filius bona castrensia, vel quasi castrensia, nulla essent bona, quæ posset amittere; quia nulla alia habet magis propria, quàm castrensia, vel quasi castrensia: Ergo. Tum quia lex *quisquis*, respectu filij familias esset vana, & inutilis. Tum quia dicta lex *quisquis*, condemnat filios in amissione suorum bonorum, & non distinguit, an sint sua ex iure communi, vel ex
2 iure speciali: Ergo omnia comprehendit. Nihilominùs non improbabile sit oppositum, quod docent Doctores, quos sequitur Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 15. *n.* 4. Quia nihil speciale clarè de iis criminibus statutum esse videtur. Et pœnæ non sunt ampliandæ, sed potius restringendæ.

Ad opposita respondere quis posset ex iis, quæ dicebam sectione præcedenti, ad primum argumentum.



DVBITATIO CXXIII.

An, confiscatis bonis parentis ob crimen ipsius parentis, cadant sub confiscationem bona, seu peculia filiifamilias?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Pater in bonis aduentitiis filiifamilias habet solum vsumfructum; in bonis verò profectitiis habet non solum vsumfructum, sed etiam proprietatem; in bonis autem castrensibus, vel quasi castrensibus non habet neque vsumfructum, neque proprietatem.*

2 *Vsufructuarius quotiescumque patitur maximam, vel mediam capitis diminutionem, quia tunc efficitur seruus pœnæ, de iure communi finitur vsusfructus.*

3 *Damnatus ad metallum, vel ad bestias patitur maximam capitis diminutionem. Item cùm damnatur ad vltimum supplicium. Item cùm maior viginti quinque annis se vendi patitur, vt pretio fruatur. Item cùm libertus ob ingratitudinem in patronum, redigitur in seruitutem.*

4 *Damnatus cùm ei interdicitur aqua, & ignis, & deportatur in insulam, patitur mediam capitis diminutionem, etiamsi retineat libertatem; si fiat hæc deportatio, seu relegatio cum amissione omnium bonorum; aliàs non dicetur pati mediam capitis diminutionem.*

5 *Pœna interdictionis aquæ, & ignis, damnationis ad metallum, & deportationis, hodie non sunt in vsu; sed loco ipsarum successit exilium perpetuum, præcipuè ad insulam minus salubrem, damnatio ad perpetuum carcerem, vel triremes.*

6 *Nemo à principio benè natus, idest ingenuus, efficitur seruus pœnæ, etiamsi ad supradictas pœnas condemnetur.*

7 *Vsufructuarius secundum aliquos Doctores non reputatur seruus pœnæ, neque ipsius vsusfructus finitur, neque tanquam mortuus habetur, si condemnatur ad mortem ciuilem; secus si condemnetur ad mortem naturalem; quia tunc etiam de iure Authenticorum efficitur seruus pœnæ, ac proinde intestabilis, & vsusfructus ipsius finitur.*

8 *Authentica* Sed hodie, *nullam distinctionem facit inter condemnatum ad mortem naturalem, vel ad ciuilem; ex quo infertur vtrumque condemnatum comprehendi; atque adeo vtrumque condemnatum eximi à seruitute pœnæ.*

9 *Condemnatus ad mortem ciuilem, vel naturalem, licet ab eo tollatur seruitus pœnæ, & libertatem per condemnationem non amittat; non tamen inde sequitur, quod sit habilis ad testandum, & disponendum de suis bonis.*

10 *Condemnatus ad mortem ciuilem, vel naturalem non est seruus pœnæ in ordine ad matrimonium contrahendum, vel ad perseuerandum in contracto, ex vi Authentica de nuptiis, §. quod autem; sed habendus est in hac parte, ac si omninò liber, & indamnatus esset; at in ordine ad testamentum vel dispositionem suorum bonorum, nihil est de seruitute immutatum; sed tam patiens maximam capitis diminutionem, quàm patiens mediam, intestabilis est, & pro mortuo habetur; ac proinde ipsius vsusfructus finitur, & ad proprietarium deuoluitur.*

11 *Damnatus ad mortem ex iure regio Castellæ potest testari, & liberè de bonis suis disponere confiscationi non subiectis, ac si condemnatus non esset: vndè sequitur, quod non finiatur vsusfructus in vsufructuario per maximam, vel mediam capitis diminutionem; sed requiritur mors naturalis cum effectu.*

12 *Extenditur etiam doctrina ad regnum Lusitaniæ.*

13 *Condemnato vsufructuario, & bonis eius confiscatis, de iure communi vsusfructus non confiscatur; sed ad proprietatem reuertitur: si crimen sit tale, ob quod vsufructuarius patitur maximam, vel mediam capitis diminutionem.*

14 *In regno Castellæ, & Lusitaniæ, in quibus ob maximam, vel mediam capitis diminutionem vsusfructus non finitur, non confiscatur, sed potius ad proprietatem reuertitur.*

15 *Vsufructuarius non potest alienare vsumfructum per contractum, vel vltimam voluntatem, immò si de facto tentet illum alienare, nulla est alienatio,*

&

& vsusfructus reuertitur ad proprietatem: ex quo infertur, quod neque potest alienare per delictum.

16 *Vsusfructus non potest transire ad extraneum, & consequenter neque ad fiscum: Quod enim non potest transire ad heredem extraneum, neque potest transire ad fiscum, cum succedat loco heredis extranei.*

17 *Reuitur obiectio, qua dicitur vsufructuarius non posse alienare, neque ad heredem extraneum transmittere ius percipiendi vsumfructum, bene tamen posse vita sua durante alienare commoditates, & vtilitates vsusfructus, quæ propterea confiscari possunt.*

18 *Quia contra est, cùm confiscatio non extendatur ad bona futura, & succedentia post crimen; sed solùm ad bona tempore criminis existentia: Commoditas enim, & vtilitas vsusfructus succedit post crimen, & condemnationem.*

19 *Vsusfructus secundùm probabiliorem sententiam, durante vita vsufructuarij, & bonis eius confiscatis ob crimen, ratione cuius non finitur vsusfructus, confiscatur quoad commoditatem, & vtilitatem.*

20 *Vsufructuarius licèt non possit alienare ius percipiendi fructus nomine proprio (quia tale ius est personale) bene tamen potest alienare, & alteri cedere facultatem percipiendi fructus, durante eius vita, non quidem vt ille alter nomine proprio fructus percipiat, sed vt eius nomine percipiat, & fruatur.*

21 *Vsusfructus non reputatur inter bona futura: sed præsentia, sicut census reputatur inter bona præsentia.*

22 *Amplia supradictam doctrinam, etiamsi vsufructuarius grauatus sit restituere vsumfructum post mortem, vel certum aliquod tempus: quia semper confiscabitur vsusfructus pro tempore, quo illum percipere debet: nisi in constitutione vsusfructus expressa esset alienationis prohibitio.*

23 *Secus si talis prohibitio alienationis facta esset in fauorem ipsius delinquentis: quia tunc è contra confiscabitur vsusfructus.*



1 SVPPONO ex dictis *dubitatione præcedenti, sect.* 1. Pateotem in bonis aduenitiis filiifamilias habere solùm vsumfructum, in bonis profectitiis habere non solùm vsumfructum, sed etiam proprietatem. In bonis autem castrensibus, vel quasi castrensibus, non habere neque vsumfructum, neque proprietatem. Difficultas igitur est, an confiscatis bonis ob delictum parentis, hæc bona, quæ filiifamilias sunt, cadant sub confiscationem, saltem secundùm illam partem, quæ pertinet ad parentem.

2 Suppono secundò, de iure communi, vsumfructum finiri, quotiescumque vsufructuarius patitur maximam, vel mediam capitis diminutionem: quia tunc vsufructuarios efficitur seruus pœnæ, & habetur pro mortuo: Ergo sicut vsusfructus finitur, & cum proprietate consolidatur, quando vsufructuarius moritur: ita & quando vsufructuarius à iure habetur pro mortuo, *l. corruptionem, Cod. de vsufructu, & §. finitur, Institut. de vsufructu*, & ibi communiter Doctores.

3 Patitur autem quis maximam capitis diminutionem, cùm damnatur ad metallum, vel ad bestias, *§. pœna seruus, Institut. quib. mod. ius patr. potest. soluit.* Item cùm damnatur ad vltimum supplicium, *l. qui vltimo, ff. de pœnis*: Item, cùm maior vigintiquinque annis se vendi patitur, vt pretio fruatur, *§. maxima, Institut. de capit. damnat.* Item, cùm libertus ob ingratitudinem in patronum, redigitur ad seruitutem.

4 Patitur mediam, capitis diminutionem, cùm interdicitur aqua, & igni, & deportatur in insulam, etsi retineat libertatem, *§. minor, Instit. eodem tit.* debet tamen hæc deportatio, seu relegatio fieri cum amissione omnium bonorum: aliàs non diceretur pati mediam capitis diminutionem, *§. cum autem, Instit. quib. mod. ius patr. potest. soluit.*

Cæterùm istæ pœnæ interdictionis aquæ, & ignis, damnationis ad metallum, & deportationis, hodie non sunt in vso, sed loco ipsarum successit exilium perpetuum (præcipuè ad insulam minùs salubrem,) damnatio ad perpetuum carcerem, vel triremes. Doctores communiter, quos sequitur Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5. titul. 1. num. 116.* Molina *de instit. tom. 1. disput. 9. §. quod vt*, & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 16. n. 7.* 5

An autem hæc omnia hodie correcta sint per *Authent. de nuptiis, §. quod autem, & per Auth. sed hodie, Cod. de donat. inter vir. & vxor.*

Ratio dubitandi est: quia ibi habetur, neminem à principio bene natum, idest, ingenuum, effici seruum pœnæ, etiamsi ad supradictas pœnas condemnetur; Ergo, si desinit esse seruus pœnæ, non debent ab ipso bona auferri, neque ipsi illorum dispositio interdici, ac proinde neque si vsufructuarius est, vsusfructus ipsius finiri. 6

Quidam, vt Couarruu. *in rubric. de testament. part. 3. num. 17.* & Anton. Gomez *tom 2. var. cap. 15. num. 20.* putant, non reputari seruum pœnæ, neque tanquam mortuum, vsumfructuarium, neque ipsius vsumfructum finiri, si condemnetur ad mortem ciuilem damnationis ad metallum, carcerem, triremes perpetuos, vel quid simile: quia per *cit. Anthent. sed hodie*, liberatur à seruitute pœnæ, & consequenter priuari non debet iure disponendi de suis bonis: secùs (subdunt ipsi) si condemnetur ad mortem naturalem; quia tunc etiam de iure Authentico tum efficitur seruus pœnæ (sicut antea) ac proinde & intestabilis, & vsusfructus ipsius finitur. Et adducunt pro se Glossam ordinariam *in dicta Anthem. sed hodie*, & complures alios Doctores. 7

Sed contra, quia Authentica *sed hodie*, nullam distinctionem facit inter condemnatum ad mortem naturalem, vel ad ciuilem: Ergo vtrumque condemnatum comprehendit, atque adeò vtrumque condemnatum eximit à seruitute pœnæ; præsertim quia vterque condemnatus erat anteà seruus pœnæ, & intestabilis factus sine vlla distinctione, *l. quidam sunt serui, ff. de pœnis, & l. eius qui, ff. de testament.* 8

Contra secundò; quia, esto à condemnato ad mortem ciuilem, vel naturalem tollatur seruitus pœnæ, & libertatem per condemnationem non amittat, non tamen inde sequitur, quod sit habilis ad testandum, & disponendum de suis bonis: quia iure antiquo, qui interdicebatur aqua, & igni, vel deportabatur in insulam, non efficiebatur seruus pœnæ; nam esto ciuitatem amitteret, libertatem tamen non amittebat, *§. minor, Institut. de capit. damnat.* & tamen sic deportatus, seu præscriptus intestabilis erat, *cit. l. eius qui, §. sed cui*; quia simul cum deportatione omnibus bonis spoliabatur; & illa fisco, vel hæredibus ab intestato applicabantur. Quod si aliquando deportatio contingebat absque istorum bonorum amissione, sic deportatus, seu relegatus mediam capitis diminutionem pati non dicebatur, *§. cùm autem, Instit. quib. mod. ius patr. potest. soln.* Ergo, quamuis Authentica *sed hodie*, tollat à condemnato ingenuo seruitutem pœnæ, non tamen inde sequitur, quod illum efficiat habilem ad testandum, & disponendum de suis bonis. 9

Dicendum igitur est cum Abbate *in rubric. de testam.* Molina *de instit. tom 1. disp 9.* & aliis, quod ex vi dictæ Authenticæ de nuptiis, *§. quod autem*, & dictæ Authenticæ *sed hodie, Cod. de donation. inter vir. & vxor.* condemnatus ad mortem ciuilem, vel naturalem non sit seruus pœnæ in ordine ad matrimonium contrahendum, vel ad perseuerandum in contracto, sed habendus sit in hac parte, ac si omninò liber, & indamnatus esset. At in ordine ad testamentum, vel dispositionem 10

suorum bonorum nihil sit de seruitute immutatum, sed tam condemnatus ad mortem naturalem, quàm ad ciuilem (scilicet ad deportationem cum amissione omnium bonorum) seu, tam patiens maximam capitis diminutionem, quàm patiens mediam, intestabilis sit, & pro mortuo habeatur: ac proinde ipsius vsusfructus, si quis erat, finiatur, & ad proprietarium deuoluatur.

11 Quamuis in quibusdam locis, vt in Regno Castellæ, hoc ius mutatum sit: conceditur enim, vt videre est post *l. 4. Tauri, quæ est 4. tit. 4. lib. 5. recopilat.* tali condemnato potestas testandi, & disponendi de bonis confiscationi non subiectis, ac si condemnatus non esset. Vnde sequitur, quod non finiatur vsusfructus in vsufructuario per maximam, vel mediam capitis diminutionem, sed requiratur mors naturalis cum effectu. Ratio, quia de iure communi, ideò vsufructuario condemnato, finiebatur vsusfructus, quia respectu bonorum temporalium tanquam mortuus habebatur: At ex iure regio Castellæ cessat hæc reputatio: cùm damnatus ad mortem possit testari, & liberè de bonis suis disponere: Ergo ex iure regio Castellæ cessante hac reputatione, cessabit etiam dispositio, & finis vsusfructus. Molina *cit. disput. 6.* Rebell. *part. 2. lib. 1. quæst. 7.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 16. num. 8.* Qui

12 eamdem doctrinam extendunt ad Regnum Lusitaniæ; quia, cùm in tali regno condemnatis ad mortem naturalem concedatur potestas testandi de tertia parte suorum bonorum, vt patet ex *5. lib. ordin. tit. 94.* & condemnatis ad mortem ciuilem tacitè concedatur potestas testandi simpliciter, efficitur, vsumfructum illorum, si quem habent, non finiri per condemnationem, quousque cum effectu mors naturalis sequatur: Reputari enim non possunt tanquam mortui, quibus aliqua bonorum suorum dispositio concessa reperitur.

13 Hinc sequitur, quod de iure communi, vsufructuario condemnato, & bonis eius confiscatis, vsusfructus non confiscetur, sed ad proprietatem reuertatur, si crimen sit tale, ob quod vsufructuarius patitur maximam, vel mediam capitis diminutionem, *l. corruptionem, Cod. de vsufruct.* & docent Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. num. 73.* Molin. *vbi suprà*, & Sanchez *cit. cap. 19. num. 7.* quia tunc ex dictis de iure communi vsusfructus finitur.

14 An autem confiscetur etiam in regno Castellæ, & Lusitaniæ, in quibus ob maximam, vel mediam capitis diminutionem vsusfructus non finitur; & idem est secundùm ius commune de crimine, in quo condemnatus non patitur maximam, vel mediam capitis diminutionem: vel potiùs ad proprietatem reuertatur?

Negant, confiscari, sed ad proprietatem reuerti, Bald. *in l. 2. Cod. de bon. libert. num. 4.* & ibi Salyces. *num. 9.* Alexand. *conf. 23. num. 14. vol. 2.* & Bernard. Diaz *pract. cap. 132. num. 4.*

15 Primò, quia vsufructuarius non potest alienare vsumfructum per contractum, vel vltimam voluntatem; immò, si de facto tentet illum alienare, nulla est alienatio, & vsusfructus reuertitur ad proprietatem, *l. si vsusfructus, ff. de iur. dot. & §. finitur, instit. de vsufruct.* & ibi Gloss. quam sequuntur communiter Doctores: Ergo neque potest alienare per delictum. Consequentia patet ex *l. Imperatores, ff. de fideicomm.* vbi expressè habetur, quod, qui non potest alienare per contractum, vel vltimam voluntatem, neque possit alienare per delictum.

16 Secundò, quia vsusfructus non potest transire ad extraneum, *cit. §. finitur, Instit. de vsufruct.* Ergo neque ad fiscum. Consequentia probatur: quia quod non potest transire ad hæredum extraneum, non potest transire ad fiscum: cùm fiscus succedat loco hæredis extranei, vt patet ex iis, quæ suprà sæpè sæpiùs dicebantur.

17 Quod, si dicas, vsumfructuarium non posse alienare, neque ad hæredem extraneum transmittere ius percipiendi vsumfructum, bene tamen posse, vita sua durante, alienare commoditates, & vtilitates vsusfructus, iuxta Textum in *l. Arboribus, ff. de vsufructu.* Sicuti licèt non possit in laicum alienari ius decimandi, *cap. prohibemus, de decimis*, bene tamen potest in laicum vendi, locari, vel quouis alio titulo concedi commoditas, & perceptio fructuum, *cap. vestra, de locat.* Ergo, licèt non possit confiscari ius percipiendi vsumfructum, bene tamen poterit confiscari commoditas, & vtilitas vsusfructus.

Contra est; quia confiscatio non extenditur ad bona 18
futura, & succedentia post crimen, sed solùm ad bona tempore criminis existentia. At commoditas, & vtilitas vsusfructus succedit post crimen, & condemnationem; & solùm ius percipiendi vsumfructum existit tempore criminis: Ergo si non potest confiscari, quia non potest alienari, ius percipiendi vsumfructum, neque poterit confiscari commoditas, & vtilitas vsusfructus: quia ad ipsam commoditatem, & vtilitatem vsusfructus, vtpotè succedentem, non extenditur crimen, & confiscatio.

Affirmant multò probabiliùs, ita vt durante vita 19
vsufructuarij, & bonis eius confiscatis ob crimen, ratione cuius non finitur vsusfructus, confiscetur & vsusfructus quoad commoditatem, & vtilitatem. Roman. *in l. si finita, §. si de vectigalibus, ff. de damn. infect. n. 12.* Surd. *de aliment. tit. 8. priuileg. 39. num. 22.* Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5. titul. 1. num. 73 & 116.* Molina *tom. 1. de inst. disput. 9. vers. ex dictis.* Vasquez *part. 1. disput. 169. cap. 1. num. 10.* Simanch. *de Cathol. instit. tit. 9. num. 19.* Nilus *de bannitis 1. part. secund. tempor. num. 21.* Anton. Gomez *tom. 2. var. cap. 15. num. 18.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 16. n. 4.* Farinac. *1. part. prax. q. 25. num. 150.* Fachin. *lib. 9. controuers. cap. 50.* & alij.

Probatur *ex l. si postulauerit, §. iubet, ff. ad leg. Iul. de adult.* vbi expressè habetur, ob crimen vsufructuarij confiscari commoditatem, & vtilitatem illius vsusfructus toto eo tempore, quo vsusfructuarius deberet illo
vti, ibi: *In quo tantùm vsumfructum habet reus, magis* 20
est, vt perceptio vsusfructus ad publicum incipiat pertinere. Et ratio est; quia, licèt tu vsufructuarius non possis alienare ius percipiendi fructus nomine proprio, quia tale ius est personale; bene tamen potes alienare, & alteri cedere facultatem percipiendi fructus, durante tua vita: non quidem, vt ille alter nomine proprio fructus percipiat, quia hoc solùm tibi vsufructuario competere potest, sed vt nomine tuo percipiat, & fruatur: qua alienatione, & cessione facta, tu vsufructuarius remanes impeditus vti vsufructu propter alienationem, & cessionem alteri factam: Ille tamen alter potest percipere fructus nomine tuo. At ea, quæ possunt alienari, & transmitti in alterum, possunt confiscari: Ergo potest confiscari hæc facultas percipiendi alieno nomine commoditatem, & vtilitatem vsusfructus:
quia huiusmodi facultas transmissibilis in alterum, non 21
est bonum futurum, sed præsens, quando crimen committitur, esto ipsa commoditas, & vtilitas vsusfructus posteà sequatur. Sicque igitur vsusfructus non reputatur inter bona futura, sed præsentia, sicut census reputatur inter bona præsentia, quia à tempore, quo vsufructuarius habuit sibi concessum ius in vsumfructum, habet absolutum ius in illum vsumfructum, sicut censuarius habet absolutum ius ad percipiendas annuas pensiones, licèt singulis annis commoditas illius vsusfructus sit soluenda vsufructuario, sicut etiam singulis annis commoditas pensionum in censu sunt soluendæ censuario. Quare, sicut ius ad annuum censum reputatur inter bona præsentia, ita & ius ad annuos vsusfructus.

Ampliatur supradicta doctrina, etiamsi grauatus sit 22
restituere vsumfructum post mortem, vel certum aliquod tempus: quia semper confiscabitur vsusfructus pro tempore, quo illum percipere debebas: nisi in constitutione vsusfructus expressa esset alienationis prohibitio

prohibitio facta in fauorem alicuius substituti; quia tunc ratione talis expressæ prohibitionis alienationis,
3 commissu crimine, non confiscabitur, sed ad substitutum transibit vsusfructus. Secùs si talis prohibitio alienationis facta esset in fauorem rei ipsius delinquentis: quia tunc è contra confiscabitur vsusfructus; communiter Doctores asserentes, prohibitionem factam alienandi res alicui concessas in fauorem illius, confiscari ob eius delictum, & amitti talem fauorem in odium delicti. Menoch. *de recuper. possess. remed. 9. num. 78.* Molina *tom. 3. de instit. disp. 656. n. 5.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 16. num. 5.*

Ad opposita responsio patet ex dictis.

SECTIO II.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Bona castrensia, vel quasi castrensia filij ob crimen patris nullo pacto confiscantur: quia ea tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum, & administrationem pertinent ad filium, & non ad patrem.*

2 *Bona aduentitia filij ob crimen patris non confiscantur quoad proprietatem: quia ea quoad proprietatem pertinent similiter ad filium, & non ad patrem.*

3 *Bona aduentitia filij ob delictum patris contra nonnullos probabilius est, posse confiscari quoad vsumfructum pro toto illo tempore, quo vsufructuarius debebat percipere vsumfructum.*

4 *Fiscus succedit non solùm in bonis, sed etiam in iuribus, quæ possunt alienari.*

5 *Limita nisi crimen sit tale, per quod extinguatur vsusfructus: si enim crimen est tale, vsusfructus non confiscatur: sed consolidatur cum proprietate.*

RESpondetur, & dico primò. Nullo pacto confiscantur bona castrensia, vel quasi castrensia filij ob crimen patris. Suarez *de fide disput. 22. sect. 5. num. 9.* Nellus *tract. de bannitis prima part. secundi tempor. num. 26.* Farinac. *de hæresi, quæst. 190. num. 17.* Sanchez *lib. 1. moralium, cap. 16. num. 1.* & alij communiter.

Probatur, quia bona castrensia, vel quasi castrensia filij, tam quoad proprietatem, quàm quoad vsumfructum & administrationem pertinent ad filium, & non ad patrem.

2 Dico secundò. Neque ob crimen patris confiscantur bona aduentitia filij quoad proprietatem. Suarez, Nellus, Sanchez, & alij suprà *in locis citatis.*

Probatur; quia bona aduentitia filij quoad proprietatem pertinent similiter ad filium, & non ad patrem.

3 An autem confiscentur quoad vsumfructum?

Respondetur, quod, probabilius sit, confiscari quoad vsumfructum pro toto eo tempore, quo vsufructuarius debebat percipere vsumfructum (si scilicet, quando pater commisit delictum, habebat vsumfructum in bonis aduentitiis filij, & ob delictum patris non amittitur patria potestas;) Sanch. *loco suprà cit. n. 13.* Fachio. *lib. 9. cap. 50.* Antonius Gomez *tom. 2. var. resolut. cap. 15. n. 18.* Farinac, *q. 24. n. 13.* & alij mox infrà citandi.

Quamuis contrarium sentiant Bald. *in l. 1. Cod. de bon. libert. num. 4.* Salycet. *ibidem num. 9.* Alexander *vol. 1. cons. 23. num. 14.* & alij, quatenùs aiunt, vsumfructum non confiscari, sed cum proprietate consolidari, & ad dominum habentem proprietatem illorum bonorum, in quibus alter habet vsumfructū, pertinere.

Probatur nostra responsio: quia ex dictis *sectione præcedenti*, fiscus succedit non solùm in bonis, sed etiam in iuribus, quæ possunt alienari, *l. si postulauerit, §. iubet, ff. de adulter.* Sed quamuis ab vsufructuario non possit alienari ius percipiendi fructus nomine proprio, potest tamen alienari ius percipiendi fructus nomine ipsius vsufructuarij: Ergo hoc potest transire in fiscum. 4

Confirmatur, quia cùm vsusfructus sit patris, publicari debet; sicuti patet *ex l. si postulauerit, ff. ad leg. Iul. de adulter.* vbi dicitur, quod ob delictum vsufructuarij publicetur commoditas illius vsusfructus toto eo tempore, quo vsufructuarius deberet illo vti, & quidem, quod ob delictum vsufructuarij publicetur vsusfructus, docent etiam Alexander *in l. si finita, §. si de vectigalibus, ff. de damn. infect. num. 51.* Romanus *ibidem num. 12.* Peregrin. *de iur. fisc. tit. 5. lib. 1. num. 73. & 116.* Surd. *de aliment. tit. 8. priuil. 59. num. 22. & 23.* Molina *de instit. tom. 1. disput. 9. vers. ex dictis.* Simanch. *de cathol. Institut. titul. 9. num. 16.* & Vasquez *part. 2. disput. 169. cap. 1. num. 10.*

Limita, nisi crimen sit tale, per quod extinguatur vsusfructus, quia si crimen sit tale, ex dictis eadem *sectione præcedenti*, & ex dicendis etiam *sectione sequenti* vsusfructus non confiscatur, sed consolidatur cum proprietate. Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *vbi supra num. 33.* & Menoch. *de recuper. possess. remed. 9. num. 244.* 5

Limita secundò, si vsumfructum alienari prohibeatur in fauorem aliorum, & non delinquentis, iuxta ea, quæ mox infrà dicentur.

Obiicies contra nostram responsionem ex Baldo, Salyceto, & Alexandro *in locis suprà citatis:* Bona futura non publicantur: At vsusfructus, qui debetur post publicationem, reputatur inter bona futura: Ergo non publicatur?

Respondetur: Nego minorem, quia potiùs vsusfructus reputatur inter bona præsentia, sicuti census: Nam ex tempore, ex quo vsufructuarius sibi concessum habuit vsumfructum, habet absolutum ius ad percipiendos annuos fructus, sicuti censuarius habet absolutum ius ad percipiendas annuas pensiones: licèt singulis annis commoditas illius vsusfructus soluenda sit vsufructuario, sicuti singulis annis etiam commoditas pensionum soluenda est censuario: Quapropter, sicuti ius ad percipiendas annuas pensiones reputatur inter bona præsentia, sic etiam vsusfructus, seu ius ad percipiendos annuos fructus.

Instabis: Sæpè prohibetur vsufructuarius alienare vsumfructum: Ergo, quamuis vsufructuarius delictum committat, vsusfructus non publicabitur, seu non transibit ad fiscum.

Respondetur: Distinguo consequens, si prohibeatur vsufructuarius alienare vsumfructum in fauorem aliorum, concedo: si prohibeatur alienare vsumfructum in fauorem ipsius vsufructuarij delinquentis, nego. Dico igitur, quod si talis prohibitio facta sit in fauorem ipsius vsufructuarij delinquentis, tunc vsusfructus publicatur. Menoch. *de recuperan. possess. remed. 9. num. 78.* Molina *de Instit. tom. 3. disp. 656. num. 5.* & alij communiter: quia cùm prohibitio alienandi res alicui concessas facta est in fauorem ipsius, tunc illæ res ob ipsius delictum confiscantur, & deperditur ille fauor. Quod, si prohibitio alienandi facta fuerit in fauorem aliorum, tunc non confiscabitur vsusfructus, sed consolidatur proprietati: quia par non est, quod ob delictum nocentis puniatur innocens.

SECTIO

SECTIO III.

An committente patre crimen, ratione cuius filius à patria potestate eximitur, extinguatur in patre vsusfructus bonorum, quæ filius ante crimen patris acquisiuit?

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus secundùm plures Doctores in crimine hæresis extinguitur, & cum proprietate consolidatur: In reliquis autem criminibus pater remanet vsusfructuarius, & fiscus potest confiscare vsumfructum toto eo tempore, quo pater illo fruiturus erat.*

2 *Filius non ex eo, quod egreditur à patria potestate, pater amittit vsumfructum in bonis ante egressum acquisitis: siquidem hic vsusfructus non debetur patri ob patriam potestatem actu existentem, sed ob patriam potestatem, quam in filium exercuit tempore, quo filio bona aduenerunt.*

3 *Vsusfructus, attento iure communi, consolidatur cum proprietate, si crimen, quo filius eximitur à patria potestate, sit tale, per quod pater patiatur maximam, vel mediam capitis diminutionem; quia tunc attento iure communi extinguitur.*

4 *Nullum est crimen patris, quo soluatur patria potestas in filium, quin sit crimen, ratione cuius pater non patiatur maximam, vel mediam capitis diminutionem.*

5 *Vsusfructus patris in bonis aduentitiis filij non publicatur ratione criminis hæresis, læsæ maiestatis, vel sodomiæ à patre commissi; sed ad filium tanquam extinctus pertinet à puncto, quo talia crimina declarantur.*

6 *Vsusfructus patris hæretici, rebellis, & sodomitæ, attento iure regio Castellæ, & Lusitaniæ, vbi ob nullum crimen quis redditur intestabilis, ad fiscum pertinet toto illo tempore, quo pater illum percipere debebat, si non delinqueret.*

7 *Specialis exceptio hæresis, quam aduersarij faciunt ex cap. 2. §. finali de hæretic. in sexto, Auctori non probatur: quia nullum ibi verbum est, ex quo colligatur, vsumfructum ad filium pertinere, nisi ex eo, quod eximitur filius à patria potestate.*

1 Dixi, *Bonorum, quæ filius ante crimen acquisiuit;* quia de acquisitis postea difficultas non est, ad patrem non pertinere; siquidem non habet pater amplius in filium patriam potestatem. Hoc supposito.

Quidam, vt Molina *de Iustit. tom. 1. disput. 9. & disput. 229.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 16. n. 18.* Alexand. *in l. si finito, §. fin. ff. de damn. infect. n. 45. & 51.* Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. n. 129.* Vasquez *part. 2. disput. 169. cap. 2. num. 18.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 8. & lib. 8. cap. 12. quæst. 15.* Rebell. *de Iust. 1. part. lib. 1. quæst. 7. sect. 2. num. 23.* Suarez *de fide disput. 22. sect. 5. num. 9.* & Less. *de Iust. & iur. lib. 2. cap. 3. dub. 5. num. 23.* putant, in crimine hæresis vsumfructum extingui, & cum proprietate consolidari: In reliquis autem criminibus patrem remanere vsumfructuarium, & fiscum eius bona confiscantem confiscare vsumfructum toto eo tempore, quo pater illo fruiturus erat.

2 Quia non ex eo, quod filius egreditur à patria potestate, pater amittit vsumfructum in bonis ante egressum acquisitis; siquidem hic vsusfructus non debetur patri ob patriam potestatem actu existentem (cùm percipitur, fructus.) Sed ob patriam potestatem, quam in filium exercuit tempore, quo filio bona aduenerunt, aliàs, ingresso filio in religionem, pater amitteret vsumfructum, & ingresso patre, rediret vsusfructus ad filium, quod non videtur in praxi receptum. In crimine autem hæresis ob eius atrocitatem filius ita a patria potestate egreditur, vt quoad omnia ipsius bona maneat exemptus, *ex cap. 2. §. final. de hæretic. in 6.* His tamen non obstantibus.

Respondetur meliùs cum aliis, quos sequitur Farin. *lib. 1. prax. cap. 24. num. 33.* distinguendo; vel crimen, quo filius eximitur à patria potestate, est tale, per quod pater patitur maximam, vel mediam capitis diminutionem, tunc attento iure communi, vsusfructus consolidatur cum proprietate: quia tunc, attento iure communi, extinguitur vsusfructus, vti dicebam suprà *sect. 1.* vel crimen non est tale, & tunc vsusfructus pertinet ad fiscum, quia, esto soluatur patria potestas, tamen, cùm vsusfructus non sit extinctus, ad fiscum pertinere debet. 3

Quamuis hoc de iure communi nunquam contingat, quia nullum est crimen patris, quo soluatur patria potestas in filium, quin sit crimen, ratione cuius pater non patiatur maximam, vel mediam capitis diminutionem. 4

Ex quibus sequitur, quod ratione criminis hæresis, læsæ maiestatis, vel sodomiæ à patre commissi, non publicetur eius vsusfructus in bonis aduentitiis filij, sed ad filium ille, tanquam extinctus, pertineat à puncto, quo talia crimina declarantur. Simanch. *de Cathol. Institut. tit. 9. num. 81.* Cauter. *in quæst. criminal. cap. 1. num. 34.* & alij, quos refert Farinac. *de hæres. quæst. 190. §. 1. num. 27.* 5

At attento iure regio Castellæ, & Lusitaniæ (vbi ob nullum crimen quis redditur intestabilis) vsusfructus patris hæretici, rebellis, & sodomitæ ad fiscum pertinet toto illo tempore, quo pater illum perciperet debebat, si non delinqueret. 6

Probatur: quia, esto filius à patria potestate egrediatur, non tamen ob id extinguitur vsusfructus: Nam pater reputari non potest tanquam mortuus ex prædicto iure regio Castellæ, & Lusitaniæ; cùm ex tali iure aliquam in bonis suis dispositionem habeat.

Neque mihi probatur specialis exceptio hæresis, quam aduersarij faciunt, *ex cap. 2. §. finali de hæretic. in 6.* quatenùs in dicto *cap. ob crimen patris,* etiam occultum, eximitur filius à patria potestate; quia nullum ibi verbum est, vnde colligatur, vsumfructum ad filium pertinere; nisi ex eo, quod eximitur filius à patria potestate: Ergo, cùm ob solam exemptionem à patria potestate, attento iure regio Castellæ, & Lusitaniæ, non extinguatur vsusfructus, sed solùm attento iure communi, sequitur, quod, attento iure regio Castellæ, & Lusitaniæ vsusfructus patris delinquentis pertineat ad fiscum, & attento iure communi pertineat ad filium, & consolidetur cum proprietate. 7

SECTIO IV.

An, confiscatis bonis patris ob crimen patris, confiscetur filiifamilias peculium profectitium?

SVMMARIVM.

1 *Peculium profectitium, confiscatis bonis patris ob crimen patris, secundùm aliquos Doctores non confiscatur: quatenùs secundùm ipsos dictum peculium pertinet ad filios, & non ad fiscum.*

2 *Limitant nonnulli ex ipsis, vt non procedat in casu, quo crimen patris sit tale, vt per illud soluatur patria potestas; quia tunc secundùm ipsos peculium profectitium non pertinet ad filium, sed ad fiscum, eo quod desinat esse peculium: secùs verò cum crimen non est tale; quia tunc durat patria potestas.*

3 Pecu

3 *Peculium profectitium, quod hac ratione confiscetur in crimine hæresis docent aliqui, quod tamen ab aliis reprobatur, quia ad confiscationem nihil refert desinere esse peculium, cessante patria potestate: sed sufficit esse peculium tempore, quo crimen committitur, & confiscatio fit.*

4 *Oppositum dicitur esse probabilius, & in crimine hæresis, & alterius, quo soluatur patria potestas: quia peculium profectitium est patris quoad proprietatem, & vsumfructum. Neque confiscatio impediri potest administratione, & spe succedendi, quam habet filius in hoc peculio; cùm sit hoc quid accessorium possessioni patris.*

5 *Peculium aduentitium quoties pater committit crimen confiscatione dignum, confiscatur quoad vsumfructum, etsi non quoad proprietatem: quia vsusfructus pertinet ad patrem; At peculium profectitium pertinet ad patrem non solum quoad vsumfructum, sed etiam quoad proprietatem.*

6 *Fiscus confiscatis bonis patris, si ex eius bonis non potest integrè satisfacere creditoribus, tenetur illis satisfacere de peculio profectitio: quia dominium illius peculij est patris.*

7 *Æs alienum minuit filiorum legitimam, nedum peculium profectitium; tum quia par non est, quod filius agens de lucro captando præferatur creditoribus agentibus de damno vitando; quæ rationes probant peculium profectitium confiscari.*

8 *Peculium profectitium reputatur tanquam legitima, qua deductis alimentis secundum probabiliorem sententiam confiscatur.*

9 *Fiscus in sententia communi non tenetur creditoribus delinquentis, cuius bona confiscat, satisfacere, nisi solum pro viribus hæreditatis confiscatæ.*

10 *Fiscus tenetur soluere debita de peculio ob delictum patris, quando actio de peculio est annalis.*

11 *Limitatio Sanchez dicentis non decidi in l. 2. §. sed & si alio, ff. quando actio de peculio est annalis, peculium confiscari: sed casu, quo confiscetur, teneri fiscum ad debita, reprobatur: quia frustra diceretur teneri fiscum de illo peculio, si illud nunquam posset confiscare.*

12 *Fiscus eodem modo dicitur de illo peculio teneri ad debita deportatione patris, ac tenetur hæres morte eiusdem patris; sicut enim hæres tenetur in omnium sententia de illo peculio satisfacere creditoribus morte patris; sic etiam fiscus.*

13 *Peculium in confiscatione bonorum patris ex l. 3. §. sed verum, ff. de minoribus, spectat ad filium.*

14 *Pandecta Florentina quomodò legant in dicta lege, videlicet debitum pecuniarium, an debitum simpliciter.*

15 *Verbum (debitum) comprehendit etiam debitum ex delicto.*

16 *Alij dicunt, esse ibi legendum delictum, non debitum.*

17 *Legislator si remittit peculium ob debitum pecuniarium patris, multo magis illud remittit ob delictum eiusdem patris.*

18 *Peculium profectitium neque separatur, non tanquam à fisco non occupatum, sed tanquam, id de quo dubitatur, an applicari debeat fisco, vel creditoribus patris: quia clarè in Textu citato dicitur ad filium spectare.*

19 *Peculium profectitium spectat ad filium, retenta communi lectione citati Textus, vt scilicet fiscus propter debitum pecuniarium patris occupet bona, interim dum non cognoscitur, an reliqua bona sufficiant ad satisfactionem contracti debiti.*

20 *Peculium profectitium, si loco debiti pecuniarij in Textu legendum sit,* delicti, *separatur, & alio casu ad filium spectat, scilicet cùm filius aliunde non habet, vnde substentetur.*

21 *Fiscus non potest occupare bona delinquentis, quæ parte aliena sunt, ac proinde non potest occupare directè administrationem peculij profectitij; sed occupando illa à potestate, & dominio patris, occupat administrationem illius indirectè: Quod non est inconueniens.*

NEgant Syluest. *verb. peculium* 1. *quæst.* 3. Angelus *ibidem, num.* 15. Tabiena *quæst.* 27. *num.* 18. Rozella *num.* 12. Anton. Gomez *lib.* 2. *var. cap.* 16. *num.* 16. Couarr. *lib.* 2. *var. cap.* 8. *num.* 7. Bossius *in pract. tit. de bonorum publicat. num.* 71. Menoch. *de recuperan. possess. remed.* 9. *num.* 73. Clar. *lib.* 5. *recept. quæst.* 78. *num.* 14. Peregr. *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 126. Farinac. *lib.* 1. *quæst.* 24. *n.* 26. Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 16. *n.* 21. Cancer. *in tract. crimin. tit. de quæst. tang. punition. delict. cap.* 1. *num.* 36. Petr. Nauarr. *de restitut. lib.* 3. *cap.* 2. *part.* 2. *dub.* 4. *num.* 79. & alij, quatenùs aiunt, in tali casu peculium profectitium pertinere ad filium, & non ad fiscum. 1

Etsi nonnulli ex iis limitent suam sententiam, vt non procedat in casu, quo crimen patris sit tale, vt per illud soluatur patria potestas; quia tunc (subdunt ipsi) peculium profectitium non pertinet ad filium, sed ad fiscum, eo quod desinat esse peculium, *l. final. Cod. de inoffic. testam.* Secùs vero, cùm crimen non est tale; quia tunc durat patria potestas, & ob hanc rationem in crimine hæresis confiscari peculium profectitium, docuerunt Cancera *vbi suprà, num.* 37. Gigas *tract. de crim. læs. maiest. lib.* 1. *tit. de pœnis committent. id crimen, quæst.* 13. *num.* 4. & Lælius Zecchius *in summa part.* 1. *tit. de fid. rubr. de hæret. cap.* 11. *num.* 16. Quam tamen limitationem reprobant Antonius Gomez, Menochius, & Sanchez *in locis suprà cit.* quia ad confiscationem nihil refert desinere esse peculium, cessante patria potestate, sed sufficit, si fuerit peculium tempore, quo crimen commissum est, & confiscatio facienda erat. His tamen non obstantibus. 2 3

Respondetur, probabilius esse oppositum, quod docent Bald. *l. filius, num.* 2. *ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris,* Caldas *in l. si Curatorem, num.* 119. *Cod. de in integr. restitut.* Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 8. Simanch. *de Cathol. Institut. tit.* 9. *num.* 17. Suar. *de fide disput.* 22. *sect.* 5. *num.* 9. Vasquez 1. 2. *disput.* 169. *cap.* 2. *num.* 10. Et in crimine hæresis, & alterius, quo soluatur patria potestas, tenent Gabriel Quemada *in quæst. fiscal. q.* 29. & Farinac. *de hæres. quæst.* 190. §. 1. *num.* 65. 4

Probatur: quia peculium profectitium est patris quoad proprietatem, & vsumfructum, *l. certum, Cod. famil. erciscund.* sed fiscus vsurpat bona, quæ sunt delinquentis tempore commissi delicti, ergo vsurpat peculium profectitium quoad proprietatem, & vsumfructum. Neque id impediri potest administratione, & spe succedendi, quam habet filius in hoc peculio, quia hæc administratio, & spes est quid accessorium possessioni patris, qua per delictum sublata, tollitur administratio, & spes. 5

Confirmatur: quia peculium aduentitium quoties pater committit crimen confiscatione dignum, confiscatur quoad vsumfructum, etsi non quoad proprietatem: quia vsusfructus pertinet ad patrem; sed peculium profectitium pertinet ad patrem non solùm quoad vsumfructum, sed etiam quoad proprietatem: Ergo confiscatis bonis patris, confiscabitur peculium profectitium, non solùm quoad vsumfructum, sed etiam quoad proprietatem. Aliàs exemptiora essent à confiscatione ob crimen patris bona profectitia, quàm aduentitia: Quod non videtur dicendum; cùm pater tenera plus iuris habeat in bonis profectitiis, quàm in aduentitiis.

Confirmatur secundò: quia confiscatis bonis patris, 6

tris, si ex cæteris eius bonis fiscus non potest integrè satisfacere creditoribus, tenetur illis satisfacere de peculio profectitio. Bald. *leg. filius*, *ff. de his*, *qui sunt sui*, *vel alieni iuris*, *numero* 2. Salycet *in leg. penultima*, *Codic. qui bonis cedere*, *numero* 3. & consentit Sanchez *citat. cap.* 16. *numero* 24. & Farinac. *de heres. quæst.* 190. *num.* 15. quia dominium illius peculij est patris quoad proprietatem, & vsumfructum, *licertum*, *ff. famil. herciscund.* Tum quia æs alienum minuit filiorum legitimam, nedum peculium hoc. Tum quia

7 par non est, quod filius agens de lucro captando præferatur creditoribus agentibus de damno vitando; sed omnes istæ rationes probant, peculium prædictum confiscari: Ergo. Minor probatur; quia illud

8 peculium reputatur tanquam legitima, quæ deductis alimentis, secundùm probabiliorem sententiam confiscatur. Tum quia filius in dicto peculio agit de lucro captando, ac proinde creditoribus postponendus: Ergo signum est, quod tale lucrum à patre filio prouenıat, sed nullum lucrum pater filio concedere potest, cùm omnia patris iura confiscentur: Ergo.

9 Confirmatur tertiò, quia in sententia communi fiscus non tenetur creditoribus delinquentis, cuius bona confiscat, satisfacere, nisi solùm pro viribus hæreditatis confiscatæ: Ergo, si confiscatis bonis patris delinquentis, creditoribus de peculio profectitio fieri debet satisfactio, quando reliqua bona non sufficiunt, signum est, peculium profectitium confiscari, seu sub confiscatione comprehendi.

10 Confirmatur quartò, quia *ex l.* 1. *§. sed etsi alio*, *ff. quando actio de peculio est annalis*, tenetur fiscus soluere debita de peculio ob delictum patris, ibi: *Sed etsi morte patris*, *vel deportatione*, *sui iuris fuerit effectus filius*, *de peculio intra annum heres patris*, *vel fiscus tenebitur*. Ergo si tenetur fiscus de illo peculio creditoribus satisfacere, signum est, quod illud peculium iam transiuerit ad fiscum. Cynus ibi, Bald. *in l. diximus*, *§. si pater*, *ff. de excusat. tutor.* Roman. *in leg. si finita*, *§. si de vectigalibus*, *quæst.* 1. *num.* 16. & Alexand. *ibidem*, *num.* 45.

11 Neque dicas eum Sanchez *loco suprà cit. num.* 21. non decidi ibi, peculium confiscari, sed casu quo confiscetur, teneri fiscum ad debita: quia frustra diceretur, fiscum teneri de illo peculio, si illud peculium nunquam fiscus posset confiscare: Quapropter affirmans Textus, fiscum teneri, supponit, peculium illud confiscari.

12 Confirmatur quintò; quia eodem modo dicitur fiscus de illo peculio teneri ad debita deportatione patris, ac tenetur hæres morte eiusdem patris: sed in omnium sententia tenetur hæres de illo peculio satisfacere creditoribus morte patris: quia in illo peculio succedit cum tali onere, & grauamine: Ergo etiam fiscus in eodem peculio succedit cum eodem onere, & grauamine.

13 Obiicies *ex l.* 3. *§. sed vtrum*, *ff. de minoribus*. Peculium in confiscatione bonorum patris spectat ad filium, ibi: *Licet aliquo casu peculium ad filium spectet*, *vtpote si patris tiui bona à fisco propter debitum pecuniarium occupata sunt: Nam peculium eius ex Constitutione Diui Claudij separatur*: Vbi glossa verbo *separatur*, ait, *vt salvum habeat filius*.

14 Neque dicas, ibi non agere legislatorem de occupatione bonorum ob delictum, sed de occupatione bonorum ob debitum pecuniarium: Quia in Codicibus

15 Florentinis non habetur verbum *Pecuniarium*: sed solùm *Debitum*, quod comprehendit etiam debitum ex de-

16 licto, *leg. si cui exemplo*, *ff. de verb. significat.* Tum quia Sanchez ex Balduino probat, non esse legendum *debitum*, sed *delictum*. Tum quia maior difficultas est in remissione debiti pecuniarij, quàm in remissione pœnæ ob delictum. Quia in remissione debiti pecuniarij agitur de damno vitando: In remissione verò pœnæ ob delictum, agitur solùm de lucro captando: 17

Ergo, si legislator remittit peculium ob debitum pecuniarium patris, multò magis illud remittet ob delictum eiusdem patris.

Neque etiam dicas, peculium illud separari, non 18 tanquam à fisco non occupatum, sed tanquam id, de quo dubitatur, an applicari debeat fisco, vel creditoribus patris: quia claré in supradicto Textu dicitur, peculium illud ad filium spectare: Quod cum effectu debet intelligi, aliàs in casu confiscationis non ad filium, sed ad fiscum diceretur spectare: Ergo, ex einsmodi lege videtur omninò dicendum, peculium profectitium filij non confiscari, sed ad filium spectare.

Respondetur: si retinetur communis lectio (vtscilicet fiscus propter debitum pecuniarium patris occupet bona) dicendum est cum Bald. *in l. filium*, *n.* 2. *ff. de his*, *qui sunt sui*, *vel alieni iuris*, ad filium tale peculium spectare interim, dum non cognoscitur, an reliqua bona sufficiant debito contracto satisfacere. Quem intellectum satis indicat verbum illud *separatur*: Separatur enim tale peculium, vt illud saluum habeat filius, casu quo reliqua bona patris sufficiant creditorum satisfactioni. 19

Quod si legi debere contendas loco *debiti pecuniarij*, *delicti*: Respondetur cum eodem Baldo *in l. executorem*, *num.* 30. *Cod. de execut. rei iudic.* ex Constitutione Diui Claudij, peculium profectitium separari, & aliquo casu ad filium spectare, scilicet, cùm filius aliunde non habet vnde substentetur. 20

Obiicies secundò: Fiscus non potest occupare bona delinquentis, quæ parte aliena sunt à delinquente; 21 At bona illa profectitia non sunt patris delinquentis quoad administrationem, & spem in illis succedendi, sed filij; Ergo secundùm hanc partem occupari non possunt à fisco. Præsertim, quia priuatio illius administrationis est pœna, *leg. testamento*, *Digestis de manumissis testamento*, sed nulla pœna infligi potest absque culpa illius, quoi illam patitur: Ergo filius absque culpa non potest administratione illorum bonorum priuari, atque adeò nec poterunt dicta bona confiscari.

Respondemus, fiscum non occupare bona quæ parte aliena sunt, ac proinde non occupare directè administrationem peculij profectitij, sed occupando illa à potestate, & dominio patris, occupat administrationem illius indirectè: Quod non est inconueniens: cessare scilicet administrationem filij ob occupatam proprietatem ab alio, quàm à patre, sicuti, si occuparetur à creditoribus ob debitum patris.

SECTIO V.

An, confiscatis bonis patris ob crimen patris, confiscetur legitima?

SVMMARIVM.

1 *Legitima*, *confiscatis bonis patris ob crimen patris*, *ex generali regula non confiscatur*, *ex l. cùm ratio*, *ff. de bonis damnat. vbi etiam debetur de iure naturali.*

2 *Legitima filio non debetur*, *nisi à die*, *quo bona patris confiscata sunt*: *quia ab illo die pater tanquam mortuus iudicatur*, *ex leg.* 1. *ff. de bonis damnatur. vbi ponderandum verbum illud* (*accipiunt*) *quod est præsentis temporis*, *non futuri.*

3 *Legitima debita filio attento iure communi*; *licèt sit tertia pars hæreditatis paternæ*, *quando filij sunt*

sunt quatuor, aut pauciores, & dimidia, quando sunt quinque, vel plures; In casu tamen, in quo bona patris confiscantur, si pater habet vnum, vel duos filios, est dimidia pars totius hæreditatis: si verò habeat tres, vel plures filios, tota hæreditas diuiditur in filios, & fisco nihil applicatur.

4 *Hæreditas tota patris, attento iure regio Castellæ, excepta quinta parte, de qua ipse liberè potest disponere, reputatur filiorum legitima.*

5 *Limita regulam generalem supradictam non procedere in bonis maternis, si ea ob crimen matris confiscantur; quia non reseruatur inde filiis legitima, quæ tamen reseruatur filiis fœminis, ac si pater non deliquisset.*

6 *Limita, vt etiam non procedat in filiis conceptis post condemnationem; quia illis non debetur legitima, cùm tunc temporis pater nihil habeat, quod possit illis relinquere.*

7 *Limita & in crimine hæresis, in quo ob paternam hæresim, & punitionem patris, tale crimen committentis, priuantur filij, etiam Catholici, legitima ipsis debita in totum, & per totum.*

8 *Limita etiam in crimine læsæ maiestatis humanæ, commisso tamen in Principem, vel Rempublicam; quia ratione huius criminis tantùm filij priuantur successione paterna.*

1 Respondetur, regulam generalem esse, legitimam non confiscari. Tiraquell. *in repetit. l. si vnquam, num.* 332. *Cod. de reuocan. donation.* Peregrin. *de iur. fisc. lib.* 5. *titul.* 1. *num.* 54. *& seqq.* Roland. *consi.* 97. *num.* 29. *vol.* 1. Clarus *quæst.* 78. *vers. videndum est*, & alij complures, quos citat, & sequitur Farinac. *lib.* 1. *prax. quæst.* 24. *num.* 34. & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 16. *num.* 25.

Probatur, quia *in l. cùm ratio, ff. de bon. damnat.* expressè dicitur, quod, confiscatis bonis parentis, faciendum non sit præiudicium in legitima.

Secundò probatur ratione, quia ex supradicta lege legitima debetur de iure naturali, non positiuo; Ergo non transit in fiscum, nisi expressè à fisco id cautum sit.

2 Nota tamen hic, quod filio non debeatur legitima, nisi à die, quo bona patris confiscata sunt: quia ab illo die pater tanquam mortuus iudicatur. Roland. *cons.* 97. *num.* 34. *vol.* 2. Boss. *in titul. de bonor. publicat. num.* 6. & Farinac. *quæst.* 24. *num.* 35. *ex leg. prima, ff. de bon. damnat.* quatenùs ibi dicitur, quod, quando bona patris confiscantur ob crimen, ratione cuius pater vita, vel ciuitate, & libertate priuatur, filij portionem ex bonis patrum damnatorum accipiunt. Ponderat enim verbum illud accipiunt, quod est præsentis temporis, non futuri.

3 Nota secundò, quod hæc legitima debita filio, attento iure communi, licèt sit tertia pars hæreditatis paternæ, quando filij sunt quatuor, aut pauciores: & dimidia, quando sunt quinque, vel plures, *Authent. nouissima, Cod. de inofficios. testam.* In casu tamen, in quo bona patris confiscantur, si pater habet vnum, vel duos filios, est dimidia pars totius hæreditatis. Si verò habeat tres, vel plures filios, tota hæreditas diuiditur in filios, & fisco nihil applicatur, *l. final. Cod. de bon. damnat.* Glossa, & alij, quos refert, & sequitur Roland. *cons.* 97. *num.* 30. & Farinac. *quæst.* 24. *prax. num.* 37. *& seqq.* vbi subdit, quod ab hac doctrina, vtpote iuris expressa authoritate firmata, & communiter à Doctoribus recepta, recedendum non sit in iudicando.

4 Dixi, *attento iure communi*; quia attento iure regio Castellæ, tota hæreditas patris, excepta quinta parte, de qua ipse liberè potest disponere, reputatur filiorum legitima, *l.* 1. *titul.* 6. *lib.* 5. *recopilat.* His notatis.

Limitatur regula generalis supradicta in bonis maternis; quia, si hæc bona ob crimen matris confiscantur, non reseruatur inde filiis legitima, *l. de bonis matris, Codic. de bonis proscript.* & tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Clarus *lib.* 5. *q.* 78. & Farinac. *quæst.* 24. *num.* 44. reseruatur tamen legitima filiis fœminis, ac si pater non deliquisset. Doctores quos citat, & sequitur idem Farinac. *in praxi lib.* 3. *quæst.* 115. §. 3. *num.* 99. 5

Limitatur secundò, vt non procedat in filiis conceptis post condemnationem; quia illis non debetur legitima, cùm tunc temporis pater nihil habeat, quod possit illis relinquere. Bald. *in l. final. Cod. de bon. damnator.* Roland. *dicto cons.* 96. *num.* 38. & Farinac. *vbi suprà num.* 42. vbi subdit, id procedere in casu deportationis, secùs in banno; quia per bannum non amittuntur iura communia, quemadmodùm amittuntur per deportationem; Ergo, si post bannum patris filius conceptus sit, debetur ei legitima, secùs si post deportationem. 6

Limitatur tertiò in crimine hæresis, in quo ob paternam hæresim, & in punitionem patris tale crimen committentis priuantur filij, etiam Catholici, legitima ipsis debita, in totum, & per totum, *cap. vergentis, de hæretic.* vbi filij redduntur incapaces omnis successionis paternæ, vt sic patres timore, pœnæ ita grauis deterreantur à tali crimine committendo & *Authent. Gazaros, Cod. de hæretic.* & tradunt Gloss. *in cap. Cùm secundùm, de hæretic. in* 6. Pegna 2. *part. Director. comment.* 9. Simanc. *de Cathol. Instit. titul.* 29. *num.* 11. Farinac. *vbi suprà n.* 44. & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 16. *num.* 26. 7

Limitatur quartò in crimine læsæ maiestatis humanæ, commisso tamen in principem, vel Rempublicam; quia ratione huius criminis tantùm filij priuantur successione paterna, *ex leg. quisquis, Cod. ad leg. Iul. maiestat.* & tradit Glossa *in leg. eorum, ff. eodem*, vbi latè probat, non extendi alia crimina læsæ maiestatis contenta *in l. prima, secunda & tertia, ff. eodem*; quam Glossam sequuntur Clarus *in practica*, §. *læsæ maiestatis, numero* 15. Menoch. *de arbitrar. lib. secundo, cas.* 316. *numero* 29. Farinacius *in praxi lib.* 2. *quæstione* 115. §. 3. *numero* 123. & alij communiter. 8

SECTIO VI.

An, confiscatis bonis parentum ob crimen læsæ Maiestatis commissum à parentibus, reseruanda sit filiabus legitima?

SVMMARIVM.

1 *Legitima, confiscatis bonis parentum ob crimen læsæ maiestatis commissum à parentibus, reseruanda est filiabus de bonis maternis; secùs de paternis, à quibus omninò excluduntur; quia eæ propter sexus infirmitatem minùs ausuræ creduntur, difficiliusque prauos paternos mores imitaturæ.*

2 *Legitima, licèt non debeatur filiabus ex bonis patris crimen læsæ maiestatis committentis, debetur tamen eis dos, casu quo aliundè eam non habeant; quia iure naturæ pater obligatur filias dotare.*

3 *Obligatio tradendæ dotis filiabus, ni fuerit adimpleta per patrem, transit ad ipsius hæredes, atque adeò cùm fiscus loco hæredis succedat, bonis patris confiscatis, filias dotare tenetur.*

4 *Filiæ priuari debent quacumque legitima, dote, & successione paterna, & materna in crimine hæresis, si ab vtroque parente commissum sit, si verò*

verò ab vno, priuari debent omnibus iis, quæ ab ipso debebant ipsis prouenire.

1 RESpondetur, reseruandam eam esse de bonis maternis, secùs de paternis: Ab his enim omninò excluduntur, *ex l. quisquis, §. filias, Cod. ad leg. Iul. Maiest.* Et redditur ibi ratio huius fauoris: quia propter sexus infirmitatem minùs ausuræ creduntur fœminæ, difficiliusque prauos paternos mores imitaturæ, & Glossa ibi *verb. filiabus,* & Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *quæst.* 115. §. 3. *num.* 94.

2 Cæterùm, quamuis filiabus non debeatur legitima ex bonis patris crimen læsæ maiestatis committentis, tamen debetur eis dos, casu quo aliunde eam non habeant: quia iure naturæ pater obligatur filiam dotare,
3 *l. final. Cod. de dot. promiss.* Ergo si pater huic obligationi non satisfecit, ea ad ipsius hæredes transit. Bartol. *in l. si maritus, §. si voluntate, & in l. insulam, ff. solut. matrim.* Alexand. *in l. quæsitum, §. si sponsam ff. de priuileg. credit.* & alij passim, atque adeò cùm fiscus loco hæredis succedat, bonis patris confiscatis, sequitur, quod fiscus filias dotare teneatur. Bartol. *in l. final. Cod. de dot. promiss.* Roland. *cons.* 73 *num.* 13. *volum.* 23. Clar. *in pract. criminal. læs. maiest. vers. hæ autem pœ-*
5 *næ*: & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *quæst.* 24. *num.* 46.

4 At in crimine hæresis videtur, quod propter eius atrocitatem quacumque legitima, dote, & successione paterna, & materna filiæ priuari debeant, si ab vtroque parente commissum sit: si verò ab vno, priuari debeant omnibus iis, quæ ab illo debebant ipsis prouenire. Esto supradicti Doctores eodem modo loqui videantur de hoc crimine, ac de crimine læsæ maiestatis humanæ: & Textus *in cap. vergentes, de hæretic.* dicta crimina comparet inter se.

SECTIO VII.

An filiis committentium crimen læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, reseruanda sint saltem alimenta?

SVMMARIVM.

1 *Alimenta reseruanda non sunt filiis committentium crimen læsæ Maiestatis diuinæ, vel humanæ: nisi solùm ex misericordia: Tales enim debent esse in hoc munde, vt ipsis vita sit supplicium, & mors solatium.*

2 *Filij, saltem in crimine læsæ maiestatis humanæ, licèt priuentur hæreditate, & legitima patris delinquentis, secundùm nonnulles Doctores non improbabiliter non priuantur alimentis: sed de patris bonis debent ali.*

1 RESpondetur negatiuè: nisi solùm ex misericordia; quia, vt dicitur *in l. quisquis, Cod. ad leg. Iul. maiestat. & in cit. cap. vergentis,* tales debent esse in hoc mundo, vt ipsis vita sit supplicium, & mors solatium. Petr. Surd. *de aliment. tit.* 1. *quæst.* 31. & alij communiter, quos citat, & sequitur Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 16. *num.* 26.

2 Quamuis contrarium (scilicet, saltem in crimine læsæ maiestatis humanæ, filios, etsi priuentur hæreditate, & legitima patris delinquentis, non priuari tamen alimentis, sed de patris bonis alendos esse) non improbabiliter doceant Soccin. *cons.* 30. *num.* 3. *lib.* 2. Ripa *in l. ex facto, §. ex facto, num.* 9. *ff. ad Trebell.* & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *lib.* 3. *praxis q.* 115. §. 2. *num.* 128.

SECTIO VIII.

An filij committentium crimen hæresis, aut læsæ maiestatis, possint in foro conscientiæ ad substentationem sui aliquid abscondere de bonis parentum confiscandis, si ipsis non reseruentur alimenta?

SVMMARIVM.

1 *Filij committentium crimen hæresis, aut læsæ maiestatis possunt in foro conscientiæ ad substentationem sui aliquid abscondere de bonis parentum confiscandis, si ipsis non reseruentur alimenta.*

2 *Limita in sola extrema necessitate, quando omnia sunt communia, & secundùm Authorem extende etiam ad grauem necessitatem, quo casu satis probabiliter tenetur fiscus illis eleemosynam largiri.*

3 *Debitor in casu grauis necessitatis non tenetur creditori debitum restituere: ita vt obligatus cedere bonis suis possit abscondere, & retinere quantum opus est ad tenuem sui, & eorum, quos alere tenetus, substentationem iuxta suum statum; cùm ad restitutionem nullus teneatur cum tanto suo incommodo.*

RESpondetur affirmatiuè: Quod etsi à Sanch. *lib.* 2. 1
moral. cap.. num. 27. limitetur in sola extrema ne- 2
cessitate, quando omnia sunt communia, extendendum tamen mihi videtur etiam, quoties filij grauem inde passuri sunt necessitatem: quia in tali casu satis probabiliter tenetur fiscus illis eleemosynam largiri. Tum quia *in dicto casu* non tenetur debitor creditori debi- 3
tum restituere: Ita vt obligatus cedere bonis suis possit abscondere, & retinere, quantum opus est ad tenuem sui, & eorum, quos alere tenetur, sustentationem iuxta suum statum, eo quod ad restitutionem nullus tenetur cum tanto suo incommodo. Doctores, quos sequitur Bonacina *disput.* 3. *de contract. quæst.* 8. *punct. vltimo,* §. 1. *num.* 15.



DVBITATIO CXXIV.

An, confiscatis bonis mariti ob crimen ipsius mariti, cadant sub confiscationem bona vxoris?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Vxoris bona non confiscantur, confiscatis bonis mariti ob crimen ipsius mariti, etiamsi læsæ maiestatis, vel hæresis sit.*

2 *Pœna suos tenet Authores, nec vlterius contra eos progreditur? Non enim videtur conforme recta rationi, vt ob alterius crimen innocens puniatur; nisi quando fuerit in iure expressum.*

3 *Dos vxoris non solùm non confiscatur: sed neque bona propria ipsius vxoris.*

4 *Excipe, nisi fortè mulieres ipsæ cum viris matrimonium contraxissent, quos hæreticos tunc sciebant: Tunc enim dotes ipsarum in pœnam confiscantur.*

5 *Bona*

5 *Bona paraphernalia, vel alio titulo vxori quæsita, neque confiscantur.*

6 *Arrhæ, nempè donatio vxori facta propter nuptias à sponso, neque confiscantur; nisi tunc sponsus fuerit hæreticus; quia in tali casu omnes donationes à puncto commissi criminis infirmantur; cùm omnia eius bona fisco sint obligata.*

7 *Donatio prædicta censetur inter bona vxoris, quæ tamen hodie censetur à nonnullis, non esse amplius in vsu.*

8 *Donationes factæ vxori à consanguineis mariti, neque confiscantur; nisi donans expressisset voluntatem, vt marito acquirerentur, quod raro fit.*

9 *Donationes à consanguineis mariti vxori factæ non confiscantur ob crimen mariti, quando illæ acquiruntur vxori; confiscantur tamen, quando acquiruntur marito: Tunc enim acquiruntur marito, quando constat de voluntate donantis.*

10 *Donata à consanguineis mariti vxori, probabilius est, & è contra donata à consanguineis vxoris marito, esse acquisita donotario, & consequenter, soluto matrimonio, non esse restituenda.*

11 *Acquisita ab vxore constante matrimonio, confiscatis bonis mariti, non confiscantur, ex generali regula, & consequenter neque vbi lucra diniduntur per æquales partes inter coniuges, confiscatur media pars lucri vxori innocenti acquisita.*

12 *Donationes factæ vxori à marito constante matrimonio, probabiliter non confiscantur; quia morte ciuili mariti videntur confirmatæ quoad effectum, nec transferuntur in fiscum.*

13 *Vestes vxori donatæ à marito, siue viles, siue pretiosæ, non confiscantur; quia semper præsumi debent, esse illius, cui sunt donatæ.*

14 *Vestes pretiosæ non improbabiliter secundum alios confiscantur, dummodo illi sint datæ à marito, non tamen confiscantur vestes viles, & quotidianæ: Et è contra quod ob crimen vxoris confiscentur, vestes viles, & quotidianæ, non tamen vestes pretiosæ, censent aliqui, & cur.*

1 ESPONDETVR: Confiscatis bonis mariti ob crimen ipsius mariti, etiamsi læsæ maiestatis, vel hæresis sit, nulla bona vxoris confiscantur: Ita Glossa *in cap. decreuit, de hæretic. in 6. verb. confiscari*, Angelus *verb. hæreticus, n.* 11. Syluest. *eodem verbo* 1. *n.* 13. Armill. *ver. hæresis, n.* 15. Suarez *de fide disput.* 22. *sect.* 5. *num.* 8. Roland. *lib.* 1. *cons.* 31. *n.* 33. *& in tract. de lucro dotis, quæst.* 59. Soccin. Sen. *lib.* 4. *cons.* 121. *n.* 1. *&* 2. Soccin. Iuo. *lib.* 2. *cons.* 55. Bossius *tit. de confiscat. bonor. num.* 73. & alij communiter.

2 Probatur; quia *ex l. sancimus, Cod. de pœn.* & *ex l. ob maritorum, Cod. ne vxor pro marito*, pœna suos tenet authores, nec vlterius contra eos progreditur: Et ratio est; quia non videtur conforme rectæ rationi, vt ob alterius crimen innocens puniatur; nisi quando fuerit in iure expressum; vt expressum est, filios hæreticorum, & aliorum quorumdam puniri ob crimen parentum; at nullo iure expressum est, vxorem esse puniendam ob crimen mariti, vel è contra: Ergo.

3 Hinc sequitur, quod non confiscetur dos vxoris, *l. si marito, in principio, ff. solut. matrim.* Et idem etiam statuitur de dote, & omnibus bonis propriis vxoris, *in l. si quis post hæc, in principio, Cod. de bonis proscript. in l. quisquis, §. vxores, Cod. ad leg. Iul. maiest.* & *in cap. decreuit, de hæretic.* in 6. dicitur: *Decreuit felicis recordationis Innocentius Papa IV. quod propter hæresim maritorum, vxorum Catholicarum dotes non debeant*

4 *confiscari.* Excipit tamen Pontifex, nisi fortè mulieres ipsæ cum viris matrimonium contraxissent, quos hæreticos tunc sciebant; quia tunc in pœnam criminis commissi, & periculi peruersionis, cui se mulieres exponunt, dotes ipsarum confiscantur.

Sequitur secundò, quod neque confiscentur bona paraphernalia, vel alio titulo vxori quæsita; quia sunt vxoris, Læl Zecch. *in summa part.* 1. *tit. de fide, rubr. de hæretic. cap.* 11. *n.* 16. & Pegna *in director. Inquisit. part.* 3. *q.* 111. *commentar.* 160. 5

Sequitur tertiò, quod neque confiscentur arrhæ, nempè donatio vxori facta propter nuptias à sponso, nisi tunc sponsus fuerit hæreticus; quia in tali casu omnes donationes à puncto commissi criminis infirmantur; cùm omnia eius bona fisco sint obligata. Simanch. *de cathol. institut. tit.* 9. *n.* 70. Roland. *lib. de lucro dotis, quæst.* 59. *num.* 4. Cantera *in quæst. crimin. rubr. de hæretic. cap.* 1. *n.* 3. Vasquez *part.* 2. *disput.* 169. *cap.* 2. *num.* 13. Peregr. *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 82. Soccin. *lib.* 4. *cons.* 121. *n.* 1. Albertin. *tract. de statut. part.* 3. *quæst.* 3. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 8. Et patet *ex Auth. bona damnat. §. vxore, Cod. de bon. proscript.* Quia huiusmodi donatio inter bona vxoris numeratur. 6

Quamuis, quod hæc donatio non sit amplius in vsu, velint Glossa *in Authen Æqualitas, in fine, Cod. de pact. conuent.* Bald. *in Authen. dos data, Cod. de donat. propt. nupt.* & Paris. *lib.* 2. *cons.* 95. *n.* 31. 7

Sequitur quartò, quod neque confiscentur donationes vxori factæ à consanguineis mariti; nisi donans expressisset voluntatem, vt marito acquirerentur: Quod rarò fit; quia esto contemplatione mariti vxori donentur, potest tamen donans velle, vt vxori acquirantur: Et ita velle regulariter præsumi debet; quod scilicet regulariter acquirantur coniugi donatario, & non alteri coniugi. Bald. *cons.* 316. *n.* 2. *vol.* 2. Menoch. *de præsumpt. lib.* 3. *præsumpt.* 16. *num.* 17. Pegna *in director.* 3. *part. q.* 111. *comment.* 160. *ver. neque*, & Farin. *de hæresi q.* 150. *n.* 46. quamuis alij contrarium sentiant, vt mox infra patebit. 8

Donationes igitur à consanguineis mariti vxori factæ non confiscantur ob crimen mariti, quando illæ acquiruntur vxori; confiscantur tamen, quando acquiruntur marito. Tunc autem acquiruntur marito, quando constat de voluntate donantis, vt si consanguineus donans exprimat, quod acquirantur marito; cùm acquisitio pendeat ex voluntate donantis. Quando autem est dubium de voluntate donantis, tunc licet donata à consanguineis mariti vxori, censeri esse donata marito, sicque post solutum matrimonium esse restituenda marito, vel eius hæredibus: & è contra donata à consanguineis vxoris marito, censeri esse donata vxori, sicque ipsi, vel ipsius hæredibus esse restituenda soluto matrimonio, velint Syluest. *verb. donatio* 2. *q.* 5. Rosella *eodem verb.* 1. *n.* 39. Nauarr. *cap.* 17. *n.* 166. Molina *de Iust. disp.* 430. *concl.* 2. & Mascard. *de probat. concl.* 564. *n.* 5. *& seqq.* Probabilius tamen est oppositum (in dubio scilicet donata à consanguineis vxoris marito esse acquisita donatario, & consequenter, soluto matrimonio non esse restituenda) vti supra dicebam cum Baldo, & aliis supra citatis. 9 10

Sequitur quintò, quod neque, vbi lucra diuiduntur per æquales partes inter coniuges, confiscetur media pars lucri vxori innocenti acquisita: Et generaliter quod acquisita ab vxore, constante matrimonio, confiscatis bonis mariti, non confiscentur, docet Pegna *loco suprà cit.* Farinac. *n.* 47. *&* Graff. *lib.* 2. *decis. cap.* 11. *n.* 33. 11

Sequitur sextò, contra Simancham *de cathol. instit. tit.* 9. *n.* 10. Vasquez 1. 2. *disput.* 169. *cap.* 1. *n.* 4. & Azor. *tom.* 1. *lib* 5. *cap.* 7. *q.* 8. quod probabiliter neque confiscentur donationes vxori factæ à marito, constante matrimonio; quia morte ciuili mariti videntur tales donationes confirmatæ quoad effectum, nec transferuntur in fiscum. 12

Sequitur septimò, quod probabiliter etiam neque confiscentur vestes vxori datæ à marito, siue viles, siue pretiosæ sint; quia ex dictis semper præsumi debent esse illius, cui sunt donatæ, & morte ciuili donantia confirmari respectu donatarij. 13

Quamuis alij, vt Alexander *conf.42. num. 4. vol.5.* Roman. *conf.146.* Roland. *consil.10.n.12.lib.1.* Barbat. *conf.60. lib.3.* Rosella *verb. donatiò 1. n.37.* & Syloest. *eodem verb.2. quæst.5.* non improbabiliter distinguant, asserendo, quod ob crimen mariti confiscentur vestes pretiosæ vxoris, datæ illi à suo marito, non tamen confiscentur vestes viles, & quotidianæ, & è contra, quod ob crimen vxoris confiscentur vestes viles, & quotidianæ, non tamen vestes pretiosæ; quia vestes pretiosæ non censentur esse donatæ vxori, sed solùm illi ad vsum accommodatæ, ac proindè, soluto matrimonio, sunt restituendæ marito, viles verò, & quotidianæ censentur esse vxori donatæ, atque adeò, soluto matrimonio, sunt vxoris, eiusque hæredum.

Sed de his omnibus, & similibus, vide Doctores suprà citatos, præsertim Farinac. *part.1. praxis quæst. 25. n.111. & seqq.* & *de heresi, q.190. §.3. n.43. & seqq.* Vasquez 1.2. *disput.169. cap.1. & 2.* Sanch. *de matrimon. disput. 26. lib.6. & lib.2. moral. cap.17. per tot.* & præterea Eymeric. *in 3. part. directory, q.111.* & ibi Pegnam *commentar.160.*

SECTIO II.

Aduertenda.

SVMMARIVM.

1 *Vxor, confiscatis bonis mariti, potest propria auctoritate capere dotem, paraphernalia, arrhas, medietatem lucri, & quidquid coniugis innocentis proprium est.*

2 *Vxor, cuius dos, & alia, quæ naturam dotis sequuntur, non sunt in propria specie; sed habet bona mariti obligata, & hypothecata doti, potest impedire confiscationem, quousque sibi de dote plenè satisfactum fuerit.*

3 *Vxor in tali casu non est necessarium, quod declaret, se bona mariti possidere iure hypotheca; quia sufficit causam possidendi superuenisse.*

4 *Sola obligatio, & hypotheca, si non adsit clausula constituti, non impedit dotis confiscationem, esto vxor possit eam à fisco repetere.*

5 *Vxor, si habuerit in instrumento dotali clausulam constituti, poterit impedire confiscationem quousque sibi de dote satisfactum fuerit, quia ratione talis clausula transfertur dominium, & possessio bonorum.*

6 *Vxor, vt impediat confiscationem, non sufficit, dotem, & alia esse à marito confessa in quolibet instrumento; nisi simul per testes, vel fidem Tabellionis, vel aliter constet de illius reali traditione, & numeratione; alias fisco non praiudicabit.*

7 *Fiscus, & quilibet alius heres aduersus vxorem, in cuius fauorem constat sola confessio instrumentalis mariti, non verò numeratio pecuniæ, potest vti exceptione non numerata dotis, etiamsi in instrumento renunciatum fuerit exceptioni non numerata dotis.*

8 *Fiscus debet opponere exceptionem non numerata dotis intra annum à die mortis mariti, vel illius condemnationis; quia succedit loco hæredis; qui pariter non potest exceptionem huiusmodi opponere transacto anno, vel melius transacto decennio.*

9 *Fiscus quousque dotem non soluit, tenetur præstare alimenta vxori; quia succedit loco hæredis, qui ad idem tenetur.*

10 *Vxor potest repetere fundum dotalem, quem ob hæresim mariti vendicat fiscus, si illum vendiderit maritus hæreticus etiam cum consensu iurato ipsius vxoris.*

11 *Vxor ideò potest repetere fundum, etiamsi sit suo consensu iurato alienatum, ab emptore in casu, de quo agitur, ex eo, quod fiscus habet ius reuocandi alienationes factas à delinquente ex tempore commissi delicti; qua reuocatione facta, succedit ipsa in funde dotali.*

ADuerte primò, quod omnia supradicta, dotem, pa- 1
raphernalia, arrhas, medietatem lucri, & quidquid coniugis innocentis proprium est, possit vxor, confiscatis bonis mariti, propria auctoritate capere, *l. si quis post hac, Cod. de bon. proscript.* Quia licet de iure cautum sit, quod nemo in re propria habeat manuum iniectionem, *l. si quis in tantum, Cod. de vi, & l. extat, ff. quod metus causa*; vxor tamen quasi in prærogatiuam matrimonij, concessum habet, vt res proprias detentas à marito, cuius bona confiscantur, propria auctoritate capere possit. Ioan. Lupus *in rubric. de donat. inter vir. & vxor. §.66. n.18.* & alij, quos sequitur Farinac. *1. part. praxis quæst.25. num.119.* & Sanchez *cit. cap.17. n.3.*

Aduerte secundò, quod si dos, & alia, quæ naturam 2
dotis sequuntur; non sint in propria specie, sed vxor bona mariti habeat obligata, & hypothecata doti, licet regulariter obligatio, & hypotheca non tribuat creditori priuilegium retentionis, fauore tamen dotis contrarium decretum sit (si simul cum obligatione, & hypotheca detur illorum bonorum retentio, & possessio) quare ratione possessionis, & hypothecæ poterit vxor impedire confiscationem, quousque sibi de dote plenè satisfactum fuerit. Baldus, Bossius, & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *loc. suprà cit. num. 118.* Vbi ex 3
Rota Romana probat, non esse necessarium, quod vxor declaret, se bona mariti possidere iure hypothecæ; quia sufficit, causam possidendi superuenisse.

Dixi, *si simul cum obligatione, & hypotheca concurrat* 4
possessio, & retentio illorum bonorum ab vxore, quia sola obligatio, & hypotheca, si non habet clausulam *Constituti*, non impedit dotis confiscationem, esto possit eam à fisco repetere. Doctores, quos citat, & sequitur Bossius *de bonor. publicat.* Iul. Clar. *q.78. vers. quæro,* & Farinac. *quæst.25. n. 116.* At si clausulam *Constituti,* 5
habuerit vxor in instrumento dotali, poterit impedire confiscationem, quousque sibi de dote satisfactum fuerit; quia ratione talis clausulæ transfertur dominium, & possessio bonorum. Farinac. *loco supra cit.* & Rolandus *conf.51. n.39. vol.1.*

Aduerte tertiò, quod non sufficiat, dotem, & alia 6
supradicta esse à marito confessa in quolibet instrumento, vt confiscatio impediatur, nisi simul per testes, vel fidem Tabellionis, vel aliter constet de illius reali traditione, & numeratione, aliàs fisco non præiudicabit, *l.1. Cod. de dote cauta, non numerata, & l. si quis post hac, Cod. de bonis proscript.* & tradunt communiter
Doctores. Quare poterit fiscus sicut, & quilibet alius 7
hæres, aduersus vxorem vti exceptione non numeratæ dotis, etiamsi in instrumento renunciatum fuerit exceptioni non numeratæ dotis: Doctores, quos sequitur Farinac. *de heresi q.190. n.48.*

Debet tamen opponere exceptionem intra annum à 8
die mortis mariti, vel illius condemnationis. Simanch. *de cathol. institut. tit.9. num. 69.* Sanchez *lib.2. moral. cap.17. n.6.* & alij, vel melius intra decennium, *Authen. quod locum, Cod. de dote cauta non numerata,* & Farinac. *q.25. n.122.* Quia in hac parte fiscus non vtitur priuilegio, sed succedit loco hæredis: Ergo, sicut hæres, transacto anno (vel melius, transacto decennio) non potest opponere exceptionem non numeratæ dotis, ita neque poterit fiscus.

Hinc sequitur, quod fiscus teneatur præstare alimen- 9
ta vxori, quousque dotem non soluit; quia succedit loco hæredis, qui tenetur ad id, eo quod alimenta sunt annexa doti. Doctores, quos sequitur Sanch. *loco suprà cit. num.8.*

Sequitur secundò; quod si maritus hæreticus con- 10
sensu vxoris iurato vendat fundum dotalem, quem ob hæresim mariti vendicet fiscus, possit illum vxor repetere;

tere; quia non debet fiscos vxoris detrimento locupletari. Sanchez vbi suprà *n.9.* & Farinac. *de hæresi q.190. num.* 84.

11 Non obstat, si dicas, vxorem non posse repetere fundum sic alienatum, ab emptore ob consensum datum.

Respondetur enim, non esse nouum, vt quis ex alterius persona consequatur, quod ex se consequi non potest: Consequitur autem hic ex eo, quod fiscus habet ius reuocandi alienationes factas à delinquente ex tempore commissi delicti, qua reuocatione facta, succedit vxor in fundo dotali.

SECTIO III.

An, confiscatis bonis mariti, confiscetur vsusfructus dotis vxoris pro eo tempore, quo ipse maritus illo fruiturus erat?

SVMMARIVM.

1 *Vsusfructus dotis vxoris non confiscatur, confiscatis bonis mariti pro eo tempore, quo ipse maritus illo fruiturus erat; quia ob confiscationem factam maritus effectus est impotens alere vxorem.*

2 *Vsusfructus dotis pertinet ad maritum constante matrimonio, quia pertinet ad ipsum ad effectum alendi vxorem; quare reddita dote vxori, redditur & illi vsusfructus; quia consolidatur cum proprietate.*

1 Respondetur negatiuè; atque ita tenet ex Baldo *in tractat. dotis 7. part. principal.* 17. Gomez *leg.* 78. *Tauri, n.4. argum. Textus in l. vbi adhuc, Cod. de iur. dotium.*

Probatur; quia ob confiscationem factam maritus effectus est impotens alere vxorem: Ergo, cùm dos data sit marito ad alendam vxorem, reddenda est ea vxori, vt sibi possit prouidere. Alias non esset licitum vxori, bona dotalia vsurpare, neque illi essent reddenda, sed apud fiscum deberent manere, contra id, quod dicebatur *sect.* præcedenti.

2 Neque obstat, si dicas, vsumfructum dotis pertinere ad maritum, constante matrimonio: Ergo cùm fiscus succedat in omnibus iuribus mariti delinquentis, succedet etiam in hoc vsufructu, marito delinquenti debito.

Respondetur enim, vsumfructum dotis pertinere ad maritum, constante matrimonio; quia pertinet ad maritum, ad effectum alendi vxorem: vndè reddita dote vxori, redditur & illi vsusfructus; quia consolidatur cum proprietate.

SECTIO IV.

An, confiscatis bonis mariti, confiscetur dos vxori inopi, vel cum dote modica nuptæ debita, nempè quarta pars bonorum mariti, iuxta Textum in Authen. præterea, Cod. vnde vir, & vxor?

SVMMARIVM.

1 *Dos vxori inopi, vel cum dote modica nupta debita, nempè quarta pars bonorum mariti non confiscatur, confiscatis bonis mariti.*

2 *Maritus ratione matrimonij contracti tenetur concedere vxori pauperi, vel cum dote modica nupta quartam partem suorum bonorum, & fiscus, sicut & quilibet hæres extraneus, tenetur satisfacere debitis ex contractu.*

3 *Quarta pars bonorum mariti vxori inopi, vel cum modica dote nupta magis debetur, quàm filiis legitima: Nam hæc quarta pars debetur titulo oneroso, & ratione contractus matrimonij: Legitima verò solùm debetur titulo successionis, ac proindè confiscatur legitima, non tamen hæc quarta pars.*

4 *Quarta pars prædicta minuit legitimam filiorum, & extrahi debet ex toto cumulo hæreditatis, sicut quodlibet aliud debitum ex contractu factum.*

5 *Amplia etiam, si confiscatio fieret vigore alicuius statuti particularis; quia adhuc talis quarta pars non confiscabitur, nisi ex tali statuto expressè cautum fuerit, confiscari.*

6 *Omne statutum confiscans bona, debet intelligi secundum ius commune.*

7 *Quæ secundum ius commune, & titulo pietatis, & ex contractu debentur, non censentur quauis generali constitutione reuocata, nisi expressè de illis mentio fiat.*

8 *Consuetudo præsumi non debet contra ius commune, nisi probetur.*

9 *Limita doctrinam suprà ampliatam, non procedere, quando mulier bis nupsisset, & nollet à priori marito quartam exigere; quia tunc non posset petere ex bonis secundi mariti confiscatis: non enim tunc ipsi quarta debetur, cùm non sit pauper.*

10 *Intellige, in casu, quo mulier cum nupserit secundò, haberet ius exigendi quartam à primo marito, & posset illam exigere. Secus si ius exigendi præscriptione periisset, &c.*

Respondetur negatiuè, atque ita tenet Soccin. *cons.* 828. *n.7. &* 16. *vol.4.* Farinac. *quæst.25.n.123.* & Sanch. *lib.2. moral. cap.17 n.11.* 1

Probatur, quia ex dispositione supradictæ Authenticæ tenetur maritus ratione matrimonij contracti concedere vxori pauperi, vel cum dote modica nuptæ quartam partem suorum bonorum; sed tenetur fiscus, sicut & quilibet hæres extraneus, satisfacere debitis ex contractu: Ergo tenebitur satisfacere etiam huic obligationi. 2

Non obstat, si dicas: hæc quarta pars, quæ loco dotis est assignata vxori inopi, &c. non est illi debita viuente marito, sed est sicut legitima, quæ non debetur filiis, viuente patre, sed post mortem illius: At confiscatis bonis patris, confiscatur filiorum legitima, præsertim in crimine hæresis: Ergo confiscatis bonis mariti, confiscabitur hæc quarta pars. 3

Respondetur enim, disparitatem esse; quia magis debetur hæc quarta pars vxori inopi, &c. quam filiis legitima: Nam hæc quarta pars debetur titulo oneroso, & ratione contractus matrimonij; legitima verò solùm debetur titulo successionis; ac proindè confiscatur legitima, non tamen confiscatur hæc quarta pars.

Accedit, quod huiusmodi quarta pars minuit legitimam filiorum, & extrahi debet ex toto cumulo hæreditatis, sicut quodlibet aliud debitum ex contractu factum. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *loco suprà cit.* Ergo ex confiscatione legitimæ non rectè infertur huius quartæ partis confiscatio. 4

Ampliatur doctrina, vt procedat, etiamsi confiscatio fieret vigore alicuius statuti particularis; quia adhuc talis quarta pars non confiscabitur, nisi in tali statuto expressè cautum fuerit, confiscari; quia omne statutum confiscans bona, debet intelligi secundum ius commune. Tum quia, quæ debentur secundum ius commune, & titulo pietatis, & ex contractu, non censentur quauis generali constitutione reuocata, nisi expressè de illis mentio fiat, *l. libertis. §. posthumis, ff. de aliment. & cibar. legat. & cap. si propter, de rescript. in 6.* Et videri poterit Farinac. *q.25.n.824.* 5 6 7

Quod dixi de statuto, seu constitutione, idem dico de 8

de consuetudine; quia & hæc contra ius commune præsumi non debet, nisi probetur.

9 Limitatur tamen doctrina, quæ suprà ampliabatur, vt non procedat, quando mulier bis nupsisset, & nollet à priori marito quartam exigere; quia tunc non potest petere ex bonis secundi mariti confiscatis: non enim tunc ipsi quarta debetur, cum tunc non sit pauper. Soccin. *cons.* 121. *n.* 30. *& seqq.* & Sanch. *lib.* 2. *moral. cap.* 17. *n.* 11.

10 Quod tamen intellige casu, quo mulier cum nupserit secundò, haberet ius exigendi quartam à primo marito, & posset illam exigere; quia si ius exigendi, quod mulier habebat, præscriptione periisset, & primus maritus non haberet bona, ex quibus vxori quarta pars possit adiudicari, tunc quarta mulieri debetur à secundo marito; quia tunc mulier verè pauper est.

SECTIO V.

An si mulier scienter nupserit marito hæretico, condemnari debeat non solùm in priuatione dotis, sed etiam in priuatione aliorum bonorum, quæ ipsius mulieris sunt propria?

SVMMARIVM.

1 *Dos mulieris nubentis marito hæretico confiscatur confiscatis bonis mariti, si ipsa cognouisset eo tempore, quo matrimonium contraxit, maritum esse hæreticum: At in casu, quo dubium sit, an sciuerit, fisco incumbit onus probandi eam sciuisse, vt possit à dotis vindicatione repelli.*

2 *Dotis mulieris nubentis scienter cum marito hæretico confiscatio non est ipso facto; sed per sententiam iudicis.*

3 *Pœna etiam ipso iure lata non debetur ante sententiam.*

4 *Dos tradita marito cum onere, vt alteri, soluto matrimonio restituatur, exempta est à prædicta pœna; quia tunc dos, sicut quodlibet aliud fideicommissum, confiscari non poterit in perpetuum, benè tamen pro tempore, quo mulier illa dote fruitura erat.*

5 *Mulier si scienter nupserit marito hæretico, condemnari non debet neque in priuatione dotis, neque in priuatione aliorum bonorum, quæ ipsius mulieris sunt propria: Id enim nullo iure habetur.*

6 *Ratio desumpta in cap. decreuit in 6. de hæreticis, non probat, & cur.*

7 *Mulier, durum videtur, quod scienter hæretico nubens eadem generali pœna afficiatur, ac afficitur ipse hæreticus; cum in lucro acquirendo nulla videatur esse turpitudo, ob quam confiscatione sit dignum.*

8 *Sententia in oppositum non est improbabilis; quia Textus in dicto cap. decreuit, nihil aliud voluit, quàm dotem à confiscatione bonorum mariti exemptam esse, excepto casu, quo mulier sciuerit maritum esse hæreticum, & ab exemptione dotis alia etiam bona exempta esse intelliguntur: At è contra si dos non est exempta in casu scientiæ, neque alia bona erunt exempta.*

9 *Dos in cit. cap. fuit nominata gratia exempli (cum sit quid præcipuum, & magis proprium vxoris) non vt dispositio ad solam dotem sit coarctata.*

10 *Ex dictis refelluntur fundamenta prioris sententiæ.*

11 *Sententia, quod mulier scienter nubens hæretico priuetur dote, adeò à Doctoribus suis defenditur, vt eam non solùm extendant ad bona possessa ab vxore tempore matrimonij contracti; sed etiam ad medietatem lucri constante matrimonio acquisiti.*

12 *Mulier potest in priuatione omnium illorum bonorum condemnari, non quidem præcisè ob crimen præteritum, quod commisit nubens scienter hæretico; sed quia sic nubens, & in tali matrimonio perseuerans redditur suspecta de hæresi, & fautrix hæreticorum damnari potest.*

13 *Mulier si à principio ignoranter processerit, postea verò sciuerit maritum esse hæreticum, eumque cohabitetur, neque denunciet, non ex hoc confiscatione bonorum damnari debet; quia cum denunciare in tali casu probabiliter non teneatur, non censetur peccato illius consentire.*

14 *Mulier in dubio præsumitur quod ignorans contraxerit cum hæretico: Quapropter ad fiscum volentem, vt dos illius publicetur pertinebit probare scientiam.*

SVppono ex dictis *sect.* 1. dotem mulieris nubentis marito hæretico, confiscatis bonis mariti, confiscari, si ipsa cognouisset eo tempore, quo matrimonium contraxit, maritum esse hæreticum; quia sic expressè habetur *in cap. decreuit, de hæret. in* 6. Ibi: *Nisi mulieres ipsæ cum viris matrimonium contraxissent, quos hæreticos tunc esse sciebant.* Et tradit ibi Glossa: Ioan. Monach. *num.* 2. Ioan. Andr. *num.* 1. Geminian. *num.* 2. Angel. *verb. hæreticus, num.* 11. Syluest. *eodem verb.* 1. *num.* 18. *& ver. hæresis*, Repertor. Inquisit. *verb. dotes, vers.* 1. Armilla *verb. hæresis, n.* 5. Tabiena *ver. hæreticus num.* 6. Pegna *cit. comment.* 160. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 17. *n.* 17. & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæresi quæst.* 190. §. 3. *n.* 52. qui rectè subdunt, quod in casu dubio præsumatur ignorantia, & fisco competat onus probandi, habuisse vxorem scientiam hæresis, vt possit à dotis vindicatione repelli. 1

Suppono secundò, hanc confiscationem dotis mulieris nubentis scienter cum marito hæretico, non esse ipso facto, sed per sententiam iudicis; quia *in cit. cap. decreuit*, nullum est verbum hanc pœnam irrogans ipso iure. Doctores, quos sequitur idem Sanchez *vbi suprà num.* 18. Quare non tenetur vxor tradere dotem fisco ante sententiam iudicis; quia sicuti dicebam, in eo textu non imponitur hæc pœna ipso iure incurrenda. Vt omittam, pœnam etiam ipso iure latam, non deberi, nisi præcedente sententia iudicis. Poterit tamen iudex illam damnare ad amissionem dotis, siue quia scienter contraxit cum hæretico, siue quia tali matrimonio reputatur fauere hæretico. 2 3

Suppono tertiò, ab hac pœna omninò exemptam esse dotem, quæ marito tradita fuerit cum onere, vt alteri, soluto matrimonio, restituatur; quia tunc dos, sicut quodlibet aliud fideicommissum, confiscari non poterit in perpetuum, benè tamen pro tempore, quo mulier illa dote fruitura erat. Doctores, quos citat, & sequitur Sanch. *cit. cap.* 17. *numer.* 19. & Bonacina *disput.* 3. *de contractibus, quæst.* 8. *punct. vltimo*, §. 1. *n.* 16. His suppositis. 4

Respondetur negatiuè, atque ita tenent Sanchez, & Bonacina *in locis suprà citatis*, & alij, quos sequitur Barbosa *in Collectan. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 14. *n.* 3. 5

Probatur; quia nullo iure habetur, in dicto casu omnia bona vxoris confiscari: Ergo sine textu expresso pœna hæc imponi non debet.

Secundò, quia si quæ ratio esset, præcipuè esset; quia sic statuitur de bonis dotalibus *in cit. cap. decreuit, de hæretic. in* 6. At hæc ratio non probat; quia pœnæ non sunt extendendæ; etsi Pontifex voluisset, vt ob matrimonium scienter cum hæretico contractum vxor amitteret omnia bona sua, expressisset, & non restrinxisset ad dotem, mentionem faciendo solùm de dote: Ergo. 6

Tertiò; quia durum videtur, quod eadem generali pœna confiscationis afficiatur mulier scienter hæretico nubens, ac afficitur ipse hæreticus; cùm in lucro acquirendo 7

acquirendo nulla videatur esse turpitudo, ob quam confiscatione sit dignum.

8 Oppositum tamen non improbabiliter tenent Cantera *in quæst. criminal. tit. de quæst. tangen. punit. delict. cap. 1. num. 23.* Simancha *de catholic. Instit. tit. 9. num. 74.* Vasquez *part. 2. disput. 169. cap. 5. num. 13.* & Farinacius *de hæresi quæst. 190. §. 3. num. 94.* ex eo, quia textus *in dicto cap. decreuit*, nihil aliud voluit, quam dotem à confiscatione bonorum mariti exemptam esse, excepto casu, quo mulier sciuerit, maritum esse hæreticum. At ex eo, quod dos sic fuit exempta, probamus etiam, & reliqua bona vxoris exempta fuisse: Ergò, si in casu scientiæ dos non fuit exempta, in casu scientiæ reliqua etiam bona non erunt exempta, sed comprehensa.

9 Secondò, quia dos ibi fuit nominata gratia exempli, cùm sit id, quod præcipuum est, & magis proprium vxoris; non vt dispositio ad solam dotem sit coarctata; aliàs sola dos, & non bona paraphernalia, & largitas sponsalitia in casu ignorantiæ erunt exclusæ, quod est omninò falsum; Ergò in casu scientiæ dos, & reliqua bona vxoris comprehendentur.

10 Ad fundamenta prioris nostræ sententiæ respondere quis posset, ad primum *ex dicto cap. decreuit*, desumptum, iam probatum esse, ibi dotem fuisse nominatam gratia exempli, non vt dispositio quæ ad solam dotem coarctaretur.

Ad secundum, non eodem modo puniri mulierem scienter nubentem viro hæretico, ac punitur ipse vir hæreticus; quia vir hæreticus punitur in confiscatione bonorum ipso facto: mulier verò per sententiam iudicis. Vt omittam, virum hæreticum puniri aliis pœnis, quibus non punitur mulier ob hoc delictum nubendi.

11 Hinc Cantera, Simancha, Vasquez, & Farinacius *in locis supra citatis* adeò veram suam sententiam arbitrantur, vt eam non solùm extendant ad bona possessa ab vxore tempore matrimonij contracti, sed etiam ad medietatem lucri, constante matrimonio acquisiti.

12 At, vt hoc defendi possit, intelligi debet, posse mulierem in priuatione omnium illorum bonorum condemnari, non quidem præcisè ob crimen præteritum, quod commisit nubens scienter hæretico; sed quia sic nubens, & in tali matrimonio perseuerans, redditur suspecta de hæresi, & fautrix hæreticorum; ità vt solùm, tanquam suspecta de hæresi, & fautrix hæreticorum damnari possit. Glossa *in dicto cap. decreuit, ibidem.* Ioan. Andreas, Geminianus, Franchus, Cantera *cit. cap. 1. num. 2.* & Farinacius *de hæresi quæst. 190. num. 50.*

13 Quod si à principio ignoranter mulier processerit, postea verò sciuerit, maritum esse hæreticum, eumque comitetur, neque denunciet, non ex hoc confiscatione bonorum damnari debet, quia, cum denunciare in tali casu probabiliter non teneatur, non censetur peccato illius consentire. Glossa *in dicto cap. decreuit, de hæretic. in 6. vers. tunc*, & ibi Ioan. Andr. *in fine*, Geminian. *num. 2.* Franchus *num. 2.* Dominicus *in fine*, Ancharan. *in fine.* Pegna *in director. Inquisit. part. 3. comment. 160. vers. in hac tractatione*, Læl. Zecchius *in summa, titul. de fide, rubr. de hæretic. cap. 11. num. 16.* Bossius *tit. de bonor. publicat. num. 73. & 75.* Peregr. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. num. 83.* Farinacius *quæst. 25. n. 111.* Clarus *lib. 5. recept. quæst. 78. num. 15.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 17. num. 24.*

14 Et in dubio præsumitur mulier, quod ignorans contraxerit cum hæretico. Quapropter ad fiscum volentem, vt dos illius publicetur, pertinebit probare, quod scienter fecerit, vti suprà probabam.

Et mulier non amittit dotem, si non denunciet virum, postquam nouit illum esse hæreticum, vti etiam suprà probabam, & quia nullo iure imponitur hæc pœna, qua de re videri poterit Pegna *loc. suprà cit. vers. plus tamen.*

SECTIO VI.

An si maritus catholicus ducat mulierem, quam certò nouit, hæreticam esse, puniri debeat confiscatione bonorum ob hoc crimen, sicut de muliere sectione præcedenti dictum est?

SVMMARIVM.

1 *Maritus, si scienter ducat mulierem, quam certò nouit esse hæreticam, puniri non debet confiscatione bonorum ob hoc crimen, quia nullo iure id probatur.*

2 *In cap. decreuit, de hæretic. in 6. dicitur; Vxor contrahens cum viro hæretico amittit dotem: At vir in matrimonio contrahendo non affert dotem.*

3 *Mulier ob ipsius facilitatem, & subiectionem marito, grauiori periculo peruersionis se exponit sic nubens, quàm vir.*

4 *Fœmina rapiens virum, vel aliam fœminam; non incurrit eas pœnas, quas incurrit vir rapiens fœminam, sic à pari maritus non incurrit pœnas statutas tantùm contrà fœminas nubentes scienter hæretico.*

5 *Pœna imposita viro rapienti fœminam, extendi debere ad fœminam rapientem virum, vel aliam fœminam, sensere nonnulli Doctores.*

6 *Fœmina occidens virum suum non incurrit eas pœnas, quas incurrit vir occidens vxorem suam: Quapropter cùm in casu de quo agitur, sit solùm imposita pœna contrà fœminam contrahentem cùm viro hæretico, extendi non debet ad virum catholicum contrahentem cum fœmina hæretica.*

7 *Pœna imposita contrà virum occidentem vxorem suam extendi debere ad fœminam occidentem virum suum, sentiunt aliqui Doctores.*

8 *Sententia in oppositum non est improbabilis: Non improbabiliter enim sub nomine dotis bona vxoris in cap. decreuit, de hæretic. in 6. comprehenduntur.*

9 *Periculum peruersionis maius censetur in fœminis ob facilitatem, ac maius in viris, ob passionem amoris.*

10 *In cit. cap. decreuit, non imponitur pœna amissionis dotis mulieri scienter nubenti viro hæretico; sed relinquitur dispositioni iuris communis, ob hæresis præsumptionem in muliere: Consequenter etiamsi eadem præsumptio vigeat in viro, ipse etiam amissione bonorum condemnari poterit, non omninò improbabiliter.*

Respondetur negatiuè, atque ita tenent Sanchez *lib. 2. moral. cap. 27. num. 23.* Bonacina *disp. 3. de contract. quæst. 8. punct. vlt. §. 1. num. 16.* Videri etiam poterit Suar. *de fide disp. 22. sect. 5.* Pegna *in direct. Inquis. part. 3. comment. 160.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7.* & Zecch. *in sum. tom. 1. tit. de fide, cap. 11. num. 16.* 1

Probatur, quia nullo iure id habetur: Ergò talis pœna non debet imponi.

Secundò, quia *in cap. decreuit, de hæretic. in 6.* dicitur vxor contrahens cum viro hæretico amittere dotem. At vir in matrimonio contrahendo non affert dotem: Ergo pœna ibi statuta extendi non debet ad bona mariti. 2

Tertiò, quia mulier ob ipsius facilitatem, & subiectionem marito, grauiori periculo peruersionis se ex- 3

Y u ponit

ponit sic nubens, quàm vir: Ergò, cùm non sit adæquatè eadem ratio dispositionis in viro, ac in muliere, par non est, vt eadem pœnâ ambo puniantur.

4 Quartò, quia fœmina rapiens virum, vel aliam fœminam, non incurrit eas pœnas, quas incurrit vir rapiens fœminam. Syluest. *in leg. unica, Cod. de rapt. virgin. num.* 7. Decian. *in tract. crimin. lib.* 8. *cap.* 7. *num.* 27. Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *centur.* 3. *cas.* 291. *in fine.* Clar. *lib.* 5. *recept.* §. *raptus, num.* 6. & alij passim, quia *in dicta leg. unica* (inquiunt ipsi) fit solùm mentio de viro: Ergò, cum *in dicto cap. decreuit*, fiat solùm mentio de fœmina contrahente matrimonium cum viro hæretico, & fœminæ solùm imponatur pœna, pœna ibi statuta extendi non debet ad virum catholicum contrahentem cum fœmina hæretica.

5 Etsi, pœnas impositas viro rapienti fœminam extendi debere ad fœminam rapientem virum, vel aliam fœminam, sentiant Bald. *in cit. leg. vnica, Cod. de rapt. virgin. num.* 23. & ibi Angel. *in fine*, Hyppolit. *num.* 225. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 14. *num.* 4. & Rodoriquez 1. *tom. Summæ cap.* 232.

6 Quintò, quia fœmina occidens virum suum non incurrit eas pœnas, quas incurrit vir occidens vxorem suam. Syluest. *verb. matrimonium* 7. *quæst.* 6. *dict.* 1. Armill. *eodem verbo, num.* 58. Tolet. *lib.* 7. *cap.* 15. *num.* 3. Ledesma, 2. *part. quæst.* 62. *art.* 2. & alij communiter. Quia *in cap. interfectores*, & *in cap. admonere* 33. *quæst.* 2. & *in cap. quicumque, eadem quæst. & caus.* (inquiunt ipsi) solùm imponitur pœna contra virum occidentem vxorem, quæ pœna extendi non debet sine textu ad fœminam occidentem virum: Ergò, cum in casu nostro sit solùm imposita pœna contrà fœminam contrahentem cum viro hæretico, extendi non debet ad virum catholicum contrahentem cum fœmina hæretica.

7 Etsi, pœnas impositas contrà virum occidentem vxorem suam extendi debere ad fœminam occidentem virum suum, sentiant S. Antoninus 3. *part. tit.* 1. *cap.* 16. §. 4. Nauarrus *in summa cap.* 22. *num.* 74. Sotus *in* 4. *dist.* 37. *quæst. vnica, art.* 1. & Henriquez *cit. lib.* 12. *cap.* 2. *num.* 1.

8 Oppositum tamen ad responsionem nostram in principio positam non improbabiliter tenent alij.

Primò, quia sicuti *sectione præcedenti* dicebatur, non improbabiliter sub nomine dotis bona vxoris *in cap. decreuit, de heret. in* 6. comprehenduntur.

9 Secundò, quia esto ob facilitatem, & viro subiectionem adsit in fœmina grauius periculum peruersionis, quàm in viro, ob passionem amoris tamen solet grauius adesse in viro, iuxtà illud scripturæ: *certissimè auertent corda vestra.*

10 Tertiò, quia *in supradicto cap. decreuit* (si benè aduertetur) non imponitur pœna amissionis dotis mulieri scienter nubenti viro hæretico, sed relinquitur dispositioni iuris communis; solùm enim ibi dicitur, mulierem nubentem viro hæretico dotem non perdere, nisi fortè scienter viro hæretico nupserit. In quo casu non subiungit Pontifex, debere perdere, sed id tacitè innuit, vel potiùs dispositioni communi relinquit: Ergò cùm hæc pœna non sit ipso iure lata ob tale crimen, sed per sententiam imponenda; & præcipua caussa huius dispositionis sit præsumptio hæresis in muliere sic nubente, si eadem præsumptio adsit in viro, eodem modo vir ad amissionem bonorum condemnari poterit.

Atque ex his respondere quis posset non omninò improbabiliter ad fundamenta nostræ sententiæ prioris.



DVBITATIO CXXV.

Quænam vxoris bona ob eius crimen cadant sub confiscationem?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Dos, paraphernalia, & omnia alia, quæ vxor constante matrimonio acquisiuit, mortuo marito, & confiscatis bonis vxoris viduæ, ob eius crimen confiscantur, quia fiscus cùm confiscationem facit, vsurpat omnia bona, quæ sunt delinquentis.*

2 *Vxor si deliquerit, attento iure communi, constante matrimonio, non potest ipsius dos (bene tamen ipsius reliqua bona) confiscari, nisi in quinque casibus, scilicet in crimine læsæ maiestatis, vis publicæ, parricidij, veneficij, & sicarij, ex l. quinque legibus, ff. de bonis damnat.*

3 *Lex citata licèt non faciat mentionem de hæresi, tamen absque dubio extenditur ad ipsam hæresim, cùm hæresis sub crimine læsæ maiestatis comprehendatur: & ideò ob hæresim vxoris dos ipsius, & reliqua etiam bona confiscantur.*

4 *Vxor si delinquat (etiam extrà illa quinque crimina) attento iure Castellæ, pars dotis, vel tota dos ipsius confiscari potest.*

5 *Pars dotis, vel tota dos vxoris vt confiscari possit, neque requiritur, quod crimen sit confiscatione dignum; quia textus non facit mentionem de confiscatione, & cur.*

6 *Dos, vel pars dotis in omnibus casibus, in quibus confiscari potest, confiscatio non extenditur vltrà id, quod est proprium vxoris.*



ESPONDETVR, & dico primo: Mortuo marito, & confiscatis bonis vxoris viduæ ob eius crimen, confiscantur dos, paraphernalia, & omnia alia, quæ vxor, constante matrimonio, acquisiuit. Clarus *quæst.* 78. *vers. quæro si bona*, Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 17. *num.* 15. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *quæst.* 25. *num.* 112. 1

Probatur, quia cum confiscationem facit, vsurpat omnia bona, quæ sunt delinquentis, & facit textus *in leg. constante*, §. *fin. ff. solut. matrim.* & ibi tradunt Bart. Bald. Paul. Imola, & alij.

Dico secundò: Attento iure communi, si vxor deliquerit constante matrimonio, non potest ipsius dos (benè tamen ipsius reliqua bona) confiscari, nisi in quinque casibus, scilicet in crimine læsæ maiestatis, vis publicæ, parricidij, veneficij, & sicarij. Doctores communiter. 2

Probatur, quia sic expressè habetur *in leg. quinque legibus, ff. de bonis damnat.* Et meritò, quia cùm eo tempore vir dicatur dominus dotis, *leg. dote ancillam, Cod. de iur. dot.* noluit Imperator ob quodlibet crimen, nisi ob hæc ita grauia, dotem vxoris confiscare.

Cæterùm quamuis *in dicta leg. quinque legibus*, non fuerit facta mentio de hæresi, tamen absque dubio talis lex extenditur ad hæresim, cùm hæresis sub crimine læsæ maiestatis comprehendatur: Quapropter, quod ob hæresim vxoris confiscetur eius dos, sicut & reliqua bona, tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Royas *tract. de heret. part.* 2. *assert.* 40. *num.* 323. 3

Farinac.

Farinac. *de hæresi quæst.* 190. *num.* 34. & Sanch. *vbi suprà num.* 26.

4 Dico tertiò : Attento iure Castellæ, si delinquat vxor (etiam extrà illa quinque crimina) pars dotis; vel tota dos ipsius confiscari potest; quia sic habetur *in leg.* 78. *Tauri*, quæ est lex 11. *tit.* 9. *lib.* 5. *Recopil.*

5 Neque vt pars dotis, vel tota dos vxoris confiscari possit, requiritur, quod crimen sit confiscatione dignum; quia textus non facit mentionem de confiscatione. Tum quia dicit, posse in parte dotem amitti: quod alienum est à confiscatione, cum in ipsa totum confiscetur. Tum quia loquitur generaliter de delicto: Ergo, ex quocumque delicto mulier condemnetur, poterit in bonis ipsius dotalibus executio condemnationis fieri. Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 17. *num.* 29.

6 Dico quartò: In omnibus casibus, in quibus dos, vel pars dotis confiscari potest, confiscatio non extenditur vltrà id, quod est proprium vxoris. Ità vt si vxor dotem habet obligatam, soluto matrimonio, marito, vel alteri reddi, fiscus non possit confiscare dotem in perpetuum, sed ad summum pro tempore, quo vxor frui dote debebat, & illo transacto, redire debeat ad substitutum.

Probatur: Quia sic expressè habetur *in leg. si dotem Cod. de iur. dot.* Et videri poterunt Baldus *ibi*, & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *loco suprà citato, num.* 33.

SECTIO II.

An quoties confiscatur dos ob crimen vxoris, confiscetur non solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad vsumfructum?

SVMMARIVM.

1 *Dos non solùm quoad proprietatem, sed etiam quoad vsumfructum confiscatur, quoties ea ob crimen vxoris venit confiscanda, etiam constante matrimonio, argumentis in contrarium facientibus non obstantibus.*

2 *Lex in dubio referens se ad aliqua bona, intelligi debet secundùm proprietatem, & vsumfructum.*

3 *Alienatio recensita dicitur alienatio non ex contractu, sed ex delicto, quæ dicitur alienatio necessaria, & per legem inducta: Et in illa consequenter præiudicari poterit marito.*

4 *Dos propriè dicitur, cùm constat matrimonium.*

5 *Dos datur ad onera matrimonij subeunda: At si vxor ob crimen suum dotem amittit, onus, quod habebat maritus, illam alendi, cessat, culpa enim vxoris aufertur.*

6 *Obligatio alendi mulierem in casu, de quo agitur, tota refunditur in parentes, quibus impotentibus, tenebitur vir ratione vinculi coniugalis, & mutui amoris.*

7 *Dos non est viri quoad dominium, & proprietatem, sed solùm quoad administrationem in sustentationem familiæ, quæ administratio cessat, sublato fundamento, sicut si casu periret.*

8 *Maritus sicut non eximitur ab onere alendi vxorem, si dos ipsius casu periret, ità etiam non eximitur, si dos eiusdem confiscetur.*

1 Ratio dubitandi locum habet, cùm crimen est tale, ob quod vxor non afficitur pœna mortis, sed viua relinquitur, quia tunc videtur dos pertinere ad virum quoad vsumfructum, cum tradatur viro ad onera matrimonij subeunda, *leg. pro oneribus*, *Cod. de iur. dot. & leg. dotis fructus, ff. eodem.* Sed fiscus non occupat bona, quæ aliena sunt à delinquente: Ergò non occupat vsumfructum dotis. Accedit, quod non debet vir innocens ob crimen alterius puniri, punire-tur autem, si priuaretur vsufructu, & ex alia parte teneretur vxorem alere: Ergò non est dicendum, constante matrimonio, confiscationem extendi ad vsumfructum dotis. His tamen non obstantibus.

Respondetur affirmatiuè, & docent Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 17. *num.* 31. & in crimine hæresis traduot Zanchinus *tract. de hæret. cap.* 25. *num.* 4. Zecchius *in summa* 1. *part. tit. de fide, rubric. de hæretic. cap.* 16. *vers.* 5. *ampliatur*, Royas *singul.* 127. & Farinacius *quæst.* 190. *num.* 54. Etsi dissentire videantur Plaz. *rubr. in repetit. rubr. de donat. inter vir. & vxor.* Ioann. Lupus *eadem rubr.* §. 66. & Bonacina *disput.* 3. *de contract. quæst.* 8. *punct. vlt.* §. 1. *num.* 17.

Probatur, quia in dubio lex referens se ad aliqua bona, intelligi debet secundum proprietatem, & vsumfructum, iuxtà textum *in leg. videamus*, §. *in Fabiana, ff. de vsur. & leg. in condemnat. ff. de regul. iur.* Ergò, cum attento iure communi ob quinque illa crimina dos confiscanda veniat, & attento iure Castellæ, ob quodlibet crimen vxoris dos, vel pars dotis confiscari possit, sequitur, quod confiscetur secundùm proprietatem, & vsumfructum. 2

Secundò, quia hæc est alienatio non ex contractu, sed ex delicto, quæ dicitur alienatio necessaria, & per legem inducta: Ergò in illa præiudicari poterit marito, *argum. textus in leg. alienationes, ff. famil. ercifcund.* 3

Tertiò, quia dos propriè dicitur, cum constat matrimonium: Ergò, si dos ob crimen vxoris confiscatur, constante matrimonio confiscatur. 4

Ad rationem dubitandi respondetur: Concedo, quod dos detur ad onera matrimonij subeunda. At si vxor ob crimen suum dotem amittit, onus, quod habebat maritus illam alendi, cessat. Sicut enim, si dos promissa est, & non soluitur, non obligatur maritus vxorem alere: Ità & non obligatur, cùm dos culpa vxoris aufertur. Sanchez *de matrim. lib.* 9. *disput.* 5. *num.* 10. & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæres. quæst.* 190. *num.* 54. 5

Tota tamen obligatio tunc refunditur in parentes. Doctores quos sequitur Molina *lib.* 2. *de primog. cap.* 16. *num.* 24. 6

Quod si hi eam alere non possint, tenebitur vir ratione vinculi coniugalis, & mutui amoris.

Adde, quod etsi concedatur cum Surdo *de alimentis tit.* 7. *quæst.* 21. *num.* 6. Simancha *de catholic. Institut. tit.* 16. *num.* 19. & aliis, teneri virum alere vxorem, sic alienantem dotem: Adhoc inde non sequitur, dotem confiscari non posse, quia dos non est viri quoad dominium, & proprietatem, sed solùm quoad administrationem in sustentationem familiæ; quæ administratio cessat, sublato fundamento, sicut si casu periret. Vnde sicut, si dos casu pereat, non excusatur maritus ab alenda vxore, *leg. si cum dotem*, §. *si maritus, ff. solut. matrimon.* ità neque excusabitur, si dos confiscetur, quia obligatio alendi vxorem oritur tunc ex vinculo coniugali, quo non dissoluto, non dissoluitur hæc obligatio. 7 8

Nisi dicas, disparitatem esse, quia in priori casu vxor non est in culpa: Est autem in posteriori.

SECTIO III.

An possit dos confiscari, quoad proprietatem, & vsumfructum, si pactum sit inter virum, & vxorem vt committente vxore aliquod crimen ex iis ob quæ imponitur confiscatio, eo ipso ad virum proprietas, & vsusfructus dotis deueniat?

SVMMARIVM.

1 *Dos non potest confiscari quoad proprietatem, & vsumfructum, si pactum sit inter virum, & vxorem, vt committente vxore aliquod crimen ex iis, ob quæ imponitur confiscatio, eo ipso ad virum proprietas, & vsusfructus dotis deueniat, contrà aliquos existimantes oppositum, ex eo, quod tale pactum deroget legi communi decernenti confiscationem bonorum delinquentis, & cur.*

1 RESpondetur; licet affirment Barb. *in leg. si constante, ff. solut. matrim. §. fin. n. 1.* Sanch. *lib. 2. moral. cap. 17. n. 32.* & alij, ex eo, quod tale pactum deroget legi communi decernenti confiscationem bonorum delinquentis, atque adeò sit nullum iuxtà textum *in leg. ius publicum, ff. de pactis*: Probabilius esse oppositum, quod docent Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. num. 83.* & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *quæst. 25. num. 115.*

Probatur, quia tunc dos expresse prohibetur alienari, & non in fauorem delinquentis, cùm non applicetur vxori delinquenti; neque in fraudem fisci, cùm non sit post criman commissum, sed casu, quo committatur: Ergo tale pactum est firmum; & ratione illius vir habet ius quæsitum ad dotem, ità vt præferendus sit fisco, iuxtà ea, quæ dicebam suprà de fideicommisso, & maioratu.



DVBITATIO CXXVI.

Quænam Clerici bona ob eius crimen cadant sub confiscationem?

SECTIO PRIMA.

Quid dicendum de bonis Ecclesiæ, quæ possidet Clericus?

SVMMARIVM.

1 *Bona Ecclesiæ, quæ possidet Clericus ob crimen Clerici non confiscantur, ex communi Doctorum sententia, & ex Clemen. 2. de hæretic. vbi duplex actio excommunicationi subiicitur: Pecuniæ extorsio, & Ecclesiæ bonorum ob crimen Clerici fisco applicatio.*

2 *Inquisitores, Episcopi, & Capitulorum Sede vacante Commissarij ad negocia Inquisitionis, includuntur circà vtramque actionem.*

3 *Commissariorum nomine intelliguntur eorum Vicarij: Quod verum est, siue sint Vicarij, siue eorum substituti, etiamsi delegatio sit ad tempus.*

4 *Inquisitores an includantur, pendet ex littera contextu qui anceps est, quia si clausula incipit, Inquisitoribus, & tam ipsorum, &c. includuntur, si verò incipit, Et tam ipsorum, non includuntur.*

5 *Oppositum Auctori non videtur omninò improbabile, & cur.*

6 *In dubio non est apponendum onus vbi non apparet, & in dubio melior est conditio suam libertatem possidentis.*

7 *Episcopi non includuntur, quia de ipsis textus mentionem non facit, forsan ipsorum dignitati deferendo.*

8 *Episcopi neque includuntur nomine Inquisitorum, quia specificè nominari solent in reliquis ad officium Inquisitorum pertinentibus, &c.*

9 *Minus rectè docent asserentes, Episcopos includi, eo quod plus delinquant, & cur.*

10 *Capitulum Sede vacante neque includitur, quia textus de solis ipsius Vicariis mentionem facit.*

11 *Prælati iurisdictionem quasi Episcopalem habentes in propria Diœcesi, neque ipsorum Vicarij includuntur, neque Commissarij ad peragenda negocia Inquisitionis in sua Diœcesi.*

12 *Extorsio pecuniarum, quæ fuerit quacunque modo illicita prætextu officij, excommunicationi huic subiicitur.*

13 *Extorquentes vt includantur, requiritur, vt pecunia extorqueatur illicitè, secùs si licitè.*

14 *Item vt pecunia extorqueatur reuerà, quia si sponte offertur via muneris, non contrahitur censura, etiamsi Inquisitor, vel Commissarius nouerit sibi offerri prætextu officij.*

15 *Nec sufficit ad istam censuram contrahendam, si pecunia, vel quid aliud æquiualens timore vexationis, vel rigoris Inquisitoris offeratur; quia requiritur concussionis crimen.*

16 *Item requiritur, vt extorsio fiat prætextu officij Inquisitionis, secùs si fiat alio prætextu.*

17 *Textus, quamuis loquatur de sola pecuniæ extorsione, nomine tamen pecuniæ intelligit quodcunque aliud pecunia æstimabile, quia id omne sufficit ad crimen concussionis.*

18 *Excommunicatio dicti textus non incurritur ob solius mutui extorsionem, quia mutuum non est pecunia æstimabile, & simpliciter non extorquetur pecunia, cum sit restituenda, secùs si non restituatur.*

19 *Actio altera, ob quam hæc excommunicatio incurritur, est Ecclesiæ bonorum fisco etiam Ecclesiastico ob Clerici crimen applicatio.*

20 *Excommunicatio prædicta vt incurratur, requiritur, vt hæc actio fiat scienter; quia sic expressè statuitur in textu.*

21 *Item requiritur, vt bona sint Ecclesiæ, quia textus de bonis Ecclesiæ, non de bonis Clerici loquitur.*

22 *Bona Ecclesiæ sunt, vt domus, prædia, & similia, ex quibus Clerici sæpè redditus beneficij percipiunt.*

23 *Excommunicatio prædicta incurritur, applicando fisco bona acquisita à professo aliquo Præfecto alicui Ecclesiæ, licet intuitu personæ ea acquisiuerit, quia is non acquirit sibi, sed Ecclesiæ.*

24 *Item incurritur dicta excommunicatio applicando fisco alia bona Religiosi ob delictum illius, vt libros, vestes, &c. quia cùm ea bona sint Monasterij, applicantur fisco bona Ecclesiæ, secus si Religiosus sit Ordinis Minorum, quia tunc incapax proprij, & ob eius delictum bona confiscantur.*

25 *Sed meliùs dicendum, quod confiscando eius bona non incurratur excommunicatio prædicta, non quod confiscari possint.*

26 Item

26 *Item vt incurratur dicta excommunicatio, requiritur vt prætextu officij dicta bona applicentur, quia sic expressè habetur in textu.*

27 *Item requiritur, quod reuerà applicentur.*

28 *Verbum (ne attentet applicare) importare videtur quamcumque inchoationem, vel adhibitionem cuiuscumque medij ad hanc applicationem, etiamsi conatus suum effectum non habeat: Tamen reuera non est hic illorum verborum sensus.*

29 *Item requiritur, vt ea bona applices fisco, quare excommunicationem non incurris, si ea applices tibi, vel aliis; quia textus de sola applicatione facta fisco mentionem facit.*

30 *Excommunicatio prædicta probabilius incurritur, siue bona fisco, sibique, siue aliis applicentur, quia verum non est, quod textus solius fisci mentionem faciat.*

31 *Excommunicationis absolutio, si loquamur de statuta contra applicantem bona Ecclesiæ fisco, non est reseruata; neque ad eius absolutionem requiritur restitutionem præmitti.*

32 *Secùs verò si loquamur de statuta contra extorquentem pecunias: quia est reseruata Pontifici non tamen simpliciter, sed cum quadam conditione, ibi, &c.*

33 *Inferior Pontifice, vt possit ab hac excommunicatione absoluere, requiritur, vt cum effectu prius conditio satisfactionis partis impleatur, & vsque ad vnum denarium.*

34 *Satisfactio erit realis, cùm is, cui restitutio facienda est, longè distat, & pœnitens pecuniam restituendam deponit.*

1 Espondetur, huiusmodi bona ob crimen Clerici non confiscari. Est communis sententia Doctorum, & Probatur, quia sic expressè habetur *ex Clementina secunda de hæreticis*, ibi: *Inquisitoribus, & tam ipsorum, quàm Episcoporum, seu Capitulorum Sede vacante, super hoc deputatis Commissariis quibuscumque districtiùs iniungentes, ne prætextu officij Inquisitionis, quibuscumque modis illicitis ab aliquibus pecuniam extorqueant, nec scienter attentent Ecclesiarum bona ob Clericorum delictum, prædicti occasione officij fisco etiam Ecclesiæ applicare. Quod si secùs in his, vel eorum altero fecerint, excommunicationis sententiæ eos subiacere decernimus ipso facto, à qua non possint absolui, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorserint, plenè satisfecerint de pecunia sic extorta, nullis priuilegiis, pactis, aut remissionibus super hoc valituris.* Vbi, vt vides, duplex actio excommunicationi subiicitur. Pecuniæ extorsio, & Ecclesiæ bonorum ob crimen Clerici fisco applicatio.

2 Petes, quænam personæ circa vtramque actionem includantur?

Respondetur, includi vniuersos Inquisitorum, Episcoporum, & Capitulorum Sede vacante Commissarios ad negocia Inquisitionis; quia omnes hi in sextu clarè explicantur.

3 Nomine autem Commissariorum intelliguntur eorum Vicarij. Glossa *in cit. Clem. 2. verb. ipsorum*, Tabiena *verb. excommunicatio 5. cas. 16. num.* 18. Nauarr. *cap. 27. num.* 142. & Suarez *tom. 5. in 3. part. disp.* 23. *sect. 5. num.* 24.

Quod est verum, siue sint Vicarij, siue eorum substituti, Glossa, Tabiena, & Suarez *in locis suprà citatis*, qui rectè subdit, id verum etiam esse, licet delegatio sit ad tempus, vel ad peculiarem causam: Quia omnes hi propriè dicuntur Commissarij.

4 Petes secundò: An includantur Inquisitores?

Respondetur, id pendere ex litteræ contextu, qui anceps est: quia, si clausula incipiat: *Inquisitoribus, & tam ipsorum, &c.* includuntur: Si verò incipit: *Et tam ipsorum, &c.* non includuntur. Cardinal. *in dicta Clement. 2. verb. Inquisitoribus, num.* 1. Qui subdit, intellectum communiorem, & probabiliorem esse, vt incipiat, *Inquisitoribus*, sicque in hac excommunicatione includantur Inquisitores, & ipsorum Commissarij. Idem tenent Glossa, Imola, & Bonifacius *ibi*, Syluest. *verb. excommunicatio 9. cas. 42. num.* 81. Caietan. *eodem verb. cap.* 4. Nauarrus *loc. suprà cit.* & alij communiter.

Quamuis oppositum mihi videatur non omninò improbabile, quia considerato textu benè, quin melius, legi potest particula illa, *Inquisitoribus*, cum clausula præcedenti, in qua præscribitur ætas Inquisitoribus creandis, ità vt alia clausula subsequens incipiat à ly, *& tam ipsorum.* Præsertim, quia in editione antiqua, & in editione Gregoriana nouiter correcta ita habetur: Ergò, cùm saltem sit dubium iuris, non est censenda excommunicatio lata, quia in dubio non est opponendum onus, vbi non apparet: Et in dubio melior est conditio suam libertatem possidentis, & odia sunt restringenda. 5

6

Petes tertiò: An includantur Episcopi? 7

Respondetur negatiuè, quia de ipsis textus mentionem non facit, forsan ipsorum dignitati deferendo, *cap. 2. de offic. delegat. in* 6.

Neque dicas, Episcopos includi nomine Inquisitorum, quia Episcopi specificè nominari solent in reliquis ad officium Inquisitorum pertinentibus. Tum quia textus exprimit Commissarios Inquisitorum, & Episcoporum, quod non fieret, si Episcopi includerentur nomine Inquisitorum. Atque ita tenent Glossa, Imola, Cardinalis, Bonifacius, *in supradicta Clement.* 1. S. Antoninus 3. *part. tit. 24. cap.* 8. Syluest. & Suarez *in loc. supra cit.* 8

Hinc sequitur, minùs rectè quosdam docere, Episcopos includi, eo quod plus delinquant. Quia id solum probat, Episcopos, ità delinquendo, alia pœna plectendos esse, non autem excommunicatione, quæ non incurritur, nisi in casibus à iure expressis. 9

Sequitur secundò, neque includi Capitulum Sede vacante, quia textus de solis ipsius Vicariis mentionem facit: Bonifac. *vbi suprà.* 10

Sequitur tertiò, neque includi Prælatos iurisdictionem quasi Episcopalem, habentes in propria Diœcesi, quin neque includi ipsorum Vicarios, seu Commissarios ad peragenda negocia Inquisitionis in sua Diœcesi, quia licet videantur includi nomine Vicariorum Episcopi, cum sint similiter Vicarij Iurisdictionis Episcopalis: Tamen cum sit materia odiosa, & de his nulla mentio facta sit, facta autem sit de Vicariis Capituli Sede vacante (qui similiter sunt Vicarij iurisdictionis Episcopalis) non est ad hos excommunicatio extendenda. 11

Petes quartò: Quænam pecuniæ extorsio excommunicationi huic subiiciatur? 12

Respondetur: Extorsio, quæ fuerit quocumque modo illicita prætextu officij. Patet ex textu, & est communis sententia Doctorum.

Requiritur igitur primò, vt pecunia extorqueatur illicitè. Secus, si licitè. 13

Requiritur secundò, vt pecunia, seu quid aliud æquiualens, extorqueatur reuera, quia si sponte offertur via muneris, non contrahitur censura. Armilla *verb. excommunicatio*, inter casus excommunicationis, *cas.* 10. & Suarez *cit. sect. 5. num.* 25. qui rectè subdit, id esse verum, etiamsi Inquisitor, vel Commissarius nouerit, sibi offerri prætextu officij. 14

Nec sufficit ad istam censuram contrahendam, si pecunia, vel quid aliud æquiualens, timore vexationis, 15

vel rigoris Inquisitotis offeratur, quia requiritur concussionis crimen. Quod, vt rectè dixit Syluest. *verb. concussio, quæst.* 1. *n.* 2. est, cùm qui in officio constitutus extorquet aliquid à subditis, metum inferendo, vel debitum exequi, non data pecunia, recusando, quod in casu nostro locum non habet. Bonifac. *in dict. Clemen.* 2. *n.* 49. & alij Doctores *ibi*.

16 Requiritur tertiò, vt extorsio fiat prætextu officij Inquisitionis: secùs, si fiat alio prætextu: Quo casu excommunicatio hæc non incurritur, quia hæc conditio expressè exigitur in textu dictæ *Clem.* 2. & tradunt Glossa, Imola, Bonifacius, & Cardinalis *ibi*, Angelus *verb. excommunicatio* 7. *cas.* 42. Antoninus, Sylnester, & Suarez *in locis suprà citatis*.

17 Cæterum, quamnis textus loquatur de sola pecuniæ extorsione, nomine tamen pecuniæ intelligit quodcumque aliud pecuniâ æstimabile, vt suprà innuebam; quia id omne sufficit ad crimen concussionis. Doctores iidem vbi suprà, præcipuè Nauarr. *in summa cap.* 27. *num.* 141. Caietan. *verb. excommunicatio, cap.* 4. & Suarez *num.* 25.

18 Hinc sequitur, quod non incurratur hæc excommunicatio ob solius mutui extorsionem; quia mutuum non est pecuniâ æstimabile, & simpliciter non extorquetur pecunia, cùm sit restituenda: Quod si postea non restituatur, sed prorsus, tanquam reuera data, retineatur, incurritur hæc excommunicatio; quia ex tunc est vera pecuniæ extorsio. Suarez *vbi suprà*.

19 Petes quintò: Quænam sit altera actio, ob quam hæc excommunicatio incurratur?

Respondetur: Est Ecclesiæ bonorum fisco etiam Ecclesiastico, ob clerici crimen applicatio.

20 Requiritur tamen primò, vt hæc actio fiat scienter; quia sic expressè statuitur in Textu; quapropter excusat quæcumque ignorantia, dummodo non sit adeò crassa, vt sit ingens temeritas; nec sit affectata.

21 Requiritur secundò, vt bona sint Ecclesiæ; quia Textus de bonis Ecclesiæ, non de bonis clerici loquitur; glossa, Imola, Bonifacius, & Cardinalis *in cit. Clement.* 2. Syluester, S. Antoninus, & Suarez *in locis suprà citatis*.

22 Bona autem Ecclesiæ sunt, vt domus, prædia, & similia, ex quibus Clerici sæpè redditus beneficij percipiunt.

23 Hinc sequitur, quod hanc excommunicationem incurras, si applices fisco bona acquisita à professo aliquo Præfecto alicui Ecclesiæ, etsi intuitu personæ ea acquisiuerit: Quia cum professus ob professionem acquirere sibi non possit, acquirit Ecclesiæ, sicque tu applicando, applicas fisco bona, quæ sunt Ecclesiæ, *cap. vnico* 18. *quæst.* 1. & ibi Glossa, Cardinalis, & Imola.

24 Sequitur secundò, quod & hanc excommunicationem incurras, si alia bona Religiosi (qui non est ordinis Minorum, ac proindè monasterio acquirit) applices fisco ob delictum illius Religiosi, vt libros, vestes, &c. quia cùm ea bona sint Monasterij, & sic Ecclesiæ, applicas fisco bona, quæ sunt Ecclesiæ. Simanch. *de catholic. institut. tit.* 9. *n.* 88. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *quæst.* 14. quatenus aiunt, te hanc excommunicationem non incurrere, si ob fratris Franciscani delictum bona illius confisces; quia cùm monasterium talis fratris sit habendi proprij (etiam in communi) incapax, ea non sunt bona Ecclesiæ. Etsi minus rectè Azorius ex hoc inferat, quod bona huius Fratris ob eius hæresim confiscentur; quia inde solum sequitur, quod si confisces, 25
excommunicationem hanc non incurras ob rationem traditam; non tamen sequitur, quod possis confiscare; quia cùm ea bona neque sint talis Fratris, eo quod & ipse sit proprij habendi incapax, non possunt ob ipsius delictum confiscari.

26 Requiritur tertiò, vt prætextu officij, scilicet occasione officij, ea bona applices; quia sic expressè habetur in Textu, & docent passim Doctores, præcipuè Suarez *loco suprà citato num.* 12.

Requiritur quartò, quod reuera applices; quia 27
licet Textus non dicat, ne applices, sed *ne attentes* 28
applicare; quod verbum importare videtur quamcumque inchoationem, vel adhibitionem cuiuscumque medij ad hanc applicationem, etiamsi conatus suum effectum non habeat, id enim est attentare. Tamen reuera non est hic illorum verborum sensus, sed vtitur Textus termino *attentationis*; eo quod cùm ea confiscatio sit irrita, dicatur potius attentata, quàm facta.

Quapropter hanc excommunicationem non incurris, nisi quatenus ex parte tua est, applices; quod euenit, si cum effectu facias, hæc bona fisco applicari, vel si sententiam proferas, ea bona fisco applicantem. Suarez *cit. sect.* 5. *num.* 26.

Requiritur quintò, vt ea bona applices fisco; quare 29
excommunicationem non incurris, si ea applices tibi, vel aliis. Suarez *cit. n.* 26. motus ex eo, quia Textus de sola applicatione fisco mentionem facit. Idque forsan; quia frequentius, & maiori colore fieri consueuit.

At probabilius mihi videtur, quod ea communica- 30
tionem incurras, siue vtriuis fisco, siue tibi, siue aliis applices; quia verum non est, quod Textus solius fisci mentionem faciat, cùm huiusmodi verbis vtatur: *Fisco etiam Ecclesiæ applicare*. Quæ particola *etiam*, vtpotè implicatiua, multo magis implicat prohibitionem applicandi fisco sæculari, vel tibi, vel aliis: Atque ita docent Glossa ibi *verb. Ecclesiæ*. Imola *numer.* 7. Syluest. Angelus, & Sanct. Antoninus *in locis suprà citatis*.

Petes sextò: An vtriusque excommunicationis ab- 31
solutio sit reseruata?

Respondetur: Si loquamur de excommunicatione posteriori statuta contra applicantem bona Ecclesiæ fisco, non est reseruata, neque ad eius absolutionem requiritur, restitutionem præmitti; quia verba, in limitatione potestatis absoluendi posita, loquuntur clarè de sola priori excommunicatione; cum loquantur de pecunia extorta restituenda. Vide textum dictæ *Clement.* 2. Bonifac. *ibi num.* 93. & Suarez *cit. sect.* 5. *num.* 27.

Si verò loquamur de priori excommunicatione sta- 32
tuta contra extorquentem pecunias, est quidem Pontifici reseruata, non tamen simpliciter, ita vt eius absolutio non permittatur cum quadam conditione, ibi: *A qua non possint absolui, præterquam in mortis articulo, donec illis, à quibus extorserint, plenè satisfecerint de pecuniis sic extortis: nullis remissionibus super hoc valituris.*

Quapropter, etsi in aliis casibus censeatur satisfa- 33
ctum parti, quomodocumque cum ea conueniatur, ac ei placuerit, *l.* 1. *ff. qui satisdare cogantur*, *& l. si rem*, *§. omnes, de pignorat. action.* Tamen, vt possit inferior Pontifice ab hac excommunicatione absoluere, id non sufficit; sed requiritur, quod prius cum effectu conditio hæc impleatur. Suarez *cit. sect.* 5. *n.* 27. & Bonifac. *numer.* 99. Qui subdit ex *dicta Clement.* 2. *Requiri plenam satisfactionem*, id est, *vsque ad vnum denarium*.

Erit autem satisfactio realis, cum is, cui resti- 34
tutio facienda est, longè distat, & pœnitens pecuniam restituendam disponit; Doctores, quos sequitur Henriquez *lib.* 13. *cap.* 28. *n.* 4.

SECTIO II.

An autem restituendi impotentia excuset ad effectum, vt possit inferior ab hac excommunicatione absoluere sine reali satisfactione, sed sola restituendi cautione extorquentibus possibili præstita.

SVMMARIVM.

1 *Restituendi impotentia, quamuis secundùm aliques non excuset ad effectum, vt possit inferior ab hac excommunicatione absoluere sine reali satisfactione; sed sola præstita cautione possibili de restituendo: Probabilius tamen est oppositum, si extorquentes non possint satisfacere: Quando enim paupertas excusat, poterunt absolui ab inferiore.*

2 *Mortis articuli exceptio non obstat; quia tacitè subintelligebatur, & ideò eius expressio nihil operatur, &c.*

3 *Delegatus, cui concessa est facultas absoluendi cum hac limitatione, ne videlicet absoluat, nisi præmissa integra, & reali satisfactione, potest absoluere data impotentia satisfaciendi.*

4 *Restituere debentes munera accepta à regularibus, quamuis vigore motus proprij Clementis VIII. super munerum largitione, non possint absolui, nisi præmissa reali restitutione: Absoluendi tamen sunt stante impotentia restituendi.*

5 *Restituere debentes accepta pro iustitia, vel gratia obtinenda vigore motus proprij Gregorij XIII. licèt non possint absolui, nisi præmissa restitutione; possunt tamen, quando non possunt vllo modo vel commodè restituere, eo quod periculum vitæ, famæ, vel magni bonorum detrimenti imminet.*

6 *Detrahentes decimas excommunicantur, neque ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluuntur, ex Concilij Tridentini decreto: Quod tamen intelligendum est, quando impotentia commoda restitutionis non excusat, contra Nauarrum.*

7 *Expensarum restitutio non venit, quando textus præcipit tantum pecuniarum extortarum restitutionem, neque restitutio quadrupli.*

8 *Excommunicatio posterior statuta à Clementina c. aduersus applicantes bona Ecclesiarum fisco, non est reseruata, neque ad eius absolutionem requiritur ista præuia restitutio; quia verba in limitatione potestatis absoluendi ibi posita loquuntur solùm in priori excommunicatione, cùm loquantur de pecunia extorta reddenda.*

1 Respondetur, quod quamuis Doctores, quos sequitur Suarez *citato num.* 27. negent, quia hoc in articulo mortis exigitur ad absolutionem hanc ritè concedendam, & tamen in illo textu solus mortis articulus excipitur: Ergò tali articulo excepto, est necessaria realis satisfactio, aliàs excommunicatio remanet Pontifici reseruata: Tamen probabilius Glossa *in Clementina* 2. *verb. satisfecerint*, & *ibi* Imola, Bonifacius *ibidem num.* 92. S. Antoninus 3. *part. tit.* 24. *cap.* 8. Syluester *verb. excommunicatio* 9. *cas.* 42. *num.* 81. Tabiena *eodem verbo* 5. *cas.* 4. *quæst.* 17. *num.* 18. Nauarrus *in summ. cap.* 27. *num.* 142. & alij tenent, id intelligendum esse, si hi extorquentes sint satisfaciendo. Quare quando paupertas excusat, poterunt absolui ab inferiori.

2 Probatur, quia si quid obstaret, obstaret illa articuli mortis exceptio: sed non obstat; quia tacitè subintelligebatur, & ideò eius expressio nihil operatur: Tùm quia si in dicto mortis articulo non præmissa hac reali satisfactione, nec excusante paupertate, valeret hæc absolutio, in tali articulo illa non petatur, & extrà illum ea non valeret: Ergò.

3 Confirmatur, quia Doctores, quos sequitur Henriquez *lib.* 13. *de excommunicat. cap.* 18. docent, quod concessa absoluendi facultas delegato, & exprimendo, ne talis absoluat, nisi præmissa integra, & reali satisfactione, possit exerceri, quando reus satisfacere non potest.

4 Confirmatur secundò, quia Clemens VIII. in motu proprio de largitione munerum interdicta Religiosis, sic de recipientibus munera ab illis habet: *Restitutione ipsa realiter non facta, neque etiam in foro conscientia absolui possint*: Et tamen Doctores, quos sequitur Sousa in eius expositione *num.* 96. tenent, id intelligi, quando moraliter possunt restituere.

5 Confirmatur tertiò, quia Gregorius XIII. in motu proprio de datis, & acceptis pro iustitia, vel gratia obtinenda, sic habet: *Nec quisquam admittatur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel recepisset.* Et tamen Doctores, quos sequitur Nauarrus *in comment.* dicti motus *num.* 38. aiunt, posse hunc absolui, quando impotentia restituendi excusaret; sicuti excusat ab aliis restitutionibus. Quinimmò idem Nauarrus *in summa cap.* 17. *num.* 56. subdit, posse talem absolui, restitutione non præmissa, non solùm quando nullo modo potest, sed etiam quando commodè non potest, eo quod periculum vitæ, famæ, vel magni bonorum detrimenti, imminet. Et Molina *tom.* 1. *de iust. & iur. disp.* 92. *vers. pœna*, explicans eundem motum ait, id intelligi debere, quando per absoluendum stat, quominus restitutio fiat.

6 Confirmatur quartò, quia Tridentinum Concilium *sess.* 25. *de reformat. cap.* 12. sic habet: *Detrahentes decimas excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absoluantur*: Et tamen Nauarrus *in summa cap.* 17. *num.* 59. Molina *tom.* 3. *de iust. & iur. disput.* 756. *in fine*, & Henriquez *lib.* 13. *de excommunicatione cap.* 28. *num.* 1. dicunt, id intelligi, quandò impotentia commodæ restitutionis non excusat; quamuis minùs rectè Nauarrus *lib.* 4. *de restitut. cap.* 4. *dub.* 13. *num.* 17. id non admittat, nisi quandò hi ratione impotentiæ essent absque culpa excommunicati.

7 Aduerte tamen, quòd, cùm textus solam pecuniæ extortæ restitutionem præmitti iubeat, non requiritur, quod permittatur restitutio expensarum, quas extorquens tenetur restituere ei, cui extorsit. Doctores, præsertim Bonifacius *in cit. Clement.* 2. *num.* 90. Nec à fortiori requiritur solutio quadrupli, quod in pœnam huius extorsionis statutum est, *cap. quoniam, in fine dist.* 18. Quia pœna ante condemnationem non debetur: Et *in eadem Clement.* 2. hæc solutio non exigitur. Videri poterit Glossa *ibi* verb. officij, & Ancharanus *n.* 5 *notabil.* 3. & Nauarr. *in summa cap.* 27. *num.* 142.

8 Aduerte secundò, quod posterior excommunicatio statuta *in eadem Clement.* 2. aduersus applicantes bona Ecclesiarum fisco, non est reseruata, nec ad eius absolutionem requiritur ibi, hanc restitutionem præmitti, quia verba in limitatione potestatis absoluendi ibi posita loquuntur solùm in priori excommunicatione, cùm loquantur de pecunia extorta reddenda. Sic Bonifacius *num.* 63. & alij Canonistæ, quos sequitur Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 23. *sect.* 3. *num.* 27.

SECTIO

SECTIO III.

Quid dicendum de aliis bonis, quæ possidet Clericus?

SVMMARIVM.

1 *Confiscatis Clericorum bonis ob aliquod delictum, intelliguntur etiam confiscata bona patrimonialia, quia ij possunt de his disponere tam in contractu, quàm in testamento.*

2 *Item veniunt ea bona, quæ Clerici acquirunt non ex beneficio, seu fructibus beneficij, sed ratione alicuius ministerij Ecclesiastici, vt v. g. pro sacris faciendis, pro concionibus, pro Sacramentis ministrandis, &c. quia & de his etiam potest Clericus, & Episcopus liberè testari, & in extraneos hæredes transmittere.*

3 *Clericorum bona titulo beneficij Ecclesiastici acquisita, seu ex fructibus, siue sint bona immobilia, siue mobilia de iure communi non confiscantur; sed pro rata applicantur Ecclesiis, à quibus stipendia Clerici receperunt, quia ità in iure expressè decernitur.*

4 *Clericorum bona confiscata, si quis ex Clericis à pluribus Ecclesiis stipendia acceperit, pertinebunt ad omnes illas Ecclesias, à quibus stipendia recepit: Ità vt maior pars prædictorum bonorum applicanda sit iis Ecclesiis, à quibus maiora stipendia receperat, iuxta proportionem.*

5 *Neque dicta bona sic acquisita possunt Clerici in hæredes extraneos transmittere, cùm post eorum obitum cedant Ecclesiæ.*

6 *Acquisita ex beneficio simplici, & bona acquisita ex beneficio curato non differunt inter se; quia textus in cap. excommunicamus, de hæreticis, nullam distinctionem facit.*

7 *Clerici in Hispania, vbi possunt contrà ius commune testari ex consuetudine introducta de acquisitis titulo cuiuscumque beneficij Ecclesiastici, non gaudent priuilegio exemptionis confiscationis dictorum bonorum.*

8 *Clericorum bona patrimonialia, & alia, quæ confiscantur, applicanda sunt fisco Ecclesiæ Episcopalis, quamuis secundùm aliquos applicanda sint fisco sæculari; talisque consuetudo est in Hispania, & in Gallia.*

9 *Clericorum bona, quæ confiscantur, secundùm alios applicantur pro expensis Inquisitionis, maximè quando Clericus hæreticus habebat beneficium simplex, & non curatum.*

1 REspondetur, & dico primò: Coofiscatis Clerici bonis ob aliqnod delictum, confiscantur bona eius propria, & patrimonialia. Glossa *in Clement. 2. de hæret. verb. Ecclesiarum*, Lopez *in addit. ad Diaz in pract. crimin. cap. 144. verb. hæretici, litt. F.* Couarruuias *lib. 2. var. cap. 9. num. 12.* Penna *in director. Inquis. part. 3. comment. 161.* Simancha *de cathol. Institut. tit. 9. num. 92.* & alij communiter, quia in sententia omnium Clericus de his potest disponere, tàm contractu, quàm testamento; *cap. quia nos, de testament.* Ergò.

2 Ad hæc bona reducuntur ea, quæ Clericus acquirit non ex beneficio, seu ex fructibus beneficij, sed ratione alicuius ministerij Ecclesiastici, vt verbi gratia, pro sacris faciendis, pro Concionibus, pro Sacramentis ministrandis, pro defunctis sepeliendis, pro vicaria ministranda ad tempus concessa, & similibus. Quia & de his etiam (quæ dicuntur quasi patrimonialia) potest Clericos, & Episcopus liberè testari, & in extraneos hæredes transmittere: Ergò & delinquendo in fiscum alienare: Doctores communiter iidem, quos referebam suprà, & sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap. 20. num. 21.* & Farinacius *de hæres. quæst. 190. §. 11. num. 154.*

Dico secundò, non tamen confiscantur bona Cle- 3
rici titulo, seu ex fructibus beneficij Ecclesiastici acquisita (siuè sint bona immobilia, siue mobilia) sed pro rata applicantur Ecclesiis, à quibus stipendia Clericus recepit. Simancha *de cathol. Institut. tit. 9. num. 89.* Cantera *in quæstion. crimin. rubr. de hæretic. cap. 1. num. 41.* Angel. *verb. hæreticus, num. 5.* Syluest. *eodem verb. hæreticus 1. num. 13.* Director. Inquisitor. *part. 3. quæst. 112.* Penna *ibidem comment. 161. vers. alterum verò axioma*, Couarruuias *lib. 2. var. cap. 9. num. 11.* & patet *ex cap. excommunicamus 1. §. damnati, de hæresic.* vbi dicitur: *Si verò Clerici, applicentur Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt.* Et notant ibi Felinus *num. 1.* Butrius *in principio*, Soccinus *num. 8.* Zabarell. *num. 2.* Et colligitur *ex cap. relatum 2. ex cap. quia nos, & ex cap. requisisti, de testament.* in qoibus textibus prohibetur Clericis, ne de huiusmodi boois testentur, & statuitur, quod ea post Clericorum obitum applicanda sint suis Ec-
clesiis. Quare cùm illorum huiusmodi bona non pos- 4
sint transire ad hæredes, neque poterunt transire ad fiscum. Quod si quis ex Clericis à pluribus Ecclesiis stipendia acceperit, eius bona confiscata pertinebunt ad omnes illas Ecclesias, à quibus stipendia recepit. Butrius *in dicto cap. excommunicamus, num. 10.* Ostiensis *ibidem num. 1.* & *in summa de hæret. §. qua pœna feriatur, num. 8.* & Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 44. num. 2.* & ità vt maior pars prædictorum bonorum applicanda sit iis Ecclesiis, à quibus maiora stipendia receperat, iuxtà scilicet proportionem.

Non confiscantur igitur bona Clerici titulo, seu ex fructibus beneficij Ecclesiastici acquisita, sed pro rata applicantur Ecclesiis, à qoibus stipendia Clericus recepit; quia (sicut dicebam) decernitur expressè *in cap. excommunicamus 1. §. damnati, de hæ-
reticis*, iuxta Glossa: Et ratio huius dispositionis 5
(vti etiam dicebam) est, quia huiusmodi bona Clericus non potest in hæredes extraneos transmittere, cùm post ipsius obitum cedant Ecclesiæ, *cit. cap. relatum 2. cit. cap. quia nos, & cit. cap. requisisti, de testament.* Sed ea, quæ in hæredes extraneos non potest transmittere, neque potest transmittere in fiscum, loco hæredis extranei succedentem, vt pluries iam dictum est, cum communi sententia Doctorum apud Farinac. *cit. quæst. 190. num. 160.* Sanchez *cit. cap. 20. num. 24.* & Azorium *1. part. lib. 8. cap. 12. quæst. 14.* Ergò, &c.

Neque (vt contra Lælium Zecchiom *in summa* 6
part. 1. tit. de fide, rubr. de hæresi, cap. 11. num. 16. rectè aduertit Couarruuias *lib. 2. variar. cap. 9. num. 11. in fine*, Farinacius, & Sanchez *in locis suprà citatis*) vlla differentia ponenda est inter acquisita ex beneficio simplici, aut curato; quia textus *in dicto cap. excommunicamus*, nullam distinctionem facit: Et ex quocumque beneficio acquisita sint, sunt bona Clerici formaliter, & Ecclesiarum stipendia, ac proinde Ecclesiis, à quibus Clerici stipendia sumpserunt, applicari debent.

Hinc sequitur, quod si in aliquo loco, vt in Hispa- 7
nia, consuetudine introductum sit, Clericum posse, sicut de patrimonialibus, & quasi patrimonialibus, testari de acquisitis titulo cuiuscumque beneficij Ecclesiastici, tunc confiscatis Clerici bonis ob delictum, confiscantur etiam & bona hæc, quæ sunt acquisita titulo cuiuscumque beneficij Ecclesiastici. Vasquez *1. 2. disp. 169. cap. 2. num. 19.* Sanch. *loco supra cit. num. 25.* Penna *3. part. direct. comment. 161.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 12. quæst. 14.* & alij passim.

Cæterùm

8 Cæterùm patrimonialia, quasi patrimonialia, & alia Clericorum bona, quæ confiscantur, applicanda sunt fisco Ecclesiæ Episcopalis, vt volunt Zabarella *in Clement. 2. de hæretic. §. Inquisitoribus, n. 3.* Imola *ibid. n. 8.* Angel. *verb. hæreticus, n. 5.* Syluester *eodem verb. hæreticus 1. n. 13.* Peregrin. *de iur. fisc. lib. 4. tit. 5. n. 35.* Diaz *in pract. crimin. verb. hæretici, cap. 224. n. 4.* & Bursatus *lib. 1. consil. 43. num. 37. & 38.*

Quamuis alij velint, quod sint applicanda fisco sæculari. Sic Ignatius Lopez *in addit. ad Diaz. cap. 114. verb. hæretici,* qui ait, quod talis consuetudo sit in Hispania, & Gallia. Idemque docet Gulielm. de Benedict. *in repetition. cap. Raynutius, verb. & vxorem, n. 242. & seqq. de testam.* quatenùs inquit, quod in Gallia receptum sit, vt bona immobilia Clericorum hæreticorum applicentur fisco Regio, & Couarruu. *lib. 2. var. cap. 9. n. 21.* quâtenus asserit, quod in regno Castellæ bona eorundem hæreticorum Clericorum applicentur fisco sæculari, talemque consuetudinem ipse approbat.

9 Et alij (vt Cantera *in quæst. crimin. rubr. de hæret. cap. 1. n. 42.*) velint, quod huiusmodi bona applicentur pro expensis Inquisitionis: Et alij (vt Lælius Zecch. *in summ. part. 1. tit. de fide, rubr. de hæres. cap. 11. num. 16.*) velint, quod quando Clericus hæreticus habebat beneficium simplex, & non curatum, tunc ipsius bona non applicentur illi Ecclesiæ, in qua habebat beneficium prædictum, quod verum est, vbi est consuetudo, quod Clericus possit de illis testari, sed officio Sanctæ Inquisitionis. Vide, quæ dicentur infrà *dubitatione sequenti, & dubitatione 138. & 139.*



DVBITATIO CXXVII.

An ad bona delinquentis sita in alieno territorio à iudice confiscante: confiscatio ipsius extendatur?

SVMMARIVM.

1 *Confiscatio extenditur ad bona delinquentis existentia extra territorium confiscantis, si fiat vigore legis communis, nempe legis latæ à superiore vtriusque territorij, & iudicis, & loci, vbi bona delinquentis sita sunt, sicut contingit in crimine hæresis, secus si ea fiat iure speciali, seu municipali, quia confiscatio fundata in lege, non potest magis extendi, quam ipsa lex.*

2 *Confiscatio etiamsi fiat de iure speciali, vel municipali, si fiscus sit vnus & idem, tunc extenditur etiam ad bona delinquentis existentia extrà territorium, secus si fiscus non sit vnus, & idem.*

3 *Confiscationis etiam iure communi factæ executio fieri non potest, nisi per officiales illius loci, vbi bona sita sunt.*

4 *Excipe, nisi iudex illius territorij per iudicem, qui sententiam tulit, requiratur.*

5 *Hæreticorum bona confiscata extrà statum temporalem Summi Pontificis olim applicabantur fisco sæculari: In terris verò statui temporali Summi Pontificis immediatè subiectis fisco Ecclesiæ: At omnia hæreticorum bona pertinent ad Fiscum Ecclesiæ secundùm Nauarrum.*

6 *Hæreticorum bona applicantur domino loci, in quo ea sunt, & non in quo reus condemnatur. Quod si in diuersis locis reperiantur, applicantur diuersis dominis, in quorum territoriis illa bona sunt sita.*

7 *Hæreticorum bona non potest iudex laicus confiscare, neque illorum possessionem apprehendere, nisi postquam fuerunt confiscata à Iudice Ecclesiastico.*

8 *Hæreticorum bona confiscata hodie applicari solent solùm Sanctæ Inquisitionis officio.*

1 RESPONDETVR, si confiscatio sit vigore legis communis, nempe legis latæ à superiore vtriusque territorij, & iudicis, & loci, vbi bona delinquentis sita sunt (sicuti contingit in crimine hæresis) ad illa confiscatio extenditur. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *in praxi quæst. 25. num. 100.* Clarus *quæst. 78. num. 27.* Peregrin. *lib. 5. tit. 1. num. 238.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 10. num. 31.* Si autem confiscatio sit iure speciali, seu municipali, quod in territorio, vbi bona delinquentis sita sunt, locum non habet, ad illa confiscatio non extenditur; quia confiscatio, fundata in lege, non potest magis extendi, quàm extendatur ipsa lex, *leg. libertas, §. penultimo, ff. ad manucip.* & tradunt Farinac. & Clarus *in locis supra citatis.* 2 At si tandem confiscatio sit iure speciali locum habenti etiam in territorio, vbi bona delinquentis sita sunt, distinguendum tunc est; si fiscus, cui bona illa sunt applicanda, sit vnus, & idem, confiscatio ad illa bona se extendit; quia nulla est ratio, qua tunc illa bona eximi possint. At si fiscus diuersus sit, ad ea se non extendet; quia confiscatio extendere se non potest ad illa bona, quin simul illa bona fisco applicentur: Ergò, cùm illa bona, sita in alieno territorio, non possit suo fisco applicare, fit quod impublicata remaneant illa bona. Doctores, quos sequitur Farinacius *loco suprà cit. num. 98.* & Bossius *de publicat. bonor. num. 62.*

3 Aduerte tamen, quod executio confiscationis, etiam factæ iure communi, fieri non possit, nisi per officiales illius loci, vbi bona sita sunt, *argum. textus in leg. cùm vnus, §. final. de bonis auth. iudic. possid.*

4 Excipe, nisi iudex illius territorij per iudicem, qui sententiam tulit, requiratur. Farinac. *vbi suprà num. 95.* Sanch. *num. 33.* Boss. *num. 6.* & alij passim

5 Aduerte secundò, quod bona hæreticorum confiscata extrà statum temporalem Summi Pontificis olim applicabantur fisco sæculari: In terris verò statui temporali Summi Pontificis immediatè subiectis, fisco Ecclesiæ; *cap. vergentis, de hæretic.* ibi: *In terris vero temporali nostræ iurisdictioni subiectis bona hæreticorum statuimus publicari, & in aliis idem præcipimus fieri per Potestates, & Principes sæculares.* Et notat ibidem Ostiens. *num. 1.* Ananias *num. 3.* Abbas *num. 1. & 2.* Felin. *num. 1.* Penna *in director. Inquis. part. 3. quæst. 209. comment. 158.* & Nauarr. *cons. 20. de hæretic. num. 1.* asserens, esse communem opinionem: Addit tamen, quod omnia hæreticorum bona pertineant ad fiscum Ecclesiæ.

6 Applicantur verò huiusmodi bona domino loci, in quo sunt illa bona, & non in quo reus condemnatur. Probus *in cap. cùm secundum, de hæret. in 6. in Addit. ad Ioannem Monachum num. 8.* Ioan. Andr. *n. 2.* Geminian. *n. 4* Franch. *n. 3.* Gnindisaluus *tract. de hæretic. quæst. 15. n. 6.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 44. n. 8.* & Simanc. *de cathol. Institut. tit. 9. n. 129.* quatenùs aiunt, quod si hæretici bona in diuersis locis reperiantur, applicentur diuersis dominis, in quorum territoriis illa bona sita reperiuntur.

7 Aduerte tertiò, quod *in cap. cùm secundum, §. confiscationis, de hæretic. in 6.* statuitur, quod non possit iudex laicus bona hæreticorum confiscare, neque illorum possessionem apprehendere, nisi postquam fuerint confiscata à iudice Ecclesiastico, ibi: *Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios Dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Et notat ibidem Glossa *verb. cum secundum,* Franch. *num. 2.* & Geminian. *num. 1. & 3.* Idemque etiam

habetur in constitutione Martini V. *Inter cunctas*, apud Pennam inter literas Apostolicas; post latam verò sententiam poterat olim iudex laicus statim apprehendere bona confiscata; nec aliquid aliud requirebatur. Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 44. n. 9.* Alciat. *in cap. perniciosum, de offic. ordinar. n. 73. & 74.* & Graff. *lib. 2. decis. cap. 11. n. 4.*

8 Hodie tamen bona hæreticorum confiscata applicari solent solum sanctæ Inquisitionis Officio; quia ad Inquisitores pertinet facere expensas, quæ vt hoc officium possit administrari necessariæ sunt. Nauarrus *consil. 20. de haret. n. 2.* Alberic. *in l. Manichaos, Cod. de haretic. n. 2.* Lucerna Inquisit. *verb. bona haretici, n. 6.* Locat. *in iudic. Inquisit. verb. fiscus, vers. hodie*, & Penna *in director. part. 3. q. 109. comment. 158. vers. cum autem.* Vide quæ dicebam suprà *dubitatione pracedenti*, & quæ dicam infra *Dubit. 138. & 139.*



DVBITATIO CXXVIII.

Ad quas personas confiscatio bonorum ob hæresim, & alia crimina extendatur?

SVMMARIVM.

1 *Confiscatio cum sit pœna, & à legislatore delinquentibus imponenda, necessario debent ij illi esse subditi, vt hac pœna puniri possint.*

2 *Christiani omnes, cum subditi sint Romano Pontifici, possunt ob graue delictum contra leges Ecclesiasticas, veluti haresis, hac pœna puniri.*

3 *Christiani omnes de facto ob haresis crimen hac confiscationis pœna afficiuntur.*

4 *Potentiores si delinquant, cùm grauius obsint, grauius sunt puniendi.*

1 RESPONDETVR: Cùm confiscatio sit pœna, & à legislatore delinquentibus imponenda, fit quod necessariò delinquentes legislatori subditi esse debeant, vt hac pœna tales puniri possint, vndè sequitur, quod cum
2 omnes Christiani Romano Pontifici subditi sint, quilibet istorum, cuiuscumque dignitatis existat, ob transgressionem legum Ecclesiasticarum, si grauis sit (qualis est illa ob hæresim) possit tali pœna puniri. DD. quos sequitur Suarez *lib. de defensione fidei lib. 4. c. 22.*
3 Quinimmò de facto ob crimen hæresis hac confiscationis pœna omnes afficiuntur; quia Textus *in cap. cum secundum leges, de haretic.* generaliter loquitur, & Bulla Cœnæ Domini aduersus omnes procedit.
4 Adde, quod cùm, qui sunt potentiores, grauius obsint, si delinquant, grauius puniri debent.



DVBITATIO CXXIX.

Quotuplex discrimen sit inter confiscationem ipso iure, seu ipso facto, & confiscationem per iudicem imponendam?

SVMMARIVM.

1 *Confiscationem lex dupliciter potest imponere: Primò, annectendo confiscationem ipsi delicto, & tunc dicitur confiscatio ipso iure, seu ipso facto. Secundò, deligendo iudicem, vt illam imponat.*

2 *Inter confiscationem ipso iure, seu ipso facto, & confiscationem per iudicem imponendam, est duplex discrimen. Et qualenam sit.*

3 *Lex imponens ipso iure confiscationem, vt in crimine lasa maiestatis, &c. ligat delinquentes à die commissi criminis, & eorum bona ita sunt fisco obligata, vt ab illo die omnes alienationes in praiudicium fisci facta sint nulla, vel saltem per iudicem annullanda; quia sententia per iudicem prolata retrotrahitur ad diem commissi delicti.*

4 *Hares delinquentis potest puniri, & bonis à delinquente receptis priuari, si memoria delinquentis condemnetur; quod tamen non procedit in aliis criminibus, in quibus ante mortem delinquentis lis contestata non est; quia quando sunt bona ob delictum ipso iure, seu ipso facto confiscata, sunt obligata realiter fisco, & sic non transeunt ad haredes. Secus quando bona non sunt ipso iure, seu ipso facto confiscata; quia tunc hares conueniri non potest, & cur.*

5 *Assignatur discrimen inter pœnam ipso iure latam, & inter pœnam à iudice imponendam; prior enim pœna statim ac profertur sententia retrotrahitur ad omnia bona, qua delinquens habebat à tempore commissi delicti; sed posterior non retrotrahitur, nec reuocantur alienationes à delinquente facta.*

6 *Hareticorum alienationes, licet reuocari possint à fisco. Secus tamen est, si ij tanquam innocentes absoluantur à proprio iudice, etiamsi constet post dictam absolutionem eos reuera reos haresis fuisse; quia tunc requiritur nouus processus.*

SVPPONO, quod lex dupliciter confiscationem imponere potest. Primò annectendo confiscationem ipsi delicto, & tunc dicitur confiscatio ipso iure, seu ipso facto. Secundo dirigendo iudicem, vt illam imponat; quemadmodum apparet in pœna excommunicationis, quæ aliquando delinquentes eo ipso, quod delictum committant, afficit, & dicitur excommunicatio ipso iure, seu ipso facto lata. Aliquando verò afficit illos post sententiam, & dicitur excommunicatio ferenda. Hoc supposito. 1

Respondetur, esse duplex discrimen. Primum, quando 2
lex confiscationem ipso iure imponit (vt in crimine
læsæ maiestatis humanæ, vel diuinæ, & apud Hispanos 3
etiam in crimine sodomiæ) bona delinquentis à die
commissi criminis ita sunt fisco obligata, vt ab illo die
omnes alienationes in præiudicium fisci factæ, sint nullæ, vel saltem per iudicem annullandæ; quia sententia postea prolata retrotrahitur, ac si pronunciatio fuisset, cùm delictum primò committitur. Quod nullo modo locum habet in confiscatione imponenda per iudicem.

Secundum discrimen est, quod hæres delinquentis 4
potest puniri, & bonis à delinquente receptis priuari, si memoria delinquentis condemnetur, *cap. accusatus, §. in eo, de haretic. in 6.* quæ memoria condemnari non potest in aliis criminibus, in quibus ante mortem delinquentis lis contestata non est, vt patet ex Textu *in l. 1. Cod. de delict. defunct.* & *in l. ex iudiciorum, ff. de accusation.* Ibi: *Non aliàs transeunt aduersus haredes pœna bonorum ademptionis, quàm si lis contestata, & condemnatio fuerit secuta, excepto repetundarum, & maiestatis iudicio.*

Et ratio est; quia quando sunt bona ob delictum ipso iure, seu ipso facto confiscata, sunt obligata realiter fisco, & sic obligata transeunt ad hæredes; ratione cuius obligationis hæres potest conueniri; sed quando bona non sunt ipso iure, seu ipso facto confiscata, hæres delinquentis conueniri non potest, quia conueniri non potest ratione delicti; cùm hoc, vtporè personale, personam delinquentis non excedat. Neque potest conueniri ratione bonorum, quæ à delinquente possidebantur;

quia

quia non transierunt in ipsum per aliquam obligationem affecta: Ergo, &c. Farinac. *in praxi part.1. q.25. num.190.& seqq.* Vasquez 1.2. *disput.170. cap.4.n.22.* Simanch. *de Cathol. Institut. tit.9. num.168.* Suarez *de fide disput. 22.* Sanchez *lib.2. moralium cap. 22. n.26. & seqq.* & alij passim.

5 Inter pœnam igitur ipso iure latam, & inter pœnam à iudice imponendam discrimen est, quod prior pœna, statim ac profertur sententia, retrotrahitur ad omnia bona, quæ delinquens habebat à tempore commissi delicti, à quo tempore etiam rescinduntur omnes contractus à delinquente celebrati; sed posterior pœna, quæ imponitur à iudice, non retrotrahitur, nec reuocantur alienationes à delinquente factæ; nisi quando in fraudem fisci factæ fuerint, vti dicam infrà *Dubitat.137.*

6 Cæterum aduerte hic, quod licet alienationes ab hæretico factæ reuocari possint à fisco, si tamen hæreticus, vel alius quicumque reus criminis, ob quod ipso iure bona publicantur, absoluatur à proprio iudice tanquam innocens, & post absolutionem manifestaretur, quod reuera fuerit hæreticus, vel reus cuiuscumque alterius criminis modo suprà dicto, alienationes ab eo factæ postquam fuerit absolutus, & priusquam de nouo formetur processus, sunt ita validæ, vt reuocari non possint. Surd. *decis.247.* Scaccia *lib.1. de indic. cap. 98. numero 17.* & Bossius *in practica tit. de bonor. publicat. num.76.* Etsi in contrarium inclinent alij, quos sequitur Ricciull. *lib.5. cap.35. circa finem.*

DVBITATIO CXXX.

An delinquens ipso iure ante sententiam declaratoriam delicti priuetur dominio suorum bonorum, quando delictum, quod ipse committit, ipso iure confiscationem bonorum annexam habet?

SVMMARIVM.

1 *Delinquens ipso iure ante sententiam declaratoriam delicti priuatur, secundum aliquos Doctores dominio suorum bonorum, quando delictum habet annexam ipso iure bonorum confiscationem; at secundum sententiam probabiliorem aliorum Doctorum non priuatur.*

2 *Leges permittunt delinquenti, cui bona ipso iure confiscantur, possessionem, & vsum bonorum, quæ ipsi sic confiscata fuerunt: Consequenter non auferunt ab illo dominium talium bonorum: At hæc ratio non omninò conuincit, & cur.*

3 *Lex humana debet esse obseruabilis, & tolerabilis: At ea, quæ priuat aliquem ipso iure dominio suorum bonorum est grauissima, & obseruatu difficillima. At neque hæc ratio conuincit, & cur.*

4 *Suadetur ratio ex textu in l. quæsitum, ff. qui & à quibus manumiss. Ex quo videtur delinquens à die commissi delicti, solùm amisisse ius dandæ libertatis, nempè liberam bonorum administrationem, non tamen dominium.*

5 *Delinquens, sicut per condemnationem amittit dominium; ita & amittit dominium ante condemnationem, postquam tamen commisit delictum. Vbi vide, quomodo explicetur Textus in l. quæsitum, ff. qui & à quibus manumiss.*

6 *Assignatur ratio dubitandi, & ratio decidendi quænam fuerit in dicta lege.*

7 *Delinquens commisso delicto, & ante sententiam, seu condemnationem, non tenetur se bonis spoliare, & fisco restituere, consequenter retinet dominium ante condemnationem.*

8 *Delinquens commisso delicto non est dicendus priuatus dominio, sed non possessione; quia verba legis sunt generalia, & consequenter generaliter intelligenda.*

9 *Delinquentis ex delicto læsæ maiestatis bona ex vi dicti criminis sunt confiscata à die commissi delicti, ex quo non sequitur, delinquentem amittere dominium, sed solùm ab illa die illa bona esse fisco obligata, & quasi hypothecata, quod non repugnat dominio.*

10 *Hypotheca est penes debitorem, & consequenter etiam dominium, quamuis creditori competat actio ex hypotheca.*

11 *Delinquentis bona à die commissi delicti ita sunt obligata fisco, vt possit fiscus lata sententia, illa recuperare à quocumque detentore, seu possessore; consequenter delinquens amisit ius transferendi illorum dominium in quemcumque alium.*

12 *Delinquens ante sententiam, seu condemnationem illa bona retinere potest, illisque frui, & vti; consequenter non amisit quomodocumque dominium, seu ius vtendi, quod antea habebat.*

13 *Delinquens à die commissi delicti priuatur quidem dominio, non tamen absolutè sed solùm conditionatè.*

14 *Delinquens licet ante sententiam retineat dominium, & sic disponendi ius de suis bonis, non tamen potest de illis disponere perfectè, firmè, & irreuocabiliter, sed solùm imperfectè, infirmè, & reuocabiliter, quia ea sunt obligata fisco.*


ESPONDETVR, quod quamuis satis probabiliter affirment Abbas *in cap. dilecti, de arbitr. n.12.* Archidiac. *in cap. felicis, n.13. de pœnis in 6.* Ioan. Andreas *ibidem num. 4.* Dominicus *n 8.* Franch. *n.3.* Roland. *vol.3. consil. 63. a.75.* Caietan. 1.2. *q.62. art.3. in fine,* Castr. *lib.2. de leg. pœnal. c.10 & lib.1. de iust. hæret. punit. cap.6.* Couarruu. *in 4. decretal. part.2. cap.6. §.8. n.8. & 9.* Tolet. *lib.4. cap.4. a.4.* Gregor Lopez *in l.4. tit.2. part.7.* Less. *de iust. lib.2. cap.19. dubit.8. a.64.* Azor. *tom.1. lib.5. cap.7. q.2. & cap.8. quæst.2. & lib.8. cap.12. q.2.* Ioan. Medina *Cod. de restitut. q.1. § post rer. dominium,* Corduba *lib.1. quæst.36.* Aragonius 2.2. *quæst.11. art.2. & q.62. art.3.* Salonius *ibidem controu.1.* Graffius *lib.2. decis. cap.11. n.15.* Bursat. *consil.14. n.3.* Decian. *lib.5. cap.10. num.3.* Gomez *de delict. cap.2. n.2.* & Farinac. *de hæresi q.190.* §.5. *n.68.* Ita vt prædictum dominium bonorum statim à die commissi delicti transferatur in fiscum: Probabilius tamen negent Victoria *relect.1. de Insulan. part.1. num.14.* Cardinalis *consil. 128. n.2.* Francisc. Beccius *consil.57. num.15.* Archidiac. sibi contrarius *in cap. cùm secundum leges, de hæret. in 6.* Locatus *in iudic. Inquisit. verb. donatio, n.6. vers. & nota.* Bannez 2.2. *q.12. art.2. dub. vnico, concl. vltima,* Simanch. *de Cathol. Institut. tit.9. n.173. & 229.* Ioan. Gutierrez *lib.2. canonic. cap.5. n.18.* Lopez *tom.1. in Instruct. cap.112.* Petr. Ledesma *in summa part.2. tract.1. cap.6. conclus.15. & tract.8. cap.9. concl.7.* Auila *de censur. part. 2. dub.7.* Vasquez 1.2. *disp.170. cap.3.* Barthol. Medina 1.2. *q.96. art. 4. ad 3.* Molina *de iust. disput.95. tom.1. vers. dubium verò est,* Henriquez *lib.13. cap.56. a.2.* Peregrin. *de iur. fisc. lib.5. tit.1. n.176.* Et putat esse probabile Corduba *cit. lib.1. quæst.36.* 1

Probatur; quia leges permittunt delinquenti (cui bona ipso iure confiscantur) possessionem, & vsum bonorum, quæ ipsi sic confiscata fuerunt: Ergo non auferunt ab illo dominium talium bonorum. Antecedens patebit ex iis, quæ infra dicentur. Consequentia probatur, quia absurdum est dicere, aliquem esse priuatum dominio suorum bonorum, & posse legitimè illa possidere, & legitimè illis vti; cùm ablato dominio, necessariò corruat ius possidendi, & vtendi, quod in dominio fundatur. Accedit, quod prædictus delinquens ante senten- 2

sententiam declaratoriam delicti potest accipere ex illis bonis, quidquid necesse habuerit ad se, & suam familiam sustentandam: Ergo signum est, quod habeat dominium illorum bonorum.

At hæc ratio non omninò conuincit; quia in multis casibus dominium est penes vnum, & possessio, ac vsus est penes alterum: Quandoquidem Religiosi Ordinis S. Francisci de facto habent possessionem, & vsum bonorum, & tamen dominium prædictorum bonorum est apud Romanum Pontificem. S. Bonauentura *in Regula S. Francisci cap. 4. ad 4.* Sotus *de iust. lib. 4. q. 1. art. 1. vers. hisce tamen*, Alcozer *lib. de ludo cap. 17. in fine*, Menca *lib. 1. contron. illustr. cap. 17. num. 10.* Barthol. *in tract. Minoritar. lib. 2. disp. 3. cap. 2.* Roderic. *tom. 2. quæst. regular. quæst. 125. art. 6.* Ledesma *part. 4. q. 18. art. 1. dub. 2.* Rebell. *de iust. part. 1. lib. 1. quæst. 7. sect. 4. n. 33.* Salonius 2. 2. *q. 62.* Azor. *tom. 1. lib. 12. cap. 24. q. 5.* & alij passim. Item bona aduentitia filiifamilias quoad dominium sunt apud filiumfamilias, quoad vsumfructum autem sunt apud patrem, *l. quacumque, & l. cùm oportet, Cod. de bon. quæ liber.* Ergo licet prædictus delinquens retineat possessionem, & vsum suorum bonorum, non tamen hinc sequitur, quod & retineat etiam dominium, illudque non sit translatum in fiscum; quia leges, quamuis auferant prædicto delinquenti dominium suorum bonorum à die commissi delicti, concedunt tamen illi possessionem, & vsum eorumdem bonorum ante sententiam declaratoriam delicti; cùm hanc possessionem, & hunc vsum illi non non auferant, vti suprà dicebam.

3 Probatur secundò, quia lex humana debet esse obseruabilis, & tolerabilis: At lex, priuans aliquem ipso iure dominio suorum bonorum, est grauissima, & obseruatu difficillima: Ergo.

At hæc ratio etiam multo minus conuincit; quia tunc lex esset grauissima, & obseruatu difficillima, quando obligaret delinquentem ad sua bona tradenda fisco ante sententiam declaratoriam delicti; sed priuare aliquem ipso iure dominio suorum bonorum, ita tamen vt illorum possessionem, & vsum retineat, non est ita graue, & obseruatu difficile, vt Principes non possint huiusmodi legem ferre in delictis quibusdam valdè grauibus: Ergo. Et quidem multæ leges id indicant, vt mox patebit: & in materia beneficiorum, vt dicebam suprà *dubit. 102. & dubit. 103.* multæ videntur latæ leges, quibus beneficiarius ob delictum eo ipso priuatur beneficio; cum tamen ante sententiam declaratoriam delicti dictum beneficium legitimè retineat, & possideat. Accedit, quod cùm leges possint conferre dominium, vt fit per præscriptionem, multo magis ob aliquod graue delictum poterunt illud auferre. Melius igitur sic.

4 Probatur tertiò *ex l. quæsitum, ff. qui & à quib. manumiss.* ibi: *Quæsitum est, an is, qui maiestatis crimine reus factus est, manumittere possit, quoniam ante damnationem Dominus est: & Imperator respondit, ex eo tempore, quo quis propter facinorum suorum cogitationem iam de pœna sua certus esse poterat, multo plus cogitatione, & scientia delictorum, quàm damnatione, ius dandæ libertatis eum amisisse.* Ergo videtur, quod delinquens à die commissi delicti solùm amiserit ius dandæ libertatis, nempè liberam bonorum administrationem, non tamen dominium.

5 Dices cum aduersariis suprà, vt Deciano, & aliis, rationem dubitandi in supradicta lege (an scilicet delinquens ante condemnationem manumittere possit) ortam fuisse ex eo, quod ante condemnationem *videtur Dominus*; cui rationi dubitandi respondit Imperator, efficaciùs amittere delinquentem, postquam certus est de suo delicto, ius dandæ libertatis, quàm post condemnationem; siquidem post condemnationem ideò amittit, quia certus est de suo delicto, cùm sententia faciat notorium; sed magis certus est de sua propria conscientia, quæ falli non potest: Et sic coniungendo rationem dubitandi cum ratione decidendi, & decisione ipsa, dicendum est, quod sicut per condemnationem delinquens amittit dominium, ita & amittit dominium ante condemnationem, postquam tamen commisit delictum. Alias non fuisset soluta ratio dubitandi; quæ erat, quod ante condemnationem delinquens *Dominus est*: Nam si voluisset Imperator dicere, rationem decisionis esse, quod aliud est amittere dominium, aliud autem amittere administrationem, simpliciter dixisset; manumittere non potest, licet dominus remaneat vsque ad sententiam, seu condemnationem.

Sed contra; quia alia fuit ratio dubitandi, alia ratio 6
decidendi in supradicta lege. Ratio dubitandi, an manumittere possit delinquens, fuit, quia Dominus est ante condemnationem; ratio verò decidendi, & decisio ipsa negans, quod manumittere possit ante condemnationem, non fuit; quia caret dominio, aliàs inanis esset ratio dubitandi, an manumittere possit; sed fuit fraus facta fisco; quæ omninò à delinquente præuideri debuit: Nam cum post crimen læsæ maiestatis commissum donationes perfectæ esse non possint (hæredes enim etiam tenet tale crimen, *l. donationes, §. vltim. de donationibus*) & committens hoc crimen præuidere debeat, quod sic condemnari possit, *l. 8. de manumiss.* infertur in fraudem fisci factam fuisse alienationem, ac proinde à die commissi delicti amisisse delinquentem ius plenum, & perfectum dandæ libertatis: non autem amisisse dominium.

Probatur quartò; quia delinquens commisso delicto 7
ante sententiam declaratoriam delicti, non tenetur se bonis spoliare, & fisco restituere: Ergo signum est, quod ante sententiam dictam retineat dominium. Antecedens patebit ex iis, quæ dicemus dubitationibus sequentibus. Consequentia probatur, quia si dominium esset translatum in fiscum, non possent absque voluntate fisci à delinquente bona retineri; nullibi autem constat de tali voluntate fisci: Ergo dicendum est, quod retentio proueniat ex eo, quod delinquens non sit priuatus dominio ante sententiam declaratoriam delicti.

Neque dicas, quod delinquens sit quidem priuatus 8
dominio, sed non priuatus possessione: Quia præter ea, quæ infrà dicentur, verba sunt generalia, atque adeò generaliter sunt intelligenda.

Probatur quintò, quia ex vi criminis læsæ maiesta- 9
tis solùm habetur, quod à die commissi criminis bona delinquentis sint confiscata; sed ex hoc non infertur, quod delinquens amittat dominium; sed solùm infertur, quod ab illo die illa bona sint fisco obligata, &
quasi hypothecata: Quod optimè stare potest cum do- 10
minio; quemadmodum hypothecata res, possessa à debitore, est penes illius dominium, quamuis obligata sit creditori: Ergo dicendum, quod confiscatio non priuet delinquentem dominio; præsertim quia pœnæ sunt restringendæ, non autem ampliandæ.

Probatur sextò; quia certum est, quod à die com- 11
missi delicti bona delinquentis ita sunt obligata fisco, vt possit fiscus, secuta dicta sententia, illa bona recuperare à quocumque possessa inuenerit: Ergo signum est, quod delinquens amiserit quodam modo ius,
quod habebat transferendi plenè sua bona in quem- 12
cumque possessorem; è contra verò delinquens ante dictam sententiam illa bona retinere potest, illisque frui, & vti, sicuti infrà dicemus: Ergo signum etiam ex altera parte est, quod non amiserit omni modo dominium, & ius fruendi, ac vtendi, quod antes habebat in prædicta bona. Quapropter iuxta ea,
quæ dicebam *Dubitat. 103.* dici potest, quod de- 13
linquens à die commissi delicti priuetur dominio non simpliciter, perfectè, & absolutè; sed tantùm secundùm quid, imperfectè, & conditionate, posita scilicet dicta sententia iudicis; ita vt, hac posita, omnia priùs acta, licet valida, reddantur inualida, ac si à die commissi delicti delinquens dominio priuatus fuisset:

Et

Et consequenter, licèt ante dictam sententiam delinquens retineat dominium, & ius disponendi de bonis aliquo modo, non tamen possit de illis disponere perfectè, firmè, & irreuocabiliter, sed solùm imperfectè, infirmè, & reuocabiliter. Atque adeò licet ante dictam sententiam habeat aliquam administrationem de suis bonis, habeat tamen illam obligatam fisco.

OBIECTIONES.

SVMMARIVM.

1 *Clausula (ipso iure) in cap. Cùm secundùm leges, de hæreticis in sexto, non significat, quod hæreticus sit ipso iure priuatus dominio suorum bonorum, sed quod eo ipso talia bona sint fisco obligata; Ita vt lata sententia declaratoria delicti, retrotrahatur publicatio ad diem, quo delictum est commissum.*

2 *Verba Authent. & aliarum legum eodem modo explicantur.*

3 *Quæ sit ratio cur alienationes factæ à delinquente rescindantur.*

4 *Delinquens post commissum delictum ex citatis iuribus priuatus est dominio conditionatè; atque ideò potestate alienandi perfectè, infirmè, & irreuocabiliter: non autem imperfectè, infirmè, & reuocabiliter.*

5 *Delinquentis bona licèt secundùm l. quisquis, Cod. Ad leg. Iul. maiestat. dicantur fisco addicta: non tamen dicuntur sublata à possidente saltem quoad dominium.*

6 *Delinquentis bona translata ad hæredes, si ipsi non satis purgauerint delictum, vindicantur, ex l. vltima, ff. ad leg. Iul. maiestat. At non ita vindicantur ante sententiam, sed posita sentia, seu condemnatione.*

7 *Fiscus si non acquireret dominium bonorum delinquentis, quæ ipso iure confiscantur, non sequeretur, quod bona illa translata in tertium possessorem fructificarent huic, & non fisco: sed tantùm quod ea sint addicta, seu obligata fisco à die commissi delicti, ita vt, possit lata sententia, bona cum fructibus perceptis à die commissi criminis vindicare.*

8 *Pontifex in cap. Cùm secundùm leges, de hæret. in 6. tantùm prohibuit Principibus sæcularibus occupare bona delinquentium ante sententiam, seu condemnationem; quia ante sententiam, seu condemnationem iudicis Ecclesiastici, non debet fieri executio, & occupatio bonorum delinquentis: At non inde sequitur, an delinquens habeat dominium, necne: quia ab hac quæstione voluit Pontifex se abstinere.*

9 *Dominium vtile ex Suarez manet apud ipsum delinquentem: Dominium verò directum transit in fiscum.*

1 Obiicies primò: *In cap. Cùm secundùm leges, de hæretic. in 6.* dicitur, quod hæretici bona ipso iure publicentur; Ergo hæreticus ipso iure amittit dominium suorum bonorum, illudque transit in fiscum.

Respondetur: Nego consequentiam; quia per illa verba *ipso iure*, non significatur, quod hæreticus sit ipso iure priuatus dominio suorum bonorum, sed quod eo ipso talia bona sint fisco obligata: ita vt, lata sententia declaratoria delicti, retrotrahatur publicatio ad diem, quo delictum est commissum, & ex illo die bona hæretici simul cum fructibus sint transferenda in fiscum: Hoc tamen non impedit, quin hæreticus possit retinere dominium, antequam de delicto condemnetur. Accedit, quod *in l. vltima, ff. de public. & vectigal. & in l. cùm ancilla, Cod. de incest. nupt. & in cap. ita quorumdam, de Iudæis*, ipso iure publicantur bona aliquorum, & tamen bonorum eorum dominium non transfertur in fiscum: Ad eum modum, quo bona alicuius debitoris hypothecata, obligata sunt creditori, & tamen dominium illorum bonorum remanet apud dictum debitorem. Accedit etiam, quod prohibentur alienari bona quædam, cùm tamen dominium illorum sit penes illum, qui possidet dicta bona, quare non valet argumentum: Publicantur ipso iure bona, ergo delinquens, cuius publicantur ipso iure bona, amittit dominium suorum bonorum.

2 Eodem modo explicantur verba *Authent. de incest. nuptiis, cap. 1.* vbi dicitur: *Mox Reo rerum suarum casus imminet:* Quia, vt inquit ibi Glossa, *ipso iure dominium perdit:* Et explicantur verba *Authent. de rapt. mulier. in fine*, vbi dicitur: A tempore commissi delicti transfertur dominium in fiscum. Et explicantur verba *l. commissa, ff. de public. & vectigal. & l. vltima. Cod. ad leg. Iul. maiestat.* vbi dicitur: *Reus perdit dominium suorum bonorum à die commissi criminis*: quia hæc, & similia verba intelligenda sunt de domuio secundùm quid, imperfecto, & conditionali, quod vltrò concedo acquiri fisco, scilicet fiscum habere ius ad bona delinquentis: Ita vt possit ferre sententiam declaratoriam criminis delinquentis, qua probata, possit bona delinquentis vendicare. Et quia, qui habet ius ad rem acquirendam, dicitur esse aliquo modo dominus illius rei, ideò fiscus in casu nostro dicitur esse aliquo modo dominus bonorum delinquentis, non tamen simpliciter, perfectè, & absolutè, sed tantùm secundùm quid, imperfectè, & conditionatè, sicuti suprà dicebam.

3 Obiicies secundò: Post latam sententiam declaratoriam delicti rescinduntur omnes alienationes factæ à delinquente, & bona delinquentis simul cum fructibus perceptis à die commissi delicti pertinent ad fiscum: Ergo per huiusmodi delicta amittitur dominium bonorum ipso iure.

Respondetur, nego consequentiam: quia ex dictis ratio, cur rescindantur alienationes factæ à delinquente, non est eo, quod delinquens amiserit dominium suorum bonorum (nisi modo, quo suprà dicebam) sed eo quod à die commissi delicti illa bona sint obligata fisco: habeatque fiscus actionem ad illa bona post sententiam declaratoriam delicti.

4 Obiicies tertiò, committens delictum, ob quod bona ipsius sunt ipso iure addicta fisco, priuatus est potestate libera alienandi, & administrandi talia bona, sicut priùs habebat. Quod patet in crimine læsæ maiestatis humanæ, *ex l. indiciorum, ff. de accusationibus*, ibi: *Adeò vt Diuus Seuerus, & Antoninus rescripserint, ex quo quis aliquid ex his causis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare, aut manumittere eum posse.* Et *ex l. vltima, Cod. ad leg. Iul. maiest.* ibi: *Ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manumittere eum posse, neque ei soluere iure debitorem, manus etiam Antoninus rescripsit.* Et in crimine hæresis patet, *ex cap. Cùm secundùm leges, de hæretic. in 6.* sed dominium nihil aliud est, quàm ius vtendi re propria, tanquam propria: Ergo cùm delinquens ob delictum, hoc ius amiserit, amittit & dominium.

Respondetur ex prædictis iuribus nihil aliud sequi, quàm quod delinquens post commissum delictum priuatus sit dominio imperfectè, & conditionatè: atque adeò priuatus sit potestate alienandi perfectè, infirmè, & reuocabiliter, vti suprà dicebam.

5 Obiicies quartò. *In leg. quisquis, Cod. ad leg. Iul. maiestat.* dicitur, ob prædicta crimina bona delinquentis esse fisco addicta: Ergo signum est, quod sint sublata à possidente, saltem quoad dominium.

Respondetur, hinc tantum sequi, quod bona illa sint addicta, seu obligata fisco: Quod compati potest cum dominio possidentis.

6 Obiicies quintò, *in l. vltima, ff. ad leg. Iul. maiest.* vindicantur bona delinquentis translata ad hæredes, si hæredes non satis purgauerint delictum: sed vindicatio competit soli domino, iuxta Textum *in l. in rem, ff. de rei vindicat.* Ergo signum est, quod fiscus sit dominus.

Respondetur, vindicari quidem, sed ita vt vindicatio competat fisco, non ante sententiam declaratoriam criminis, sed posita tali sententia: In quo casu vltro concedo, quod fiscus factus sit dominus.

7 Obiicies sextò: Si fiscus non acquireret dominium delinquentis bonorum, quæ ipso iure confiscantur, sequeretur, quod bona illa translata in tertium possessorem fructificarent huic, & non fisco: Sed hoc est falsum, quia fiscus vindicat rem delinquentis cum fructibus perceptis à die commissi delicti: Ergo signum est, quod fiscus comparauerit, seu acquisiuerit dominium illorum bonorum ab illo die.

Respondetur, hinc tantum sequi, quod bona delinquentis sint addicta, seu obligata fisco à die commissi delicti, ita vt possit fiscus lata sententia declaratoria delicti, à die commissi delicti bona illius cum fructibus perceptis vindicare.

8 Obiicies septimò: Si in delicto hæresis non amittetur dominium à die commissi delicti, frustrà Pontifex *in cap. cum secundum leges, de haretic. in 6.* prohiberet Principibus sæcularibus occupare bona delinquentium quousque Episcopus, vel alius Ecclesiasticus habens potestatem, proferat sententiam super tale delictum; quandoquidem certum est, quod retento dominio alicuius rei, non possit à domino res auferri, quousque per sententiam, seu condemnationem ea priuans sit.

Respondetur, hinc tantùm sequi, Pontificem prohibuisse Principibus sæcularibus occupare bona delinquentium ante sententiam declaratoriam delicti; quia ante talem sententiam iudicis Ecclesiastici non debet fieri executio, & occupatio bonorum delinquentis (aliàs confiscationis iudices essent Principes sæculares) non autem sequi, delinquentem habere, vel non habere dominium; quia ab hac quæstione voluit Pontifex se abstinere. Vt omittam, quod delinquens priuetur dominio suorum bonorum non perfectè, & absolutè, sed imperfectè, & conditionatè, posita scilicet sententia declaratoria delicti, tanquam conditione sine qua non, modo suprà explicato.

9 Cæterum aduerte, quod Suarez *de fide disput. 22. sect. 3. n. 5.* conciliet prædictas duas opiniones docendo, quod dominium vtile maneat apud ipsum delinquentem; dominium verò directum transeat ad fiscum. Ad eum modum, quo emphyteuta acquirit dominium vtile, dominium verò directum remanet apud dominum fundi; subditque, quod hoc probent Textus allegati, in quibus dicitur, quod à die commissi delicti dominium bonorum transferatur in fiscum, nempè dominium directum; cùm dominium vtile eorumdem bonorum remaneat apud priorem dominum, & possessorem, scilicet delinquentem.



DVBITATIO CXXXI.

An confiscatio delinquentem, cui bona sunt ipso facto, seu ipso iure confiscata, obliget, quod ea fisco tradat ante sententiam declaratoriam delicti?

SVMMARIVM.

1 *Confiscatio non obligat, secundum probabiliorem sententiam, delinquentem, cui bona sunt ipso facto, seu ipso iure confiscata ad tradendum ea fisco ante sententiam; quia delinquens in tali casu non priuatur dominio suorum bonorum, nisi conditionatè, contra complures Doctores affirmantes ex eo, quod defendant, delinquentem à die commissi delicti priuatum esse dominio suorum bonorum.*

2 *Princeps licet in vno, vel altero casu possit obligare delinquentem, vt in se ipsum pœnam gr.nem exequatur, non tamen id potest passim, & per legem, sicuti esset, si delinquens commisso delicto obligaretur bona sua fisco tradere.*

3 *Leges imponentes hanc confiscationis pœnam non priuant expressè delinquentem possessione suorum bonorum; consequenter delinquens non tenetur se illorum possessione spoliare.*

4 *Lex (ad hoc vt obliget) debet esse proportionata, & conformis fragilitati humanæ, debetque esse obseruatu moraliter possibilis, quod non esset, si inberet aliquem, esse executorem pœna contra se ipsum.*

5 *Princeps non videtur ad id obligare, cùm lex obligans ad omnia bona fisco tradenda ante sententiam sit obseruatu valdè difficilis.*

6 *Clausula (ipso iure) non facit sensum, quod bona delinquentis sint tradenda fisco ante sententiam, sed quod confiscatio retrotrahatur ad diem commissi delicti.*

7 *Delinquentis bona licet transeant in fiscum, remanent tamen plura in ipso delinquente, hoc est possessio, administratio, & vsus illorum; ita vt de illis non veniat spoliandus ante sententiam, sed tantum post.*

8 *Limitatio cum Adriano, prædicta procedere quando delictum est occultum.*

9 *Limitatio prædicta reiicitur; quia lex confiscans bona delinquentis loquitur de delictis publicis, & de occultis, nullamque distinctionem facit.*

10 *Sententia non requiritur, vt populo constet de delicto delinquentis, cùm populus non obligetur huiusmodi bona fisco deferre, neque requiritur, vt ipso delinquens certus reddatur de suo delicto, sed vt pœna imposita per legem applicetur, & executioni mandetur.*

11 *Delinquens occultus ex aduersariis non tenetur sua bona tradere fisco ante sententiam, consequenter nec delinquens publicus ob camdem rationem.*

12 *Delinquens vt teneatur tradere bona sua fisco, requiritur, quod de delicto ipsius habeatur illa notitia, quæ iure ciuili, & Canonico est præscripta: Volunt enim leges, hanc notitiam haberi per indicis sententiam.*

13 *Delinquens etiamsi crimen suum in iudicio confessus fuerit, adhuc non tenetur se bonis spoliare, neque fiscus potest ab illo bona illa eripere, & occupare; quia illa confessio solùm facit crimen esse notorium, non autem esse reum damnatum, & pœnam applicatam.*

14 *Sententia hæc in delictis, quæ ipso facto, seu ipso iure confiscationis pœnam trahunt, sufficit, si sit declaratoria, seu condemnatoria delicti; quia eo ipso est simul condemnatoria pœnæ delicto annexæ.*

15 *Hæretici, vel alterius delinquentis bona (quando sunt ipso iure, seu ipso facto confiscata) non requiritur sententia condemnatoria, seu declaratoria pœnæ; requiritur tamen sententia declaratoria delicti, ad hoc vt illa bona deueniant ad fiscum.*

16 *Sententia declaratoria delicti implicitè includit sententiam condemnatoriam, seu declaratoriam pœnæ.*

Respondetur, quod quamuis *in Repet. cap. extirpandæ, §. qui verò, de prebend. n. 24.* Parisius *de resignat. benefic. lib. 3. quæst. 1. n. 21. & 81.* Marian. Soccin. Senior *in cap. Iudæi 2. de Iudæis n. 14.* Felin. *in cap. Inquisitionis, de accusat. n. 7. & in cap. 1. de Constit. n. 43. & in cap. Rodulphus de rescript. n. 12. 13. & 18.* 1

Lorca

Lorca 1.2. disput.24. de legib.n.2.§.vltimo, Alphonsus de Castro lib.2. de leg. pœnali cap.10. & 11. & lib.2.de inst. hæretic. punit. cap. 5. & 6. & Antonius Gomez tom. 3. var.cap.1.n.5. affirment, ex eo quod tenent, delinquentem absoluè à die commissi delicti priuatum esse dominio suorum bonorum, & consequenter teneri ea fisco tradere eo ipso, quod delictum commisit; quia alias possideret, & retineret bona illa contra voluntatem fisci, qui factus est illorum dominus; quod vtique est illicitum.) Probabilius tamen sit oppositum, quod docent Alexander in l. siquis maior, Cod. de transact. n.13. Adrian. quodlib.1. art.1. lit.I. Caietan.2.2.q.62. art.3. & in summa verb. pœna. Victoria relection. 1. de Indis, n. 14. Molina de iust. tom.1. disput.65. vers. contrariam sententiam, & tom.3.disp.657. num.3. Henriquez lib.13. de excommunic. cap.56. n.2. Sotus de iust. lib.1. q.6. art.6. concl.1. Valentia 1.2. disput.7. quæst.5. punct.6.q.3. vers.ex qua deinde, & 1.2. disp.1. quæst.11. art.3. Bannes 2. 2. quæst. 12. art.1. vers. tertium argumentum, Syluest. verb. assassinus, n. vlt. & verb. hæresis 1. quæst. 8. n.13. Rosella eodem verbo heresis, num.1. Tabiena ibidem quæst. vnic. n.2. & 3. Medina de restitut. quæst.1. Angel. verb. pœna, num.3. Myssingerius singul. obseru. centur. 2. decis.43. Bursat. lib.1. cons.14. n.18. & 19. Peregrin. de duello quæst.7. n.14. Salonius 2.2.q.62. art.3. controu.1. post 3. conclusionem, Aragon. 2.2. q.11. art.3.§. his suppositis, Lessius de iust. lib. 2. cap. 29. dubit. 8. n. 64. Emmanuel Sà verb. fiscus, n.4. Philiarch. tom.2. part.2. lib.6.cap.12. Royas singul. 26. num.5. & 6. Cantera in quæst. crimin. rubr. de hæretic. cap.1. n.16. Graff. lib.2. decis. cap.11. n.1. & 40. Sayr. in clau. reg. lib.3. cap.9. num.30. Lancellot. de attentat. cap.5. num. 36. Nauarrus in summa cap. 23. num. 66. Couarruu. 4. decret.2. part. cap.6.§.8. n.10. Suarez de fide disput.22. sect.3. n.3. vbi ait, esse hanc sententiam communissimam, securissimam, & in praxi seruandam. Azor. tom.1. lib.5. cap.7.q.1. & 3. & lib.8. cap.12.q.3. 4. & 5. Simancb. de Cathol. Institution. tit.9. num.161. & seqq. Pegna in director. Inquisitor. 3. part. commentar.158. Vasquez 1. 1. disp. 169. cap.4. & disput. 170. cap.3. Farinac. de hæres. q.190. n.83. & Sanchez lib.2. moral. cap.18. num. 30. & cap.12. num.7. Videri etiam poterunt Mol. de primogen. lib.4. cap.vlt. n.31. & Mieres de maioratu part. 4. quæst. 23. & quæ dicebam suprà dubit.116. num.10. & 11.

Probatur; quia ex iis, quæ dicebam Dubit.103. & Dubit.130. delinquens etiam in tali casu non priuatur dominio bonorum suorum, nisi solùm conditionatè, posita scilicet sententia, seu condemnatione iudicis tanquam conditione sine qua non: Ergo.

2 Confirmatur, quia licet princeps in vno, vel altero casu possit obligare delinquentem, vt in seipsum pœnam grauem exequatur, non tamen id potest passim, & per legem, cùm non expediat bono communi talia obligatio, vtpotè humanæ infirmitati contraria, & multa transgressionibus subiecta. Sed si delinquens, commisso delicto obligaretur bona sua fisco tradere, obligaretur grauem pœnam in seipsum exequi: Ergo dicendũ, quod non possit passim, & per legem princeps ad id obligare.

3 Confirmatur secundò, quia leges imponentes hanc confiscationis pœnam, non priuant expresè delinquentem possessione suorum bonorum: Ergo non tenetur delinquens se illorum possessione spoliare, etiamsi dominio priuatus sit, nisi id expresè dicatur. Antonius Gomez tom.3. variar. cap.2. de delictis n.3. Cantera in quæst. criminal. rubric. de hæretic. cap.1. n.16. & alij, quos refert Farinac. de hæres. q.190. n.85.

4 Confirmatur tertiò, quia lex ad hoc vt obliget, debet esse proportionata, & conformis fragilitati humanæ, debetque esse obseruatu moraliter possibilis: At quod quis sit executor in seipsum pœnæ grauissimæ, non est quid proportionatum, & conforme fragilitati humanæ, neque est quid obseruatu moraliter possibile: Ergo non est dicendum, quod lex velit ad id obligare.

Confirmatur quartò, quia (cùm lex obligans ad omnia bona fisco tradenda ante sententiam, sit, vt omnes concedunt, obseruatu valdè difficilis) non est dicendum, quod princeps velit ad id obligare, nisi claris, & expressis verbis id ipsum præcipiat; sed nullibi in iure id clarè, & expresè præcipitur, sed potiùs, vt dicam mox infrà, habetur oppositum: Ergò non est dicendum, quod velit princeps ad tam rigorosam pœnam obligare. 5

Obiicies: leges clarè, & expresè habent, quod bona delinquentis, de quo loquimur, sint ipso iure confiscata: Ergò non requiritur alia sententia; præsertim cùm leges obligare possint ad pœnam ante sententiam latam. 6

Respondetur: distinguo antecedens: Sunt ipso iure confiscata, ità vt hæc verba faciant sensum, quod statim sint tradenda fisco ante sententiam, nego: Ità vt faciant sensum, quod statim sint obligata fisco, vt propterea post latam sententiam retrotrahatur confiscatio ad illum diem, in quo fuit commissum delictum, concedo.

Instatis: statim ac quis committit delictum (ob quod ipsius bona ipso iure confiscantur) transit illorum dominium in fiscum: Ergò debent statim tradi fisco; cùm non possit res aliena retineri sine domini consensu. 7

Respondetur, nego antecedens (quod scilicet statim transeat dominium in fiscum, nisi solùm modo, quo suprà dicebam.) At dato: Transeat; distinguo tamen, ità vt apud delinquentem nihil relinquatur, nego: ità vt apud delinquentem relinquatur possessio, administratio, & vsus illorum bonorum, sicque possit delinquens ea bona possidere, & non retineat inuito domino; atque adeò non teneatur se illis spoliare ante sententiam, sed ad summum post sententiam, concedo.

Limitant Adrianus quodlib. 8. art.1. lit. I. Syluest. verb. hæresis, quæst.8. & verb. assassinus, quæst.5. & verb. pœna, quæst.21. Angel. verb. pœna, num.3. Farinac. de hæres. quæst.190. n.85. & de crimin. læs. maiest quæst. 16. num.18. Quod id, quod dixi, intelligatur, quando delictum est occultum: Tunc enim (inquiunt ipsi) non tenetur delinquens se bonis spoliare ante sententiam, ne sit occasio se prodendi; secùs, si delictum sit notorium; quia tunc cessat ratio, ob quam sententia requiritur; quæ est, vt constet de delicto, & nulla detur occasio vexandi innocentem. 8

At hæc limitatio mihi non probatur, quia lex confiscans bona delinquentis, æquè loquitur de delictis publicis, & de occultis, nullamque distinctionem facit: Ergò si non obligat, vt se bonis spoliet, delinquentem secretè, neque obligabit delinquentem publicè. 9

Confirmatur, quia sententia non requiritur, vt populo constet de delicto delinquentis, cùm populus non obligetur hæretici bona fisco deferre: neque requiritur, vt ipse delinquens certus reddatur de delicto suo (cùm satis sua conscientia, quæ falli non potest, de illo certus reddatur. Ergò solùm requiritur, vt pœna imposita per legem applicetur, & quasi executioni mandetur, auditis delinquentis defensionibus. 10

Confirmatur secundò ad hominem; quia vt ipsi aduersarij concedunt, non tenetur ante sententiam sua bona tradere fisco delinquens occultus: Ergò nec etiam tenetur delinquens publicus. Consequentia probatur, quia si ad id teneretur delinquens publicus, esset, quia scitur hæresis illius: Ergò cùm delinquens occultus rectè sciat delictum suum, licèt ab aliis non sciatur, non minùs si sola scientia sufficiat, obligabitur tradere bona sua fisco delinquens occultus, quàm teneatur delinquens publicus: sed falsum est, vt ipsi aduersarij etiam concedunt, quod ad id obligetur delinquens occultus, ergo etiam falsum erit, quod ad id obligetur delinquens publicus. 11

Confirmatur tertiò, quia ad hoc, vt delinquens teneatur tradere bona sua fisco, requiritur (vt mox infrà dicatur) 12

dicetur) quod de delicto ipsius habeatur illa notitia, quæ iure ciuili, & canonico est præscripta; sed leges ciuiles, & canonicæ, (vt etiam mox infra dicetur) præscribunt, quod hæc notitia habeatur per iudicis sententiam, ad maiorem scilicet certitudinem, ad satisfactionem Reipublicæ, ad vitandas fraudes, &c. Ergo ante hanc iudicis sententiam non tenetur bona sua tradere fisco delinquens quatenus publicus.

13 Quapropter, delinquens etiamsi crimen suum in iudicio confessus fuerit, adhuc non tenetur se bonis spoliare, nec fiscus potest ab illo bona illa eripere, & occupare; quia illa confessio solùm facit, crimen esse notorium, non autem esse reum damnatum, & pœnam applicatam; quod requiri videtur, *argum. l. vltima, Cod. ad leg. Iul. maiest.* ibi: *Vt conuicto reo, memoria eius damnetur, & eius bona successoribus eripiantur.* Ex quibus verbis colligitur, requiri, quod reus sit conuictus, & damnatus, ad hoc, vt bonis suis possit spoliari, & *argum. cap. cùm secundum leges, de heret. in 6.* vbi expressè cauetur, non posse bona delinquentis ante sententiam iudicis occupari. Videri poterit præter alios Sanchez *loco suprà cit. cap.* 16. Facchin. *lib. 4. controuers. cap. 35. in fine*, Vasquez *vbi suprà n.* 14. Simanch. *n.* 175. Suarez *n.* 7. & Farinac. *n.* 23.

14 Cæterum hæc iudicis sententia in delictis (quæ ipso facto, seu ipso iure confiscationis pœnam trahunt) sufficit, si sit declaratoria delicti; quia eo ipso est simul declaratoria, & condemnatoria pœnæ eidem delicto annexæ. Syluest. *verb. heresis* 1. *n.* 3. *& verb. assassinus, quæst. vltima*, Tabiena *eodem verb. assassinus, quæst. vnica, n.* 2. Sotus *lib.* 1. *de iust. quæst.* 6. *art.* 6. *concl.* 3. Peregrin. *de iur. fisc. lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 19. & *lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 171. Nauar *cons.* 20. *de heret. n.* 4. Roland. *lib.* 3. *cons.* 8. *n.* 7. Bursat. *lib.* 1. *cons.* 14. *n.* 18. & *cons.* 43. *n.* 1. *&* 22. Scacc. *lib.* 1. *de indic. cap.* 98. *num.* 10. *&* 11. Philiarch. *tom.* 2. *part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 21. Graff. *lib.* 2. *decis. cap.* 11. *n.* 4. Canteia *in quæst. crimin. rubr. de heret. cap.* 1. *n.* 14. *&* 16. Zanchin. *tract. de heret. cap.* 25. *n.* 1. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 2. *tit. de crimin. læs. maiest. num.* 2. *&* 3. Felin. *in cap. Rodulphus, n.* 35. *de rescript.* Alex. *in l. si quis maior, Cod. de transact. n.* 13. Dominicus *in cap. cum secundum leges, de heretic. in* 6. *§. confiscationis, n.* 1. Tiraquel. *in l. si vnquam, verb. reuertatur, n.* 40. *Cod. de reuocand. donat.* Couarru. *in* 4. *decret. part.* 2. *cap.* 6. *§.* 8. *num.* 18. Mandos. *in addit. ad repert. Inquisit. verb. confiscatio, lit. C.* Simanch. *de Cathol. Institution. tit.* 9. *n.* 164. Vasquez 1. 2. *disput.* 170. *cap.* 4. *n.* 14. & Sanchez
15 *cit. cap.* 22. *n.* 17. Quamuis igitur, quando hæretici, vel alterius delinquentis bona sunt ipso iure, seu ipso facto confiscata, non requiratur sententia condemnatoria, seu declaratoria pœnæ; requiritur tamen sententia declaratoria delicti, scilicet quod talis reus hoc, vel illud delictum commiserit, ad hoc, vt illa bona deueniant ad fiscum, vti dicebam. Et patet *ex cit. l. vltima, Cod. ad leg. Iul. maiest.* & *ex cit. cap. cùm secundum leges, de heretic. in* 6. vbi dicitur: *Confiscationis executio non fiat, donec sententia fuerit promulgata super crimen.* Sufficit verò, vti etiam dicebam, sententia declaratoria delicti; quia pœna incurritur ipso facto, ac committitur delictum, sicque declarato delicto, declaratur etiam & pœna, & ea succedit delicto.

16 Non obstat, si dicas: communiter Doctores inquiunt, quod sententia diffinitiua, quæ non continet condemnationem, vel absolutionem, non habeatur pro iusta, & valida; Ergo sententia, quæ solùm declarat esse commissum delictum, & reum non condemnat, non valebit.

Respondetur enim, quod in sententia declaratoria delicti implicitè includatur sententia condemnatoria, seu declaratoria pœnæ (quando scilicet declaratur delictum, cui ipso iure, seu ipso facto pœna est imposita) Quamuis quando pœna non est imposita ipso iure, vel ipso facto, sed debet ea per iudicem imponi, tunc requiratur sententia, quæ declaret pœnam, & condemnet ad pœnam.

COROLLARIVM.

An, si in aliqua lege dicatur, non opus esse sententia declaratoria, vt quis bona sua amittat, sed eo ipso, quod delinquit, absque alia sententia declaratoria, censeatur bona ea amisisse, adhuc requiratur sententia declaratoria criminis?

SVMMARIVM.

1 *Sententia criminis declaratoria adhuc requiritur, etiamsi in lege habeatur, ea opus non esse, vt bona sua quis amittat; sed statim absque alia sententia declaratoria censeatur amisisse; quia alioquin esset obligatio nimis rigorosa.*

2 *Non obstat, si dicas: Eo ipso, quod ipso iure aliqua pœna imponitur delicto, sufficit sententia declaratoria criminis, & non requiritur expressè sententia declaratoria pœnæ; quia non est omninò certum, quod sententia declaratoria pœnæ non sit necessaria simul cum sententia declaratoria delicti.*

3 *Sententia declaratoria pœnæ dato, quod expressè non sit necessaria, ad hoc, vt pœna incurratur, adhuc lex potest illam excludere ad maiorem cautelam, & firmitatem: Quod à stylo legum non est alienum.*

4 *Clausula (absque sententia declaratoria) est explicanda de declaratione pœnæ, non autem delicti; idque est verum, etiam si lex dicat, absque alia declaratione facti, vel pœnæ, & etiamsi crimen commissum sit notorium.*

5 *Clausula (absque sententia declaratoria) apponitur ad maiorem verborum declarationem; sicut (& ipso iure.)*

EX dictis sequitur primò, quod si in aliqua lege dica- 1
tur, non opus esse sententia declaratoria, vt quis bona sua amittat, sed eo ipso, quo delinquit, absque alia sententia declaratoria censeatur bona ea amisisse (vt dicitur in crimine sodomiæ apud regnum Castellæ *in l.* 1. *tit.* 21. *lib.* 8. *Recop.*) Adhuc ex probabiliori sententia Doctorum requiritur sententia declaratoria criminis ob rationes in principio dictas; quia alioquin esset obligatio nimia rigorosa, & regulariter vltra fragilitatem humanam, atque adeò bono communi non expediens: Quapropter lex illa intelligi debet de sententia declaratoria pœnæ; ita vt absque sententia declaratoria pœnæ, pœna censeatur incursa, non autem absque sententia declaratoria delicti. Anton. Gomez 3. *variar. cap. vltimo, n.* 3. Vasquez *disput.* 170. *n.* 21. *& seqq* Sanchez *lib.* 2. *moralium cap.* 22. *n.* 20. & alij, quos mox infrà citabo.

Neque obstat, si dicas: Eo ipso quod ipso iure ali- 2
qua pœna imponitur delicto, sufficit vt talis pœna incurratur, sententia declaratoria criminis, & non requiritur expressè sententia declaratoria pœnæ: Ergo si lex excludit sententiam declaratoriam, videtur exclusisse sententiam declaratoriam delicti, & non sententiam declaratoriam pœnæ, quæ per se, vtpotè non necessaria, iam exclusa videtur.

Respondetur enim, non esse omninò certum, quod sententia declaratoria pœnæ non sit necessaria simul cum sententia declaratoria delicti, iuxta Textum *in l. Præses, Cod. de sentent. & interlocut.* vbi definitiua sententia, quæ absolutionem, vel condemnationem non continet, pro iusta non habetur.

Respondetur secundò, dato quod sententia declara- 3
toria pœnæ expressè non sit necessaria ad hoc, vt pœna incurratur, adhuc lex potest illam excludere ad maiorem cautelam, & firmitatem: Quod à stylo legum non est

est alienum. D D. quos sequitur Couarr. *lib. 2. var. cap. 5. n. 9.* & Sanchez vbi supra.

4 Quando igitur ob hæresim, vel ob aliquod aliud delictum ipso iure, seu ipso facto publicantur bona delinquentis: Et præterea subditur, quod nulla alia opus sit sententia declaratoria, seu declaratione; adhuc non tenetur delinquens sua bona applicare, & offerre fisco absque sententia declaratoria delicti, & illa verba, *Absque sententia declaratoria, seu absque declaratione:* Sunt explicanda de declaratione pœnæ. Ant. Gomez, Vasquez, Sanchez *in locis suprà citatis*, & Couarruo. *in 4. decret. part. 2. cap. 6. §. 8. n. 10. vers. 1.* Quaranta *verb. alienatio, n. 49.* Less. *de iust. lib. 2. cap. 29. n. 63.* Peregrin. *de duello quæst. 7.* vbi subdit, hoc esse verum, etiamsi lex dicat, absque alia declaratione facti, vel pœnæ, & etiamsi crimen commissum sit notorium; citatque Sotum *lib. 1. de iust. quæst. 6. art. 6. concl. 1.* & Graffium *vol. 1. decis. lib. 2. cap. 11. n. 26. & seqq.* aliique passim Doctores.

5 Non obstat, si dicas: Hinc sequi (si adhuc requiratur sententia declaratoria criminis) illa verba, *absque alia declaratione*, frustrà addi.

Respondetur enim: Nego antecedens; quia ex dictis per illa verba, *absque alia declaratione*, solùm excluditur declaratio pœnæ, non verò declaratio criminis. Et quamuis per illa verba, *ipso iure, vel ipso facto confiscata*, sit satis exclusa declaratio pœnæ; non tamen propterea illa verba: *Absque declaratione*, inutiliter apponuntur; quia saltem apponuntur ad maiorem verborum declarationem, & ad maiorem cautelam, vti dicebam.

COROLLARIVM II.

An ante sententiam declaratoriam delicti neque delinquens, etiam publicè, teneatur bona sua fisco deferre, neque fiscus possit bona delinquentis occupare?

SVMMARIVM.

1 *Delinquens ante sententiam declaratoriam delicti, etiam publicè non tenetur bona sua deferre fisco; neque fiscus potest bona delinquentis occupare; quia dum non accedit sententia prædicta, ipse delinquens iure possidet, quo tempore fiscus non potest eiusdem bona occupare.*

2 *Fiscus non potest bona hæretici, vel alterius delinquentis, cuius ipso iure bona publicantur, ante sententiam declaratoriam criminis, quamuis crimen esset notorium, occupare.*

3 *Sententia declaratoria criminis non requiritur tantum, vt constet, delictum esse commissum, sed vt iudex tanquam minister legis, auditis defensionibus rei, applicet pœnam statutam in lege, huic vel illi reo.*

4 *Fiscus si quando crimen est notorium, in tali casu occupet bona hæretici, vel alterius delinquentis, non solùm peccat contra præceptum in cap. cùm secundùm leges, de hæretic. in 6. sed etiam tenetur bona occupata restituere.*

5 *Fiscus tamen potest tradere dicta bona alicui custodienda ante sententiam declaratoriam, ne auferantur in damnum Rei, & ipsius fisci.*

1 EX dictis sequitur secundò, quod ante sententiam declaratoriam delicti neque delinquens etiam publicè teneatur bona sua fisco deferre, neque fiscus possit bona delinquentis occupare; quia dum non accedit sententia declaratoria delicti, delinquens iure possidet, & dum iure possidet, fiscus non potest bona delinquentis occupare; vt expressè habetur *in cap. in literis, de restitut. spoliat.* & ex communi docent Molina *de iust. & iur. tom. 1. disput. 95. ad 3.* Simanch. *de catholic. Institut. tit. 9. num. 175. & seqq.* Suarez *de fide disput. 22. sect. 2. n. 6.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. n. 18.* & alij quos infra citabo.

Neque fiscus igitur potest bona hæretici, vel alterius 2 delinquentis, cuius ipso iure bona publicantur) ante sententiam declaratoriam criminis, quamuis crimen esset notorium, occupare. Angel. *verb. pœna, num. 3.* Syluest. *verb. assassinus, quæst. vltima*, Molina *de iust. tom. 1. cit. disputat. 95.* & Vasquez *1. 2. disput. 170. cap. 4. num. 14.* etsi contrarium sentiant Abbas *in cap. cum non ab homine, de indic. n. 19.* Dominicus *in cap. cum secundum leges, §. confiscationis, num. 3. de hæretic. in 6.* & Castr. *lib. 2. de leg. pœnal. cap. 10.* quatenus aiunt, quod in crimine notorio possit fiscus bona prædicti delinquentis occupare, non expectata sententia declaratoria criminis.

Non obstat, si dicas cum istis Doctoribus: Ideò re- 3 quiritur sententia declaratoria criminis, vt declaretur crimen esse commissum. At quando crimen est notorium, cùm constet, illud esse commissum, non requiritur talis declaratio: Ergo sicut tenetur reus dare bona sua fisco post sententiam declaratoriam criminis, ita etiam quando notoriè constat, crimen esse commissum, tenebitur similiter dare ea ante dictam sententiam.

Respondetur enim, nego maiorem; quia falsum est, requiri sententiam declaratoriam criminis solùm, vt constet, crimen esse commissum, sed præterea requiritur ad aliud, vt scilicet iudex, tanquam minister legis, auditis defensionibus Rei, applicet pœnam statutam in lege huic, vel illi reo. Quod est verum etiam in casu, quo reus in iudicio confessus sit suum crimen, ita vt & in hoc casu etiam requiratur sententia declaratoria criminis, vti suprà dicebam.

Quapropter, si fiscus in tali casu (quando scilicet 4 crimen est notorium) bona hæretici, vel alterius delinquentis, cuius bona ipso iure confiscantur, occupet, non solùm peccat contra id, quod præcipitur *in dicto cap. cùm secundum leges, de hæretic. in 6.* vbi præcipitur, quod bona delinquentis ante sententiam non accipiantur: sed etiam tenetur bona occupata restituere. Molina *de iust. tom. 1. cit. disput. 95. in solutione ad 3.* Suarez *de fide disput. 22. sect. 2.* circa finem, Vasquez *1. 2. disput. 170. cap. 4. num. 15.* & alij, quos suprà citabam: Quia delinquens, vti dicebam, ante sententiam declaratoriam criminis habet dominium, vel saltem iustam possessionem bonorum suorum: Ergo qui priuat illum suis bonis, peccat contra iustitiam, & consequenter tenetur illa restituere delinquenti; cùm quod de iure ab aliquo possidetur, non nisi per iniuriam auferatur, *cap. in literis, de restitut. spoliat.* Tum quia *in dicto cap. cum secundum leges*, expressè dicitur, quod fiscus non habet ius illa occupandi ante sententiam declaratoriam criminis: Ergo si ante talem sententiam bona illa occupet, faciet iniquè, & iniustè; ita vt ad restitutionem, sicut iam dicebam, teneatur.

Non nego tamen, quod cum hoc stare possit, vt 5 queat fiscus ante sententiam declaratoriam criminis bona delinquentis alicui, ne auferantur, custodienda, tradere; quia id & fisco, & delinquenti expedire videtur, vti præter alios adnotauit Suarez *de fide disput. 22. sect. 2. num. 6.*

DVBITATIO CXXXII.

An posita sententia declaratoria delicti, teneatur delinquens bona sua fisco deferre? Et quid in tali casu possit delinquens in fauorem suum operari?

SVMMARIVM.

1 *Delinquens, posita sententia declaratoria delicti, neque potest executioni sententiæ resistere; quia esset resistere executioni iustæ, & debitæ post sententiam iudicis.*

2 *Delinquens non potest bona sua ex proposito occultare, & aliis custodienda tradere, ne fiscus possit illa reperire.*

3 *Delinquens si edictis, vel alio modo à iudice rogetur de bonis, quæ habet, & quæ fisco iam sunt applicata, debet manifestare, & non manifestando executioni sententiæ resistit, & sic peccat contra iustitiam.*

4 *Dicta de delinquente procedunt etiam in illius hærede, & possessore, apud quem alia bona ipsius condemnati reperiuntur; quia semper transeunt cum illo onere, & obligatione ad fiscum.*

5 *Delinquens si condemnatus, & à fortiori eius successor, ex communi Doctorum sententia, bona occupanda fisco non occultet interrogatus, neque resistat si illis spoliari attentetur, sed paratus sit ea petita deferre, satisfacit obligationi, neque tenetur ea fisco deferre; quia sententia non obligat delinquentem, vt sua bona fisco tradat; sed solum tribuit fisco ius ad ea occupanda; contra nonnullos contrarium tenentes ob translationem illorum bonorum post sententiam in fiscum.*

6 *Delinquens non tenetur etiam post sententiam declaratoriam criminis sua bona offerre fisco, sed solùm tenetur non resistere quando sententia executioni mandatur, quia nimis durum esset obligare aliquem, quod sua bona offerat fisco.*



1 RESPONDETVR, & dico primò: In tali casu communis sententia Doctorum est, quod non possit delinquens sententiæ executioni resistere: Quia esset resistere executioni iustæ, & debitæ, post sententiam iudicis: sic Bannes 2. 2. *quæst.* 162. *art.* 3. *dub.* 2. Aragon. *ibid. col.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *quæst.* 3. Sanchez *cit. cap.* 22. *num.* 12. & alij, quos infrà citabo.

2 Hinc non potest delinquens bona sua ex proposito occultare, & aliis custodienda tradere, ne fiscus possit illa reperire, & occupare, quia hoc esset (vt inquiunt ipsi) positiuè resistere.

3 Hinc etiam delinquens, si vt suprà, vel alio modo à iudice interrogetur de bonis, quæ habet, & fisco iam sunt applicata, debet manifestare, & si non manifestat (subdunt ipsi) executioni sententiæ positiuè resistit, sicque peccat contra iustitiam aduersus fiscum, atque adeò tenetur restituere; quia fiscus ratione dominij in delinquentis bona acquisiti, habet ius obligandi delinquentem, vt veritatem interrogatus manifestet.

4 Et quod dictum est de delinquente, idem dicunt de illius hærede, & possessore, apud quem talia bona delinquentis condemnati reperiuntur; quia semper talia bona transeunt cùm illo onere, & obligatione ad fiscum. Doctores *in locis suprà citatis*, & præcipuè Azor. *in cit. cap.* 8. *q.* 4.

Quamuis si quoad ea, quæ modo dicta sunt, quid aliquantulum benignius quis exoptet, videre poterit, quæ dicebam Tractatu de Parlamentis *cap.* 4. *dubit.* 29. & tractatu de impediente bonum alienum *dubit.* 6.

Dico secundò, communis etiam sententia Doctorum est, quod si delinquens condemnatus (& à fortiori eius successor) bona occupanda fisco non occultet interrogatus, neque resistat, si illis spoliari attentetur, sed paratus sit ea petita deferre, satisfaciat obligationi, neque teneatur ea fisco deferre; quia sententia non obligat delinquentem, vt sua bona fisco tradat, sed solùm tribuit ius fisco, vt ea occupare possit; quia esset durissima obligatio, delinquentem ipsum suæ pœnæ executorem constituere. Sic Couarruu. 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 6. § 8. *n.* 10. *conclus.* 2. Molina *de iust. tom.* 3. *disp.* 66. Simanch. *de cathol. Institut. tit.* 9. *num.* 184. Azor. *cit. cap.* 8. *quæst.* 4. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *num.* 8. & alij, quos infrà citabo: quorum tamen aliqui limitant, nisi iudex expressè delinquentem ad solutionem condemnaret: Quod in confiscatione omnium bonorum, vel partis illorum nunquam fieri consueuit.

Quamuis alij, vt Corduba *lib.* 1. *quæstion. quæst.* 36. *notabil.* 2. & Vasquez *de legib. disput.* 171. *cap.* 2. *n.* 11. contrarium teneant ex eo, quia facta condemnatione delinquens nullum ius habet in illis bonis confiscatis, sed totum ius translatum est in fiscum: Ergo fiscus ea sibi occupat, vt propria: Et consequenter, quamuis fiscus ea non petat, non poterit delinquens retinere, & multo minus alienare, vel in proprios vsos consumere; quia hæc est propria actio dominij, & possessionis, qua iam per sententiam ipse delinquens spoliatus est. 5

Confirmant; quia exinde non fit, obligari delinquentem ad rem minus arduam, & difficilem; quia declarato delicto, & lata sententia, non est nimis arduum, & difficile, delinquentem deferre fisco bona sua: Tum quia non est necessarium, vt delinquens deferat, sed sufficit, si manifestet bona, quæ possidet, vt possit fiscus ea occupare.

Quod si, facta manifestatione, fiscus negligens fuerit in illis bonis occupandis, iam ex tunc delinquens censebitur ex voluntate fisci retinere: quæ voluntas ante manifestationem à delinquente factam in fisco non præsumebatur.

At, his non obstantibus, adhuc satis probabile est, quod suprà dicebam cum communi sententia Doctorum Didaci Couarruuiæ, Molinæ, Simanchæ, Azorij, Sanchez, & aliorum etiam, quos mox infrà citabo, præsertim si attendantur, quæ dicebam *citato Tractatu de Parlamentis, cap.* 4. *dubit.* 29. & *citato tractat. de impediente bonum alienum, dubitat.* 6. Ex quibus facilè quis ad rationes aduersariorum istas respondere poterit.

Delinquens igitur (inquam) non tenetur, etiam post sententiam declaratoriam criminis, sua bona offerre fisco, sed solùm tenetur non resistere, quando sententia executioni mandatur. Couarruuias *in* 4. *decretal. part.* 2. *cap.* 6. § 8. *n.* 10. & *lib.* 1. *variar. cap.* 2. *num.* 10. Molina *de iust. tom.* 2. *disput.* 66. *vers. addit optimè*, & *disputat.* 95. *vers. ad secundum principale*, & *in fine*, Simanch. *de Cathol. Institut. tit.* 9. *numero* 184. & 209. & 283. Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib* 5. *cap* 8. *quæst.* 4. quamuis contrarium velit *tom* 2. *lib.* 7. *cap.* 7. *quæst.* 3. vbi ait, priuatum ipso iure beneficio non facere fructus suos, quia caret titulo, sed debere eos restituere. Quod etiam inquit *in dicto cap.* 8. *q.* 4. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *num.* 8. Padilla *in l. si quis maior, Cod. de transact. n.* 58. Nauarr. *in summa cap.* 23. *n.* 66. Lessius *de Iust. lib.* 2. *cap.* 29. *n.* 63. Henriquez *lib.* 13. *cap.* 56. § 2. & 3. *circa finem*, Prosper de Aug. *in Bullar.* Quarant. *verb. alienatio, in Append.* & *verb. sodomia, in fine*, Ludouic. Mexia *in Pragmat. frum concl.* 6. *num.* 134. Azeued. *initio tit.* 1. *lib.* 2. *recopil. num.* 24. Carbo *de legib. lib.* 8. *disputat.* 9. *circa finem*, Bannez 2. 2. *quæst.* 62. *art.* 3. *dubit.* 3. quamuis contrarium velit *quæst.* 12. 6

quæst. 12. *art.*2. *conclus.*2. Vega *part.* 2. *cap.* 63. *cas.*2. *in fine*, Suarez *de fide disput.* 21. *sect.*2. *n.*7. & *sect.*3. *n.*7. Farinac. *de hæres. quæst.*199. *n.*23. & alij passim. Quia sicuti dicebam, nimis durum esset obligare aliquem, quod sua bona offerat fisco. Et lex obligaret quodammodò ad quid moraliter impossibile, cùm nemo teneatur aduersus se ipsum sententiam rigidissimam exequi. Tum quia reuera sententia non profertur, quod reus bona sua offerat fisco, sed solùm dat fisco iua ad illa capienda: Ergo satis erit, si fisco capienti ea bona reus non resistat.



DVBITATIO CXXXIII.

Quid dicendum, si reus interrogatus de delicto, quod verè commisit, contra iuris ordinem veritatem negat, vel falsis testibus innocentiam probat, vel futili appellatione iudicium subterfugit, & propterea non damnatur, neque fiscus eius bona occupat; an scilicet in tali casu delinquens teneatur restituere fisco emolumentum, quod posita sententia fiscus percepturus erat.

SVMMARIVM.

1 *Reus si interrogatus de delicto, quod verè commisit, contra iuris ordinem, veritatem neget, vel falsis testibus innocentiam probet, vel futili appellatione iudicium subterfugiat, & propterea non damnetur, neque fiscus eius bona occupet, licet secundum aliquos Doctores teneatur restituere fisco emolumentum, quod posita sententia percepturus erat: Probabilius tamen est oppositum.*

2 *Sententia contraria in hoc fundabatur; quia licet fiscus non habeat ius occupandi bona delinquentis, nisi posita sententia declaratoria criminis, habet tamen ius, vt hæc occupatio mendacijs non impediatur.*

3 *Impediens aliquem à consecutione alicuius beneficij, tenetur compensare emolumentum, quod indè sperabat, arbitrio prudentis viri.*

4 *Fiscus non habet ius ad obligandum reum, vt veritatem fateatur, cum talis obligatio solùm ex iudicio, & iustitia legali proueniat, ex quo sequitur sententiam Auctoris esse probabiliorem.*

5 *Fiscus si ad pœnam corporalem infligendam reo procederet, non propterea reus, qui veritatem negaret, peccaret contra fiscum, sed solùm contra iudicium publicum; quia iudicium publicum per se institutum est ad punienda delicta, & ad præcauenda mala in Republica, contra aliquos contrarium sentientes de Procuratore fiscali; quia ea conditione à Republica constitutus est, vt vtilitatem fisci procuret, & delicta in iudicium deferat.*

6 *Quod tamen non procedit secundum dictos Doctores in iudicibus, & alijs ministris iustitiæ; quia ij non sunt constituti à Republica ad locupletandum fiscum, sed ad eam purgandam; secus tamen, si instante fiscali ipse iudex negligens esset in ferenda sententia, & in applicanda pœna, quia tunc teneretur ad compensanda emolumenta fisco obuentura.*

7 *Procurator fiscalis, & iudex in dictis casibus ex probabiliori sententia ad nullam restitutionem tenentur ex dictis suprà, & alibi.*



AFFIRMANT Sotus *de Iustitia, & Iur. lib.* 1. *q.*6. *art.*6. Castro *de lege pœnali lib.* 2. *cap.* 12. §. *ex his.* Molina *de iust. & iur. tom.*1. *disput.*95. *vers. duo sunt*, & alij, ex eo quia, licet fiscus non habeat ius occupandi 2 bona delinquentis, nisi posita sententia declaratoria criminis, habet tamen ius, vt hæc occupatio mendacijs non impediatur. Quemadmodum nemo habet ius, vt tu ipsi legatum aliquod gratiosum in testamento relinquas, vel ipsi donationem facias, vel beneficium conferas, &c. Habet tamen ius, ne ab aliquo vi, vel fraude 3 id facere impediaris; quod si quis te sic impedit, ipse tenebitur compensare emolumentum, quod inde sperabas, arbitrio prudentis viri.

Confirmant; quia si quempiam quærentem sibi beneficium, quod sollicitudine sua consequi poterat, à beneficij consecutione mendacio, vi, vel fraude diuertas, teneris compensare emolumentum ei arbitrio viri prudentis obuenturum; sed falsis testibus, & mendacio fiscum quærentem consequi bona tua delinquentis diuertis, ne consequatur: Ergo teneris compensare fisco emolumentum, quod illi obuenisset, si à te modo supradicto impeditus non fuisset. His tamen non obstantibus.

Respondetur, probabilius esse oppositum, quod docent Banez, Aragonius, & Salonius *in* 2. 2. *S. Th. quæst.*62 *art.*3. Vasquez 1. 2. *disput.*175. *cap.*2. *num.*13. Lessius *de iust. & iur. lib.*2. *cap.* 31. *dubitat.* 8. *num.*5. Reginald. *lib.*24. *n.* 145. & Sanchez *de matrim. tom.*3. *lib.* 10. *disp.*8. *n.*14. & *lib.*2. *moral. cap.*22. *n.*22.

Probatur; quia fiscus non habet ius ad obligandum 4 reum vt veritatem fateatur, cùm talis obligatio solùm ex iudicio, & iustitia legali proueniat: Ergo cùm reus veritatem occultat, & fallacijs vtitur, non delinquit contra fiscum, sed contra iudicium, & iustitiam legalem, atque adeò nihil fisco restituere tenetur; cùm iustitia legalis ad restitutionem non obliget, sed solùm commutatiua.

Confirmatur; quia si fiscus ad pœnam corporalem 5 infligendam reo procederet, & ipse reus veritatem negaret, non propterea reus peccaret contra fiscum, sed solùm contra iudicium publicum: Ergo similiter cùm fiscus ad pœnam pecuniariam infligendam reo procedit.

Et ratio à priori omnium est, quia iudicium publicum per se institutum est ad punienda delicta, & ad præcauenda mala in Republica, non autem ad locupletandos accusatores: Ergo negatio veritatis, & fallentia facti in iudicio non directè procedit contra accusatores, sed contra ipsum iudicium publicum, ac propterea nulla est obligatio compensandi damnum.

Quamuis secus sentiant aliqui, quos sequitur Vasq. 1. 2. *disput.* 175. *cap.*1. *num.*9. & *seqq.* de procuratore fiscali, si scilicet iste omittat delinquentem accusare, cum se teneri nouerit, sciens facta accusatione, & condemnatione sequuta, bona delinquentis fiscum esse occupaturum. Quia Procurator fiscalis ea conditione à Republica constitutus est, vt vtilitatem fisci procuret, & delicta in iudicium deferat, ad hoc vt ista punita fisco emolumentum afferant: Ergo si negligens fuerit, ad restitutionem fisco faciendam tenetur. Iudices autem, & alij Ministri Iustitiæ, 6 subdunt hi Doctores, etiamsi negligentes sint in deferendis in iudicium, & ponendis in iudicio delictis, ad restitutionem fisco faciendam non tenentur; quia tales non sunt constituti à Republica ad locupletandum fiscum, neque ad fisci vtilitatem quærendam, sed ad Rempublicam purgandam à vitijs, & in pace conseruandam. At si delicta in iudicium iam essent delata, & à Procuratore fiscali, vel à quolibet alio, cui pœna esset applicanda, peteretur sententia, ipseque iudex negligens esset in ferenda sententia, & in applicanda pœna, absque dubio teneretur emolumentum, alteri obuenturum, compensare; quia ex iustitia commutatiua iudex tenetur in iudicio reddere ius suum petenti; sed ius habet, qui petit pœnam, vt sibi illa per sententiam

applicetur: Ergo si iudex negat, seu non applicat, iniustitiam committit aduersus petentem, & non solùm aduersus iudicium publicum.

9 At adhuc his non obstantibus, quod procurator fiscalis, & iudex in dictis casibus ad nullam restitutionem teneantur, est saltem non improbabile. Tum ex iis, quæ dicebam suprà, tum præcipuè ex iis, quæ dicebam *citato Tractatu de Parlamentis, cap. 4. dubit. 19. & citato tractatu de impediente bonum alienum, dubit. 6.* Tum ex iis quæ dicam. *Dubit. 117. Petitione* 9. Ex quibus quis respondere poterit ad fundamenta ista aduersariorum. Videri etiam poterit Emmanuel de Moura *Opuscul. de Ensalm. & Incantationibus, sect. 3. cap. 5. n. 35.* quatenus ait, si petas, an casu quo Inquisitor extra tempus gratiæ, & à fortiori tempore gratiæ, vel Episcopus dedita opera, hæreticum pœnitentem reciperet ad gremium Ecclesiæ, sine alioquin conuictum, siue media tantum illius confessione, nullam interim sententiam directè ferendo, sed admissa confessione, & abiuratione in forma, eum è carceribus dimittendo, teneatur restituere fisco, quantum fisco interesset sententia, qua non lata (cum debuisset ferri) non possunt ei bona confiscata ad fiscum deuenire? Respondetur (subdit ipse) negatiuè; quia ius, quod fiscus ad hæretici bona acquirit, est remotum, & quasi per accidens, seu quasi ex hypothesi, si scilicet delinquens in effectu per iudicem competentem, sententia lata, condemnetur. Ergo fiscus non habens commutatiuum, vt ea sententia feratur: Nec fiscum contra iustitiam lædit, qui illam illicitè contra quamcumque virtutem impedit.

PETITIO.

An, sicut non nisi post sententiam iudicis debetur pœna legalis, ita etiam non nisi post sententiam iudicis debeatur pœna conuentionalis?

SVMMARIVM.

1 *Pœna conuentionalis potest apponi licitè, sine labe scilicet vsuræ in contractu etiam mutui, nempè pacisci, quod mutuatarius si ad terminum statutum sortem non restituerit, aliquid vltra sortem in pœnam sua moræ soluere teneatur; debitor enim qui est in mora, peccat contra iustitiam retinendo rem alienam, ac proinde est pœna dignus.*

2 *Pœnam imponere licet superioris sit, quando non requiritur consensus subditi, & cum potest inuitum obligare; priuatus tamen potest alterum obligare consentientem.*

3 *Pœna conuentionalis, vt licitè in contractu apponatur, quatuor conditiones requiruntur: Prima enim est, vt non fiat in fraudem vsuræ.*

4 *Item secunda, vt debitor verè sit in culpa non soluendo; quia sine culpa non potest apponi pœna, siue illa sit iudicialis, quæ à iudice imponitur per sententiam; siue legalis, quæ à lege est constituta; siue conuentionalis, quæ est ex conuentione partium.*

5 *Debitor si ex culpa sua factus sit impotens ad soluendum, si aduerterit ad culpam, tenebitur nihilominus ad pœnam; secus si non aduertit, seu impotens euaserit non ex propria culpa.*

6 *Item tertia conditio est, vt pœna conuentionalis sit moderata iuxta mensuram culpæ, quod etiam requiritur in pœna iudiciali, & legali.*

7 *Pactum legis commissoriæ in pignoribus est iure prohibitum.*

8 *Pœna tota conuentionalis peti non potest, si debitum solutum fuerit ex parte.*

9 *Item quarta conditio est, vt mora sit notabilis, quia vnius diei, vel etiam vnius hebdomadæ interual-lum ordinariè saltem in foro conscientiæ sufficiens non est ad pœnam incurrendam. Qualitas tamen negotij, & mos Prouinciæ spectari debet.*

10 *Pœna conuentionalis non debetur, nisi post iudicis sententiam, instar pœnæ legalis: Talis enim videtur esse mens contrahentium, & pœnam apponentium, nisi aliud exprimant.*

11 *Pœna ex natura sua cum sit contra voluntatem, eius conditio naturalis postulare videtur, vt non debeat solui nisi coactè.*

12 *Quamuis aliqui Doctores velint, vt sufficiat ex-actio partis.*

13 *Et alij, vt pœna conuentionalis debeatur in foro conscientiæ.*

14 *Pactum de soluenda pœna conuentionali, includit in se obligationem soluendi eam post iudicis sententiam, sicut soluuntur aliæ pœnæ, & talis videtur esse mens contrahentium.*

15 *Iudex sua prudentia attemperare debet pœnas conuentionales valdè rigidas contra resilientem à contractu.*

16 *Pœna conuentionalis, consuetudine receptum videtur, vt non soluatur, nisi alter ex contrahentibus propterea patiatur aliquod damnum.*

17 *Pœna qualibet, siue iudicialis, siue legalis, siue conuentionalis, non debetur, nisi post iudicis sententiã.*

18 *Excipe censuras, scilicet excommunicationem, suspensionem, & interdictum, & etiam irregularitatem.*

19 *Excipe etiam pœnas testamentarias, vt quando maritus reliquerit vxorem suorum bonorum dominam, vel vsufructuariam, &c. si castè vixerit, vel ad secundas nuptias non transierit; quia hæ non sunt propriè pœnæ, sed conditiones.*

Svppono, quod in contractu, etiam in mutuo, licitè, sine labe scilicet vsuræ, apponi possit pœna conuentionalis, nempè pacisci, quod mutuatarius, si ad terminum statutum sortem non restituerit, aliquid vltra sortem in pœnam suæ moræ soluere teneatur. Scotus *dist. 15. q. 2.* Gabriel *ibidem q. 11. art. 1. col. 4.* Syluest. *verbo vsura 1. num. 18.* Ioan. Medina *q. 3. de vsur. §. 4. causa.* Nauarrus *cap. 17. num. 215.* & alij communiter; quia debitor, qui est in mora, peccat contra iustitiam retinendo alienum, seu quod est alteri debitum, ac proindè dignus est pœna: Ergo ex conuentione partium potest ei aliqua pœna apponi, sicut & solet apponi ei, qui à contractu resilierit. Et hæc pœna, tametsi mutuans nihil incommodi sit passus, licitè poterit peti, ob rationem dictam. 1

Neque obstat, si dicas: Nemo potest alteri imponere pœnam, quam teneatur subire, nisi solus superior: Ergo. 2

Respondetur enim, nego consequentiam; quia solus superior potest inuitum obligare ad pœnam; sed priuatus potest alterum obligare consentientem. Tunc enim ille per suum consensum seipsum obligat, sicut in aliis pactis.

Suppono secundò, quod ad hoc, vt prædictæ pœnæ appositio licita sit, quatuor conditiones requirantur, quarum 3

Prima conditio est, vt non fiat id in finem vsuræ. Scotus, Gabriel, & alij Doctores in locis suprà citatis; vt si reuerà non cures, verum mutuatarius soluat ante talem terminum, necne; sed solum vt possis lucrari ex mutuo, terminum illi cum pacto pœnali constituas; quia tunc non ex culpa, quæ nulla esset in non soluendo, sed ex vi mutui censeretis illud lucrum expectare. Eodem pertinet, si vt lucreris, nimis breuem terminum, intra quem scis, illum soluere non posse, constituas. Opus igitur est, vt dum mutuas, velis reuera tibi ad talem terminum sortem restitui, & vt talis terminus iusta temporis distantia, ad hoc vt intra eum mutuatarius possit soluere, distans sit: Tunc enim ille non restituendo peccabit, ac proindè tu potes de pœnâ pacisci, vt si contra hanc voluntatem is non restituerit, pœnam soluere teneatur.

Quod

Quod si, constituta iam pœna, optes illam incurri peccas quidem contrà charitatem, optando peccatum proximi propter tuum commodum, non tamen peccabis contrà iustitiam, nec proindè exactiu pœnæ erit iniusta, etsi contrarium velint nonnulli cum Nauarro suprà, quia omissio solutionis non ideò desinit esse peccatum contrà iustitiam, ob rationem dictam.

4 Secunda conditio est, vt debitor verè sit in culpa non soluendo; quia sine culpa non potest apponi pœna, siue ea sit iudicialis, quæ à iudice imponitur per sententiam, siue legalis, quæ à lege est constituta; siue conuentionalis, quæ est ex conuentione partium. Vnde si factus sit ille impotens, pœna non potest peti. Doctores iidem cum Nauarro, quos suprà citabam. Pari modo si contractus, cui appositæ est pœna, iure sit irritus; quia tunc contractus absque peccato potest non seruari, si tamen dictus contractus iuramento esset confirmatus, pœna peti posset, quia tunc obligaret, ac proinde eius violatio esset peccatum, quod propterea & pœnam meretur.

5 Petes, quid si culpa sua factus sit ille impotens, vt si v. g. aleis, vel commessationibus decoxerit rem suam familiarem?

Respondetur: Si aduertit, vel facilè aduertere potuit, ex negligentia, vel actione suæ culpabili secuturam impotentiam, tenebitur adhuc ad pœnam; quis tunc non soluere est quid culpabile, vtpotè quid volitum in causa culpabili: Vnde meretur & pœnam. Secùs, si id factum ita sit, vt nullo modo aduerterit, quia tunc, cum non adsit culpa, nec adesse debet & pœna, sicuti suprà dicebam.

6 Tertia conditio est, vt pœna sit moderata iuxtà mensuram culpæ: Quod etiam requiritur in pœna iudiciali, & legali, quia, quando pœna est immoderata, iniquè cogitur mutuatarius in eam consentire, ac proinde non potest peti pœna, ex qua parte iustam ipsa mensuram excedit.

7 Hinc pactum legis commissoriæ in pignoribus, idest, vt pignus sit creditoribus, si debitor certo tempore non soluerit, est iure prohibitum, *l. 1. & 2. de pact. pign. & cap. significante, de pignorib.*

8 Hinc etiam, si debitum solutum fuerit ex parte, non potest peti tota pœna, sed tantùm pars illius: Ea scilicet pars, quæ parti debiti proportionaliter correspondet.

9 Quarta conditio est, vt mora sit notabilis, quia vnius diei, vel etiam vnius hebdomadæ intermallum ordinariè, saltem in foro conscientiæ, sufficiens non est ad pœnam incurrendam. Qualitas tamen negotij, & mos Prouinciæ spectari debet; quia si concessum fuerit spatium sufficiens ad soluendum, & intrà illud solutio facta non fuerit, poterit pœna peti, quamuis vel vnus dies excesserit, si iuris rigore vti velit mutuator. His suppositis.

10 Respondetur ad petitionem affirmatiuè, vt sicut scilicet, quando bona propter aliquod delictum iure ipso publicantur, non tenetur delinquens illa tradere fisco ante sententiam iudicis, sed solum tenetur ei non resistere, & potest interim, quousque petantur, bona illa retinere. Ita pariter dicendum sit de pœna conuentionali, quod & hæc etiam pœna non debetur, quousque à creditore petatur, imò quod & neque debetur ante iudicis sententiam, quamuis à creditore peteretur. Adrian. *quodlib. 6. art. 1. conclus. 2. illat. 3.* vbi generaliter docet, nullam pœnam esse soluendam ante condemnationem. Lopez *lib. 1. de contract. cap. 31. & lib. 2. cap. 34.* Victoria, vt refert idem Lopez, Gutier. *lib. 1. quæst. canonic. cap. 20. num. 11.* Nauarrus *cap. 23. n. 67.* Palatius *lib. 4. de contractibus cap. 3.* Beija *cas. 41.* & alij, quos sequitur Sanchez *de matrim. lib.* . *disp. 37.*

Probatur, quia talis videtur esse mens contrahentium, & pœnam apponentium, nisi aliud exprimant: Nam ideò apponunt pœnam, vt cogant secum contrahentem ad seruandam fidem; & vt ius habeant compellendi eum ad pœnæ solutionem, si fidem non seruauerit.

Confirmatur, quia cùm pœna ex natura sua sit contrà voluntatem, eius conditio naturalis postulare videtur, vt non debeat solui, nisi quis eam soluere cogatur. 11

Quamuis alij, vt Conarruuias *in 4. decret. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 11.* Molina *de iust. tom. 1. disp. 97. circà finem*, Rebuff. *in repert. leg. vnic. Cod. de sent. quæ pro eo, num. 40.* & Guttier. *de iurament. part. 1. cap. 36. num. 11.* velint, quod is, qui reus est pœnæ, non teneatur quidem illam soluere in conscientia, priusquam petatur. At, si petatur, teneatur soluere, non expectata sententia; quia sicut (inquiunt ipsi) pœna legalis, & iudicialis non debentur ante sententiam iudicis, ità conuentionalis non debetur, ante exactionem partis, quæ hic iudicis vicem supplet; cùm sit nimis durum, & moribus hominum non satis accommodatum, quod solutio pœnæ debeatur ante exactionem; Æquum verò sit, quod debeatur parte exigente, quia debetur ex pacto. Quare, sicut non licet resistere iudici pœnam legalem iubenti, sic neque licebit denegare parti pœnam conuentam exigenti. 12

Quinimmò & alij, vt Paludanus *in 4. dist. 27. quæst. 1. art. 2. num. 13.* Felinus *in cap. 1. de constit. n. 46.* Mincha *lib. 1. controu. vsu frequent. cap. 7. num. 11.* & Syluester *verb. pœna, num. 14.* velint, quod pœna conuentionalis debeatur in foro conscientiæ etiam antequam petatur, quia contrahentes (inquiunt ipsi) se obligarunt ad illam soluendam, & de hoc pactum inierunt: Ergò tenentur statim illam soluere, qui a contractu resilierunt: Nam de iure naturæ est, vt pacta seruentur, *leg. 1. ff. de pactis*: Et dicta pœna debetur ex vi pacti inter contrahentes initi; & sic communis sensus hominum eam accipit: Vnde multùm differt pœna conuentionalis à pœna legali, & iudiciali, quæ non debentur ante sententiam; cùm hæ pœnæ non sint ex vi pacti, & promissionis tet (sicut est pœna conuentionalis) sed sint ex præcepto iudicis delictum punientis. 13

Ad ad istas aduersariorum rationes respondetur ex dictis, quod pactum sit soluendi pœnam conuentionalem etiam post iudicis sententiam, sicque non debentur pœna conuentionalis, nisi etiam post iudicis sententiam, sicut & aliæ pœnæ: Et talis videtur esse mens contrahentium; quod scilicet solùm velint se obligare ad soluendam pœnam conuentionalem post iudicis sententiam, vt sit in aliis pœnis. 14

Adde, quod cùm sæpè sic contrahentes imponant pœnas valdè rigidas ei, qui à contractu resilierit, recta ratio velle videtur, quod iudex sua prudentia illas attemperet. 15

Adde secundò, quod consuetudine receptum videtur, vt pœna conuentionalis non soluatur, nisi alter ex contrahentibus propterea patiatur aliquod damnum, scilicet vel lucri cessantis, vel damni emergentis. 16

Quælibet igitur pœna, siue ea sit iudicialis, quæ à iudice imponitur per sententiam; siue legalis, quæ à lege est constituta, siue conuentionalis, quæ constituitur ex conuentione partium, satis probabiliter non debetur, nisi post iudicis sententiam. 17

Excipe tamen (sicut alibi probabam) censuras, scilicet excommunicationem, suspensionem, & interdictum, & etiam irregularitatem ità vt excommunicatus, suspensus, & interdictus, & etiam irregularis sit, quicumque contra latam à canone de huiusmodi sententiam facit, absque alia declaratione iudicis. 18

Excipe etiam (sicuti alibi etiam probabam) pœnas testamentarias, vt quando v. g. maritus reliquerit vxorem suorum bonorum dominam, vel vsufructuariam, &c. si caste vixerit, vel ad secundas nuptias non transierit; quia hæ non sunt propriè pœnæ, sed conditiones, sub quibus testator vult, vel non vult sic bona sua 19

alteri relinquere; scilicet facere vxorem suorum bonorum dominam, vel vsufructuariam, &c. si castè vixerit, vel ad secundas nuptias non transierit. Vnde tunc tenebitur vxor de consumptis, postquam castè non vixit, vel ad secundas nuptias transiit, etiamsi nullus iudex humanus ad id ipsam compellat: Quod non ideò est, quia pœna testamentaria infligitur sine executore, sed ideò est, quia euenit casus, in quo voluntas testatoris sic disposuit de bonis suis. Et propterea, sicut reliqua à testatore disposita in diuersis casibus non egent declaratione iudicis, cùm scilicet casus illi eueniunt; ità disponente testatore, quod vxor sua sit suorum bonorum domina, vel vsufructuaria, quandiù castè viuerit, vel ad secundas nuptias non transierit, sic adueniente casu castitatis omissæ, vel transitus ad secundas nuptias desinit vxor succedere marito in illis bonis, sic sibi ab illo dispositis; quia (sicuti dicebam) deuentum est ad casum, in quo testator noluit bona sua ad illam transire; sicque per hoc vxor tunc nullum ius habet in illis bonis, quæ ex testatoris voluntate solùm habebat, quidquid iuris in illis priùs habebat.



DVBITATIO CXXXIV.

An confiscatio ipso iure delicto imposita impediat, ne delinquens possit alienare sua bona, & efficiat, quod fiscus ea sic alienata recuperare possit?

SVMMARIVM.

1 *Confiscatio dupliciter impedire potest alienationem. Primò, quod fiat validè; secundò quod fiat licitè.*

1 SVPPONO, quod confiscatio dupliciter impedire possit alienationem. Primò, quod fiat validè. Secundò, quod fiat licitè: Quapropter, vt dubitatio hæc meliùs explicetur, sit

---

SECTIO PRIMA.

An alienationes factæ à committente delictum, cui ipso iure confiscatio imposita est, sint validæ?

SVMMARIVM.

1 *Alienationes factæ à committente delictum, cui ipso iure confiscatio imposita est, quouis titulo factæ fuerint, sunt validæ, contra aliquos Doctores putantes, inualidas esse, ex eo, quod delinquens à principio commissi delicti sit priuatus dominio suorum bonorum.*

2 *Alienationes prædictæ validæ sunt, quia delinquens non priuatur dominio suorum bonorum, nisi posita sententia, seu condemnatione iudicis; neque habet priùs interdictam, sed potiùs legitimam administrationem suorum bonorum.*

3 *Delinquens si non posset ante sententiam, seu condemnationem iudicis validè, & liberè alienare bona sua ob delictum confiscata, cum ex testamento filio hæreditatem relinqueret, teneretur vel fisco manifestare delictum, vel eidem prius satisfacere, quæ sunt absurda.*

4 *Contractus initi à Catholicis cum hæreticis Germaniæ, & Angliæ, & similibus communiter reputantur legitimi. Qui quidem legitimi non essent, si delictum hæresis priuaret delinquentem potestate validè alienandi.*

5 *Leges pro sententia contraria adductæ non vrgent, quia sæpè alienationes, quæ validæ, firmæ, seu ratæ non sunt, inualidæ vocantur.*

6 *Donationes, alienationes, &c. in pluribus legibus dicuntur non valere, seu nullius esse momenti, quæ factæ fuerunt à delinquente: sed hoc non operatur vt ante reuocationem factam à fisco eæ non valeant, sed tales dicuntur, quia fiscus eas potest reuocare.*

7 *Delinquens nullo iure habetur, quod prohibitus sit contractus celebrare: Et dato, quod id facere sit prohibitus, non tamen sequitur, quod contractus, & alienatio ab ipso facta sit ipso iure nulla.*

8 *Alienationes an sint ipso iure nullæ, & annullandæ per iudicis sententiam multùm differt.*

RESpondetur, quod quamuis Salycet. *in leg. apostatarum, Cod. de apostat. num.* 1. Lectus *vol.* 2. *conf.* 255. *num.* 3. Claros *in pract. crimin.* §. *hæresis, num.* 11. Victoria *relect.* 1. *de Indis, num.* 3. Anton. Gomez *de delict. cap.* 2. *rubr. de crimin. læs. maiest. num.* 9. Archidiac. *in cap. cum secundùm leges, num.* 6. *de hæretic. in* 6. Geminian. *ibidem num. vltimo*, Locat. *in iudicial. verb. alienatio, in princ.* Syluest. *verb. hæretic.* 1. *quæst.* 8. *num.* 14. Aragon. 2. 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *vers. infero* 2. Surdus *decis.* 247. *num.* 4. *&* 10. & *in tractat. de aliment. tit.* 8. *priuil.* 55. *& tit.* 9. *quæst.* 52. Zanchin. *tract. de hæret. cap.* 27. *num.* 1. *& seqq.* Mandos. *in addit. ad repertor. Inquis. verb. alienatio, vers. crimine autem*, Ghirland. *de hæret. quæst.* 5. *num.* 8. Gygas *tract. de crimin. læs. maiest. lib.* 2. *quæst.* 24. *num.* 4. Bursat *cons.* 43. *num.* 3. *& cons.* 448. *num.* 12. Royas *singul.* 18. *num.* 2. Peregrin. *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 166. Simancha *de cathol. Instit. tit.* 9. *num.* 25. & Bossius *in practica tit. de bon. publicand. num.* 7. sentiant, eas inualidas esse, ex eo, quod putent, delinquentem ob tale delictum commissum à principio commissionis priuatum esse dominio suorum bonorum, & consequenter non posse validè illa alienare, adducantque pro sua sententia textum *in leg. ex iudiciorum, ff. de accusation. in leg. Manichæos, §. præterea, de hæreticis, in leg. vlt. Cod. ad leg. Iul. maiest.* & *in leg. donationes, §. finali de donat.* In quibus legibus tollitur delinquenti facultas disponendi, subditurque, tales donationes valere non debere: Tamen contrarium (scilicet prædictas alienationes à delinquente factas, quouis titulo illæ factæ fuerint, validas esse) probabilius sit: Et docent Vasquez 1. 2. *disp.* 171. *cap.* 2. *num.* 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 7. *in fine*, Suarez *de fide disput.* 22. *sect.* 4. *num.* 3. Farinacius *de hæres. quæst.* 190. *num.* 72. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *num.* 50. Bañes 2. 2. *quæst.* 21. *art.* 1. Molina *de iust. tom.* 1. *disp.* 95. *vers. licet autem*: Et ideò is, qui bona delinquentis huiusmodi possidet, non tenetur illa restituere fisco, & colligitur *ex leg. Manichæos, §. præterea, Cod. de hæret.* & notat *loco suprà citato* Azor. *num.* 10. 1

Probatur, quia cùm ex dictis *dubit.* 103. *& dubit.* 130. delinquens non priuetur dominio suorum bonorum, nisi posita tantùm sententia, seu condemnatione iudicis, non habet priùs interdictam, sed potiùs, vtpotè dominus, legitimam administrationem illorum: At ad legitimam administrationem sequitur potestas alienandi: Ergò potest delinquens alienare, ità vt validè alienet bona, quæ possidet, nisi accesserit sententia, seu condemnatio iudicis, vti dicebam. 2

Confirmatur, quia si delinquens non posset ante sententiam, seu condemnationem iudicis validè, & liberè alienare bona sua ob delictum confiscata, cum ex testamento filio hæreditatem relinqueret, teneretur vel fisco manifestare delictum, vt sciret illa bona accepta esse inalienabilia, vel deberet priùs satisfacere fisco, ne pateretur fiscus damnum ex alienatione filij, sed omnia hæc sunt absurda. Ergò non est dicendum, quod inualidæ 3

lidæ sint alienationes delinquentis, antequam accesserit sententia, seu condemnatio iudicis.

4 Confirmatur secundò, quia si quis emat bona fide ab hæretico rem fructiferam, facit fructus suos: Ergò per talem emptionem acquisiuit dominium illius rei, sicque alienatio fuit valida, cùm non transferatur dominium alicuius rei in alterum, si contractus non fuit validus.

Confirmatur tertiò, quia contractus à Catholicis facti cùm hereticis Germaniæ, Galliæ, Scotiæ, Angliæ, &c. communiter reputantur legitimi, qui quidem legitimi non essent, si delictum hæresis priuaret delinquentem potestate validè alienandi ante sententiam, seu condemnationem iudicis, cùm ipsi verè sint hæretici, & omnes pœnas hæreticis impositas incurrant: Ergò.

5 Atque hinc patet ad fundamentum aduersariorum in contrarium. Neque leges pro sententia ipsorum adductæ quidquam vrgent, quia sæpè alienationes, quæ validæ, firmæ, seu ratæ non sunt, inualidæ vocantur ex textu *in leg. 1. & leg. post contractum, ff. de donation.* Quapropter mirum non est, si alienationes factæ post crimen hæresis, vel simile dicantur inualidæ, scilicet infirmæ, & retractabiles, etiamsi non accesserit adhuc sententia, seu condemnatio iudicis.

6 Hinc, inquam, patet ad textum *in dicta l. donationes, §. vlt. de donation.* vbi dicitur, non posse esse ratas donationes post crimen perduellionis: *& in dicta l. ex iudiciorum, ff. de accusation.* vbi dicitur, ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nihil eum ex bonis suis alienare, vel manumittere posse: *& in dicta l. Manichæos, Cod. de hæretic.* vbi dicitur: *non relinquimus contrahendi facultatem*: & *in dicta l. post contractum, in l. quisquis, & in dict. l. vlt. Cod. ad leg. Iul. maiest.* vbi dicitur, *neque alienari posse.* Respondetur, inquam, ex dictis, dici non valere, seu nullius esse momenti, quatenùs fiscus dictas alienationes, vel donationes reuocare potest, ac si factæ eæ non fuissent, & proinde dicuntur inualidæ, caducæ, & infirmæ. At priusquam tamen eas reuocet fiscus, valent, & subsistunt. Quapropter (vti dicebam) in iure dicitur inualida donatio, quæ non est perfecta, sed potest reuocari, *cit. l. 1. & cit. l. post contractum, ff. de donation.*

7 Neque obstat, si instes: Pupillus est dominus suorum bonorum, & tamen non potest sua bona alienare; cum alienare iure prohibeatur, ita vt si alienet, alienatio sit nulla, irrita, & inualida. Idemque dicitur de prodigo, & de illo, qui possidet bona, quæ prohibita sunt alienari: Ergo quamuis hæreticus, vel alius similis delinquens, cuius bona sunt ipso iure confiscata; retineat dominium suorum bonorum, non ideò tamen poterit ea alienare.

Respondetur enim, nego consequentiam, quia nullo iure habetur, quod prædictus delinquens prohibitus sit contractus celebrare, & sua bona alienare. Et dato, quod id facere sit prohibitus, non tamen propterea sequitur, quod contractus, & alienatio ab ipso facta, sit ipso iure irrita; quia multa fieri prohibentur, quæ tamen facta valent; sed nunc tantum contractus, & alienatio prohibita, est inualida, quando additur verbum irritans; quod non est in casu nostro; cùm nullibi habeatur, quod contractus, & alienatio facta ab eo, cuius bona ipso iure confiscantur, sit ipso iure inualida.

8 Aduerte tamen hic, quod multum differt, an alienationes sint ipso iure nullæ, vel annullandæ per iudicis sententiam; quia in priori casu fructus ex rebus alienatis percepti, cùm nullum ius per alienationem in illis bonis sit comparatum, restitui debent; secus in posteriori casu, si scilicet alienationes valeant, licet annullandæ veniant per sententiam iudicis; quia tunc recipiens fructus, facit eos suos, ita vt ad restitutionem non teneatur quovsque delinquens per iudicis sententiam condemnatus fuerit. Videri poterit Vasquez *loco suprà citato cap. 2. num 9.* & Sanch. *lib. 2. moralium, cap. 22. num. 51.*

SECTIO II.

An alienationes factæ à committente delictum, cui ipso iure confiscatio imposita est, sint saltem per sententiam Iudicis annullandæ?

SVMMARIVM.

1 *Alienationes factæ à committente delictum, cui ipso iure confiscatio imposita est, sunt saltem post sententiam iudicis annullandæ; quia à die commissi criminis ea bona sunt fisco addicta, & quasi in hypothecam tradita. Et propterea, lata sententia, confiscatio retrotrahitur ad diem commissi delicti.*

2 *Amplia, id verum esse, etiamsi bona fide illa bona sic obligata fisco à delinquente receperit quis ignorans delictum; quia hæc bona fides non adimit fisci ius, & delinquentis obligationem.*

3 *Hæreticus, vel quicumque alius delinquens cuius bona ipso iure publicantur, si bona sua alienet, talem alienationem potest fiscus reuocare, & sententia lata retrotrahitur vsque ad diem commissi delicti, ita vt omnia bona, quæ tempore commissi delicti delinquens habebat, pertineant ad fiscum, quamuis per donationem, venditionem, vel per alios contractus peruenerint ad varias personas, potestque fiscus omnes contractus rescindere.*

4 *Discrimen quale sit inter pœnam ipso iure latam, & inter pœnam à iudice imponendam.*

5 *Hæretici alienationes, si is sit absolutus, licet postea manifestetur fuisse verè hæreticus, non reuocantur à fisco nisi prauio altero processu, & sententia, contra nonnullos in contrarium inclinantes.*

Respondetur affirmatiuè, ita vt alienatio facta à delinquente post delictum commissum, cuius bona ipso iure publicantur, non sit ita valida, quin fiscus eam reuocare possit per sententiam iudicis: DD. communiter, quos sequitur Suarez *de fide disp. 22. sect. 4. n. 5.* Farinac. *de hæres. q. 190. n. 70.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. n. 33. & seqq.* 1

Probatur; quia à die commissi talis criminis ea bona sunt fisco addicta, & quasi in hypothecam tradita: Ergo in quemcumque possessorem transeant, cum hoc onere transeunt. Id enim ad minus probant leges, quas suprà adducebam, prohibentes his delinquentibus alienationes; qualis est *l. ex iudiciorum, versic. adeò, ff. de accusation.* ibi: *Ex quo quis aliquod ex his causis crimen contraxit, nihil ex bonis suis alienare, aut manumittere eum posse*, & *l. Manichæos, §. præterea, Cod. de hæretic.* ibi: *Non relinquimus contrahendi facultatem*, & *l. vltima, Cod. ad leg. Iul. maiest.* ibi: *Neque alienare posse*, & *l. donationes in concubinam, §. finali, ff. de donationib.* vbi similia habentur. Probant enim istæ, & aliæ complures leges, quod non possit sic delinquens bona sua alienare firmiter, & irreuocabiliter: Quapropter lata sententia, confiscatio à die commissi delicti retrotrahitur ac si in illo die sententia lata fuisset, & bona alienata ab illo die deuoluuntur ad fiscum, etiamsi ad plures, & diuersos possessores peruenissent.

Quod verum est, etiam si bona fide quis à delinquente ea receperit, ignorans delictum; quia hæc bona fides, & ignorantia non tollit, quin res accepta non sit fisco obligata. Atque adeò sic non infirmat ius fisco iam acquisitum. 2

Ex dictis igitur, si hæreticus, vel quicumque alius delinquens, cuius bona ipso iure publicantur, bona sua alienet, talem alienationem potest fiscus reuocare, & sententia lata retrotrahitur vsque ad diem commissi delicti; ita vt omnia bona, quæ tempore commissi delicti delinquens habebat, pertineant ad fiscum, quamuis per donationem, venditionem, vel per alios contractus 3

tractus peruenerint ad varias personas: potestque fiscus omnes contractus rescindere. Et patet *ex cit. leg. Manichaos, §. præsente, Cod. de hæretic. ex l. Ariani, §. cunctis, ex l. sancta, & ex l. quæ, Cod. eodem*, & docet Glossa *in cap. excommunicamus* 1. *§. credentes, de hæreticis verb. sit etiam intestabilis*, Archidiac. *in cap. cùm secundum, de hæret. in 6. n.* 2. Odofred. *in cit. l. Manichaos, n.* 1. Zanchin. *tract. de hæret. cap.* 27. *n.* 1. *& seq.* Locat. *in iudic. Inquis. verb. fiscus, n.* 1. Bursat. *cons.* 289. *n.* 10. *&* 11. Royas *singul.* 185. *n.* 4. Menoch. *cons.* 284. *n.* 8. Surd. *decis.* 247. *num.* 9. *& seqq.* Simanch. *de cath. instit. tit.* 9. *n.* 21. & Peregr. *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *n.* 170. quia prædictus delinquens vel amittit dominium suorum bonorum ipso iure, & dominium illorum bonorum transfertur ipso iure in fiscum (vt volunt multi) & tunc iuxtà hanc sententiam delinquens non potest illa bona alienare firmiter, & irreuocabiliter, cùm non sint ampliùs sub suo dominio, sed sub dominio fisci. Vel si non amittit dominium ipso iure, tamen, cùm ipsi imponatur amissio bonorum ipso iure, statim fiscus ob delictum commissum acquirit actionem, & hypothecam in bona illa delinquentis, ità vt cum isto onere transeant ad quamcumque personam, in quam transferuntur à delinquente. Cùm igitur fiscus acquisierit actionem, ius, & hypothecam in illa bona, nulla alienatio posteà facta à delinquente poterit præiudicare tali iuri acquisito à fisco, sicuti contingit in aliis bonis, in quæ quis alter habet actionem, ius, vel hypothecam.

4 Vbi aduerte, quod sit discrimen inter pœnam ipso iure latam, & inter pœnam à iudice imponendam; quia in priori pœna statim ac profertur sententia, retrotrahitur ad omnia bona, quæ delinquens habebat à tempore commissi delicti, & rescinduntur omnes contractus à delinquente celebrati; sed pœna posterior, quæ imponitur à iudice, non retrotrahitur, nec reuocantur alienationes factæ à delinquente, nisi quando in fraudem fisci factæ fuerint, vt dicam infra *dubit.* 136.

Aduerte secundò, quod quamuis alienationes factæ ab hæretico, vel à quocumque alio delinquente, seu criminoso, cuius bona ipso iure publicantur, reuocari possint, tametsi hæreticus, vel quicumque alius criminosus, cuius bona ipso iure publicantur, absoluatur à proprio iudice, tanquam innocens; & post absolutionem reperiatur, quod reuerà fuerit hæreticus, vel criminosus modo supradicto, alienationes ab illo factæ, postquam fuit absolutus, & priusquam de nouo formetur processus, sunt ità validæ, vt non possint reuocari. Surdus *decision.* 247. Seacc. *de iudic. lib.* 1. *cap.* 98. *num.* 17. & Bossius *in practic. tit. de bonor. public. num.* 76. Quamuis potiùs in contrarium inclinent alij, quos sequitur Ricciull. *lib.* 5. *cap.* 35. *circà finem.*

SECTIO III.

Quid dicendum si possessores talium bonorum, quæ fisco sunt addicta, legitimè præscripserint? Vbi etiam per quantum temporis legitimè præscribant?

SVMMARIVM.

1 *Fiscus agere non potest contrà possessores bonorum ipsi addictorum per confiscationem, quando ea sunt præscripta ad fauorem tertij possessoris, ad reuocandum iam factas alienationes.*

2 *Præscriptio contrà fiscum quantò tempore currat, discordant inter se Doctores: Alij enim spatium 40. alij 30. alij 20. alij decem annorum requirunt.*

3 *Præscriptio contrà fiscum in crimine hæresis requirit lapsum 40. annorum.*

4 *Limita cum aliquibus Doctoribus prædictum tempus requiri, cùm bona hæretici applicanda sunt Ecclesiæ. Secùs si applicanda sint fisco sæculari, quia tunc ad præscribendum sufficit spatium quinque annorum.*

5 *Limitatio prædicta reiicitur; quia indistinctè dicendum videtur, spatium prædictum quadraginta annorum requiri cuicumque bona sint applicanda: Crimen enim hæresis est crimen Ecclesiasticum, & ideò standum est potiùs in illo puniendo dispositioni iuris Ecclesiastici, quàm ciuilis.*

6 *Pontifex nullam distinctionem facit de confiscatione applicanda fisco Ecclesiastico, vel sæculari.*

7 *Textus in leg. 2. de Apostatis non vrget; quia non loquitur de confiscatione, sed de actione intrà quinquennium exercenda contrà testamentum apostatæ.*

8 *Limita cum Ioanne Andrea, Ancharano, & aliis supradictam præscriptionem quadragenariam procedere post mortem hæretici: viuente enim eo, putant nunquam currere hanc præscriptionem, etiamsi per sexcentos annos possessores possederint; quia iura eam concedunt post mortem ipsius hæretici.*

9 *Limitatio prædicta licèt sit satis probabilis, vt oppositum etiam, saltem in puncto iuris, probabile, & forsan probabilius non videatur; non tamen probatur Auctori; quia licèt nullo tempore præscribatur actio procedendi aduersus hæreticum, non tamen exinde infertur, quod etiam nullo tempore in eius bonis præscribi possit.*

10 *Textus in cap. finali de præscriptionibus, nihil de præscriptione, viuente hæretico, loquitur, neque etiam infertur sentire, quod præscribi non possit per illud tempus aduersus eius bona, &c.*

11 *Textus prædictus si satis expendatur, satis clarè in prima parte insinuat, viuente hæretico, præscribi posse in bonis ad alias Ecclesias pertinentibus per spatium 40. annorum, & in bonis ad Ecclesiam Romanam spectantibus præscribi posse per spatium centum annorum.*

12 *Præscriptio contrà fiscum Romanæ Ecclesiæ secundùm allegata per Farinacium, in bonis ab illa in feudum, vel alio titulo acceptis non currit, nisi per lapsum centum annorum. In bonis autem, quæ non ab Ecclesia Romana accepta sunt in feudum, neque illius sunt alio titulo, sed pertinent ad alias Ecclesias, vel ad Ecclesiam Romanam solùm ob fiscum ratione delicti commissi, per spatium quadraginta annorum absque vlla distinctione præscribitur.*

13 *Præscriptio contra fiscum Ecclesiæ ob delictum hæresis, vt post mortem hæretici currat ad fauorem hæredum, requirit nonnullas conditiones, quas non præexigunt alia delicta. Prima, vt possidentes sint Catholici; secunda, vt hæreticus, cuius bona ij possident, præsumatur decessisse: Tertia, vt in iis conditionibus per totum spatium quadraginta annorum perseueret.*

14 *Præscriptio prædicta debet esse continuata; quia si fuerit interrupta, non currit præscriptio in damnum fisci, licèt esset centum annorum.*

15 *Præscriptio interrumpitur, si possidentes intrà tempus præscriptionis nouerint hæresim defuncti.*

16 *Præscriptio secundùm alios interrumpitur, si toto eo quadraginta annorum tempore detegatur hæresis, licet nondum esset lata sententia; dummodo tamen esset lis cum possessoribus, aut esset crimen probatum. Idem asserunt ij, qui in hac præscriptione requirunt bonam fidem.*

18 *Præscriptio occasione aliorum delictorum præter hæresim contrà fiscum non currit minori tempore, ex probabiliori sententia Doctorum, quàm viginti annorum; idemque probatur variis iuribus.*

19 *Textus*

19 *Textus in l.2.Cod.de vectigal. præscribens aduersus fiscum per lapsum tantummodò quinque annorum, non obstat; quia est casus specialis; loquitur enim de bonis confiscatis ob vectigal non solutum.*

20 *Item neque obstat textus in leg. in cognitione, ff. ad Syllan. eodem tempore præscribens, quia etiam est casus specialis: loquitur enim ibi de cognitione aperti contrà Senatusconsultum testamenti eius, qui à familia sua occisus dicatur.*

21 *Item neque obstat textus in leg. sicut, & in leg. omnes, Cod. de prescription. 30. vel 40. annor. quia etiam hic casus est specialis, loquitur enim textus de præscriptione bonorum, quæ sunt iam fisco incorporata.*

22 *Bona fides in his omnibus existit, etiamsi quis sciat, delinquentem commisisse culpam, ob quam ipsius bona ipso iure publicantur; quia huiusmodi cognitio, cum non teneatur ea bona fisco deferre, non impedit bonam fidem.*

23 *Fiscus non potest petere à tertio possessore bona in ipsius fraudem alienata, nisi infrà spatium vnius anni vtilis, cuius loco datur hodie spatium quatuor annorum, quia illo tempore tolluntur, & præscribuntur actiones reuocatoriæ.*

24 *Fiscus non habet restitutionem in integrum aduersus præscribentem bona, quæ competebant ipsi fisco, quia in odiosis, & correctoriis, qualis est actio confiscandi bona, cessat, & denegatur restitutio in integrum.*

25 *Restitutio in integrum in executionibus, & exactionibus pœnarum non datur neque fisco, neque alteri.*

1 RESpondetur, quod in tali casu fiscus contrà tales possessores non possit procedere, vt dictas alienationes factas possit reuocare.

Probatur *ex cap. finali de præscription. in 6. ex leg. 2. Cod. de apostat.* & *ex leg. in omnibus, ff. de iur. fisc.* In quibus iuribus expressè habetur, prædicta bona posse præscribi. Et probant Molina *tom. 1. de iustitia, disp. 73.* & Locatus *in Iudicial. Inquis. verb. fiscus, num. 2. & seqq.* & conueniunt in hoc communiter Doctores.

2 Quantum autem spatium temporis ad hanc præscriptionem faciendam requiratur, discordant inter se Doctores, quia sicuti videre est apud Bartol. *leg. 2. Cod. de vectigal.* Peregrin. *de iur. fisc. lib. 6 tit. 8. num. 36.* Farinacius *de hæresi quæst. 190. num. 119.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap. 21. num. 37.* Alij dicunt, requiri spatium 40. annorum, alij 30. alij 20. alij decem, alij tandem quinque: Quapropter, vt distinctius quoad hanc difficultatem procedatur.

3 Respondetur, & dico primò: In crimine hæresis requiritur spatium quadraginta annorum, ad hoc vt scilicet possessor præscribat bona delinquentis contra fiscum. Atque ità tenent Glossa *in cit. cap. finali, verb. hæretici,* Dominicus *ibidem in §. si post mortem, n. 4.* Syluester *verb. hæreticus 1. num. 14. vers. excipe tamen,* Tabiena *eodem verbo num. 12. vers. secundus est,* Simanch. *de catholic. Institut. tit. 9. num. 133.* & *in Enchirid. tit. 62. num. 7.* Quemada *quæst. 16. n. 1. & seqq.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. circà finem,* & *lib. 8. cap. 12. quæst. 16.* Molina *de iust. & iur. tom. 1. disp. 73. vers. hinc infert,* Fachin. *lib. 9. controu. cap. 54.* Farinac. *cit. quæst. 190.* & *tom. 1. in practic. 1. part. de delictis quæst. 25. num. 263.* & Sanch *cit. cap. 22. n. 40.* & habetur expressè *in cap. 2. de præscription. in 6.* ibi: *Si post mortem hæreticorum, qui dum viuerent, Catholici putabantur, bona ipsorum à Catholicis eorum filiis, vel nepotibus, vel extraneis quibuscumque spatio quadraginta annorum fuerint bona fide possessa, sancimus, eos super bonis huiusmodi, etiamsi ad Romanam peruenire debeant Ecclesiam, in hoc casu non esse vlterius molestandos: Quamquam illi, quorum bona fuerint, tunc detegerentur hæretici extitisse:* Qua de re vide etiam quæ dicam infrà *dubit. 204.*

4 Limitant Abbas *in cap. cùm à nobis, num. 8. de præscriptionibus,* Felinus *ibidem num. 11.* Couarruu. *4. decretal. 2. part. cap. 6. §. 8. num. 16.* Gomez *tom. 5. variar. cap. vlt. num. 5.* Quemada *in quæstion. fiscal. quæst. 16. conclus. 2. & 3.* Carrerius *tract. de hæretic. §. expedito processu, num. 33.* & alij, vt procedat, cùm bona hæretici applicanda sunt Ecclesiæ; secùs si applicanda sint fisco sæculari, quia tunc, inquiunt ipsi, ad præscribendum sufficit spatium quinque annorum. Probant *ex leg. 2. Cod. de apostat.* vbi quinquennio præscribitur, ne contrà apostatam defunctum procedatur.

At hæc limitatio mihi non placet; sed indistinctè dicendum videtur, spatium scilicet quadraginta annorum ad præscriptionem hanc faciendam requiri, siue bona applicanda sint fisco Ecclesiæ, siue fisco sæculari. Atque ita etiam tenent Molina vbi suprà, Sanchez *num. 40.* Pegna *in 3. part. director. Inquisit. commentar. 92.* Farinacius *de Inquisit. quæst. 10. n. 82.* & Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 9. num. 133.* 5

Probatur, quia crimen hæresis est crimen Ecclesiasticum, *cap. vt Inquisitionis, §. prohibemus, de hæretic. in 6.* Sed in criminibus Ecclesiasticis potiùs standum est dispositioni iuris canonici, quàm ciuilis: Ergò cùm secundùm ius canonicum spatio quadraginta annorum, & non minori concedatur præscriptio, potiùs iuri canonico, quàm iuri ciuili standum erit.

Secundò, quia Pontifex nullam distinctionem facit de confiscatione applicanda fisco Ecclesiastico, vel sæculari. Ergò censeri debet, quod de vtroque indistinctè loquatur; quia vbi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, *leg. 3. ff. de offic. præsid. leg. de pretio, ff. de public. in rem actione,* & *leg. 1. §. generaliter, ff. de legat. præstand.* 6

Ad textum *in leg. 2. de apostatis* respondetur, quod non vrgeat; quia non loquitur de confiscatione, sed de actione intrà quinquennium exercenda contra testamentum apostatæ, ibi: *Eaque gratia testari minimè potuisse, confirmat intra iuge quinquennium.* Vide Doctores, quos citat, & sequitur Fachin. *lib. 9. controuers. cap. 54.* 7

Cùm igitur Glossa *in leg. Manichæos, verb. subire, Cod. de hæretic.* & Bartolus *in leg. 2. Cod. de apostat. num. vnico,* docent bona hæreticorum præscribi à possessoribus spatio quinque annorum; quia sic habetur *in dicta leg. 2. Cod. de apostat.* Abbas, Felinus, Couarruuias, vbi ait, id esse verum, quando bona hæretici sunt fisco sæculari applicanda, quamuis possessores fuerint in mala fide, scientes, illum fuisse hæreticum. At verò si fuerint applicanda fisco Ecclesiæ, ait, hanc scientiam impedire præscriptionem. Gomez, Quemada, Carrerius, & alij Doctores in locis suprà citatis respondent præscribi dicta bona spatio quinque annorum, si dicta bona sint applicanda fisco sæculari, sicque dictam *leg. 2.* esse intelligendam, si verò sint applicanda fisco Ecclesiæ, præscribi spatio quadraginta annorum.

Neque dicta doctrina Glossæ, & Bartoli, neque dicta responsio Abbatis, Felini, Couarruuiæ, Gomez, Quemadæ, Carrerij, & aliorum mihi probatur; quia ex dictis in præscriptione circà bona hæreticorum standum est iuri Ecclesiastico, & non iuri ciuili, sicque in huiusmodi præscriptione requiritur spatium quadraginta annorum; licet in aliis criminibus sæcularibus, ob quæ similiter ipso facto publicantur bona, seruandum sit ius ciuile. Accedit, quod, vbi bona hæreticorum applicantur fisco sæculari, id fit executione Summi Pontificis, qui ad hanc præscriptionem requirit quadraginta annos: Ergò quadraginta anni requiruntur, etiamsi applicatio bonorum non sit facienda fisco Ecclesiæ, sed fisco sæculari.

Limitant secundò, Ioan. Andreas *in dicto cap. finali, num. 3.* Ancharan. *ibidem notabil. 7. num. 3.* & Dominicus, quos citat, & sequitur Molina *de iust. tom. 1. disput. 72. concl. 3. & 6.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. num. 37.* Villadiego *de hæretic. quæst. 22. num. 3.* & 8

Quemada *quæst.* 16. *num.* 1. *& seqq.* Vt quod de præscriptione quadragenaria suprà dixi, procedat post mortem hæretici, quia viuente hæretico, putant ipsi, nunquam prædicta bona præscribi posse, tametsi per sexcentos annos possessores possederint. Mouentur ex eo, quia viuente hæretico, semper potest contrà ipsum hæreticum procedi, tametsi spatium 40. annorum præcesserit; sed quotiescumque aduersus hæreticum procedi potest, vt condemnari possit, non videtur, quod possessores suorum bonorum præscribere possint: Ergò, &c.

Secundò quia Textus *in cap. finali, de præscriptionibus*, concedit eam in hæretici bonis præscriptionem post mortem ipsius hæretici: Ergò, cum textus de vita hæretici nihil loquatur, videtur, quod viuente hæretico, in eius bonis præscriptio dari non possit.

9 At hæc limitatio, licet sit satis probabilis, non tamen ità mihi probatur, vt oppositum etiam, saltem in puncto iuris, probabile, & forsan probabilius non videatur, quia licet nullo tempore præscribatur actio procedendi aduersus hæreticum, non tamen exindè infertur, quod etiam nullo tempore in eius bonis præscribi possit; siquidam complures Doctores, quos sequuntur Couarruuias 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 6. §. 8. *num.* 16. *& seqq.* Simancha *de catholic. Instit. tit.* 18. *num.* 41. & Sanchez *cit. cap.* 25. *num.* 42. affirmant, nullo tempore præscribi posse actionem procedendi aduersus hæreticum defunctum ad eius memoriam damnandam, & tamen pro certo habent, præscribi posse per spatium quadraginta annorum aduersus hæretici bona.

10 Secundò quia ex eo, quod textus *in cit. cap. finali, de præscription.* nihil de præscriptione viuente hæretico loquatur, neque etiam infertur, sensisse, quod præscribi non posse per illud tempus aduersus eius bona. Tùm quia iste fuit casus omissus, & dispositioni iuris canonici relictus: Tùm quia textus expressè concedit aduersus Ecclesiam in bonis ab illa receptis præscribi per spatium quadraginta annorum; cùm tamen iura communi aduersus illam non præscribatur, nisi per spatium centum annorum, *ex cap. ad audientiam, cap. cum nobis*, & *cap. si diligenti, de præscription.* Ergò quotiescumque possessor non possidet bona Ecclesiæ Romanæ per delictum applicata, poterit præscribere per spatium quadraginta annorum.

11 Tertiò, quia si prædictus textus satis expendatur, satis clarè in prima parte insinuat viuente hæretico præscribi posse in bonis ad alias Ecclesias pertinentibus per spatium quadraginta annorum, & in bonis ad Ecclesiam Romanam spectantibus præscribi posse per spatium centum annorum. Habet enim sic textus: *Statuimus in apprehendendis, vel occupandis bonis eisdem, quæ à Romana, vel ab aliis delinquentes tenent, nullus ipsis Ecclesiis temporis lapsus obsistat, nisi contrà ipsam Romanam Ecclesiam centenaria, vel contrà Ecclesias alias quadragenaria præscriptio legitimè sit completa.* Vbi nulla distinctio fit de hæretico viuente, vel de hæretico mortuo.

12 Quapropter cum Doctoribus, quos citat, & sequitur Farinacius *de hæres. quæst.* 25. *num.* 163. *&* 168. dicerem contrà fiscum Romanæ Ecclesiæ in bonis ab illa in feudum, vel alio titulo acceptis non præscribi, nisi per spatium centum annorum; excepto, nisi post mortem hæreticorum bona ipsa fuerint à filiis catholicis, &c. per spatium quadraginta annorum bona fide possessa. In bonis autem, quæ non ab Ecclesia Romana, accepta sunt in feudum, neque illius sunt alio titulo, sed pertinent ad alias Ecclesias, vel ad Ecclesiam Romanam solùm ob fiscum ratione delicti commissi, per spatium quadraginta annorum absque vlla distinctione præscribi.

Cæterùm, licèt *in citato cap. finali, de præscription.* 13
singularis fauor fiat successoribus hæreticorum (vt scilicet post mortem delinquentium, ne vexentur in bonis, quæ possident, si per spatium quadraginta annorum possederint, etiamsi talia bona ad Romanam Ecclesiam pertineant, & ab illa sint accepta) requiruntur tamen ad hanc præscriptionem nonnullæ conditiones, quæ ad præscriptionem bonorum ob alia delicta non exiguntur. Prima, vt possidentes sint catholici; nam si essent hæretici, nunquam possent præscribere, sicut nec ipse hæreticus aduersus fiscum vnquam præscribit. Secunda, vt hæreticus, cuius bona possident, præsumatur decessisse Catholicus: cui præscriptioni obstat, si diffamatus, vel suspectus de hæresi decessit. Tertia, vt in iis conditionibus per totum spatium quadraginta annorum perseuerent; quia si infrà tale tempus nuncietur, defunctum hæreticum fuisse, val ipse possessor in hæresim incidat, tota hæc præscriptio interrumpitur, quia cessat bona fides, quam supradictus textus requirit: Vide Glossam, & Dominicum ibi, Couarruuias *in* 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 6. §. 8. *num.* 16. aliosque Canonistas, quos sequitur Peña 3. *part. directorij, commentario* 92. *vers. Filij verò*, & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *num.* 41.

Hæc igitur præscriptio debet esse continuata, quia si 14
fuerit interrupta, non currit præscriptio in damnum
fisci, licet esset centum annorum. Zanchinus *tractat.*
de hæretic. cap. 40. *num.* 1. *& seqq.* Repertorium Inquisi-
torum *verb. præscriptio, vers. sed suprà*, & Penna *loco ci-*
tato, vbi ait, præscriptionem interrumpi, si possiden- 15
dentes, intrà tampus præscriptionis nouerint hæresim
defuncti. Alij volunt, interrumpi præscriptionem, si to- 16
to eo quadraginta annorum tempore detegatur hæresis,
licet nondum esset lata sententia, dummodò tamen es-
set lis cum possessoribus, aut esset crimen probatum.
Ità Ioan. Andr. *in dicto cap. finali, de præscription. in* 6.
num. 5. Franchus *ibidem num.* 7. & Dominicus §. *si post*
mortem, num. 4. Idemque asserunt ij, qui in hac præ- 17
scriptione requirunt bonam fidem, quam tunc inquiunt
esse, quandò is, qui accepit ea bona, putabat, illum, à
quo accepit, esse Catholicum. Ità Glossa *in eodem cap.*
finali, verb. bona fide, Dominic. *ibidem*, §. *si post mortem,*
num. 4. Quemada *quæst.* 16. *num.* 1. & Penna *in director.*
cit. part. 3. *comment.* 92. *vers. filij verò.* Et quidem in casu
hæresis peculiariter statutum est *in cap.* 2. *de præscript.*
in 6. quod ad hoc, vt bona defuncti hæretici præscri-
bantur, debeant eius hæredes, ac possessores ignorare
illum fuisse hæreticum. Quapropter *in dicto cap.* 2. scien-
tia, quod aliquis fuerit hæreticus, dicitur ad bona de-
functi hæretici præscribenda esse mala fides.

Dico secundò: si de præscriptione bonorum con- 18
fiscatorum ob alia crimina, præter hæresim, loquamur, ex probabiliori sententia Doctorum non præscribitur minori tempore, quàm per spatium viginti annorum.

Probatur, quia ità videtur expressè definiri *in leg. in omnibus, ff. de diuersis & tempor. præscription.*] ibi: *In omnibus fisci quæstionibus, exceptis causis, in quibus minora tempora seruari specialiter constitutum est, viginti annorum præscriptio custoditur.* Ergo vbi minora tempora constituta non fuerint, vt est in casu nostro, viginti annorum spatium necessarium videtur.

Secundo probatur *ex l. querela, Cod. ad leg. Cornel. de falsis*, ibi: *Querela falsi temporalibus præscriptionibus non excluditur, nisi viginti annorum exceptione, sicut cætera quoque ferè crimina.* Ergo si in cognitione delictorum quoad condemnationem personæ non præscribitur per minora tempora, quàm per spatium 20. annorum, neque etiam per minora tempora præscribetur in bonorum condemnatione, quæ est accessoria. Glossa, Bartolus, & alij Iuristæ *in cit. l. in omnibus*, quos citat, & sequitur Fachin. *vbi suprà cap.* 54. *lib.* 9. & Bosſ. *de publ. bonor. n.* 78.

Obiicitur:

Obiicies: *in leg. 1. Cod. de vectigalib.* præscribitur aduersus fiscum per spatium tantummodò quinque annorum: Ergò.

Respondetur, hunc textum non obstare; quia est casus specialis: loquitur enim ibi textus specialiter de bonis confiscatis ob vectigal non solutum; secùs si bonorum confiscatio facta fuerit ob aliud delictum. Doctores, quos sequitur Farinac. *de heres. quæst.* 25. *num.* 163. & Fachin. *loco suprà citato.*

20 Obiicies secundò: *In leg. in cognitione, ff. ad Syllan.* præscribitur etiam contrà fiscum per spatium similiter quinque annorum: Ergò.

Respondetur, neque hunc textum obstare; quia etiam est casus specialis: loquitur enim textus etiam specialiter de cognitione aperti contra Senatusconsultum testamenti eius, qui a familia sua occisus dicatur: quæ cognitio quinquennio præscribitur.

21 Obiicies tertiò: *In leg. sicut. & in leg. omnes, Cod. de præscription.* 30. *vel* 40. *annor.* ad præscribendum bona fisco acquisita requiritur prædictum spatium temporis triginta, vel quadraginta annorum; Ergò.

Respondetur: Neque hunc textum obstare; quia etiam similiter est casus specialis, loquitur enim textus de præscriptione bonorum, quæ sunt iam fisco incorporata: Hæc namque (vt habetur *Instit. de vsucapionib. §. res fisci,*) præscribi non possunt, nisi illius longissimi temporis spatio. Secùs verò dicendum de bonis, quæ licèt sint publicata, tamen non sunt incorporata fisco: Hæc enim, etiam sine titulo, modò adsit bona fides in possidente, præscribuntur ad summum per spatium viginti annorum. Doctores, quos citat, & sequitur Molina *de inst. & iur. tom.* 1. *disp.* 73. *conclus.* 1. & Farinac. *quæst.* 25. *num.* 163.

22 Aduerte tamen hic, quod bona fides in his omnibus existit, etiamsi scias, delinquentem commisisse culpam, ob quam ipsius bona ipso iure publicantur; quia cùm non tenearis, sicut neque tenetur ipse delinquens, bona illa fisco deferre, huiusmodi cognitio non impedit bonam fidem. Abbas, Felinus, & alij *in cap. vltimo, de præscription.* quos sequitur Couarruuias 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 6. § 8. *num.* 16. Molin. *tom.* 1. *de instit. disp.* 66. *conclus.* 1. & Lessius *de inst. & iur. lib.* 2. *cap.* 6. *dub.* 6. *num.* 10.

23 Aduerte secundò, quod non possit fiscus petere à tertio possessore bona in ipsius fraudem alienata, nisi infrà spatium vnius anni vtilis, cuius loco datur hodie spatium quattuor annorum; quia illo tempore tolluntur, & præscribuntur actiones reuocatoriæ, §. *item si quis in fraudem, Instit. de action. & leg.* 1. § 1. *ff. quæ in fraud. creditor.* & tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Antonius Gomez *tom.* 3. *cap.* 14. *de bonis public. num.* 5. & Farinac. *quæst.* 25. *num.* 164.

24 Aduerte tertiò, quod fiscus non habeat restitutionem in integrum aduersus præscribentem bona, quæ competebant ipsi fisco. Doctores, quos sequitur Farin. *cit. quæst.* 25. *num.* 165. Quia in odiosis, & correctoriis (qualis est actio confiscandi bona) cessat, & denegatur restitutio in integrum. Doctores, quos citat, & sequitur Tiraquell. de vtroque retractu *part.* 1. §. 35. *gloss.* 2.
25 *num.* 10. & Aymon. *lib.* 2. *cons.* 271. *num.* 7. Tum quia in executionibus, & exactionibus pœnarum neque fisco, neque alteri datur de iure restitutio in integrum. Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *loco suprà cit.* & Oddus *in tract. de restitut. in integrum, part.* 1. *quæst.* 3. *num.* 85.

SECTIO IV.

Quid dicendum de alienationibus necessariis, an & hæ etiam factæ ab hæretico, vel ab alio, cui ipso iure sunt bona publicata, & cui ipso iure est interdicta bonorum suorum administratio, reuocari similiter à fisco possint, sicut & voluntariæ?

SVMMARIVM.

1 *Alienationes necessariæ factæ ab hæretico, vel ab alio, cui ipso iure sunt bona publicata, & cui ipso iure est interdicta bonorum suorum administratio, reuocari non possunt à fisco, sicut possunt voluntariæ; quia necessariæ censentur factæ quasi nomine fisci, & ex præsumpta illius mente.*

2 *Prohibitio alienandi, de qua tractat Alciatus in leg. post contractum, ff. de donation. num. 19. intelligi debet de alienationibus voluntariis, non autem de necessariis.*

3 *Alienatio necessaria dicitur, si hæreticus, vel similis delinquens expendat bona sua, vt creditoribus satisfaciat; quia tunc ipse facit, quod fiscus facere debebat.*

4 *Alienatio necessaria dicitur, si à delinquente facta sit ad effectum se, & familiam suam alendi, quia quouque sententia criminis accesserit, ipsemet fiscus tenetur alere delinquentem ex bonis suis.*

5 *Alienatio necessaria dicitur, si delinquens eam faciat pro sui, vel suorum valetudine, quia hæc tanquam alimenta reputantur. Idemque dic si faciat pro funere, quia & hoc ipsum est quid necessarium.*

6 *Alienatio necessaria item dicitur, si delinquens faciat pro sui, vel suorum redemptione à captiuitate, quia vtraque est grauis necessitas.*

7 *Alienatio necessaria item dicitur, si delinquens faciat pro defendenda causa, pro soluendis Procuratoribus, vel Aduocatis, pro extrahendis scripturis, vel similibus, quia defensio propria de iure naturæ cuilibet competit.*

8 *Alienatio demum necessaria dicitur, si delinquens faciat pro defendendis, reparandis, vel conseruandis bonis; quia ita vtiliter gerit negocium.*

RESpondetur, quidquid in contrarium dixerint aliqui, quos sequitur Alciatus loco infrà citando, & videri etiam poterit Bursatus *consil.* 14 *num.* 24. & Becius *cons.* 8. *num.* 7. & 8. negatiuè: Ità vt tantùm à fisco reuocari possint alienationes voluntariæ, non item necessariæ à delinquente factæ ante sententiam iudicis. Bartolus *in leg. post contractum, ff. de donat. num.* 11. Ioan. Andr. *ibidem num.* 68. Sotus *de instit. lib.* 1. *quæst.* 6. *art.* 6. *concl.* 4. Surdus *de aliment. tit.* 9. *quæst.* 32. *num.* 10. Bursatus *cons.* 14 *num.* 29. Corduba *in quæstionar. lib.* 1. *quæst.* 36. *notabil.* 2. Gratianus *tom.* 1. *discept. cap* 54. *num.* 15. Simancha *de cathol. Institu. tit.* 9. *num.* 13. *& seqq.* Gabriel Quemada *quæst* 7. *num.* 6. Angel. *verb. pœna, num.* 3. Syluest. *verb. hæresis* 1. *quæst.* 8. *num.* 14. Molin. *de inst. tom.* 1. *disp.* 95 *col.* 10. *vers. licet,* Bañes 2. 2. *quæst.* 12. *art.* 2. *coroll.* 1. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *quæst.* 7. Aragon. 2 2. *quæst.* 11. *art.* 3. *vers. & si quis obiiciat,* Anton. Gomez *tom.* 3. *variar. cap. vlt. num.* 4. Peregrin. *de iur. fisc. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 166. & *lib.* 5. *tit.* 5. *num.* 176. Couarruuias 4. *decretal.* 2. *part. cap* 6. §. 8. *n.* 9. Farinacius *de hæres. quæst.* 190. *num.* 87. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *num.* 55. & Bossius *tit. de bonis publicandis num.* 77. 1

Probatur primò ratione, quia alienationes, quæ sunt necessariæ, non autem voluntariæ, quasi nomine fisci, & ex præsumpta voluntate fisci censentur factæ.

Secundò probatur auctoritate ex textu *in leg. alienationes, Cod. famil. ercisc.* ibi: *Alienationes post iudicium acceptum interdictæ sunt, dumtaxat voluntariæ:* Ergò, si factæ sint ex causa necessaria, censeri debent concessæ: Quapropter

2 Non obstat, si dicas cùm Alciato, quatenus in contrarium *in citata leg. post contractum, ff. de donation. n. 19.* ait, quod possint à fisco reuocari prædictæ alienationes, quando bona delinquentis sunt ob delictum ipso iure confiscata; huiusmodi delinquenti prohibetur in iure alienare: Ergò.

Respondetur enim, vti suprà dicebam, prohibitionem istam intelligendam esse de alienationibus voluntariis, non item de necessariis, iuxta textum *in leg. alienatio, ff. famil. erciscund. in leg. peto, §. præiudicium, ff. de leg. 2. & in leg. 1. ff. de fundo dotal.* & docent Bald. *in Auth. Hoc ius porrectum, Cod. de sacros. Eccles. num. 10.* Ripa *in leg. filiusfamil. §. dici, n. 14. ff. de leg. 1.* Tiraquell. *de retract. consanguin. §. 1. Gloss. 14. num. 18.* & Francisc. Beccius *cons. 6. num. 6.*

3 Quæ autem alienationes necessariæ reputentur?

Respondetur, quod alienatio necessaria reputatur,

Primò, si hæreticus, vel similis delinquens expendat bona sua, vt creditoribus satisfaciat; quia tunc ipse facit, quod fiscus facere debebat, *leg. sed neque illud, ff. de solution.* & docet Bartol. *in leg. post contractum, num. 17. ff. de donation.* quem sequuntur Farinacius *de hæres. quæst. 190. num. 87.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. num. 56.* & alij passim.

4 Secundò, si alienationes delinquens faciat ad effectum, se, & familiam suam alendi; quia, quousque sententia criminis accesserit, ipsemet fiscus tenetur alere delinquentem ex bonis suis. Bartol. *loco suprà citato, num. 12.* Surd. *de aliment. tit. 8. priuileg. 35. n. 4. & seqq. & tit. 9. quæst. 32.* Gratian. *tom. 1. discept. cap. 55. num. 16.* Gomez *de delictis lib. 3. cap. 4. n. 4.* Scacc. *de iudic. lib. 1. cap. 90. n. 16.* Simanch. *de cathol. Institution. tit. 9. n. 35.* Bursat. *cons. 14. n. 29.* Farinac. *vbi suprà n. 87.* & Sanch. *n. 56.* & alij.

5 Tertiò, si alienationem delinquens faciat pro sui, vel suorum valetudine, quia hæc tanquam alimenta reputantur. Idemque dicas, si faciat pro funere; quia & hoc ipsum est quid necessarium, sicut & alimenta sunt necessaria, Farinacius, Sanchez, & alij *in locis suprà citatis.*

6 Quartò, si faciat pro sui, vel suorum redemptione à captiuitate, vel pro liberatione à carcere; quia vtraque est grauis necessitas, cui potest delinquens ex bonis actu possessis subuenire. Angel. *in leg. si quis post hac, Cod. de bon. proscript. num. 3.* Natta *cons. 212. num. 3.* Farinac. *de falsit. quæst. 164. num. 113.* & Bossius *tract. de publicand. bonis, num. 47.* cùm id faciat pro causa necessaria iuxtà dicta, & iuxta *leg. final. ff. de in rem.*

7 Quintò, si faciat pro defendenda causa, pro salario soluendo Notariis, Procuratoribus, vel Aduocatis, pro extrahendis scripturis, & pro aliis expensis factis in lite, vel similibus; quia defensio propria de iure naturæ competit cuilibet. Bartol. *in leg. post contractum, ff. de donat. num. 12.* Montepic. *ibidem num. 75.* Ioan. Annibal. *num. 263.* Sotus *de iust. lib. 1. quæst. 6. art. 6.* Surdus *de aliment. tit. 9. quæst. 32. n. 22.* Bursat. *cons. 43. num. 9. & cons. 289. n. 9. & 21.* & alij Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *loco suprà citato, num. 11. & de hæresi, quæst. 190. num. 87.* & Sanchez *vbi suprà, num. 56.* Et quamuis Sanchez limitet de alienatione facta pro expensis litis quoad illud crimen, ob quod bona publicantur, alij tamen non limitant, sed indistinctè loquuntur: Et meritò, quia si ex alio crimine persona delinquentis, vel eius bona periclitantur, adhuc & in hoc casu de iure naturæ defensio illi competit; ità vt proinde & hæc reputanda sit alienatio necessaria, non autem voluntaria.

Sextò, si faciat pro defendendis, reparandis, vel conseruandis bonis; quia in hac defensione, reparatione, vel conseruatione vtiliter gerit negocium fisci; Farinacius, Sanchez, & alij Doctores *in locis suprà citatis.* 8

SECTIO V.

Quid dicendum de alienatione facta pro dotandis filiabus; an & hæc inter alienationes necessarias reputari debeat, vt proinde & hæc à fisco reuocari non possit?

SVMMARIVM.

1 *Alienatio facta pro dotandis filiabus à delinquente, licèt secundùm aliquos censenda non sit necessaria; tamen oppositum est probabilius; quia dos competens, & moderata succedit loco alimentorum, & consequenter non est reuocabilis per fiscum.*

2 *Fiscus publicatis bonis per sententiam non tenetur dotare filias; at id non obstat, quia neque videtur teneri ante sententiam præstare alimenta, & tamen communiter alienatio facta pro alimentis filiorum necessaria reputatur.*

Respondetur, quod quamuis Sanchez *loco suprà citato, num. 56.* Bossius *vbi suprà num. 77.* & alij negent ex eo, quia fiscus non tenetur dotare filias, & consequenter neque delinquens, qui fisci vices gerit, poterit bona sua ad hunc effectum alienare: Probabilius sit oppositum, quod docent Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5. tit. 1. num. 177.* Farinac. *de hæres. quæst. 190. n. 87.* & alij. 1

Probatur, quia dos competens, & moderata succedit loco alimentorum; & ex alio capite dos, & alimenta æquiparantur, sicuti docent Abbas *in cap. cum haberet, de eo, qui duxit in matrim. num. 5.* Tiraquell. *de primogen. quæst. 62. num. 4.* Molina *de primogen. lib. 2. cap. 15. num. 8.* & alij passim: Ergò dicendum, quod huiusmodi alienatio reputanda sit inter alienationes necessarias, & non voluntarias, vt proinde & ipsa censeri debeat irreuocabilis, seu quæ à fisco reuocari non possit.

Obiicies: fiscus, publicatis bonis per sententiam, non tenetur dotare filias: Ergò. 2

Respondetur per instantiam, quia fiscus etiam non videtur teneri ante sententiam præstare alimenta, & tamen communiter ante sententiam alienatio facta pro alimentis filiorum necessaria reputatur: Quapropter idem de alienatione dotis dici poterit. Vide Peregrinum, & Farinacium *in locis suprà citatis.*

SECTIO VI.

Quid dicendum de alienatione facta ob benemerita donatarij; an & hæc inter alienationes necessarias reputari etiam debeat, vt & ipsa etiam à fisco reuocari non possit?

SVMMARIVM.

1 *Alienatio facta ob benemerita donatarij, reputari etiam debet necessaria, & consequenter non reuocabilis per fiscum, contrà aliquos Doctores insinuantes*

insinuantes oppositum ; at minus rectè ; quia est remuneratoria ; licet enim remunerare merita non sit obligatio institiæ , est tamen gratitudinis , quæ prorsus conuenit viro probo, & honesto.

2 *Merita donatarij constare debent aliunde , quàm ex confessione donantis ; aliàs præsumeretur fraus.*

1 RESpondetur, quod quamuis Sanchez *lib.2. moral. cap. 22. n. 56.* & alij sententiam negatiuam insinuent ex eo, quod talis donatio sit gratuita , & sic non necessaria , ac proinde reuocabilis : Tamen probabilius sit etiam oppositum, scilicet esse alienationem, vtpotè remuneratoriam , necessariam , ac proinde irreuocabilem ; seu quæ à fisco reuocari etiam non possit.

Probatur ; quia remunerare merita , licet non sit obligatio iustitiæ , est tamen obligatio gratitudinis, quæ prorsus conuenit viro probo, & honesto ; sed cuilibet, præsertim viro probo, & honesto, necessarium est, honestatis debito satisfacere, ea quo non satisfacto læditur ipsius bona existimatio apud homines : Ergo.

2 Aduerte tamen, quod merita constare debent aliunde, quàm ex confessione donantis ; aliàs præsumeretur fraus Doctores, quos citat , & sequitur Farinac. *in loco suprà citato* , & Mantica *de tacit. & ambigu. conuention. lib.13. tit.39. n.17.*

SECTIO VII.

An , & quid dicendum de alienatione facta à marito bonorum vxoris hæreticæ , constante matrimonio acquisitorum ; an hæc reuocari possit à fisco ?

SVMMARIVM.

1 *Alienatio facta à marito bonorum vxoris hæreticæ constante matrimonio acquisitorum non est reuocabilis per fiscum , casu quo maritus ignarus fuit tale crimen ab vxore commissum fuisse ; quia durante hac ignorantia , maritus non amittit talium bonorum administrationem.*

2 *Fiscus , si probetur alienatio prædicta facta in fraudem vxoris , reuocare eam poterit ; quia succedit in ius vxoris hæreticæ , quæ ob hanc causam poterat dictam alienationem à marito factam reuocare.*

3 *Alienandi sub hac potestate , quam habet maritus, continetur solùm contractus onerosus , & excluditur gratuitus ; alienationes enim gratuitæ in tali casu sub nomine alienationis simpliciter non comprehenduntur , sed censentur factæ in fraudem vxoris, & cur.*

4 *Item frustratorium esset disponere, quod mulier dimidiam partem bonorum acquisitorum habeat, si posset maritus nullos habens filios illa omnia bona suis consanguineis donare.*

5 *Limita casu quo maritus donationem fecisset ad filias communes dotandas , vel alendas , vel ad similes alias causas necessarias.*

6 *Limita secundò in donationibus moderatis, quas viri suæ qualitatis præstare consueuerunt.*

7 *Maritus si conscius fuerit criminis vxoris , fiscus alienationem à marito factam reuocare poterit eo modo , quo reuocare posset , si ipsa vxor post mortem mariti , & post crimen commissum alienasset ; quia ratione scientiæ videtur maritus habere bonorum illorum administrationem.*

8 *Fiscus reuocare non potest alienationem factam à marito , si præsumptio vincatur alia præsumptione validiore , quæ probet , eam non fuisse in fraudem fisci, sed ex causa necessaria.*

9 *Maritus si incidat in hæresim , ob quam eius bona publicentur, & fisco incorporentur, si postea reconcilietur Ecclesiæ , alienare non potest dimidiam bonorum partem , quæ constante matrimonio vxori contigerat in diuisione facta , & cur , contra nonnullos contrarium sentientes.*

10 *Bonorum acquisitorum dimidia pars facta condemnatione mariti, & bonis eius publicatis , ita adiudicatur vxori , vt sit illius propria , neque marito communis, atque cum ipso iterum diuidenda.*

11 *Maritus habet administrationem bonorum vxoris, quæ propria vxoris sunt , vt sunt etiam paraphernalia, sed non habet administrationem , vt de illis tanquam de bonis communibus disponere possit.*

RESpondetur, & dico primò, negatiuè in casu, quo maritus ignarus fuit, tale crimen ab vxore commissum fuisse. Simanch. *de cathol. Institut. tit. 9. n.83.* Vasquez 1.1. *disp. 169. n.15.* & Sanch. *lib. 2. moral. cap.22. n.43.* 1

Probatur ; quia durante hac ignorantia , maritus non amittit talium bonorum administrationem : Ergo validè, non secus ac si vxor hæretica non fuisset, maritus alienat ; ita vt valida sit talium bonorum alienatio à marito facta , quoties probatum non fuerit , eam in vxoris fraudem factam fuisse.

At si probetur , eam in fraudem vxoris fuisse factam, reuocari à fisco poterit ; quia fiscus succedit in ius vxoris , quæ ob hanc causam poterat dictam alienationem à marito factam reuocare. Simanch. Vasquez , & Sanchez in locis suprà citatis. Videri etiam poterit Mattiens. *l.5. tit.9. lib.5. compilat. glos. 6. n. 2.* vbi sic testatur de consuetudine etiam in regno Galliæ , & Burgundiæ ex Cassanæo *in consuetudinibus Burgundiæ rubr.4. §.3.* 2

An autem sub hac potestate alienandi , quam habet maritus , contineatur solùm contractus onerosus , & excludatur gratuitus ? 3

Respondetur affirmatiuè, ita vt alienationes gratuitæ in tali casu sub alienationis nomine simpliciter non comprehendantur, sed censendæ sint in fraudem vxoris factæ, ac proindè à fisco reuocandæ. Sanch. *lib.2. moral. cap.22. num.44.* & alij , quos sequitur Mattiens. *loco suprà citato.*

Probatur , quia si maritus venderet rem aliquam vxoris pretiosam vili pretio , censeretur talem venditionem in fraudem vxoris fecisse : Ergo à fortiori dicendum , quod si donasset, in fraudem vxoris donasset, ex textu *in l. si quis donationis causa , ff. de contrahend. emption.*

Confirmatur ; quia frustratorium esset , disponere, quod mulier dimidiam partem bonorum acquisitorum habeat, si posset maritus , nullos habens filios illa omnia bona suis Consanguineis donare. 4

Limita, si maritus donationem fecisset ad filias communes dotandas, vel alimentandas , vel ad similes alias causas necessarias, *argum. l. filiusfamilias, ff. de donation.* ibi : *Quid ergo , si iusta ratione motus donet , numquid possit dici locum esse donationi ?* Quod magis probabitur, dicit ibi Glossa, vt matri , vel similibus coniunctis personis possit donare. 5

Limita secundò in donationibus moderatis , quas viri suæ qualitatis præstare consueuerunt ; quia hæ in vtilitatem vxoris etiam cedere, vel ad alienationem necessariam reduci videntur. 6

Dico secundò , si maritus conscius fuerit criminis vxoris , fiscus alienationem à marito factam reuocare poterit eo modo , quo fiscus reuocare posset , si ipsa vxor post mortem mariti , & post crimen commissum alienasset. Sanchez *cit. cap.22. num.45.* Simancha , & Vasquez *in locis suprà citatis.* 7

Probatur ; quia ratione scientiæ videtur , quod maritus habeat illorum bonorum administrationem interdictam ; Vel melius ex sententia , aliorum non quod

maritus illorum bonorum administrationem habeat interdictam, cùm hoc nullibi constet; qoinimmò potius tacitè permittatur marito dictorum bonorum communicatio vsque ad sententiam declaratoriam criminis: Sed qnod, tali scientia probata, præsumitur maritus in fraudem fisci prædicta bona vxoris alienasse, vt proindè, tanqoam tem in fraudem fisci alienatam, possit eam fiscns reuocare.

8 Hinc sequitur, qood si hæc præsumptio vincatur alia præsumptione validiori, quæ probet alienationem factam à marito non fuisse in fraudem fisci, sed ex alia causa, scilicet necessaria, vel gubernationi domus conuenienti, reuocare eam alienationem fiscus oon possit.

9 Dico tertiò, si maritus incidit in hæresim, ob quam eius bona fuerunt publicata, & fisco incorporata, & postea reconciliatur Ecclesiæ: quamuis nonnolli, qoos sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. num. 46.* putent, maritum alienare posse dimidiam bonorum partem, qnæ constante matrimonio, vxori contigerat in diuisione facta; ex eo, quia nullibi constat ob paupertatem maritum amisisse bonorum societatem, & illorum administrationem. Tom quia bona à marito reconciliato parta cum vxore sunt diuidenda: Quapropter societas bonorum post condemnationem integra manet: Probabilius sit oppositum, qood docent Vasquez *de legib. disput. 169. cap. 2. num. 16.* Simanch. *de catholic. Institut. tit. 9. num. 87.* Azeued. *lib. 5. recopil. tit. 9. leg. 5. num. 17.* & alij.

10 Probatur; quia facta condemnatione mariti, & bonis eius publicatis, illa dimidia pars bonorum acquisitorum, ita adiudicatur vxori, vt fit illius propria, neque marito communis, neque cum marito iterum diuidenda. Aliàs ex condemnatione mariti vxor in propriis bonis detrimentum pateretur: Ergo societas in illis bonis iam est dissoluta, quamuis firma maneat in acquirendo.

11 Confirmatur; quia exindè non fit, quod illius partis maritus administrationem non habeat: Habet enim vtiqoe, sicut & habet administrationem dotis, & bonorum paraphernalium, quæ propria vxoris snnt, & in quibus maritus non communicat. Sed non habet administrationem, vt de illis, tanquam de bonis communibus disponere possit; Vasquez, Simancha, & Azeuedus *in locis suprà citatis.*

SECTIO VIII.

Quid dicendum de alienatione facta ante delictum; an hæc à fisco reuocari possit, sicut & alienatio facta post delictum?

SVMMARIVM.

1 *Fiscus reuocare non potest alienationem factam ante delictum; sed solùm alienationem factam post delictum, nisi facta fuerit in fraudem fisci, quia tota ratio reuocationis prouenit ex delicto.*

2 *Limita, id intelligi de alienationibus de se validis, quia si delinquens ante delictum inualidè quid alienauit, potest fiscus, commisso delicto, reuocare.*

3 *Fiscus reuocare potest alienationem factam ab vxore sine licentia mariti, à pupillo, & minore sine licentia Tutoris, vel Curatoris, etiam iuramento firmatam, si in hæresim inciderint.*

RESpondetur negatiuè; ita vt à fisco reuocari non possit, nisi solùm alienatio facta post delictum, non item alienatio facta ante delictum, nisi facta fuerit in fraudem fisci, vt infrà *Dubit. 136.* dicetur. Doctores communiter, quos sequitur Sanchez *loco suprà citato n. 31.* Simanch. *vbi suprà*, & Anton. Gomez *3. variar. cap. 14. n. 4.*

Probatur, quia non est, vnde alienationes factæ ante delictum, si factæ non fuerint in fraudem fisci, infirmari, seu reuocari possint à fisco, cùm tota ratio reuocationis proueniat ex delicto.

Quod tamen intellige de alienationibus de se validis; quia si delinquens ante delictum inualidè quid alienauit, poterit fiscus, commisso delicto, id sic alienatum repetere, & reuocare; cùm fiscus succedat in omnibus iuribus delinquentis. 2

Hinc sequitur, quod si vxor qnid alienauit sine licentia mariti, vel pupillus, & minor sine licentia tutoris, vel curatoris, in quibus casibus alienationes sunt ipso iure nullæ, si post alienationes etiam sacramento firmatas, in hæresim incidunt, fiscus sic alienata reuocare poterit. DD. quos citant, & sequuntur Simancha *de catholic. Institut. tit. 9. num. 57.* & Farinac. *de hæresi quæst. 190. n. 83.* 3

SECTIO IX.

Quid dicendum in casu, quo tertius possessor possideat bona ex pacto publico Principis, vel Officialis, qui absolutionem reo concesserit?

SVMMARIVM.

1 *Fiscus reuocare non potest, quod alienatum est in casu, quo tertius possessor possidet bona ex pacto publico Principis, vel Officialis, qui absolutionem reo concesserit; etiamsi postea vitium publicationi subiectum detegatur, quia alienationes prædictæ factæ videntur ex consensu, & voluntate fisci, qui eas reuocare debebat.*

2 *Limita casu quo vitium, quod detegitur, sit illud, à quo per potestatem publicam reus fuit absolutus; quamuis contrarium videatur, si ipsemet princeps contractum approbaret.*

REspondetur: In tali casu fiscus, quod alienatum est, reuocare non potest; ita vt alienationes factæ ab ipso reo, sic absoluto, & ante noui processus renouationem firmæ remaneant, etiamsi postea vitium publicationi subiectum detegatur. Scaccia *de iudic. lib. 1. cap. 98. num. 17.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. num. 47.* Bossius *pract. tit. de bonor. publicat. num. 76.* & alij passim. 1

Probatur; qoia in tali caso alienationes prædictæ videntur factæ ex consensu, & voluntate fisci, qui eas reuocare debebat.

Quod tamen ego intelligerem, dummodo vitiom, quod detegitur, sit illud, à quo per potestatem publicam reus fuit absolutus; quia si detegeretur aliud vitium, ob quod bona publicantur, absolutio supradicta per accidens esset; atque adeo prodesse non posset, vt alienatio facta firma permaneat; siquidem iudex absoluens, ratione absolutionis ab vno crimine, non intendit delinquentem ex omni capite ad contrahendum habilem reddere, sed solùm ex illo capite, quo est absolutus. 2

Quamuis secus dicendum videatur, si ipsemet princeps contractum approbaret; quia ratione authoritatis suæ supremæ interpositæ, videtur velle, quod contractus firmus semper maneat.

SECTIO X.

An, sicut alienationes factæ post delictum, quod ipso iure bonorum confiscationem trahit, sunt validæ (licet à fisco reuocari possint post sententiam, vt suprà dicebatur) ita etiam sint licitæ?

SVMMARIVM.

1 *Alienationes factæ post delictum, quod ipso iure bonorum confiscationem trahit, licet sint validæ, & à fisco non reuocabiles; non tamen secundum aliquos Doctores sunt licitæ, ex eo, quia adsunt leges prohibentes tales alienationes delinquentibus, quibus bona ipso iure confiscata sunt; sed contrarium est probabilius, ita vt sine peccato fieri queant, si possessori nullum inde detrimentum prouenire possit; leges enim publicantes bona, tollunt delinquenti facultatem liberam ea alienandi firmiter, & irreuocabiliter, non autem prohibent alienationem reuocabilem.*

2 *Alienatio prædicta neque potest esse illicita ex parte fisci, cui bona, quæ alienantur, sunt obligata, nisi in fraudem ipsius fisci facta fuerit: Ei enim non minuitur ius acquisitum ob alienationem factam.*

3 *Alienatio prædicta neque potest esse illicita ex parte personæ, cui bona tribuuntur; quia si alienatio sit gratuita, nullum inde donatarius detrimentum pati potest regulariter loquendo.*

4 *Excipe, nisi alienans apud se retineret alia bona non confiscanda, quibus integrè posset satisfacere possessori, casu quo alienata vindicarentur.*

5 *Alienans causa dotis, vel titulo nuptiarum rem fisco obligatam, si adsit periculum, vt ea a fisco repetatur, peccat grauiter.*

6 *Vendens rem supradicto periculo subiectam, peccat grauiter, si taceat vitium, etiamsi vendat ad alimenta, vel ad alia necessaria, & etiamsi pretium retineat emptor; quia hæc non liberant emptorem à graui molestia.*

7 *Alienationes prædictæ non prohibentur, ita vt sint illicitæ, & peccaminosæ, sed vt nullæ, & inualidæ, quemadmodum prohibetur testamentum fieri non seruatis quibusdam solemnitatibus iure requisitis.*

8 *Hæreticus, vel similis delinquens non amittit dominium nisi post latam sententiam; vel dato quod amittat dominium, non amittit possessionem nisi post sententiam.*

9 *Alienationes prædictæ dicuntur licitæ simpliciter, & per se; illicitæ autem secundum quid, & per accidens.*

10 *Fisco non infertur damnum per dictas alienationes, contra Medinam; quia potest eas reuocare.*

11 *Hæreticus, vel similis delinquens, cuius bona sunt ipso iure confiscata, peccat alienando bona sua etiam ad finem, vt inde habeat, vnde possit vitam suam, & suorum sustentare, contra Molinam, & Vasquez, si fuerit periculum, quod crimen manifestetur; vel casu quo vitium rei emptori non detegatur; nam detecto errore, emptor graue damnum patitur.*

12 *Amplia, id etiam procedere in contractibus gratuitis, & non onerosis, si alienatio fieret in fraudem fisci, vel donatario, vel mutuatario, sequeretur aliquod damnum.*

1 NEgant Medina *de restitutione quæst. 1. §. post rerum dominium, vers. ad propositum*, Angles *in floribus 2. part. quæst. de restrictione l. finalis, conclus. 3.* Sayrus *in claui regia lib. 3. cap. 9. num. 30.* & alij; ex eo, quia adsunt leges prohibentes has alienationes delinquentibus, quibus bona ipso iure confiscata sunt. Tum quia statim ac quis committit delictum hæresis, vel simile, dominium suorum bonorum transit in fiscum. Tum quia fit damnum possessoribus, è quibus bona sic alienata vindicari poterunt. Tum quia fit præiudicium fisco, & contra eius voluntatem transeunt in tertium possessorem. His tamen non obstantibus.

Respondetur, contrarium, quod docent Couarruu. *in 4. decret. part. 2. cap. 6. §. 8. num. 9.* Molina *de Iust. tom 1. disput. 95. vers. tertium est*, Bannez *2. 2. quæst. 12. artic. 2. corollar. 3.* Corduba *lib. 1. quæstion. quæst. 36. notabil. 2.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 7.* Suarez *de fide disput. 22. sect. 4. num. 4.* Salas *de legibus disput. 15. sect. 5.* Farinac. *de hæres. quæst. 190. §. 5. n. 82.* Vasquez *1. 2. disputat. 172. & de legib. disputat. 171. cap. 1. n. 1.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. num. 59.* esse probabilius; scilicet prædictas alienationes, siue onerosas, siue gratuitas, licitas esse, ita vt sine peccato fieri queant, si possessori nullum inde detrimentum prouenire possit.

Probatur; quia leges publicantes bona tollunt delinquenti facultatem liberam ea alienandi firmiter & irreuocabiliter, non autem prohibent alienationem reuocabilem. Siquidem delinquenti relinquunt bonorum suorum possessionem; quinetiam, ex probabiliori Doctorum sententia (quam sequebar suprà *Dubit. 103. & 130.*) dominium, si sententia, seu condemnatio iudicis non accesserit: Ergo ex parte legum in casu nostro illicita alienatio esse non potest.

Neque potest esse illicita ex parte fisci, cui bona quæ alienantur, sunt obligata, nisi in fraudem ipsius fisci facta fuerit, sicuti suprà dicebam. Quia fisco non minuitur ius acquisitum ob alienationem factam; cum semper alienata transeant fisco obligata, & fiscus ea repetere possit, in quemcumque possessorem transiuerint. Quod si quando contingat ex alienatione facta rem perire, & fiscum ea priuari; id est per accidens, non enim delinquens tenetur curare, vt res illa conseruetur, quia non est ipse fisci procurator constitutus; cum solùm teneatur, ne in fraudem fisci alienet. Quod tunc contingit, quando nulla interueniente honesta causa alienandi, alienationem facit, ne possit ad fiscum alienatum peruenire. 2

Neque potest esse illicita alienatio ex parte personæ, cui bona tribuuntur; quia si alienatio sit gratuita, nullum inde donatarius detrimentum pati potest, regulariter loquendo; quandoquidem si res vindicetur, nihil ipse ex propriis amittit. Si autem alienatio sit onerosa, & delictum sit ita occultum, vt nullum sit periculum deueniendi ad forum externum, nulla est iniustitia; quia tunc delinquens alienans censetur alienare rem, ac si nullo vitio esset affecta, cum sic moraliter reputetur. At si adsit periculum, & taceat alienans, absque dubio iniustitiam committit; quia alienat rem vitiosam tacito vitio; cùm alienet rem vendicationi subiectam, tacendo, eam sic subiectam esse: sicuti peccaret, si rem alteri hypothecatam tacita hypotheca, alienaret contractu oneroso. Angel. *verb. pœna, num. 3.* Syluest. *verb. hæreticus 1. quæst. 8. n. 14.* Adrian. *quodlib. 6. art. 1.* Simanch. *de cathol. Institut. tit. 9. num. 28.* Anton. Gomez *de delict. cap. 1. rubric. de crimin. læs. maiest.* Molina *de iust. tom. 1. disp. 95.* Azor. *tom. 1. lib. 1. cap. 17. q. 7.* & alij passim. 3

Excipe, nisi alienans apud se retineret alia bona, non confiscanda, quibus integrè posset satisfacere possessori, casu quo alienata vindicarentur; vel nisi alienans vitium, & periculum manifestaret, vt sic cognoscens, qui accepit, iuri suo cedere censeatur; quia in his casibus cessat tota ratio iniuriæ, & iniustitiæ. 4

Ex his sequitur, quod grauiter pecces, si causa dotis, vel titulo matrimonij rem fisco obligatam alienes, & adsit periculum, vt ea à fisco repetatur; nec periculi conscium facias recipientem; quia tunc imminet accipienti periculum, vt per se patet. 5

Sequitur

6 Sequitur secundò, quod etiam grauiter pecces, si vendas rem supradicto periculo subiectam, tacito vitio, tametsi vendas ad alimenta, vel ad alias res necessarias, & tametsi pretium retineas; quia hæc omnia non eximunt emptorem à graui molestia, neque à sumptibus faciendis in probando, quod pretium ab ipso datum, apud te retineatur, vel quod in res necessarias consumptum fuerit.

7 Sequitur tertiò, quid, & quomodo respondere debeas ad rationes aduersariorum iam suprà relatas.

Si enim dicas cum aduersariis: *In l. ex iudiciorum, ff. de accusation. & in l. donationes in concubinam, ff. de donat.* prohibentur huiusmodi alienationes: Ergo licitè fieri non possunt.

Respondetur distinguendo antecedens: Prohibentur huiusmodi alienationes, ita vt sint illicitæ, & peccaminosæ, nego. Ita vt sint nullæ, & inualidæ, quia scilicet à fisco reuocari possunt, concedo. Quemadmodum prohibetur testamentum fieri, non seruatis quibusdam solemnitatibus iure requisitis, non quidem vt si fiat sic, sit illicitum, & peccaminosum, sed solùm, vt non sit validum, & in foro externo robur non habeat: Quapropter prædictæ leges non prohibent delinquentibus, ne alienent obstringendo illos ad peccatum mortale, si contrarium fecerint: sed prohibent ipsas alienationes, denegando eis robur, & firmitatem in foro externo, cum eas possit fiscus reuocare, sicuti dicebam.

8 Si dicas secundò: Statim, atque quis committit delictum hæresis, vel simile, dominium suorum bonorum transit in fiscum: Ergo sine fisci consensu bona illa non possunt alienari.

Respondetur, nego consequentiam; quia hæreticus, vel similis delinquens non amittit dominium, nisi post latam sententiam; vel dato, quod amittat dominium ante latam sententiam: Nihilominùs, quia vsque ad illam latam retinet possessionem, & administrationem illorum bonorum, non peccabit ea alienando, sicuti etiam dicebam.

9 Si dicas tertiò: Per huiusmodi alienationes infertur damnum possessoribus, qui emerunt: Ergo non sunt licitæ.

Respondetur: Distinguo consequens: Non sunt licitæ simpliciter, & per se, nego: Non sunt licitæ secundùm quid, & per accidens, scilicet in tali casu, concedo: Quotiescumque enim infertur damnum possessoribus, vel damni eis est aliquod periculum, tunc ex dictis hæreticus, vel similis delinquens mortaliter quidem peccabit; quia tunc alienando bona sua, decipit eum, in quem fit alienatio, tradendo scilicet ei rem vitiosam, & exponendo eum periculo amittendi rem, & pretium, quo rem illam emerat; at non interuenit vlla deceptio, cùm possessori nullum imminet periculum, vel ei notum est, quod bona, quæ in ipsum alienantur, sint hominis hæretici, vel alterius similis delinquentis, sicuti etiam dicebam.

10 Si dicas quartò, præcipuè cum Medina *de restitut. loco suprà cit.* Per huiusmodi alienationes infertur damnum fisco: Ergo non possunt eæ licitè fieri.

Respondetur: Nego antecedens; quia fiscus potest prædictas alienationes reuocare, sicuti etiam dicebam. Vt omittam, quod non pertineat ad delinquentem procurare, nec conseruare bona pro fisco, sed solùm post sententiam à iudice latam tenetur ea fisco tradere, & ante prædictam sententiam non alienare in fraudem eiusdem fisci.

11 Aduerte, quod quamuis Molina *de iustitia tom. 1. disp. 95.* Vasquez *t. 1. disp. 171. cap. 1.* & Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. quæst. 7.* putent, quod hæreticus vel similis delinquens, cuius bona sunt ipso iure confiscata, non peccet alienando bona sua ad finem, vt inde habeat, vnde possit vitam suam, & suorum sustentare, ex eo, quia, vt inquiunt ipsi, tales alienationes non nocent emptori, cùm reuocari non possint à fisco; nec nocent fisco, cùm prædictus delinquens ante iudicis sententiam possit ex bonis suis se, & suos sustentare: Nihilominùs ex dictis contrariú cum aliis DD. quos sequitur Sanch. *lib. 2. moral. cap. 22. n. 65.* tenendum sit, nempè quod si prædictus delinquens id fecerit, peccet casu, quo fuerit periculum, quod crimen manifestetur, vel casu, quo vitium rei emptori non detegatur. Nam detecto errore, emptor graue damnum patitur: Tum quia ad ipsum pertinebit probare, pretium rei emptæ conuersum fuisse in res necessarias ad ipsum delinquentem, & suam familiam sustentandam: Tum quia, vt à fisco recuperet rem à se emptam, cùm fiscus statim bona delinquentis, apud quemcumque fuerint reperta, occupet, sufferre deberet magnos labores, magnasque molestias, & impensas. Tum quia, sicut prædictus delinquens ad vitam suam, & suorum sustentandam non potest rem vitiosam aliis vendere, nisi manifestato vitio rei, quam vult vendere, ita nec etiam poterit ad eumdem finem consequendum alienare rem suam fisco obligatam, nisi manifestato hoc vitio rei, nempè quod res sit obligata fisco, si scilicet esset periculum, quod crimen manifestaretur, vel quod emptor damnum aliquod pateretur.

Aduerte secundò, quod quamuis Angelus *verb. pœna, num. 3.* Syluest. *verb. hæresis 1. quæst. 8. num. 14.* Vasquez *1. 2. disput. 171. cap. 1. n. 2.* Suarez *tract. de fide disput. 22. sect. 4. num. 4.* & Gomez *tom. 3. variar. cap. vltimo, num. 3.* putent quod prædictus delinquens, cuius scilicet bona sunt ipso iure confiscata, non peccet, si illa alienet titulo gratuito, vel lucratiuo, nempè donando, mutuando, vel locando, &c. Tametsi sit periculum, quod crimen detegatur, & tametsi vitium rei non manifestetur illi, in quem fit alienatio, ex eo, quia, vt inquiunt ipsi, prædicto delinquenti, priusquam de crimine damnetur, concedatur ius disponendi de rebus suis, & nullum damnum inferatur iis, in quos fuerunt illa bona alienata, siquidem cùm illa possideat bona fide, solùm post sententiam à iudice latam tenetur reddere fisco id, quod apud ipsum reperitur, vel id, in quo factus est ditior: Nihilominus ex dictis etiam cum Valentia *1. 2. disput. 7. quæst. 5. punct. 6.* & Simanch. *de cathol. institut. tit. 9. n. 28.* contrarium tenendum sit, nempè quod si prædictus delinquens id fecerit, peccet, casu quo alienatio fieret in fraudem fisci, vel casu quo ex huiusmodi alienatione donatario, vel mutuatario sequeretur aliquod damnum. 12

DVBITATIO CXXXV.

Quemnam modum seruare debeat fiscus in his alienationibus rescindendis, & in bonis sic alienatis repetendis?

VT Dubitatio hæc meliùs explicetur attendendæ sunt sectiones sequentes, & in primis videatur sectio sequens.

SECTIO PRIMA.

An aliquid dari vel relinqui possit possessori à quo res alienata vindicatur?

SVMMARIVM.

1 *Possessori, à quo res alienata vindicatur, si talis rem accepit per donationem gratuitam, nullis sumptibus factis*

factis, nihil ipsi est dandum, vel reliquendum; quia nihil ipse ex propriis amittit. Si autem rem accepit per contractum onerosum, v.g. emptionem, & pretium datum formaliter, vel æquinalenter apud delinquentem existit, ipsi emptori est illud reddendum, cum re empta priuatur; quia Fiscus solùm habet ius dissoluendi contractum, & recuperandi bona, quæ sibi sunt obligata.

2 *Excipe cum aliquibus casum quo emens rem à delinquente conscius fuerit eius criminis. Quæ tamen exceptio non probatur; quia ea nullo iure cauetur.*

3 *Pretium esse apud delinquentem perinde est, ac esse apud eundem illius æstimationem. Erit autem apud delinquentem illius æstimatio, si illo pretio delinquens soluit creditoribus, vel si ille pretio vita necessaria sibi, aut suis suppeditauit, &c.*

1 RЕspondetur ex communi sententia Doctorum: si talis rem accepit per donationem gratuitam, nullis sumptibus factis, nihil ipsi est dandum, vel relinquendum; quia nihil ipse ex propriis amittit; & reuocatio hunc effectum habet, vt res ad priorem statum redeat, efficiatque, ac si nunquam res alienata fuisset; si autem rem accepit per contractum onerosum, v. g. per emptionem, & pretium datum formaliter, vel æquinalenter apud delinquentem existit, ipsi emptori est illud reddendum, quando re empta priuatur; Franch. *in cap. cum secundum n. 2. de hæretic. in 6o.* Siluest. *verb. hæret. 1. n. 14.* Montepicus *in l. post contractum ff. de donat. n. 42.* Simanch. *de cath. instit. tit. 9. n. 29.* Royas *sing. 18. n. 4.* Zanchin. *de hæret. cap. 27. n. 6.* Gomez. *de delict. cap. 2. n. 2.* Decian. *lib. 5. q. 195. §. 5. n. 78.* Gabriel Quemada *q. 7. n. 4. & seqq.* Locat. *in Iudic. inquisit. verb. alienationes n. 1. & verb. Fiscus n. 1.* Bossius *tit. de public. bonor. n. 77.* Decianus *in tract. crim. lib. 5. cap. 44. n. 4.* Scacc. *in tract. de iudiciar. caus. cap. 98. n. 16.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 7. q. 8.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. n. 68.* Suarez *de fide disput. 22. sect. 4. n. 9.* Ricciull. *lib. 5. cap. 38. n. 5.* Franciscus de Alphano *tract. de offic. Fiscal. glos. 20. n. 160.* Et patet *ex l. ex his ff. qua in placid. credit. ex l. penultima circa finem de rebus eorum, ex l. si cum dotem §. vltimo ff. sol. matrim. ex l. Imperator §. vltimo ff. de legat. 1. ex l. quod dicitur §. vltimo ff. de impens. in rebus dotalibus fact. & ex l. apud Celsum §. 1. ff. de dol. mal. & met. except.* quia Fiscus solùm habet ius dissoluendi contractum, & recuperandi bona quæ sibi sunt obligata; ergò simul non potest habere ius occupandi pretium ab innocente solutum; quia non est illud delinquentis; nisi dum contractus factus firmus existit, & res vendita non vindicatur: quapropter dissoluto contractu, & re vendita vindicata, debet pretium ad innocentem redire.

2 Excipiunt nonnulli (quos sequitur Saccia *de iudiciis lib. 1. cap. 93. n. 16. & seqq.*) casum, quo emens rem à delinquente conscius fuerit eius criminis.

At hæc exceptio mihi non probatur; quia ea nullo iure cauetur; cùm enim emens, conscius criminis delinquentis, nullum delictum committat in tali emptione, non est, cur causam det Fisco, vt pretio à Fisco priuetur; nisi fortè probatum fuerit, voluisse emptorem rem delinquentis ita occultare, vt ad Fiscum non perueniret; quod raro probari poterit; Vasquez *de legib. disput. 172. cap. 2. n. 8.* Bossius *in pract. tit. de bonor. public. n. 77* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. n. 69.*

3 Dixi: *si pretiũ formaliter, vel æquinalenter existit*; quia moraliter loquendo perinde est, esse apud delinquentem pretium, ac esse apud eundem pretij existimationem; erit autem apud delinquentem pretij exstimatio, si illo pretio delinquens soluit creditoribus; vel si illo pretio vitæ necessaria sibi, ac suis suppeditauit; vel illo pretio rem æquè pretiosam, ac rem venditam emit; vel illo pretio res proprias meliorauit; quia tunc ex illo pretio delinquens locupletior factus est; ac proindè

ei, qui dedit dictum pretium, restituendum erit; Vasquez cit. *disput. 172. cap. 2.* Sanchez cit. *cap. 22. n. 70.* Simanch. *de cath. instit. tit. 9. n. 31. & seqq.* Suarez *de fide disput. 22. sect. 4. n. 4.* Couarruu. *in 4. Decretal. par. 2. cap. 6. §. 8. n. 9.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 96. n. 16.* Quemada *in quæst. fiscal. q. 7.* & Farinac. *de hæres. q. 190. n. 78.*

COROLLARIVM.

SVMMARIVM.

1 *Fiscus bona hæretici, vel alterius similis delinquentis cuius bona ipso iure publicantur, post commissum delictum alienata, vbicumque ea repererit, vindicare potest absque vlla restitutione facta illi, qui ea possidet siue titulo oneroso, siue gratuito.*

2 3 *Quod probatur auctoritate, & ratione.*

4 *Amplia, id verum esse etiam si bona à præd. delinquente alienata transirent per mille manus, quia semper poterit Fiscus ea vbicumque repererit, vindicare.*

5 *Fiscus, si in bonis confiscatis reperiatur pretium, vel aliquid loco pretij, puta si fuerit conuersum pretium in vtilitatem ipsius delinquentis alienantis, &c. tenetur restituere emptori, &c.*

6 *Amplia, id procedere, etiamsi emptor fuerit conscius criminis venditoris, contra nonnullos.*

7 *Pretium, quo res Fisco obligata empta fuit, reperirè dicitur in bonis delinquentis, si vel ipsummet pretium reperiatur, vel extet formaliter; quia scili-*
8 *cet nondùm fuit consumptum. Vel si conuersum fuerit in vtilitatem bonorum ipsius delinquentis, qua vtilitas transierit ad Fiscum.*

9 *Vel si ea pecunia vsus fuerit delinquens ad debita à se contracta soluenda.*

10 *Vel ad sibi, suisque subueniendum.*

11 *Vel pro medicinis, & aliis rebus ad valetudinem conseruandam necessariis.*

12 *Onus probandi dictam conuersionem pecuniæ incumbit emptori.*

EX dictis habetur, quod bona hæretici, vel alterius similis delinquentis (cuius scilicet bona ipso iure publicantur) post commissum delictum alienata Fiscus, vbicumque ea repererit, vindicare potest absque vlla restitutione facta illi, qui dicta bona, siue titulo donationis, siue titulo emptionis, possidet; Bartol. *in l. si debitor in fine ff. quæ in fraud. creditor.* Montepicus *in l. post contractum ff. de donat. n. 70.* Tiraquell. *in l. si vnquam verb. reuertatur cod. de reuocand. n. 267.* Io. Andr. *in cap. cum secundum de hæretic. in 6. in fine*, Geminian. *ibidem n. 5. & 7.* Anchiaran. *in cap finali de præscript. n. 2. & in cap. 1. de rescript. n. 6.* Sotus *de iust. lib. 1. q. 6. art. 6. concl. 4.* Syluest. *verb. hæreticus 1. q. 8. n. 17.* Angel. *verb. pœna n. 3.* Molina *de iust. tom. 1. disput. 95. vers.* licet autem, Conarruu. *de sponsal. par. 2. cap. 6. §. 8. n. 9* Gomez *tom. 2. cap. 2. n. 6.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 44. n. 4.* Peregr. *de iur. Fisc. lib. 5. tit. 1. n. 173.* Surd. *decis. 247. n. 10.* Ricciull. *lib. 5. cap. 38. n. 1. & seqq.* Quemada *q. 7 n. 1.* Locatus, *in Iudic. inquisit. verb. Alienationes n. 1. & verb. Fiscus n. 1.* Bossius *in practic. tit. de bonor. public. n. 77.* Corduba *lib. 2. q. 36. notab. 2.* Repertor. Inquis. *verb. Alienatio vers. p. in discursu*, Scacc. *in tract. de indic caus. lib. 1, cap. 98. n. 13. & seqq.* Simanch. *de Cathol. institut. tit. 9. n. 27. & seqq.* Bursat. *lib. 1. cons. 14. n. 4. & cons. 45. n. 5. & cons. 247. n. 11.* Royas *singular. 18 num. 3. & 4.* (vbi expressè ait, quod inquisitores, quando reuocant alienata per hæreticos, non teneantur emptoribus ad pretium, sed, si pretium,

 vel

vel aliquid loco pretij inter bona hæreticorum inueniatur, vel in vtilitatem hæreticorum pretium conuersum fuerit, in his casibus inquisitores pretium restituere teneantur, alias non teneantur) Zanchin. *tract. de haret. cap.* 27. *n.* 6. Suarez *tract. de fide disput.* 22. *sect.* 4. *n.* 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 8. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *n.* 68. Vasquez *prima secunda disput.* 162. *cap.* 2. *n.* 7. & 8. Farinac. *de haresi q.* 190. §. 8. *n.* 76. & Aragonius 2. 2. *q.* 11. *art.* 3. *vers. infero* 3. & alterius.

a Probatur auctoritate *ex l. si mancipium cod. de re indic. ex l. in ciuitatem C. de furt. & ex l. superempti cod. de euict.* ex quibus legibus claré colligitur quod dicebam.

3 Probatur secundò ratione; quia si quis emat bona fide rem alienam, vel alteri obligatam, talis emptio nullum damnum infert vero Domino, vel alteri ad illam rem hypothecam habenti: Ergo (cùm Fiscus à die commissi criminis habeat dominium bonorum delinquentis, vel saltem habeat omnia bona illius sibi obligata, ita vt post sententiam declaratoriam criminis possit sibi bona illa vendicare) venditio postea prædictorum bonorum à delinquente facta in nulla re Fisco præiudicare poterit, nec Fiscus pretium restituere tenebitur, alioquin venditio à delinquente facta illi præiudicaret.

4 Et quod dixi, est verum, etiamsi bona à prædicto delinquente alienata transirent per mille manus; quia semper poterit Fiscus ea vbicumque repererit, vendicare propter eamdem rationem dictam, Arcbidiacon. *in cap. cum secundum leges de haretic. in* 6. *n.* 1. Io. Andr. *ibid. n.* 6 Geminian. *n.* 7. Fanch. *num.* 2. Bald. *in l. final. Cod. de commun. deleg. n.* 6. Montepicus *in l. post contractum ff. de donation. n.* 69. Surd. *decis.* 247. *n.* 11. Gregor. Lopez *in l.* 4. *verb. non debet in fine tit.* 2. *par.* 7. Scacc. *de iudic. lib.* 1. *cap.* 98. *n.* 15. & Bossius *in Pract. cit. de bonor. public. n.* 76.

5 Quod si in bonis confiscatis delinquentis reperiatur pretium, vel aliquid loco pretij (vt si fuerit pretium conuersum in vtilitatem ipsius delinquentis alienantis, & propterea factus sit ditior, vel emerit alias res, vel soluerit debita, &c.) Tunc Fiscus tenebitur restituere illud ei, qui emerat bona prædicti delinquentis, vti supra dicebam cum Royas *cit. singulari* 18. *num.* 3. & 4.

6 Et quamuis nonnulli Doctores velint, quod Fiscus teneatur quidem restituere emptori pretium repertum in bonis delinquentis, si emptor non fuerit conscius criminis venditoris: quod si verò fuerit conscius, tunc restituere non teneatur, id ex dictis supra minùs verum est; quia cùm (præter ea, quæ supra dicebam) nullo iure constet, talem pœnam esse statutam contra emptorem, non est, cur talem pœnam illi imponamus; sed dicendum videtur, quod emptor pretio reperto in bonis delinquentis priuari non debeat, donec per iudicem condemnetur; cùm ex dictis supra etiam priuari possit in pœnam fraudis, quia præsumitur voluisse occultare bona delinquentis, vti supra etiam dicebam.

7 Cæterùm pretium (quo res Fisco obligata empta
fuit) reperiri dicitur in bonis delinquentis, si vel ipsummet pretium reperiatur, seu extet formaliter; quia scilicet nondum fuit consumptum, vel si non extat formaliter, conuersum fuerit in vtilitatem delinquentis:
8 quia scilicet inde factus est ditior, quod etiam redundat in bonum Fisci, Simanch. *de Cathol. Institut. tit.* 9. *n.* 31. & Suarez *tract. de fide disput.* 22. *sect.* 4. *n.* 4. Vel si conuersum fuerit in vtilitatem bonorum eiusdem delinquentis, quæ bona deinde cum illa vtilitate tran-
9 seunt in Fiscum: Couarruu. *in* 4. *decret. par.* 2. *cap.* 6. §. 8. *n.* 9. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *q. vltima*; vel si eo pretio, seu pecunia delinquens vsus fuerit ad debita, à se contracta, soluenda; Simanch. *loco supra cit. n.* 33. Suarez *cit. n.* 4. Quemada *in quæst. fiscal. q.* 7. & patet *ex l. idem seruandum ff. de leg.* 2. & *ex l. emptor ff. de rei*
10 *vendic.* vel si delinquens eadem pecunia vsus fuerit ad sibi, suisque subueniendum; Simanch. *tit.* 9. *n.* 36. Becanus *cons.* 67. *num.* 6. Scacc. *de iudic. lib.* 1. *cap.* 98. *numero* 16. Suarez & Azorius *locis suprà citatis*. & patet, *ex l. Primo §. in rem, ex l. vlt. ff. de in rem ver. & ex l. mortuo ff. de stat. libert.*

Vel si tandem eadem dicta pecunia vsus fuerit pro medicinis, & aliis rebus ad valetudinem conseruandam necessariis. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *n.* 36. & Simancha *de cathol. institut. tit* 9. *num.* 35. Vide infrà sectiones sequentes. 11

Ad emptorem autem, vel mutuantem pertinet probare, pecuniam fuisse conuersam in vtilitatem venditoria, vel mutuatarij, ad hoc, vt fiscus teneatur illis restituere pretium. Simanch. *de cathol instit. tit.* 9. *num.* 39. Scacc. *tract. de indic cap.* 98. *num.* 13. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 2. *num.* 2. Suarez *de fide disput.* 22. *sect.* 4. *num.* 9. Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q.* 8. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 22. *num.* 68. Quemada *in quæst. fiscalib. q.* 7. & Farinac. *de heres. q.* 190. *num.* 76. *contra Cynum in l. finali C. ad legem Iul. maiestatis*. Alciatum *in l. post contractum n.* 21. *ff. de donat.* & quosdam alios. Vide *infra sect.* 3. 12

SECTIO II.

An censendum sit, stare pretium apud delinquentem, si ex illo res necessariæ ad victum, & vestitum, vel ad alia supradicta emptæ fuerint, quæ tamen casu perierunt.

SVMMARIVM.

1 *Pretium stare apud delinquentem si ex illo res necessaria ad victum, & vestitum, vel ad alia supradicta empta fuerint, qua tamen casu perierunt, affirmant aliqui ex eo, quod aquiualenter pretium extat apud delinquentem: negant autem alij ex eo, quia tempore, quo contractus ille rescinditur, non verificatur, pretium illud extare apud delinquentem.*

2 *Pretium publicari non debet, si ex pretio accepto delinquens emit rem, quam sine dubio emisset, etiamsi pretium non accepisset; sed dari debet ei, qui dedit, quia ex illius redditione non infertur, quod Fiscus minori patrimonio frueretur, quã frueretur, si cõtractus ille, qui rescinditur, factus non fuisset.*

3 *Conciliatur prima, & secunda sententia ex dictis, qua contraria inter se prima facie videbantur.*

4 *Fisco non incumbit onus probandi pretium in delinquentis vtilitatem versum esse; sed illi, qui pratendit sibi illud esse restituendum; quia Fiscus ius certum possidet aduersùs omnia bona, qua in possessione delinquentis inuenit.*

5 *Probandi modus pretium in vtilitatem delinquentis versum esse, non est ex testimonio ipsius delinquentis tantum; sed ex aliquibus etiam coniecturis, quibus verisimiliter colligitur, pretium in vtilitatem delinquentis versum esse.*

6 *Fisco in tali casu liberum est, contractum non rescindere; quia contractus est validus, & potestas illum rescindi competit Fisco, tanquam priuilegio, quo possit vti.*

AFfirmant aliqui, quos sequitur Simancha, *de catholic. instit. tit.* 9. *n.* 38. Farinacius *de heres. q.* 190. *num.* 28. Azorius *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. *q. vltima circa finem*, & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *num.* 71. Ex eo, quia æquiualenter pretium extat apud delinquentem, quotiescumque delinquens ratione illius parcit propriis bonis: at propter pretium receptum delinquens pepercit propriis bonis, quæ necessariò consumpsisset, si pretium non recepisset; ergo, &c. 1

Negant autem alij, quos sequitur Vasquez *de legib. disp.*

disp.172.cap.2 num.9. Ex eo, quia tempore, quo contractus ille rescinditur, non verificanir, pretium illud apud delinquentem extare, etiam æquiualenter, cùm neque in vtilitatem ipsius, neque in vtilitatem Fisci versum fuerit; ergo, &c. His tamen non obstantibus.

2 Respondetur meliùs sic distinguendo: si ex pretio accepto delinquens emit rem, quam sine dubio emisset, etiamsi pretium non accepisset, pretium publicari non debet, sed dari debet ei, qui dedit; quia ex illius redditione non infertur, quod Fiscus minori patrimonio fruatur, quàm frueretur, si contractus ille, qui rescinditur, factus non fuisset; & tale pretium moraliter censetur existere tempore, quo contractus rescinditur, quatenus in delinquentis vtilitatem versum est; siquidem delinquens ratione illius pepercit propriis bonis, quæ consumere debebat: at si eo pretio accepto delinquens emit rem quam non emisset, si contractum priorem non fecisset, & pretium non accepisset, in tali casu pretium restitui non debet ei, qui dedit; quia absolutè neque in vtilitatem delinquentis, neque in vtilitatem Fisci consumptum est.

3 Atque ex his facilè conciliari potest prima, & secunda sententia, quæ contrariæ inter se prima facie videbantur.

4 Aduerte tamen hîc, quod onus probandi, pretium in delinquentis vtilitatem versum esse, incumbat non Fisco, sed ei, qui prætendit, sibi illud restitui debere. Ratio, quia Fiscus ius certum possidet aduersùs omnia bona, quæ in possessione delinquentis inuenit: ergo, si tu prætendis, hoc ius certum ob contractum factum diminuere, probare debebis, quod ex tuo pretio delinquens locupletior factus sit; Vasquez *cap.9. de testament.* §.4, *dub.6.* Molin. *de iust.& iur.tom.1.disp.95, vers.licèt autem,* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.2. mor. cap.22. num.60. & seqq.*

5 Aduerte secundò, quod modus probandi, pretium in vtilitatem delinquentis versum esse, fit non ex testimonio ipsius delinquentis tantùm, sed ex aliquibus etiam coniecturis, quibus verisimiliter colligatur, pretium in vtilitatem delinquentis versum esse; Sanchez *vbi suprà num.72.* Farinacius *de hæres. q. 190. n.28.* & Simancha *de cathol.instit.tit.9.num.39. & seqq.*

6 Aduerte tertiò, quod in tali casu liberum sit Fisco contractum non rescindere; quia (sicuti suprà dicebatur) contractus est validus, & potestas illum rescindendi competit Fisco, tanquam Priuilegium, quo vti possit, non autem tanquam obligatio, qua vti teneatur; sic Doctores quos sequitur Suar. *de fide, disp.22. sect.4. num. 9.*

SECTIO III.

An rem à delinquente tibi venditam possit fiscus à te vindicare, nullo restituto pretio, quotiescumque non probas, pretium in vtilitatem delinquentis versum esse?

SVMMARIVM.

1 *Fiscus potest vindicare ab emptore rem venditam à delinquente, nullo restituto pretio, quotiescumque non probet, pretium in vtilitatem delinquentis versum esse; quamuis nonnulli id negent minùs rectè; quia bona hæretici, vel alterius similis delinquentis, quæ ipso iure ob delictum publicantur, sunt à die commissi delicti Fisco obligata, & hypothecata.*

2 *Possessor illius rei Fisco obligata, illam possidet eo modo, quo possidebat delinquens, & consequenter sicut Fiscus nullo pretio soluto poterat à delinquente rem vindicare; ita potest à domino Possessore.*

3 *Amplia, id verum esse, etiamsi possessor bona fide possederit, & contractum inierit ignarus criminis delinquentis; quia bona fides non tollit, quin res alienata sit Fisco obligata; neque tollit, quin pretium sit sine vtilitate Fisci consumptum.*

4 *Contractus ille emptionis, & venditionis ex probabiliori sententia Doctorum licèt rescindendus sit, validus fuit, consequenter in possidentem translatum est dominium rei; sed eo modo, quo delinquens habebat, quare si habebat ius reuocabile à Fisco, ita & habet Possessor.*

5 *Ex eo, quod res à delinquente alienata Fisco obligata sit, solùm infertur, posse Fiscus rescindere contractum factum, & efficere, ac si factus non fuisset. At non sequitur, quod pretium reddendum sit emptori: Fiscus enim rescindit contractum ex vtraque parte, etiamsi non soluat pretium.*

Respondetur, quamuis negent Cynus *in l.finali, C. ad l.Iul.maiest.* Alciatus *in l. Post contractum.n.21. ff.de donation.* & alij, quos refert Scacc. *tractat.de Iudic. cap.98.num.13.* probabilius sit, quod docent Scaccia *loc. cit.* Simancha *de cathol.institution.tit.9.n.17.* Antonius Gomezius *tom.3. var. cap.2 num.2.* Quemada *in quæst. fiscal.q.7.* Suarez *de fide, disp.22. sect.4.n.9.* Farinacius *de hæres.q.190. num.76.* Azorius *tom.1. lib.5. cap.7.q.8.* Sanchez *lib.2.moral.cap.22. num.68.* nempe non teneri Fiscum in supradicto casu reddere pretium sibi possidenti, sed posse rem sibi integrè vindicare. 1

Probatur; quia bona hæretici, vel cuiuscumque similis alterius delinquentis, quæ ipso iure ob delictum publicantur, sunt à die commissi delicti Fisco obligata, & hypothecata; ergo cum hac obligatione transeunt, in quemcumque transferantur; ergo potest fiscus ea vindicare, vbicumque inuenerit, etiam pretio pro tali vindicatione non soluto. Antecedens, & prima consequentia patent. Vltima probatur; quia aliàs fiscus deberet dare pretium ex propriis bonis: at, si fiscus deberet rem possidenti dare ex propriis pretium pro rei vindicatione, non vindicaret rem, tanquam sibi obligatam & hypothecatam, sed absolutè illam emeret; ergo dicendum, quod fiscus possit absolutè vindicare rem sibi debitam, nullo pretio soluto possidenti.

Secundò probatur; quia Possessor illius rei, fisco obligatæ illam possidet eo modo, ac possidebat delinquens (cum ius, quod delinquens habebat, idipsum, & non aliud in possessorem transtulerit) sed delinquens ita possidebat rem, vt nullo pretio accepto pro ipsa fiscus possit illam vindicare; ergo similiter dicendum est, fieri posse in possessore, quotiescumque pretium datum à possessore neque formaliter, neque æquiualenter existit. 2

Et hoc verum est, etiamsi possessor bona fide possederit, & contractum fecerit ignarus criminis delinquentis; quia bona fides non tollit, quin pretium sit sine vtilitate fisci consomptum: quæ est causa, cur illi non reddatur, cùm res accepta vindicatur; ita Doctores, quos citat, & sequitur Suarez *de fide disput.22. sect.4.num.9.* Farinacius *de hæresi q. 190. num.76.* Scaccia *de Iudic. cap.98. num.15.* & Azorius *tom.1. lib.5. cap.7.q.8. vers. deinde quæres.* 3

Obiicies fundamentum Aduersariorum: ex probabiliori Doctorum sententia contractus ille emptionis, & venditionis, licèt rescindendus veniat, validus fuit; ergo communicauit emptori dominium rei à delinquente venditæ; ergo illa priuari emptor non potest, nisi pretium ipsi restituatur. Antecedens, & prima consequentia patent. Vltima consequentia probatur; quia res illa, licèt sit obligata fisco, non est tamen fisci, sed possidentis; ergo ius possidentis, vtpotè in re, præualere debet iuri fisci, quamuis sit antiquius. 4

Respondetur, concedo, in possidentem translatum esse dominium rei, sed eo modo, quo delinquens habebat; quare si delinquens habebat ius reuocabile, &

vindicabile à fisco, ita & habebit possessor: cui iuri, vtpote antiquiori præiudicari non potest per alienationem onerosam; præiudicaretur autem, si fiscus teneretur soluere pretium ex propriis pro re, quam à delinquente liberè poterat vindicare.

5 Obiicies secundò: ex eo quod res, à delinquente alienata fisco obligata sit, solùm infertur, quod possit fiscus rescindere contractum factum, & efficere, ac si factus non fuisset; sed ex tali rescissione sequitur, quod pretium in omni casu reddendum sit emptori; aliàs non rescinderetur contractus emptionis, & venditionis, si vtrique parti non redderetur alienatum ab ipsa, sed esset rescissio contractus donati; in qua rescissione occupatur donatum, nulla re donatario tributa; ergo.

Respondetur, fiscum rescindere contractum ex vtraque parte, etiamsi non soluat pretium; cùm non soluat pretium eo quod pretium casu perierit; per se autem tenebatur fiscus soluere pretium, si in bonis delinquentis illud reperisset.

SECTIO IV.

An fiscus vindicet à tertio possessore bona delinquentis cum quolibet augmento in illis facto?

SVMMARIVM.

1 *Fiscus vindicat à tertio Possessore bona delinquentis cum quolibet augmento in illis facto, si augmentum non sit à re separabile, scilicet illi tantum affixum, vt ianua, fenestra, lapis pretiosus, &c. Ex publicatione rei fisco obligata; quia hoc augmentum cedit possidenti; secus si augmentum sit intrinsecum rei fisco obligata, ita vt ab illa separabile non sit; quia vindicatur, solutis expensis, si qua facta fuerint.*

2 *Fiscus tenetur soluere expensas, quas quis ignorans, aliquem esse hareticum, vel similem delinquentem, fecerit in domo, vel pradio haretici, vel delinquentis à se empto pro melioramentis.*

3 *Item tenetur soluere etiam si sciaerit emptor bona esse haretici, si meliorationes fuerint necessaria, secus si fuerint vtiles, vel voluptuosa.*

4 *Expensa verò, seu meliorationes necessaria sunt, qua si facta non fuissent, res vel esset peritura, vel deterior futura, & quales ea sint.*

5 *Expensa, seu meliorationes vtiles sunt, qua rem efficiunt meliorem, non tamen si omittantur, res efficitur deterior.*

6 *Expensa, seu meliorationes voluptuaria sunt, qua faciunt ad ornatum, non tamen augent fructum.*

7 *Fiscus ei, in quem bona haretici, vel similis delinquentis transierunt, tenetur stare in contracta locationis facta.*

1 RESpondetur, si augmentum sit à re separabile, scilicet illi tantum affixum, vt ianua, fenestra, lapis pretiosus, &c. Ex publicatione, & vindicatione rei fisco obligatæ, hoc augmentum non vindicatur, sed cedit possidenti; ita vt, si res sine tali augmento vindicari non potest, reddi debeat possidenti valor illius, sic Doctores communiter, quos citat & sequitur Suar. *de fide, disp. 22 sect. 4. num. 10.* Vasquez *1. 2. disput. 172. cap. 1. n. 1.* & Sanchez *lib 2. mor. cap. 23 n. 104.*

At si augmentum sit intrinsecum rei fisco obligatæ, ita vt ab illa separabile non sit, vindicatur solutis expensis, si quæ factæ fuerint, quia res illa est obligata fisco; ergo meliorationes illius pertinent ad fiscum; quamuis, si tales meliorationes expensis, & industria possidentis acquisitæ sint, teneatur fiscus eas soluere; quia par non est, quod fiscus innocentis labore locupletetur, Suarez, Vasquez, & Sanchez *in locis supra citatis.*

Si quis igitur emit domum, vel prædium, &c. ab hæretico, vel simili delinquente (cuius bona sint ipso iure confiscata) ignorans, illum esse hæreticum, vel similem delinquentem, & fecerit expensas, seu meliorationes in re empta tenetur ei fiscus illas soluere, Tiraquellus *de retract. comment. §. 7. gloss. 1. n. 1. & seqq.* & alij, quos sequitur Garz. *tract. de meliorat. cap. 6. n. 10.* & constat *ex l. in fundo ff. de rei vindic. & ex l. diuortio §. impendia ff. sol. matrim.* 2

Quod si nouerit, illum esse hæreticum, vel similem delinquentem, tenetur adhuc illi fiscus soluere meliorationes necessarias; Bart. *in l. fundo ff. de rei vindic. n. 11.* Menochius *de recuper. remed. 15. n. 515.* & Aleiat. *in l. impensa ff. de verb. signif. n. 3.* & patet *ex l. domum Cod. de rei vindic. & ex l. Plena ff. de pet. hæred.* 3

Non tamen tenetur soluere meliorationes vtiles; Ruin. *lib. 4. cons. 100.* Reuizan. *cons. 78. circa fin.* & alij, quos sequitur Peregrin. *de fideicom. art. 50. n. 29.*

Et multò minus tenetur soluere meliorationes voluptuarias; quamuis ei permittatur abrasio, si fortè sine detrimento rei fieri possit; ita Doctores, quos sequitur Menochius *citatus remed. 15. n. 544.* & constat *ex l. vsib. ff. de pet. hæred. in fin.*

Expensæ verò, seu meliorationes necessariæ sunt, quæ si factæ non fuissent, res vel esset peritura, vel deterior futura, *l. 1. ff. de impens. in reb. dot. & l. impensa ff. de verb. signific.* quales sunt, v. gr. construere ædificia pro vsu colonorum, & animalium, sine quibus possessiones coli non possent. Ruin. *cons. 157. n. 21. lib. 1.* Surd. *decis. 300. num. 4.* & Roland. *cons. 28. n. 12. lib. 1.* Item construere necessarios aggeres, foueas, canales pro aquis arcendis; quia sine illis possessiones notabiliter redderentur deteriores. Ruin. *loc. supra cit.* & alij, quos sequitur Alciatus *cons. 69 num. 26. lib. 1.* & constat *ex citata l. impensa.* Item reficere ædificium, si forsan esset periculum quod rueret. Seraphin. *decis. 189. n. 4.* & constat *ex l. si necessarias ff. de pignor. act. & ex l. interdum ff. qui potior in pignor. habeant.* 4

Expensæ seu meliorationes vtiles sunt, quæ rem efficiunt meliorem, non tamen si mittantur, res efficitur deterior. *l. impensa §. 1 de verborum significatione* Quales sunt stercorare agros, possessionibus imponere pecora, & similia. *leg. vtiles, & cit. leg. impensa.* Item exsiccare paludem, vt possit ad culturam redigi, Rota *decisione 6. & 7. tom. 1. in recentior.* Item redigere terras incultas ad culturam, Rota *loco supra citato*, & Roland. *lib. 1. cons. 28. numero 27.* Item à seruitutibus, & pensionibus liberare fundum, vel quid simile. Peregrinus *de fideicom. articulo 50. numero 27.* & alij, quos sequitur Bertazol. *cons. 107 circa finem.* 5

Expensæ, seu meliorationes voluptuariæ sunt, quæ faciunt ad ornatum, non tamen augent fructum, quales sunt construere viridaria, vel picturas, & similia. *leg. vtiles, ff. de petit. hæredit. & leg. voluptuaria, ff. de impens. in rebus dotal.* & tradunt communiter Doctores. 6

An autem fiscus ei, in quem bona hæretici, vel similis delinquentis transierunt, teneatur stare in contractu locationis factæ? 7

Respondetur affirmatiuè. Baldus *in l. diuortio ff. solut. matrim. num. 8.* Iason *ibidem num. 36.* Peregrinus *de iur. Fisc. lib. 5. tit. 1. num. 74.* Gomez *tom. 2. var. cap. 3. num. 10.* Barbosa *in l. si filiofamilias § final. ff. solut. matrim. numero 40. & 41.* & alij, quos sequitur Sanchez *libro 2. moral. cap. 22 numer. 56.* & constat *ex leg. si fundus ff. locat.*

SECTIO V.

An fructus, qui ex rebus confiscatis à die commissi criminis vsque ad sententiam iudicis prouenerunt, vindicentur à Fisco?

SVMMARIVM.

1 *Fiscus vindicat fructus, qui ex rebus confiscatis à die commissi criminis vsque ad sententiam iudicis prouenerunt: si reperiantur existere apud tertium possessorem formaliter; quia huiusmodi fructus cedunt domino rei.*

2 *Tertius Possessor non habet aliud ius in illis fructibus, ac haberet delinquens, qui non potest impedire illorum fructuum recuperationem.*

3 *Fructus si solùm æquiualenter reperiantur apud tertium possessorem existere, si ij fuerint naturales, publicantur; quia procedunt ex re confiscata. At si fuerint industriales ex communi sententia Doctorum non publicantur, si illos possessor consumpserit bona fide.*

4 *Idem dic de fructibus prouenientibus ex melioramentis rei per possessorem factis.*

5 *Fiscus quoscumque fructus, siue naturales, siue industriales vindicat si mala fide consumpti fuêre: secus si bona fide. In primo enim casu est iniustitia contra fiscum commissa. In secundo nulla est iniusta acceptio.*

6 *Bona delinquentis si alienata fuerint post delictum commissum in tertiam personam, si is, in quem fuerunt alienata, ignorauerit delictum alienantis, tenetur restituere fructus omnes formaliter extantes: at consumptos tenetur solum restituere quatenus ex illis factus est ditior.*

7 *Quod si sciuerit delictum tanquam possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus formaliter extantes, & etiam consumptos.*

1 Respondetur affirmatiuè, si formaliter reperiantur existere apud tertium possessorem, ita vt fructus, qui formaliter reperiuntur inter bona delinquentis publicentur; sicut & alia bona eiusdem delinquentis, & publicatio retrotrahatur ad fructus perceptos ab eo tempore, quo fuit delictum commissum. Bald. *in Auth. incestas in fine Cod. de incest. nups.* Soccin. *in cap. Rodulphus de rescript. n. 70. & in cap. de quarta de præscript. n. 37.* Peregrin. *de iur. fisc. lib. 5 tit. 1. num. 174.* Tabiena *verb. Assassinus q. vlt. num. 3.* Couarruuias *in 4. decretal. part. 2. cap. 6. §. 8.* Molina *de iust. tom. 1. disput. 96.* Suarez *tractat. de fide disp. 22. sect. 4. num. 11.* Sayrus *in clau. reg. lib. 3. cap. 9. num. 30.* Vasquez *vbi suprà num. 3.* Sanchez *num. 194.* & patet *ex leg. ex diuerso §. 1. de rei vendic.* Quod multò magis verum est, si tempore alienationis fructus erant pendentes; quia tunc fructus, tanquam pars rei alienatæ, reuocantur. Bursat. *cons. 43. num. 8.* & alij passim. Et patet *ex l. finali §. fructus ff. quæ in fraud. creditor. & ex l. fructus pendentes ff. de rei vendicat.*

Probatur; quia tales fructus cedunt domino rei, & cum res in casu nostro pertineat ad fiscum quoad dominium, ipsamque fiscus ratione illius vindicare possit, poterit & vindicare fructus.

2 Confirmatur; quia tertius possessor non habet aliud ius in illis fructibus, ac haberet delinquens (cum loco delinquentis ipse succedat) sed non posset delinquens impedire fisco occupationem illorum fructuum; ergo neque poterit impedire tertius possessor.

3 At si solùm æquiualenter fructus reperiantur existere (eo quod ex illis possessor locupletior factus fuerit) tunc si fructus fuerint naturales, publicantur; quia procedunt ex re confiscata, ac proinde sub tali ratione fisco debita; & consequenter debiti fructus, moraliter ex illa prouenientes, & existentes.

Si fructus fuerint industriales, ex probabili sententia Doctorum non publicantur, si illos possessor consumpsit bona fide; quia si fructus rei alienæ industriales consumptos non tenetur possessor bonæ fidei restituere, quamuis illorum consumptione locupletior factus sit ex probabili sententia multorum, quos sequitur Sanch. *lib. 2 mor cap 23 n. 76.* à fortiori non tenebitur restituere fructus industriales consumptos ex re fisco obligata; cùm absolutè non sint fructus rei alienæ, sed propriæ possidentis.

Et hoc multò magis dicendum arbitror de fructibus prouenientibus ex melioratione rei per possessorem facta; quia tales fructus non videntur prouenire ex re aliena, sed ex re propria possidentis, cuius est melioratio. 4

Quod si fructus, siue naturales, siue industriales, ita à possidente consumpti fuerint, vt neque æquiualenter remaneant, distinguendum arbitror; si mala fide consumpti sunt, à fisco vindicantur: si bona fide, non vindicantur. Prior pars patet; quia tunc est iniustitia contra fiscum commissa, dissipando rem illi obligatam. Posterior pars probatur; quia nulla est ibi iniusta acceptio; (cùm sine peccato consumpti sint) neque existit res accepta; ergo ex nullo capite poterit fiscus vindicare. 5

In casu igitur, quod bona delinquentis alienata fuerint post delictum commissum in tertiam personam, si is, in quem fuerunt illa bona alienata, ignorauerit delictum alienantis, tenetur restituere fructus omnes formaliter extantes; at consumptos tenetur solùm restituere, quatenus ex illis factus sit ditior. Ratio; quia possidens bona fide rem alienam tenetur restituere fructus inde perceptos omnes formaliter extantes, consumptos verò solùm, quatenus inde factus est locupletior. Paludan. *in 4 dist. 14. q. 2. art. 5.* Gabriel *ibid q. 3. art. 3. dub. 5. propos. 2.* Sotus *de iust. lib. 4. q. 7. art. 2.* Baldus *in l. Ancillæ num. 15. Cod. de furt.* Abb. *in cap. Granis n 6. de restitut.* Ancharan. *ibidem n. 9.* Molina *de iust. tom. 2. disput. 560. vers. Quando aliquid,* Couarruuias *lib. 1. var. cap. 3. num. 3. & 6.* & alij communiter. Ergo idem dicendum est de hoc tertio possessore percipiente bona fide fructus ex rebus sibi à delinquente alienatis. Ioannes Annibal *in l. Post contractum ff. de donat. num. 265. & 357.* Montepic. *ibid. num. 102.* Sued. *decis. 247. num. 15.* Sotus *de iust. lib. 2. q. 6. art. 6.* Bursat. *cons 43. n. 9.* Ghirland. *de heret. q. 4. n. 7.* & patet *ex l 2. §. non solum ff de iis, quæ in fraud. credit.* 6

Quod si sciuerit delictum alienantis, tunc tanquam possessor malæ fidei (inquiunt Simanch. Sanchez, Vasquez, & Bursat. *in locis infra citandis.*) tenetur restituere omnes fructus formaliter extantes, & etiam consumptos, sicuti tenetur quicumque alius malæ fidei possessor: putant enim ad bonam fidem in hac materia requiri, quod possidens ignoret, alienantem esse hæreticum, vel similem delinquentem, eiúsque bona esse ipso iure confiscata; quia si id cognouerit, constituitur (subdunt ipsi) in mala fide, sicque obligatur ad talem restitutionem; contrarium tamen tenent alij (quos sequitur *Suarez loco infrà etiam citando*) asserúntque scientiam delicti alterius, scilicet delinquentis, non sufficere in hac materia ad constituendum possessorem in mala fide. Quapropter, vt id magis clarescat sit sequens. 7

***

SECTIO VI.

Quandonam censeatur possessor mala fide fructus consumere, vt sic fiscus possit illos vendicare?

SVMMARIVM.

1 *Possessor mala fide fructus consumere dicitur, vt sic fiscus possit illos vendicare secundum aliquos, quando agnouit alienantis delictum: at probabilius est, non oriri in tali casu ex huiusmodi scientia malam fidem; quia hæc scientia non tollit possessori iustam possessionem illorum fructuum, sicut ipsimet delinquenti scientia sui criminis non tollit, quominus illa bona iuste possideat.*

2 *Hæreticus, vel similis delinquens (cuius bona ipso iure sunt confiscata) bona fide possidet bona sua, quãuis sciuerit, se esse hæreticum, vel similem delinquentem suáque bona ipso iure esse confiscata. Consequenter etiam emptor, donatarius, &c.*

3 *Alienans transfere in hunc possessorem totum ius, quod in illa bona habebat, & eo modo, quo ipse habebat; consequenter translatarius etiam possidet bona fide ante iudicis sententiam.*

4 *Delinquens, & tertius possessor tunc dicetur mala fide fructus consumere, cùm nulla occasione honesta intercedente, consumant, ne fiscus eos occupare possit.*

5 *Is, in quem alienata fuerunt bona hæretici, vel similis delinquentis, cuius bona ipso iure sunt confiscata, non tenetur restituere fructus, neque ratione rei acceptæ, neque ratione iniustæ acceptionis.*

6 *Lex. requirit bonam fidem ad præscribendum, cùm præscriptio sit beneficium à lege concessum: at lex non vniuersaliter ad constituendum aliquem in bona fide requirit ignorantiam.*

7 *Fructus acquiri etiam possunt per errorem à possidente, cùm acquirere fructus sit minùs, quàm acquirere rem producentem fructus; at à dominio ad possessionem non valet argumentum.*

8 *Fiscus nullo modo potest vendicare à tertio possessore, quinimo neque ab ipso delinquente fructus, qui poterant percipi ex re sibi obligata.*

9 *Delinquens non tenetur procurare emolumentum fisco, sed ad summum iam quæsitum conseruare.*

10 *Delinquens, si rem fisco obligatam ex proposito deteriorem reddat, poterit à fisco condemnari, vt illius æstimationem soluat. Quod procedit etiam in tertio possessore: at non ideò poterit condemnari in fructibus percipiendis; quia fructus possibiles non inuoluunt hypothecam, sicut res, quæ sunt apud delinquentem tempore commissi delicti.*

11 *Fiscus haberet actionem iure vendicationis contra tertium possessorem, si is non titulo iusto, sed iniusto, furti scilicet, vel rapina, rem fisco obligatam à delinquente acciperet.*

12 *Is, cui delinquens sua bona alienauit, quamuis cognouerit delictum delinquentis, non tenetur restituere fructus, qui poterant percipi ex illis bonis; quia non tenetur is ad plus, quàm delinquens.*

13 *Is, cui fuerunt à delinquente alienata bona, non tenetur restituere fisco fructus, quos potuit percipere ex illis bonis, & ob negligentiã non percepit; quãuis si apud delinquentem permansissent, eos fuisse percepturus.*

14 *Fructus, quando veniunt restituendi, deduci debent expensæ.*

1 RÉspondetur, quod (quamuis nonnulli, quos sequitur Bursatus *vol. 1. cons. 43. n. 10.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 9. num. 58.* Vasquez *disp. 172. cap. 1. n. 5.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 25. n. 199.* putent, id contingere, quando possessor agnouit alienantis delictum; moti ex eo; quia hoc ipso, inquiunt ipsi, possessor agnouit rem sibi traditam, fisco obligatam esse: cui obligationi satisfaciendi se subiecit, cùm rem illam accepit) probabilius sit, quod docent alij, quos sequitur Suarez *de fide disp. 22. sect. 4. n. 13.* scilicet in præsenti casu non oriri ex tali scientia malam fidem in possidente.

Probatur; quia hæc scientia non tollit possessori iustam possessionem illorum fructuum, sicut neque ipsimet delinquenti scientia sui criminis tollit quominus illa bona iustè possideat; ergo si delinquens ipse iustè possidet fructus, & bona fisco obligata, dum per sententiam non priuatur, multò magis possidebit tertius possessor innocens; & consequenter fructus ex tali scientia consumpti non debent reputari, tanquam consumpti à possessore malæ fidei, sed tanquam consumpti à possessore bonæ fidei, ac proinde non debent publicationi esse subiecti.

2 Confirmatur; quia hæreticus, vel similis delinquens (cuius bona ipso iure sunt confiscata) bona fide bona sua possidet, quamuis sciuerit, se esse hæreticum, vel similem delinquentem, suáque bona ipso iure esse confiscata: ergo, is, in quem dicta bona per donationem, vel per emptionem, vel per alium modum translata fuerunt, bona fide similiter illa possidebit, quamuis nouerit delictum alienantis; cùm nulla sit ratio, cur alienans bona fide transferat bona sua, & is, in quem fuerunt translata, eadem bona fide similiter non recipiat.

3 Confirmatur secundò; quia alienans transfert in hunc possessorem totum ius, quod in illa bona habebat, & eo modo, quo ipse habebat; sed ipse habebat ius possidendi ante iudicis sententiam: ergo bona fide hic secundus possidet tale ius ante dictam iudicis sententiam, sicq; (quamuis sciuerit hæresim, vel simile delictũ prioris domini,) non propterea constituitur in bona fide.

4 Tunc igitur dicetur delinquens & tertius possessor mala fide fructus consumere, cùm nulla occasione honesta intercedente consumunt, ne fiscus eos occupare possit; quia tunc fructus, tanquam in fraudem fisci consumptos, poterit fiscus repetere; & sic repetitos, & non antea, tenebitur delinquens, & possessor reddere. Videri poterit Suarez *loc. suprà cit.*

5 Hinc sequitur, quod is, in quem alienata fuerunt bona hæretici, vel similis delinquentis (cuius bona ipso iure sunt confiscata) non teneatur restituere fructus; cùm ad id non teneatur ratione rei acceptæ; quia non extant, neque ratione iniustæ acceptionis, quia consumpsit illos bona fide, quamuis si in fraudem fisci dictos fructus dissipasset, tunc posset fiscus agere contra ipsum, & recuperare fructus iniustè consumptos, sicuti dicebã.

6 Obiicies ad præscriptionem bonorum hæretici, vel similis delinquentis requiritur bona fides, quæ consistit in hoc, vt is, qui præscribit, ignoret, priorem possessorem fuisse hæreticum, vel similem delinquentem: ergo etiam in præsenti materia ad constituendum in bona fide eum, in quem alienata sunt bona hæretici, requiritur, quod ignoret priorem possessorem fuisse hæreticum, vel similem delinquentem.

Respondetur, nego consequentiam; quia in præscriptione lex requirit talem fidem dictam; cùm præscriptio sit beneficium à lege concessum cum tali conditione; At lex non vniuersaliter ad constituendam aliquem in bona fide requirit ignorantiam; ergo nec nos requirere debemus.

7 Instabis; Bona fides non sufficit, vt is (in quem bona hæretici, vel similis delinquentis sunt alienata) acquirat dominium rei confiscatæ: ergo nec etiam sufficit, vt quis sit liber à restitutione fructuum, etiam bona fide consumptorum.

Respondetur (vt omittam, quod si is, in quem res confiscata transiuit per emptionem, vel venditionẽ, &c. bona fide rem illam consumpserit, nec factus sit inde ditior, ad nullam teneatur restitutionem) nego consequentiam; quia (cùm acquirere fructus sit minus, quàm acquirere rem producentem fructus, vt adnotauit, præter alios Curtius senior *cons. 71. n. 14.* & Surd. *cons. 125. n. 5.* Potest enim possidens acquirere fructus etiam per errorem. Gloss. *in l. quod vxor ff. de acquir. possess.* Beccius

cons.

*conſ.95.num.*15. & patet *ex l.ſed ſi lege §.ſcire ff.de pet. hered.* Vbi Baldus, qui & *in l.legat.ff.de vſucap.n.*10. & ſequitur Surd.*dec.*247.*n* 11.ait,ſufficere qualemcumque occaſionem poſſidendi) non valet argumentum. Non poteſt quis acquirere dominium rei ; ergo neque fructum rei ; cùm (ſicuti dicebam) plus requiratur ad acquirendum dominium rei , quam ad acquirendum dominium fructuum, qui percipiuntur ex re.

8 Sequitur ſecundò , quod nullo modo poſſit fiſcus vendicare à tertio poſſeſſore;quinimò neque ab ipſo delinquente fructus , qui poterant percipi ex re ſibi obligata : nam fiſcus non poteſt exigere fructus perceptos, & conſumptos, qui bona fide conſumpti ſunt ; & quia ex ipſius fiſci permiſſione conſumpti videntur , neque poterit exigere fructus,qui nunquam extiterunt.

Confirmatur ; quia ex multis Doctoribus , quos citat,& ſequitur Diaz *in practica cap.*131. *num.*6. & Sanchez *lib.*2.*moral.cap* 23. *num.*100. Delinquens non tenetur procurare emolumentum fiſco , ſed ad ſummum iam quæſitum conſeruare.

10 Obiicies. Delinquens,ſi rem fiſco obligatam ex propoſito deteriorem reddat , poterit à fiſco condemnari, vt illius æſtimationem ſoluat) idemque dicendum de tertio poſſeſſore , qui ſciens , rem ſic eſſe fiſco obligatam , deterioret) ergo etiam poterit condemnari in fructibus percipiendis , ſi viderit fiſcus , ex negligentia illos perceptos non eſſe ; cùm hæc omnia in fraudem ipſius fiſci facta videantur.

Reſpondetur , concedo antecedens ; at nego conſequentiam ; & diſparitas eſt ; quia res ipſa (cùm ſit penes delinquentem, quando iſte delictum committit) eſt fiſco obligata,& hypothecata ; ſed fructus poſſibiles (cùm nunquam extiterint) hanc obligationem, & hypothecam non inuoluunt.

11 Non nego tamen,quod ſi tertius poſſeſſor non titulo iuſto,ſed iniuſto, furti ſcilicet , vel rapinæ; rem fiſco obligatam à delinquente acciperet , poſſet tunc fiſcus fructus, ex illa re a delinquente percipiendos , à tertio poſſeſſore exigere ; quia ipſe delinquens tales fructus exigere poterat ab ipſo poſſeſſore : quapropter cùm fiſcus ſuccedat in iuribus delinquentis , ſuccedet etiam & in iure , ſeu poteſtate exigendi dictos fructus : vide DD.quos citat, & ſequitur Sanchez *cit.cap.*23.*n.*203.

12 Is igitur , cùi delinquens ſua bona alienauit, quamuis cognouerit delictum delinquentis,non tenetur reſtituere fructus, qui poterant percipi ex illis bonis ; quia, præter ea , quæ dicebam , non tenetur iſte ad plus, quàm delinquens ; ſed delinquens non tenetur reſtituere fructus , quos potuiſſet percipere ex bonis ſuis , & non percepit ; ergo multò minùs tenebitur tertius poſſeſſor.

Tum quia, qui recipit rem à fure cum titulo , verbi gratia, donationis, vel emptionis, &c. ſciens , rem eſſe alienam,quamuis teneatur reſtituere fructus perceptos, non tamen tenetur reſtituere fructus, qui poterant percipi, ſi dominus rei illos non fuiſſet percepturus : ergo multò magis in caſu noſtro non tenebitur tertius poſſeſſor reſtituere fructus , qui percipi poterant ex bonis alienatis.

13 Sequitur tertiò , quod is , cui fuerunt à delinquente alienata bona non teneatur reſtituere fiſco fructus, quos potuit percipere ex illis bonis , & ob negligentiam non percepit,quamuis ſi apud delinquentem permanſiſſent,fuiſſet percepturus dictos fructus ; quia ideò is,qui poſſidet rem alienam mala fide,reſtituere tenetur non ſolùm fructus à ſe perceptos , ſed etiam fructus à domino rei percipiendos , ſi apud ſe rem illam habuiſſet. Couarruuias *in Regul. Peccatum part.*2. §.6. *num* 4. Leſſius *de iuſt.lib.*2.*cap.*17.*dubit.*17 *num.*116. Salonius 2.2.*q.*62.*art.*6.*controuerſ.*3.*concluſ.*3. Petrus Nauarra *de reſtitut.lib.*4.*cap* 1.*dub.*5.*num.*34.*&* 35. & alij communiter ; quia damnum intulit vero domino , at tertius poſſeſſor in caſu noſtro non infert damnum delinquenti (qui , vel eſt verus dominus illorum bonorum ante ſententiam iudicis,vel ſaltem eſt legitimus adminiſtrator) cùm talis delinquens ſciens , & volens rem ſuam alienauerit in tertium poſſeſſorem : ergo ex hoc capite non tenetur reſtituere fiſco ; quia non tenetur reſtituere fiſco plus, quàm teneatur delinquens ; at delinquens non tenetur fiſco reſtituere fructus,quos poterat percipere, & ex negligentia non percepit (cùm non teneatur aliquid facere in bonum fiſci) ergo nec etiam tenebitur tertius poſſeſſor.

Aduerte tamen,quod quando debent reſtitui fructus, 14
deduci debeant expenſæ. Peregrinus *de iur. fiſc. lib.* 6 *tit.*1.*num.*27.Tiraquellus *de retract.conſanguin.*§ 5 *gloſſ.* 1.*num.*11. & conſtat *ex l.*5.*ff.de impenſ.in reb.dot.fact.*

DVBITATIO CXXXVI.

An alienatio facta à delinquente, cuius bona non publicantur ipſo iure ; ſed per ſententiam iudicis, valida ſit , ita vt à fiſco non poſſit reuocari ?

SECTIO PRIMA.

Proponuntur Suppoſita.

SVMMARIVM.

1 *Delictum, ratione cuius dubitatur,an alienatio facta poſſit à fiſco reuocari,eſt ſolùm illud,ratione cuius bona omnia , vel pars illorum principalis veniunt publicanda , quia ſola hæc publicatio poteſt infirmare alienationem , vt ſibi contrariam.*

2 *Alienatio à delinquente facta ante , vel poſt delictum commiſſum , cuius bona non publicantur ipſo iure,etiamſi in fraudem fiſci facta fuerit,eſt valida interim dum à fiſco non reuocatur.*

3 *Excipe niſi alienatio facta fuerit rei irreuocabilis, v. g. libertatis ſeruo conceſſæ;quia hæc facta in fraudem fiſci ipſo iure annullatur.*

4 *Alienatio facta etiam condemnatione, & publicatione bonorum,ratione cuius interdicitur delinquenti libera bonorum adminiſtratio , adhuc ex probabiliori ſententia Doctorum eſt ipſo iure valida.*

SVPPONO primò , delictum , ratione cuius dubitatur , an alienatio facta poſſit à fiſco reuocari, 1
eſſe ſolum illud, ratione cuius bona omnia, vel pars eorum principalis, veniunt publicanda ; quia ſola hæc publicatio poteſt infirmare alienationem , vt ſibi contrariam;ſic Doctores communiter *in l. Poſt contractum ff.de donation.* quos citat & ſequitur Peregrinus *de iur.fiſc.lib.*5.*tit.*1.*num.*153. Farinacius *de falſitat.q.*164. *num* 65. & Sanchez *lib.*2.*moralium cap.*21.*num.*2.

Suppono ſecundò , alienationem à delinquente fa- 2
ctam ante vel poſt delictum commiſſum , cuius bona non publicantur ipſo iure,etiamſi in fraudem fiſci facta fuerit, validam eſſe,interim dum à fiſco non reuocatur; quia ratione horum delictorum , & fraudis , bona delinquentis non ſunt fiſco ſpecialiter obligata ex textu *in l.Reſ.vxoris Cod.de donation inter vir.& vxor. & in l.* 1. *Cod. de pœn.fiſcal.* & tradunt communiter Doctores apud Antonium Gomez *tom.*3. *cap.*14. & apud Farinacium & Sanchez *in locis ſuprà citatis.*

Excipe,niſi alienatio facta fuerit rei irreuocabilis, v. 3
g. libertatis ſeruo conceſſæ;quia hæc facta in fraudem fiſci, ipſo iure annullatur, eo quod libertas, ſemel data,

reuocari

reuocari nunquam possit. *Institut. qui manumit.poss.* §. *semel* Et meritò ; quia aliàs fiscus non satis sibi possideret.

4 Facta autem condemnatione,& publicatione bonorum ratione cuius interdicitur delinquenti libera bonorum administratio, adhuc ex probabiliori sententia Doctorum alienatio est ipso iure valida,sicuti alibi dicebam, validam esse alienationem post delictum, cuius bona ipso iure publicantur;quia dum delinquens relinquitur in possessione suorum bonorum,potest eam possessionem in alium transferre & ius sibi competens abdicare ; non est tamen valida firmiter,sed infirmiter, & reuocabiliter ; quia est de bonis fisco iam addictis, & publicatis ; sicuti dicebam de alienatione illius,cuius bona sunt ipso iure publicata : nam idem est,quoad valorem alienationis, & reuocationem illius, esse delinquenti interdictam suorum bonorum administrationem,vel esse ipsius bona ipso iure publicata. Peregrinus *de iur.fisc.lib.5.tit.1.num.175.* Antonius Gomez *tom.3. var.cap.14.num.4.* Sanchez *lib.2.moral. cap.21.num.32.* & alij passim.

Difficultas igitur est, an alienatio facta à delinquente supradicto, cuius bona non publicantur ipso iure, neque specialiter, interdicitur bonorum administratio, sit valida firmiter, & irreuocabiliter. Quare sit,

SECTIO II.

Proponitur dubitationis resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Alienatio facta à delinquente supradicto, cuius bona non publicantur ipso iure, neque specialiter interdicitur bonorum administratio, est valida firmiter, & irreuocabiliter, si fiat ante delictum ; ita enim probatur in iure, & ratione ; quia ante delictum, seclusa fraude, fisco non competit ius contra bona delinquentis.*

2 *Creditoribus futuris non competit ius informandi alienationes factas à debitore ante delictum commissum, nisi in ipsorum fraudem probentur fuisse facta.*

3 *Alienatio si facta sit post delictum commissum, & ante sententiam iudicis, etiam est ipso iure valida, nec reuocari poterit sine titulo oneroso, siue gratuito facta fuerit, nisi probetur facta in fraudem fisci; quia propter tale delictum non est delinquenti sublata bonorum administratio.*

4 *Limita secundum aliquos, doctrinam traditam procedere solùm casu, quo sententia condemnationis non sequatur, illa enim secuta alienatio facta post delictum inualida est, & reuocabilis.*

5 *Limitatio prædicta reijcitur; quia textus* in l.Post contractum *citatus non intendit ex condemnatione postea sequuta, donationes ante condemnationem factas infirmari.*

6 *Item quia donatio per commissum delictum, & ante sententiam, vel est valida irreuocabiliter, vel non: si primum sequitur ex superueniente sententia reuocari non posse : si secundum, reuocari poterit, etiamsi condemnatio non sequatur.*

7 *Limita cum aliis valere alienationem post delictum si lis non sit contestata : sed facta accusatione delinquentis, & præcipuè lite iam contestata, bona ipsius litigio subduntur.*

8 *Limitatio prædicta pariter reijcitur; videtur enim absolutè dicendum, quod quocumque tempore alienatio facta sit ante sententiam, præcisa fraude, valeat irreuocabiliter :* nam in citata lege Post contractum, *solum excipitur tempus condemnationis.*

9 *Textus* in leg.finali Cod. de litig. *non obstat ; quia quando principaliter agitur de vindicta delicti, & sic criminaliter, non autem de bonis per contestationem litis, bona non redduntur litigiosa.*

10 *Limita cum Paulo de Castro, vt intelligatur, nisi lis pendeat in contumacia; quia delinquenti contumaci prohibita est alienatio.*

11 *Limitatio prædicta etiam reijcitur ; quia non delinquenti fugitiuo prohibita est alienatio ; sed delinquenti contumaci, sic per sententiam declarato.*

12 *Condemnatus in contumaciam est satis probabile, quod possit propter solam contumaciam alienare, secus si præcedentibus legitimis indiciis fuerit pro delicto condemnatus.*

13 *Alienatio reuocari potest, si loquamur de alienatione factá post sententiam condemnatoriam iudicis, à qua appellatum non sit.*

14 *Appellatione pendente, nihil est innouandum in illo, circa quod appellatio pendet.*

15 *Alienationem hanc reuocandi nulla est causa pendente appellatione : quapropter nisi facta fuerit in fraudem fisci, sed ex causa necessaria, non reuocatur.*

RESpondetur, & dico primò : Alienatio facta à delinquente supradicto, cuius bona non publicantur ipso iure, neque specialiter interdicitur bonorum administratio, est valida firmiter, & irreuocabiliter, si fiat ante delictum,& non in fraudem fisci; sic Doctores communiter, quos refert & sequitur Farinacius *de falsit.q.164.n.1.* 1

Probatur primò, authoritate ex Textu *in leg.si quis post hæc §.si quid etiam C.de bonis damnator.* Ibi : *Si quid etiam in emancipatos liberos ante tempus criminis, ac reatus patrem contulisse claruerit, integrum eisdem citra inquietudinem reseruetur.*

Secundò probatur ratione ; quia ante delictum, seclusa fraude, fisco non competit ius neque contra delinquentem, neque contra bona illius; ergo non est, vnde possit alienatio tunc facta infirmari,& à fisco reuocari.

Confirmatur, quia futuris creditoribus non competit ius infirmandi alienationes factas à debitore ante delictum commissum, nisi in ipsorum fraudem probentur fuisse factæ ; ergo multò minus competere poterit fisco, qui solùm agit de lucro captando. 2

Dico secundò, si alienatio facta sit post delictum commissum, & ante sententiam iudicis, etiam est ipso iure valida, nec reuocari poterit (siue titulo oneroso, siue titulo gratuito facta fuerit) nisi probetur facta similiter in fraudem fisci ; Doctores communiter, quos citat & sequitur Peregrinus *de iur.fisc.lib.5.titul 1.n.178.* Scacc. *lib.1.de iudic.cap.78.n.21.* Anton. Gomez *tom.3. var.cap.14.num.4.* Farinac. *de falsit.q.164.n.2.* & Sanch. *lib.2.moral. cap.21.n.32.* 3

Probatur ; quia propter tale delictum non est delinquenti sublata bonorum administratio (vt habetur *in l.affertur ff. de iur.fisc.* neque eius bona sunt fisco obligata, & hypothecata (vt habetur *in l.Res uxoris Cod.de donat.inter vir. & uxor.* & *in l.1. Cod.de pœn. fiscalib.*) Ergo non est, vnde talis alienatio infirmari, seu reuocari à fisco possit; cùm solùm ex delicto detur actio,& accusatio aduersùs delinquentem, non autem aduersùs bona ante delictum alienata, ex textu *in l.finali §.finali ff. de contrahend.empt.*

Limitant tamen Odofredus *in l.Post contractum ff.de donation.num.2.* & alij, vt doctrina tradita procedat solùm casu, quo sententia condemnationis non sequatur: illa enim sequuta (subdunt ipsi) alienatio facta post delictum inualida est, & reuocabilis ; mouentur ex eo, quia supradicta *l.Post contractum* inquit: *Post contractum capitale crimen, donationes factæ valent constitutione Diuorum* 4

norum Seueri, & Antonini, nisi condemnatio secuta sit. Ergo, secuta condemnatione, non valent factæ post delictum, quocumque tempore factæ sint.

5 Sed hæc limitatio mihi non probatur, quia supradicta *l. post contractum* absolute decidit, donationes factas post capitale crimen valere firmiter, & irreuocabiliter, cùm verò subdit: *nisi condemnatio secuta sit.* Non intendit, & condemnatione postea sequuta donationes ante condemnationem factas infirmari; sed intendit solùm dicere, donationes factas post commissum delictum, taliter, quod iàm condemnatio secuta sit, minimè valere; quod autem hic intellectus sustinendus sit, præterquam quod (vt mox dicetur) communis est, negari non potest, quod sit satis probabilis, & Textui conformis; ergo præferendus, cùm valorem actus defendat.

6 Secundò, quia donatio post commissum delictum, & ante sententiam vel est valida irreuocabiliter, vel non: si primum; ergo ex superueniente sententia reuocari non poterit; si secundum, reuocari poterit, etiamsi condemnatio non sequatur: quòd est contra supradictam legem, & Doctores omnes; ergo omninò dicendum, quod eius valor non pendeat ex condemnatione postea contingente.

Atque ita, teste etiam ipso Odofredo *loco suprà citato*, est nobiscum contra ipsum communis sententia Doctorum, Bartoli *in dicta l. post contractum*, Cumani *ibidem num.* 1. Iul. Clari *in Practica §. final. q. 78. num.* 15. Sanchez *lib. 2. Moral. cap. 21. num.* 33. & aliorum passim.

7 Limitant secundò Gloss. *in l. ex iudiciorum ff. de accusation.* Cyn. *in l. si quis post hac n. 2. Cod. de bon. proscript.* Bald *ibidem num.* 2 Angel. *num.* 3. & alij plures apud Farinac. *q. 164. num.* 14. Valere alienationem post delictum, si lis non sit contestata, vel accusatio non sit firmata; Nam si lis est contestata, vel Accusatio firmata, tenent alienationem posse reuocari, ex Textu *in l. final. Cod. de litig.* vbi deciditur, rem litigiosam non posse alienari; sed facta accusatione delinquentis, & præcipuè lite iam contestata, bona delinquentis litigio subduntur: (An scilicet sint confiscanda, necne?) ergo tunc non poterunt alienari.

8 Sed neque hæc limitatio mihi probatur; sed absolutè dicendum videtur, quod quocumque tempore alienatio facta sit ante sententiam, valeat irreuocabiliter, nisi in fraudem fisci facta fuisset.

Probatur, quia *in supradicta l. post contractum*, solùm excipitur tempus condemnationis; atque ita tenent Clarus *in Practic. §. final q. 78. num.* 17. Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap.* 14. *num.* 4. Farinac. *cit. q. 164. de falsitat. n.* 31. & Sanchez *cit. cap. 21. n.* 32.

9 Ad Textum *in citata l. finali Cod. de litig.* respondetur, non obstare; quia quando principaliter agitur de vindicta delicti, & ne criminaliter, non autem de bonis per contestationem litis, bona non redduntur litigiosa; siquidem non est litigium de ipsis, sed de delicto puniendo, ac proinde non comprehenduntur ipsa in decisione *supra dicta leg. finalis*, Bartol. *in citata l. post contractum num.* 14. Cuman. *ibidem num.* 2. Imola *n.* 1. & alij quos citat & sequitur Farinac. *de falsit. q. 164. n.* 13. & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 21. n.* 32.

10 Limitant secundò, Paulus de Castro *in dict. l. post contractum num.* 2. Sanchez *loco suprà citato num.* 34. & alij apud Farinac *de falsitat q 164. num.* 25. vt intelligatur, nisi lis pendeat in contumacia; quia delinquenti contumaci prohibita est alienatio, ne hoc prætextu eius fuga instrui possit, *l. final. ff. de requirend. reis.*

11 Sed neque hæc limitatio mihi probatur; quia non delinquenti fugitiuo prohibita est alienatio, sed delinquenti contumaci, sic per sententiam declarato; Doctores quos sequitur Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsumpt.* 124. *num.* 58.

12 Secundò, quia adhuc est satis probabile, quod possit condemnatus in contumaciam propter solam contumaciam alienare; quamuis secùs, si, præcedentibus legitimis iudiciis, fuerit pro delicto condemnatus, licèt contumax; Peregrinus *de iur. Fisc. lib. 5. tit. 1. num.* 182. & alij, quos citat & sequitur Farinac. *loco suprà citato, num.* 27. *& seqq.*

Dico tertiò, si loquamur de alienatione facta post 13
sententiam condemnatiuam Iudicis, à qua appellatum non sit, reuocari alienatio potest ex textu *in dict. l. post contractum.* Ibi: *Nisi condemnatio secuta sit*: Et tenent communiter Doctores; At si à sententia appellatum est, & ob appellationem illius executio suspensa, valida est alienatio; non secùs, ac si sententia lata non fuisset; quia dici non potest lata sententia, quæ iam non habet effectum, sic Doctores, quos citat & sequitur Anton. Gomez *tom. 3. variar. cap.* 14 *num.* 4. Farinac. *cit. q.* 64. *n.* 24. & Sanchez *cit. cap. 21. n.* 86.

Objicies, pendente appellatione, nihil est innouan- 14
dum; ergo, &c.

Respondetur: Nihil est innouandum in illo, circa quod appellatio pendet; quapropter cùm appellatio propriè non sit à prohibita administratione bonorum, sed a delicto, administrationem bonorum non prohibente, fit quod pendente appellatione, bona possint administrari sicuti poterant ante sententiam, ex Textu *in l. postquam, ff vt legat seruand. caus. caueat.*

Hinc sequitur, quod nulla adsit causa reuocandi 15
hanc alienationem, pendente appellatione, nisi quia in fraudem Fisci fuisse facta præsumitur (quæ fuit causa reuocandi conditionem factam cuiusdam fundi, quem relegatus, pendente appellatione, pupillo, authoritate Tutoris, vendiderat; de quo *in l. Chirographis, § final. ff. de administr. tutela.*) Quapropter, si cesset hæc præsumptio, sicuti reuera cessat, si probetur alienatio facta fuisse ex causa necessaria, non reuocatur alienatio; At dum hoc probatum non fuerit, timore pœnæ imponendæ per sententiam confirmatoriam facta præsumetur.

SECTIO III.

Quid dicendum, si alienatio facta fuerit in fraudem Fisci.

SVMMARIVM.

1 *Alienatio facta in fraudem Fisci à delinquente ante vel post delictum, non est valida, sed est reuocabilis; quia fraus præbet iustam reuocandi causam.*

2 *Textus* in l. si aliquis, ff. de donation. caus. mortis, *intelligendus est de valore irreuocabili, & sic contrà nos obstat.*

RESpondetur; sæpè suprà dixi, alienationem factam 1
à delinquente ante, vel post delictum, validam esse irreuocabiliter, nisi in fraudem Fisci facta fuisse probetur; quia si sic probetur facta fuisse ex communi sententia Doctorum valida quidem adhuc est, sed reuocabilis à Fisco ex Textu *in l. in fraudem de iure fisci.* Ibi: *In fraudem Fisci non solùm per donationem, sed quocumque modo res alienatæ reuocantur.* Vbi aduerte verbum ly *reuocantur*, quod sententiam, & officium Iudicis importat; solùm igitur fraus causam præbet reuocationis causam; Bartol. *in citata l. post contractum*, Peregrin. *de iur. Fisci lib. 5. tit. 1. num.* 153. Menoch. *de præsumpt. lib. 3. præsump.* 124 *num.* 1. Sanchez *cit. cap.* 21. *num.* 25. Farinac. *de falsitat. q* 164. *num.* 46. & alij passim; Etsi quidam pauci Doctores dissentiant ex Textu *in l. si aliquis, ff. de donationib. caus. mortis*, qui mox infrà adducentur.

Objicies: *in dict. l. si aliquis* denotatur per argumen- 2
tum à contrario sensu, donationes factas ex suspicione

pœnæ non valere: dicitur enim ibi: *Cæteras donationes sine suspicione pœnæ factas valere:* Ergo signum est, quod à contrario sensu quæ factæ sunt cum suspicione pœnæ non valeant.

Respondetur, id intelligi de valore irreuocabili, & sic nihil contra nos obstare Textum.

SECTIO IV.

An, & quomodo probetur, alienationem in fraudem Fisci factam esse, vt sic Fiscus, condemnato delinquente, possit eam, vt sibi noxiam, reuocare?

SVMMARIVM.

1 *Alienatio in fraudem Fisci facta probatur secundùm aliquos non coniecturis, sed dilucidis tantùm probationibus; At probabilius est, quod probetur etiam coniecturis; quia fraus est quid latens in animo, & difficilis probationis.*

2 *Coniecturæ, & indicia debent esse perspicua ad hunc effectum: Perspicua enim dicuntur, quæ in hominum æstimatione communi fraudem inferunt.*

3 *Alienatio, si de ea sermo sit ante delictum, vt in fraudem Fisci probetur, probari debet etiam tempore alienationis adfuisse aliquam causam, v. g. inimicitiam capitalem, vel quid simile impellentem delictum committere; aliàs fraus præsumi non potest.*

4 *Alienans quod cogitauerit committere delictum in specie, & de præsenti coniecturis dilucidis probari debet, vt sic alienatio censeatur facta in fraudem Fisci, & sic reuocabilis.*

5 *Indicium perspicuum, & sufficiens non est ad fraudem in Fiscum præsumendam donatio omnium bonorum facta à delinquente ante delictum commissum, nisi simul Fiscus probauerit, adfuisse tunc aliquam causam impellentem delictum committere.*

6 *Indicium sufficiens, & perpetuum neque est ad fraudem in Fiscum præsumendam donatio facta consanguineo, affini, vel amico, nisi alia causa impellens ad delictum, simul adjungatur.*

7 *Indicium sufficiens, & perspicuum neque est ad dictam fraudem præsumendam alienatio facta alicuius fundi, in cuius possessione alienans existit, & fructus percipit; quia alia causa simulationis haberi potest.*

8 *Alienatio simulata probata per Fiscum, si delinquens condemnetur in pœnam confiscationis, à Fisco non reuocatur, sed potiùs bona censentur inalienata.*

9 *Alienans sic simulatè, & inualidè potest allegare in iure simulationem suam, vt alienatum sibi reddatur, si ad simulandum honesta causa motus fuerit.*

10 *Indicium sufficiens, & perspicuum neque est ad præsumendam dictam fraudem, si probetur alienatio fuisse clandestina; quia potuit adesse aliqua causa sic actum honestandi.*

11 *Indicium sufficiens & perspicuum neque est ad dictam fraudem præsumendam, si delictum in continenti post alienationem sequatur; quia sequi potuit ex inopinata rixa.*

12 *Alienationis fraudulentæ ante delictum commissum, duplex esse potest clara: Prima, si alienet delinquens sub conditione publicationis bonorum; quia tunc clarum est, quod velit Fiscum defraudare, & suo delicto fauere: Secunda, si ante donationem dixerit aliqua verba, quibus denotetur, ipsum de delicto patrando cogitasse.*

13 *Indicium sufficiens est post delictum commissum quælibet ex supradictis coniecturis sufficienter probata ad præsumendam in Fiscum fraudem.*

14 *Alienanti ad eludendam dictam præsumptionem fraudis incumbit onus probandi, quod ex causa necessaria alienauerit; aliàs in fraudem Fisci alienasse censebitur.*

15 *Coniecturæ plures afferuntur, ex quibus ante delictum commissum possit cognosci, quod alienationes factæ sint in fraudem Fisci.*

16 *Fraudis suspicio vt cesset, videlicet ne bona in fraudem Fisci alienata censeantur, quid requiratur.*

Respondetur, & dico primò (quamuis Ancharanus *consil.* 251. *num.* 4. Alciat. *cons.* 125. *num.* 8. Decian. *tract. crimin. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 7. & alij putent, id non coniecturis, sed dilucidis tantùm probationibus probandum esse ex Textu *in l. sed etsi maritus, §. etsi constanter, ff. qui & à quibus.* Ibi: *Dilucidis hoc probationibus, &c.* Probabilius tamen sit oppositum (quod ex communi sententia Doctorum docent Decius *cons.* 235. *num.* 1. Ioannes Faber *in §. item si quis in fraudem, num.* 7. *Institut. de Action.* Clar. *in pract. finali q.* 78. *num.* 16. & Peregrinus *de iur. Fisci, lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 154.) Scilicet id probari etiam posse solummodò coniecturis. 1

Probatur; quia fraus est quid latens in animo, & difficilis probationis; ergo coniecturis etiam solummodò probari debebit; Et manifestè habetur *in cap. si te præbendam de renunciat. in* 6. Ibi: *Dummodo de præmissa fraude appareat, saltem per aliquas probabiles coniecturas.*

Aduerte tamen, quod coniecturæ, & indicia debeant esse perspicua, vt probat Textus *in l. dolum, Cod. de dolo.* Ibi: *Dolum ex indiciis perspicuis probari conuenit.* Et tenet alios referens, & contrarias opiniones concilians, Farinacius *de pœnis temperand. q.* 89. *num.* 16. Vbi benè subdit, quæ dicantur indicia perspicua, & pro manifestis probationibus reputata; scilicet ea quæ in hominum æstimatione communi fraudem inferant, vt in bonam partem nullo modo trahi possint. 2

Dico secundò, si sermo sit de alienatione facta ante delictum, vt in fraudem Fisci probetur hæc esse facta, probari debebit, tempore alienationis adfuisse etiam aliquam causam (v. g. inimicitiam capitalem, vel quid simile) impellentem, delictum committere; aliàs fraus præsumi non poterit; quia præsumi non potest, delictum esse committendum, Iul. Clar. *Practic. §. finali, quæst.* 78. *num.* 16. Menochius *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 124. *num.* 5. Gomez *tom.* 3. *variar. cap.* 14. *num.* 4. & Farinacius *de falsitate, quæst.* 164. *num.* 71. 3

Quapropter coniecturis dilucidis probari debebit, quod alienans cogitauerit in specie, & de præsenti committere delictum, vt sic alienatio censeatur facta in fraudem Fisci, & reuocari possit à Fisco; nec sufficiet probari, quod cogitauerit in genere de delicto, v. g. quod cùm sit homo rixosus, dubitans committere delictum, ne bona sua transeant ad Fiscum, voluit sic illa donare; quia talis cogitatio in genere non facit, quod donatio censeatur facta in fraudem Fisci, & reuocari possit à Fisco. Menochius *loco suprà citato*, & alij, quos sequitur Farinacius *vbi suprà, num.* 65. 4

Hinc sequitur, quod non sit sufficiens, & perspicuum indicium ad fraudem in Fiscum præsumendam donatio omnium bonorum facta à delinquente ante delictum commissum, nisi simul Fiscus probauerit, adfuisse tunc aliquam causam impellentem, delictum committere; ita Doctores communiter, quos citat, & sequitur Gomez *tom.* 3. *variar. cap. vltimo, num.* 4. Menochius *lib.* 3. *præsumpt.* 124. *num.* 5. Farinacius *loco suprà citato, quæst.* 164. *num.* 134. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 21. *num.* 7. 5

Sequitur secundò, quod neque sit sufficiens, & perspicuum indicium ad fraudem in fiscum præsumendam donatio 6

donatio facta consanguineo, affini, vel amico, nisi alia causa, impellens delictum simul adiungatur; quia sæpè consanguinitas, affinitas, vel amicitia impellit ad donandum: ergo fraus perspicua ex sola illa donatione non probatur, Gomez, Menochius *loco supra citato numero* 24. Farinacius *num.* 158. & Sanchez *num.* 11.

7 Sequitur tertiò, quod neque sit sufficiens, & perspicuum indicium ad fraudem in fiscum præsumendam alienatio facta alienus fundi, in cuius possessione alienans existit, & post alienationem fructus illius percipit, quia, præter fisci fraudem, alia causa sic simularè alienandi adesse potuit. Mascardus *de probat.* 1. *conclus.* 459. *num.*5. Antonius Gomez, Farinacius Sanchez, & alij *in locis suprà citatis*.

8 Aduerte tamen, quod si probata simulatione, delinquens condemnetur in confiscatione bonorum à fisco non reuocantur bona, tanquam inalienata, & sub dominio delinquentis adhuc existentia: secùs tamen dicendum erit de alienatione non simulata, sed in fraudem fisci facta; quia hanc fiscus post condemnationem delinquentis reuocare debet, antequam possit bona alienata occupare; cùm talis alienatio fuerit valida, & per eam in possessorem translatum dominium; ac proinde non via executiua, sed ordinaria contra possidentem procedi debeat; sic Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *cit. cap.* 21. *num.*28.

9 Aduerte secundò, quod sic simulatè, & inualidè alienans possit allegare in iure simulationem suam; vt alienatura sibi reddatur, si ad simulandum honesta causa motus fuerit; secùs verò, si in fraudem fisci alienauerit, sic Doctores, quos citat & sequitur Farinacius *citata quæstione* 162. *numero* 49. *& quæstione* 164. *numero* 69.

10 Sequitur quartò, quod neque sit sufficiens, & perspicuum indicium ad præsumendam in fiscum fraudem, si probetur, quod alienatio fuerit clandestina; quia potuit adesse aliqua causa sic honestandi actum. Quare vt fraus probetur, debet simul cum illa præsumptione probari, causam fraudis adfuisse. Bartolus *in leg. Post contractum ff. de donation. numero* 7. quem sequuntur communiter Doctores, Menochius *libro* 3. *præsumpt.* 124. *numero* 41. Antonius Gomez *tom.* 3. *variar. capite vltimo, numero* 4. Farinacius *quæst.* 162. *numer.* 211. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 21. *numer.* 17. & alij.

11 Sequitur quintò, quod neque sit sufficiens, & perspicuum indicium ad præsumendam in fiscum fraudem, seu ad probationem fraudulentæ contra fiscum alienationis ante delictum factæ, si delictum in continenti post alienationem factam sequatur; quia sequi potuit ex inopinata rixa, quare cum hac coniectura coniungi etiam debebit probatio causæ, quæ ad committendum delictum impulerit, nempe quod rixa, vel inimicitia præcesserit. Menoch. Farinac. & Sanchez *in locis suprà citatis*.

12 Ante delictum commissum igitur duplex tantùm fraudulentæ alienationis probatio clara esse poterit.

Prima, si alienes sub conditione publicationis bonorum; quia tunc clarum est, quod velis fiscum defraudare, & tuo delicto fauere. Bartolus *in leg. Post contractum ff. de donat. numero* 9. Alciatus *ibidem numero* 6. Farinacius *quæstione* 64. *numero* 162. & Sanchez *loco suprà citato numero* 21. Ibi testatur de communi: secùs, si dones sub conditione, quod donatarius delictum confiscatione dignum non committat (quo casu delictum illo committente, vis, quod ad alios hæredes donatum transeat) quia tunc neque fiscum defraudas, neque delicto faues, sed tuo iure vteris. Menochius *libro* 3. *præsumpt.* 124. *numero* 50. & alij, quos sequitur Farinacius *loco suprà citato numero* 163.

Secunda probatio clara fraudis est, si ante donationem dixeris aliqua verba, quibus denotetur, te sufficienter de delicto patrando cogitasse; vt si alicui minando dixeris: Prouidebo rebus meis, & postea mihi satisfaciam; quia tunc, secuto delicto, bona sic priùs alienata, in fraudem fisci alienata præsumuntur. Sic Doctores communiter, quos citat & sequitur Antonius Gomez *citato capite vltimo num.* 4. & Farinacius *vbi suprà*.

Dico tertiò, Post delictum verò commissum quælibet ex suprà dictis sufficienter probata est sufficiens & perspicuum indicium ad præsumendam in fiscum fraudem, seu ad probationem fraudulentæ contra fiscum alienationis factæ; quia tunc adest causa impellens fisci defraudationem; quæ est timor pœnæ ob delictum imponendæ. 13

Quapropter ad claudendam hanc præsumptionem tibi incumbet onus probandi, quod ex causa necessaria alienaueris; aliàs in fraudem fisci alienasse censeberis; ita Doctores *in locis suprà citatis*, qui nullam limitationem faciunt, nisi, cùm delictum ita occultè patratur, vt nullus adsit timor diuulgationis; quia tunc cessat causa committendi fraudem. Videri poterunt Doctores, quos suprà citabam, præsertim Alciatus *num.* 56. & Sanchez *num.* 19. 14

Ex dictis igitur coniectutæ, ex quibus ante delictum commissum possit cognosci, quod alienationes factæ sint in fraudem fisci (vt si primo bona alienentur clandestinè. Mascardus *de probationibus conclusione* 815. *numero* 53. Antonius Gomez *libro* 3. *variar. capite vltimo numero* 4. *casu* 4. Item secundò, si quis donet bona sua consanguineo, vel affini; cùm tunc censeatur id facere, ne bonis suis fruatur fiscus, sed consanguineus, vel affinis. Peregrinus *de iur. fisci libro* 5. *titulo* 1. *numero* 169. & Bossius *in Pract. tit. de bonorum publicat. numero* 51. Item tertiò, si, qui delictum commisit, omnia sua bona, vel maiorem, seu meliorem partem illorum alienauit. Baldus *in Authent.* sed iam necesse *quæst.* 2. *Codice de donation.* & Roman. *in leg. Post contractum numero* 2. *de donation.* Dec. *volum.* 2. *conclusione* 135. *numero* 2. & Imola *in eadem lege Post contractum numero* 1. Item quartò, si quis bona sua alienauit, & post alienationem illa possidet, & ex eis fructus percipit; quamuis exprimat, se illa retinere nomine illius, in quem dicta sua bona alienauit: cùm ad hoc vt non præsumatur fraudem committere, necesse sit, vt ea realiter tradat. Peregrinus *loco suprà citato numero* 60. Mascardus *num* 48. *& seqq.* Alciatus *numero* 44. *&* 45. 15

Item quintò, si quis post factam alienationem statim committat delictum. Simancha *de cathol. institut. tit.* 9. *num.* 56. & Bossius *vbi suprà num.* 51.) non sunt sufficientes ad probandum, quod alienationes factæ sint in fraudem fisci, sed præterea, vt cesset suspicio fraudis, quid aliud requiritur, v. g. quod præcesserint graues inimicitiæ vel quod bona alienata fuerint ob necessitatem; cùm tunc potiùs præsumendum sit, quod alienatio facta fuerit ob iustam causam, quàm ob fraudendum fiscum; ita Doctores, quos suprà citabam, præsertim Peregrinus *numero* 158. & Bossius *numero* 145. 16

SECTIO IV.

Proponitur Appendix ad ea, quæ suprà dicebantur.

SVMMARIVM.

1 *Donatio tanquam in fraudem fisci facta, vt reuocari possit, non est necesse, donatarium fraudis esse participem, quamuis secùs vt reuocari possit vendi-* [continues]

tio, permutatio, vel quilibet alius similis contractus onerosus; quia in alienatione gratuita donatarius solum passiue se habet; at in alienatione onerosa aqualis est vtrimque contractus; ac proinde in vtraque contrahente fraus adesse debet, vt talis contractus rescindatur.

2 *Gomez reprehenditur, quod minùs rectè dixerit: in omnibus casibus, in quibus præsumitur fraus ex parte alienantis, præsumi etiam ex parte alienationem accipientis; quia efficax præsumptio fraudis est in alienante, si statim post alienationem delinquat.*

3 *Item ex venditione omnium bonorum, ad quam sequitur delictum, esto arguatur fraus in vendente, non tamen etiam in emente.*

4 *Item ex venditione facta consanguineo, affini, vel amico sufficienter præsumitur fraus in vendente: at non sic in emente, si iusto pretio emerit.*

5 *Emptorem esse participem fraudis in communi à vendente in duplici casu concedi potest: primò si emat medio pretio rem magni valoris: secundò si clam data opera celebret contractum.*

6 *Fiscus reuocat rem alienatam in sui fraudem, non solùm quoad ipsam rem, sed etiam quoad fructus in illa pendentes; quia tales fructus pars illius rei confiscata reputantur; quamuis non reuocet etiam fructus perceptos medio illo tempore ante sententiam.*

7 *Limitatio aliquorum Doctorum, qui id intelligunt de fructibus perceptis ante litem contestatam non probatur; quia quod lis sit contestata non tollit, quin dominium sit translatum in possessorem.*

8 *Fiscus licet aduersus alienantem in sui fraudem, habeat ius, & actionem, non tamen potest res alienatas in tertium possessorem translatas ab illo reuocare via executiua, sed ordinaria; quia alienatio facta est valida.*

9 *Alienationes in fraudem fisci facta reuocari possunt à fisco post latam sententiam confiscationis, non tamen ea sunt ipso iure nulla, irrita, seu inualida.*

10 *Textus* in l. si quis ff. de donat. caus. mort. *Vbi dicitur, quod valeant donationes facta sine suspicione pœna, intelligi debet, quod non valeant irreuocabiliter, & perfectè; quia postquam fuerit fraus manifestata, datur fisco actio ad illas reuocandas.*

11 *Alienationes quando facta sunt in fraudem fisci titulo lucratiuo reuocari possunt, licèt qui illas acceperit non fuerit conscius fraudis; sufficit enim in hoc casu sola fraus alienantis: secus si facta fuerint titulo oneroso; quia tunc requiritur fraus in vtroque contra hæreticum.*

12 *Alienatio delinquentis (cuius bona non sunt ipso iure confiscata, si facta fuerit post delictum, non tamen in fraudem fisci) valebit irreuocabiliter sine titulo oneroso facta fuerit; dummodò tamen condemnatio non sit secuta; quia qui committit aliquod crimen, ipsius bona pro tali crimine non obligantur, sed solùm fiscus acquirit ius contra personam delinquentis.*

13 *Fructus percepti à possessoribus earum rerum, qua sunt alienata in fraudem fisci, non reuocantur, si fuerint ante iudicis sententiam percepti; quamuis res alienata reuocentur; quia fiscus nullum ius acquisierat in rem alienatam. Secus dic de bonis, qua ipso iure publicantur.*

1 ADuerte primò, quod, vt donatio reuocari possit, tanquam in fraudem fisci facta, non sit necesse, donatarium fraudis esse participem; quamuis secus, vt reuocari possit venditio, permutatio, vel quilibet alius similis onerosus contractus, sicuti disponitur *in leg. ait Prætor, §. si quis particeps ff. qua in fraud. creditor.* Et ratio huius diuersæ dispositionis est; quia in alienatione gratuita donatarius solùm passiuè se habet, acceptans beneficium sibi collatum; ita vt solùm agat de lucro captando, ac proinde fraus in illo non spectatur. At in alienatione onerosa (contractu scilicet permutationis, emptionis, & venditionis, &c. Vbi agitur de damno vitando) æqualis est vtrimque contractus; ac proinde in vtroque contrahente fraus adesse debet, vt talis contractus rescindatur. Bartol. *in cit. l. Post contractum num.* 3. Clarus *in Practica §. final. q.* 78. *num.* 17. Farinacius *qu.* 164. *num.* 58. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 21. *num.* 19.

Aduerte secundò, quod minùs rectè dixerit Antonius Gomez *tom.* 3. *var. cap. vlt. num.* 4. in omnibus casibus, in quibus præsumitur fraus ex parte alienantis, præsumi etiam ex parte alienationem recipientis. Minùs rectè, inquam, dixit Gomez *vbi suprà*; quia efficax præsumptio fraudis est in alienante, si statim post alienationem delinquat, vel si statim post commissum delictum alienet, & tamen is, qui cum illo contrahit, hoc ignorare potuit; ergo ex hoc capite non rectè probatur, quod etiam emptor sit particeps fraudis. Bartolus *in dicta l. Post contractum num.* 8. Sanchez *vbi suprà num.* 30. & Farinacius *num.* 83. 2

Item secundò, ex venditione omnium bonorum, ad quam sequitur delictum, esto arguatur fraus in vendente (vt habet communis sententia Doctorum) non tamen arguitur etiam in emente sic Doctores, quos citat, & sequitur *in locis suprà citatis.* Farinacius *num.* 75. & Sanchez *num.* 30. 3

Item tertiò ex venditione facta consanguineo, affini, vel amico sufficienter præsumitur fraus in vendente; at non sic in emente, si iusto pretio emerit. Alciatus *in cit. l. Post contractum num.* 41. & alij; licèt (vt verum fatear) dissentiant Bartolus *in dicta leg. Post contractum num.* 3. Farinacius *num.* 75. & Sanchez *num.* 30. 4

Quapropter in duplici casu concederem, sufficienter præsumi emptorem esse participem fraudis à vendente commissæ. 5

Primò, si emat modico pretio rem magni valoris; quia nemo præsumitur sine causa rem suam dissipare. Peregrinus *de iur. fisc. lib.* 1. *tit.* 1. *num.* 157. Farinacius *q.* 164. *num* 75. & Sanchez *cit. cap.* 21. *num.* 30.

Secundò, si clam data opera celebret contractum; quia talis occultatio malitiam arguit. Farinacius *in loc. suprà citato num.* 82. Sanchez *num.* 30. & Antonius Gomez *num.* 4. *& seqq.* vbi subdunt, & rectè, nunquam fraudem præsumendam esse ex parte emptoris, quin priùs præsumatur ex parte vendentis delictum committentis.

Aduerte tertiò, quod fiscus reuocet rem alienatam in sui fraudem, non solùm quoad ipsam rem, sed etiam quoad fructus in illa pendentes; quia tales fructus pars illius rei confiscatæ reputantur; quamuis non reuocet etiam fructus perceptos medio illo tempore ante sententiam, siue tales fructus sint consumpti, siue non; quia cùm dominium illius rei fructus afferentis translatum sit in possessorem, possessori acquiruntur, absque vlla fisco obligatione; ita Doctores communiter, quos citat & sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 21. *n.* 41. Farinacius *q.* 164. *num.* 55. & Peregrinus *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 174. 6

Et quamuis aliqui ex his Authoribus limitent, vt id intelligatur de fructibus perceptis ante litem contestatam; secus postea; limitatio tamen hæc mihi non probatur; quia quod lis sit contestata, non tollit, quin dominium sit translatum in possessorem. 7

Aduerte quartò; quod licet fiscus aduersùs alienantem in sui fraudem, ius, & actionem habeat, non tamen possit res alienatas, in tertium possessorem translatas, ab illo reuocare via exequutiua, sed ordinaria; quia alienatio facta valida est, tum quia iure communi (tametsi Actor habeat Reum sibi per scripturam obligatum) non procedit via executiua; *l. minor ff. de minorib.* & tradunt Doctores, quos refert & sequitur Farinacius 8

de

de hæresi, quæstione 190. *numero* 88.

9 Breuiter igitur ex dictis habetur primò, quod alienationes in fraudem fisci factæ reuocari possunt à fisco post latam sententiam confiscationis. Gloss. *in l. si quis post hac. Cod de bon. damnat. verb. Reatus.* Angelus *ibidem. num.* 3. Cynus *num.* 5. *q.* 2. Bartolus *in l. Post contractum ff. de donat. num.* 1. Tabiena *verb. Assassinus quæst. vnica num.* 4. Et patet *ex l. vnica num.* 4. & *ex l. in fraudem ff. de iur. fisc.* Ibi: *in fraudem fisci non solùm per donationem, sed quocumque modo res alienata reuocantur.*

Non tamen prædictæ alienationes sunt ipso iure nullæ, irritæ, seu inualidæ. Bartolus *in loco suprà citato*, Aleiat. *ibidem num.* 28, Imola *num.* 1. Tabiena *vbi suprà*. Et colligitur *ex dicta l. in fraudem*, vbi non dicitur, quod hæ alienationes sint ipso iure nullæ, vel irritæ, sed quod sint reuocandæ.

10 Non obstat, si dicas *in l. si aliquis ff. de donat. caus. mort.* dicitur, quod valeant donationes factæ sine suspicione pœnæ: ergo è contrario donationes factæ in fraudem, & metu pœnæ non valebunt.

Respondetur enim, intelligi, quod non valeant irreuocabiliter, & perfectè; quia postquam fuerit fraus manifestata, datur fisco actio ad illas reuocandas.

11 Habetur secundò, quod quando alienationes factæ sunt in fraudem fisci titulo lucratiuo reuocari possunt, tametsi qui illas accepit, non fuerit particeps fraudis, sed sufficiens erit fraus alienantis; at si factæ fuerint titulo oneroso (v. g. commutationis, vel emptionis, &c.) non sufficiens erit sola fraus alienantis, sed requiritur præterea, quod talis fraudis particeps sit etiam, qui illas accepit, aliàs non poterunt reuocari. Angelus *in l. si post hac Cod. de bon. damnat num.* 4. Salycet. *ibidem num.* 6. & constat *ex leg. Ait Prætor §. si quis particeps ff. quæ in fraud. credit.*

12 Habetur tertiò, quod si delinquens (cuius scilicet bona non sunt ipso iure confiscata) post delictum alienet (non tamen in fraudem fisci) bona sua, talis alienatio valebit irreuocabiliter, siue titulo gratuito, siue titulo oneroso facta fuerit (dummodò tamen condemnatio non sit secuta, sicuti subdit *textus de cuius, textus intelligentia suprà dicebam*) Scacc. *lib.* 1. *de iudic. c.* 98. *num.* 21. Peregrinus *de iur. fisc. lib.* 5. *titul.* 1. *num.* 178. & Antonius Gabriel *tom.* 3. *variar. cap. vlt. num.* 4. Et patet *ex dicta l. Post contractum de donation.* Ibi: *Post contractum capitale crimen donationes factæ valent constitutione diuorum Seueri, & Antonini, nisi condemnatio secuta sit.*

Et ratio est; quia qui committit aliquod crimen, ipsius bona pro tali crimine non obligantur, sed solùm fiscus acquirit ius contra personam delinquentis: ergo ante sententiam latam poterit delinquens bona sua alienare; cùm id nullo iure ipsi prohibeatur; quinimò concedatur *in dicta l. Post contractum.*

13 Habetur quartò, quod fructus percepti à possessoribus earum rerum, quæ sunt alienatæ in fraudem fisci; non reuocantur, si fuerint ante iudicis sententiam percepti, quamuis res alienatæ reuocentur. Angelus *de malefic. verb. Et eius bona publicamus, num.* 24. Peregrinus *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 174. Felinus *in cap. de quarta de præscript. num.* 33. & Couarruuias *in* 4. *decret. part.* 2. *cap.* 6. §. 8. *num.* 6. & 7. Quia fiscus nullum ius acquisietur in rem alienatam, & (cùm alienatio valuerit, & rei alienatæ dominium in possessorem translatum fuerit) fructus ex illa percepti pertinebunt ad possessorem, & non ad fiscum.

Secùs verò dicendum esset de bonis, quæ ipso iure publicantur. Hæc enim bona simul cum fructibus à die commissi criminis post sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam, pertinebunt ad fiscum, *vt suprà dubit.* 135. *sect.* 5. dicebam.



DVBITATIO CXXXVII.

An confiscatio bonorum delinquentis, condemnati in contumacia ob causam fidei, fieri debeat à tempore latæ sententiæ, vel à tempore, quo testium probationes signant, delictum esse commissum?

SVMMARIVM.

1 *Bona delinquentis condemnati in contumacia ob causam fidei licet secundum aliquos non publicentur à die quo testes deponunt, illum in hæresim incidisse, sed à die, quo damnatur tanquam contumax, vel à purgatione indicta defecit: probabilius tamen est oppositum, publicari nempe dicta bona à die, quo testes deponunt, hunc contumacem in hæresim incidisse; quia cùm reus condemnatur, non condemnatur propter contumaciam, sed propter delictum hæresis, quod commisisse præsumitur.*

2 *Hæresis delictum non iudicatur reus inuenisse in die, quo profertur sententia condemnatoria; sed in die, quo testes signant, seu deponunt, illum exercuisse actum, ex quo talis suspicio oritur.*

3 *Insordescens in excommunicatione per annum in causa fidei condemnatur vt hæreticus: non autem condemnari posset vt hæreticus si iuris fictione hæreticus non esset.*

4 *Contumacia neque est actuale delictum, neque hæresis.*

5 *Ecclesia punit suspectum de hæresi, & in contumacia persistentem eisdem pœnis, ac punit hæreticum præsentem, ex quo infertur non punire contumaciam, sed delictum per contumaciam probatum.*

6 *Contumacia, & inobedientia est quædam delicti suspecti, & accusati manifesta probatio: æquiualet enim delicti confessioni.*

7 *Contumax licèt à die contumacia probata condemnetur, vt hæreticus, tamen ratio condemnationis est delictum hæresis, de quo suspectus fuit, & pro quo fuit citatus respondere, & non respondit.*

8 *Contumax non habetur pro confesso, & conuicto, neque condemnatur vt hæreticus, nisi à die, quo perfecta est contumacia: at non sequitur, quod solùm ab illo die bona illius censeri debeant confiscata.*

9 *Contumax in supradicto capite cum contumacia, habetur, quod damnandus sit, velut hæreticus, non autem dicitur, quod iudicandus sit hæreticus; sed similis illi; at non ideò sequitur, ipsum condemnari ob contumaciam.*

10 *Ficta probatio non præiudicat hæredi; sed delicti probatio ob contumaciam non dicitur ficta; quia licèt sit ficta confessio, est tamen vera probatio delicti.*

11 *Ficta probatio regulariter non præiudicat tertio; at fallit in aliquibus delictis grauibus, & specialiter in delicto hæresis ob eius atrocitatem.*

12 *Qui defecit in purgatione canonica ex textu* in cap. Inter sollicitudinem, *detruditur in monasterium, & non traditur Curiæ sæculari; quia fassus est errorem, & misericordiam postulauit; quo casu nullus hæreticus traditur Curiæ sæculari.*

13 *Glossa asserens probationem per contumaciam esse solum præsumptiuam, & non veram, & directam, ideòque contumacem minùs puniri debere, reprobatur communiter.*

14 *Reus cùm citatur respondere de fautoria hæresi, si*

factum sit plenè probatum, citatur, vt purget suspicionem heresis, in quam incidit, quam purgationem si omittat facere, non solum probat fautoriam per ipsam contumaciam, verum etiam dictam suspicionem.

15 *Neque obstat, quod fautoria sit heresis in genere, seu in communi, & non in particulari, vt non possit hic fautor vt hereticus condemnari; quia ad hanc condemnationem sufficit, quod erret contra fidem in genere, seu in communi.*

16 *Fautoria raro est heresis in communi; quia raro fauet Haretico vt sic; sed fauet tali Haretico, tali scilicet errore affecto.*

17 *Rèus si comparendo probet, se non habuisse culpam in contumacia, eo quod infirmitate, vel alio impedimentò detentus comparere non potuerit, purgat contumaciam, & infirmat sententiam; quia ex falsa presumptione lata fuit: at si comparendo contumaciam recognoscit, delictum autem, de quo fuit, vt suspectus, citatus negat, non debet audiri, neque ad pœnitentiam admitti, quousque delictum fateatur, & errorem abiuret, non secus ac si veris testibus conuictus fuisset.*

1 SVPPONO ex huius Dubitationis resolutione pendere, an contumax alienare possit bona sua priusquam in contumacia condemnetur, & ipsius alienatio valeat, & reuocari non possit, nisi in fraudem fisci facta fuisse probetur: nam si confiscatio non est trahenda ad diem, in quo testium probationes signant, delictum esse commissum, sed ad diem, in quo sententia super delicto in contumacia lata fuit, poterit contumax, dum condemnatus non est, bona sua alienare, sicque suorum bonorum confiscationem deuitare. Aliàs non. Hoc supposito.

Respondetur, quod (quamuis Gabriel Quemada *in questionibus fiscalibus qu.* 8. Couarruuias *in cap. Alma*
2 *mater* 1. *part.* §. 7. *num.* 11. Simancha *de cathol. instit. tit.* 9. *num.* 26. Menochius *lib.* 2. *conf.* 159. *num* 19. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *num.* 35. teneant, bona talis delinquentis non publicari à die, quo testes deponunt, illum in hæresim incidisse, sed à die, quo damnatur, tanquam contumax, vel à purgatione indicta defecit) probabilius tamen sit oppositum (quod docent Doctores, quos sequitur Farinacius *de heres. quæst.* 190. §. 12. *num.* 21.) Bona scilicet prædicti delinquentis publicari à die, quo testes deponunt, hunc contumacem in hæresim incidisse iuxta ea, quæ dicam etiam *infrà dubitat.* 203. *circa finem.*

Probatur (vt omittam, quod, vt in supposito insinuabatur, alioquin posset contumax, dum condemnatus non est, bona sua alienare, & sic bonorum suorum confiscationem vitare, sicque fisci iudices eludere; quod non leue inconueniens mihi videtur) quia, cùm reus, vt hæreticus, v. g. condemnatur in contumacia, non condemnatur propter contumaciam, & inobedientiam, quam Ecclesiæ Prælatis habuit, eorum mandata transgrediens non comparendo, sed condemnatur ob delictum hæresis, quod commisisse præsumitur, & pro quo citatus fuit, vt responderet, & non respondit.

2 At delictum hæresis non iudicatur reus incurrisse in die, quo profertur sententia condemnatoria; sed in die, quo testes signant, seu deponunt, illum exercuisse actum, ex quo talis suspicio nascitur: ergo ab illo die publicatio bonorum fieri debet. Consequentia patet; quia publicatio bonorum annexa est delicto hæresis.

3 Maior probatur ex textu *in cap. cum contumacia de heresi in* 6. Vbi insordescens in excommunicatione per annum in causa fidei, condemnatur, vt hæreticus; non autem condemnari poterat, vt hæreticus, si iuris fictione hæreticus non esset. Glossa *ibi*, Couarruuias *loco suprà citato*, §. 7. *num.* 11. Diaz *cap.* 117 *circa fin.* Nauarr. *consil.* 21. *sub titul. de heretic. num.* 1. Menoch. *de arbitr. lib.* 2.
4 *cas.* 416. Peña 3. *part. commentar.* 49. Et patet; quia contumacia non est æquale delictum, ac hæresis; ergo non potest æqualem pœnam mereri, ac hæresis; ergo contra iustitiam ius procederet, si æqualiter hæc delicta puniret; At suspectum de hæresi, & in contumacia persi- 5
stentem eisdem pœnis punit; ac punit hæreticum præsentem (vt *ex textu, & Doctoribus suprà relatis*, apparet) ergo non punit contumaciam, sed hæresim, probatam scilicet per illam contumaciam; cùm contumacia 6
& inobedientia sit quædam delicti suspecti, & accusati manifesta probatio: æquiualet enim delicti confessioni, & sicut, si reus delictum confiteretur, illud probaret, sic per contumaciam, confessioni æquiualentem, illud idem manifestè probat; Minor probatur; quia licèt con- 7
tumax à die contumaciæ probatæ condemnetur, vt hæreticus, tamen ratio condemnationis est delictum hæresis, de quo suspectus fuit & pro quo fuit citatus respondere, & non respondit, Hoc autem delictum non commisit, cùm noluit respondere, sed cùm testes deponunt, illud eum commisisse; tum quia licèt à die contumaciæ declaretur hæreticus, non tamen declaratur, quod non fuerit hæreticus antea; cùm rectè stet, quod fuerit hæreticus antea; sed quia id nondum probatum fuerat, non potuerit iudicari, & declarari hæreticus; facta autem probatione ex tunc declaratur hæreticus; licèt declaratio non ad delictum tempore declarationis commissum, sed ad delictum multu tempore antea commissum extendatur.

Obiicies ex Aduersariis *in cit. cap cum contumacia de* 8
heretic. in 6. Contumax non habetur pro confesso, & conuicto, neque condemnatur, vt hæreticus, nisi à die, quo perfecta est contumacia: ergo solùm ab illo die bona illius censeri debent confiscata.

Respondetur, nego consequentiam; & patet ex iis, quæ modò suprà dicebam.

Obiicies secundò, *in supradicto cap. cum contumacia.* 9
solùm dicitur, quod contumax damnandus sit, velut hæreticus, non autem dicitur, quod iudicandus sit hæreticus, sed similis illi; ergo signum est, quod damnetur ob contumaciam (quæ in pœnis impositis similis est hæresi) non autem quod condemnetur ob hæresim.

Respondetur; nego etiam consequentiam; quia ly *velut* non denotat similitudinem, sed proprietatem, & veritatem, iuxta illud Ioannis 1. *Vidimus gloriam eius gloriam quasi vnigeniti à Patre.* Vbi ly *quasi* explicat veritatem; sic & in casu nostro, Glossa, Archidiaconus, Ioannes Andreas, & alij *in dict. cap. cum contumacia.*

Obiicies tertiò, ex Bartolo *in l. eius qui delatorem ff. de* 10
iur. fisci, & aliis communiter ficta probatio non præiudicat hæredi, sed in casu nostro contumax solùm fictione iuris censetur confiteri delictum, de quo accusatur; ergo ipsius ficta confessio non debet præiudicare hæredi, vt proinde bona alienata à delinquente repeti possint à fisco.

Respondetur, nego, quod probatio delicti orta ex contumacia sit ficta probatio; quia licèt sit ficta confessio delicti, non est tamen ficta, sed vera probatio delicti; quapropter non mirum, si tertio præiudicet.

Respondetur secundò, quod ficta probatio regulari- 11
ter non præiudicet tertio, (qui, si plenum ius habeat, non debet ab illo præsumptionibus, sed plenis probationibus deturbari. Ripa *in cap. sæpè de restit. spoliat.* Peregrinus *de fideicomm art.* 44. *num* 22. & alij. At fallit in aliquibus delictis grauibus, & specialiter in delicto hæresis ob eius atrocitatem. Bartolus *in l.* 2. *de bonis eor. qui mort. sibi consciuer.* Royas *singul.* 69. Mascardus *de probat. conclus.* 348. *num.* 34. & alij, quos citat & sequitur Farinacius, *cit. q.* 190. §. 12. *n* 42. Alioquin si illa ficta probatio in delicto hæresis hæredi non præiudicaret, neque etiam hæredi præiudicaret post sententiam; cum hæc lata contra contumacem, & contra eum, qui se plenè non defendit, tertio præiudicium non afferat. Alexand. *conf.* 126. *in fin. lib* 2. Roman. *conf.* 154. *num.* 5. & alij, quos refert & sequitur Farinacius *loco suprà cit.*

Obiicies

Obiicies quartò, ex text. *in cap. Inter sollicitudinem, de purgatione canonica*, qui deficit in purgatione canonica, detruditur in monasterium; ergo, cùm non tradatur Curiæ sæculari, sequitur, quod non sit iudicandus, & condemnandus vt hæreticus; & fauet Glossa, ibi, quatenus ait. *Non traditur Curiæ sæculari; quia illa probatio est præsumptiua, & non vera, & directa; ac proinde mitius puniri debet.*

Respondetur. Qui deficit in purgatione canonica, non traditur in illo textu Curiæ sæculari, quia falsus est errorem, & misericordiam postulauit (quo casu nullus hæreticus traditur Curiæ sæculari) Glossa *ibidem in solutione secunda*. Abbas, & alij.

13 Quòd autem supra dixerat Glossa, scilicet probationem per contumaciam esse solùm præsumptiuam, & non veram & directam, ideóque contumacem mitiùs puniri debere, reprobant communiter Doctores. Abbas *num. 5.* & alij, quos citat & sequitur Farinacius *loco suprà citato*. Et meritò; quia aliàs dicendum esset, bona neque confiscari debere à die perfectæ contumaciæ, & lapsus anni, neque à die sententiæ, & condemnationis; quod nemo dixerit.

14 Obiicies quintò, si testes deponant, reum fauisse hæreticis, ob quam fautoriam citatur sub excommunicatione comparere, & in excommunicatione per annum persistit, non reputatur, & condemnatur, vt hæreticus, sed ad summum, vt hæreticorum fautor (cùm contumacia sit ficta confessio, illique æquiualeat.) Ergo si ex rei professione solum delictum fautoriæ argueretur, ex contumacia idipsum tantùm censeri debet probatum, & non quid ampliùs.

Respondetur in casu posito, cùm reus citatur respondere de fautoria hæresis, si factum sit plenè probatum (vt sæpè debet esse) citatur, vt purget hæresis suspectionem) in quam incidit, quam purgationem si omittit facere non solùm per contumaciam probat ipsam fautoriam, sed potiùs probat ipsam suspectionem; ita vt ipsa suspicio, quæ à principio erat leuis, facta citatione, transeat in vehementem; & perfecta contumacia, reddatur violenta, & digna, vt ob illam contumax tanquam de delicto verè probato, condemnetur.

15 Neque obstat, quod fautoria sit hæresis in genere, seu in communi, & non in particulari, vt non possit hic fautor, vt hæreticus condemnari; quia ad hanc condemnationem sufficit, quod erret contra fidem in genere, seu in communi. Peña 2. *part. commentar. q. 54.* Bellamer. *decis. 688. num. 33.* & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *loco suprà citato num. 51.*

16 Adde, quod rarò fautoria sit hæresis in communi; quia rarò fauet hæretico vt sic; sed fauet tali hæretico, tali scilicet errore affecto; ac proinde illius erroris, cui fauorem præstitit, fautoria dicitur, & suspicio illius hæresis ex illa fautoria generatur.

17 Obiicies sextò, si reus post contumaciam probatam, & sententiam latam compareret, posset contumaciam purgare, & condemnationem euitare. Couarruu. *cap. Alma mater 1. part. §. 7. num. 11.* Diaz *practic. cap. 117. n. 12.* & alij passim; ergo contumacia in causa fidei non constituit iuris fictione quempiam hæreticum. Aliàs qui semel ita constitutus est, pœnas hæresi impositas vitare non posset.

Respondetur in casu posito, si reus comparendo probat, se non habuisse culpam in contumacia, eo quod infirmitate, vel alio impedimento detentus comparere non potuerit, purgat contumaciam, & infirmat sententiam (si fortè lata fuerit) quia ex falsa præsumptione lata fuit; at, si comparendo, contumaciam recognoscit, delictum autem, de quo fuit, vt suspectus, citatus, negat, non debet audiri, neque ad pœnitentiam admitti, quousque delictum fateatur, & errorem abiuret, non secùs, ac si vetis testibus de delicto conuictus esset. Cosmer. 1. *part. commentar. q. 47. n. 4.* Bellamer. *decis. 683. num. 30.* & alij passim.



DUBITATIO CXXXVIII.

Cuinam applicari debeant confiscata bona delinquentis delicto læsæ maiestatis, vel etiam, (vt in quibusdam locis, verbi gratia, in Regno Castellæ,) delinquentis delicto Sodomiæ, seu contra naturam?

SUMMARIUM.

1 *Bona confiscata delinquentis delicto Regiæ maiestatis, vel delicto sodomiæ, seu contra naturam applicantur in aliquibus locis fisco regio, si confiscatio facta sit à Principe, si verò facta sit non à Principe, sed à iudice inferiori talia bona sic extra territorium confiscantis existentia non applicantur iudici, seu domino confiscanti, sed domino loci illius, vbi sunt sita.*

2 *Limita, dummodò dominus alterius territorij habeat ius confiscandi, si enim ius confiscandi non habet, applicantur confiscanti.*

3 *Limita secundò, de bonis immobilibus; quia bona mobilia delinquentis personam comitantur, & territorio non circumscribuntur, ac proinde applicantur confiscanti.*

4 *Limita tertiò, etiam in delicto hæresis; quia etiam in tali delicto bona confiscata, extra confiscantis territorium existentia, non applicantur ipsi confiscanti, sed fisco iudicis loci illius, vbi sunt existentia.*

5 *Limita quartò, etiam si bona extra confiscantis territorium existentia, spectent ad ipsum iure directi dominij; quia adhuc non applicantur domino directo confiscanti, sed feudatario.*

6 *Sublimita, nisi delictum, ob quòd fit bonorum confiscatio, sit læsæ maiestatis aduersus dominum directum; quia tunc eo bono applicantur domino directo in satisfactionem iniuriæ.*

7 *Confiscationis sententia si ad bona extra territorium confiscantis expressè non extendatur, potest tunc superior illius territorij, si delinquens ratione originis, vel domicilij ipsi subdatur, nouum processum instituere, & denuò condemnare, & vigore illius bona ibidem existentia confiscare.*

Respondetur, si sermo sit de confiscatione facta à Principe (qualis est ob crimen læsæ maiestatis, & in aliquibus locis, vt in Regno Castellæ ob crimen sodomiæ, seu contra naturam, bona confiscata applicantur fisco regio. Est communis sententia Doctorum, & per se patet. Si verò sermo sit de confiscatione facta, non à Principe, sed à iudice inferiori (etiam si fiat de iure communi, in quo casu *dubitatione 136.* dicebam, extendi ad bona sita extra territorium confiscantis) talia bona, sic extra territorium confiscantis existentia, non applicantur iudici, seu domino confiscanti, sed domino loci illius, vbi sunt sita, argumento Textus *in l. Tutores §. heres ff. de administr. tutorum, l. final. Cod. de bonis vacantibus lib. 10. & l. quicumque §. vniuersi Cod. de hæretic.* Ibi: *In cuius territorio est, &c.* & docent Bartolus *in citata leg. Tutores*, & alij Iuristæ communiter, quos sequitur Clarus *in Practic. quæst. 78.* Farinacius *lib. 1. Praxis quæst. 25. num. 101.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 20. num. 34.*

Quod autem modò dixi, intellige, dummodò dominus 2

nus alterius territorij habeat ius confiscandi; aliàs, si scilicet ius confiscandi non habet, applicantur confiscanti; Clarus, Farinacius, & Sanchez *in locis suprà citatis*; quia cessat tunc iurisdictionem confusio, quæ est ratio, quare bona extra territorium confiscantis sita, & per ipsum confiscata, non applicentur confiscanti.

3 Intellige secundò, de bonis immobilibus; sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinacius, & Sanchez *in locis supra citatis*; quia bona mobilia delinquentis personam comitantur, & territorio non circumscribuntur; ac proinde applicantur confiscanti, ex textu *in cap. 1. § si Iudex de vsib. feudor.* Ibi: *Dominus eius omnia bona mobilia sub sacramento iudici repræsentet.* Quidquid in contrarium Mediolani seruetur, teste Claro *cit q. 78. vers. Sed hic quæro.*

4 Intellige tertiò, etiam in delicto hæresis; quia etiam in tali delicto bona confiscata, extra confiscantis territorium existentia, non applicantur ipsi confiscanti, sed fisco iudicis loci illius, vbi sunt existentia. Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 44. num.* 8. Simancha *de cathol. institut. tit. 9. num* 129. & alij, quos refert, & sequitur Farinac. *q. 190. de hæresi § 12. num.* 166.

5 Intellige quartò, etiam si bona, extra confiscantis territorium existentia, spectent ad ipsum iure directi dominij; quia adhuc non applicantur domino directo confiscanti, sed feudatario; sic Doctores communiter, quos citat & sequitur idem Farinacius *loco suprà citato*: siquidem vasallus, infeudatus à domino de mero, & mixto imperio, non solùm debet habere mulctas suorum subditorum, quæ meri imperij sunt (vti docent Doctores communiter *in leg. Imperium ff. de iurisd. omn. iudicum*) sed etiam debet habere confiscationes bonorum, cùm ipse censeatur quasi Procurator Fisci in rem suam.

6 Excipe, nisi delictum, ob quod fit bonorum confiscatio, sit læsæ maiestatis ad versùs dominum directum; quia tunc ea bona (etiamsi extra territorium ipsius sita sint) applicantur domino directo, in satisfactionem iniuriæ sibi factæ; nisi forsan bona illa sint in feudum, vel emphyteutim accepta à feudatario; quia tunc, ne ex delicto vasalli infeudati feudatarius detrimentum patiatur, applicantur ipsi feudatario, & dominium vtile consolidatur cum dominio directo, ex textu *in cap. 1. §. illud de prohibit. feud. alienat.* & tradunt Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinacius *cit. quæst. 25. num.* 105.

7 Aduerte tamen hîc, quod si sententia confiscationis ad bona extra territorium confiscantis expressè non extendatur, possit tunc superior illius territorij, si delinquens ratione originis, vel domicilij ipsi subdatur, nouum processum instituere, & denuò condemnare, & vigore illius bona ibidem existentia confiscare; ita Doctores, quos citat & sequitur Farinacius *q. 25. num.* 101. Vide quæ dicebam *suprà dubit.* 126. *& dubit.* 127.



DVBITATIO CXXXIX.

Cuinam applicari debeant confiscata bona delinquentis delicto hæresis?

SECTIO PRIMA.

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Patrimonialia, quasi Patrimonialia, & alia Clericorum bona, quæ confiscantur, applicanda sunt fisco Ecclesiæ Episcopalis secundum aliquos Doctores, quamuis secundum alios ex consuetudine applicari debeant fisco sæculari, & secundùm alios pro expensis Inquisitionis.*

2 *Alij verò limitant de Clerico hæretico habente beneficium simplex non curatum; quia tunc ipsius bona non applicantur illi Ecclesiæ, in qua habebat beneficium, sed officio S. Inquisitionis, si ibi sit consuetudo, quod de illis bonis possit testari.*

3 *Bona hæreticorum confiscata extra statum temporalem Summi Pontificis olim applicabantur fisco sæculari: in Terris verò statui temporali Summi Pontificis immediatè subiectis applicabuntur fisco Ecclesiæ.*

4 *Applicantur autem huiusmodi bona domino loci, in quo ea sita sunt, & non vbi fit res condemnatio.*

5 *Iudex laïcus non potest bona hæreticorum confiscare, nec illorum possessionem capere, nisi postquam fuerint confiscata à iudice Ecclesiastico.*

6 *Iudex laicus olim poterat post latam sententiam statim capere bona confiscata, nec aliquid aliud requirebatur.*

7 *Hæreticorum bona confiscata hodie solùm applicari solent S. Inquisitionis Officio.*

8 *Bonorum delinquentis applicatio delicto hæresis est penes Pontificem; quia cùm crimen hæresis sit Ecclesiasticum, eidem competit, conniuentes illud punire.*

9 *Hæresis delicti cognitio conuenit Pontifici, eiúsque Ministris, & nullo modo Potestatibus sæcularibus.*

10 *Pontifex sæpè dirigit constitutiones suas ad aliquas speciales Prouincias, vel Personas, quo non obstante, illæ sunt leges vniuersales pro tota Ecclesia.*

11 *Innocentius III.* in cap. vergentis de hæretic. *decreuit, bona hæreticorum confiscari, & in Terris Ecclesiæ applicari Fisco Ecclesiæ; in Terris verò Ecclesiæ temporaliter non subiectis applicari fisco iudicis sæcularis, etiamsi condemnatus filios catholicos haberet.*

12 *Limitauit dictam Constitutionem idem Pontifex in bonis Clericorum, vt scilicet hæc non fisco Ecclesiæ, sed Ecclesiis, à quibus illi stipendia receperunt, applicentur.*

13 *Innocentius IV. quem secutus est Alexander IV. & Clemens IV. trimembrem fecit bonorum confiscatorum diuisionem: primam applicandam in commune ciuitatis: secundam in fauorem, & expeditionem Sancti Officij Inquisitionis dandam Officialibus; Tertiam in aliquo tuto loco reseruandam ad dispositionem Diœcesani, & Inquisitoris in fauorem fidei, &c.*

14 *Constitutiones prædictæ obligant omnes Catholicos tam existentes in Italia, quàm extra, contra Bursatum.*

15 *Constitutiones prædictæ sunt authenticæ, & vsu receptæ, vt probant Doctores.*

16 *Neque dictis Constitutionibus est derogatum per Constitutionem Alexandri IV. quia per Constitutionem Clementis IV. qui proximus Alexandro fuit, trimembris illa diuisio Innocentij firmata est.*

17 *Trimembris dicta diuisio seruanda est, donec aliud à Pontifice cautum non fuerit.*

18 *Trimembris hæc bonorum diuisio, vt locum habeat, debent domini temporales Inquisitoribus, & eorum Ministris, quidquid necessarium fuerit pro expeditione Officij Sanctæ Inquisitionis, suppeditare iuxta Constitutiones dictorum Pontificum; aliàs omnia Sanctæ Inquisitionis Officio, & Inquisitoribus applicari debent.*

19 *Clericorum*

19 *Clericorum bona ab Ecclesiis in stipendium accepta non sunt neque fisco, neque Inquisitionis Officio; sed Ecclesiis, à quibus Clerici receperunt, applicanda.*

20 *Bona omnia hæreticorum in Hispania, & in Regno Siciliæ applicantur Regio fisco; forsan quia Rex Catholicus Inquisitoribus, & eorum Ministris subministrat de proprio; quidquid ad promotionem Sancti Officij necessarium fuerit.*

21 *Bona hæreticorum Placentiæ, & Mantuæ de consuetudine diuiduntur in duas partes, quarum vna applicatur fisco Principis, qui brachium suum sanctæ Inquisitionis Officio præstat; & altera applicatur sanctæ Inquisitionis Officio pro eius conseruatione.*

22 *Bona hæreticorum Mediolani de consuetudine diuiduntur, æquis portionibus inter Fiscum Ducalem, Episcopum, & Inquisitorem.*

23 *Bona immobilia in Gallia etiam Clerici ad degradationem vel ad perpetuum carcerem condemnati de consuetudine applicantur Regi, vel domino temporali imperium ibi habenti: mobilia verò applicantur Episcopo.*

24 *Bona hæreticorum Sabaudiæ ex speciali Constitutione Gregorij XIII. diuiduntur hoc modo: si dicta bona non excesserint valorem mille ducatorum, medietas applicatur fisco Ducali, & altera medietas Officio sanctæ Inquisitionis. Quod si dictum valorem excesserint, omnia applicantur Cameræ Ducali, cum obligatione persoluendi pro qualibet dictarum confiscationum sanctæ Inquisitionis Officio scuta quingenta.*

25 *Principes, & domini temporales si in exequendis Inquisitorum mandatis negligentes fuerint, non solum tanquam indigni portione bonorum confiscatorum sibi debita priuati remanebunt; sed etiam tanquam hæreticorum defensores, & fautores inquiri poterunt.*

1 SVPPONO primò *ex dictis suprà dubitat.* 126. quod Patrimonialia, quasi Patrimonialia, & alia Clericorum bona, quæ confiscantur, applicanda sint fisco Ecclesiæ Episcopalis, vt volunt Zabarella *in Clem.* 2. *de hæretic.* §. *Inquisitoribus num.* 3. Imola *ibidem num.* 8. Angelus *verb. hæretic. num.* 5. Syluester *eod verb. Hæreticus* 1. *num.* 13. Peregrinus *de iur. fisc. lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 31. Diaz *in Pract. criminal. Canonic. verb. hæretici cap.* 124. *a.* 4. & Bursatus *lib.* 1. *cons.* 43. *n.* 37. *&* 38.

Quamuis alij velint, quod sint (scilicet ex consuetudine) applicanda fisco sæculari; sic Ignatius Lopez *in Additiou. ad Diaz cap.* 114. *verb. hæretici*, qui ait, talem esse consuetudinem in Gallia, & Hispania: quod idem docet Gulielm. de Benedict. *in repet. cap. Raynutius verb. Et vxorem de testament. num* 242. (quatenus asserit, in Gallia esse receptum, vt bona immobilia Clericorum hæreticorum applicentur fisco Regio) & Couarruuias *lib.* 2. *var. cap.* 9. *num* 12. (quatenus testatur in Regno Castellæ bona prædicta applicari fisco sæculari, talémque consuetudinem ipse approbat.)

Et alij (vt Cantera *in quæst. crimin. rubr. de hæretic. cap.* 1. *num* 41. velint, quod huiusmodi bona applicentur pro expensis Inquisitionis.

2 Et alij (vt Lælius Zecchius *in summa part.* 1. *tit. de fide rubr. de hæretic. cap.* 11. *num.* 16.) velint, quod quando Clericus hæreticus habebat beneficium simplex, & non curatum, tunc ipsius bona non applicentur illi Ecclesiæ, in qua habebat tale beneficium (quod est verum, vbi est consuetudo, quod Clericus possit de illis testari iuxta ea, quæ dicebam *suprà dubit.* 126. *n.* 6.) sed applicentur Officio sanctæ Inquisitionis.

3 Suppono secundò, ex dictis *dubit.* 127. quod bona hæreticorum confiscata extra statum temporalem Summi Pontificis olim applicabantur fisco sæculari; in terris verò statui temporali Summi Pontificis immediatè subiectis applicabantur fisco Ecclesiæ; sicuti patet *ex cap. vergentis in princ. de hæret.* Ibi: *In terris verò temporali nostræ iurisdictioni subiectis bona hæreticorum statuimus publicari, & in alijs idem præcipimus fieri per potestates, & Principes sæculares.* Et notat ibi Ostiens. *n.* 6. Abbas *n.* 1. *&* 2. Felin. *n.* 1. Ananias *n.* 3. Peña *in director. Inquis. part.* 3. *q.* 109. *comm.* 158. & Nauarr. *cons.* 10. *de hæret. n.* 1. asserens, esse communem opinionem; addens tamen, quod omnia hæreticorum bona pertineant ad fiscum Ecclesiæ.

Applicantur autem huiusmodi bona domino loci, in quo sunt illa bona, & non in quo fit rei condemnatio. 4
Probus *in c. cùm secundùm de hæret. in* 6. *in addit.* ad Io. Monach *n.* 8. Geminian. *ibid. n.* 4. Ioan. Andr. *n.* 2. Franch. *n.* 3. Gundisaluus *tract. de hæret. q.* 15. *n.* 6. Simanch. *de cathol. Instit. tit.* 9. *n.* 129. & Decian. *in tract. crimin. lib.* 5. *c.* 44. *n.* 8. quatenus aiunt, quod si hæretici bona in diuersis locis reperiantur, applicentur diuersis Dominis, in quorum territoriis illa bona sita reperiuntur.

Aduerte tertiò, quod *in c. cùm secundùm* §. *confiscationis de hæret. in* 6. statuitur, quod non possit iudex laicus bona hæreticorum confiscare, nec illorum possessionem apprehendere, nisi postquam fuerint confiscata à iudice Ecclesiastico; sic enim ibi legitur: *Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum ipsorum occupatio fieri non debet per Principes, aut alios dominos temporales, antequam per Episcopum loci, vel aliam personam Ecclesiasticam, quæ super hoc habeat potestatem, sententia super eodem crimine fuerit promulgata.* Et notat ibidem Glossa *verbo cùm secundùm*, Geminian. *n.* 1. *&* 3. Franch. *n.* 2. Idémque etiam habetur in Constitutione Martini V. *Inter cunctas* apud Peñam inter literas Apostolicas. 5

Post latam verò sententiam poterat olim iudex laïcus statim apprehendere bona confiscata, nec aliquid aliud requirebatur. Alciatus *in cap. Perniciosum de officio Ordinary num.* 73. *&* 74. Decian. *in tractat crimin. lib.* 5. *cap.* 44. *num.* 9. & Graff. *lib.* 2. *decis. cap.* 11. *num.* 4. 6

Hodie tamen bona hæreticorum confiscata applicari solent solùm Sanctæ Inquisitionis Officio, quia ad Inquisitores pertinet facere expensas, quæ, vt hoc officium possit administrari, necessariæ sunt. Albericus *in l. Manichæos num.* 2. *Cod. de hæretic.* Lucerna *Inquisit. verb. fiscus vers. hodie*, Nauarr. *cons.* 20. *de hæret. num.* 2. & Peña *in director. part.* 3. *q* 109. *commentar.* 158. *vers. Cùm autem.* 7

Suppono quartò, quod applicatio bonorum delinquentis delicto hæresis sit penes Pontificem, quia cùm crimen hæresis sit Ecclesiasticum, *cap. vt Inquisitionis* §. *Prohibentes de hæretic. in* 6. Pontifici competit, committentes illud (siue Ecclesiasticos, siue laïcos punire, *cap. licet de foro competent.* Et ibi cum Glossa communiter Doctores; at vna ex pœnis, quæ fertur contra hæreticos, est confiscatio bonorum. Ergo, &c. Ita vt in tali pœna imponenda Constitutiones Pontificiæ debeant seruari, & præferri Constitutionibus Regiis, si hæ forsan illis aduersentur. 8

Secundò; quia cognitio talis delicti conuenit Pontifici; eiúsque Ministris, & nullo modo Potestatibus sæcularibus, ex textu *in citato cap. vt Inquisitionis.* Ergo etiam applicatio bonorum hæreticorum competit soli Pontifici, & quibus ipse facultatem concesserit, & non aliis; quia hæc bonorum applicatio accessoria est primæ cognitioni, vel potiùs condemnationi; accessorium autem iudicari debet iuxta naturam principalis, *cap. Accessorium de regul. iur. in* 6. 9

Suppono quintò, quod Pontifex sæpè dirigat Constitutiones suas ad aliquas speciales Prouincias, vel personas; quo non obstante, illæ sunt leges vniuersales pro tota Ecclesia, sicuti constat ex pluribus Constitutionibus insertis in corpore iuris, quæ specialibus locis, vel personis directæ quidem erant. Dicendum igitur est, quod multæ Constitutiones sint à Pontifice latæ in 1

fauorem Sanctæ Inquisitionis, quæ Inquisitoribus tantùm Ordinis Prædicatorum, aut Inquisitoribus Italiæ directæ essent (vt videre est in iis, quas refert Peña *in fin. directorij Inquisitorum.*) Et tamen hinc inferri non debeat, quod obseruandæ non sint ab Inquisitoribus totius Orbis. Alias plurimè priuilegia, illis concessa, corruerent. Et ratio, quare vim legis vniuersalis habere, & ab omnibus obseruari debeant alterius est; quia *in cap. vlt. §. vlt. de hæretic. in 6. & in clement. 1. §. vlt. de hæretic.* expressè decernitur, quod omnes Constitutiones, & Extrauagantes contra prauitatem hæreticam editæ, etiamsi in corpore iuris non contineantur, ab omnibus obseruari debeant; vti rectè notauit Peña *3. part. directorij, comment. 158.* & Farinac. *de heres. q. 190. num. 175.*

11 Suppono sextò, quod (vti dicebam) Innocentius III. *in cap. vergentis de hæretic. decreuerit*, bona hæreticorum confiscata, & in terris Ecclesiæ applicari fisco Ecclesiæ; in terris verò Ecclesiæ, temporaliter non subiectis, applicari fisco iudicis sæcularis, etiamsi condemnatus filios Catholicos habeat. Quam Constitutionem postea *in*

12 *cap. Excommunicamus 1. §. damnati*, eodem titulo de hæreticis limitauit in bonis Clericorum, vt scilicet hæc non fisco Ecclesiæ, sed Ecclesiis, à quibus illi stipendia receperant, applicentur. At Innocentius IV. (quem

13 secutus est Alexander IV. & Clemens IV.) in sua Constitutione edita ann. 1251. (quæ incipit *Ad extirpanda*) trimembrem fecit bonorum confiscatorum diuisionem; & Primam decreuit applicandam esse in commune ciuitatis, seu loci, in quo delinquens damnatur, vel bona illius sita sunt. Secundam in fauorem, & expeditionem Sancti Officij Inquisitionis dandam esse Officialibus, qui tunc negotia ipsius peregerint. Tertiam ponendam in aliquo loco tuto, secundùm quod dictis diœcesano, & Inquisitori videbitur reseruanda, & per consilium eorumdem in fauorem fidei, & ad hæreticos extirpandos reseruanda.

14 Neque dicas cum aliquibus, quos sequitur Bursatus *lib. 3. conf. 8.* quod dictæ Constitutiones obligent solùm in Italia, & non extra; quia id minùs verum est ex dictis supra; & tradunt communiter Doctores.

15 Neque dicas secundò, quod non sint authenticæ, vel quod non sint vsu receptæ; quia & quod sint authenticæ, & quod sint vsu receptæ, probant rectè Peña *comment. 158. vers. Ego verò*, & Farinacius *quæst. 190. num. 178.*

16 Neque dicas tertio, quod dictis Constitutionibus derogatum sit per Constitutionem Alexandri IV. editam anno 1260. incipientem *Discretionis vestræ*, apud Peñam, & Farinacium *in locis suprà citatis* (vbi ait Pontifex: *Bona publicata, & in posterum publicanda, eorum pretium ad opus Romanæ Ecclesiæ conseruetur*) quia (prætereaquam quod Constitutio hæc Alexandri IV. loquitur de casu speciali, & de parte illa, quæ fisco Ecclesiæ applicanda est, cùm sit de bonis hæreticorum in Prouincia Romana existentium) Per Constitutionem Clementis IV. qui proximus Alexandro fuit, trimembris illa diuisio Innocentij IV. firmata est (quod idipsum fecit Eugenius IV. in sua Constitutione edita anno 1438. quæ incipit *Sedis Apostolicæ prouidentia*, & extat apud Farinacium *citata quæstione 190. num. 178.*) His suppositis, sit

SECTIO II.

Dubitationis Resolutio.

17 Respondetur, quod dicta trimembris bonorum diuisio seruanda sit; donec aliud à Pontifice cautum non fuerit; atque ita docent Doctores, quos sequitur Peña *citato commentario 158. vers. Quare vt ad institutum*, & Decianus *tractat. criminal. lib. 5. cap. 44. num. 5.*

Quamuis vt hæc trimembris bonorum diuisio locum habeat, debeant domini temporales Inquisitoribus, & eorum Ministris, quidquid necessarium fuerit pro expeditione Officij Sanctæ Inquisitionis suppeditare, iuxta Constitutiones Innocentij IV. Alexandri IV. & Eugenij IV. Alias omnia Sanctæ Inquisitionis Officio, & Inquisitoribus applicari deberent; cùm cesset tunc ratio, quare illa tertia pars Dominis temporalibus applicari debeat; sic Doctores communiter, quos sequitur Peña *citato commentar. 158. vers. Cum autem*, & Farinacius *cit. quæst. 190. num. 185.* 18

Dixi, quod dicta trimembris bonorum diuisio seruanda sit, donec aliud à Pontifice cautum non fuerit; quia bona Clericorum ab Ecclesiis in stipendium accepta, non sunt neque fisco, neque Inquisitionis Officio, sed Ecclesiis, à quibus Clerici receperunt, applicanda, iuxta textum *in cap. Excommunicamus de hæretic.* Secundò; quia in pluribus locis (cùm ibi consuetudo sit in contrarium, vti suprà dicebam) aliud à Pontifice cautum videtur; Et quidem 19

In Hispania de consuetudine (sicut & in Regno Siciliæ) omnia bona hæreticorum applicantur Regio fisco; quia Rex Catholicus Inquisitoribus, & eorum Ministris subministrat de suo, quidquid ad promotionem Sancti Officij necessarium fuerit. Clar. *in Pract. crimin. §. hæresis n. 11.* Nauar. *conf. 2. n. 1. tit. de heret.* Peña *cit. comment. 158. vers. hinc consequitur.* Torreblanc. *de Magia lib. 3. c. 11. n. 41.* Lorca *in 2. 2. q. 11. a. 4. disp. 46. membr. 1. n. 6.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 9. n. 132.* Farinac. *cit. q. 190. n. 188.* & Couarr. *variar. resol. lib. 2. c. 9. n. 12.* Vbi subdit, quod hæc applicatio fisco regio facienda in Hispania locum habeat etiam in bonis Clericorum habentium Beneficia (quæ non Ecclesiis, à quibus stipendia receperunt) sed Regio fisco applicantur. Vnde (quamuis bona Clericorum publicata, attento iure Canonico, sint applicanda fisco Ecclesiæ, sicuti probat Conarr. *vbi suprà*) Nihilominus in Inquisitione Hispanica bona Clericorum siue mobilia, siue immobilia, quæ ob ipsorum hæresim publicantur, applicanda sunt fisco Regio. Quam praxim testantur, & approbant Lorca, & Conarr. *in locis suprà cit.* Hier. Roderiq. *in compend. quæst. Regular. resol. 73. n. 14.* Sanchez *tom. mor. lib. 2. c. 20. n. 26.* Cencdus, Azeuedus, Salzedus, & alij, quos citat, & sequitur Barbosa *in collectan. tom. 2. lib. 5. tit. 7. cap. 13. num. 8.* 20

Placentiæ, & Mantuæ verò de consuetudine bona hæreticorum diuiduntur in duas partes, quarum vna applicatur fisco Principis, qui brachium suum Sanctæ Inquisitionis Officio præstat, & altera applicatur Sanctæ Inquisitionis Officio pro eius conseruatione. Vmbertus Locatus *in iudicio Inquisitionis, verbo Fiscus num. 1.* Bursatus *consil. 43. num. 45. lib. 1.* & Farinacius *loco suprà citato.* 21

Mediolani de consuetudine bona hæreticorum diuiduntur æquis portionibus inter Ducalem, Episcopum, & Inquisitorem. Clarus *in Pract. crimin. §. hæresis numero 11. versu: In hoc autem Ducatu.* & Thuscus *in Pract. conclusion. verbo Hæreticus, conclus. 102. n. 15. & 16.* 22

In Gallia de consuetudine bona immobilia, etiam Clerici ad degradationem, vel ad perpetuum carcerem condemnati; applicantur Regi, vel Domino temporali imperium ibi habenti; mobilia verò applicantur Episcopo; sic Doctores, quos citat & sequitur Salzed. *Pract. crimin. capite 114. verbo Hæretici*, & Couarruuias *libro 2. variarum capite 9. numero 52.* & Peregrinus *de iur. fisc. libro 4. tit. 5. n. 3. 1.* 23

Sabaudiæ tandem ex speciali Constitutione Gregorij XIII. edita anno 1584. hæreticorum bona diuiduntur hoc modo, si dicta bona non excesserint valorem mille scutorum, medietas applicatur Cameræ, seu fisco Ducali, & altera Officio Sanctæ Inquisitionis. 24

Quod

Quod ſi excesſerint dictum valorem mille ſcutorum, omnia applicantur eidem Cameræ, ſeu fiſco ducali, quamuis debeant Ducis Miniſtri pro qualibet confiſcatione realiter, & cum effectu, & ſine aliqua mora Sanctæ Inquiſitionis Officio ſcuta quingenta omninò perſoluere: ſed de hac re vide etiam, quæ dicebam ſuprà *citata dubit.126. & cit. dubit.127.*

25 Cæterùm, ſi Principes, & Domini temporales (quibus vel ex Romani Pontificis ſpeciali conceſſione, vel ex conſuetudine ab illo approbata pars aliqua in bonis delinquentis confiſcatis conuenit) in exequendis Inquiſitorum mandatis negligentes fuerint, non ſolùm tanquam indigni portione bonorum cōfiſcatorum ſibi debita priuari remanebunt, ſed etiam tanquam hæreticorum defenſores, & fautores, inquiri poterunt; ſic Doctores, quos ſequitur Farinacius *loco ſuprà citato.*



DVBITATIO CXL.

An excuſetur Hæreticus à ſupradicta pœna confiſcationis bonorum, ſi reſipuerit, vel miſericordiam poſtulauerit?

SVMMARIVM.

1 *Hereticus non excuſatur à ſupradicta pœna confiſcationis bonorum de rigore iuris, etiamſi reſipuerit, vel miſericordiam poſtulauerit; quia talis pœna eſt annexa delicto.*

2 *Excuſatio ſi competeret hæretico in tali caſu, conſtare deberet ex aliqua lege, vel decreto Pontificio, quod nullibi reperitur.*

3 *Confiſcatio quandoque par eſt, quod ex benignitate, & miſericordia remittatur; quia textus* in cap. vergentis de hæretic. *ſufficiens præſtat fundamentum ad hanc remiſſionem, ſeu gratiam faciendam.*

4 *Hæretico ex benignitate & miſericordia petenti bona confiſcata remitti, remitti debent. Primò, cum pœnitentiam agit, & miſericordiam poſtulat, antequam accuſatus, vel denunciatus fuerit. Secundò, ſi poſtquam eſt accuſatus & denunciatus ſtatim errorem ſuum confiteatur antequam dicta teſtium ſibi publicata fuerint. Tertiò, ſecundùm aliquos, ſi ante ſententiam reſipiſcat, & miſericordiam petat: quamuis hæc tertia Auctori non probetur, & cur?*

5 *In Hiſpania nulli hæretico remittuntur bona, niſi tantùm ei, qui errores ſuos ſpontè fatetur, ſcilicet nullo metu probationis, & teſtificationis ductus ad iudices fidei accedit miſericordiam poſtulaturus.*

6 *Ductus dicitur nullo metu probationis, & teſtificationis ad iudices fidei accedere miſericordiam poſtulaturus, qui non vocatus ob denunciationem, vel accuſationem iudices Fidei adit, crimina confeſſurus.*

1 RESPONDETVR negatiuè, ſi de rigore iuris loquamur; eſt ſententia communis Doctorum.

Probatur; quia talis pœna confiſcationis eſt annexa delicto; *c. cùm ſecundùm leges de hæret. in 6.* Ergo ſemel delicto commiſſo, ab hac pœna delinquens non excuſatur.

2 Neque dicas, quod non excuſatur ab illa pœna contrahenda, excuſatur tamen ab illius pœnæ executione ob pœnitentiam, vel miſericordiam poſtulatam; quia hæc excuſatio (quæ eſt pœnæ per legem impoſitæ remiſſio) conſtare deberet ex aliqua lege; vel decreto Pontificio; ſed nulli conſtat, quod excuſetur, vt ipſi hæretico pœnitenti bona confiſcata remitti debeant; ergo remitti non debent, ſi, vti dicebam, de rigore iuris loquamur.

Quamuis ex benignitate, & miſericordia par eſt, 3
quod aliquando remittantur; quia text. *in c. vergentis de hæret.* ſufficiens præſtat fundamentum ad hanc remiſſionem, ſeu gratiam faciendam, Ibi: *Neque ad eos (ſcilicet hæreticos) bona eorum ulteriùs reuertantur, niſi eis ad cor reuertentibus, & abnegantibus hæreticorum conſortium miſereri aliquis voluerit.* Et tradit Gloſſ. ibi, Abbas *ibid. n.2.* Felin. *n.2.* & alij Canoniſtæ, quos ſequitur Peña *in director. Inquiſit. 3. part. comment. 158. verſ. ſed cum ex benignitate,* & Farinac. *q.25. n.16. & q.190. §.9. num.144.* (quidquid in contrarium dixerit Corradus Brunus *tractatu de hæretic. lib.5. cap.6. num.9.*)

Quandonam autem ex benignitate, & miſericordia 4
hæretico pœnitenti bona remitti debeant?

Reſpondetur primò, cùm pœnitentiam agit, & miſericordiam poſtulat, antequam accuſatus, vel denunciatus fuerit. Simanch *de cathol. inſtit. tit.47. num.16.* Peña *3. part. director. comment. 158. verſ. tertia ſimiliter,* Calderin. *tract. de hæretic. n.2.* & alij paſſim.

Secundò, ſi poſtquam eſt accuſatus, vel denunciatus, quinimò, & captus, ſtatim errorem ſuum plenè confiteatur, antequam dicta teſtium ſibi publicata fuerint. Ita Peña *loco ſuprà cit.* Pariſius *conſil.2. num.184.* & alij quos citat, & ſequitur Farinac. *qu.25. num 6. & qu.190. num. 135.*

Tertiò, ex aliquorum ſententia, ſi ante ſententiam, tamen ſi poſt dicta teſtium ſibi publicata reſipiſcat, & miſericordiam petat; ita Doctores, quos citat & ſequitur Farinacius *in locis ſuprà citatis.*

Quamuis id aliis minùs probetur; quia tunc delinquens non videtur ex voluntate delictum fateri, ſed quia de illo conuictus ſit. Quapropter talis perpetuo carceri mancipatur ex Textu *in cap. excommunicamus 2. §. ſi qui de hæretic.* Ibi: *Si qui poſtquam fuerint deprahenſi redire voluerint ad agendam pœnitentiam, in perpetuos carceres detrudantur:* Intellige tamen: *poſtquàm fuerint deprahenſi.* Plenè, nempe non ſolùm captura, ſed præcipuè depoſitione teſtium.

Cæterùm in Hiſpania nulli hæretico remittuntur 5
bona niſi tantùm ei, qui errores ſuos ſpontè fatetur, ſcilicet nullo metu probationis, & teſtificationis ductus ad iudices fidei accedit miſericordiam poſtulaturus. Peña *3. part. commentar. 12. verſ. magnam veniam,* & Simancha *de catholicis inſtitutionibus. titulo 44. numero 3.*

Dicitur autem nullo metu probationis, & teſtificationis ductus ad iudices fidei accedere miſericordiam poſtulaturus, qui non vocatus ob denunciationem, vel accuſationem iudices fidei adit crimina confeſſurus. Abbas *in cap. de hoc de ſimonia,* & Peña *loco ſuprà citato verſu & metu probationis.* Vide etiam, quæ dicam infrà *dubitat. 103. & 211.*

PETITIO.

An poſſint Inquiſitores relinquere Hæretico pœnitenti bona confiſcata?

SVMMARIVM.

1 *Inquiſitores, ſaltem ex benignitate, & miſericordia poſſunt relinquere Hæretico pœnitenti bona confiſcata; & ita ſeruatur in vniuerſa Italia. Contra alios tenentes contrarium ſatis probabiliter, maximè attenta conſuetudine, quæ viget in Hiſpanica Inquiſitione, vbi hæretici etiam ſi redeant ad Eccleſiæ gremium non recuperant bona confiſcata.*

2 *Parisius, & alij complures errant circa hoc, & cur?*
3 *Hæretico pœnitenti in Inquisitione Hispanica non fit bonorum præscriptorum remissio, nisi sponte confiteatur errores suos.*

1 Respondeo ex dictis (saltem ex benignitate, & misericordia) affirmatiuè Parisius *lib.4.consf.2.n.*184. Vmbert. Locat. *in Prax. Inquisit. verb. Inquisitor. num.*33. Bursatus *lib.1.consf.*14.*num.*31. *&* 32. (vbi subdit, quod & teneantur) Ghirland. *tract. de heretic. quæst.6.num.*1. *& seqq.* Decian. *in tract. crimin. lib.5.cap.44.num.*2. Roland. a Valle *lib.3.consf.92.num.*24. Zalius *lib.1.consf.*23. *numer.*11. Peña *in director. Inquisit. part.2. comment.9.* Zanchin. *de heretic. cap.25. num.*23. Et ita seruatur in vniuersa Italia, sicuti testatur Peña *loco suprà citato.* Videri etiam poterit Surdus *consf.*386. & Ricciull. *in tract. de iur. person. lib.5.cap.41.num.*2.

Quamuis contrarium satis probabiliter teneant Canterà *in quæstion. crimin. cap.1. de heretic. num.*18. Io. Royas *singul.26 num.*4. Simancha *de cathol. instit. titul.*47. *num.*15. Conrad. Brun. *de heretic. lib.5.cap.6.num.*10. Et ita (quidquid sit de consuetudine aliorum locorum) seruatur in Inquisitione Hispanica, sicuti testatur Simancha *loco iam supradicto*, quatenus ait: non solùm
2 publicam pœnitentiam agunt hæretici, qui ad Ecclesiam redeunt, sed etiam ipsorum bona publicantur, & ea (quamuis ad Ecclesiæ præmium recipiantur) non recuperant: Qua in re falli videntur Parisius, & alij complures, qui sequuntur Italiæ consuetudinem, quæ (cùm sit vetustissima, & à Summis Pontificibus approbata) pro lege ab eis seruanda est: in Hispania verò iura ipsa Pontificia, & leges Regias sequimur. Quapropter in Hispania Inquisitores non videntur bona ipso iure confiscata posse relinquere hæretico pœnitenti in damnum fisci, cui iam ius esse quæsitum videtur.

3 In Inquisitione igitur Hispanica nulli hæretico pœnitenti fit bonorum remissio, nisi soli illi qui sponte fatetur errores suos: quod tunc contingit, quando nullo testificationis, & probationis metu ductus ad Inquisitores accedit, & misericordiam hæresim suam integrè manifestando petit, sicuti suprà dicebam. Et videri poterit Instructio Toletana anno 1561. *num.* 41. Videri etiam poterunt, quæ dicam infrà *dicta dubitat.* 203. *&* 211.



DVBITATIO CXLI.

An, & quomodo debeat fiscus satisfacere creditoribus delinquentis, cuius bona confiscantur?

SVMMARIVM.

1 *Fiscus debet soluere omnia debita delinquentis ante delictum contracta, si omnia eius bona confiscauerit; quia licèt fiscus non sit propriè hæres, habetur tamen loco hæredis.*
2 *Fiscus non potest occupare, nisi bona delinquentis, quæ eius non reputantur, nisi deducto ære alieno.*
3 *Fiscus debet soluere omnia debita delinquentis quomodolibet sint contracta, ex mutuo, deposito, commodato, legato, fideicommisso, &c. quia fiscus est vniuersalis successor.*
4 *Fiscus non tenetur soluere debita delinquentis contracta post delictum, vbi est annexa confiscatio ipso iure: nisi in quantum probatum fuerit versum fuisse in vtilitatem delinquentis, & ipsius fisci.*
5 *Fiscus si confiscauerit partem bonorum delinquentis, tenetur solum soluere pro parte.*
6 *Hæreticus, si non confiscantur omnia eius bona, sed solùm pro parte, tenetur æs alienum soluere pro ea parte bonorum, quæ non fuit confiscata, quamuis ordinariò in crimine hæresis omnia bona confiscentur.*
7 *Fiscus non tenetur soluere æs alienum in totum, si bona hæretici confiscata non sufficiant, sed solùm pro illa parte, quæ ad ipsum deuenit: pro altera verò parte tenetur ipse hæreticus, si scilicet post condemnationem acquisiuerit aliqua bona, vnde soluere possit.*
8 *Debita in dubio an sint contracta post delictum, licèt nonnulli asserunt, quod teneatur probare opponens, probabilius tamen est, teneri fiscum; quia constat de delicto, & obligatione.*
9 *Onus probandi, donatorem non potuisse donare, pertinet ad successores ipsius, & donatarius non tenetur probare, donatorem potuisse id facere.*
10 *Fiscus, si delicto non sit annexa ipso iure confiscationis pœna, sed veniat imponenda, tenetur eodem modo soluere debita, ac si ante delictum commissa essent; quia tunc delinquens potest bona sua obligare debitoribus.*
11 *Fiscus, quamuis inuentarium non fecerit, non tenetur soluere debita delinquentis vltra vires bonorum publicatorum.*

RESPONDETVR: debet fiscus soluere omnia debita delinquentis ante delictum contracta, si omnia bona delinquentis confiscauerit. Est Simanchæ *de cathol. instit. tit.9.num.*35. *& in Enchirid. titul.*56. *num.*7. Lælij Zecchij *in summa tit. de fide rubr. de heres. cap.11.num.*16. Torreblanc. *de Magia lib.3.cap.11 num.*45. & communis aliorum sententia. 1

Probatur; quia fiscus, licèt non sit propriè hæres, eo quod succedit condemnato viuenti, habetur tamen loco hæredis; ergo sicut hæres tenetur soluere omnia debita defuncti, ita & fiscus tenebitur soluere omnia debita delinquentis condemnati.

Confirmatur; quia fiscus non potest occupare, nisi 2 bona delinquentis; at bona delinquentis non reputantur nisi quæ, deducto ære alieno, supersunt, ex textu *in l. non possunt ff de iur. fisc.* Ibi: Non possunt vlla bona ad fiscum pertinere, nisi quæ creditoribus superfutura sint: id enim bonorum cuiusque esse intelligitur, quod æri alieno superest: ergo, &c.

Dixi: omnia debita delinquentis: siue scilicet ex 3 mutuo, deposito, commodato, legato, fideicommisso, &c. sint contracta. Item siue ad ea ciuiliter, siue naturaliter tantùm delinquens obligetur; quia fiscus est vniuersalis successor, succedens in omni actione, tam actiua, quàm passiua delinquentis, ex textu *in l. Papinianus §. meminisse ff. de inofficios. testamenti*, & ex textu *in l. ex facto ff. ad Trebell.* & docent communiter Doctores quos citat & sequitur Farinacius *de heres. quæst.* 190. *num.*28.

Dixi secundò: *Debita ante delictum contracta*; quia 4 ad ea, quæ post delictum, cui ipso iure est annexa pœna confiscationis, contracta sunt, fiscus non tenetur; nisi in quantum probatum fuerit, quod in vtilitatem delinquentis, & sic in vtilitatem ipsius fisci impensa sint; cùm ex bonis, priùs fisco obligatis, solui posteriora debita non debeant; sic Doctores, quos sequitur Sanchez *lib.2.moral. cap.22. num.*76.

Dixi tertiò: si omnia bona delinquentis confiscauerit: quia si fiscus confiscauerit partem, tenetur tantùm pro parte; cùm tunc fiscus solùm pro parte loco debitoris subrogetur ex textu *in l. finali Cod. de debitor. ciuit. libro* 11. Ibi: *Pro rata rerum, quas possident conueniuntur.* 5

Si igitur non confiscantur omnia bona hæretici, sed solùm pro parte; tunc hæreticus tenetur soluere pro ea parte 6

parte bonorum, quæ non fuit confiscata, *l. Tutela, ff. de capit. diminut. l. 1. Cod de fideiuss. l. 3. §. si verò partem Cod. de sent. pass. & l. 2. Cod ad leg. Iul. de vi public.* Et tradunt Doctores, quos sequitur Farinac. *tom. 1. q 25. num.* 177. Sanchez *vbi suprà*, & Oddo *de restitut. part. 2. q. 97. notabil. 2. num.* 11. quamuis ordinariè in crimine hæresis omnia bona confiscentur; *cap. cùm secundùm leges de hæret. in 6.*

7 Sicut similiter si bona hæretici non sufficiant ad soluendum æs alienum (quod hæreticus contraxit) tunc etiam Fiscus non tenetur soluere æs alienum in totum, sed solùm pro illa parte, quæ ad ipsum deuenit; Pro altera verò parte tenebitur ipse hæreticus, si scilicet post condemnationem acquisiuerit aliqua bona, vnde soluere possit. Ita Doctores, quos sequitur Vasquez *prima secunda, q. 96. art. 5. disput. 169. cap. 2. num. 21.* & Sanchez *lib. 2 moral. cap. 22. n. 89.*

8 Quisnam autem in dubio, an debita sint contracta post delictum, probare debeat?

Respondetur, quod (quamuis nonnulli, quos sequitur Cantera *quæst. crimin. rubr. de hæreticis cap. 1. num. 21.* teneant, quod debeat probare opponens,) probabiliùs tamen sit quod docent Farinacius *q. 19 n.* & Sanchez *loco suprà cit.* scilicet, quod debeat probare Fiscus; quia constat de delicto, & obligatione: ergo vt Fiscus ab illa se eximat, debet ipse probare, quod debita sint contracta post delictum.

9 Confirmatur, quia si quis promitteret certam quantitatem bonorum, & is, cui facta est promissio, petat ab hæredibus promissoris illam quantitatem, si dubium fuerit, an potuerit ea bona donare, non pertinet ad donatarium probare, quod donator potuerit illa donare, sed onus probandi, quod non potuerit donare, incumbit successoribus; ergo etiam in casu nostro onus probandi, quod debita fuerint contracta post delictum, incumbet Fisco.

Confirmatur secundò; quia in tali casu iuxta sententiam aliquorum delinquens alienando in præjudicium Fisci, delinqueret; At in dubio nemo delinquere præsumitur; ergo, &c.

10 Cæterùm, si delicto non sit annexa ipso iure pœna confiscationis, sed veniat imponenda, tenetur Fiscus eodem modo soluere debita, ac si ante delictum contracta essent; quia tunc delinquens potest bona sua obligare debitoribus, cùm iam non sint Fisco propriè obligata, & quasi hypothecata; Aliàs posset Fiscus omnia bona delinquentis in tertios alienata, auocare hypothecaria actione; quòd minùs verum est: sic Doctores quos citat, & sequitur Farinacius *part. 1. Praxis, q. 25. num.* 190.

11 Non tamen tenetur Fiscus soluere debita vltrà vires bonorum publicatorum (quamuis inuentarium non fuerit.) Clarus *in pract. lib. 5. q. 78. num.* 30. Zauall. *tom. 3. commun. opinion. q.* 822. *num* 13. Facchin. *lib. 6. controu. cap. 21.* & alij quos sequitur Bossius *in pract. tit. de bonor. publicat. num.* 23.



DVBITATIO CXLII.

Quem modum Fiscus seruare debeat in soluendo debita, seu in satisfaciendo creditoribus delinquentis?

SVMMARIVM.

1 *Fiscus in soluendo debita, seu in satisfaciendo creditoribus delinquentis, Primò procurare debet nosse creditores delinquentis solo summario examine, & veritate inspecta, non expectando diffinitiuam sententiam; quia ita tenebatur soluere Auctor ipsius fisci.*

2 *Fiscus debet secundò satisfacere creditoribus pro viribus bonorum confiscatorum, & non vltrà; quia fiscus solùm ratione bonorum contraxit obligationem satisfaciendi.*

3 *Hæres, si non fecerit inuentarium, tenetur soluere debita defuncti vltrà vires hæreditatis; At non sic fiscus debita delinquentis, quando non suppetunt facultates; quia non est propriè hæres, ac proinde non tenetur conficere inuentarium.*

4 *Fiscus debet tertiò satisfacere creditoribus delinquentis ex bonis confiscatis, & incorporatis, non autem ex debitis postea confiscandis; quia sicut debitor aliud pro alio inuitis creditoribus soluere non potest; ita neque fiscus loco debitoris subrogatus.*

5 *Fiscus debet quartò satisfacere creditoribus vnius Territorij, ex bonis ibidem confiscatis, non autem ex bonis confiscatis alibi, quia creditori satisfaciendum est, vbi contractus celebratus fuit, non alibi ipso creditore inuito*

6 *Fiscus non tenetur soluere creditoribus vnius territorij, si ipsi velint sibi satisfieri ex bonis alibi confiscatis, & ad fiscum diuersum spectantibus, quando bona confiscata in illo territorio sufficientia sunt; quia licet creditori ante confiscationem hoc ius competebat ex generali bonorum obligatione, facta nihilominus confiscatione hoc petere non potest, ne fiscus vnus priuetur, altero illæso remanente.*

7 *Bona vnius territorij si ad debita ibidem contracta soluenda non sufficerent, satisfieri debet creditoribus ex bonis in alio territorio existentibus, quia absolutè sunt bona delinquentis.*

8 *Fiscus debet quintò satisfacere creditoribus delinquentis, priusquam fideiussor eiusdem delinquentis; quia fiscus subrogatur loco delinquentis; quapropter si creditores delinquentis exigant debitum à fideiussore, poterit fideiussor excipere excussionem faciendam à fisco.*

9 *Fiscus obligari poterit ad soluendum via executiua, si via executiua conueniri poterat delinquens; quia fiscus non censetur priuilegiatus, nisi in casibus à iure expressis.*

10 *Fiscus non poterit eo casu conueniri coram Iudice delinquentis, etiam si sententia contra delinquentem cœpta fuerit; sed conueniri debebit coram proprio Iudice.*

11 *Fiscus debet septimò si bona delinquentis condemnati sufficientia non sint, ad satisfaciendum creditoribus, & ipsimet pro expensis in delinquentis condemnatione, & in eiusdem bonorum confiscatione factis priùs satisfacere creditoribus, quàm sibimet; quia creditoribus iam quæsitum erat ius, quod ob debitum postea contractum diminui non debet.*

12 *Fiscus in hoc casu non agit vtiliter negotium creditorum contra Peregrinum; quia in hoc potiùs confirmat eorum negotium, &c.*

13 *Dicta de creditoribus fisco præferendis dici etiam debent de pœna imposita à fisco pro reparatione alicuius damni contra aliquem tertium à delinquente illati; secùs tamen videtur de pœna pecuniaria imposita delinquenti non pro reparatione alicuius damni contra aliquem tertium à delinquente illati, sed pro aliquo delicto commisso, applicanda tamen alicui priuato, & cur?*

RESPONDETVR. Debet primò fiscus procurare nosse creditores delinquentis solo summario examine, & veritate inspecta, non autem diffinitiuam sententiam spectare. 1

Probatur authoritate ex Textu *in l. siquis post hæc, Cod. de bon.proscript.* & tradunt Clar. *Pract.q.78.vers. sed quæro*, & Farinac.*q. 25.n.*176. & probatur ratione; quia delinquens solo hoc summario examine, & inspecta veritate tenetur debita soluere; ergo & eodem modo solùm tenebitur fiscus, qui loco illius subrogatur.

2 Secundò debet fiscus iuxta ea quæ dicebam dubitatione præcedenti, satisfacere creditoribus, pro viribus bonorum confiscatorum, & non vltrà; (etiamsi non fecerit inuentarium) quia fiscus solùm ratione bonorum contraxit obligationem satisfaciendi creditoribus delinquentis; ergo non obligabitur vltrà prædicta bona accepta à delinquente.

3 Objicies. Hæres, si non fecerit inuentarium, tenetur soluere debita defuncti vltrà vires hæreditatis, *Authent. sed cum Testator Cod. ad leg. falcid.* ergo & tenebitur fiscus.

Respondetur: nego consequentiam; quia fiscus non est propriè hæres; ac proinde non tenetur conficere inuentarium, sicuti tenetur hæres. Bartol. *in l.* 1. *§.an bona.* Et ibidem communiter Iuristæ *ff. de iur.fisc.* Clarus *in practic.q.*78 *num.* 30. Farinac. *de heresi, q.* 25. *n.*183.& Sanchez *lib.2.moral.cap.22.n.*83.

4 Tertiò debet fiscus satisfacere creditoribus delinquentis ex bonis confiscatis, & incorporatis; non autem ex debitis postea confiscandis; quia sicut ipse debitor delinquens non poterat creditoribus inuitis dare in solutum nomina sui debitoris ex Textu *in l. cùm à quo Cod.de solution.* & ibi Baldo, & aliis Iuristis, ita neque poterit fiscus loco debitoris subrogatus. Ita Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac.*citata q.25.num.*174.

5 Quartò debet fiscus satisfacere creditoribus vnius territorij ex bonis ibidem confiscatis, non autem ex bonis confiscatis alibi; quia creditori satisfaciendum est, vbi contractus celebratus fuit, non alibi, ipso creditore inuito, ex Textu *in l. is qui certo, ff. de eo,quod cert.loc.* & ibi Doctoribus. Et sicut quilibet fiscus potest bona sua in suo territorio occupare, & non alia; ita debet debita ibidem contracta satisfacere, & non alia.

6 Vnde si creditores vnius territorij velint sibi satisfieri ex bonis alibi confiscatis, & ad fiscum diuersum spectantibus, non tenetur fiscus eis soluere, quando bona confiscata in illo territorio sufficientia sunt; quia, licèt creditor habens bona debitoris sibi obligata, & hypothecata, possit ex quibuscumque illius bonis, etiam in alio territorio sitis, petere sibi satisfactionem fieri *ex l.creditoribus, ff.de distract.pignor.* Nihilominus facta confiscatione, id petere non potest, ne fiscus vnius territorij omnibus bonis confiscatis sibi pertinentibus altero fisco illæso remanente, priuetur. Ita Doctores, quos citat & sequitur Farinacius *cit.quæst.*25. *num.*173. Clar. *Pract. quæst.* 78. *vers. sed quæro*, & Sanchez *cit. cap.*22.*num.*78.

7 Cæterùm, si bona vnius territorij ad debita ibidem contracta soluenda non sufficerent, satisfieri deberet illis ex bonis in alio territorio existentibus; quia absolutè sunt bona delinquentis, qui est obligatus; cuius obligationis satisfactio iuri per fiscum acquisito præferri debet, Clarus, Farinacius, & Sanchez *in locis suprà citatis.*

Quintò debet fiscus satisfacere creditoribus delin-
8 quentis priusquàm fideiussor eiusdem delinquentis; quia fiscus subrogatur loco delinquentis; quapropter, si creditores delinquentis exigant debitum à fideiussore, poterit fideiussor excipere excussionem faciendam à fisco in bonis confiscatis, sicuti poterant ipsi excipere excussionem faciendam à debitore, si debitor non fuisset delinquens ex Textu *in Authent. quod si debitor, Cod. de pignor.* Et docent quamplures Doctores, quos citat & sequitur Farinac. *de heresi, q.* 25. *num.* 171. & Sanchez *lib.2.moral.cap.22.num.*79. Etsi alij contrarium teneant.

Sextò, si via executiua conueniri poterat delinquens, poterit & eodem modo conueniri, & obligari soluere fiscus; quia fiscus non censetur priuilegiatus, nisi in casibus a iure expressis, *l.* 1. *Cod. de petit. hæredit. & l. quod placuit, ff. de iur. fisci.* Et tradunt Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *loco suprà citato, n.*80. 9

Non poterit tamen fiscus conueniri coram Iudice delinquentis (etiamsi sententia contra delinquentem cœpta fuerit) sed conueniri debebit coram proprio iudice. Barbosa *in l.si constante §.finali ff.solut.matrim.*& videri etiam poterit Peregrinus *de iure fisci lib.7.tit.1.n.*11. & Farinacius *part.1. fragmentor. verb. fiscus num.* 185. Quia, cùm concessum sit fisco, ne possit conueniri, nisi coram proprio iudice (sicuti habetur *ex citata lege si constante, §.finali ff solut.matrim.l.2. Cod si aduersus fiscum, l.1. Cod.de fid. instrument. & leg.cum eorum Cod.de sentent. & interlocut.omn. iudic.*) & alicubi non habeatur exceptio (quando causa cœpta fuerit coram alio iudice) videtur, quod in tali casu coram proprio iudice conueniri debeat: quamuis secùs videatur, si iure hæreditario succederet, aut post latam sententiam in causa Appellationis; sic Barbosa, Farinacius, & præcipuè Peregrinus *in locis suprà citatis.* 10

Septimò, si bona delinquentis condemnati sufficientia non sint ad satisfaciendum creditoribus, & fisco pro expensis in delinquentis condemnatione, & in eiusdem bonorum confiscatione factis, debet fiscus priùs satisfacere creditoribus, quàm ipsimet; quia creditoribus quæsitum iam erat ius, quod ob debitum postea contractum diminui non debet; tum quia Princeps suis expensis debet persequi delinquentes, iuxta Textum *in l.1.Cod.de Mulier. quæ se publicè commiscuit.* & docent Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.*20. *moral. cap.22.n.*93. Quamuis contrarium sentiant alij, quos refert & sequitur Peregrinus *de iur.fisc.lib.5.tit.1.n.*193. 11

Obiicies ex Peregrino: fiscus in hoc agit vtiliter negotium creditorum: ergo.

Respondetur, negando antecedens; quia fiscus in hoc potiùs infirmat negotium creditorum; tum ob expensas, quas ipse fiscus facit; tum quia fiscus transfert debitum in potentiorem, qui est ipsemet idem fiscus: vt omittam, quod punitio delinquentium non spectet ad creditores, sed potiùs ad Rempublicam, vel ad Principem, vt suprà dicebam. 12

Cæterùm, quod dictum est de Creditoribus fisco præferendis, idem dico de pœna imposita à fisco pro reparatione alicuius damni contra aliquem tertium à delinquente illati; quod scilicet & hæc pœna præferri debeat etiam cuilibet alteri pœnæ fisco applicandæ; quia damnum passus est creditor, cui delinquens Iure Naturæ satisfacere tenebatur; ergo fiscus succedens in iuribus, tam actiuis, quàm passiuis delinquentis, hanc satisfacere præstare tenetur, priusquam sibi bona delinquentis applicet; sic Doctores quos citat, & sequitur Farinacius *q.*25. *n.*189. & Sanchez *cit.cap.*22.*in fin.* 13

Quamuis secùs videatur dicendum de pœna pecuniaria imposita delinquenti, non pro reparatione alicuius damni contra aliquem tertium à delinquente illati, sed pro aliquo debito commisso, applicanda tamen alicui priuato; quia huiusmodi pœna, si bona delinquentis vtrique pœnæ soluendæ sufficientia non sint, præferri non debet pœnæ fisco ipsi applicandæ; quia fiscus in hac parte dignior est; & sic alteri priuato præferri debet. *l.quod placuit ff.de iur.fisc.* & tradunt Clar. *pract.lib.5.q.78.n.*31. Couarruu.*variar.resol.lib.1.cap.*16. *num.*8. Farinac. *loc. suprà cit. n.*188. & Sanchez *lib.2. moral cap.22. num.*94.

DVBITATIO

DVBITATIO CXLIII.

An, facta confiscatione bonorum, delinquens liberetur ab omni obligatione satisfaciendi creditoribus?

SVMMARIVM.

1 *Delinquens facta confiscatione bonorum, liberatur ab obligatione soluendi creditoribus, etiamsi postea ad pinguiorem fortunam deuenerit; quia in tali casu tota satisfaciendi obligatio transmissa est in fiscum.*

2 *Amplia, quod neque in foro conscientiæ tenetur ea soluere.*

3 *Limita, dummodò bona delinquentis confiscata sufficiant pro debitis omnibus soluendis, aliàs non; quia fiscus obligationem suscipit solùm pro viribus illorum.*

4 *Delinquens, cui bona fuerunt publicata, si stante insufficientia illorum fiscus non satisfecerit creditoribus, tenetur, si redierit ad pinguiorem fortunam satisfacere ex bonis de nouo acquisitis; non enim eius obligatio est extincta, sed tantùm suspensa.*

5 *Limita secundò cum Sanchez non manere delinquentem satisfacere creditoribus obligatum, si bona confiscata sufficientia fuerint, dummodò potuerint creditores à fisco bona recuperare: secùs verò si recuperare non potuerit ex defectu probationis, vel ob expensas exorbitantes; quod autem non benè probatur, quin non probetur oppositum; quia delinquens non est in causa, vt creditores careant probatione.*

6 *Fiscus, si confiscatio non fuit omnium, sed partis bonorum, vel si fuit omnium, tamen pars delinquenti restituta est, tenetur soluere illius debita pro rata talis partis.*

7 *Creditorum ius non potest fieri deterius ex facto debitoris; non enim & persona hæredum immutatur conditio obligationis, sed possunt creditores à quocumque hærede habente bona obligata sui debitoris integrum debitum petere; at secùs est in casu, de quo agimus; quia contra voluntatem ipsius debitoris fiscus aufert ei bona, ex quibus ipse debitor debebat satisfacere creditoribus.*

8 *Fiscus tenetur ad ea omnia, ad quæ priùs hæreticus tenebatur, cùm in ipsum transierint post bonorum confiscationem iura, & actiones bonorum, quæ competebant hæretico.*

9 *Hæreticus, confiscatis ipsius bonis, non potest amplius conueniri pro debito, cùm omnia bona sua transierint in fiscum.*

10 *Amplia, id verum esse, etiamsi post bonorum confiscationem hæreticus factus est ditior.*

11 *Amplia, neque posse conueniri hæreticum ob tutelam, vel curam administratam, sed quod adhuc debeat conueniri solus fiscus.*

12 *Amplia, id procedere non solùm pro onere reali, sed etiam pro onere, & obligatione personali.*

13 *Amplia, id procedere, etiamsi hæreticus se obligauerit in forma Cameræ.*

14 *Amplia, id procedere etiam in fideiussore ipsius hæretici, qui neque potest conueniri.*

15 *Amplia, hæc omnia habere locum non solùm in foro fori, sed etiam in foro Poli.*

16 *Limita tamen, quod si bona hæretici non sunt sufficientia ad soluendum debitum contractum, fiscus tenetur soluere proportionabiliter pro parte, & hæreticus pro alia parte pariter proportionabiliter.*

RESPONDETVR affirmatiuè: ita vt, si fiscus non soluat debita à delinquente ante delictum contracta (sicut soluere tenetur) delinquens non teneatur ea soluere (quamuis ad pinguiorem fortunam postea deuenerit) sed eo ipso, quod fuerunt ipsius bona confiscata, remaneat liber à soluendis debitis. Alexander *in l. si marito ff. sol. matrim. num.* 4. Oddus *de restit. in integr. part.* 2. *quæst.* 97. *art.* 2. *num.* 15. Bossius *in Pract. de proclamat. num.* 15. Surdus *de aliment. tit.* 8. *priuileg.* 59. *num.* 10. Cassanæus *in consuetudinibus Burgundiæ, rubric.* 2. §. 1. *num.* 33. Vasquez *in* 1. 2. *disp.* 169. *c.* 2. *n.* 20. Simancha *de Cathol. instit. tit.* 9. *num.* 122. Peregrinus *de iur. fisc. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 55. Vasquez 1. 2. *disput.* 169. *cap.* 2. *num.* 20. Farinacius *de hæresi quæst.* 190. *num.* 29. & Sanchez *cit. cap.* 22. *num.* 86. 1

Probatur; quia in tali casu tota satisfaciendi obligatio transmissa est in fiscum, & extincta in delinquente iuxta textum *in l.* 1. *Cod. de fideiussor. & in l. si debitori ff. de fideiussor.* Ibi. *Si debitori deportatio irrogata est, non posse pro eo fideiussorem accipi, scribit Iulianus, quasi tota obligatio contra eum extincta sit.*

Quod ita verùm est, vt delinquens neque in foro conscientiæ teneatur ea soluere; quia tota obligatio translata est in fiscum, in quem bona delinquentis translata fuerunt. Surdus *de aliment. tit.* 8. *priuileg.* 59. *num.* 10. Cassanæus *in consuetud. Burgund. rubr.* 2. §. 1. *num.* 33. & Baiard. *in Pract.* Iul. Clar. *lib.* 5. *quæst.* 78. *num.* 155. & (cùm id non statuatur in pœnam, neque innitatur falsæ præsumptioni) est seruandum etiam in foro conscientiæ; cùm idem in vtroque foro seruandum sit, quando quid non est statutum in pœnam, & forum externum non innititur falsæ præsumptioni. Sotus *de iustitia lib.* 4. *quæst.* 5. *art.* 3. & alij, quos sequitur Suarez *tom.* 5. *disput.* 40. *sect.* 5. *num.* 16. Vasquez 1. 2. *disput.* 66. *cap.* 1. *num.* 3. *& disput.* 164. *num.* 73. & Sanchez *lib.* 2 *moral, cap.* 22. *num.* 87. 2

At cùm dixi, quod, facta confiscatione bonorum, delinquens liberetur ab omni obligatione satisfaciendi creditoribus, intellige, dummodò bona delinquentis confiscata sufficientia sint pro debitis omnibus soluendis, aliàs non; quia fiscus obligationem suscipit solùm pro viribus illorum. Vasquez *loco suprà citato num.* 21. Farinacius *quæst.* 190. *num.* 29. & Sanchez *vbi suprà num.* 89. 3

Quapropter, si debita aliqua condemnati, eo quod bona confiscata illius sufficientia non fuerint, consoluta remanserunt, & condemnatus ad pinguiorem fortunam redit, debet ipse ex bonis de nouo iam acquisitis satisfacere creditoribus, cùm obligatio illis satisfaciendi non extincta, sed suspensa fuerit in ipso, eo quod scilicet satisfaciendi impotens erat. Vasquez, Farinacius, & Sanchez *in locis suprà citatis.* 4

Intellige secundò cum Sanchez, *vbi suprà num.* 91. (scilicet non manere delinquentem obligatum satisfacere creditoribus, si bona confiscata ipsius solutioni sufficientia fuerunt) dummodò potuerint creditores à fisco bona recuperare, & ob negligentiam suam non recuperauerint; secùs vero, si recuperare non potuerint ex defectu probationis, vel ex eo quod exorbitantibus expensis opus habuerint; quia par non videtur, quod creditores absque culpa propria debito priuentur. 5

At hoc non ita mihi probatur, vt non etiam mihi probetur oppositum, & fortasse magis ex eo, quia delinquens non est in causa, vt creditores careant probatione; vel quod in recuperatione debiti exorbitantes expensas faciant; cùm hoc alienum sit à suo delicto, & obligatione primæua; sicque cogi non debeat ipse satisfacere illis; quia quantum est ex parte sua, transferendo obligationem in fiscum, plenè satisfecit. Aliàs bis idem debitum soluere cogeretur. Primò, cùm bona

solutioni sufficientia transfert in fiscum. Secundò, cùm debitum effectiuè soluit.

6 Cæterùm, si confiscatio non fuit omnium, sed partis bonorum, vel si fuit omnium; tamen Pars delinquenti restituta est, in tali casu fiscus tenetur soluere debita delinquentis pro rata talis partis, & condemnatus similiter pro parte residua, sic Doctores communiter, & definitur *in l. 1. C. de fideiussor.* Ibi. *Si Lysias adempta parte bonorum, exulare iussus est, non nisi pro parte, quam retinuit, creditoribus obligatus est.* Et probatur ratione; quia talis obligatio satisfaciendi creditoribus annexa est bonis confiscatis, ergo, si cum effectu non confiscantur, seu in fiscum non transferuntur omnia; sed solùm pars, ita vt pars relinquatur condemnato, pro parte tantùm tenebitur fiscus, & pro parte tenebitur condemnatus, ita vt inter vtrumque diuidatur obligatio.

7 Obiicies: Ius creditorum non potest fieri deterius ex facto debitoris; at si, delicto posito, & confiscatione facta, creditores non possunt à debitore integrum debitum petere; sed tantùm partem, & alteram partem debent petere à fisco, ipsorum ius redderetur deterius, (cùm in plures partes diuidatur.) Ergo in tali casu non debet admitti debitorum diuisio, sed dici, quod vterque teneatur soluere debita, prout creditoribus placuerit.

Respondetur, concedo ex persona hæredum non immutari conditionem obligationis, sed posse creditores à quocumque hærede, habente bona obligata sui debitoris, integrum debitum petere, iuxta textum *in l. 2. §. 1. ff. de verb. oblig.* At in casu nostro de facto aliter dispositum est *in l. 2. C. ad l. Iul. de vi publica, & l. si marito ff. solut. matrim.* & cum satis rationabili fundamento; quia contra voluntatem ipsius debitoris fiscus aufert ei bona, ex quibus ipse debitor debebat satisfacere creditoribus; Quapropter æquum est, vt fiscus pro rata subeat obligationem, quia si totam obligationem satisfaciendi relinqueret debitori, sæpè confiscatio partialis æquiualeret confiscationi totali, & sic nullam gratiam faceret debitori condemnato, relinquens ei aliqua bona; si scilicet ex illis bonis sibi relictis deberet debitor condemnatus præstare creditoribus integram satisfactionem. Simancha *de cathol. instit. tit. 9. n. 122.* Farinacius *q. 25. num. 78.* & alij passim.

8 Cùm igitur post bonorum confiscationem iura, & actiones bonorum (quæ competebant Hæretico) tam actiuè, quàm passiuè transeant in fiscum. *l. 1. C. ad l. Iul. de vi public. l. si marito ff. sol. matrim. & l. cum fisco ff. ad Syllan. & d. l. 2. C. ad l. Iul. de vi public.* & tradunt Bartolus *in l. Non intelligitur §. cùm ex causa ff. de iur. fisc.* Gulielm. *de Benedict. in cap.* Raynutius *verb. Vxorem de test. nu. num. 850.* Grammatic. *decis. 85.* Surdus *de aliment. tit. 8. priuileg. 59. n. 9 & seqq.* Honded *cons. 38. n. 44. lib. 2.* Beccius *cons. 57. n. 5. & 7.* Calcan. *cons. 66.* Simancha *de Cathol. instit. tit. 9. n. 33. & 34.* & Rota *decis. 57. num. 3. tom. 1. in Recent.*

9 Vt propterea hæreticus non possit ampliùs conueniri pro debito (cùm omnia bona sua transierint in fiscum) sed creditores debeant agere contra fiscum, in quem omnis actio dirigitur *l. si debitori, & l. Inter eos §. vlt. ff. de fideiussor. l. 2. & 3. ff de sent. pass. l. 2. §. 1. ff de alim. legat. l. si maritus, & l. si marito ff. sol. matrim. l. facto § final. ff. de cond. & demonstr. l. 1. C. de fideiuss. & l. 2. Cod. sol. matrim.* Et docent Bald. *in d. l. si marito.* Alex. *ibidem n. 4* Gratian. *tom. 5. discept. forens. cap. 423. n 4.* Honded. *cons 38. n. 44. lib. 2.* Castrens *cons. 68. n. 1. lib. 2.* Grammatic. *decis. 85.* Surdus *de aliment. tit. 8. priuileg. 59. n. 10. & tit. 9. q. 32. n. 5 & 6.* Beccius *cons. 57 n. 4.* Corn. *cons. 190. n. 4* Sanchez *lib. 2. moral. cap 22. n. 74* & Farinacius *tom. 1. q. 25 n. 177.*

10 Quod est verum, etiamsi post bonorum confiscationem hæreticus factus sit ditior; ita vt in hoc casu etiam non possit conueniri hæreticus, sed fiscus. *l. 4. C. de sent. pass.* & tradunt Menoch. *cons. 103. n 20. lib. 1.* & Odd. *de restit. in integr. part. 2. q. 97. art. 2. n. 13.*

11 Item secundò, est verum, vt non possit conueniri idem hæreticus ob tutelam, vel curam administratam, sed adhuc debeat conueniri solus fiscus. *l. Qui negat. & l. Prædia ff. de reb. eor. l. si Tutor Reipublicæ ff. de tutel. rat. distrah.* & docent Simancha *de cathol. instit. tit. 9. n. 123.* & Vasquez *1. 2. q. 96. art. 5. disp. 169. cap. 2. n. 21.*

Item tertiò est verum, vt, sicuti non potest conueniri pro onere reali; sic etiam non possit conueniri pro onere, & obligatione personali. Salycet. *in l. 1. C. de fideiuss. n. 2.* & Imola *in l. si debitori in princ. ff. de fideiussor.* 12

Item quartò est verum, vt non possit conueniri, etiamsi se obligauerit in forma Cameræ, & etiamsi iurauerit, se tempore satisfacturum creditoribus; sed adhuc propter eamdem rationem supradictam creditores debeant agere contra fiscum, in quem bona hæretici transierunt. Imola *in cap. 2. de ordin. cognit. n. 34.* Grammatic. *dec. 85. n. 3.* Stephan. Gratian. *cit. cap. 445. n. 60 & 82.* & Soccin. *cons. 23. n. 3. lib. 3.* quia iuramentum (cùm sit accessorium) sequitur naturam sui principalis; & quia præterea sub conditione emissum illud videtur. 13

Item quintò est verum, vt (sicuti pro dictis oneribus non potest conueniri hæreticus) ita etiam non possit conueniri hæretici fideiussor; quia (cùm fideiussor similiter se habeat accessoriè, sequitur fideiussor similiter naturam principalis; ita vt si à dictis oneribus liber effectus est hæreticus, liber etiam efficiatur hæretici fideiussor, qui in defectum hæretici, tanquam sui principalis solummodò tenebatur. Farinacius *q. 25. num. 178.* Anton. Henriq *tract. de fideiussor. cap. 20. §. 14. n. 10.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 12. n. 91.* 14

Item sextò est verum, vt omnia, quæ vsque adhuc dixi, locum habeant non solùm in foro externo; sed etiam in foro conscientiæ, sicuti *suprà n. 2.* cum Soto, Suario, Vasquio, & Sancio dicebam. 15

Vbi tamen aduerte, quod, si bona hæretici non sint sufficientia ad soluendum debitum (quod hæreticus contraxit) tunc fiscus non teneatur soluere illud in totum, sed tantùm pro illa parte, quæ ad ipsum deuenit, pro altera autem parte tenebitur hæreticus; si scilicet post condemnationem hæreticus aliqua bona acquisiuerit, vnde soluere possit creditoribus; ita DD. communiter, quos sequitur Vasquez *1. 2. q. 96. art. 5. disput. 169. cap. 2. n. 21.* & Sanchez *lib. 2. moral. cap. 22. n. 89.* Sicut etiam, quando non confiscantur omnia hæretici bona, sed solùm pro aliqua parte, tunc etiam fiscus non tenetur soluere debitum in totum, sed similiter hæreticus tenebitur soluere pro ea bonorum parte, quæ confiscata non fuit; *l. 1. C. de fideiuss. l. 4. C. de sent. pass. §. si verò partem. l. Tutela ff. de capit. diminut. l. 2. C. ad l. Iul. de vi public.* & tradunt Farinacius *tom. 1. q. 25. n. 177.* Odd. *de restit. in integr. part. 2. q. 9. notabil. 2. num. 11.* & alij communiter. Quamuis in crimine hæresis ordinariè omnia bona confiscentur, iuxta text. *in cap. cum secundùm leges de hæretic. in 6.* 16

DVBITATIO CXLIV.

Quid dicendum, si facta confiscatione omnium bonorum, ex gratia Principis restituantur condemnato bona confiscata?

SVMMARIVM.

1 *Condemnatus, si facta confiscatione, ei ex gratia Principis restituantur bona confiscata, tenetur satisfacere creditoribus; quia obligatio satisfaciendi, quæ translata erat in fiscum ratione bonorum confiscatorum, iterum redit ad debitorem: quamuis si ei*

ei non restituantur omnia bona, sed pars, conueniri possit pro parte.

2 *Condemnatus neque excusatur ab hac obligatione satisfaciendi creditoribus ex eo, quod per negligentiam bona à fisco non recuperauerit; quia, vt possit conueniri, & debeat creditoribus satisfacere, sufficit, quod ius recuperandi habuerit, & non recuperauerit.*

3 *Limita tamen non procedere id, quando, confiscatis bonis debitoris, fiscus emisisset proclama, vt contra certum tempus omnes creditores comparerent, & docerent de suo credito, quo elapso, & de credito non edocto, ampliùs ad aliquid petendum non admitterentur.*

4 *Condemnatus prædictus non tenetur soluere debita suis creditoribus, quando ex Principis benignitate ad pristinum statum redierit, si tamen ipsi non fuerint restituta bona, quæ fiscus iam semel occupauit.*

1 RESPONDETVR: in tali casu tenetur ipse condemnatus satisfacere creditoribus, quia obligatio satisfaciendi, quæ translata erat in fiscum ratione bonorum confiscatorum, iterum redit ad debitorem (quamuis si condemnato non restituantur omnia bona, sed pars, conueniri possit in tali casu pro parte; sic Doctores communiter, quos citat & sequitur Bossius *in Pract. de proclamation. numero* 15. Odd. *de restitut. in integr. part.* 2. *quæst.* 97. *art.* 2. *num.* 13. & Farinacius *quæst.* 25. *num.* 188. ex Textu *in l.* 3. *C. de sent. pass.*

2 Neque condemnatus ab hac obligatione satisfaciendi creditoribus excusatur ex eo, quod per negligentiam bona à fisco non recuperauerit; quia vt possit conueniri, & debeat creditoribus satisfacere, sufficit, quod ius recuperandi habuerit, & non recuperauerit; ita Doctores quos citat, & sequitur Farinacius *loco suprà citato num.* 180. ex Textu *in l. penultim. ff. de sent. pass.*

3 Limita tamen, non procedere, quod dixi; quando confiscatis bonis debitoris, fiscus emisisset *Proclama*, vt intra certum tempus omnes creditores comparerent, & docerent de suo credito, quo elapso, & de credito non docto, ampliùs ad aliquid petendum, dictante sic aliqua Constitutione speciali, vel consuetudine, non admitterentur; quia tunc creditores, si negligentes in debito petendo fuerint, cadent à debito & non poterunt fiscum, & consequenter neque debitorem, cui bona sunt iterum restituta, molestare; cùm fiscus iam contra creditores præscripserit, & præscriptione illa ius eorum extinxerit, quod extinctum ampliùs reuiuiscere non potest; ita Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius *vbi suprà, numero* 181.

4 Ex dictis sequitur, quod è contra prædictus condemnatus non teneatur soluere debita suis creditoribus, quando ex Principis benignitate ad pristinum statum redierit, si tamen ipsi non fuerint restituta bona, quæ fiscus iam semel occupauit. Simancha *de Catholicis institutionibus, titulo* 9. *numero* 35. & *in Enchirid. titulo* 56. *numero* 3. Lælius Zecchius *in summa, titulo de fide rubr. de heres. capite* 11. *numero* 16. Oddus *de restitut. in integr. parte* 2. *quæstione* 97. *articulo* 2. *numero* 13. & Bossius *in Practic. de proclamat. numero* 15.

DVBITATIO CXLV.

Quid dicendum de fideiussore debitoris condemnati? An ipse fideiussor, facta confiscatione bonorum, teneatur creditoribus satisfacere?

SVMMARIVM.

1 *Fideiussor debitoris condemnati facta confiscatione bonorum, non tenetur creditoribus satisfacere: secus si fiscus non satisfecerit; quia fideiussor succedit in defectum Principalis.*

RESPONDETVR negatiuè, ita vt in tali casu fideiussor debitoris condemnati deobligatus sit creditoribus satisfacere, sicut & ipse debitor principalis, si scilicet fiscus satisfecerit: secùs si fiscus non satisfecerit; quia fideiussor succedit in defectum principalis. Et sic habetur *in l.* 1. *Cod. de fideiussoribus.* Ibi. *Verum qui pro eo fidem suam astrinxerunt, conueniri possunt.* Et sic etiam tradunt communiter Doctores, quos refert & sequitur Anton. Henriq. *tract. de fideiuss. cap.* 20. §. 14. *num.* 10. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 22. *n.* 92. & Farinac. *q.* 25. *n.* 178. 1

PETITIO.

An, & quando sequestratio bonorum fieri debeat ab Inquisitoribus?

SVMMARIVM.

1 *Sequestratio, seu descriptio bonorum est preparatoria ad confiscationem, & fieri non debet, nisi quando quis est reus de heresi formali confessus, vel legitimè conuictus: non autem pro aliis casibus sapientibus heresim.*

2 *Sequestratio bonorum in dicto casu de heresi formali fieri debet statim ac reus comprehenditur, & Canonibus Sancti Officij traditur, ne bona ipsius subripiantur, vel abscondantur, deponique debent apud aliquam personam idoneam coram Notario, & Executore.*

3 *Sequestratio bonorum fieri non debet contra hereticum defunctum.*

4 *Sequestratio bonorum heretici absentis quomodo sit facienda.*

RESpondetur, quod (cùm sequestratio, seu descriptio bonorum sit ad confiscationem præparatoria, seu solùm fiat in ordine ad confiscationem) fieri non debet, nisi quando quis est reus de hæresi formali confessus, vel legitimè conuictus; vt propterea fieri non debeat nisi pro hæresi formali, non autem pro aliis casibus sapientibus hæresim. Repertor. Inquisit. *verb. Confiscatio, vers. Item secundum.* Tabiena *verb. Hereticus num.* 5. Zanchin. *de heretic. cap.* 18. *num.* 5. & *cap.* 25. *num.* 1. Royas *de hereticis part.* 2. *num.* 50. (quatenus ait, sequestratio, seu descriptio bonorum fieri non debet, quotiescumque Inquisitores procedunt contra Blasphemos, Sortilegos, secundò nubentes, &c. quia prædicti, & alij similes non sunt propriè, & verè hæretici) Vmbert. Locat. *in Prax. Inquisit. vers. bona hereticorum, num.* 1. 1

num.1. Cantera *in quæst.crimin. rubrit. de hæretic.cap.7. num. 54.* & alij communiter. Sequestratio igitur, seu descriptio bonorum fieri non debet nisi pro hæresi formali; sic Doctores *in locis suprà citatis*, & etiam Instructio Toletana anno 1561 *num.6.*

2 Aduerte tamen, quòd in dicto casu de hæresi formali sequestratio bonorum fieri debeat statim ac talis reus comprehenditur, & carceribus Sancti Officij traditur, ne bona ipsius subripiantur, vel abscondantur; & coram Notario, atque Executore deponantur penes aliquam personam idoneam, quæ eorum causam, & custodiam habeat; & illa bona, quæ seruando seruari non possunt, Inquisitorum mandato per custodem vendantur.

3 Aduerte secundò, quòd non similiter fiat sequestratio bonorum contra hæreticum defunctum; sic Doctores *in locis suprà citatis*, & etiam dicta Instructio Toletana *num.61.*

4 Aduerte tertiò, quod, An sequestratio bonorum fieri debeat contra hæreticum absentem, sic supremus Senatus Inquisitionis respondit Inquisitoribus Galeciæ anno 1620. Bona absentium in tertium possessorem translata, licèt de rigore iuris sequestrari non debeant. Nihilominus, si paulò ante citationem fuga præcessit, & probari facilè possunt, quæ bona sint, sequestrari debent; at, si fugit reus tempore, quo captura exequenda erat, sequestrantur bona pro derelicto habita, & quæ in potestate vxoris, atque filiorum reperiuntur. Quod, si hæc discerni non possint, sequestrantur omnia, quæ in eius domo reperiuntur; quia omnia illa fugitiui esse præsumuntur.

Dixi de confiscatione bonorum; Dicam nunc



De aliis Hæreticorum pœnis.

DVBITATIO CXLVI.

An Hæreticus tunc temporis possit testari?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus olim poterat testari, dummodò hæredes, quos instituebant, essent Catholici. Ac postea fuit id hæretico prohibitum.*

2 *Hæreticus non potest testari ex communi Doctorum sententia; quia à die commissi delicti omnia bona ipsius sunt fisco addicta.*

3 *Testari, seu condere testamentum competit hominibus ex iuris indulgentia, & beneficio.*

4 *Cui prohibitum est bona administrare, prohibitum est etiam testamentum condere.*

5 *Testamentum si condat hæreticus ante sententiam criminis declaratoriam, licet secundùm aliquos sit ipso iure inualidum, & irritum, ex probabiliori tamen sententia Doctorum est solùm per sententiam iudicis annullandum.*

6 *Hæretici, vel alij criminosi prohibentur bona alienare, & tamen si ea alienent, possunt recipi ab eo, in quem sunt alienata.*

7 *Reprehenduntur Doctores asserentes, hæreticum scilicet pœnitentem, & Ecclesiæ reconciliatum, non posse testari de bonis acquisitis post abiurationem; quia is solùm redditur intestabiles de bonis confiscationi subiectis.*

8 *Hæreticus neque potest testari ad pias causas, neque instituere hæredes filios suos Catholicos.*

9 *Leges, quæ id concedebant, reuocatæ sunt per Leges Canonicas.*

10 *Testamentum ab Hæretico factum est nullum.*

Svpponо, quòd hæreticus olim poterat testari 1 dummodò hæredes, quos instituebat, essent Catholici; Auth. *Vt cum de Appellatione cognoscitur §. Si quis de dictis parentibus, vers. Generalem.* At postea fuit id hæretico prohibitum; *leg. Manichæos §. propterea Cod. de hæretic.* Ibi: *Ergo & suprema illius scripta irrita sit siue testamento, siue codicillo, siue Epistola, siue quolibet alio genere reliquerit voluntatem.* & Authent. *Credentes Cod. de hæret.* & Auth. *Vtrum de Appellat. cognoscend. §. si quis de parentibus Orthodox. leg. Manichæos 2. & l. sancta Cod. eodem,* (ibi habetur, quod hæreticus non possit habere successores ex testamento) & *ex cap. excommunicamus 2. §. credentes de hæretic.* (vbi de fautore & defensore dicitur: *sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem*) & tradunt Glos. *in cap. si quis Episcopus in fine versic. Nota quod de hæretic.* Ancharan. *ibid. n.2.* Imola *n.6.* Io. Andr. *n.15.* Felin. *in cap. Cùm dilectus de Accusat. n.5.* Didac. Castell. *in l.5. Tauri.* Bursat. *cons. 280. n.1.* Royas *sing. 61. n.2.* Spino *de testam. part.1. n.89.* Azor. *in summa tit. de hæret. n.3.* & alij communiter. Hoc supposito.

Respondetur negatiuè: Est, sicuti dicebam, communis sententia Doctorum, &

Probatur; quia hæreticus, cùm à die commissi delicti 2 bona ipsius omnia sint addicta fisco, redditur intestabilis ex cit. Textu *in cap. Excommunicamus 1. §. Credentes de hæret.* Ibi: *sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habet facultatem.* Qui Textus licet de fautore hæretico cum loquatur, nihilominus multò magis de ipso hæretico intelligi debet (in quo conueniunt Doctores.)

Confirmatur; quia testari, seu condere testamentum 3 competit hominibus ex iuris indulgentia, & beneficio, *l. Institutio ff. de hæred. instituend.* & docent Abb. *in rubr. de testam. n.2.* Ruminald. *in rubr. instit. de testam. n.72.* Gulielm. *de Benedict. in c.* Raynotius *verb. Testamentum 1. n.5.* Vasquez *de success. progress. §. 1. ad 6.* & alij passim; at iuris indulgentia, & beneficium non prodest hæretico; *l.1. & Auth. C. de hæretic.* Ergo.

Confirmatur secundò, quia; cui prohibitum est, bona administrare, prohibitum etiam est testamentum 4 condere, *l. is cui bonis ff. de testam. & §. item prodigi Inst. quib. non est permissum facere testam.* At prohibitum est hæretico bona administrare, *cap. Cum secundùm leges de hæret. in 6.* Ergo.

An autem hæreticus ante condemnationem ita sit 5 incapax testandi, vt ipsius testamentum sit nullum ipso iure, vel potiùs sit tantùm per sententiam iudicis annullandum?

Respondetur, quod (quamuis si hæreticus testamentum condat, illud esse nullum, inualidum, & irritum ipso iure ante sententiam criminis declaratoriam, teneant Anchar. *in d. c. excommunicamus 1. §. credentes de hæret. n.2.* Henric. *ib. n. 11.* Ananias *n.6.* Io. Andr. *n.15.* Ostiens. *in sum. rubr. de hæret. §. qua pœna feriatur.* Peña *in direct³ part.3. comment. 165.* Peregr. *de iur. fisc. lib.5. tit. 1. n.172.* Greg. Lopez *in l.4. Tauri,* & Aragon. *2.2. q.11. art.3. coroll. 4.*) Tamen ex probabiliori sententia DD. sit solùm per sententiam iudicis annullandum; ita DD. quos citat & sequitur Farinac. *q.190. §.6. n.89.* Vasq. *1.2. disp. 171. c.1. n.11. & de testam. c.9. §.1. dub.4. n.11.* Sanch. *lib. 2. moral. c. 24. n.3.* Molina *de iust. tom.1. disp. 95. vers. secundum est,* Salsedo *in pract.* Diaz *c.86.* Decian. *in tractat. crim. lib.7. cap.49. n.20.* & Tello *in l.4. Tauri n. 34.*

Probatur primò authoritate, ex Text. *in cit. cap. excommunicamus,* quatenus ibi dicitur: *sit intestabilis:* (nam cùm dy, *sit,* importet futurum tempus secundùm probabiliorem DD. opinionem significat sententiam iudicis non latam, sed ferendam, atque adeò quod testamentum conditum ab hæretico sit ante sententiam declaratoriam criminis validum, quamuis post latam sententiam possit reuocari) & quatenus ibidem dicitur: *nec testandi liberam habeat facultatem;* quasi diceretur, licèt

quidem

quidem habeat facultatem testandi;non tamen habeat liberam : alias dici deberet: nec testandi vllam habeat facultatem.

Secundò probatur ratione;quia secundùm probabiliorem sententiam, quam suo loco dicebam, hæreticus non priuatur dominio suorum bonorum,nec potestate in alios illa transferendi,quovsque sententia condemnatoria seu declaratoria criminis accesserit : ergo sicut ex vi huius dominij, & potestatis potest hæreticus validè, licèt irreuocabiliter, sua bona alienare per quemlibet contractum ; ita, & poterit eadem alienare per testamentum.

6 Confirmatur;quia hæretici,& alij criminosi prohibentur bona sua alienare,& tamen si ea alienent, possunt prædicta bona recipi ab eo, in quem sunt alienata (quamuis illa alienatio possit reuocari) ergo etiam, quamuis isti prohibeantur testari, & tamen tenentur, non tamen propterea testamentum est ipso iure nullum, sed potest annullari, seu reuocari, ita vt lata sententia confiscationis retrotrahatur ad reuocanda testamenta, facta ab eo tempore,quo fuit delictum commissum.

7 Cæterùm,quod aiunt Calderin.*tract.de hæret.rubr.de pœnis hæreticorum filiorum, & nepotum n.3.* & alij, quos citat & sequitur Farinac.*q.190.n.93.*(hæreticum scilicet pœnitentem, & Ecclesiæ reconciliatum non posse testari de bonis acquisitis post abiurationem, quia *ex supradicto cap.excommunicamus*,redditur intestabilis) Mihi cum Vasq.*opusc.de testam c.9.§.1.n.26.* Sanch.*lib.1.mor. c.24.n.4.* & aliis,non probatur ; quia solùm redditur intestabilis de bonis confiscationi subiectis, vtpote quæ non sunt ampliùs delinquentis, sed fisci ; at confiscatio non extenditur ad bona futura, & post sententiam acquisita (vt etiam suprà suo loco dicebam) ergo neque impotentia testandi ab illa extendi debet.

Petes:An hæreticus neque possit testari ad pias causas,neque instituere hæredes filios suos Catholicos?

Respondetur, quod neque potest testari ad pias causas.ita Felin.*in c.si quis Episcopus n.11.de hæret.* Bald.*lib. 3.cons.255.n.1.* Locat. *in indic. inquisit. verb.Pœna n.9. versic.17.*& Carrer.*de hæret.n.151.*quia quod hæreticus non possit testari,statutum est non solùm de iure ciuili, sed etiam de iure canonico (sicuti patet ex dictis) At quando quis de iure canonico prohibetur, ne possit testari ; simul etiam prohibetur ne possit testari ad pias causas,vt præter alios docet Bald.*loc.suprà cit.*Ergo,&c.

Neque etiam potest testari, ita vt in suo testamento instituat hæredes filios suos Catholicos.Gloss.*in c.Cùm secundùm leges de hæret. in 6. verb. ipso iure.* Fortunius Garzias *in l.Gallus §.quid ff.de liber.& posth.*Simancha *de cathol.instit.tit.9.n.4.*Brunus *de hæret.lib.5.c.6.*& alij passim ; quia sic expressè decernitur *in Auth.Gazaros Cod.de hæret.*

9 Non obstat,si dicas:*in l.Manichæos,in l.Cognonimus C.de hæret.in Auth.verum de Appellat. §. si quis de peccatis, & in c.Iudæi 1.q.9.* dicitur,quod hæreticus possit testari, & instituere hæredes filios suos Orthodoxos: Ergo.

Respondetur enim, dictas leges reuocatas esse per alias leges canonicas,& per Text.*in cit.c.vergentis*.Cùm verò dicitur;quod hæreticus non possit testari,seu condere testamentum, appellatione testamenti veniunt etiam Codicilli,Epistolæ,& alia similia, quibus significatur vltima voluntas hominis;*cit.l.Manichæos §.Ergo* & docent præter alios Spino *de testam: part,1 2. n.43.* Palatius Rubeus *in l.5.Tauri*,& Royas *sing.185.n.6.*

10 Petes secundò,An testamentum ab hæretico factum, sit nullum,& inualidum, vt etiamsi Testator redeat ad fidem,non propterea illud habeat robur & valorem?

Respondetur affirmatiuè ; qua de re præter alios videri poterit Repertorium Inquisit.*verb.Pœna vers.Item nota quod hæreticus* Royas *sing.61 n.3.* & Calderin.*tr.de hæret.in rubr.de pœn. hæret.filior.n.3.*



DVBITATIO CXLVII.

An hæreticus possit succedere ex testamento, vel ab intestato?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus succedere non potest, neque ex testamento, neque ab intestato.*

2 *Amplia id ita verum esse,vt etiam si hæretico legatum relinquatur in testamento militum, adhuc is tali legato priuetur.*

3 *Amplia,id ita verum esse,vt hæreticus non solùm priuetur hæreditate ex testamento, vel ab intestato relicta, sed etiam contracta inter viuos,scilicet donatione.*

4 *Hæreticus si successionis sit incapax, omnia, quæ ipsi deferuntur, vel relinquuntur,applicantur fisco, & venientibus ab intestato.*

5 *Hæreticus,durante hæresi, est incapax cuiuslibet successionis,& legati secundum probabiliorem sententiam,à qua in consulendo,& iudicando non est recedendum,quia si crimen læsæ maiestatis humanæ reddit illud committentium filios incapaces qualibet successione siue ex testamento, siue ab intestato ; multo magis crimen læsæ maiestatis diuinæ.*

6 *Ratio prædicta non conuincit, quia pœnæ non extenduntur de casu ad casum grauiorem.*

7 *Textus* in cap.excommunicamus de hæreticis, *prohibet ne is ad hæreditatis successionem accedat; qui Textus licèt de credentibus,fautoribus,& receptatoribus hæreticorum loquatur,quando excommunicatione notati sunt, & contemnunt intra annum satisfacere ; nihil tamen obstat, quod de hæreticis efficacius non intelligatur, & cur?*

8 *Hæreticus durante hæresi tenetur restituere hæreditatem sibi delatam, hæredibus venientibus ab intestato secundùm primam sententiam.*

9 *Hæreticus in secunda sententia attento iure Regio Castellæ est incapax successionis ; secùs autem attento iure communi;quia tunc non est incapax successionis,neque donationis;sed indignus,ac proinde non tenetur ante sententiam neque hæredibus, neque fisco aliquid restituere.*

10 *Hæreditas,in qua hæreticus, Maurus,vel Iudæus institutus est* in lege Regia finali *deciditur, quod deueniat ad propinquos,parentes,& quod Apostata non possit hæres institui, deciditur* in lege Regia 5.

11 *Hæretici hæc incapacitas successionis in nullo iuris communis textu statuitur.*

12 *Secunda sententia sic distinguens Auctori non probatur ; quia in iure Regio nulla decisio specialis apparet,quæ obliget ad affirmandum,quod hæreticus sit successionis incapax, & tamen non obligat attento iure communi;siquidem dici posset* ad leg. Regiam, *quod loquatur de hæretico & Apostata per sententiam declarato.*

13 *Quæ explicatio adhiberi etiam potest ad Textus citatos iuris communis,eò magis,quia pœnæ non extenduntur de casu ad casum etiam grauiorem; quapropter videtur,quod neque iure Regio Castellæ, neque iure communi expressè probetur incapacitas succedendi in hæretico occulto, nondum per sententiam declarato.*

14 *Hæreticus ex aliorum sententia potest succedere, estque capax hæreditatis,& donationis, eiusque verè acquirit ante sententiam criminis declaratoriam, quæ non est omninò improbabilis.*

15 *Textus* in cap.excommunicamus de hæret. *loquitur*

quando credentes, fautores, &c. declarati fuerunt per sententiam iudicis excommunicati, & per annum permanentes in excommunicatione noluerunt satisfacere.

16 *Pœna cùm sint odiosa non sunt extendenda de casu ad casum.*

17 *Hareticus admissa hac tertia sententia ea, qua acquirit titulo hereditatis, potest tuta conscientia*
18 *retinere, & non tenetur ante sententiam iudicis restituere haredibus ab intestato. Secùs tamen est, si sequamur primam sententiam.*

19 *Bona haretico relicta non pertinebunt ad fiscum, sed ad heredes ab intestato, si in aliquibus Regnis sint iura, qua expresse reddant hareticum incapacem cuiuscumque successionis; & quomodo lex reddat aliquem incapacem successionis.*

20 *Incapax habetur pro mortuo.*

21 *Limita tamen vt non procedat hac prima communis sententia in hereditate, & legato relicto illi, quem quis nouerit esse hereticum; quia nunc in pœnam delicti, quod incapacem, vel saltem indignum instituerit, poterit fiscus hereditatem, vel saltem legatum occupare.*

22 *Hareticus postquam fuit ab haresi absolutus, & Ecclesia reconciliatus, redditur capax hereditatis; cùm cesset tunc ipsius incapacitas.*

23 *Hareticus est capax successionis, si heresim fuerit detestatus, licet interim ab illa non absolutus; quia licèt excommunicatio tollatur per absolutionem, & non per pœnitentiam, heresis tamen tollitur per pœnitentiam.*

24 *Hereticus, attenta prima sententia communi Doctorum, hereditatem & legatum sibi relictum repudiare non solum potest, sed etiam debet; quia secundum eorum sententiam est incapax illius: quamuis plures Doctores putent, quod non possit repudiare; quia repudiatio cederet in fraudem fisci; tamen probabilius est, quod possit nondum validè, sed etiam licitè.*

25 *Alienatio rerum, quas possidet damnatus, aquiparari videtur cum omissione requisitionis ex Text.* in l. in fraudem ff. de iur. fisc. *At textus iste non obstat, quia non loquitur de renunciatione hereditatis delata; sed de alienatione iuris quasiti facta in fraudem fisci, siue per alienationem dominium transferatur, siue non.*

1 RESPONDETVR negatiuè; atque ita docent Socinus *in cap. Excommunicamus 1. §. credentes de heret. n.* 39. Buttius *ibid. n.* 33. Anchatan. *num.* 6. Zabarella *n.* 6. Petrus Gregorius *Syntagm. iur. lib.* 33. *c.* 8. *n.* 10. Angel. *verb. Hereticus* 1. *n.* 14. *&* 21. Syluest. *eod. verb.* 1. *n.* 14. Tabiena *n.* 14. Armilla *verb. Heresis n.* 10. Vasquez 1. 2. *disp.* 169. *c.* 3. *n.* 32. Menoch. *vol.* 2. *conf.* 185. *n.* 14. *& conf.* 186. *n.* 14. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *q.* 1. *& lib* 8. *cap.* 12. *q.* 8. Io. Royas *sing.* 79. *n.* 1. Quemada *in quastion. fiscalib q.* 18. Simanch. *de Cathol instit. tit.* 9. *n.* 124. *& tit.* 46. *n.* 53. Calderin. *tract. de heret. rubr. de pœn. heret. n.* 1. Farinac. *de heresi q.* 190. *n.* 93. & alij communiter Doctores, quos infrà citabo.

Probatur *ex cit. cap. Excommunicamus.* Ibi: *Nec ad hereditatis successionem accedat.* & *ex l. Manichaos §. 1 C. de heret.* Ibi: *ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate & successione quolibet titulo venientes*, & *ex l. Ariani §. cunctis C. eod. tit.* Ibi: *Siue ex vltima voluntate, rebus qualitercumque relictis.*

2 Et hoc adeò verum est, vt etiam si hæretico legatum relinquatur in testamento militum, adhuc hæreticus tali legato priuetur. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *c.* 44. *n.* 17. Albericus, Salycetus, & alij, quos citat & sequitur Farinac. *de heres. q.* 190. *n.* 95. ex Textu *in l. vlt. C. de heret.* Ibi: *Iussimus neminem errore constrictum hereticorum hereditatem, vel legatum, vel fideicommissum accipere, etiam in vltimis militum voluntatibus.*

Item adeò verum est, vt hæreticus non solùm priuetur hæreditate ex testamento, vel ab intestato relicta, sed etiam contractu inter viuos, scilicet donatione; sic Doctores communiter, quos citat & sequitur idem Farinacius *vbi suprà n.* 96. ex Textu *in cit. l. Arians §. cunctis C. de heret.* Ibi: *siue de donationibus hereticorum conuentionalis.* 3

An autem hæreticus, durante hæresi, ita priuetur successione ex testamento, vt illius sit incapax, vel solùm indignus? 4

Suppono, quod si successionis sit incapax, omnia, quæ ipsi deferuntur, vel relinquuntur, non applicentur fisco, sed venientibus ab intestato; ita Doctores communiter, quos citat & sequitur Farinacius *q.* 25. *n.* 139. & Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 14. *n.* 32. ex Textu *in l. si quis mihi bona §. si quis planè ff. de acquir. hered. & in l. 1. C. de her. instituend.* At, si sit capax, sed solùm indignus, applicantur fisco, non autem venientibus ab intestato; ita Doctores iidem *in locis suprà citatis*, ex Textu *in l. 1. ff. de iur. fisc. l. Papinianus § meminisse, & l. cum talibus §. finali de his, quibus vt indignis.* Videantur, præter alios, Ananias *in cap. Excommunicamus 1. §. credentes de heret. n.* 7. Felin. *ibid. n.* 3. Menoch. *conf.* 185. *n.* 8. *vol.* 2. Simanch. *de Cath. instit. tit.* 9. *n.* 124. & Quemada *in quast. fiscalib. q.* 18. Paul. *consil.* 112. *n.* 2. & præcipuè Farinac. & Sanch. *in locis suprà citatis.* Hoc supposito.

Prima, & communis sententia (a qua in consulendo, & iudicando recedendum non est) tenet, quod hæreticus, durante hæresi sit incapax qualibet successione, & legato; (sicuti videre est apud Farinac. *de heres. q.* 190. *n.* 93. & Sanchez *cit. cap.* 14. *n.* 32. *& seqq.*) Atque sic præter alios tenet Menoch. *vol.* 2. *conf.* 185. *n.* 14. *& conf.* 186. *n.* 14. Simancha *de cathol. instit. tit.* 9. *n.* 184. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 8. *q.* 1. *& lib.* 8. *cap.* 12. *q.* 8. Vasquez *opusc. de testam. cap.* 9. *§.* 1. *dub.* 2. *n.* 122. *&* 1. 2. *disp.* 169. *cap.* 3. *n.* 32. quatenus ait, quod hæreticus, quamuis occultus, sit inhabilis ad obtinendam hæreditatem) sic etiam sentire videntur Gygas *tract. de crimin. las. maiest. lib.* 2. *de pœn. committen. id crimen, q.* 14. *n.* 1. *& q.* 31. Decian. *in tr. crim. lib* 7. *cap.* 40. *n.* 26. (quatenus inquiunt, quod rei læsæ maiestatis sint incapaces cuiuslibet successionis) & Socinus *in cap. Excommunicamus 1. §. credentes de heretic. n.* 39. Buttius *ibid. n.* 35. Zabarella *n.* 6. Ancharan. *n.* 6. Angel. *verb. hereticus* 1. *num.* 14. *&* 21. Syluest. *eod. verb.* 1. *n.* 14. Tabiena *n.* 14. Armilla *verb. heresis num.* 10. Petrus Gregorius *Syntagm. iur. lib.* 33. *cap.* 8. *n.* 10. & Royas *sing.* 79. *n.* 1. (quatenus asserant, quod hæreticus non possit succedere in hæreditate, siue illa proueniat ex testamento, siue ab intestato) cùm generaliter loquantur. 5

Probatur; quia crimen læsæ maiestatis humanæ reddit illud committentium filios incapaces qualibet successione siue ex testamento, siue ab intestato; *l. Quisquis §. filij Cod. ad leg. Iul. maiest.* Ibi: *Ab hereditate & successione habeantur alieni*; & paulò post: ex testamentis extraneorum nihil capiant; (quod multò magis locum habet in ipsis delinquentibus. Menoch. *de prasumpt. lib.* 5. *prasumpt.* 45. *n.* 21. Farinac. *de crim. lasa maiest. quast.* 102. *num.* 63. & alij passim) Ergo, cùm crimen læsæ maiestatis diuinæ grauius sit, habet eamdem pœnam, quam trahit crimen læsæ maiestatis humanæ.

At hæc ratio non conuincit: negare enim quis posset consequentiam, afferendo doctrinam, quod pœnæ extendendæ non sint de casu ad casum, etiam grauiorem (si in grauiori expressæ non sint) cùm id solùm probet, quod conuenienter potuerint extendi, non tamen quod de facto sint extensæ: quapropter 6

Secundò probatur melius; quia *in citato capite Excommunicamus §. credentes*, expressè cauetur, *ne ad hereditatis successionem accedat*; Qui textus licet de credentibus, fautoribus, & receptatoribus hæreticorum loquatur, quandu excommunicatione sunt notati, & contemnunt intra annum satisfacere; nihil 7

tamen

tamen obstat, quominus de hæreticis etiam, quin & efficaciùs intelligatur; quia qui ob famoriam hæresis excommunicatione notatur, & intra annum satisfacere contemnit, est hæreticus fictione iuris; ergo si Textus in hoc hæretico locum habet multò magis locum habebit in illo, qui verè & propriè hæreticus est. Tùm quia *in l. Manichaos, §. 1. Cod. de hæretic.* dicitur: *Ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate, & successione qualibet titulo venientes.* Et *in l. Ariani, §. cunctis, Cod. eodem titulo* legitur: *Siue ex vltima voluntate rebus qualitercumque relictis.*

8 Ex hac prima sententia communi sequitur, quod hæreticus, durante hæresi, teneatur restituere hæreditatem, sibi delatam, hæredibus venientibus abintestato; quia (cùm ipse illius sit incapax, & nullum titulum habeat ad illam retinendam) aliis illa acquiritur.

9 Secunda sententia aliorum, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 2 moral. cap 28. num. 34.* distinguit de iure regio Castellæ, & de iure communi; & ait, quod, attento iure regio Castellæ, hæreticus sit incapax: At, attento iure communi non sit incapax successionis, neque donationis, sed solùm sit indignus; ac proinde non teneatur ante Iudicis sententiam, neque hæredibus, neque fisco quidpiam restituere; posita tamen Iudicis sententia, fiscus ea omnia ab illo, tanquam ab indigno auferat.

10 Priorem partem probat Sanchez; quia in lege regia finali *titulo 7. parte 6.* deciditur; quod hæreditas in qua hæreticus, Maurus, vel Iudæus, institutus est, deueniat ad propinquos parentes: & in lege regia quinta *titulo 25. parte 7.* deciditur, quod Apostata non possit hæres institui: Ergo ex his omnibus regiis legibus habetur, quod hæreticus sit successionis incapax.

11 Posteriorem partem probat idem Sanchez *loco suprà citato.*

Primò authoritate, adducendo pro sua sententia Imolam *cap. 2. num. 44. de testament.* Molinam *de iust. & iur. tom. 1. disp. 154. & tom. 3. disp. 658. num. 19.* Decianum *pract. criminal. lib. 5. cap. 44. num. 17.* Less. *de iust. & iur. lib. 2. cap. 19. dub. 5. num. 52.* & Azorium *tom 1. Instit. moral. lib. 5 cap. 8. q. 1.*

Secundò ratione, quia nullus Textus iuris communis extat, quod hæc incapacitas hæretico statuatur; & ex alio capite pœnæ non debent extendi de casu ad casum, etiam grauiorem, vti dicebatur.

12 At hæc secunda sententia, sic distinguens, mihi non probatur, quia in iure regio Castellæ nulla decisio specialis apparet, quæ obliget ad affirmandum, quod hæreticus sit successionis incapax, & tamen non obliget, attento iure communi, siquidem ad legem regiam finalem *titulo 7. parte 6.* (vbi deciditur, quod hæreditas, in qua hæreticus, Maurus, vel Iudæus institutus est, deueniat ad propinquos parentes) respondere quis posset, quod intelligatur de hæretico, Mauro, vel Iudæo, per Iudicis sententiam declarato. Et eandem explicationem adhibere posset ad legem regiam quintam *titulo 25. parte 7.* (vbi deciditur, Apostatam non posse hæredem institui,) quod similiter intelligatur de Apostata per Iudicis sententiam declarato: Et cùm ibidem subditur, quod legatum & donatio illi facta, vel quam ille alteri facit, non valeat à die commissi criminis, explicari potest, non valeat irreuocabiliter; cui explicationi fauet ipsa lex regia quarta *titulo 26. parte 7.* vbi dicitur, quod non debeat valere donatio, &c. à die, quo per Iudicis sententiam iudicatus est hæreticus; ergo in iure regio Castellæ non est aliquis Textus manifestè probans, hæreticum occultum, & nondum per Iudicis sententiam declaratum, successionis esse incapacem, sed ad summum probat, esse quidem illum successionis irreuocabilis incapacem; at

13 successionis reuocabilis capacem: quæ explicatio, vt verum fateat, adhiberi etiam poterit ad Textus adductos iuris communis, & etiam ad Textum adductum *in citato capite excommunicamus, §. credentes de hæreticis,* (vbi dicitur: *Neque ad hæreditatis successionem accedat.*) Vt scilicet non accedat irreuocabiliter, dum per Iudicis sententiam non est hæreticus declaratus; quapropter videtur, quod neque iure regio Castellæ, neque iure communi expressè probetur succedendi incapacitas in hæretico occulto, & nondum per Iudicis sententiam declarato; & ideò,

Tertia sententia Imolæ *cap. 2. num 44. de testament.* Molinæ *de iust. & iur. tom. 1. disput. 154. & tom. 3. disput. 658. num. 19.* Deciani *Pract. crimin. lib. 5. cap. 44. num. 17.* Lessij *de iust. & iur. lib. 2. cap. 19. dub. 5. num. 52.* Azotij *tom. 1 lib. 5. cap. 8. q. 1.* & aliorum, quæ simpliciter (& sic tam attento iure communi) docet, quod hæreticus possit succedere, sitque capax hæreditatis, & donationis, cúmque vere acquirat ante sententiam criminis declatoriam, non est omninò improbabilis, quia quod hæreticus sit incapax hæreditatis, & donationis, est pœna: & pœna ex alio capite non est imponenda, nisi fuerit in iure expressa: *cap qui de sent. excommun. in 6.* sed nullibi, sicuti dicebatur, in iure exprimitur, quod hæc pœna hæretico sit imposita: ergo non est imponenda. 14

Non obstat quoad ius commune, quod *in cit. cap. Excommunicamus,* dicitur de hæretico: *Nec ad hæreditatis successionem accedat;* & *in l. Manichaos, §. 1. Cod. de heret.* habetur: *Ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate, & successione qualibet modo veniente.* Et *in l. Ariani, §. cunctis, Cod. eodem tit.* legitur: *Siue ex vltima voluntate, rebus qualitercumque relictis.* 15

Respondere enim quis posset, quod *in dicta cap. Excommunicamus,* solùm sit sermo (quando credentes, fautores, &c. declarati fuerunt per sententiam Iudicis excommunicati, & per annum permanentes in excommunicatione noluerunt satisfacere.) Pœnæ verò non sint extendendæ de casu ad casum etiam grauiorem; *in l. Manichaos verò, & in l. Ariani,* non fertur sententia ipso iure, sed dicitur esse ferenda, cùm ly *amoueri* significet sententiam ferendam, non autem sententiam ipso iure latam.

Non obstat secundò, quod Rei criminis læsæ Majestatis humanæ sint incapaces omnis successionis; *l. quisquis. §. filij verò, Cod. ad leg. Iul. Majest.* Ergo etiam & Rei criminis læsæ Majestatis diuinæ. 16

Respondere enim quis posset, negando consequentiam, quia, sicuti dicebam, pœnæ cùm sint odiosæ, non sunt extendendæ de casu ad casum, etiam grauiorem, sed solùm locum habent in casibus, in quibus expressè à iure cauentur: à iure autem expressè cautum non est, quod pœnæ latæ contra Reos criminis læsæ Majestatis humanæ, extendantur etiam ad Reos criminis læsæ Majestatis diuinæ.

In qua tertia sententia, quæ acquirit hæreticus titulo hæreditatis, legati, vel donationis, potest ea tuta conscientia retinere, & non tenetur ante sententiam Iudicis restituere hæredibus abintestato; quin & secuta sententia, neque pertinebunt ad hæredes testatoris, vel donatoris, sed ad fiscum eo modo, quo pertinebunt alia bona propria eiusdem hæretici; quia illa bona relicta hæretico, sunt vere iam ab hæretico acquisita; cùm hæreticus sit capax hæreditatis, legati, & donationis, in hac tertia sententia. 17

Quod, si sequamur sententiam primam eorum, qui tenent, quod hæreticus sit incapax hæreditatis, legati, &c, (quæ, sicuti dicebam, est communis, & in consulendo, ac in iudicando sequenda.) Tunc dicendum erit, quod si quæ hæreditas, &c. hæretico (siue ex testamento, siue ab intestato) relinquatur; sit illa tradenda hæredibus succedentibus abintestato; & præterea si hæreticus hæreditatem acceperit, teneatur in conscientia, etiam ante Iudicis sententiam, 18

eam restituere iisdem hæredibus ab intestato, non autem restituere fisco. Ananias *in cap. excommunicamus* 1. §. *credentes de hæretic. num.* 7. Felinus *ibid. num.* 3. Menoch. *conf.* 185. *num.* 8. (vbi ait, quod legata relicta hæretico sint habenda pro non scriptis.) Quemada *in quæstion. fiscal. q.* 18. (vbi inquit, quod relicta hæretico sint tradenda aliis hæredibus.) Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 9. *num.* 124. (vbi asserit quod legata & fideicommissa relicta hæretico sint similiter habenda pro non scriptis, & pertineant ad alios hæredes.) Et colligitur *ex l.* 1. *ff. de his, quæ pro non script.* (vbi dicitur, quod si in metalla damnato quid extra causam alimentorum relictum fuerit, id pro non scripto sit, nec ad fiscum pertineat.) Item ex eo; quia quæ relicta sunt Bannito successionis incapaci, non pertinent ad fiscum, sed ad testatoris hæredes abintestato. Ita Doctores, quos citat & sequitur Paulus *con.* 212. *num.* 1. *vol.* 2. Et quæ relicta sunt spurio incapaci, non sunt tradenda fisco propter crimen commissum à spurio; ergo sic etiam quæ relicta sunt à testatore alicui hæretico, non tenetur hæreticus, (si scilicet hæreticus sit incapax) ea tradere fisco, sed tenetur restituere testatoris hæredibus ab intestato.

19 Hinc si in aliquibus Regnis sint iura, quæ expresè reddant hæreticum incapacem cuiuscumque successionis, ibi sine dubio bona hæretico relicta non pertinebunt ad fiscum, sed ad hæredes abintestato: tunc verò censetur, quod lex aliquem expresè reddat incapacem successionis, donationis, &c. ob aliquod delictum, quando relicta delinquenti non applicat fisco, sed hæredibus abintestato (sicut contingit in spuriis incestuosis, damnatis ad metalla, deportatis, & similibus, quos lex de facto reddit incapaces.) Gloss. *in* §. *legati instit. de legat. & in l. si quis mihi bona,* §. *si quis planè, ff. de acquir. hæredit.* Bartol. *in l. hæreditas, num.* 3, *Cod. de his, quib. vt indign. bon. aufer.* Bald. *ibidem, num.* 6. Iason. *num.* 10. Paulus *num.* 5. Decius *in l.* 1. *num.* 10. *Cod. de secund. nupt.* Gulielm. Benedict. *in cap. Raynutius verb. mortuo itaque testatore, num.* 57. *de testament.* Couarruu. *in* 4. *decretal. part.* 2. *cap.* 8. §. 5. *num.* 9. Peregrin. *de iur. fisc. lib.* 3. *tit.* 1. *num.* 2. Alex. *conf.* 202. *col.* 6. Cornæus *conf.* 319. *vol.* 4. Oldrad. *conf.* 309. Soccin. Iunior *conf.* 3. *num.* 12. *vol.* 3. *Marian.* Soccin. Sen. *conf.* 22. *n.* 15. *lib.* 1. Gozadin. *conf.* 21. Castr. *conf.* 306. *lib.* 1. Hieron. Gabriel *conf.* 104. *lib.* 1. Hippolyt. *conf.* 93. *n.* 15. *& seqq.* Menoch. *conf.* 186. *n.* 1. *vol.* 2. & Bossius *in Pract. tit. de his quib. vt indign. bon. aufer. n.* 3.

Et patet *ex l. si qua pœna, ff. de his qui sunt sui, ex l. si post mortem,* §. *libero, ff. de bonor. possess. ex l.* 3. *de his quæ pro non scriptis habentur, & ex l.* 1. *Cod. de hæred. Instit.*

20 Et suadet ratio, quia incapax habetur pro mortuo, *l.* 1. §. *sed si Patronus, ff. de coniung. emancip.*

Cæterum etiam remoto prædicto iure regio, quod expresè reddat hæreticum incapacem, & attento solo iure communi) adhuc prima sententia (quæ tenet, quod ex eo, quod vt inquit ipsa, hæreticus, durante hæresi, sit incapax hæreditatis, legati, &c. fiscus in tali hæreditate legati, &c. locum non habeat, sed dicta hæreditas, &c. hæredibus abintestato venientibus sit applicanda) mihi videtur in consulendo, & iudicando sequenda; quia si non probabilior, saltem communior est inter Doctores, vti patet ex dictis.

21 Limita tamen, vt non procedat prædicta prima sententia in hæreditate, legato, &c. relicto illi, quem tu noueris, esse hæreticum; quia tunc in pœnam delicti, quod incapacem, vel saltem indignum institueris, poterit fiscus hæreditatem, legatum, &c. occupare. Et fauet Textus *in l. qua de Samaritis, Cod. de hæretic.* Ibi, *Delatam ipsius successionem vindicet fiscus:* quamuis interim, quod fiscus sententiam condemnatoriam non pronunciet, hæredibus abintestato venientibus illa sit applicanda. Azor. *tom.* 1. *instit. moral. lib.* 5. *cap.* 8. *q.* 1. Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 46. *num.* 56. Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 14. *num.* 38. & Farinacius *de hæres. q.* 190 *num.* 104.

Dixi hæreticum, durante hæresi, incapacem esse hæreditatis, legati, &c. quia postquàm fuit ab illa absolutus, & Ecclesiæ reconciliatus, redditur capax; cùm cesset tunc ipsius incapacitas. Ita Doctores communiter *in locis suprà citatis.* 22

An verò sit capax, si hæresim fuerit detestatus, & interim ab illa non absolutus? 23

Respondetur, quod (quamuis negent nonnulli, quos sequitur Vasquez *cit. cap.* 9. §. 4. *dub.* 2. *num.* 123. *de testament.* Ex eo quod interim, dum non est absolutus, in hæresi perseuerare censetur.) Probabilius sit oppositum; quod scilicet sit capax, non solùm in foro conscientiæ, (sicuti tenent Doctores, quos sequitur Sanchez *lib.* 2. *cap.* 14. *num.* 40.) Sed etiam (si de vera Pœnitentia constiterit) in foro conscientiæ; quia licèt excommunicatio tollatur per absolutionem, & non per pœnitentiam; hæresis tamen tollitur per pœnitentiam: sed incapacitas succedendi non oritur ab excommunicatione, sed à peccato hæresis: ergo per pœnitentiam sublato peccato hæresis, per eamdem pœnitentiam tollitur incapacitas succedendi.

Ex dictis sequitur, quod, attenta prima sententia Doctorum, hæreticus hæreditatem, legatum, &c. sibi relictum repudiare non solùm possit, sed etiam teneatur; quia secundùm primam sententiam hæreticus incapax est illius. At attenta tertia contraria sententia, (esse quidem hæreticum successionis capacem, dum per Iudicis sententiam condemnatus non fuerit) quamuis plures Doctores putent, quod hæreticus repudiare non possit, ex eo, quia talis repudiatio cederet in fraudem fisci; (sicuti non potest licitè, etsi possit validè, debitor in fraudem creditorum hæreditatem sibi delatam repudiare.) Tamen probabilius sit, quod possit hæreticus repudiare, nondùm validè, sed etiam licitè, quia nullibi prohibetur talis repudiatio (cùm solùm hæretico prohibeatur alienare quod est suum, & fisco obligatum, non autem prohibeatur omittere acquirere quod est alienum, & ad fiscum deuenire potest,) sed repudiatio hæreditatis, legati, &c. est quædam alieni iuris acquisitionis omissio: ergo cùm id hæretico non prohibeatur, poterit ab hæretico nondùm validè, sed etiam licitè fieri repudiatio. Ita Doctores, quos sequitur Vasquez *opuscul. de testament. cap.* 9. *dub.* 6. *n.* 24. 24

Objicies Textum *in l. in fraudem, ff. de iur. fisc.* vbi alienatio rerum, quas possidet damnatus, æquiparari videtur cum omissione acquisitionis. Ibi: *In fraudem fisci non solùm per donationem, sed quocumque modo res alienatæ reuocantur; idémque iuris est, etsi non quæratur, æquè enim in omnibus fraus punitur.* 25

Respondetur cum Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 14. *num.* 53. Textum hunc non obstare, quia ibi non est sermo de renunciatione hæreditatis delatæ, sed de alienatione iuris quæsiti facta in fraudē fisci, siue per alienationem dominium transferatur, siue non: hoc enim vltimum significant illa verba: *Etsi non quæratur*; quia ad fraudem fisci faciendam impertinens est, quod per alienationem ius alteri quæratur, vel non quæratur.

COROLLARIVM I.

An hæreditas ad hæreticum, vel alium delinquentem, ante commissum delictum delata, si eam hæreticus, vel alius delinquens non adiuerit, cum aliis bonis hæretici, vel alterius delinquentis publicetur?

SVMMA

SVMMARIVM.

1 *Hæreditas ad hæreticum, vel alium delinquentem ante commissum delictum delata, non adita, non publicatur cum aliis bonis hæretici, vel alterius delinquentis, non solùm si is sit incapax secundùm primam sententiam, quando sine dubio spectat ad hæredes ab intestato, sed etiam si sit capax secundùm tertiam sententiam.*

2 *Hæreditatem adeundi ius, priusquam ea acceptetur, non computatur inter bona.*

3 *Hæreditas delata, sed nondum adita, non transit ad hæredes, consequenter neque ad fiscum.*

4 *Hæretici, vel alterius delinquentis, quando eius bona publicantur, transeunt ad fiscum omnia iura, & actiones reales, non autem iura, & actiones meræ personales.*

5 *Hæreditatis ante acceptationem legatum à morte testatoris non transit in dominium legatarij perfectè, & irrenocabiliter, sed imperfectè, & renocabiliter.*

1 RESPONDETUR ex dictis suprà negatiuè; non solùm si hæreticus, vel alius delinquens sit incapax secundùm primam sententiam, (quando sine dubio spectat ad hæredes ab intestato,) sed etiamsi sit capax secundùm tertiam sententiam suprà in principio dubitationis relatas; sic contra Papiensem *in praxi in form. libell. pro heredit. abintestato delata num. 7.* Et paucos quosdam alios tradunt Gulielm. Benedict. *in cap. Raynutius, verb. & vxore decis. 5. num. 282.* Gigas *de crimin. læs. majest. lib. 2. tit. de pœn. committen. ad crimen q. 8.* Decius *in l. 3. §. illud, ff. quod quisque iuris, num. 2. & 3. & cons. 438. num. 8. cons. 442. & cons. 445. num. 65.* Ruin. *cons. 23. lib. 5.* Cæphal. *lib. 3. cons. 321. num. 25. & seqq.* & Nellus *de Bannitis part. 1. 2. tempor. q. 30.*

2 Probatur vlterius etiam; quia *in l. pretia rerum, ff. ad leg. Falcid.* habetur, quod non computetur inter bona ius adeundi hæreditatem, priusquàm acceptetur. Ergo quando publicantur bona hæretici, vel alterius delinquentis, non publicabitur ius adeundi hæreditatem; cùm tale ius computetur inter bona hæretici, vel alterius delinquentis *ex prædicta l. pretia rerum.*

3 Confirmatur; quia *in l. vnica Cod. de iis qui ante apertas tabul.* dicitur, quod hæreditas delata, sed nondum adita, non transeat ad hæredes: ergò neque transibit ad fiscum.

4 Objicies: Hæreticus, vel alter delinquens habet ius ad talem hæreditatem: At transeunt ad fiscum omnia iura, & actiones hæretici, vel alterius delinquentis, quando eius bona publicantur: ergò transibit etiam tale ius.

Respondetur, distinguo minorem: transeunt ad fiscum omnia iura, & actiones hæretici, vel alterius delinquentis, si sint iura & actiones reales, concedo; si sint iura, & actiones merè personales, nego; sic autem contingit in casu nostro; quia quod quis acquirat ius, & dominium in hæreditatem delatam, pendet ex consensu illius, ad quem illa defertur; quapropter, cùm talis consensus sit personalis, non poterit illud transire ad delinquentem, nisi delinquens priùs hæreditatem delatam adiuerit.

5 Instabis: *in l. à Titio, ff. de furtis*, dicitur quod legatum à morte testatoris transeat in dominium legatarij, nec requiratur, vt priùs adeatur hæreditas: ergo ius adeundi hæreditatem computatur inter bona, tametsi hæres nondum illam adierit.

Respondetur: distinguo antecedens (quod scilicet ante acceptationem hæreditatis legatum à morte testatoris transeat in dominium legatarij) perfectè, & irrenocabiliter, nego; imperfectè & renocabiliter, seu sub conditione on repudietur, quare si postea non acceptetur, non acquiratur dominium) concedo.

COROLLARIVM II.

An hæreticus, vel alius delinquens possit in fraudem fisci repudiare hæreditatem, vel legatum, &c.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus, vel alius delinquens potest in fraudem fisci repudiare hæreditatem, vel legatum, &c. non solùm si delinquens sit incapax secundùm primam sententiam, quando etiam tenetur; quia sine dubio spectat ad hæredes ab intestato; sed etiam si sit capax secundùm tertiam sententiam.*

2 *Fisci in fraudem factum non videtur, quod acquisitum non est.*

3 *Hæreditas repudiari potest in fraudem creditoris, consequenter etiam in fraudem fisci; est enim creditor melioris conditionis, quàm fiscus.*

4 *Fiscus quod habeat priuilegium, vt in ipsius fraudem non possit repudiari hæreditas, vel legatum, nullo iure habetur.*

5 *Fisci in fraudem res alienata non solùm per donationem, sed quemcumque alium modum reuocatur, æque enim in omnibus fraus punitur. At non sequitur, quod aliquid in fraudem fisci non possit repudiari, non enim id lex exprimit, sed tantùm loquitur de bonis publicatis, eorumque alienatione; non dicta repudiatione hæreditatis non aditæ.*

6 *Debitor potest repudiare similiter hæreditatem, vel legatum, &c. in fraudem, seu in præjudicium creditorum, ad hoc vt ipsius filij succedant, & potest vti hoc remedio repudiationis, ne creditores hæreditatem, vel legatum, &c. consequentur.*

7 *Hæreditas priusquàm acceptetur, ipso iure acquiritur hæredibus suis, sed non perfectè, & irreuocabiliter; imperfectè tamen, & reuocabiliter, seu sub conditione.*

8 *Debitor potest repudiare hæreditatem, vel legatum, &c. in fraudem creditorum, ità vt is, qui in illa bona repudiata succedit, licitè & tuta conscientia queat illa retinere; Qui enim repudiat, nihil de suo alienat, sed tantùm desinit acquirere.*

9 *Successor in hoc casu nihil capit à repudiante, sed tantùm à suis prædecessoribus.*

10 *Debitor nolens acceptare, peccat contra iustitiam: At non etiam sic is, qui succedit; quia successor non cooperatur peccato illius; cùm non dederit ei consilium, vt non acceptaret.*

11 *Delinquens licet non possit licitè hæreditatem, legatum, &c. repudiare in fraudem, seu præjudicium fisci, si sit capax, & si non sit capax, non solùm licitè possit, sed etiam teneatur. Creditor tamen repudians in fraudem creditorum peccat mortaliter contra iustitiam: nam tenetur ex iustitia adhibere media conuenientia, præsertim facilia, ad hoc vt possit soluere creditoribus.*

12 *Debitor callens aliquam artem, tenetur illam, si dedecus ei non inferat, ex iustitia actu exercere, vt possit soluere creditoribus, quibus debet: consequenter magis ex iustitia acceptare hæreditatem, legatum, &c.*

13 *Filius, quia tenetur ex pietate, & charitate subuenire parentibus in necessitate constitutis, peccat contra charitatem, & pietatem, si sine causa non acceptaret hæreditatem, legatum, &c. vt possit ipsis subuenire: ergo à simili de debitore.*

14 Hæreditatem

14 *Hæreditatem quis repudiare licitè potest in foro externo in præiudicium creditorum, non quod forus externus id approbet tanquam iustum, sed quia creditoribus in tali casu non amisit; & propterea non valet argumentum à foro externo ad internum animæ in hoc, & in aliis casibus quæ hic recensentur.*

15 *Debitor non solùm peccat contra Iustitiam, non acceptando hæreditatem, legatum, &c. in fraudem creditorum, sed peccant etiam contra eam Procuratores, & Aduocati, consulendo ei; vt non acceptet; seu retineat hæreditatem, legatum, &c. in dictorum fraudem, & tenentur ad restitutionem; potest tamen debitor aliquando, si id bona fide faciat, excusari à peccato.*

16 *Qui non habet vnde soluat, non tenetur ex iustitia debitum soluere, si non habeat neque in actu, neque in potentia; At cùm in potentia habeat, & debitum non solutum, neq; remissum sit extinctũ, sed per impotentiam consopitum, sequitur; quod deueniens debitor ad pinguiorem fortunam teneatur soluere, & in ordine ad dictam obligationem soluendi tenetur adhibere medium ad soluendum, &c.*

17 *Delinquens si sit capax, non potest in fraudem fisci repudiare hæreditatem, legatum, &c. nec debitor in fraudem creditorum, si dicant se renunciare, vt alter succedat.*

18 *Donatio non valet, quando Maritus ei, qui vult ipsi aliquid donare, iubet, vt donet vxori, cùm eo ipso, quod iubet donari vxori; videtur prius tacitè acceptare, & postea sua vxori donare. Consequenter non valebit repudiatio facta in fauorem alterius.*

19 *Repudiatio, seu renunciatio facta in fauorem alterius valeret, si delinquens, vel debitor nullo modo, nec expressè, nec tacitè acceptaret.*

1 RESpondetur ex iisdem dictis suprà affirmatiuè, non solùm si delinquens sit incapax secundùm primam sententiam (quando etiam tenetur; quia sine dubio spectat ad hæredes ab intestato, vti suprà dicebam,) sed etiam si sit capax secundùm tertiam sententiam, in eodem principio dubitationis relatas. Ruinus *lib. 5. cons.* 25. Decius *cons. 445. num. 65. & seqq.* Menoch. *cons.* 101. *num. 4. vol. 1.* Barbat. *lib. 3. cons. 22. num. 9. & seqq.* Vinc. de Franch. *decis.* 101 *num. 5.* & alij.

2 Probatur vlterius etiam authoritate; quia *in l. cum quidam, ff. de iur. fisci* dicitur: *Rescriptum est non videri in fraudem fisci factam, quod acquisitum non est.*

3 Probatur vlterius etiam ratione; quia potest hæreditas repudiari in fraudem creditoris; ergo multò magis poterit repudiari in fraudem fisci; quia creditor est melioris conditionis, quàm fiscus; cùm creditor tractet de damno vitando, fiscus autem de lucro faciendo.

4 Confirmatur; quia nullo iure habetur, quod fiscus habeat priuilegium, vt in ipsius fraudem repudiari non possit hæreditas, vel legatum, &c. (cùm iura vniuersaliter concedant, esse validam repudiationem factam etiam in fraudem creditorum) Ergo talis repudiatio valida erit.

5 Objicies: *in l. in fraudem, ff de iur.* dicitur, quod in fraudem fisci non solùm per donationem, sed per quemcumque alium modum res alienata reuocetur. *Idemque Iuris sit, etsi non quæratur (Æque enim in omnibus fraus punitur.)* Ergo in fraudem fisci non potest aliquid repudiari.

Respondetur, nego consequentiam; quia ibi non dicitur, quod non valeat repudiatio hæreditatis facta à delinquente, cuius bona propter delictum publicantur; sed solùm dicitur, quod sit puniendus ille, qui in fraudem fisci bona iam publicata alienat, illa verò verba quæ ibidem habentur (*etsi non quæratur*) faciunt, vt *suprà* dicebam, sensum, quod scilicet punienda sit fraus, quamuis in ea bona iam publicata nullum ius acquirat ille, vti in fraudem fisci fuerunt alienata.

Hinc sequitur, quod debitor possit repudiare similiter hæreditatem, vel legatum, &c. in fraudem, seu in præiudicium creditorum, ad hoc vt ipsius filij succedant, & possit vti hoc remedio repudiationis, ne creditores hæreditatem, vel legatum, &c. consequantur. Ioannes Lupus *in rubr. de donation. §. 47. num. 9.* Gomez *tom. 1. variar. cap. 9. num. 27.* Molina *de Iust. tom. 1. disput.* 180. Vasquez *prima secundæ, disput. 172. cap. 3. num. 15. & seqq.* Sanchez *de matrim. lib. 6. disput. 4. num. 8.* & alij passim. 6

Non obstat, si dicas: *in l. Nolentibus, Cod. de iur. delib. & in l. 1. ff. qui sunt in potest.* dicitur, quod ipso iure (priusquàm acceptetur) hæreditas acquiratur hæredibus suis, adhuc ignorantibus: Ergo (cùm hæreditas sit iam acquisita) non potest repudiari; quia solùm repudiantur ea, quæ nondum à nobis sunt acquisita. 7

Respondetur enim distinguendo, quod ipso iure (priusquàm acceptetur) hæreditas acquiratur hæredibus suis, adhuc ignorantibus; perfectè, & irreuocabiliter, nego: Imperfectè, & reuocabiliter, seu sub conditione, si hæres velit eam acceptare, concedo.

Sequitur secundò, quod debitor possit repudiare hæreditatem, vel legatum, &c. in fraudem creditorum, itavt is; qui in illa bona repudiata succedit, licitè, & tuta conscientia queat illa retinere; quia qui repudiat aliquid sibi in testamento relictũ, legatum vel oblatum, &c. nihil de suo alienat, sed tantùm desinit acquirere. *Regul. non fraudantur, ff. de regul. iur.* (Cùm enim debitor nihil acquisiuerit, non potest dici, quod aliquid de suo alienet: nam ius adeundi hæreditatem, &c. non computatur inter bona illius, qui illam adire potest, antequàm illam acceptet.) Ergo cùm debitor nihil de suo donet, vel alienet, is qui succedit, poterit illud licitè, & tuta conscientia (tanquam quid ad se delatum, & spectans) possidere. 8

Confirmatur; quia qui succedit in hoc casu, nihil capit à repudiante, sed à suis prædecessoribus: ergo totum illud poterit licitè & tuta conscientia retinere. 9

Non obstat, si dicas: debitor nolens acceptare, peccat contra iustitiam: ergo etiam & is, qui succedit (tanquam cooperator peccati illius) similiter peccabit contra iustitiam. 10

Respondetur enim: Nego consequentiam; quia successor non cooperatur peccato illius; cùm non dederit ei consilium, vt non acceptaret; sed tantùm permittit peccatum illius; cùm ad quidquam non teneatur, nec plus diligere proximum, quàm seipsum.

Aduertere tamen; quod (licet delinquens possit licitè hæreditatem, legatum, &c. repudiare in fraudem, seu præiudicium fisci, si sit hæreditatis, legati, &c. capax: Nam, si non sit capax, non solùm licitè potest, sed etiam tenetur, cùm tunc hæreditas, legatum, &c. spectet ad hæredes abintestato, sicuti pluries suprà dicebam.) Tamen non potest licitè creditor, absque eo, quod peccet mortaliter contra iustitiam, repudiare similiter hæreditatem, legatum, &c. in fraudem, seu præiudicium creditorum, sic Doctores, quos sequitur Medina *de iust. disput.* 435. Vasquez *prima secunda, disp. 172. cap. 13. n. 15.* & Sanchez *de matrim. lib. 6. disput. 4. n. 9. & lib. 2. moral. cap. 14. n. 54.* 11

Probatur; quia debitor tenetur ex iustitia adhibere media conuenientia, (præsertim si fuerint facilia) ad hoc, vt possit soluere creditoribus, quibus debet; ergo & tenetur ex iustitia acceptare hæreditatem, legatum, &c. vt hac ratione possit soluere creditoribus, quibus debet; alioquin ex dictis peccabit contra iustitiam aduersùs creditores. Consequentia patet. Antecedens probatur, quia, qui tenetur ad finem, tenetur etiam ad media.

Confirmatur: qui nouit aliquam artem, tenetur 12

illam

illam, si ipsi illa dedecus non inferat, ex iustitia actu exercere, vt possit soluere creditoribus, quibus debet. Nauarrus *in cap. non dicatis* 12. *q.* 1. *num.* 3. Nauarra *de restitution. lib.* 4. *num* 9. Medina *Cod. de restit. q.* 3. *cauf.* 8. & alij passim. Ergo multò magis tenebitur ex iustitia acceptare hæreditatem, legatum, &c. vt possit hoc modo soluere creditoribus, quibus debet; cùm multò faciliùs sit acceptare hæreditatem, legatum, &c. quam actu exercere aliquam artem, quæ dedecus exercenti inferat.

13 Confirmatur secundò, filius, quia tenetur ex pietate, & charitate subuenire parentibus in necessitate constitutis, peccaret contra charitatem, & pietatem, si sine causa non acceptaret hæreditatem, legatum, &c. vt possit subuenire parentibus: ergo debitor, quia tenetur ex iustitia soluere creditoribus, quibus debet, peccaret contra iustitiam, si sine causa hæreditatem, legatum, &c. non acceptaret, vt possit satisfacere creditoribus, quibus debet.

14 Objicies: Potest quis in præjudicium creditorum licitè repudiare hæreditatem, legatum, &c. in foro extreno; ergo poterit etiam licite repudiare in foro interno. Consequentia probatur, quia idem in vtroque foro seruandum, & sentiendum est, quotiescumque forum externum non innititur falsæ præsumptioni, vel non est in pœnam delicti Sotus *de iustit. lib.* 4. *q.* 5. *art.* 3. Ledesma 2. 4. *q.* 14. *art.* 1. *dub.* 12. Couarru. *in cap Cum esses de testament. n.* 7. & alij communiter: Ergo.

Respondetur: distinguo Antecedens, (Potest quis in præjudicium creditorum licitè repudiare hæreditatem, legatum, &c. in foro externo,) ita vt is, in cuius fauorem fit repudiatio, licitè accipiat, & retineat, quia qui repudiat, validè repudiat, concedo: ita vt & qui repudiat, licitè etiam repudiet in foro externo, subdistinguo: In sensu, quod forum externum creditoribus, in quorum præjudicium fit repudiatio, non assistat, & non tribuat, sed deneget actionem ad agendum (ne scilicet multiplicentur lites) concedo. At nego consequentiam; & ad probationem respondeo, quod idem in vtroque foro seruandum, & sentiendum est, quotiescumque forum externum non innititur falsæ præsumptioni, vel non est in pœnam delicti; & vlteriùs etiam, Tertiò, quotiescumque forum externum approbat aliquid, tanquam iustum, & non tantùm (vt est in casu nostro) ei, cui fit præjudicium, ex aliqua rationabili causa non assistit, nec tribuit, sed denegat actionem ad agendum: quod inde patet, quia *ex toto titulo, ff. de eo, quod met. cauf.* & *ex Regula Vani, ff. de Regul. Iur.* ea, quæ sunt extorta per metum leuem, non sunt restituenda in foro externo, & tamen ex Molina *de iust. disput.* 267. Nauarro *in summa cap.* 17. *num.* 5. Nauarra *de restitut. lib.* 3. *cap* 1. *dub.* 7. & alijs, restituenda sunt in foro interno; quia leges ea, quæ sunt extorta per metum leuem non approbant, tanquam iustè acquisita, sed tantùm ei, qui passus est metum (vt vitentur lites) non assistunt, nec tribuunt, sed denegant actionem ad agendum in foro externo; idémque patet in promissione ex titulo iustitiæ facta, & acceptata (si sit simplex, & nuda; scilicet non iurata, nec stipulatione vestita) quod & talis promissio etiam ob eandem rationem iam dictam non sit seruanda in foro externo, sit tamen ex communiori sententia Doctorum seruanda in foro interno, seu conscientiæ; idémque patet etiam in contractibus, testamentis, & aliis vltimis voluntatibus, si habeant contrahentium, vel disponentium consensum, non tamen habeant Iuris solemnitates requisitas.

15 Instabis: si debitor peccaret contra iustitiam non acceptando hæreditatem, legatum, &c. in fraudem creditorum, peccarent etiam contra iustitiam Procuratores & Aduocati consulendo debitori, quod non acceptet, seu renunciet hæreditatem, legatum, &c. in fraudem creditorum.

Respondetur: Concedo totum; ita vt etiam Procuratores, & Aduocati in defectum debitoris teneantur ad restitutionem creditoribus; quia iniustè fuerunt causa, quod creditores damnum paterentur. Concedo tamen, quod sæpè debitor excusetur à tali peccato, & à restitutione; quia bona fide putat, se non teneri acceptare hæreditatem, legatum, &c. iudicans propter vanas leges, se non peccare sic repudiando, præsertim cùm contraria opinio habeat etiam aliquam probabilitatem. Et quod dixi de debitore, idem etiam dicendum erit de Procuratoribus & Aduocatis.

Vrgebis: qui non habet vnde soluat, non tenetur ex iustitia debitum soluere; sed debitor in casu nostro non habet vnde soluat, ergo non tenetur ex iustitia debitum soluere, & consequenter non tenetur ex iustitia quærere medium, acceptando scilicet, quod ipsi offertur, vt sic possit debitum soluere creditoribus. 16

Respondetur: distinguo maiorem: qui non habet vnde soluat, non tenetur ex iustitia debitum soluere, si non habet neque in actu, neque in potentia, concedo: si non habet solùm in actu, sed benè habet in potentia, nego: quia per ly *non habere*, non extinguitur debitum (ita vt debitor omninò sit liber à soluendo) sed solùm sopitur debitum, (ita vt, si debitor postea deueniat ad pinguiorem fortunam, teneatur ex Iustitia soluere,) quare (cùm adhuc ex iustitia debitor teneatur ad solutionem,) peccabit contra iustitiam, si (cùm facilè possit adhibere medium ad soluendum) nolit illud adhibere, acceptando scilicet hæreditatem, vel legatum, &c. vt sic soluat creditoribus. Alioquin sequeretur, quod pater, qui non habet vnde subueniat filiis in necessitate existentibus, non peccaret, si hæreditatem, vel legatum, &c. repudiet solùm, quia non vult illis subuenire, aliàs acceptaret: quod non est dicendum, sicut igitur pater in casu nostro repudiando hæreditatem, vel legatum, &c. peccant mortaliter contra pietatem, & charitatem; ita & debitor non acceptando similiter hæreditatem, vel legatum, &c. peccabit etiam mortaliter contra iustitiam.

Aduerte secundò, quod non potest delinquens, (si scilicet hæreditatis, legati, &c. sit capax, vti dicebam) in fraudem fisci, nec debitor in fraudem creditorum, repudiare hæreditatem, vel legatum, &c. si dicant, se renunciare, vt alter succedat. Ita Doctores, quos sequitur Vasquez *prima secunda disput.* 172. *cap.* 3. *n.* 12. 17

Probatur; quia qui sic repudiat hæreditatem, vel legatum, &c. tacitè priùs illam acceptat, & postea illam donat alteri, sed donatio facta à delinquente, (quem dicebam) vel à debitore potest reuocari; Ergo, &c.

Confirmatur; quia non valet donatio, quando maritus ei, qui vult ipsi aliquid donare, iubet vt donet vxori, *l.* 3. & 4. *ff. de donat. int. vir. & vxor.* (cùm eo ipso, quod iubet donari vxori, videatur priùs tacitè acceptare, & postea ius vxori donare) ergo etiam in casu nostro non valebit repudiatio facta in fauorem alterius; (cùm delinquens quem dicebam, vel debitor censeatur acceptare donationem, & postea alteri donare, quod sibi donatum est, quodque tacitè ipse acceptauit, quia qui sic renunciat in fauorem alterius censetur verè, & propriè donare, cùm censeatur priùs rem sibi donatam acceptare, & eam statim postea alteri donare, sicuti dicebam) ergo talis repudiatio poterit reuocari. 18

Valeret tamen repudiatio, seu renunciatio facta in fauorem alterius, si delinquens (quem dicebam) vel debitor nullo modo, nec expressè, nec tacitè acceptaret; vt si v. g. rogaret eum (qui vult ipsi relinquere hæreditatem, vel legatum, &c.) quod non relinquat, vel donet ipsi, sed suo consanguineo, vel amico, quia tunc non censeretur acceptare, & postea alteri donare. 19

COROLLARIVM III.

An is, qui hæredem instituit hæreticum, afficiatur aliqua pœna?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticum instituens hæredem afficitur aliqua pœna, ita vt Episcopus afficiatur pœna excommunicationis.*

2 *Episcopus nihil potest ex testamento relinquere non solum hæretico, sed neque etiam Pagano, Iudæo, vel alteri cuicumque à Fide Catholica alieno.*

3 *Episcopi nomen hæreticum hæredem instituentis inter Dei Sacerdotes nullo modo computatur.*

4 *Episcopus non solum, sed etiam quicumque Clericus hæredem instituens hæreticum est excommunicatus.*

5 *Fidelis quilibet hæredem instituens hæreticum est etiam excommunicatus, & potest inquiri etiam post mortem.*

6 *Limita in eo, qui relinquit aliquid hæretico, sciens eum esse hæreticum, non autem si id ignoret; quia tunc cùm absit culpa, abest etiam pœna.*

7 *Ignorantia in hoc casu præsumenda est ad excludendum delictum, quamdiu scientia non probetur.*

8 *Hæreticum instituens hæredem incidit in excommunicationem ex tunc temporis, quo testamentum confecit.*

9 *Dictio* saltem, *quando ad tempus refertur, semper duplex tempus importat.*

10 *Instituens, quamuis possit reuocare testamentum, tamen institutio statim ac testamentum fuit cum suis solemnitatibus confectum, fuit perfecta, & delictum consummatum, præsertim cùm non facilè sit præsumendum, quod mutaturus sit voluntatem, cùm testamenta confici soleant cum prudentia, & maturitate.*

1 RESpondetur affirmatiuè, ita vt si sit Episcopus, afficiatur pœna excommunicationis; *cap. si quis Episcopus de hæreticis*, ibi: *Si quis Episcopus hæredes instituerit extraneos à sua consanguinitate, vel hæreticos etiam consanguineos, prætulerit, saltem post mortem ei anathema dicatur.* Et notant ibi Gloss. *verb. si quis Episcopus.* Abbas *num.* 2. Soccin. *num.* 1. & passim alij Canonistæ. Angel. *verb. hæreticus, num.* 14. Armilla *verb. hæresis, num.* 19. & passim alij Summistæ.

2 Adde, quod Episcopus nihil possit ex testamento relinquere non solùm hæretico, sed nec etiam Pagano, Iudæo, vel alteri cuicumque à Fide Catholica alieno; *cit. cap. si quis Episcopus, verb. Aut Paganos*; & notat *ibid.* Gloss. Butrius *num.* 6. Ostiens. *num.* 1. Soccin *num.* 2. & Ananias *num.* 1. & 6.

3 Adde secundò, quod *in eodem cap. si quis Episcopus*, subjungatur, vt nomen Episcopi, hæredem hæreticum instituentis, inter Dei Sacerdotes nullo modo computetur: & notat *ibi* Soccin. *num.* 5. & 6. Zabarell. *num.* 1. & Ostiens. *verb. Inter Dei Sacerdotes*, subdens, quod huiusmodi Episcopus sit infamis.

4 Adde tertiò, quod non solùm Episcopus, sed etiam quicumque Clericus hæredem instituens hæreticum, sit excommunicatus; *cap. in eos de hæretic.* Ibi: *Denique quod de Episcopis & Presbyteris dictum est, debet de reliquis Clericis etiam dici.* Et notant *ibi* Gloss. *verb. de reliquis.* Abbas *num.* 1. Ostiens. *num.* 4. & alij Canonistæ.

5 Adde quartò, quod aliqui velint, quod quilibet fidelis, hæredem instituens hæreticum, sit etiam excommunicatus. Sic Ostiens. *in dicto cap. si quis Episcopus, num.* 5. *ibid.* Henric. *num.* 1. & 2. & Ananias *num.* 1. Et possit inquiri, etiam post mortem. Gloss. *ibid. verb. post mortem.* Abbas *num.* 3. Ostiens. *num.* 5. & Paul. Ghirland *tract. de hæretic. q.* 9. subdens, quod quidquidpiam donauit, vel legauit hæretico, sit (vt hæreticus) damnandus, & declarandus; sicque etiam eius corpus ex Ecclesiastica sepultura exhumandum.

Aduerte tamen, quod quæ dixi, intelligenda sint de 6
eo, qui relinquit aliquid hæretico, sciens eum esse hæreticum, non autem si id ignoret; quia tunc (cùm absit culpa, abest & etiam pœna. Henricus *in cit. cap. si quis Episcopus, num.* 1. Butrius *num.* 4. Ananias *num.* 1. Ancharan. *num.* 2. Soccin *num* 9. & Felinus *in principio, vers. & limita.*

Aduerte secundò, quod in tali casu debeat ad exclu- 7
dendum delictum præsumi potiùs ignorantia (quamdiu illa non probatur) quàm scientia; Felinus & cæteri Canonistæ *locis suprà citatis*, quia hæc est ignorantia facti: & factum, præsertim delictum, non præsumitur, nisi demonstretur; quia in dubio quilibet præsumitur bonus, & in dubio potiùs standum est pro Reo.

Aduerte tertiò, quod qui instituit hæredem hære- 8
ticum, incidat in excommunicationem ex tunc temporis, quo testamentum confecit, vti colligitur *ex dicto cap. si quis Episcopus*, (vbi dicitur: *Quod saltem post mortem ei anathema dicatur.*) His enim verbis satis significatur, quod instituens hæredem hæreticum ante mortem in excommunicationem inciderit, quia illa dictio *saltem*, quando ad tempus refertur, semper du- 9
plex tempus importat. Baldus *lib.* 2. *consil.* 69. *num.* 2. Iason. *in l. Rogasti, § final. ff. si cert. petat.* Castrens. *in lib.* 1. *consil.* 79. *num.* 7. Paris. *lib.* 3. *consil.* 34. *num.* 6. & alij Iuristæ passim. Tum quia, quando quis instituit hæredem hæreticum, redditur ex tunc temporis suspectus de hæresi. Carrer. *de hæretic. cap.* 2. *num.* 69. Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 6. *num.* 33. & alij communiter. Ergo ex tunc temporis etiam meritò excommunicatione punitur; tum quia non potest incidere in excommunicationem post mortem (cùm mortuus, vtpotè nullius contumaciæ capax, omnis censuræ, quæ fertur, solùm in contumacem, sit incapax.) Gloss. *in cap. mulieres, § finali, de sentent. excommunic. verb. Autem.* Couarruu. *in cap. Alma Mater, §.* 11. *num.* 8. Suarez *tom.* 5. *de censur. disput.* 5. *sect.* 1. *num.* 3. Nauarr *in summa, cap.* 27. *num.* 13. Anchatan. *in cap. Cum quis, num.* 9. *de sentent. excommunic. in* 6. & alij communiter. Ergo incidit in excommunicationem ex tunc temporis, quo instituit hæredem hæreticum; cùm aliud tempus possit assignari.

Non obstat, si dicas: Testamentum (cùm voluntas 10
vsque ad mortem sit deambulatoria) potest reuocari; *l. 1. ff. de inoffic. nupt. & init. fact. testam. & §. Posteriore Instit. quib. mod. testam. infirm.* Ergo (cùm delictum, quando hæreticus hæres instituitur, non sit consummatum) non debet ex tunc instituens excommunicationem incurrere.

Respondetur enim, quod quamuis instituens possit reuocare testamentum, tamen institutio statim ac testamentum fuit cum iuris solemnitatibus confectum, fuit perfecta, sicque delictum consummatum; præsertim cùm non facilè sit præsumendum, quod mutaturus sit voluntatem, *l. Eum qui voluntatem, ff. de probationib. & l. Cum hic status, ff. de donat. int. vir. & vxor.* Quod maximè dicendum est in testamentis, quæ confici solent cum prudentia & maturitate.

DVBITATIO

DVBITATIO CXLVIII.

An hæreticus, durante hæresi capax sit alimentorum legati?

SVMMARIVM.

1 *Alimentorum legatum habet tractum successiuum, ita vt censeantur tot legata, quot sunt anni, quibus legatum cedere debet.*

2 *Hæreticus est capax omnium illorum alimentorum, quæ post pœnitentiam, vel absolutionem hæresis succedunt, ita vt ea nullo modo fiscus possit occupare. Secus tamen durante hæresi, si cum fiscus pronunciauit sententiam condemnatoriam, ea inter bona delinquentis inuenerit secundum aliquot Doctores; probabiliter tamen prædicta alimenta nullo modo publicantur.*

3 *Hæreticus, si durante hæresi, alimentorum est incapax, applicari illa non debent fisco, sed hæredibus venientibus abintestato; si autem est capax aliter, quàm est capax cuiuslibet alterius relicti, vel donati, sequitur quod sit capax irreuocabiliter.*

4 *Hæretico relinqui potest alimentorum legatum, & eiusdem est capax, etiamsi reliquorum legatorum incapax sit, contra Menochium, quia alimenta possunt relinqui etiam incapaci.*

5 *Alimentorum legati capax est damnatus ad metalla, & etiam seruus, licèt seruo nihil legari possit.*

1 SVPPONO, quod alimentorum legatum habeat tractum successiuum, ita vt censeantur tot legata facta, quot sunt anni, quibus legatum cedere debet, ex Textu *in l. si cum præfinitione, ff. quando dies legati cedit.* Hoc supposito,

2 Respondetur: hæreticus est capax omnium illorum alimentorum, quæ post pœnitentiam, vel absolutionem hæresis succedunt, ita vt ea nullo modo fiscus possit occupare (in quo conueniunt Doctores omnes) illorum tamen alimentorum, quæ durante hæresi, cedunt: quamuis Doctores nonnulli (quos sequitur Sanchez *cit. cap.* 14. *num.* 43.) putent, quod hæreticus sit quidem capax, sed tamen quod fiscus possit ea sibi vsurpare (si cùm pronunciauit sententiam condemnatoriam, ea inuenit inter bona delinquentis, quia tunc ea sunt bona delinquentis præsentia.) Probabiliùs tamen docent Doctores alij (quos citat & sequitur Farinac. *q.* 25. *num.* 145.) quod prædicta alimenta nullo modo publicentur.

3 Probatur, quia si hæreticus, durante hæresi, illorum est incapax, applicari illa non debent fisco, sed hæredibus venientibus abintestato; si autem est capax aliter, quàm est capax cuiuslibet alterius relicti, vel donati, sequitur, quod sit capax irreuocabiliter, (cùm aliorum legatorum in sententia aduersariorum sit capax reuocabiliter, & sic, quod aliquid speciale concedi debeat huic alimentorum legato (sicuti de facto concedit Textus *in l.* 3 *ff. de his, quæ pro non script. habent, & in l. si cui, ff. de aliment, & cibar. legat.* vbi de damnatis ad metalla, & postea restituto; ait Textus, tempore damnationis ipsum rectè sumpsisse alimenta, & post restitutionem ipsi dicta alimenta deberi.) Atque adeo dicendum, quod hoc legatum, etiam durante hæresi, non publicetur.

4 Cæterum, quod alimentorum legatum possit hæretico relinqui, & hæreticus prædicti legati sit capax (etiamsi reliquorum incapax sit) contra Menochium *cons.* 185. *num.* 8. *& seqq.* docent, pariter Sanchez *cit. cap.* 14. *num.* 41. Baldus *in l. corruptionem, Cod. de vsufruct. circa finem.* Speculator *tit. de execut. sentent. §. sequitur videre, num.* 11. *vers. Præterea legatum alimentorum.* Surd. *de alimentis, tit.* 9. *q.* 35. *num.* 7. *& sequentib.* Bursat. *cons.* 14. *num.* 9. *&* 28. Molin. *de iust. tom.* 1. *disputat.* 154. *col.* 2. *vers. de Iure ciuili.* Alberic. *in* 3. *part. stat. q.* 11. Nellus *tract. de bannit. in secundo tempore, q.* 30. *&* 48. Borghin. *tract. de vsufruct. num.* 238. Bossius *de publicat. bonor. num.* 72. & alij communiter; quia alimenta possunt relinqui etiam incapaci: quapropter *in leg. si cui, ff. de aliment. & cib. legat.* Alimentorum le- 5
gati capax est damnatus ad metalla, & (vt probat Surdus *in tit. de priuileg. aliment. cap.* 7. & constat *ex l. seruo alieno, § si quis posth. ff. de leg.* 1. & *ex l. seruo ad custodiam Templi, ff. de aliment. & cib. leg.*) Eiusdem alimentorum legati capax etiam est seruus, licèt seruo nihil legari possit, *l. seruis, Cod. de legatis.*

DVBITATIO CXLIX.

An hæreticus incapax sit donationis, sicut hæreditatis, legati, &c.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus incapax est donationis, sicut hæreditatis, & legati, durante hæresi, ac propterea donatum donanti reddendum est, & per fiscum non publicandum. Quod probatur ex pluribus Iuribus, & Doctorum rationibus.*

2 *Hæreticus secundum probabiliorem sententiam non est incapax donationis; atque ita valida est donatio hæretico facta, & is ante sententiam donatum restituere non tenetur; quia attento iure communi, quàm Iure regio Castellæ nullus est Textus, qui hanc donationem annullet.*

3 *Leges regiæ prædictæ non eodem modo loquuntur de successione ex testamento, ac de donatione, quia in successione ex testamento vtuntur verbo* non potest, *quod indicat actus annullationem. At in donatione non vtuntur hoc verbo, sed verbo* non valet.

4 *Hæretico, Mauro, vel Iudæo, delata in lege regia finali, declarantur spectare ad hæredes abintestato, & non ad fiscum regium; quod de donatione non cauetur.*

5 *Leges supradictæ regiæ reddunt hæreticum eodem modo inhabilem ad acceptandam donationem sibi factam, ac reddunt inhabilem ad donandum, & contrahendum.*

DOCTORES communiter apud Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 5. *cap.* 8. *q.* 1. & Farinac. *de hæresi, q.* 190. *num.* 96. satis probabiliter tenent, idem iuris esse de donatione, ac de hæreditate, & 1
legato, &c. ac proinde hæreticum, durante hæresi, incapacem esse etiam cuiuslibet donationis inter viuos; vt propterea & donatum etiam donanti reddendum sit, & per fiscum non publicandum, nisi in casu, quo, donans nouerit, se hæretico donare.

Probant primò ex Textu *in l. Ariani, §. cunctis, Cod. de hæretic.* Ibi: *Siue de donationibus hæreticorum conuenticula, siue ex vltima voluntate, &c.*

Probant secundò ex Textu *in cap. in eos de hæretic.* vbi prohibetur Episcopis, & Clericis aliquid hæretico conferre, ibi: *Nihil conferant.* (quod tam de vltima voluntate, quàm de donatione inter viuos intelligit gloss. ibi)

potestas, necessaria ad emancipationum filij, cesset, quandocumque Pater factus fuerit hæreticus: Ergo signum est, quod statim ob hæresim paternam cesset potestas patris in filium; quod & notabat Glossa *ibid.* vti etiam dicebam. Et præterea quod emancipatio filiorum facta à patre hæretico, sit nullius momenti, statuit etiam Innocentius IV. in Constitutione: *Nouerit Vniuersitas vers. Illorum autem*, apud Peñam *inter literas Apostolicas.*

2 Ex his sequitur, quod pater, sic effectus hæreticus, non possit filio suo impuberi pupillariter substituere, nempe pro eo testamentum facere; Peña, & Sanchez *in locis suprà citatis*; quia ad testamentum faciendum requiritur patria potestas; cùm nemo possit testamentum facere pro eo, qui extra ipsius potestatem existit, *§.1. instit. de pupillar. substit.* & *l.2. ff. de vulgar. & popular.*

3 Sequitur secundò, quod probabiliter filius non teneatur extra casum extremæ necessitatis, præstare alimenta parenti hæretico. Bald. *in Auth. Bona damnatorum C de bon. damnat. n.4.* Io. Lupus *in rubr. de don. inter vir. & vx. §.64 n.13.* Tiraq. *de retract. lignag. §.1. gloss. 9. n.72.* Nauar. *in 2. part. decret. tit. de censur. ecclesiast c.27. vers.4 quod fautores.* Decian. *tr. crim. lib.5. c.51. n.39* Vgolin. *tract. de censur. 2. part. in gloss. Receptatores §.2. n.8.* Farinac. *q.182. §.1. n.13.* & Sanchez *lib.2. moral. cap.24. n.7.* Quia pater non tenetur, extra casum extremæ necessitatis, præstare alimenta filio hæretico: Ergo neque tenebitur eadem præstare filius patri hæretico. Consequentia patet à pari. Antecedens probatur; quia pater
4 potest filium hæreticum priuare hæreditate. *Authent. vtrum de Appellat. cognosc. §. si quis de prædictis*, & docent Abbas *in c. Quintauallis de iureiur. n.5.* Caccialup. *in l. frater à fratre n.108. ff. de cond. indeb.* Ascan. *Clem. in tract. de patr. potest. effect. 7. n.7.* Felin. *in c. cùm sit de iud. n.2.* & Carrer. *de hæret. n.158.* Ergo etiam potest illum priuare alimentis. Nam pater ex quibus causis potest exhæredare filium, ex eisdem etiam potest illi denegare alimenta. Gloss. *in l. si verò C. de alend. liber.* & *in l. si quis à liberis §. Idem iudex verb. Detulerat is. ff. de liber. agnosc.* Bart. *in l. Diuus ff. ad l. Pompeij de parricid.* & *in tract. de aliment. n.11.* Iason *in l. ius autem ciuile de iust. & iur. n.25.* & Angel. *in tract. de testam. glossa 45. n.12.* cùm hæreditas succedat loco alimentorum; sic Doctores communiter apud Molinam *lib.2. c.16. n.1. & seqq.*
5 Tum quia pater non tenetur constituere dotem filiæ hæreticæ Gloss. *in l si verò ff. de in rem vers.* Ripa *in l.1. ff solut. matr. n.72.* Iason *in §. fuerat, n 112. inst. de action.* Socein *in tract de fallent. reg.281. in 2. fallentia.* Cotas. *in l. qui liberos, ff. de rit. nupt. n.102.* & Ascan. *Clem. in tr. de patr. potest. effect 7. n.7.* Quod probat Gloss. per Text. *in l. cognouimus, verb. Cæteris liberis C. de hæret.* Quatenus ibi dicitur, quod ad paterna beneficia filij Catholici sint admittendi; alij verò excludendi. Ergo non tenebitur pater præbere alimenta filio hæretico, nec præbere
6 dotem filiæ hæreticæ. Tum quia filius à patria potestate exemptus, reputatur extraneus; sed extraneus extra casum extremæ necessitatis non tenetur præbere alimenta hæretico; ergo neque tenebitur filius patri hæretico.

Quamuis contrarium (teneri scilicet filium fidelem præbere alimenta patri hæretico, quod docet Gloss. *in c si qui filij dist.30.* Abbas *in c. si quis Episcopus de hær. notab.1.* Felin. *in c. cùm sit de Iudæis n.2.* Nellus *tractat. de bannit. part.1. 2. tempor. num.48. circa fin.* Corduba *in l. si quis à liberis §. Etsi impubes n.8. ff. de liber. agnosc.* Castr. *lib.2. de iust hæret. punit. c.7.* Mascard. *tract. de Iudæis p.1. c.3. n.4.* & Zauall. *tom.3. commun q 779. n.154* Mihi probabilius videatur; quia cùm maiori obligatione teneatur filius erga patrem, quàm pater erga filium, magis tenetur filius præbere alimenta patri, quàm pater filio, sicuti rectè præter alios adnotauit Cynus *in l.2. circa fin. C. de patr. qui fil.*

Non obstat, si dicas: pater non tenetur extra casum extremæ necessitatis præbere alimenta filio hæretico: Ergo neque tenebitur filius patri hæretico.

Respondetur enim ex dictis, nego consequentiam; quia non est eadem ratio.

Neque obstat secundò, si instes: dispositum in vno 8
correlatiuorum censetur etiam esse dispositum in altero, *l. non tantùm ff. de re iud.* & *in l. finali Cod. de instit. & substit.* quod est etiam verum in pœnalibus, & correctiuis, *l. finali C. de indic. viduit. toll. lib.1.*

Respondetur enim etiam ex dictis: Argumentum à correlatiuis non valere, quando non militat eadem ratio, *l. curatore C. de interd. matr.* & ibi Gloss. & *l. final C. de rescind. vend.* Et tradit etiam præter alios Iason *in l. Transigere col.1 C. de transact.* & *in d. l. finali n.18 Cod. de indic. viduit. tollend.* & *in decis. Pedem. 140. n.7.* Euerard. *loco 76. col.2. vers. Præmissa tamen.*

Neque obstat tertiò, si vrgeas: Amor magis descen- 9
dit, quam ascendit: Ergo.

Respondetur enim: id verum esse, si loquamur de amore sensuali, seu secundùm sensum, non autem si loquamur de amore rationali, seu secundùm rationem. Hic enim potiùs ascendit, cùm magis obligetur filius patri, quàm pater filio, sicuti dicebam.

Vbi tamen aduerte, quod in eo Doctores omnes 10
conueniant, tam scilicet filium teneri alere hæreticum patrem, quàm patrem teneri alere hæreticum filium, in extrema scilicet necessitate; quemadmodum licèt excommunicato regulariter sint alimenta deneganda; in extrema tamen necessitate sunt eidem illa præstanda. Gloss. *final. in c. Pastoralis §. verum de appellat.* Præposit. *in c. Præter hæc dist.32. n.9* & alij passim.

Aduerte secundò, quod fautores, defensores, ac rece- 11
ptatores hæreticorum non puniantur eadem pœna, vt scilicet & ipsorum filij etiam à patria potestate liberentur; quia id nullo iure cauetur, & supradictus Text. *in c. Quicumque*, solùm loquitur de hæreticis, & ex alio capite Regula iuris est, quod pœnæ non sint extendendæ. Peña *loc. suprà cit. comment.165.* Farinac. *q.197.* & Sanch. *lib.2. mor. c.14. n.5.*

Aduerte tertiò, quod in casu cuiuscumque necessitatis 12
ob sanguinis coniunctionem priùs subueniendum sit parenti, fratri, vel cognato hæretico, quàm extraneo; sic Doctores communiter, quos citat & sequitur Farinac. *q.182. §.1. n.13.*



DVBITATIO CLI.

An hæreticus priuetur dominio in seruos, seu mancipia?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus priuatur dominio in seruos ex communi Doctorum sententia, & ex iuribus allegatis.*

2 *Leges publicationis non tollunt priuilegia antiqua seruis Christianis concessa, cùm ea lata non sint ad locupletandum fiscum, sed vt hæretici grauioribus pœnis perterriti, magis arceantur à crimine hæresis.*

3 *Serui possunt absque culpa, & pœna relinquere dominum suum hæreticum, transire ad Ecclesiam, & Deo famulari, libertatem enim statim consequuntur, ac fidem catholicam amplectuntur.*

4 *Serui Catholici quarum legum virtute efficiantur sui iuris.*

5 *Pœna prædicta ex probabiliori sententia Doctorum locum non habet ante sententiam iudicis: oportet enim, quod hæresis sit manifesta manifestatione scilicet principali, & præcipua, qua-*

lis est per sententiam iudicis.

6 *Serui exempti ab obsequio domini heretici secundùm aliquos libertatem non obtinent, & cum reliquis bonis domini confiscatis in fisci dominium transeunt; quia nullus est Textus, qui hanc illis huiusmodi libertatem concedat. At probabilius est, seruos Christianos eximi à seruitute; seruos autem Paganos, vel hereticos cum reliquis bonis domini confiscatis transire in dominium fisci; quia licèt hac libertas non sit in iure satis expressa; est tamen satis insinuata.*

7 *Seruus alicuius heretici suscipiens fidem in premium fidei suscepta integrè eximitur à seruitute; quia iudicat Ecclesia, illum fideliori seruitio se mancipare, & eadem ratione integrè à seruitute eximitur qui iam fidem suscepit.*

8 *Seruus Paganus, vel hereticus nullibi hac libertate donatur, & cùm inter bona domini reputetur, cum aliis bonis domini confiscatis in dominium fisci transire debet.*

9 *Seruus, si cum eius dominus in heresim incidit, nondum est baptizatus, at intendit baptizari, & est Cathecumenus, equum est vt libertate donetur, & sui iuris efficiatur; quia hoc pertinet ad argumentum Catholice Religionis; tum quia is in fide Christi perseuerans membrum Christi efficitur.*

10 *Seruo infideli denuncianti Inquisitoribus Dominum hereticum, equum est libertatem concedi; presertim si subsit spes, quod ad fidem faciliùs conuertatur.*

11 *Seruus si semel acquisiuit libertatem, nunquam ad priorem seruitutem amplius redit, etiamsi ipsius dominus ad fidem reuertatur cum restitutione bonorum omnium confiscatorum sibi concessa.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè. Est communis sententia Doctorum, &

Probatur *ex leg. vnic. Cod. Ne Christianum mancipium, & ex l. Deo nobis §. his autem C. de Episc. & Cler.* quatenus ibi expressè dicitur, quod Christianum mancipium propter domini hæresim statim libertatem consequatur.

a Non obstat, si dicas: Post huiusmodi leges statutum fuit, quod bona hæreticorum publicentur; ergo etiam ipsi serui, seu mancipia cum aliis bonis hæreticorum pertinebunt ad fiscum.

Respondetur enim: nego consequentiam; quia leges publicationis non tollunt priuilegia antiqua seruis Christianis concessa; cùm tales leges latæ non sint ad locupletandum fiscum, sed vt hæretici, grauioribus pœnis perterriti, magis arceantur à crimine hæresis. Vt omittam, quod leges latæ in fauorem fidei, & libertatis sint potiùs dilatandæ, quàm restringendæ; & quod nullo iure constet, propter leges deinde latas publicationis, seruos Christianos amittere priuilegia ab antiquo tempore ipsis concessa.

3 Probatur secundò, *ex l. Manichaos 4. circa fin. Cod. de heret.* (& notat ibi Gloss. *verb. extra noxam*) quatenus ibi expressè etiam dicitur, quod serui possint absque noxa (scilicet absque culpa, & pœna) relinquere dominum suum hæreticum, & transire ad Ecclesiam, ac Deo famulari. Huiusmodi enim verbis satis innuitur, quod serui libertatem consequantur statim atque fidem Catholicam amplectuntur; & quamuis ibi non sit sermo de seruis Christianis, sed de seruis infidelibus; nihilominus, quia in ea lege statuitur pœna publicationis, propterea dico, quod, posita tali lege publicationis, non amittant serui Christiani priuilegium, quod est ipsis concessum *in d. l. vnica C. ne Christian. mancip. & in d. l. Deo nobis §. his autem C. de Episc. & Cler.*

Probatur tertiò, *ex cap. Absolutos de heret.* Ibi: *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis domini, & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto quacumque firmitate vallato tenebantur adstricti.* Ergo serui, obligati dominis, liberantur à seruitute propter hæresim dominorum.

Non obstat, si dicas: vt dicti Textus serui hæreticorum liberantur quidem à dominio hæreticorum, non tamen à dominio fisci, qui in hæreticorum bona succedit; sicut vassalli similiter etiam absoluti sunt quidem ab obsequio debito suis dominis hæreticis; non tamen ab obsequio, & obedientia præstanda ei, qui in illorum bona succedit. 4

Respondetur enim: concedo, quod vt dicti Textus serui non eo ipso quidem liberi fiant, nec à potestate fisci liberentur, nihilominus (sicut habetur *in cap. quicumque §. illorum de heret. in 6.*) vi eiusdem text. *in d. c. Absolutos de heret.* declaratur, quod filij propter parentum hæresim efficiantur sui iuris: ergo ita etiam pari ratione censendum est, quod vi præcedentium legum ciuilium ab Ecclesia receptarum Summus Pontifex *in eod. cap. Absolutos*, voluerit seruis hæreticorum concedere omnia priuilegia illis ante per leges ciuiles concessa; sicut enim Alexander IV. *in d. c. Quicumque*, effecit filios liberos à potestate hæreticorum parentum, ita censendum est, quod Gregorius IX. *in d. c. Absolutos*, voluerit efficere seruos Christianos similiter liberos absolutè, eodem modo, quo ante leges publicationis latas liberi efficiebantur.

Petes: An hæc pœna locum habeat ante sententiam iudicis, sicuti de priuatione patriæ potestatis in filios dubitatione præcedenti dicebam? 5

Respondetur ex probabiliori sententia Doctorum, ante sententiam iudicis locum non habere; quia supradictus Textus *in cap. Absolutos*, liberat à debito totius obsequij eos, qui tenebantur adstricti iis, *qui manifestè in heresim lapsi sunt*: Ergo videtur requiri, quod hæresis sit manifesta, manifestatione scilicet principali, & præcipua, qualis est per sententiam iudicis; quæ tamen sententia iudicis retrotrahitur ad diem commissi delicti.

Petes secundò; An serui exempti ab obsequio domini hæretici libertatem obtineant, vel cum reliquis bonis domini confiscatis in fisci dominium transeant? 6

Quidam (vt Geminianus, Io. Andræas, Dominicus, *in c. Quicumque §. vltimo de hereticis in 6.* & Ananias *in capite finali de hereticis numero 4.*) negant seruos libertatem obtinere, sed volunt, seruos omnes cum reliquis bonis Domini confiscatis in fisci dominium transire; quia nullus, inquiunt, est Textus, qui hanc illis libertatem concedat: nam Textus *in cit. cap. Absolutos*, solùm eximit illos ab obsequio debito dominis, sicuti eximit vassallos à debito fidelitatis (quod benè stare potest, etiamsi in fisci dominium transeat, sicuti de facto benè stat exemptio vasallorum à debito fidelitatis debitæ domino hæretico, etiamsi subdantur alteri Principi) & Textus *in l. Manichaos Cod. de heret.* (vbi dicitur: *seruos extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegum euitantes ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliori transierint*) loquitur de seruis fidem suscipientibus per Baptismum, qui quidem ratione fidei susceptæ à debita tunc seruitute liberantur, non autem loquitur de seruis, seu mancipiis Christianis: ergo non est, cur dicamus, seruos libertatem obtinere: His tamen non obstantibus.

• Respondetur, probabilius esse (quod docent Simancha *de Cathol. instit. tit. 61. n. 8.* Castr. *de iust. heretic. punit. lib. 2. c. 7.* Vasquez *1. 2. disput. 169. c. 2. n. 19. & disp. 172. c. 3. n. 15.* Azor. *tom. 1. lib. 8. c. 12. q. 7.* Molina *de iust. & iur. 1. tomo disp. 40 per totam.* Peña *3 part. comment. 168. vers. de seruis*, Decian. *tract. crim. lib. 5. c. 44. n. 28.* Farinac. *de heres. q. 197. §. 3. n. 30.* & Sanchez *loc suprà cit. n. 10.*) nempe seruos Christianos eximi à seruitute; seruos autem Paganos, vel hæreticos cum reliquis bonis domini confiscatis transire in dominium fisci.

Prior pars patet ex dictis, quia licèt hæc libertas seruis Christianis non sit in iure expressa, est tamen illis 7

satis

satis insinuata *in supradicta l. Manichaeos* (vt omittam *cit. l. vnic. C. ne Christianum mancipium, cit. l. Deo nobis, §. his autem Cod. de Episc. & Cler. & cit. cap. Absolutos de heret.* Nam si seruus alicuius hæretici, suscipiens fidem, in præmium fidei susceptæ, integrè eximitur à seruitute; quia iudicat Ecclesia, illum fideliori seruitio se mancipare, debet ob eamdem rationem integrè à seruitute eximi, qui iam fidem suscepit, & in ea (cum ipsius dominus Ecclesiam deserit) vult perseuerare, quia sua perseuerantia testatur, se similiter fideliori seruitio mancipare.

8 Posterior pars probatur; quia nullibi in iure seruus Paganus vel hæreticus hac libertate donatur; & cùm inter bona domini reputetur, *l. Rem in bonis ff. de acq. dom. & l. vlt. §. vlt. C. de verb. sign.* Sequitur, quod cum aliis bonis domini confiscatis in dominium fisci transire debeat. Molina, Azorius, Sanchez, & Farinacius *in locis suprà cit.*

9 Aduerte tamen, quod si seruus, cùm dominus ipsius in hæresim incidit, nondum est baptizatus, at intendit baptizari, & est Catechumenus, æquum est, vt libertate donetur, & sui iuris efficiatur, quia hoc pertinet ad augmentum Catholicæ Religionis; tum quia Catechumenus in deuotione, & fide Ecclesiæ perseuerans, Christi membrum efficitur, *cap. veniens, de Presbit. non baptizat.* Quapropter videtur, quod gaudere debeat priuilegio Christianorum; quamuis ipso iure libertate donatus non sit; quia nondum est Christianus. Videri poterit Tiraquellus *in l. si vnquam Cod. de reuocand. donat.* Peña *cit. comment.* 168. *vers. An autem*, & Sanchez *cit. cap.* 14. *n.* 11.

10 Aduerte secundò, quod licet seruo infideli si dominum à fide apostantem ex zelo Inquisitoribus denunciauerit, nullibi inueniatur concessa libertas; æquum etiam est, vt concedatur; præsertim si subsit spes, quod ad fidem faciliùs conuertatur. Tiraquellus, Peña, & Sanchez *in locis suprà cit.*

11 Aduerte tertiò, quod seruus si semel acquisiuit libertatem, nunquam ad priorem seruitutem ampliùs redit, etiamsi ipsius dominus, ad fidem reuertatur cum restitutione bonorum omnium confiscatorum, sibi per liberalitatem Principis concessa; nec hæreticus pœnitens recuperans alia bona, recuperat propterea talem seruum, iuxta Textum *in cap. Vergentes de heret.* quia libertas quocumque modo semel data nunquam reuocatur, *l.* 1. *&* 2. *C. si aduers. libert.* & tradunt Peña & Sanchez, *vbi suprà*, Simancha *de cathol. instit. tit.* 61. *num.* 9. Molina *tom.* 1. *disp.* 40. & Farinac. *de heres. q.* 197. *n.* 30.



DVBITATIO CLII.

An hæreticus priuetur quolibet iure, & qualibet obligatione, etiam iuramento vallata?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus priuatur quolibet iure, & qualibet obligatione etiam iuramento vallata ex communi Doctorum sententia.*

2 *Debitores non excusantur à debiti solutione præstanda Hæretico si per sententiam iudicis crimen declaratum non fuerit, contra nonnullos dicentes, simpliciter eos excusari; quia fiscus ante sententiam saltem declaratoriam criminis bona hæretici non potest occupare.*

3 *Hæreticus post crimen hæresis commissum, interim dum sententia declaratoria non accessit, saltem possessione, & administratione bonorum non priuatur.*

4 *Textus* in cap. Absolutos citato, *requirit, quod hæresis sit manifesta, sed non quacumque manifestatione; sed manifestatione præcipua, & principali, qualis est iudicialis.*

5 *Hæreticus à die commissi criminis non amittit dominium suorum bonorum, & sic etiam iurisdictionis, & obligationis cuiuscumque absolute, sed si sententia iudicis accesserit.*

6 *Debitores, licet à die commissi criminis eximatur à debitis hæretico soluendis, & vasallis; licet similiter à die commissi criminis soluantur à debito fidelitatis domini præstando; non sunt tamen ita exempti; vt ipsorum debita, & subiectio omninò cessent; & extinguantur; quia si alij vocati non fuerint in creditum, & in dominium succedit fiscus.*

7 *Debitores non ideò liberantur ab obligatione soluendi debita creditori hæretico, vt ea debita sibi acquirant, sed in Textu quod non teneantur ea soluere creditori hæretico; nam in ea succedit fiscus, cui ij tenentur soluere.*

8 *Limita tamen, prædicta intelligi debere, si constet de hæresi creditoris; quia si hæreticus fuerit occultus, tunc obligationes, & debita non cessant, neque extinguuntur.*

Respondetur affirmatiuè; ita vt creditor hæreticus non possit agere contra suos debitores ad soluendum sibi debitum: Est sententia communis Doctorum ex supradicto Textu *Absolutos de hereticis*, quem communiter Doctores extendunt ad quæcumque debita, & ad quæcumque obligationes. 1
Gloss. *in eod. cap. Absolutos de heret. in princ.* Abbas *ibid. n.* 1. Ananias *in princ.* Butrius *n.* 3. Soccin. *in princ.* Zabarella *n.* 1. Angelus *verb. Hæreticus n.* 15. Tabiena *ibidem n.* 15. Armilla *verb. heresis n.* 11. & alij passim, quos sequitur Farinacius *de heres. q.* 189. *n.* 57. Quod est verum; quamuis debitor se obligauerit in forma Cameræ, & iurauerit, se suo tempore soluturum. Gloss. *in d. c. Absolutos verb. Aliquo pacto.* Ostiens. *ibid. eod. verb.* Butrius *n.* 5. & nos dicemus infrà diffusiùs *in Corollario seq.*

An autem, vt debitores excusentur à debiti solutione hæretico præstanda, requiratur sententia, saltem declaratoria criminis? 2

Respondetur, quod (quamuis Innocentius *in d. c. Absolutos de heret. in fin.* Castr. *lib.* 2. *de iusta heretic. punit. c.* 7. Syluester *verb. Hæreticus* §. 1. *n.* 14. Peña 3. *part direct. comment.* 168. *vers. Postremò.* Azor *part.* 1. *lib* 8. *cap.* 13. & alij putent sufficere, si hæresis manifesta sit ex facto, vel ex depositione testium, etiamsi per sententiam nota non fuerit.) Probabilius tamen sit oppositum (quod tenent Bursatus *lib.* 1. *cons.* 14. *n.* 18. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 24. *n.* 8. Azorius *tom.* 1. *lib.* 8. *c.* 13. *q.* 2. & alij) posse scilicet, & debere debitores hæretico debita soluere, & obsequia alia debita præstare, dum per sententiam Hæretici crimen declaratum non fuerit.

Probatur; quia fiscus ante sententiam, saltem declaratoriam criminis, bona hæretici non potest occupare (sicuti suprà loco suo dicebam; & habetur expressè *in c. Cùm secundùm leges de heret. in* 6. Ibi: sententia fuerit pronunciata.) At si debitores debita non deberent soluere hæretico, sed fisco, iam fiscus ante sententiam posset bona hæretici occupare; Ergo, &c.

Confirmatur; quia hæreticus post crimen hæresis commissum, interim, dum sententia declaratoria non accessit, si dominio, saltem possessione, & administratione suorum bonorum non priuatur; ergo saltem ratione huius possessionis & administrationis ipsi, & non alteri debent debita solui, & alia obsequia debita præstari. 3

Obiicies ex Aduersariis: Textus *in supradicto cap. Absolutos*, solùm requirit, quod hæresis sit manifesta: Ergo. 4

Respondetur:

Respondetur : distinguo ; quod sit manifesta quacumque manifestatione, nego ; quod sit manifesta manifestatione præcipua, & principali, qualis est iudicialis, vt dubitatione præcedenti dicebam, concedo.

Accedit, quod (licet probabile sit, à die commissi criminis in actum exteriorem exeuntis, debitores esse absolutos à debito hæreticis soluendo) indigent tamen sententia declaratoria criminis , vt absolutio illa sortiatur plenum effectum suum ; quemadmodum, licèt à die commissi criminis omnia bona hæretici sint addicta fisco, indiget tamen fiscus sententia declaratoria criminis , vt ea occupare possit.

5 Obiicies secundò : Hæreticus à die commissi criminis amittit dominium suorum bonorum , & sic etiam iurisdictionis, & obligationis cuiuscumque (ita vt fisco sit illud applicandum) ergo fisco , vtpote domino , in actione, & iure, quod delinquens habebat , succedenti, debita solui debent.

Respondetur (vt omittam, quod, licèt hæreticus à die commissi criminis amittat dominium suorum bonorum, non tamen amittit possessionem, & administrationem illorum) distinguo antecedens. (Hæreticus à die commissi criminis amittit dominium suorum bonorum, & sic etiam iurisdictionis, & obligationis cuiuscumque, ita vt fisco sit illud applicandum) absolutè (in sensu , quod fiscus à die commissi criminis habeat dominium in bona hæretici delinquentis absolutè) nego; conditionatè (si scilicet postea sententia iudicis accesserit) concedo. Quapropter retorquetur argumentum ; vt propterea ob dictam scilicet rationem non debeant hæretico debita denegari, & alia debita obsequia non præstari, dum sententia iudicis non accesserit.

6 At (quidquid sit de hoc) illud saltem dicendum est, debitores scilicet (licèt à die commissi criminis eximantur à debitis hæretico soluendis , & vassallos , licèt similiter a die commissi criminis soluantur à debito fidelitatis dominis præstando) non esse tamen sic exemptos, vt ipsorum debita, & subiectio omninò cessent, & extinguantur ; quia , si alij vocati non fuerint, in creditum, & in dominium succedit fiscus. Abbas *in cap. finali de hæret.* Ananias *ibid n.*2. Soccin. *n.*1. & 4. Felin. & alij communiter, quos sequitur Farinac *q* 189. *n.*68.

7 Cùm igitur dixi, quod debitores liberentur ab obligatione soluendi debita creditori hæretico, non intelligas, quod debitores ea debita sibi acquirant, sed in sensu, quod non teneantur ea soluere creditori hæretico, at quia tamen in bona creditorum succedit fiscus , ideò etiam succedit in huiusmodi creditum idem fiscus, & debitores tenentur soluere fisco, qui successit. Abbas, Ananias, Soccinus, Felinus, & alij *in locis suprà citatis* Ratio, quia , confiscatis bonis , hæreticus aduersùs debitores actionem vllam ampliùs non habet , sed suas actiones omnes transfert in fiscum; *l.2. ad leg. Iul. de Repub. & l. si debitori ff. de fideiuss.* & docent Bart. *in l. creditor ff. de solut.* Peregrin. *de iur fisc lib.*5. *tit.*1. *n.*50. Iason *cons* 26. *lib.* 3. Decius *cons.* 15. *n.* 1. Menoch. *de arbitr. cons.* 137. *n* 4. Ruin. *cons.* 116. *lib.* 5. & Afflict. *decis.* 1-0. *n.* 17. Et quidem , quod post latam sententiam debitores non teneantur soluere debita creditori hæretico ; sed fisco (in quem omnia bona eiusdem hæretici transierunt) sic docent communiter Doctores, quos sequitur Azor. *tom.* 1. *lib.*8. *c.*13. *q.*2. Becan. *tract. de fide c.*16. *q.*2. *n.*16. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 24 *n.*8.

8 Item, cùm dixi, quod debitores liberentur ab obligatione soluendi debita, intelligas, quando constat de hæresi creditoris, quia , si hæreticus fuerit occultus , tunc obligationes, & debita non cessant , nec extinguuntur. Innocentius *in cap. finali de hæret. verb. manifeste.* Butr. *ibid. n.* 3. Zabarella *n.* 1. & alij passim.

COROLLARIVM

SVMMARIVM.

1 *Fiscus , cum in ipsum post bonorum confiscationem transeant iura, & actiones omnes, quæ competebant hæretico non solùm actiuè, sed etiam passiuè, tenetur ad ea omnia , ad quæ priùs tenebatur hæreticus, vt propterea non possit ampliùs hæreticus conueniri pro debito, sed creditores debeant agere contra fiscum, in quem omnis actio dirigitur.*

2 *Amplia, id procedere etiam si post bonorum publicationem hæreticus factus est ditior ; quia & in hoc casu etiam non poterit ipse hæreticus conueniri, sed debent creditores agere contra fiscum propter eamdem rationem.*

3 *Idem etiam procedit in casu Tutelæ , & Curæ administratæ, nam conueniri debet solus fiscus.*

4 *Idem etiam procedit non solùm in actione reali ; sed etiam in personali.*

5 *Item etiam si hæreticus se obligauerit in forma Cameræ , & cum iuramento.*

6 *Idem etiam procedit non solùm in hæretico , sed etiam in eius fideiussore , qui propterea neque conueniri potest.*

7 *Idémq. procedit non solùm in foro externo, sed etiam in foro interno Pœnitentiæ. Vbi tamen aduertendum est , quod si bona hæretici non sufficiant ad soluendum æs alienum, tunc tenetur fiscus soluere solùm pro parte, & proportionabiliter. Pro altera verò parte ipse hæreticus si post condemnationem aliqua bona ad ipsum deuenerint, quamuis in crimine hæresis bona omnia publicari consueuerint.*

EX dictis (cùm post bonorum confiscationem iura, 1
& actiones omnes, quæ competebant hæretico, transeant, non solùm actiuè , sed etiam passiuè , in fiscum, vti dicebam, & constat *ex l.*2. *C. ad l. Iul. de vi public. ex l. cum fisco ff. ad Syllan. & ex l. si marito in princ. solut. matrim.*) sequitur quod teneatur fiscus ad ea omnia; ad quæ priùs tenebatur hæreticus ; *l.*2. *C. ad l. Iul. de vi public. & cit. l. cum fisco ff. ad Syllan*, & docent Bart. *in l. non intelligitur §. cum ex causa ff. de iur. fisc* Gulielm. *de Benedict. in cap. Raynutius verb. vxorem de testam. n.*850. Grammatic. *decis.* 85. Surdus *de aliment. tit.* 8. *priuileg.* 59. *n.* 9 *& seqq.* Beccius *cons.* 57. *n.* 5. *& seqq.* Calcan. *cons.* 66. Honded. *cons.* 38 *n.* 44. *lib.* 2. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 9. *n.* 33. & 34. & Rota *decis.* 57. *n.* 3. *tom* 1. *in recent.*

Vt propterea non possit ampliùs hæreticus conueniri pro debito, sed creditores debeant agere contra fiscum (in quem omnis actio dirigitur) quia omnia bona hæretici transierunt in fiscum; *l.* 2. & 3. *ff. de sent. pass. l.* 2. §. 1. *ff. de alim. legat. l. si marito, & l. si maritus ff. sol. matrim. l. facto §. finali ff. de cond. & demonstr. l. inter eos §. vlt. & l. si debitori ff. de fideiusser. & l.* 1. *C. eod. & l.* 2. *C. solut. matrim.* & docent Bart. *in l. quoties ff. de nouat. in* 3. Bald. *in l. si marito ff sol. matrim.* Alexand. *ibid. n.* 4. Crauetta *cons.* 263. *n.* 7. Grammatic. *decis.* 85. Castrens. *cons.* 68. *n.* 1. Honded. *cons.* 38. *n.* 44. Surd. *de alim. tit.* 8. *priuil.* 59. *n.* 10. & *tit.* 9. *q.* 32. *n.* 5. & 6. Beccius *cons.* 57. *n.* 177. & Sanchez *lib.* 2. *mor. cap.* 22. *n.* 74.

Et quod dixi , est verum , etiamsi post bonorum pu- 2
blicationem factus sit ditior ; quia & in hoc casu etiam non poterit ipse hæreticus conueniri , sed debent creditores agere contra fiscum propter eamdem rationem ; quia scilicet omnia bona ipsius hæretici transierunt in fiscum , vti suprà dicebam , & habetur *in l.* 4. *Cod. de sent. pass.* & docent Menochius *cons.* 103. *n.* 20. *lib.* 1. Oddus *de restitut. in integr. part.* 2. *quæst.* 97. *art.* 2. *num.* 13. & alij passim.

Item

3 Item secundò est verum, vt non possit hæreticus ob eamdem rationem conueniri propter tutelam, vel curam administratam, sed conueniri debeat similiter solus fiscus, *l. Qui neque, & l. Pradia ff de reb. eor. & l. si Tutor Reipublicæ ff. de tutel. ration. distrah.* Et tradunt Simancha *de cathol. instit. titul. 9 n. 123.* & Vasquez 1. 2. *q. 96. art. 5. disput. 169. cap 2. num. 21.*

4 Item tertiò, est verum, vt post publicationem bonorum, sicut non potest hæreticus conueniri pro onere reali, sic similiter ob eamdem etiam rationem non possit conueniri pro onere, & obligatione personali. Imola *in l si debitori in princ. ff. de fideiussor.* Salycet. & alij *in l. 1. n. 1. C. eod.*

5 Item quartò est verum, etiamsi hæreticus se obligauerit in forma Cameræ, & cum iuramento; ita vt & in isto casu etiam non possit hæreticus conueniri, sed creditores debeant agere similiter contra fiscum, in quem bona omnia hæretici transierunt Soccin. *conf. 28. n. 3.* Imola *in c. 12. de ordin. cognit. n. 34.* Grammatic. *dec. 85. n. 3.* & Stephanus Gratian. *c. 443. n. 60. & 82.* quia (cum iuramentum sit accessorium) sequitur naturam principalis; & tum quia sub conditione censetur illud emissum.

6 Item quintò, est verum, vt quemadmodum pro dictis oneribus non potest conueniri hæreticus, ita etiam non possit conueniri fideiussor: quia fideiussor etiam (cùm se habeat accessoriè) sequitur similiter naturam principalis, vt scilicet sicut non tenetur principalis, pro quo fideiussit, ita etiam neque teneatur ipse fideiussor. Henriquez *tract. de fideiuss. c. 20. §. 14. n. 10.* Farinacius *q. 25. n. 178.* & Sanchez *lib. 2. moral. c. 22. n. 91.*

7 Item sextò, est verum, vt omnia, quæ vsque adhuc dicta sunt, locum habeant non solùm in foro externo, sed etiam in foro conscientiæ, sicuti *suprà dub.* 143. cum Soto, Suarez, Vasquez, & Sanchez probabam.

8 Vbi tamen aduerte, quod si bona hæretici non satis sint ad soluendum æs alienum (quod hæreticus contraxit) tunc non teneatur fiscus soluere æs alienum in totum, sed solùm pro illa parte, quæ ad ipsum deuenit: pro altera verò parte teneatur hæreticus: si scilicet post condemnationem hæreticus aliqua bona, ex quibus possit soluere, sibi acquisiuerit. Vasquez *ex communi 1. 2. q. 96. a. 5. disp. 169. c. 2. n. 21.* & Sanchez *lib 2. moral. c. 22. n. 89.* Sicut etiam, cùm non confiscantur omnia bona hæretici, sed solùm pro parte, tunc etiam fiscus non tenetur soluere æs alienum in totum, sed similiter hæreticus tenetur soluere pro ea parte bonorum, quæ publicata non fuit. *l. 1 C. de fideiuss. l. 3. C. de sent. pass. § si verò partem, l. Tutela, ff. de capit. diminut. & l. 2. C. ad l. Iul. de vi public.* & tenent Odd. *de restit. in integr. part. 2. q. 97. notab. 2. n. 11.* & alij quos sequitur Farinac. *tom. 1. q. 25. num. 177.* Quamuis in crimine hæresis ordinariè bona omnia publicari consueuerint *5. cap. Cùm secundùm leges de hæret. in 6.*

DVBITATIO CLIII.

An hæreticus priuetur fide data, vel potius sit seruanda fides?

SECTIO PRIMA.

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Recensentur aliqui casus, in quibus promissio aliàs valida, & obligandi vim habens ex communi sententia Doctorum desinit obligare. Primò, vt si res promissa fiat illicita, inutilis, vel impossibilis. Secundò, si status rerum, aut personarum mutatur. Tertiò, si alter è duobus, qui mutuò promiserunt, non seruet fidem. Quartò, si quid promissum est ob causam, quæ tamen non subest.*

2 *Hæreticis seruanda est fides si simus in rebus licitis, & honestis, & maximè si tunc sic expostulet bonum commune, quia obligatio pacti, seu mutuæ promissionis procedit ex virtute veritatis, fidelitatis, & iustitiæ.*

3 *Veritatis virtus ad hoc obligat, vt homo sincerè, non fictè promittat, scilicet vt quod verbo promittit, etiam animo promittat, ne sit mendax.*

4 *Fidelitatis virtus ad hoc obligat, vt opere præstet, quod promisit, ne sit perfidus.*

5 *Iustitia virtus ad hoc obligat, vt alteri, cum quo pactus est, tribuat ius suum, quod illi debet ratione pacti, seu mutuæ promissionis, ne sit iniustus, & iniuriosus.*

6 *Quæ intrinsecè, & ex natura sua mala sunt, & illicita, nunquam quocumque prætextu fiant, benè, & licitè fieri possunt. Mendacium enim, perfidia, & iniustitia intrinsecè, & ex natura sua mala sunt, & illicita.*

7 *Iure naturali quilibet tenetur fidem alteri datam obseruare. Quod verò non teneatur illam obseruare hæreticis, nullo iure habetur.*

8 *Hæreticis si fides data non esset seruanda, neque ea licitè daretur.*

9 *Qui alteri aliquid promittit, illúdque non obseruat, est perfidus; consequenter & qui fidem hæretico datam non obseruat.*

10 *Qui fidem etiam hæreticis datã, vel promissionem factam non adimplet, mentitur, est perfidus, ius illius violat, & contra iustitiam delinquit.*

11 *Non licet aliquid ab Hæreticis surripere, nec eum occidere, vel odio persequi; consequenter neque illum decipere, vel fidem fallere.*

12 *Fideles si ineant pactum cum infidelibus, seu Gentilibus, tenentur illud obseruare. Vbi recensentur multa sacræ Scripturæ exempla.*

13 *Iosue, & alij Principes populi Israelitici cum Gabaonitis infidelibus, & idololatris pactum, & amicitiam inierunt, fidémque illis datam, quamuis ab ipsis fuissent decepti, seruauerunt: quos propterea quod fidem seruando benefecerint, commendat Ambrosius.*

14 *Factum ingenti miraculo Deus comprobauit: Sol enim stetit: Iosue enim pacti, & societatis memor Gabaonitas defendit, & victoriam insignem reportauit.*

15 *Idem factum Deus comprobauit non solùm pro tunc, sed etiam multos post annos: cùm enim fidem Gabaonitis datam Saul violasset, quamplurimos scilicet ex illis occidendo, propter hoc delictum tempore Dauid, populus Israeliticus per tres annos maxima rerum inopia laborauit, vt necesse fuerit dare è posteris Saulis septem Gabaonitis, qui durissima, & turpissima morte punirentur.*

16 *Iosue, & Principes populi Israelitici, nonnulli putant, quod iuramentum seruauerint, eo quod putabant se illo iuramento obstringi; ita vt solùm ex conscientia erronea tenerentur stare pacto, & societati initæ cum Gabaonitis; at minùs rectè; quia non est verisimile, quod ipsi ignorassent eorum obligationem, stante doctrina, quam callebant Iosue Propheta, & complures alij Principes.*

17 *Israelitæ in conscientia non erant obstricti iuramento; quia habuerunt intentionem contrahendi amicitiã & societatẽ cum Gabaonitis remotis, atq; exteris, eo quod ij dixerint, se ex longinquis Regionib. venire,*

& extra Cananea terminos habitare, quod falsum erat, & ideò ex hoc iuramento non obstringebantur.

1 SVPPONO, quosdam esse casus, in quibus promissio, aliàs valida, & obligandi vim habens, ex communi sententia DD. desinit obligare. Primò, vt si res promissa fiat illicita, inutilis, vel impossibilis. Secundò, si status rerum, aut personarum ita mutetur, vt promissor secundùm iudicium Prudentum non videatur talem euentum voluisse comprehendere (quod ex conditione rei promissæ, & Promissarij dispositione, aliisque circumstantiis debet.) Tertiò, si alter è duobus, qui sibi mutuò promiserunt, non seruet fidem; quia tunc nec alter tenebitur fidem seruare, iuxta illud: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Quartò, si quid promissum est ob causam, quæ tamen re vera non subest; vt si v. gr. quid promiseris Titio, putans illum, aliquid in gratiam tui fecisse, cum tamen reuerà non fecerit. In his, & similibus casibus promissio, aliàs valida, & obligandi vim habens, desinit obligare S. Thom. *q.* 110. *a.* 3. Caiet. *q.* 113. *a.* 1. *circa fin.* Nauarr. *in summ. cap.* 18. *n.* 7. & alij communiter. Difficultas igitur est: An præter hos dictos casus promissio, aliàs valida, & vim obligandi habens, desinat obligare ex eo præcisè, quod hæreticis facta sit; seu (quod in idem incidit) præter hos dictos casus prædicta promissio desinat obligare, præcisè propter hæresim promissarij. His suppositis.

2 Respondetur ad difficultatem in principio propositam affirmatiuè, ita scilicet, vt fides, iam semel hæreticis præstita seruanda sit illis (sicut & Catholicis) si simus in rebus licitis, & honestis; & maximè si tunc sic expostulet bonum commune. Est sententia communis Doctorum. Et

Probatur; quia obligatio pacti, seu mutuæ promissionis procedit ex virtute veritatis, fidelitatis, & iustitiæ;
3 (& quidem virtus veritatis ad hoc obligat, vt homo
sincerè, non fictè, promittat, scilicet vt quod verbo promittit, etiam animo promittat, ne sit menda: virtus fide-
4 litatis ad hoc obligat, vt opere præstet, quod promisit,
ne sit perfidus: virtus iustitiæ ad hoc obligat, vt alteri,
cum quo pactus est, tribuat ius suum, qood illi debet ratione pacti, seu mutuæ promissionis, ne sit iniustus, &
5 iniuriosus.) At hæ virtutes hominem æquè obligant,
siue apud Catholicos, siue apud hæreticos existat. Ergo. Maior patet. Minor probatur; quia nunquam homini licet mentiri, nunquam perfidum esse, nunquam alterius ius violare, vel iniustitiam committere; quia si semel concedas, homini licere hæc eo, quod hæretico mentitur, hæretico perfidus est, hæretico iniuriam facit, &c. Consequens est, vt & etiam concedas, licere homini hæreticum occidere, furto res eius subripere, odio eum persequi, & similia. Quæ omnia sunt absurda, & legi naturali, atque diuinæ repugnantia.

6 Confirmatur; quia quæ intrinsecus, & ex natura sua mala sunt, & illicita, nunquam, quocumque prætextu fiant, benè, & licitè fieri possunt: at mendacium, perfidia, & iniustitia intrinsecus, & ex natura sua mala sunt, & illicita: Ergo nunquam, quocumque prætextu fiant, benè, & licitè fieri poterunt, atque adeò, siue apud Catholicos, siue apud hæreticos, homo sit mendax, perfidus, & iniustus semper æquè reus erit, & æquali scelere se obstringet.

7 Confirmatur secundò; quia iure naturali quilibet tenetur fidem alteri datam obseruare. Quod verò non teneatur illam obseruare hæreticis, nullo iure habetur, nec sufficienti aliqua ratione probatur:

8 Confirmatur tertiò; quia si fides hæreticis data non esset seruanda, neque ea licitè daretur; cùm de rebus illicitis fides dati, seu promissio fieri non liceat.

9 Confirmatur quartò; quia qui alteri aliquid promittit, illúdque non obseruat, est perfidus. Et qui alteri non reddit, quod illi debet, est iniustus: Ergo qui fidem etiam hæretico datam non obseruat, est perfidus, estque etiam iniustum (cùm ratione fidei datæ, vel promissionis factæ non illi tribuat quod tribuere tenetur.) Ergo dicendum, quod qoilibet teneatur fidem etiam hæreticis datam, vel promissionem factam obseruare: ita vt quod eis ore promisit, opere implere teneatur.

Confirmatur quintò; quia qui fidem, etiam hære- 10
ticis, datam, vel promissionem factam non adimplet; mentitur, est perfidus, ius illius violat, & contra iustitiam delinquit (vt patet ex dictis) ergo quilibet tenetur, etiam hæreticis, in conscientia opere adimplere quod iis ore promisit; cum homini non sit licitum mentiri, nec esse perfidum, nec ius alterius violare, nec contra iustitiam delinquere.

Confirmatur sextò; quia non est licitum, aliquid ab 11
hæretico subripere, nec eum occidere, vel odio persequi: ergo nec etiam est licitum, eum decipere, et scilicet fidem datam, vel promissionem factam, vel pactum cum eo initum non seruando.

Confirmatur septimò; quia si fideles ineant pactum 12
cum infidelibus, seu Gentilibus, teneantur fideles illud obseruare: Ergo etiam si ineant pactum cum hæreticis. Consequentia patet à pari. Antecedens probatur *ex Iosue cap.* 9.

Vbi Iosue, & alij Principes populi Israëlitici cum 13
Gabaonitis infidelibus; & idololatris pactum, & amicitiam inierunt, fidémque illis datam (vt scilicet illos non solùm vitam, de qua pacti fuerant, ipsi darent, sed etiam contra vicinos hostes bello tuerentur) de facto, quamuis ab illis fuissent decepti, seruauerunt; & quod Israëlitæ talem fidem illis datam seruando, bene fecerint, vt docent Ambrosius *lib.* 1. *Officior. c.* 29. *& lib.* 3. *cap.* 10. & alij Sancti Patres, quos sequitur Abulensis *in d. cap.* 9. *Iosue q.* 30. Et patet etiam *ex eod. cap* 9. *Iosue vers.* 19. illis verbis. *Iurauimus eis in nomine*
Dei Israel, & idcirco non possumus eos contingere. Quod 14
factum ingenti miraculo Deus comprobauit pro tunc:
Iosue enim pacti, & societatis memor Gabaonitas defendit, & victoriam insignem reportauit, ad quam cõplendam, & consummandam Sol stetit in medio cæ-
li, vt habetur *Iosue* 10. Quod idem factum Deus com- 15
probauit non solùm pro tunc, sed etiam multos post annos: cùm enim fidem Gabaonitis datam Saül violasset, quamplurimos ex illis occidendo, propter hoc delictum tempore Dauidis populus Israëliticus per tres annos maxima rerum inopia laborauit, vt habetur 2. *Regum capite* 21. Ita vt ad placandam iram diuinam necesse fuerit iussu Dei, dare Gabaonitis septem è posteris Saülis, qui durissima, & turpissima morte punirentur: nam Gabaonitæ eos crucifixerunt in monte coram Domino. Quod idem factum etiam laudat Textus *in cap. Venerabilem de elect.* Ibi: cùm Gabaonitæ à filiis Israël per fraudem subripuerint iuramenta, ipsi tamen, cognita fraude, contra illud venire temerè noluerunt, quia ex obseruatione iuramenti magis permouebantur Gabaonitæ ad veram Religionem amplectendam: seruare enim pacta, & iuramenta, etiam cum aliquo suo incommodo, maiorem vim habet ad sanctè aliorum mentes permouendas, quàm si statim rescinderetur, quod minùs cautè est promissum, atque iuratum; & apud homines cordatos turpe est, iuramentum infringere, etiam quando imprudenter est iuratum, vt rectè præter alios adnotauit Sanctus Bernard. *epist.* 219.

Cæterùm nonnulli putant, quod Iosue, & Principes 16
populi Israëlitici iuramentum seruauerint, eo quod putabant, se illo iuramento obstringi; ita vt solùm ex conscientia erronea tenerentur stare pacto, & societati initæ cum Gabaonitis: nam omne, quod non est ex fide, peccatum est. *Rom* 14. *in fin.*

At minùs rectè; quia si Iosue, & Principes populi Israëlitici reuera tali iuramento non tenebantur, non est verisimile, quod id ignorarent; cum tali pacto, & societati adfuerint Iosue Propheta, cõplurimi Principes docti,

docti, & (vt Ioſeph teſtatur) etiam Eleazarus Pontifex inſignis, quapropter potiùs dicendum videtur, Ioſue, & Principes prædictos cognouiſſe, ſe non teneri tale iuramentum obſeruare, voluiſſe tamen illud ad bonum exemplum, & de conſilio ad ſupererogationem, & cautelam adimplere, vt ſic omnes intelligerent, quanti æſtimanda ſit iuriſiurandi religio.

7 Quod verò tali iuramento (quamuis contrarium dixerit Caietanus in dictum illud *cap. 9. Ioſue*) in conſcientia non tenerentur obſtricti Iſraëlitæ, probatur; quia Ioſue, & alij Principes populi Iſraëlitici habuerunt intentionem contrahendi amicitiam & ſocietatem cum Gabaonitis, remotis, atque exteris; eo quod Gabaonitæ dixerint, ſe ex longinquis Regionibus venire, & extra Cananeæ terminos habitare; ergo cùm Gabaonitæ non eſſent tales, Iſraëlitæ in nulla re Gabaonitis erant obſtricti; ita vt ex hoc capite poſſent Iſraëlitæ iuramentum illis non ſeruare; quia non tenet, ſeu non obligat contractus, cùm erratur in ſubſtantia; *l. 19. de condit. empt.* Nec tenet, ſeu non obligat promiſſio, cùm eſt extorta per fraudem, vel per dolum, ſicuti contingit in caſu noſtro.

OBIECTIONES.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus fidem Deo non ſeruat; at nihilominus fides ei ſeruanda eſt; quia quod ipſe fidem Deo non ſeruet, non pertinet ad contractus humanos; ſicut pertinet ſeruare hæretico fidem datam.*

2 *Hæretici duplici titulo vitandi ſunt: Primò, ratione hæreſis: Secundò, ratione excommunicationis.*

3 *Hæretici ratione hæreſis vitandi ſunt iure naturali, & diuino in tribus caſibus. Primò in illicita communicatione in rebus diuinis. Secundo in periculo ſubuerſionis. Tertiò, ſi timeatur ſcandalum.*

4 *Cum hæreticis non licet more Caluiniſtico ſinaxim ſumere, quemadmodum non licet cum Ethnicis, ſeu Gentilibus Idola colere; quia communicatio iſta in rebus diuinis eſt illicita, cùm ſit contra veram fidem.*

5 *Homines ſimplices, & natura fragiles non debent multùm cum hæreticis verſari; quia ſic faciliime peruertentur, & in errorem inducentur.*

6 *Item neque docti, & conſtantes, ſi probabile ſit, quod alij exinde ſcandalum patiantur.*

7 *Conuerſatio cum hæreticis extra hos tres caſus licita eſt iure naturali, atque diuino; modò conuerſatio ſit aliàs honeſta.*

8 *Hæretici ratione excommunicationis vitandi ſunt iure humano, ſiue Eccleſiaſtico in his tribus caſibus. Primò in ſacramentorum communione. Secundò in publicis precibus, & ſuffragiis. Tertiò, in communi conuictu, & familiaritate.*

9 *Ab hæreticis non licet poſtulare Baptiſmum vi excommunicationis; niſi fortè ſit caſus neceſſitatis, vel cum illis matrimonium contrahere. Secundò, neque licet publicè pro illis orare. Tertiò, neque ciuiles contractus cum eis inire.*

10 *Ius Eccleſiaſticum de vitandis ſcilicet excommunicatis ab Eccleſia eſt inſtitutum propter duos honeſtos fines. Primò, in commodum & vtilitatem delinquentium, vt cùm vident ſe vitari, confundantur, & reſipiſcant. Secundò in bonum, & cautelam aliorum.*

11 *Ius ipſum Eccleſiaſticum de vitandis excommunicatis poſt Concilium Conſtantienſe non eſt ita rigidum, vt erat prius; quia licet excommunicati vi excommunicationis abſtinere teneantur à communione fidelium; nihilominus è contrariò fideles non tenentur ſimiliter à conſortio illorum ſe ſeiungere, niſi prædicti excommunicati vel ſint nominatim tales, vel notorij Clericorum percuſſores.*

12 *In Gallia, Germania, Polonia, & vbi permittitur conſcientiæ, & Religionis libertas licet Catholicis, quatenus attinet ad ius Eccleſiaſticum commune, conuerſari cum hæreticis; quia nullus ibi tunc temporis nominatim excommunicatus eſt propter hæreſim.*

13 *Iure naturali tamen, & diuino quilibet Catholicus tenetur omnes hæreticos vitare in caſibus recenſitis, non quidem ratione excommunicationis, ſed ratione hæreſis.*

14 *Excommunicatis viciſſim non licet, ſiue hi Catholici ſint, ſiue hæretici, ſpontè ſe ingerere in conuerſationem aliorum, quia limitatio, ſeu moderatio illa iuris Eccleſiaſtici non eſt facta in fauorem excommunicatorum, ſed aliorum fidelium.*

15 *Hæretici, ſi non ſint nominatim excommunicati, vel notorij, ita vt nulla tergiuerſatione celari poſſint; ſicut etiam percuſſores Clericorum, non ſunt vitandi ratione excommunicationis; ac proinde poſſumus nos cum illis validè paciſci, & contractus celebrare, non minus, quàm cum aliis.*

16 *Contractus initus antequam vnus ex contrahentibus fuit excommunicatus, ſicut fuit validus, ita non efficitur inualidus per ſolam excommunicationem ſubſequentem, ac proinde manet contrahens obligatus ad ſeruandam fidem, quam in tali contractu promiſit. At ſi initus fuit in excommunicatione, contractus eſt validus, ſed peccat contrahens.*

17 *Matrimonium contractum cum excommunicato validum eſt; ita & profeſſio in religione facta ab excommunicato*

18 *Contractus initus cum excommunicato licet ſit illicitus, non tamen eſt inualidus.*

19 *Hæretici per excommunicationem non priuantur dominio, & iure rerum temporalium.*

20 *Hæreticorum bona ſunt ipſo iure confiſcata, ſed non virtute excommunicationis.*

21 *Variæ pœnæ in hæreticos conſtitutæ ſunt. 1. Excommunicatio. 2. Priuatio dominij, ſeu iuriſdictionis in ſubditos. 3. Priuatio dominij in bona temporalia. 4. Exilium. 5. Mors. Et hæ per diſtinctas leges conſtituta ſunt.*

22 *Leges pœnales, prout ſunt recenſitæ contra hæreticos, non obligant niſi poſt ſententiam.*

23 *Hæretici licet per leges pœnales priuati ſint dominia bonorum temporalium, non tamen tenentur ſe illis ſpoliare, vel illa fiſco offerre ante ſententiam. Neque etiam poſt ſententiam, quia executio pœnæ non ſpectat ad ipſos, & alioquin ante executionem legitimam vti poſſunt rebus ſuis.*

24 *Hæretico ante ſententiàm debitor ſoluere tenetur, vel aliquid præſtare ex data fide; poſt ſententiam verò iudici, vel fiſco. Quod rarò contingit in Gallia, Germania, & Polonia, & aliis locis, vbi datur libertas conſcientiæ.*

OBiicies: Hæreticus fidem Deo non ſeruat: ergo hæretico fides ſeruanda non eſt. 1

Reſpondetur: nego conſeq. quia, quod hæreticus Deo fidem non ſeruet, non pertinet ad contractus humanos (de quibus nunc loquimur) ſed diuino iudicio relinqui debet.

Inſtabis: ſi hæretico fides ſeruanda eſt, non obſtante hæreſi, ſaltem ei fides ſeruanda non erit, obſtante excõmunicatione, ſeu ratione excõmunicationis, vel ex vi excomunicationis; cum excommunicatio prohibeat, ſeu impediat commerciũ cum illis, & illos reddat vitandos. 2

Reſpondetur; ſed vt ad inſtantiã Reſponſio clareſcat, ſuppono, hæreticos duplici titulo vitandos eſſe, primò, ratione hæreſis: ſecundò ratione excommunicationis.

Ratione hæreſis hæretici vitandi ſunt iure naturali & diuino in tribus caſibus. Primò in illicita communicatione in rebus diuinis; ſecundò, in periculo ſubuerſionis. Tertiò, ſi timeatur ſcandalum. 3

4 Hinc sequitur primò, non licere cum illis more Calninistico synaxim sumere; quemadmodum non licet cum Ethnicis seu Gentilibus Idola colere, quia communicatio ista in rebus diuinis est illicita; cùm sit contra veram fidem.

5 Sequitur secundò, homines simplices, & natura fragiles, vel inconstantes non debere multum cum hæreticis versari; quia sic facillimè peruerterentur, & in errorem inducerentur.

6 Sequitur tertiò, neque doctos, & constantes debere cum illis versari, si probabile sit, quod alij exinde scandalum patiantur.

7 Sequitur quartò, è contra, extra hos tres casus licitam esse iure naturali, atque diuino cum eisdem conuersationem, modò conuersatio sit aliàs honesta.

8 Ratione excommunicationis hæretici vitandi sunt iure humano, seu Ecclesiastico in his tribus casibus. Primò in sacramentorum communione. Secundò in publicis precibus, & suffragiis. Tertiò in communi conuictu, & familiaritate. S.Thom. *in 4.dist.18.* quem sequuntur communiter Doctores. Et patet passim ex iure canonico per multos titulos.

9 Hinc sequitur primò, vi excommunicationis non licere ab illis Baptismum (nisi forsan in casu necessitatis) postulare, vel cum illis matrimonium contrahere. Secundò, neque licere publicè pro illis orare. Tertiò, neque licere ciuiles contractus facere, prandium sumere, sermones miscere, &c. etiamsi nullum periculum, & scandalum adsit.

10 Hoc ius Ecclesiasticum, de vitandis scilicet excommunicatis, ab Ecclesia est institutum propter duos honestos fines; primò in commodum, & vtilitatem delinquentium, vt cùm viderint se vitari, confundantur, & resipiscant, iuxta illud Apostoli 2. *Thessalonicens.* 3.14. *Ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Et videri poterit Innocentius IV. *in cap. Cùm medicinalis de sent. excommunic. in 6.* Secundò, in bonum, & cautelam aliorum, ne scilicet corrumpantur, & inficiantur, iuxta illud 1. Corinthiorum 5.6. *Nescitis, quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Vnde patet, quod non solùm excommunicati, sed etiam alij hoc iure obligentur, excommunicati, vt in pœnam delicti sui separati maneant à communione fidelium; alij verò (qui sani sunt) ne consortio eorum infectionem, seu contagionem aliquam trahant.

11 Hoc ipsum ius Ecclesiasticum, de vitandis, inquam, excommunicatis post Concilium Constantiense non est ita rigidum, vt erat priùs; quia, licet excommunicati vi excommunicationis abstinere teneantur à communione fidelium, nihilominus è contrario fideles non tenentur similiter à consortio illorum se seiungere, nisi prædicti excommunicati vel sint nominatim excommunicati, vel notorij (ita vt nulla tergiuersatione cælari possint) Clericorum percussores; sic in Concilio Constantiensi ad fauorem fidelium decreuit Martinus V. *in extrauaganti*, quæ incipit: *Ad euitanda scandala*; & videri poterit Caiet. *in summ. verb. Excommunicatio.* Henriquez *de sacram. lib. 3. c. 5.* Dominic. Sotus *in 4. dist. 22. q. 1. a. 4.* S. Antonin. 3 *p. tit. 25. c. 2. & 3.* & præter alios multos Suarez *tom. 5. disp. 9 sect. 2. n. 5.*

12 Hinc sequitur primò, in Gallia, Germania, Polonia, & in aliis similibus locis (in quibus permittitur conscientiæ, seu Religionis libertas) licitum esse Catholicis (quatenus attinet ad ius Ecclesiasticum commune) conuersari cum hæreticis; quia nullus ibi nunc temporis nominatim excommunicatus est propter hæresim. An autem ibidem quis ex illis sit notorius (ita vt nulla tergiuersatione cælari possit) Clerici percussor, quilibet ex facto in ciuitate, vel habitatione sua id scire poterit.

13 Dixi: quatenus attinet ad ius Ecclesiasticum; quia iure naturali, & diuino quilibet Catholicus tenetur omnes hæreticos, non quidem ratione excommunicationis, sed ratione hæresis, vitare in tribus casibus suprà numeratis, scilicet in illicita communicatione in rebus diuinis, in periculo subuersionis, & in periculo scandali, sicuti suprà dicebam.

Dixi secundò: *Quatenus attinet ad ius Ecclesiasticum commune*, quia in quibusdam locis, præsertim hìc in Italia, & etiam in Hispania propter priuata iura, & prohibitiones non est licitum, cum hæreticis conuersari.

14 Sequitur 2. non licere vicissim excommunicatis (siue hi Catholici sint, siue hæretici) spontè se ingerere in conuersationem aliorum; quia limitatio, seu moderatio illa iuris Ecclesiastici non est facta in fauorem excommunicatorum, sed aliorum fidelium, vt patet *ex cit. Extrauag. Martini V.* Quamuis si ab aliis fidelibus excommunicati inuitentur ad conuictum, sermonem, vel contractum, &c. possint excommunicati illis obtemperare in re licita, ne frustratorium reddatur priuilegium aliorum fidelium; cùm alioquin nullum esset priuilegium illorum; sic Doctores quos citat & sequitur Suarez *loc. suprà cit. disp. 15. sect. 8. n. 7.* His positis.

15 Respondetur, inquam, ad instantiam ex dictis, Hæreticos, si non sint nominatim excommunicati, vel notorij (ita vt nulla tergiuersatione cælari possint) Percussores Clericorum, non esse vitandos ratione excommunicationis; ac proinde posse nos cum illis validè pacisci, & contractus celebrare, non minùs, quàm cum aliis, ideóque fidem illis esse seruandam.

De aliis, qui nominatim excommunicati sunt; distinguendum est.

16 Si cum illis quis contraxit, antequam essent excommunicati; tunc quia contractus fuit validus, non efficitur inualidus per solam excommunicationem subsequentem, ac proinde manet obligatus ad seruandam fidem, quam in tali contractu promisit; quia cùm excommunicatio sit iuris humani, non habet maiorem vim, quam habet concessam à potestate humana; sed nulla est Constitutio, vel lex humana, quæ tribuat illi vim priuandi aliquem iure suo, quod habet ex legitimo contractu (haberet autem talem vim, si contractum legitimum rescinderet, & inualidum efficeret) ergo illum non rescindit, & inualidum efficit. *Hinc fit*, quod si hæreticus excommunicatus retineat suum ius, quòd accepit in contractu tecum celebrato, proculdubio maneas in conscientia obligatus ad præstandum id quod illi iure debetur.

Si verò contraxit cum illis eo tempore, cùm iam essent nominatim excommunicati, peccauit quidem contrahendo; quia contra prohibitionem Ecclesiæ fecit communicando cum excommunicatis: contractus tamen, si non sit aliunde defectus, est validus, ac proinde tenetur seruare fidem; sic colligitur *ex cap. felicis. cap. Verum de pœn in 6.* Et patet inductione; quia validum 17 est matrimonium contractum cum excommunicato, *cap. significasti de eo, qui duxit.* Item valida est Professio in Religione facta ab excommunicato, *cap. cùm illorum de sent. excomm.* Vbi Abbas, & alij passim Canonistæ. Item valida est donatio facta similiter ab excommunicato, *cap. Inter dilectos de donat.* Ergo idem de aliis contractibus, nisi quid aliunde obstet dicendum erit.

18 Reinstabis: Non licet agere cum eo, qui nominatim est excommunicatus, vel publicus Clerici percussor: Ergo non teneris illi seruare fidem, præsertim si non possis, nisi cum illo agendo.

Respondetur, nego consequentiam; quia ex dictis licet contractus cum excommunicato nominatim, vel publico Clerici percussore sit illicitus, non tamen est inualidus: quapropter conueniunt Doctores in eo, quod si legitimè contraxisti cum aliquo nominatim excommunicato, vel publico Clerici percussore, tenearis illi seruare fidem, nec possis tibi retinere, quod illi ex contractu debeatur; cùm id nulla lege permissum sit; dissentiunt tamen; an debeas illi fidem, & debitum persoluere, dum manet excommunicatus; an potiùs expectare tempus, donec absoluatur ab excommunicatione (qua de re videri poterit præter alios Suarez *cit. disp. 15. sect. 8.*) Quæ tamen dissensio parum facit ad casum nostrum;

nostrum; cùm satis his nobis sit, ostendere, quod hæreticis, etiam nominatim excommunicatis, vel publicis Clerici percussoribus seruanda sit fides, quocumque modo, vel quocumque tempore id fieri debeat.

19 Vrgebis: Hæretici per excommunicationem videntur esse priuati dominio, & iure rerum temporalium, *ex cap. cum secundùm leges de hæret. in 6.* quatenus ibi dicitur; bona hæreticorum esse ipso iure confiscata: ergo quidquid illis promittas, aut quocumque modo cum illis contrahas, non habebunt ij vllum ius petendi, vel exigendi: atque adeò non teneberis illis quidquam præstare.

20 Respondetur, nego consequentiam, quia, sicuti dicebam, hæretici per excommunicationem non sunt priuati dominio, & iure rerum temporalium; ad id autem, quòd objicitur ex Iure Canonicò (scilicet hæreticorum bona esse ipso iure confiscata) concedo, sed non vi excommunicationis, quia variæ pœnæ à iure in hæreticos

25 constitutæ sunt. Prima est excommunicatio. Secunda priuatio dominij, seu iurisdictionis in subditos. Tertia priuatio dominij in bona temporalia. Quarta exilium. Quinta mors; & hæ pœnæ per distinctas leges constitutæ sunt; vnde fit, quod hæretici ex eo præcisè, quod sunt excommunicati, non sint priuati dominio, & iurisdictione; cùm hæc priuatio sit ab excommunicatione pœna distincta, & per distinctam legem irrogata.

22 Reurgebis: saltem vi huius pœnæ poteris fidem hæretico promissam non seruare, quia si ex dictis hæreticus caret omni iure, & dominio rerum temporalium, ex quocumque capite id fiat, non habebit ille ius à te quidquam exigendi: ergo licet ratione promissionis, vel pacti à te aliquid exigat, illi præstare non teneberis.

Respondetur: nego etiam consequentiam, quia leges Canonicæ & Ciuiles, quibus hæ pœnæ in hæreticos fuerunt constitutæ, sunt merè pœnales, & leges pœnales ex alio capite non obligant ad executionem pœnæ ante sententiam Iudicis. Sanctus Thomas *in 2. 2. q. 62. art. 3. ad tertium*, quem sequuntur communiter Doctores.

23 Hinc sequitur primò, quod licèt hæretici per leges pœnales priuati sint dominio bonorum temporalium, non tamen teneantur se illis spoliare, vel illa fisco offerre ante sententiam Iudicis. Secundò sequitur, quod neque etiam teneantur per sententiam, quia executio pœnæ non spectat ad ipsos, sed ad Ministros Iudicis, vel fisci. Sequitur tertiò, quod quamdiu legitimè executio facta non est, habeant illi ius vtendi, & fruendi suis bonis.

24 Quapropter, si hæretico ex fide promissionis, vel pacti aliquid debeas ante sententiam Iudicis, & executionem pœnæ, teneatis id præstare hæretico; post sententiam autem tenearis, si fueris requisitus, præstare ipsi Iudici, vel fisco: quamuis id rarò contingat in Gallia, Germania, Polonia, & in aliis locis (in quibus permittitur libertas conscientiæ, seu Religionis) cùm ibi in vsu non sit, quod bona hæreticorum, nisi quid aliud interueniat, à fisco recipiantur.

SECTIO II.

An hæreticis seruanda sit fides in libertate conscientiæ, seu Religionis?

1 *Hæreticis seruanda est fides in libertate conscientiæ, seu Religionis, licèt libertas hæc sit toto conatu impedienda, cùm Christianæ Religioni, & Reipublicæ tranquillitati quamplurimùm aduersetur, & veritas fidei è contra sit omni conatu seruanda: quapropter si Princeps Catholicus promiserit hæreticis, se velle tolerare, & permittere libertatem conscientiæ, seu Religionis, quam sine magno damno impedire non potest, tenetur seruare quod iis promisit.*

2 *Conscientiæ, seu Religionis libertatem tolerare, & permittere ad maiora mala vitanda, est licitum, & honestum, & præterea tendit ad bonum commune.*

3 *Princeps, vel Magistratus Catholicus, licèt omnibus modis impedire debeat libertatem conscientiæ, seu Religionis; tamen si id facere non possit sine grauiori incommodo boni communis, potest ad euitandum maius malum, eam tolerare, tanquam minus malum, quia ex duobus malis, quotiescumque vtrumque euitari non potest, minus est eligendum.*

4 *Princeps, vel Magistratus Catholicus si pacificatur cum hæreticis de toleranda conscientiæ seu Religionis libertate, quam sine maiori detrimento impedire non potest, fidem seruare debebit, quia fides seruanda est in omni pacto licito, & honesto.*

RESpondetur (licèt libertas conscientiæ seu Religionis, nempe quod quis possit sequi quamcumque sectam voluerit, sit omni conatu impedienda; 1
cùm Christianæ Religioni, & Reipublicæ tranquillitati, iuxta illud Luc. 11. *Omne Regnum in se diuisum desolabitur*, quamplurimùm aduersetur; è contra verò veritas fidei sit omni conatu seruanda, & retinenda propter contrariam rationem; sicuti patet ex Apostolo *ad Galatas cap. 1. vers. 8. ad 1. Corinth. 14. vers. 33. ad Ephesios 4. & ad Hebræos 13. vers. 9.* Et patet *ex l. Nullus, Cod. de summ. Trinit. & fid. Cathol.* & *ex l. Cuncti, Cod. de hæreticis & Manichæis*: & rectè probat præter alios Sanctus Ambrosius *cap. 33. ad Marcellinam sororem.* Sanctus Augustinus *epist. 29.* Leo Papa *epist. 76.* & Theodoretus ex Ioanne Chrysostomo contra Gainam Ducem, Arianum hominem, *lib. 5. cap. 33.*) Nihilominus, si Princeps Catholicus promiserit hæreticis, se velle tolerare, & permittere libertatem conscientiæ, seu Religionis (siue concedatur libertas omnibus sentiendi, & sequendi, quod quisque vult, ita vt cuilibet liberum sit, vel Catholicum esse, vel Lutheranum, vel Caluinistam, vel Anabaptistam, &c. siue concedatur libertas solis hæreticis exercendi suam Religionem inter Catholicos) quam sine magno damno impedire non potest, tenetur seruare quod iis promisit. Est etiam sententia communis Doctorum, &

Probatur, quia tolerare, & permittere libertatem conscientiæ, seu Religionis ad maiora mala vitanda est licitum & honestum, & præterea tendit ad bonum commune: ergo Princeps, qui id promisit, seruare tenetur, cùm ex dictis *sectione præcedenti* seruanda sit hæreticis fides in rebus licitis & honestis; præsertim si id tendat ad bonum commune. 2

Breuiter igitur dico, quod licèt Princeps, vel Magistratus Catholicus omnibus modis impedire debeat libertatem conscientiæ, seu Religionis (vti dicebam) tamen si id facere non potest sine grauiori incommodo boni communis, possit ad euitandum malum maius (quod alioquin sequeretur) eam tolerare, tanquam malum minus, quia ex duobus malis, quotiescumque vtrumque euitari non potest, minus eligi debet; cùm in tali casu illud minus malum non eligatur præcisè, vt malum quoddam est, sed vt medium vtile ad euitandum maius malum, ac proinde eligitur sub ratione boni vtilis. Sanctus Thomas *in 2. 2. q. 10. art. 11.* (vbi ex hoc principio, ad vitandum scilicet maius malum, probat, quod Ritus Gentilium, & Hæreticorum tolerari possint.) Caietanus *ibid.* Molina *de Iust. & iur. tract. 2. disput. 335.* & alij, quos sequitur Valentia *tom. 3. disput. 5. q. 10. part. 7.* Estque id ad mentem Sancti Gregorij apud Gratianum *dist. 13. cap. Nerui*, & ad mentem etiam S. Augustini *lib. 2. de Ordine cap. 4.* quatenus ait: Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus. 3

6 *Expedis bono communi, quod heretici veniant ad Concilia, & proponant suas difficultates, vt sic veritas magis explicetur, fideles in fide firmentur, heretici confundantur.*

7 *Pontifices & Concilia de facto saluum conductum hereticis concesserunt, & quod promiserunt fideliter seruauerunt. Vbi vide plures concessiones salui conductus.*

1 SVppono, quod per saluum conductum intelligitur publica quædam fides, & securitas eundi, & redeundi ad certum locum. Bartol. *in l. Proximum, ff. ad leg. Iul. maiest. & in l. finali Cod. de dign. lib 2. & in l. vtimur, ff de sepulcr. violat. & in l. Relegati, ff. de pœnis, & in l Promissum, ff. ad leg. Iul. majest.* (quem sequuntur communiter Iuristæ.) Et Abbas *in cap. quia diuersitatem de concess. prabend.* (quem sequuntur communiter Canonistæ.)

2 Potest autem saluus conductus duobus modis concedi: Primò, iure communi; vt quando datur securitas contra vim iniustam, salua semper iustitia. Secundò, iure speciali cum derogatione iuris communis; & quando datur securitas contra omnem vim, siue iustam, siue iniustam, præsertim in illa causa, de qua agitur.

De priori saluo conductu (qui datur iure communi) Myssingetius *in obseruationib. Iudic. Imperial. Camer. obseru.* 82. quatenus ait: *Quando datur alicui securitas, vel saluus conductus, tunc intelligitur solùm de violentia, quod de facto contra ius infertur; & ideò meo tempore cuidam, qui habebat saluum conductum, capto propter delictum, & maleficium, & supplicanti in Camera pro mandato de relaxando, & citatione ad videndum, &c. petiti processus à Dominis Assessoribus sunt denegati.* Eodem modo de saluo conductu loquuntur Euerardus *centur. 1. quæst. Iur. q.* 1. §. 18. Petrus Bremus *in lib de securit. promiss. & fid. public.* & Io. Molanus *lib. 2. de fid. haret. seruan. cap. 3.* Qui & subduit, quod formula, qua vtuntur Saxones ex Carolina Constitutione sit huiusmodi: *Damus tibi fidem publicam causam dicendi in iudicio contra vim, non tamen contra Iuris executionem.* Quam eamdem formulam secuti sunt Patres Concilij Constantiensis *sess. 6.* ibi: *Ad quod à violentia, Iustitia semper salua, omnem saluum conductum nostrum, quantum in nobis est, & fides exigit orthodoxa, præsentium tenore offerimus.*

De posteriori autem saluo conductu (qui datur cum derogatione iuris communis) agunt Patres Concilij Tridentini post *sess.* 15. vbi dicunt: *Si omnibus Germanis, Catholicis & hereticis, largiri publicam fidem, & plenissimam securitatem veniendi Tridentum, ibique manendi, standi, morandi, proponendi, disputandi, &c.* Illo etiam addito: *Vt Religionis prætextu excessus, aut delictorum circa ea commissorum, aut committendorum minimè puniantur.* Et in hac parte inquiunt, se derogare Concilio Constantiensi, quod scilicet tam plenam securitatem non concesserat, sed cum illa communi clausula: *Iustitia semper salua*: sed de saluo conductu vide plura apud Gregorium de Magalottis *tom. 11. tract. Iur. part. 2. col.* 231. & Farinacium *in Practica criminali, q.* 19. Hoc supposito.

3 Respondetur ad dubitationem affirmatiuè. Est etiam sententia communis Doctorum, &

Probatur ex iis quæ dicebam supra tribus sectionibus proximè præcedentibus.

4 Confirmatur, quia Concilium Constantiense *sess. 19. in decreto de saluis conductibus in fine*, ait: *Quod Princeps sæcularis, qui hereticis securitatem promisit, non maneat obligatus, quando fecit quod in ipso est, & potuit.* ergo Concilium supponit, quod, quando Princeps hæretico promittit securitatem veniendi, vel redeundi ad aliquem locum, v.g. ad Concilium, vel Diætam, &c. obligetur seruare præstitam fidem, quantum potuerit.

5 Confirmatur secundò, quia Ecclesia sæpè concedit hæreticis saluum conductum veniendi ad Concilia: ergo signum est, quod talis promissio, seu publica securitas obliget; cùm alioquin saluus conductus nullam hæreticis securitatem generaret, sed videretur Ecclesia voluisse potiùs illis illudere, quod dici non debet.

6 Confirmatur tertiò, quia expedit bono communi, quod hæretici veniant ad Concilia, & proponant suas difficultates, vt sic veritas magis explicetur, fideles in fide confirmentur, hæretici confundantur, & suos agnoscentes errores ad fidem Catholicam reuertantur: ergo licitè potest hæreticis saluus conductus, si ad Concilium venire velint, concedi, & fides illi præstita seruari; cùm alioquin, si timerent hæretici, ne fides ipsis seruaretur, nunquam ad Concilia venirent, & sic bonum commune supradictum impediretur. Adde, quod alioquin prædictum saluum conductum non liceret illis promitti, cùm promissio fieri non possit de re illicita.

7 Confirmatur quartò, quia de facto Pontifices, & Concilia sæpè sæpiùs saluum conductum hæreticis concesserunt, & quod promisere fideliter seruauerunt. Sic Gregorius *lib. 4. Registri, Indictio 13. epist. 49* concessit saluum conductum Episcopis quibusdam hæreticis. Leo decimus in Bulla quæ habetur post Concilium Lateranense sub Leone X. quæque damnat errores Lutheri) misit saluum conductum, quod Romam veniret, Luthero, qui tamen venire recusauit. Concilium Senonense concessit Abaylardo. Concilium Basiliense *sess.* 14. concessit Græcis. Concilium Tridentinum *sess. 15. in fine*, concessit hæreticis Protestantibus, & *sess 18 in fine*, concessit hæreticis Germaniæ. Et Carolus Quintus saluum conductum veniendi ad Diætam, cum conditione tamen, quod extra Diætam, nec publicè, nec occultè suas hæreses doceret, concessit Luthero: qui idem Imperator Carolus Quintus, cùm à quodam Principe interrogaretur, cur Luthero fidem præstitam obseruaret? respondit fidem præstitam, etiamsi toto orbe exularet, tamen apud Imperatorem consistere oportere. Vide Molanum *lib. 1 cap. 2.*

OBIECTIONES.

SVMMARIVM.

1 *Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga habuerunt saluum conductum, & tamen combusti fuerunt in Concilio Constantiensi: at non ob id fuit violata fides publica, quia si concedatur heretico saluus conductus veniendi ad Concilium, & non dicatur in eo hereticum, etiamsi in heresi præstiterit, non fore puniendum, poterit & ob suam pertinaciam puniri.*

2 *Saluus conductus intelligi debet, quod hereticus etiamsi permanserit in sua heresi, non sit puniendus; alioquin nullius esset momenti, nam is nunquam veniret ad Concilium.*

3 *Saluus conductus concedi solet cum expressa clausula de non puniendis hereticis, & ita fuerunt plures concessi.*

4 *Ioannes Hus & Hieronymus à Praga non habuerunt saluum conductum à Concilio Constantiensi, sed à Sigismundo Imperatore, qui neque prædictum saluum conductum violauit; quia iis concesserat saluum conductum cum conditione ne fugam arriperet, alioquin esset pœna mortis puniendus; at fugam arripuit contra tenorem eiusdem, & ideò poterat puniri sine vlla violatione promissionis illi præstita.*

5 *Sigismundus Imperator concessit Ioanni Hus saluum conductum iure communi, id est securitatem contra violentiam iniustam, salua semper Iustitia, & Iuris executione.*

6 Scripturas

6 *Scriptores plures de morte Ioannis Hus, scilicet de violata promissione nihil scripserunt; immò neque ipse Hus ductus ad supplicium nunquam conquestus fuit de dicta violata promissione; & Lutherus ipse, qui eum laudat, & Hieronymum Pragensem, de tali violatione nihil scripsit.*

7 *Ioannes Hus futili ratione excusatur à Laurentio Humfredo Caluinista, & quia se videret obseruari à Patribus, & quod tres Pontifices etiam aufugerint; quia Patres obseruabant eum, ne suis omnibus inficeret alios. Neque peccatum aliorum excusat peccatum ipsius.*

8 *Neque excusari potest ex eo, quod non fuerit hæreticus; nam palam professus est omnes Vviclefi errores, quorum aliqui hic recensentur.*

9 *Hieronymo Pragensi multò minùs fides violata fuit, quia saluus conductus ei concessus fuit à Concilio cum clausula, salua iustitia, fuit in Concilio, abiurauit errores, in quos tandem relapsus est, & iuxta Canonicas sanctiones combustus.*

10 *In Concilio Constantiensi non fuit definitum, quod fides hæreticis data non sit seruanda; sed dicitur, quod Principes sæculares non possint impedire Prælatos Ecclesiasticos, in exercitio suæ Iurisdictionis Ecclesiasticæ.*

11 *Referuntur verba Concilij Constantiensis, in quibus non obstante saluo conductu preseruatur potestas, & Iurisdictio Ecclesiastica, & eius exercitium in contumaces, & diffamatos de hæresi, si errores non reuocauerint.*

12 *Iudex superior fidentiam à Iudice inferiore factam ratam habere non cogitur, tum quod Reipublicæ intersit delicta puniri, tum etiam quòd superior legibus, aut pactis inferioris non ligetur.*

13 *Princeps sæcularis, qui promittit alicui securitatem (cùm fecerit quod in ipso est) non manet in aliquo obligatus.*

14 *Decreta Concilij Constantiensis non negant fidem hæreticis esse seruandam (at calumniosè aduersarij contendunt) sed tantùm instruunt Principes sæculares de eorum potestate circa saluum conductum concedendum, ad quodnam se extendat.*

15 *Carolus Quintus concessit saluum conductum Luthero, vt veniret ad Diætam Imperialem; venit, neque tamen Legatus Pontificis illum apprehendit: at non inde sequitur, quod Prælati Ecclesiastici non potuerint contra dictos hæreticos procedere; ideò enim Legatus Pontificis id non fecit contra Lutherum, quia tunc tempus id non expediebat.*

16 *Concilium Tridentinum concedit saluum conductum Protestantibus, & ait in hoc se derogare Concilio Constantiensi, & Senensi, non tamen verè & realiter; sed putatiue, sitie in opinione aliquorum Doctorum.*

17 *Patres Concilij Tridentini per Concilium Senense intelligunt Concilium Basiliense; quia hoc Concilium fuit inchoatum Papiæ, & tempore Martini translatum Senas, & tempore Eugenij IV. translatum Basileam.*

18 *Seruare fidem hæretico post Concilium in hæresi perseueranti, est in graue detrimentum boni communis; at dictum detrimentum permitti potest propter aliud bonum commune, quod sæpe ex huiusmodi promissionibus, & obseruationibus sequitur.*

1 OBjicies: Ioannes Hus, & Hieronymus de Praga habuerunt saluum conductum, & tamen combusti fuerunt in Concilio Constantiensi: ergo signum est quod Concilium Constantiense iudicauerit saluum conductum hæreticis concessum non esse seruandum.

Respondetur, nego consequentiam; quia licèt prædicti hæretici habuerint saluum conductum, & postea combusti fuerint in Concilio Constantiensi, non tamen ob id dicendum erit, quod fuerit illis fides præstita violata: Ratio, quia si concedatur hæretico saluus conductus veniendi ad Concilium, & in prædicto saluo conductu non dicatur, hæreticum, etiamsi in hæresi perstiterit, non fore puniendum, poterit is ob suam pertinaciam puniri, cùm saluus conductus (vti præter alios ait Molanus *lib. 2. de fid. hæret. seruand. cap. 7.*) intelligi debeat, quod non punietur ob prius solum peccatum; quemadmodum, qui contrahit sponsalia cum fæmella, quam sciebat fuisse fornicatam, non potest ob priorem solam fornicationem recedere à sponsalibus: at, si ea post contracta sponsalia de nouo fornicetur, poterit is recedere ab illis, quamuis essent iuramento firmata.

Sed contra, quia saluus conductus intelligi debet, 3 quod hæreticus, etiamsi permanserit in sua hæresi, non sit puniendus; alioquin saluus conductus nullius esset momenti, nam hæreticus nunquam veniret ad Concilium, cùm putet, quod virtute salui conductus possit immunis, etiamsi suam hæresim retinuerit, à Concilio recedere; quamuis quidem ordinariè saluus conductus concedi soleat cum expressa clausula de non puniendis hæreticis venientibus ad Concilium, vel Diætam, &c. etiamsi in prioribus erroribus perseuerauerint: & sub hac expressa clausula Gregorius *lib. 4. Registri epist. 49.* concessit saluum conductum hæreticis, Concilium Senonense Abaylardo, Concilium Basiliense Bohemis, & Concilium Tridentinum Protestantibus.

Respondetur igitur secundò meliùs: nego consequentiam ex alio capite, quia prædicti hæretici non habuerunt saluum conductum à Concilio Constantiensi, 4 sed à Sigismundo Imperatore, qui neque prædictum saluum conductum violauit; quia saluum conductum Ioanni Hus concesserat cum conditione, ne fugam arriperet, alioquin esset pœna mortis puniendus: at Ioannes Hus contra præceptum Imperatoris fugam arripuit (de cuius fuga scripsit Campianus *in rationibus ad Academicos Angliæ ratione* 4. vbi etiam subdit, dictum Ioannem Hus, conditiones quas cum Imperatore Sigismundo inierat violasse, in his verbis: *Sed nec in Hussium tamen animaduersum fuisse, nisi homo perniciosus & pestilens, retractus ex fuga, quam ei Sigismundus Imperator periculo capitis interdixerat, violatis etiam conditionibus, quas scripto pepigerat cum Cæsare, vim omnem illius diplomatis eneruasset.* Et Laurentius Hunfredus Caluinista *in lib. contra Campianum.* Et Coclæus *lib. 2. historiarum Hussitarum.* Et Nauclerus *generat.* 48. Quapropter meritò poterat puniri absque vlla violatione promissionis illi præstitæ; & cùm in fuga postea captus noluerit suos errores deserere, iure optimo, tanquam pertinax, combustus fuit: nam leges Imperiales, & Pontificiæ præcipiunt hæreticum comburi.

Accedit, quod Sigismundus Imperator concessit 5 Ioanni Hus saluum conductum iure communi, id est securitatem contra violentiam iniustam, salua semper iustitia, & iuris executione; cùm saluus conductus iure communi concessus (vti dicebam, & præter alios tradit Ioannes Molanus *lib. 2. de fide hæreticis seruanda cap. 3.* Et Petrus Bremus *in lib. de securitat. promission. & fide publica.*) nihil aliud, quàm hoc, quod dicebatur significet, & importet. Hanc autem promissionem Sigismundus Imperator Ioanni Hus non violauit; cùm Ioannes Hus ex eo, quod priùs fidem Imperatori datam violauit, nihil iniustè pertulerit. Quod inde patet, quia complures de morte Ioannis Hus illo tempore scripserunt, & tamen de violata promissione facta Ioanni Hus nihil loquuti sunt; & ipse Ioannes Hus, cùm ad mortem duceretur, & multa liberè diceret, de viola-

ta

ta sibi promissione facta, ne verbum quidem protulit: & Lutherus etiam laudans Ioannem Hus, de violata promissione illi facta nihil scribit; & Hieronymus de Bragha, cùm Ioannem Hus fuisse virum bonum, quinimò & sanctum testaretur, quod illi promissio facta fuerit violata, nihil prorsus ait, vti legi potest in Epistola Poggi, quam scripsit de morte dicti Hieronymi de Bragha, cuius ipse spectator fuit.

7 Instabis ex Laurentio Humfredo Caluinista, quatenus fatetur, Ioannem Hus Constantia clam profugisse, sed factum excusat dupliciter. Primò videbat, inquit, Hussius se obseruari a Patribus, & suspectum haberi, ideóque fugam arripuit. Secundò, fugerunt eodem tempore tres Pontifices, Ioannes, Benedictus, & Eugenius: ergo Hussius culpandus non erat.

Respondetur: Neutra excusatio sufficit; non prior, quia Patres meritò obseruabant Hussium, ne forsan ille quem sciebant palam professum esse hæresim in Bohemia, Constantiæ etiam errores suos disseminaret. Nec etiam posterior, quia culpa vnius patrocinari non potest culpæ alterius. Fugerint igitur cito, Pontifices, (qua de re modò non loquimur) non propterea licuit Hussio contra conuenta cum Imperatore pacta impunè fugam arripere.

8 Vrgebis ex alijs, quatenus forsan volunt, quod Ioannes Hus hæreticus non fuerit.

Respondetur: falsum id quidem est, quia Ioannes Hus & tenuit & pertinaciter defendit doctrinam Viclefi, cuius inter cætera sunt ista deformia, & horrenda capita. Primum, Deus debet obedire diabolo. Secundum, si Episcopus vel Sacerdos existat in mortali peccato, non ordinat, non conficit, non baptizat, non consecrat, Tertium, nullus est Dominus ciuilis, nullus est Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali. Quartum, omnia de necessitate absoluta eueniunt. Quintum, iuramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & ciuilia commercia. Sextum, contra sacram Scripturam est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones. Septimum, Benedictus, Augustinus, Bernardus damnati sunt, nisi pœnitentiam egerint de hoc, quod habuerunt possessiones, & intrarunt Religiones. Octauum, omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à Diabolo. Sic præter Concilium Constantiense *sess.* 8. referunt Sanderus *lib. 7. Monarchiæ*. Coclæus *lib. 2. histor. Hussitar.* & alij. Ista autem dogmata (quod etiam Lutherani & Caluinistæ fateri debent) absque dubio hæretica sunt: absque dubio igitur Ioannes Hus fuit hæreticus, & quidem pertinax, cùm ea eiurare recusauerit. Hæc, quatenus spectat ad Ioannem Hus.

9 Quatenus autem spectat ad Hieronymum de Praga, multò minùs & homini isti fides violata fuit, quia homo iste (sicuti habetur in Concilio Constantiensi *sess.* 6. fuit ab eo Concilio citatus, fuitque ei ab eodem Concilio, non autem ab Imperatore (quemadmodum aduertunt Molanus *lib. 3. de fid. hæretic. seruand. cap. 2.* & Coclæus *lib. 2. histor. Hussit.*) concessus saluus conductus, cum hac expressa clausula, *salua semper Iustitia*. Venit ad Concilium, disputauit, conuictus fuit, suósque errores abjurauit (vti constat *ex sess.* 19. vbi ponitur formula abjurationis, & *ex sess. 21. eiusdem Concilij.*) Sed postea in pristinos errores relapsus, è Concilio fugam arripuit: quapropter à Ministris Iustitiæ captus & tanquam relapsus; iuxta leges Canonicas & Ciuiles combustus fuit, vt habetur *ibid. cit. sess.* 21. & apud Campianum, Molanum, Coclæum, & alios; clarè igitur sequitur, quod multò minùs Hieronymo de Praga fides violata fuerit. Primò, quia datus fuit illi saluus conductus cum hac clausula: *salua semper iustitia*. Secundò, quia per fugam expirauit saluus conductus. Tertiò, quia in errores quos abjurauerat relapsus est.

10 Objicies secundò, in Concilio Constantiensi *sess.* 19. fuit definitum, quod fides hæreticis data non sit seruanda: ergo.

Respondetur cum Ioanne Molano *lib. 3. de fide hæreticis seruanda, cap. 2. & 3.* Alano Copo *dialog. 6. cap. 31.* Coclæo *lib. 2. de gestis Hussitarum.* & Sandero *lib. 7. de visibili Monarchia.* Nego antecedens, quia solùm ibi dicitur, quod Principes sæculares non possint impedire Prælatos Ecclesiasticos in exercitio suæ Iurisdictionis Ecclesiasticæ; quapropter, si Princeps sæcularis concedat hæretico saluum conductum, talis saluus conductus non potest impedire, quominus Iudex Ecclesiasticus possit procedere contra istum hæreticum, quia cùm Iudex Ecclesiasticus habeat distinctum Tribunal à Tribunali Principis sæcularis, illúdque Tribunal sit superius Tribunali Principis sæcularis, non potest Princeps sæcularis impedire Iurisdictionem Prælati Ecclesiastici; cùm Iudex superior non possit ligari legibus, & pactis Iudicis inferioris.

Et vt hæc responsio magis clarescat, referam hîc verba Concilij, quæ talia sunt *in sess. 19. Præsens sancta Synodus ex quouis saluo conductu per Imperatorem, Reges, & alios sæculi Principes, hæreticis, vel de hæresi diffamatis concesso, nullum fidei Catholicæ, vel Iurisdictioni Ecclesiasticæ præjudicium generari, vel impedimentum præstari posse vel debere, declarat, quominus dicto saluo conductu non obstante, liceat Iudici competenti, & Ecclesiastico, de huiusmodi personarum erroribus inquirere, & alios contra eos debitè procedere, eosdémque punire, quantum Iustitia suadebit, si suos errores reuocare pertinaciter recusauerint, etiamsi de saluo conductu confisi, ad locum venerint iudicij, aliàs non venturi; nec sic promittentem (cùm fecerit, quod in ipso est) ex hoc in aliquo remansisse obligatum.* Hæc sunt Constantiensis Concilij verba, quibus duo decernunt Patres prædicti Concilij: Vnum est, quod sæcularis potestas nullo modo possit impedire Ecclesiasticam potestatem à suo legitimo exercitio, quapropter si quis sæcularis Princeps alicui hæretico saluum conductum concedat, id obstare non debeat, quominùs possit Ecclesiasticus Iudex suum officium exercere, scilicet reum examinare; & contra illum secundùm allegata atque probata procedere; quod (vt omittam doceri à Iuristis, quos sequitur etiam Eueraidus §. 3. in his verbis: *Iudex superior talem fidentiam à Iudice inferiore factam, ratam habere non cogitur; tum quod Respublica interfit delicta puniri; tum etiam quod superior legibus, aut pactis inferioris non ligetur, &c.* Est iuri & rationi quam maximè conforme, quia ex dictis, quando sunt duo Principes, qui habent distincta iudicia, & Tribunalia, quorum vnum altero maius, & superius est, tunc inferior Princeps non potest impedire superiorem ab executione suæ Iurisdictionis, ac proinde securitas, quam ille promittit alicui, non se extendit ad Tribunal Principis superioris; cùm superior legibus & pactis inferioris non ligetur, *cap. cùm inferior extrà de maiorit. & obedient.* Sed Princeps sæcularis, & Princeps Ecclesiasticus habent distincta Tribunalia, & Tribunal Ecclesiasticum est superius Tribunali sæculari, *cap. solitæ eodem titulo citato.* Ergo Princeps sæcularis, quando alicui saluum conductum concedit, non potest illum sine ipsius consensu, extendere ad Tribunal superius, nec per concessam à se securitatem impedire Iurisdictionem Principis superioris. 11 12

13 Alterum est, quod sæcularis Princeps qui promittit alicui securitatem (cùm fecerit quod in se est) non maneat in aliquo obligatus. Et hoc quidem etiam indubitatum est, quia qui promittit securitatem, non censetur securitatem maiorem promittere, quam ipse præstare possit: ergo si fecerit, quod in ipso est, non peccat vllo modo contra fidem promissionis.

14 Atque hæc sunt duo Decreta Concilij Constantiensis, quibus non negat (vt minùs rectè & calumniosè aduersarij contendunt) fidem hæreticis esse seruandam; sed instruit solùm sæculares Principes, quid in saluo conductu seruare debeant, & quousque illorum potestas & Iurisdictio in promittenda, & præstanda alicui securitate se extendat.

15 Instabis: Carolus Quintus concessit saluum conductum Luthero, vt veniret ad Diætam Imperialem; venit, nec tamen Legatus Pontificis illum apprehendit: ergo cùm Imperator concedit saluum conductum hæreticis, tunc Prælati Ecclesiastici non possunt contra illos procedere.

Respondetur: Nego consequentiam, quia Pontificis Legatus, qui erat in illa Diæta Imperiali, potuit Lutherum (vt instabat Ioannes Echius allegans dictum Decretum Concilij Constantiensis) apprehendere, & in carcerem detrudere; sed fortasse non fecit, iudicans id tunc temporis non expedire, cùm in illa Diæta adessent multi Principes potentes sæculares, qui Luthero fauebant, ita vt non sine magno scandalo, & tumultu apprehendi is potuisset.

16 Vrgebis: Concilium Tridentinum *sess.15.* concedit saluum conductum Protestantibus; & ait in hoc se derogare Concilio Constantiensi & Senensi: ergo Patres Concilij Tridentini iudicarunt, in Concilio Constantiensi definitum esse quod fides hæreticis data non sit seruanda.

Respondetur (vt omittam, qood Concilium Tridentinum dixerit, se derogare Concilio Constantiensi, eo quod Concilium Constantiense non tam plenam, sicut ipsum Tridentinum securitatem concesserit, sed cum illa communi clausula: *Iustitia semper salua*) distinguo posteriorem partem antecedentis (*scilicet: Et ait, in hoc se derogare Concilio Constantiensi, & Senensi*) vere & realiter, nego; Putatiuè, seu in opinione aliquorum Doctorum, concedo; ita vt Patres Concilij Tridentini sic concesserint saluum conductum; quia sciebant, inter aliquos Doctores controuersiam esse, qualisnam sit sensus Coocilij Constantiensis in Decreto de saluis conductibus, & propterea, vt hæretici essent tuti veniendo ad Concilium, voluerunt Patres Concilij Tridentini sic derogare Decreto Concilij Constantiensis, si scilicet in opioione aliquorum Doctorum quid in illo esset, ex quo hæretici possent dubitare, se non posse venire tutò ad Concilium Tridentinum.

17 Cæterum per Concilium Senense intelligunt Patres Concilij Tridentioi Concilium Basiliense, quia hoc Concilium Basiliense fuit inchoatum Papiæ, & tempore Martini translatum Senas, & tempore Eugenij IV. translatum Basileam, vti colligitur *ex sess.1. Concilij Basiliensis*, & notat Miranda *in summa Conciliorum.* Hoc verò Concilium Senense, seu Basiliense approbat ea, quæ in Concilio Constantiensi decreta sunt, inter quæ continebatur Decretum de saluis conductibus; & propterea Concilium Tridentinum ob dictam causam fecit expressam mentionem de Concilio Senensi. Hæc approbatio facta à Concilio Basiliensi est affixa Concilio Constantiensi *tom.3, Conciliorum.*

18 Objicies tertiò: seruare fidem hæretico post Concilium in hæresi perseueranti, est in graue detrimentum boni communis (cùm contingere possit, vt pertinax talis hæreticus postea multos decipiat) ergo cum hoc detrimento boni communis fides hæreticis data non est seruanda; atque adeò non debuit Carolus Quintus seruare Luthero quod ei promiserat.

Respondetur: nego consequentiam, quia dictum detrimentum permitti potest propter aliud bonum commune, quod sæpè sæpiùs ex huiusmodi promissionibus, & obseruationibus sequitur; cùm sic (vti dicebam) hæretici ad Concilium veniant, multi conuertantur, res fidei magis confirmentur, multæ veritates auditis hæreticorum argumentis definiantur, & res definitæ magis explicentur. Quòd verò dicitur de Carolo Quinto, iam supra dictum est, vt omittam, dici etiam posse, quod ille pro tunc commodè & prudenter non poruerit Legato Pontificis auxilium ad Lutherum apprehendendum præbere, cùm multi Domini temporales potentes adessent, qui acriter & quamplurimùm fauebant Luthero.

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus priuatur fide data, & securitate promissa, ita vt fides, & securitas ipsi seruanda non sit ex communi Doctorum sententia; cùm enim non sit seruanda Tyrannis, Pyratis, & cæteris publicis prædonibus, qui occidunt corpus; multò minùs est seruanda hæreticis, qui occidunt animas.*

2 *Bannito pro delicto capitali non seruatur pax, quia est hostis publicus.*

3 *Limita tamen cum Menochio, & aliis, vt procedat in fide, & securitate hæretico data à priuata persona, secùs si fides & securitas data fuerit à persona publica, seu Principe, qui possit illam concedere.*

4 *Inquisitor, si hæretico promiserit gratiam faciendam, casu quo veritatem fateatur, & ipse hæreticus sub spe gratiæ consequendæ hæresim confiteatur, tenetur ei fidem datam seruare; quia illam ei dare poterat, cùm concessa sit Inquisitoribus ampla potestas pœnas temperandi.*

HÆreticus igitur ex dictis priuatur fide data, & securitate promissa, ita vt fides & securitas ipsi seruari non debeat. Clar *in Pract.§.hæresis, num.16.* Royas *singul. 63.* Simancha *de cath. Instit. tit.46. num.52.* & alij communiter, quos citat & sequitur Farinac. *q.197. n.14.* quia fides non seruatur Tyrannis, Pyratis, & cæteris publicis prædonibus, eo quod occidunt corpus: ergo multò minùs seruari debebit hæreticis, eo quod occidunt animas; tum quia non seruatur pax Bannito pro delicto capitali, eo quod est hostis publicus; ergo multò minus seruari debebit hæretico. 1 2

Limita tamen etiam ex dictis cum Menochio *cons.106. n.326.* Decian. *tract. crimin. lib.5. cap.20. n.55.* & aliis etiam communiter (quos sequitur Farinac. *loco suprà citato*) vt procedat in fide & securitate hæretico data à priuata persona; secùs, si fides & securitas hæretico data seruari debebit, cùm sic exigat bonum commune, quamuis non item, si data fuerit à persona priuata, quæ talem fidem & securitatem promittere non poterat, vti dicebam. 3

Hinc fit, quod Inquisitor (si hæretico promiserit gratiam faciendam, casu quo veritatem fateatur, & ipse hæreticus sub spe gratiæ consequendæ hæresim fateur) teneatur fidem hæretico datam seruare, quia illam ei dare poterat, cùm concessa sit Inquisitoribus ampla potestas pœnas temperandi, ex Textu *in cap. vt commissi de hæret. in 6.* Quamuis secùs, si promiserit omnimodam impunitatem, quia hanc Inquisitor ei promittere non poterat; quapropter illam hæretico seruare non debebit. Peña *in direct. 3. part. comment. 23 n.206. vers. Iam in hac promissione,* & alij, quos citat & sequitur Farinac. *q.81. n.299.* debebit tamen Inquisitor in tali casu hæreticum condemnare, non ad pœnam ordinariam, sed ad extraordinariam solùm, quia dolosè extorsit ab illo confessionem. Vide quæ dicam *infrà dubit.195. sect.43.* 4

SECTIO V.

An hæreticis seruanda sit fides in Matrimonio?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticis seruanda est fides in matrimonio, quia si Catholici cum hæreticis contrahant matrimonium, & nihil aliud obstet, nisi hæresis, validus est contractus matrimonij.*

2 *Hæresis*

2 *Hæresis non numeratur inter impedimenta dirimentia matrimonium.*

3 *Cultus disparitas intelligitur de dignitate cultus, quæ est inter fidelem, & infidelem non baptizatum.*

4 *In contractu matrimonij inito inter Catholicos, & hæreticos, cùm validus & legitimus sit, absque dubio alter alteri coniugi fidem seruare debet in iis, quæ pertinent ad honestum vsum matrimonij.*

5 *Ad fidem coniugalem tria potissimùm spectant. Primum est, vt neuter, viuente altero coniuge, cum alia persona copuletur; quia matrimonij vinculum est indissolubile. Secundùm est, vt alter alteri debitum reddat. Tertium, vt alter cum altero coniuge cohabitet, & simul familiam administrent.*

6 *Fides coniugalis ita seruari debet, vt nunquam liceat viro fideli, viuente vxore etiam hæretica ducere aliam.*

7 *Diuortium aliquando fieri potest propter causam legitimam manente tamen vinculo coniugali.*

8 *Diuortij legitima causa est, si vterque coniux ex mutuo consensu voueat perpetuam continentiam, & transeat ad Religionem.*

9 *Item crimen alterius coniugis, & adulterium: vel nimia sæuitia, ex qua periculum vitæ esset, vel instigatio ad peccandum. Item lepra, vel quicumque alius horridus, & contagiosus morbus.*

10 *Fidelis si accipiat vxorem hæreticam, vt illa patiatur, quod vir fidelis Catholico ritu viuat, filios educet, familiam administret, & nullo scelere, vel morbo vitam coniugalem impediat, debet in omnibus istis vxori non minus, quàm si illa fidelis esset, fidem seruare; secùs si adultera sit, vel ad hæresim virum incidet, vel liberos in hæresi instituat.*

11 *Vir si à principio promiserit vxori hæreticæ, se fore contentum, vt liberi ab ipsa vxore hæretica instituantur, huiusmodi promissio vtpote turpis, est per se irrita, atque adeò nullo modo seruanda; etiamsi accesserit iuramentum.*

12 *Item si matrimonij Catholici cum hæretica promissio, vel pactum etiam iuratum adjiciatur, vt liberorum mares, v. g. Patrem fidelem, femellæ verò matrem hæreticam sequantur, quia tale pactum tanquam turpe & impium irritum est.*

1 Respondetur affirmatiuè; quia si Catholici cum hæreticis contrahant matrimonium (quod quidem cum illis non facilè, sed solùm in quibusdam casibus licitè contrahere possunt) & nihil aliud obstet, nisi hæresis, validus est contractus matrimonij. Sanctus Thomas *in quarto dist. 39. q. 1. art. 1. ad quintum.* Valentia *disput. 10. q. 5. punct. 3.* Nauarrus *in summa*
2 *cap. 22. num. 49.* & alij communiter. Et ratio est, quia hæresis non numeratur inter impedimenta dirimentia matrimonium; ergo non obstat, quominùs (si aliunde non sit defectus) matrimonium sit validum: consequentia patet; antecedens probatur, quia licèt inter impedimenta dirimentia matrimonium numeratur cul-
3 tus disparitas; id tamen intelligitur de disparitate cultus, quæ est inter fidelem & infidelem non baptizatum, non autem de disparitate cultus quæ est inter fidelem & infidelem, seu hæreticum baptizatum, vt est communis sententia Doctorum, & seruatur in praxi, & suadetur ratione; quia per baptismum, qui est quasi ianua reliquorum Sacramentorum tribuitur ius percipiendi reliqua Sacramenta: ergo qui baptismum susceperunt, habent hoc ius, quod alij tamen non habent.
4 Hinc sequitur, quod in tali contractu matrimonij, cùm validus & legitimus sit, absque dubio alter alteri coniugi fidem seruare debeat in iis, quæ pertinent ad honestam vsum matrimonij, quia si fides seruari debet in omni alio contractu legitimo, ac valido (sicuti in sectionibus proximè præcedentibus dicebam) multò magis ea seruari debebit in contractu matrimoniali, qui omninò indissolubilis est, iuxta illud Matthæi 19. vers. 5. *Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Et paulò pòst: *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet.* Et Luc. 16. *Omnis qui dimittit vxorem suam, & alteram ducit mœchatur; & qui dimissam à viro ducit, mœchatur.* Et 1. ad Corinth. 7. vers. 10. *Iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari, & vir vxorem non dimittat.*

Ad fidem autem coniugalem tria potissimùm spectant. Primum est, vt neuter, viuente altero coniuge, 5
cum alia persona copuletur; quia matrimonij vinculum est indissolubile, ita vt non aliter quàm per mortem alterius dissoluatur. Hoc probant testimonia suprà citata, & illud ad Romanos 7. vers. 2. *Quæ sub viro est mulier, viuente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri: igitur, viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Secundum est, vt alter alteri coniugi debitum reddat, 1. ad Corinth. 7. vers. 3. *Vxori vir debitum reddat; similiter autem & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier: nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi.* Tertium est, vt alter cum altero coniuge cohabitet, & simul familiam administrent, ita tamen vt mulier subdita sit viro; quia (sicuti ait Apostolus primo ad Corinth. 11. vers. 3.) *Caput mulieris est vir.* Et primo ad Timotheum 2. vers. 12. *Docere autem mulierem non permitto, neque dominari in virum.*

In his tribus consistit fides coniugalis; & quidem 6
quatenus spectat ad primum, fides ita seruari debet, vt nunquam liceat viro fideli, viuente vxore, etiam hæretica, ducere aliam. Hoc rectè probant loca Scripturæ 7
suprà allegata: quatenus verò spectat ad torum & cohabitationem, potest aliquando propter causam legitimam, manente tamen vinculo coniugali (sicut definitum est in Tridentino Concilio *sess. 24. can. 8.*) fieri diuortium.

Causa verò legitima prima est, si vterque coniux ex 8
mutuo consensu voueat perpetuam continentiam, & transeat ad Religionem. Matthæi 15. vers. 24. *Omnis qui reliquerit domum, aut vxorem propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Secunda est crimen alterius coniugis; & adulterium, de quo Matth. 5. 33. *Omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta* 9
fornicationis causa, facit eam mœchari, vel nimia sæuitia, ex qua vitæ periculum esset, vel instigatio ad peccandum. Matth. 18. 8. *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te;* vel quid aliud simile. Tertia causa est lepra, vel quicumque alius horridus & contagiosus morbus. Sic Doctores communiter, quos sequitur Bellarmin. *de matrimon. cap. 14.* & Valentia *etiam de matrim. q. 4. part. 2.*

Quapropter, si fidelis accipiat vxorem hæreticam, & 10
illa patiatur, quod vir fidelis Catholico ritu viuat, filios educet, familiam administret, & nullo scelere, vel morbo vitam coniugalem impediat, debet vir in omnibus istis vxori non minùs, quàm si illa fidelis esset, fidem seruare; secùs, si vel adultera sit, vel ad hæresim virum incitet, vel liberos in hæresi instituat: tunc enim poterit vir illam, manente nihilominùs vinculo coniugali à se dimittere.

Quod si vir à principio ei promiserit, se fore con- 11
tentum, vt liberi ab ipsa vxore hæretica instituantur, huiusmodi promissio, vtpotè turpis, est per se irrita, atque adeò nullo modo seruanda, idque verum est, etiamsi accesserit iuramentum; tum quia iuramentum, vtpotè accessorium,

accessorium, sequitur naturam sui principalis; tum quia iuramentum non est vinculum iniquitatis, & in tali casu nullo pacto potest placere Deo.

12 Similiter, si matrimonio Catholici cum hæretica promissio, vel pactum, etiam iuratum, adjiciatur, vt liberorum mares, v.g. patrem fidelem, femellæ verò matrem hæreticam sequantur (tanquam etiam turpe, & impium) irritum erit, atque adeò etiam nullo modo seruandum; cum liberos suos omnes in vera fide ac Religione educandi cura ad vtrumque spectet. Sic Doctores communiter.

COROLLARIVM I.

An matrimonium contractum à fideli cum hæretica sit validum?

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium contractum à fideli cum hæretica est validum.*

2 *Matrimonium contractum à fideli cum infideli, inualidum est, vel iure diuino; vel quod est probabilius, iure solo Ecclesiastico; at non sequitur inde quod matrimonium fidelis cum hæretica sit inualidum, quia in hoc est sacramentum; at in priori est simplex contractus.*

3 *Matrimonium contractum à fideli cum Catechumena est inualidum ob eandem rationem, quia Catechumena etiam caret baptismate, quod est ianua cæterorum Sacramentorum.*

4 *Nuptiæ contractæ cum hæretico* in sexta Synodo generali, can.72. *dicuntur esse irritæ, & huiusmodi coniugium esse nefarium; at Canones illi non habent authoritatem, neque sunt authentici, neque editi à Concilio, sed post dissolutum Concilium à quibusdam Episcopis, neque sunt ab vllo Pontifice Romano approbati.*

5 *Canones prædicti neque recepti sunt ab Adriano Papa, vt supponitur; non enim Gratianus refert ea verba, ac si essent Adriani Papæ.*

6 *Matrimonium fidelis cum hæreticis ex iure colligitur, quod sit illicitum, non tamen quod sit inualidum; peccat enim mortaliter fidelis contrahendo cum hæretico. Secùs tamen est in locis vbi hæretici permixtim cum Catholicis viuunt ob consuetudinem in illis locis receptam.*

7 *Matrimonium fidelis cum infideli quod sit validum non habetur ex aliquo textu, sed ex Apostolica traditione.*

8 *Fidelis si matrimonium contrahat cum infideli, grauissimè peccat.*

9 *Matrimonium fidelis cum infideli si non sit prohibitum de iure diuino, sed tantùm de iure positiuo & Ecclesiastico, posset Summus Pontifex in ratione contractus dispensare, quia tota ratio, quare prædictum matrimonium non sit validum, est, quia iure positiuo & Ecclesiastico prohibetur.*

10 *Matrimonium hominis baptizati cum non baptizata, etiam Catechumena, Ecclesiastico iure est irritum.*

11 *Matrimonium hominis Catholici cum hæretica est quidem validum, sed mortaliter illicitum. Est validum, quia veram habet rationem Sacramenti; est illicitum, maximè ob periculum peruersionis, &c.*

12 *Limita, nisi hæreticus se post matrimonium fidem Catholicam suscepturum promittat, & causa subsit, cur matrimonium absolutioni ab hæresi præponatur.*

13 *In Lege veteri licèt cautum fuerit, ne Iudæorum quisquam vxorem acciperet ex Gentilitate, quia auerterent corda ipsorum, ne sequantur Deos alienos; nihilominus Mahason, & postea Booz Dauidis proauus, in vxorem duxit Ruth Moabitidem, & Salmon Scahab meretricem, propterea quod istæ Iudaismum suscipere paratæ erant.*

14 *Limita, in Polonia, Germania, aliisque Septentrionalibus Regionibus, in quibus Catholici mixti cum hæreticis viuunt, quia ibi consuetudo obtinuit, vt connubia inter se iniri possint.*

15 *Limitatio prædicta admitti potest, si in aliquo casu moraliter euidens sit, nullum esse periculum scandali, peruersionis, aliorúmque incommodorum, quæ cum huiusmodi matrimonio plerumque coniuncta reperiuntur. Si verò sit dubium periculi, ad Summum Pontificem, vel ad Episcopum examinare pertinebit.*

16 *Matrimonium quod à principio fuit irritum ob aliquod impedimentum, si dictum impedimentum in facie Ecclesiæ fuerit publicum, seu notorium, debent iterum adhiberi Parochus & testes, & coram ipsis necesse est matrimonium celebrari.*
Idémque faciendum est, si periculum sit, ne in foro externo, vel in facie Ecclesiæ, impedimentum aliquando innotescat.

17 *Impedimentum si sit omninò occultum, Parochum & testes iterum adhiberi necesse non est, sed ipsi coniuges prioris impedimenti conscij, possunt inter se per consensum verbis, vel aliquo facto declaratum, matrimonium prædictum validum reddere: cessat enim in casu prædicto ratio, propter quam Concilium Tridentinum prohibuit, & irrita reddidit matrimonia clandestina.*

18 *Sufficit igitur quæcumque expressio mutui consensus qualicumque signo declarati, vt si carnalem copulam habeant, vel maritali consensu cohabitent.*

19 *Coniuges si nesciant errorem matrimonij, non possunt velle, vt validetur, quia error tollit voluntarium.*

20 *Votum inualide emissum, vt quis ratificet, necesse est, vt eius inualiditatem cognoscat, quia si nesciat, vel de valore eius dubitet, non censetur habere absolutam voluntatem se obligandi, sed solùm renouandi, vel confirmandi obligationem priorem, nisi constet, quod animus vouentis fuerit, quod promittere & obligare se velit, quamuis prior promissio & obligatio irrita fuisset.*

21 *Idem etiam locum habet in casu nostro de matrimonio validando, quia si maritus, v.g. occultè super impedimentum impetrata dispensatione, putet, non expedire quod vxor id sciat, potest eam oblata occasione copula, vel cuiuscumque alterius affectus maritalis, interrogare, an sic ipsum diligat, vt iam etiam consentiat ipsum in maritum accipere, perinde ac si omninò ab ipso libera esset.*

22 *Tutior tamen est, vt coniux conscius impedimenti, saltem generatim, indicet alteri coniugi ignoranti, suspicor ex causa aliqua non valuisse inter nos matrimonium contractum, ideò rogo te ad pacandam conscientiam meam, vt quatenus opus est, de nouo in matrimonium consentiamus.*

23 *Matrimonium si fuerit irritum ob consensum simulatum ex parte alterius coniugis, aliud non requiritur ad illud validandum, nisi quod consensum internè suppleat, quia id solùm deest, quod in hoc casu ad matrimonij valorem iure naturali & diuino exigitur.*

EX dictis habetur primò, matrimonium contractum 1 à fideli cum hæretica esse validum; & tenet Sanctus Thomas *in* 4.*dist.*39. *q.vnica, art.*1.*ad* 5. S.Bonauentura *ibidem, art.* 1. *q.* 1. S. Antoninus 3. *part. tit.* 1. *cap.* 6. Syluester *verb. Matrimonium* 8. *q.* 10. *dicto* 3. Tolet.

Tolet. *lib.7.cap.7.n* 1. Bellarmin. *lib.* . *de matrim. c.23.in princ.* Valentia *tom 4 disput* 10 *q.5.punct.3.* Axor *tom.1. lib.8.cap.11.q.5.* Glossa *in c. Non oportet verbo hæreticus* 28.*q.1.*Archidiac.*ibid.n* 4. Abbas *in c finali de conditionib.apposit.n* 5.Præpositus *ibid n.6.* Henricus *n.2. & 3.* Franch.*n.1* Nauarr.*c.22.n.49.*& alij communiter (quidquid in contrarium dixerint Glossa *in c. finali de condit.apposit.verb.contra substantiam.* Ostiensis *in cap. de coniug seruor.n.1* Anchar.*ibi l.n.1.* & Simaneh.*de cathol. instit.tit* 40.*n.46.*Quatenùs expresse docent, quod matrimonium fidelis cum hæretica, vel cum apostata sit irritum, & nullum.) Et ratio vlteriùs est; quia nullo iure habetur, quod tale matrimonium sit inualidum. Quinimò *in c.decreuit de hæret. in 6.* Supponitur contrarium (scilicet esse validum) cùm ibi solùm statuatur, vxores contrahentes scienter cum hæreticis esse in pœnam delicti dote priuandas, & non subdatur, esse separandas. Quod vtique subderetur, si prædictum matrimonium esset inualidum.

2 Obiicies ex Aduersariis: Si fidelis contrahat matrimonium cum infideli, tale matrimonium inualidum est, vel iure diuino, (vt volunt Catherinus *libro 5. contra Caietanum, cap. de matrimonio.* Viguetius *libro institut. capite 16. §. 7. vers.9. Impedimento 10.* & alij) vel, quod est probabilius, iure solo Ecclesiastico (vt volunt Sanctus Bonauentura *in 4.distinct.30.articulo 1. quæstione 1.* Scotus *ibidem quæstione vnica, articulo 2.* Gabriel *quæstione vnica, articulo 1. & 2.* Victoria *in sum. de matrimonio numero 194.* Valentia *tom.4. disput.10. quæstione 5. puncto 3.* Bellarminus *libro 1. de matrim. capite 23. conclusione 2. & 3.* Caldetinus *in cap. finali de condition.apposit.* Alexander *ibidem numero 11.* Syluester *verbo matrimonium* 8. *quæstione* 10. *dicto 3.* Tabiena *verbo Impedimentum, impedimento 8. numero 1.* & Couarruuias *in 4. decretalium 2. part. capite 6. paragrapho 11. numero 1.*) Ergo etiam, si fidelis contrahat cum hæretico, tale matrimonium inualidum erit.

Respondetur: Nego consequentiam; & disparitas est; quia ex dictis matrimonium contractum à fideli cum infideli non est sacramentum; quale est matrimonium contractum à fideli cum hæretica, ratione scilicet baptismi ab vtroque coniuge suscepti; & ideò matrimonium est inualidum in casu priori, non item in posteriori.

3 Vbi aduerte, quod etiam matrimonium contractum à fideli cum cathecumena sit inualidum ob eandem rationem; quia scilicet cathecumena etiam caret baptismate, quod est ianua cæterorum sacramentorum. Sanctus Thomas *in 4. dist.39. quæst.vnic. art.1.ad 5.* S.Bonauentura *ibid.in expositione literæ n.1.*Paludanus *q.vnica art.1.n.7.* Glossa *in c.Caue verb.alienum* 28 *q.1.* Turrecremata *in c.si quis Gentilis art.1. n.2 ad 3. & in cap. Caue num.1.28.quæst.1.* Tolet. *lib.7. cap. 7.num.1.* & alij passim.

4 Obiicies secundò: *In 6.Synodo generali can.72.* Nuptiæ contractæ cum hæretico dicuntur esse irritæ, & huiusmodi coniugium esse nefarium. Ibi: *Non licere virum Orthodoxum cum muliere hæretica, nec Orthodoxam cum viro hæretico copulari; sed si quid eiusmodi ab vllo ex omnibus factum apparuerit, irritas nuptias existimari, & nefarium coniugium dissolui.* Ergo, &c.

Respondetur: Nego consequentiam; quia canones illi non habent authoritatem, neque sunt authentici, neque editi à Concilio, sed post dissolutum Concilium à quibusdam Episcopis, neque sunt ab vllo Pontifice Romano approbati; quapropter prædicti canones à Doctoribus appellantur Trullani, eo quod editi fuerint in Trullo (quod erat Palatium Regis) & quidem, quod prædicti canones non habeant authoritatem, neque sint authentici, neque sint editi à sexta Synodo, rectè probant Sotus *de iust. & iur. lib.7. q.1.art.2. vers.hac ergo,* Surius *tom.3.Concilior.in 6.Synodo in præfatione ad Lectorem.* Bellarminus *lib.1. de Conciliis cap.7. & lib.2. de Romano Pontifice cap.18.* & Torrensis *lib. de Canonibus 6. Synodi.* Quinimò à 6. Synodo nulli canones fuerunt editi, sicuti patet *ex 7 Synodo cap 4 & 5.* & tales canones Trullani fuerunt reprobati à Sergio Papa (qui tunc temporis viuebat) sicuti testatur Beda *lib. de sex ætatibus in Iustiniano.* (vbi canones prædictos vocat Synodum erraticam) Paulus Diaconus *lib.8.de rebus Romanor. cap.9.*

Instabis: Tales canones recepti fuerunt ab Adriano 5
Papa, sicuti patet ex cap. sextam Synodum *dist.* 16. Ibi: *Sextam Synodum sanctam, inquit Adrianus, recipio cum omnibus suis:* Ergo, &c.

Respondetur, nego antecedens; quia Gratianus ibi non refert huiusmodi verba, ac si ea verba essent Adriani Papæ, sed tantùm refert, quod Adrianus Papa referat prædicta verba ex quadam Epistola, quam Tharasius miserat ad ipsum Adrianum, vti notant addentes in nouo decreto Gregoriano *in dicto capite sextam Synodum.*

Obiicies tertiò: *In cap Non oportet, & in cap. Caue* 6
28.*q.1.* prohibetur, ne fidelis contrahat cum hæretico: Ergo recurrit difficultas.

Respondetur: Nego consequentiam; quia ex citatis textibus solùm colligitur, quod huiusmodi matrimonium sit illicitum; non autem quod etiam sit inualidum vti suprà dicebam, & infrà iterum dicam.

Vbi tamen aduerte, quòd ex communi sententia Doctorum, si fidelis matrimonium contrahat cum hæretica, mortaliter peccet: Sotus *in 4. dist.39. quæstione vnica, articulo 7. ad vltimum.* Palatius *ibidem quæstione vnica vers. vnde quod.* Valentia *vbi suprà,* & alij passim; quia qui sic matrimonium contrahit, transgreditur Ecclesiæ præceptum in re graui; cùm id interdicatur ob periculum, cui se exponit coniux fidelis, ne peruertatur ab hæretico, & ne etiam proles amplectatur hæresim eiusdem coniugis hæretici.

Quamuis in locis, vbi hæretici permixtim cum Catholicis viuunt (vt in Polonia, Germania, & aliis conuicinis septemtrionalibus partibus) qui sic contrahit, mortaliter non peccet. Nauarrus *consilio 1. de constitut. numero 59. & sequentibus,* Axorius *tomo 1. libro 8.capite 11. quæstione 5.* & alij communiter, ob consuetudinem scilicet in illis locis receptam. Proles tamen (quæ ex matrimonio à fideli cum hæretica contracto nascitur) educari debet apud coniugem fidelem; quia sic in fauorem fidei statuitur *in cap.finali de conuers.infidelium.* Et notat *ibi* Ostiensis *in fine.* Abbas *numero* 8 Cardinalis *quæstione 5. circa finem.* Ioannes Andreas *numero 7.* & Ancharanus *in fine*) & *in cap. Iudæi 28. quæstione 1.* (& notat ibi Glossa *verb. Iudæi.*) Adeò quod si Catholicus coniux promiserit à principio, se fore contentum, vt liberi siue omnes, siue tantùm femellæ, à coniuge hæretica instruerentur, talis promissio (etiam si eam ipse iuramento firmauerit) vtpote turpis, sit per se inita, atque adeò nullo modo seruanda, sicuti *suprà in princip.sectionis* probabam.

Cùm verò dixi, matrimonium à fideli cum infideli 7
contractum esse inualidum, non intelligas, id prouenire quasi aliquo Textu expresso prædictum matrimonium irritetur, (cùm illud nullo iure habeatur irritari) sed prouenire ex Apostolica traditione; & ex consuetudine vniuersali apud omnes fideles recepta, quæ vim legis habet (vti notant Sotus *in 4. distinct. 39. quæst. vnica art.2. vers. hac autem.* Bellarminus *lib. 1. de matr. cap.23. proposit.2. & 3.* & alij, quos sequitur Valentia *tomo 4. disputatione 10. quæstione 5. puncto 3.*) Textus enim canonici (vt *cap. Caue, cap. Non oportet, cap. si qui iudaica, & cap. Iudæi 28. quæst.1.*) quibus prohibetur huiusmodi matrimonium, solùm præcipiunt, ne à fideli matrimonium contrahatur cum infideli; non tamen expresse subdunt (quod esset ad talem effectum inducendum omninò necessarium) esse irritum, nullum, seu inualidum.

Cæterùm in eo conueniunt DD. quod, si fidelis ma- 8

trimonium contrabat cum infideli, grauissimè peccet; quia ab initio Ecclesiæ id prohibitum fuit, vt 2. Cor. 6. ibi: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, id est, matrimonium contrahere cum infidelibus (sicuti interpretatur Hieronymus lib. 1. ad Iouinian. & in Epist. 11. ad Ageruchiam.) & 1. Corinth. 7. Ibi: *Mulier si dormierit vir eius, libera est, cui autem vult nubat tantum in Domino*; id est cum fideli (sicuti talem locum interpretatur S. Ambros. S. Anselm. S. Thom. S August. *lib. 1. de adult. coniug. c. 5.* & Tertull. *lib. 2. ad vxor.* Accedit, quod ob eamdem rationem (ob periculum scilicet ne, fidelis peruerteretur ab infideli, & ne proles sequeretur sectam parentis infidelis, etiam in antiqua lege prohibitum fuit Hebræis contrahere matrimonium cum infidelibus, seu Gentilibus, sicuti constat *ex Deuter. 7. & ex 3. Reg. 10.*) Ergo, &c.

9 Hinc sequitur, quod, si matrimonium fidelis cum infideli non sit prohibitum, & irritum de iure diuino (sicuti volebant Catherinus, & Viguerius suprà) sed solùm de iure positiuo, & Ecclesiastico, possit Summus Pontifex in ratione contractus (vt scilicet contractus sit validus, & licitus) iusta de causa dispensare, quod aliquis fidelis contrahat matrimonium cum infideli. Syluester *verb. matrimonium 8. q. 10. dicto 3.* Sotus *in 4. dist. 39. q. vnic. art. 2. in fin. corp.* Tabiena *verb. Impedimentum, impedimento 8. num. 1.* Alexander *in cap. finali de condit. apposit. num. 11.* & alij; quia, stante ista sententia (quæ est probabilior) tota ratio, quare prædictum matrimonium non sit validum, est, quia iure positiuo, & Ecclesiastico prohibetur, atque irritatur: at potest Summus Pontifex iusta de causa dispensare iuri positiuo, & Ecclesiastico; ergo.

10 Breuiter igitur dico, quod matrimonium hominis baptizati cum non baptizata (etiam Catechumena) Ecclesiastico iure sit irritum. Colligitur *ex cap. Caue 28. q. 1. Si Christiana sit*, id est, catechizata sit, ait Glossa, *Non est satis, nisi ambo initiati sint sacramento baptismatis.* Et hanc esse communem sententiam Doctorum, & Ecclesiæ praxim testatur Couarruuias *in epist. p. 2. c. 6. §. vlt.* Henriq. *lib. 12. c. 13. n. 3.* Toletus *lib. 7. c. 11.* Bellarminus *de matrim. c. 23.* & alij, quos sequitur Sanchez *lib. 7. disp. 71.*

11 Matrimonium autem hominis Catholici cum hæretica sit quidem validum, sed mortaliter illicitum: quæ est etiam communis sententia Doctorum. S. Thom. *in 4. dist. 39. q. 1. art. 1.* Richardi *ibid. art. 1. q. 1.* Durandi *q. 1. ad 2.* Couarruuiæ *cit. §. vlt. num. 5.* Sanchez *loc. suprà cit. de matrim. disp. 72.* & aliorum contra Gloss. *in c. vir verbo contra substantiam de condit. apposit.* & quosdam alios.

Prior pars colligitur *ex c. decreuit de haret. in 6.* Et ratio reddi potest; quia matrimonium Catholici cum hæretica (quæ baptizata est) veram habet rationem sacramenti: Ergo non decuit, sic infirmari, sicut infirmatur matrimonium Catholici cum infideli; quamuis contrarium senserint nonnulli, quos sequitur Simancha *de Cathol. instit. tit 40. n. 19.*

Posterior pars habetur ex Concilio Calchedonensi *can. 14.* Eliber. *c. 16.* Laodicens. *can. 10. & 31.* Carthaginen. *3. c. 12.* & Agathens. *c. 67.*

12 Limita, nisi hæreticus, se post matrimonium fidem Catholicam suscepturum, promittat, & causa subsit, cur matrimonium absolutioni ab hæresi præponatur. Nicolaus Seranus de coniugio Catholicorum cum hæreticis *c. 2.* Sà *de matrim. impediment. n. 8.* quatenùs expressè ait, mortale esse, cum hæretica contrahere; nisi spes certa conuersionis esset. Et colligitur *ex cit. can. 14. Concilij Calchedonensis.* Ibi: Non oportet cum hominibus hæreticis miscere connubia, & vel filios, vel filias dare, sed potiùs accipere, si tamen profiteantur, Christianos se esse futuros, & Catholicos. Et

13 Confirmatur; quia licet in lege veteri *Exodi c. 34. & Deuteronom. 7.* cautum fuerit, ne Iudæorum quispiam vxorem acciperet ex Gentilitate; quia auerterent corda ipsorum, vt sequantur Deos alienos, (sicuti videre fuit in Salomone Rege) nihilominus Mahalon, & postea Booz Dauidis Proauus in vxorem duxit Ruth Mohabitidem, & Salmon Rahab meretricem (sicuti constat ex cap. 1. Matthæi) propterea quod istæ Iudaismum suscipere paratæ essent.

Limita secundò, in Polonia, Germania, aliisque septemtrionalibus Regionibus, in quibus Catholici mixti cum hæreticis communi iure viuunt, quia ibi consuetudo obtinuit, vt connubia inter se iniri possint, si coniugi, qui Catholicus est, liberè permittatur, sine periculo peruersionis in fide Catholica permanere. 14

Quæ limitatio etiam admitti potest, si in aliquo casu moraliter euidens sit, nullum esse periculum scandali peruersionis, aliorúmque incommodorum, quæ cum huiusmodi matrimonio plerumque coniuncta reperiuntur; sin verò sit dubium, an huiusmodi mala sequi possint, ad Summum Pontificem, vel etiam ad Episcopum in dictis septemtrionalibus Regionibus pertinebit, rem examinare, & contrahendi matrimonium licentiam concedere; quamuis experientia doceat, quod ex matrimonio hominis Catholici cum hæretico tam multa incommoda spiritualia, tam ipsi coniugi Catholico, quàm liberis, & Christianæ Religioni sequi soleant, vt naturali plerumque legi Charitatis repugnet. Et propterea tunc neque Summus Pontifex possit dispensare, præterquam si in aliquo casu probabilis spes sit, quod ex huiusmodi matrimonio secututus sit multò maior spiritualis fructus, ob quem incommoda illa, tanquam minora, permitti possint. Quod tamen raro contingit. Serar. *loc. supr. cit.* Becan. *in 2. 2. cap. 9. q. 5. dubit. 4.* & alij. 15

PETITIO.

AN, & quomodo (si matrimonium, quod irritum est ob aliquod impedimentum, v.g. ob defectum ætatis, vel quia fuit metu iniusto extortum, vel intra quartum gradum consanguinitatis, aut affinitatis, &c. contractum, postea, secuta ætate, deposito metu, vel impetrata dispensatione reualidandum sit) fieri debeat; & an parochum, & testes de nouo adhiberi, necesse sit? 16

Respondetur, & dico primò: si impedimentum in facie Ecclesiæ fuit publicum, seu notorium, parochum, & testes iterum adhiberi, & coram ipsis matrimonium celebrari, necesse est; sic Doctores communiter. Idem faciendum, si periculum sit, ne in foro externo, vel in facie Ecclesiæ impedimentum aliquando innotescat. Rodriquez *part. 1. cas. 1. c. 220. concl. 2.* & alij, quos sequitur Sanchez *de matrim. lib 2. disp. 37. n. 11.* Idémque etiam faciendum, licèt solus parochus, vel testes requisiti impedimentum extra confessionem notum habuerint; quia non poterant tales auctoritatem, vel testimonium præbere matrimonio, quod sciebant esse nullum. Petrus Ledesma *q. 47. art. 3. dub. vlt.* Henriq. *lib. 12. c. 3. n. 7.* & alij, quos sequitur idem Sanchez *loc. supr. cit. n. 10.* 17

Dico secundò: Si impedimentum sit omninò occultum, parochum & testes iterum adhiberi, necesse non est; sed ipsi coniuges, prioris impedimenti conscij, possunt inter se per consensum verbis, vel aliquo facto declaratum matrimonium prædictum validum reddere. Nauarrus *c. 22. n. 70. & lib. 4. cons. 14. circa fin.* Rodriq. *cit. concl. 2.* Petr. Ledesma *q. 45. a. 5. dub. pen.* Philiarch. *tom. 1. de off. Sacerd. p. 2. lib. 2. c. 13.* Henriq. *cit. c. 3. n. 6.* & alij, quos sequitur Sanchez *cit. disp. 37. n. 5.* &

Probatur; quia ratio, quæ mouit Concilium Tridentinum ad irritanda clandestina matrimonia, fuit, vt grauiora peccata, & incommoda, quæ ex iis sequi plerumque solebant, impedirentur; sed in dicto casu illa penitùs cessant, quia potiùs è contra incommoda, & scandala magna sequerentur, si matrimonia (quæ publicè pro validis habebantur) iterum coram parocho & testibus celebrari deberent: Ergo meritò è Trident. Conc. decreto, (quatenus

(quatenùs clandestini matrimonij prohibitorium, & cassatorium est) colligitur, quod casus, in quo matrimonium occultè inualidum reualidari debet, non comprehendatur.

18 Dixi, quod in tali casu coniuges possint inter se matrimonium validum reddere *verbis, vel aliquo facto*; ideóque qualicumque signo declarante mutuum consensum; vt si carnalem copulam habeant, vel maritali affectu cohabitent. *Argum. c. Ad id, c. Is qui de sponsal. & c. insuper*, qui matrimonium accusare possunt; vbi id notat Abbas *n. 2.* Sotus *in 4. dist. 35. q. vnic. a. 2. vers. sed praterea.* Couarruu. *p. 2. c. 4. n. 5.* Henriq. *lib. 11. cap. 5. circa fin.* & alij, quos sequitur Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 36. n. 7.*

19 Dixi etiam, si coniuges prioris impedimenti sint conscij; quia, si ignorent, matrimonium, in quo versantur, inualidum esse, non possunt velle, quod validetur, cùm error voluntarium tollat; sicut ex communi sententia Theologorum dixit Nauarr. *c. 22. n. 47. & cons. 12 de sponsal edit. 2. Argum. c. Veniens* iuncta glossa de eo qui nupsit in matrim. quam polluit: qua etiam ratione ex communi sententia Theologorum similiter dixit

20 idem Nauarr. *c. 12. n. 71.* Rodriq. *p. 2. c. 99. concl. 7.* & Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 16. n. 7.* Quod, vt quis votum, quod inualidè edidit, de nouo ratificet, vel confirmet, necesse sit, vt eius inualiditatem cognoscat; quia si nesciat, vel de valore eius dubitet, non censetur habere absolutam voluntatem se obligandi, sed solùm renouandi, vel confirmandi obligationem priorem; nisi constet, quod animus vouentis fuerit, quod promittere, & obligare se velit, quamuis prior promissio, & obligatio irrita fuisset.

21 Hoc idem locum habet in casu nostro de validando matrimonio; quia, si maritus v. g. occultè super impedimentum impetrata dispensatione, putet non expedire, quod vxor id sciat, potest eam oblata opportuna occasione copulæ, vel cuiusque alterius affectus maritalis interrogare, An sic ipsum diligat, vt iam etiam consentiat ipsum in maritum accipere, proinde ac si omninò ab ipso libera esset, iuxta non omninò improbabilem opinionem Caietani *tom. 1. opuscul. tract. 12. de matrim. q. 2.* Soti *in 4. dist. 28. q. 1. a. 2. concl 3. cas. 1.* Henriq. *lib. 11. c. 3. n. 6.* Veracruz *1. part specul. art. 44. concl. 3.* Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 36. concl. 2.* & aliorum, contra Nauarrum *c. 22. n. 47.* Philiarchum *tom. 1. part. 2. lib. 2. cap. 13.* &

22 complures alios, qui tenent, necessarium esse, vt coniux conscius impedimenti, saltem generatim indicet alteri coniugi ignoranti. *Suspicor, ex causa aliqua non valuisse inter nos matrimonium contractum, ideo rogo te ad parandam conscientiam meam, vt quatenùs opus est, denuò in matrimonium consentiamus.* Qui modus, si sine graui incommodo adhiberi poterit, absque dubio est securior, & de facto adhibendus in praxi; cum alioquin non facilè ab altero coniuge ignorante eliciatur consensus de præsenti efficax, sed solùm, quod vellet de nouo matrimonium contrahere, nisi antea contractum fuisset: qualis tamen consensus non sufficit, vti supra dicebam, & præter alios adnotauit Sanchez *cit. disp. 36. concl. 2.*

23 Illud non improbabiliter etiam docent Richard. *in 4. dist. 29. q. 1. art. 2.* Veracruz *part. 1. specul. art. 29. circa fin.* & Sanchez *de matrim. lib. 2. disp. 32. n. 11.* Quod scilicet si matrimonium fuit irritum, quia sponsorum alter internum consensum verè non præbuit, sed simulauit, aliud non requiratur ad validandum matrimonium, nisi quod consensum internè suppleat; quia id solùm deest, quod in hoc casu ad matrimonij valorem iure naturali, & diuino exigitur, neque Ecclesiasticæ constitutiones aliud exigere possunt: ergo si id suppleatur, sufficit.

Cæterùm, ea, quæ vsque adhuc de validando matrimonio carnali dicta sunt, intelligas etiam de validando matrimonio spirituali, seu Religionis professione.

COROLLARIVM II.

An possit coniux separari quoad habitationem, & torum ab altero coniuge, si iste alter coniux incidat in hæresim, vel apostasiam?

SVMMARIVM.

1 *Coniux potest separari quoad habitationem ab altero coniuge, si iste alter coniux incidat in heresim, vel apostasiam, quamdiu scilicet permanserit in heresi, vel apostasia, ob periculum, ne fidelis peruertatur ab heretico.*

2 *Item poterit etiam separari quoad torum, quamdiu permanserit in heresi, vel apostasia, ita vt potest ei non reddere debitum; quia esset idem periculum peruersionis.*

3 *Ecclesia potest priuare hereticum bonis, & patria, &c. consequenter multò magis amissione iuris petendi debitum.*

4 *Coniux si per copulam cognoscat consanguineam sua coniugis, Ecclesia de facto priuat illum iure petendi debitum, & alter non tenetur ei reddere, consequenter multò magis poterit priuare coniugem hereticum.*

5 *Matrimonij vinculum, licèt coniux fidelis possit separari à coniuge heretico, non tamen dissoluitur contra Ostiensem, & Ioannem Andream, qui volunt, Ecclesiam posse in pœnam delicti statuere, quod matrimonium propter heresim dissoluatur. At minùs rectè casu quo matrimonium fuerit consummatum.*

6 *Amplia id adeò verum esse, vt etiam matrimonium inter infideles consummatum indissolubile sit; quia lex Christi Domini, qua præcipitur indissolubilitas matrimonij ad infideles etiam se extendit; quamuis dissoluatur casu quo alter coniugum ad fidem conuertatur.*

7 *Matrimonium ratum non consummatum potest ex iusta causa dispensari à Summo Pontifice.*

8 *Diuortium ex eo conceditur propter heresim secundùm aliquos; quia conceditur à Christo Domino propter fornicationem, quia heresis est quædam fornicatio spiritualis; cum per fidem homo prius desponsetur Deo, iuxta illud Osea 2. desponsabo te mihi per fidem; quamuis hæc ratio aliis minùs probetur; heresis enim dicitur fornicatio metaphorica, non propriè.*

9 *Coniux hereticus si priusquam de heresi condemnetur, resipiscat, tenetur coniux fidelis illum ad societatem coniugalem recipere: ratio enim, cur ante condemnationem fiat diuortium, est periculum conuersionis.*

10 *Coniux fidelis, seu Catholicus recedens propter heresim à coniuge heretico propria auctoritate, tenetur illum, si ab heresi resipiscat, recipere ad societatem coniugalem, contra plures Doctores.*

11 *Coniugi fideli non est verum, quod in* cap. finali de conuers. coniug. *concedatur facultas non recipiendi coniugem hereticum emendatum, si coniux fidelis velit fieri Religiosus. Neque est verum, quod* cap. de illa de diuort. coniugator. per dictum cap. finali de conuers. coniug.

12 *Separatio dicitur tunc esse facta per auctoritatem iudicis Ecclesiastici, quando coniux hereticus est condemnatus de heresi, neque requiritur, quod iudex ferat specialem sententiam de diuortio; quia statim ac quis est declaratus per iudicis sententiam hereticus, censetur esse condemnatus.*

Ex

1 EX dictis habetur secundò, posse coniugem separari quoad habitationem ab altero coniuge, si iste alter coniux incidat in hæresim, vel apostasiam (quamdiu scilicet iste alter coniux permanserit in hæresi, vel apostasia) Patet etiam *ex c. Non solùm, c. Idololatria 28. q. 1. c. finali de conuers. coniug. c. quanto, & cap. 2. de diuortiis.* Vbi & redditur ratio; ob periculum scilicet, ne fidelis peruertatur ab hæretico: quod valde timendum est in tanta familiaritate, & coniunctione coniugali, vt propterea fieri debeat separatio supradicta.

2 Similiter; quamdiu alter coniux permanserit in hæresi, vel apostasia, poterit etiam coniux fidelis ab eo separari quoad torum; ita vt possit ei non reddere debitum; Ioannes Andreas *in c. 1. de diuort. n. 2.* Abbas *ibid. in fin.* Anchar. *n. 2.* Rosell. *verb. Impedimentum, impedimento 9. n. 4.* Abul. *in c. 19. Matthæi q. 70.* & alij passim; quia esset idem periculum, ne scilicet fidelis peruerteretur ab hæretico; & patet etiam *ex c. finali de hæret. in 6.* Ibi: *Absolutos se nouerint à debito fidelitatis, dominij, & totius obsequij, quicumque lapsis manifestè in hæresim aliquo pacto, quacumque firmitate vallato, tenebantur astricti.* ergo eo ipso, quod quis coniux incidit in hæresim, vel apostasiam, priuatur à omni iure, quod in alterum coniugem habebat; ita vt, sicut vnus coniux liberatur ab onere, & obligatione reddendi debitum, ita etiam & alter priuetur iure petendi debitum.

3 Confirmatur; quia potest Ecclesia hæreticum priuare amissione bonorum, patriæ, &c. Ergo multò magis poterit illum priuare amissione iuris petendi debitum; ita vt coniux Catholicus non teneatur illi reddere debitum.

4 Confirmatur secundò; quia si coniux per copulam cognoscat consanguineam suæ coniugis, Ecclesia de facto priuat illum iure petendi debitum, & alter non tenetur ei reddere debitum (sicuti rectè tradunt Ostiensis *in c. Transmissa in fin. de eo, qui cognoscit consanguineam.* Ioannes Andreas *ibid. circ. fin.* Henricus *n. 3.* Abbas *n. 7.* Couarruuias *in 4. decret. 2. p. c. 7. §. 3. n. 5.* Victoria *in sum. de matrim. n. 288.* & alij communiter. Imò vniuersaliter (ob connexionem scilicet inter se) quotiescumque vnus coniux emittit ius petendi debitum, alter liberatur ab obligatione reddendi debitum. Paludanus *in 4. dist. 32. q. 1. a. 2. concl. 4. n. 9.* Almaynus *q. vnic.* S. Antoninus *1. p. tit. 1. c. 20. §. 10.* & alij passim.) Ergo multò magis Ecclesia poterit priuare coniugem hæreticum iure petendi debitum, & liberare coniugem Catholicum ab obligatione reddendi debitum & cohabitandi cum illa.

5 Aduerte tamen, quod licet coniux fidelis possit separari à coniuge hæretico propter hæresim, non tamen vinculum matrimonij dissoluatur propter hæresim; sicuti patet *ex c. 1. & ex c. Quanto de diuortiis.* & *ex Trid. Concilio sess. 24. de matrim. canon. 5.*

Quamuis Ostiensis *in c. ex parte 2. de conuersion. coniug. verb. Ratum n. 2.* & Ioannes Andreas *ibid. n. 3.* velint, quod Ecclesia possit in pœnam delicti statuere, quod matrimonium dissoluatur propter hæresim, scilicet si alter coniux in hæresim, vel apostasiam inciderit, vti suprà dicebam.

At minùs rectè casu, quo matrimonium fuerit consummatum, quia matrimonium consummatum est de iure diuino indissolubile, *Matth. 19.* Ibi: *Quos Deus coniunxit, homo non separet.* & 1. Cor. 7. *Iis, qui matrimonio coniuncti sunt, præcipio non Ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere;* & Rom. 7. *Mulier viuente viro alligata est legi.* Ita vt in nullo casu Summus Pontifex dispensare possit in matrimonio consummato. Couarruu. *in 4. decret. p. 2. c. 7. §. 4. n. 15.* Henriq. *lib. 11. de matrim. c. 2. n. 3.* & alij, quos sequitur Barbosa *in rubr. ff. solut. matr. part. 2. n. 19.*

6 Quod adeò verum est, vt etiam matrimonium inter infideles consummatum indissolubile sit, quia lex Christi Domini, qua præcipitur indissolubilitas matrimonij, etiam ad infideles se extendit; sic Doctores, quos sequitur Abulensis *in 1. Reg. c. 8. q. 45.* Quamuis tamen Christus Dominus dispensauerit, quod dissoluatur, casu, quo alter coniugum ad fidem conuertatur, vti patet *ex 1. Cor. cap. 7.*

7 Cæterùm, si matrimonium non fuerit consummatum; sed tantùm ratum, in tali casu poterit Pontifex ex iusta causa dispensare. Innocentius *in cap. ex publico de concession. circa fin.* Ioannes Andreas *ibid. n. 9.* & Abbas *in c. final. de spons.* Henricus *ibid. n. 4.* Imola *in c. final. de transact. n. 5.* Angelus *in sum. verb. Impedimentum 3. impedim. 13. n. 3.* Syluester *verb. Diuortium q. 4.* & alij complures. Quod adeò verum est, vt de facto Summus Pontifex pluries dispensauerit, vt infrà, cùm dicam de Apostatis, fugitiuis, & eiectis circa finem.

8 Aduerte secundò, quod Rosella *verb. Impedimentum, impedim 9. & verb. Diuortium n. 13.* Syluester *eod. verb. Diuortium q. 10.* Castro *lib. 2. de leg. pœn c. 4.* Abbas *in c. final. de conuersion. coniug. n. 1.* Ioannes Andreas *in c. 1. de diuortiis.* Ancharanus *ibid. n. 2.* & alij putent, rationem (cur possit fidelis separari à coniuge hæretico quoad torum, & cohabitationem) esse, quia conceditur à Christo Domino diuortium propter fornicationem, *Matth. 5. & 19.* Sed hæresis est fornicatio quædam spiritualis (cum per fidem homo primò desponsetur Deo, iuxta illud Oseæ 2. *Desponsabo te mihi per fidem.* Quæ desponsatio violatur per hæresim) ergo (cùm à Christo Domino concedatur diuortium propter hæresim, quæ comprehenditur sub nomine fornicationis; cùm nomen fornicationis complectatur tam fornicationem carnalem, quàm spiritualem.

Quamuis aliis (vt Soto *in 4 dist. 16. q. vnica art. 1. ad 2.* Abulensi *in c. 19. Matthæi q. 70.* & Bellarmino *lib. 1. de matrim. c. 14.*) hæc ratio minùs probetur; & rectè, quia hæresis dicitur fornicatio minùs propriè, & per quamdam metaphoram; & propriè fornicatio dicitur illa, quæ est carnalis; at ex Augustino *lib. 3. de doctrina Christiana* (quem communiter sequuntur Theologi) quotiescumque non est ratio, vel absurdum euidens in contrarium) propriè, quantum fieri potest, intelligi debent (siquidem alioquin nunquam aliquid purum exhauriri posset ex sacris Scripturis.) Ergo, &c.

9 Aduerte tertiò, quod, si coniux hæreticus, priusquam de hæresi condemnetur, resipiscat, teneatur coniux fidelis illum ad societatem coniugalem recipere. *cap. non solùm 28. q. 1. & c. 2. de diuortiis.* Et probatur; quia ratio, cur ante condemnationem de hæresi fiat diuortium, est propriè periculum subuersionis; sed periculum subuersionis, quando hæreticus resipiscit, & corrigi paratus est, cessat; ergo. In quo differt hæresis ab adulterio carnali; quia coniux innocens non tenetur coniugem adulterum (quamuis coniux adulter resipiscat) recipere ad societatem coniugalem; cùm fides coniugalis sit violata etiam per vnicum actum; & cum (quamuis adulter resipiscat, non cesset esse illa violata, sicuti cessat periculum subuersionis. Sanctus Thomas *in 4 dist. 35. q. vnic. a. 1. ad 3.* S. Bonauentura *ibid. dist. 39. in expositione literæ n. 4.* Ostiensis *in c. final. de conuersion. coniugum in princ.* Antoninus *ibid. n. 2.* Ioannes Andreas *n. etiam 2.* Henricus *in c. Quanto de diuortiis n. 7.* & alij passim.

10 Aduerte quartò, quod licet coniux fidelis, seu Catholicus recedens propter hæresim à coniuge hæretico propria auctoritate, teneatur illum, si ab hæresi resipiscat, recipere ad societatem coniugalem; vti dicebam, si tamen ab eo recedat, seu separetur per sententiam iudicis Ecclesiastici, non teneatur illum similiter (etiamsi similiter resipiscat) recipere ad eamdem dictam societatem coniugalem. Castro *lib. 2. de iust. hæretic. punit. c. 7.* Couarruuias *in 4. decret. part. 2. c. 7. §. 5. n. 5.* Abulensis *in c. 19. Matthæi q. 72. & 73.* & Barbosa *in rubric. part. 2. n. 20. ff. solut. matrim.* quamuis quid in contrarium sentiant Glossa *in c. de illa de diuortiis in fin.* Ostiensis *ibid. n. 1.* Ioannes Andreas *n. 3.* Antoninus *n. 4.* Ancharanus *n. 5.* Præpositus *n. 7.* Alexander *n. 3.* Supplementum Gabrielis *in 4. dist. 32 q. vnic. a. 2. concl. 6.* Sotus *ibid. dist. 39. quæst.*

quæst.vnic.art.4.ad 3. Abulensis *in cap.17. Matthæi qu. 70.* Ananias *in cap.quanto de diuortiis num.11.* Ostiensis *ibid. in fin.* Iulius Clarus *lib.5 recept. §.hæresis num.15.* & Surdus *de alimentis tit.7. q.21. n.7.* quatenus aiunt, coniugem Catholicam non teneri quidem recipere hæreticum emendatum ad consortium coniugale post sententiam latam à iudice, si velit fieri Religiosus; teneri tamen, si velit remanere in sæculo.

Probatur *ex citato capite de illa de diuortiis.* Ibi: *De illa, quæ à viro suo labente in hæresim ipsius consortium sine iudicio Ecclesiæ declinauit, videtur nobis, quod mulier ei cùm conuersus fuerit, sit reddenda, quæ etsi remeare noluerit, compellatur; si verò iudicio Ecclesiæ ab eo recessit, ad recipiendum eum nullatenus dicimus compellendam.* Quibus verbis expressè deciditur, quod post sententiam iudicis Ecclesiastici, non teneatur coniux fidelis coniugem hæreticum emendatum recipere ad consortium coniugale.

11 Obiicies fundamentum Aduersariorum: *in cap. finali de conuersion. coniug.* conceditur coniugi fideli facultas non recipiendi coniugem hæreticum emendatum, si coniux fidelis velit fieri Religiosus: ergo exinde clarè colligitur, quod è contra teneatur illum recipere, si velit remanere in sæculo; neque obstat, quod *in d.c. de illa de diuortio*, coniugi fideli liberè concedatur separatio, quia dictum *cap. de illa* corrigitur per dictum *cap. finale, & per cap. Quanto de diuortiis*, sicuti notat Glossa *in d. c. de illa circa fin.*

Respondetur: Nego Assumptum tanquam quid falsum; sicut & falsum etiam est, dictum *cap. de illa de diuort.* corrigi per dictum *cap. finale de conuersion. coniug.* quia coniux fidelis ibi non cogitur ingredi Religionem, sed datur ipsi facultas, & optio, quod possit ingredi, si velit, non tamen propterea ibi habetur, teneri recipere hæreticum emendatum, si velit remanere in sæculo, sed datur ipsi sicuti dicebam, facultas, & optio, etiam vsque eo, quod possit ingredi, si velit; & multò minùs corrigitur per dictum *cap. Quanto de diuortiis*; quia *in dicto cap. Quanto de diuortiis*, solùm est sermo de muliere, quando se separauit à coniuge hæretico propria auctoritate, non autem quando separatio facta est auctoritate iudicis Ecclesiastici; & quidem in casu priori tenetur, vti dicebam, illum admittere, & recipere ad societatem coniugalem; non tamen sic etiam in casu posteriori.

12 Aduerte quintò, quod tunc dicatur separatio esse facta per authoritatem iudicis Ecclesiastici, quando coniux hæreticus est condemnatus de hæresi; nec requiratur, quod iudex ferat specialem sententiam de diuortio. Couarruuias *in 4. decret. part.1. c.7. § 5. n.5.* Henriquez *lib.11. cap.17. num.6.* & Barbosa *in rubric. part.2. ff. solut. matrimonio n.21.22.* quia statim atque quis est declaratus per iudicis sententiam hæreticus, censetur esse condemnatus, vt bonis suis priuetur, & aliis pœnis contra hæreticos latis puniatur; & consequenter, quod etiam debitum petendi iure spolietur, & diuortij pœna puniatur; cùm diuortium sit vna pœna ex aliis pœnis hæresis crimini annexa. Castro *lib.2. de iust. hær. punit. c.7.* Valentia *in controuers. lib. de indissolubil. matrim. cap.17. n.16.* & alij passim.

PETITIO

An, quando per sententiam iudicis facta fuit separatio propter hæresim, possit coniux Catholicus (sicut ingredi Religionem) sic & suscipere ordines sacros?

SVMMARIVM.

1 *Coniux Catholicus quando per sententiam iudicis*

facta fuit separatio propter hæresim, sicut potest ingredi Religionem, ita etiam secundum probabiliorem sententiam suscipere ordines sacros; quia quando per sententiam iudicis facta fuit separatio potuit vir innocens ob fornicationem carnalem alterius coniugis, etiam inuita adultera, suscipere ordines sacros.

2 *Coniux innocens quotiescumque potest ingredi Religionem, potest etiam suscipere ordines sacros.*

3 *Nullus coniux post matrimonium contractum potest suscipere ordines sacros, nisi in illis casibus, in quibus conceditur per sacros canones; at in casu nostro sufficit si extet Textus, in quo conceditur, quod ob hæresim coniugis possit alter coniux Catholicus ingredi Religionem; nam eo ipso censetur concedi facultas suscipiendi Ordines sacros.*

4 *Vir*, *vt habetur* in cap. Coniugatus de conuers. coniug. *non potest suscipere ordines sacros, nisi vxor in sæculo remanens emittat votum castitatis; at dictum capitulum loquitur, quando coniux non est liber ab onere coniugali; & ideò non applicatur præsenti casui.*

Respondetur, quod (quamuis negent Innocentius *in cap Veniens circa fin. de conuers. coniug.* Ostiensis *ibid. n.8. & 9.* Ioannes Andreas *n.4.* Antonius *n.4.* & quidam alij, quatenus aiunt, quod possit quidem vir ob adulterium vxoris, & vxor ob adulterium viri ingredi Religionem, eo quod sic decisum sit *in cap. constitutus, in cap. veniens, & cap. Agathosa 27. q.2.*) Probabiliùs tamen affirmant Sotus *in 4. dist.39. q. vnic. art.4. ad 3.* Palatius *ibid. dist.35. disput. vnic.* Roderiq. *tom.1. cap.230. num.2.* & alij, quos sequitur Barbosa *in rubrica part.2. num.20. ff. solut. matrim.* 1

Probatur; quia, quando per sententiam iudicis facta fuit separatio, potest vir innocens ob fornicationem carnalem alterius coniugis, etiam inuita adultera, suscipere ordines sacros: ergo etiam poterit ob fornicationem spiritualem, quæ est hæresis. Consequentia patet à pari. Antecedens tradunt Paludanus *in 4. dist.27. q.3. a.2. n.10* Sotus *ibid. q.1. a.4. in fin.* Glossa *in cap. Constitutus de conuers. coniug. verb. ad gradum.* Abbas *ibid. n.57.* Antonius *n. 4.* Syluester *verb. diuortium q.17. dicto 2. n.20.* Armilla *eod verb. n.11.* S. Antoninus *3. part. tit.1. cap.21. §.1. circa fin.* Henriquez *lib.11. de matrim. c.8. n.10.* & Corduba *in summ. q.137.*

Confirmatur, quia quotiescumque potest coniux innocens ingredi Religionem, potest etiam suscipere Ordines sacros. Paludanus, Sotus, Syluester, & Armilla *in locis suprà citatis.* Sed coniux fidelis ob hæresim alterius coniugis potest ingredi Religionem ex dictis *suprà & ex cap. finali de conuers. coniug.* Ergo etiam & poterit suscipere Ordines sacros. 2

Obiicies: Post matrimonium contractum nullus coniux potest suscipere Ordines sacros, nisi in illis casibus, in quibus, (vt habetur *in extrauag. antiqua Ioannis XXII. de Voto*) conceditur per sacros canones: at nullus extat Textus canonicus: in quo id concedatur in casu nostro: ergo. 3

Respondetur: Nego minorem; quia sufficit, si extet Textus, in quo conceditur, quod ob hæresim coniugis possit alter coniux Catholicus ingredi Religionem; nam eo ipso censetur etiam concedi, quod & possit suscipere Ordines sacros; siquidem ius coniugij, sicut impedit, ne coniux ingrediatur Religionem; sic etiam impedit, ne suscipiat Ordines sacros; cùm ergo coniux hæreticus, postquam fuit condemnatus de hæresi, amittat omne ius coniugale, sequitur, quod sicut potest alter coniux innocens, & fidelis ingredi Religionem, sic etiam & possit suscipere Ordines sacros.

Instabis: *In cap coniugatus de conuers. coniug.* dicitur, quod non possit vir suscipere Ordines sacros, nisi vxor in sæculo remanens emittat votum castitatis: Ergo, si in casu nostro vxor hæretica, & emendata 4

nolit emittere tale votum, vir innocens, & fidelis non poterit suscipere ordines sacros.

Respondetur, nego consequentiam; quia dictum cap. coniugatus intelligitur, quando coniux non est liber ab onere coniugali: tunc enim vltrò concedo, quod vir non possit (quamuis vxor det ei facultatem) ingredi Religionem, nec suscipere ordines sacros, nisi illa remanens in sæculo emittat votum castitatis; at secus, quando vir est omninò liber ab omni onere coniugali; sicut est in casu nostro: tunc enim non requiritur, quod vxor similiter emittat prædictum votum castitatis.

COROLLARIVM III.

An coniux hæreticus, condemnatus de hæresi, & facta separatione per iudicis sententiam, possit sine consensu coniugis innocentis ingredi Religionem, vel suscipere ordines sacros?

SVMMARIVM.

1 *Coniux hæreticus condemnatus de hæresi, & facta separatione per iudicis sententiam, non potest sine consensu coniugis innocentis ingredi Religionem, vel suscipere ordines sacros, quia si fiat diuortium propter fornicationem carnalem, non potest adulter, inuito altero coniuge innocente, ingredi Religionem.*

2 *Innocens, ad cuius petitionem fertur sententia diuortij propter adulterium carnale alterius coniugis, videtur cedere iuri suo, & concedere alteri facultatem ingrediendi religionem, & suscipiendi ordines sacros: tamen id non debet concedi in adulterio spirituali ob crimen hæresis.*

3 *Coniux innocens si post latam sententiam de hæresi alterius coniugis nocentis, monitus fuerit, quod illum iam emendatum recipiat; sed recipere recusset, potest tunc prædictus alter coniux nocens ingredi Religionem; quia sic proceditur etiam in adulterio carnali.*

4 *Coniux nocens iam emendatus vt ingredi possit Religionem, requiritur multiplex admonitio; quia iustum non videtur, vt statim atque semel coniux innocens fuerit admonitus, debeat illum recipere ad societatem coniugalem.*

5 *Coniux hæreticus, vel adulter iam emendatus, si Religionem post latam de diuortio sententiam ingrediatur, & coniux innocens id notum habuerit, & cùm potuerit contradicere, non contradicit, valet professio; quia censetur tunc dedisse facultatem ingrediendi Religionem.*

1 EX dictis habetur tertiò, non posse; & docent Sotus *in 4. dist. 39. q. vnic. art. 4. ad 3.* Palatius *ibid. dist. 35. disp. vnic.* Angelus *verbo diuortium q. 10.* Armilla *eodem verbo n. 8.* & alij, quos sequitur Barbosa *in rubric. part. 2. ff. solut. matrim.* Et vlteriùs.

Probatur; quia, si fiat diuortium propter fornicationem carnalem, non potest adulter, inuito altero coniuge innocente, ingredi Religionem: ergo neque similiter etiam, si fiat diuortium propter fornicationem spiritualem, scilicet propter hæresim; consequentia patet à pari. Antecedens tradunt Glossa *in cap. ex literis, verbo redire de diuort.* Syluester *verb. Matrimonium, q. 11.* S. Antoninus *part. 3. tit. 1. cap. 21. §. 6.* & alij, quos sequitur Barbosa *vbi suprà*, & suadet ratio; quia adulter, etiam post latam sententiam, tenetur redire ad consortium coniugale (si coniux innocens id petat) cùm per sententiam iudicis latam de diuortio coniux innocens non priuetur iure, & dominio, quod habet in corpus alterius coniugis; alioquin sententia lata iudicis aduersùs reum esset in fauorem illius, contra id, quod habetur *in leg. euidenter ff. de exception. rei iudic.* & alioquin adulter ex delicto commodum reportaret, contra id, quod habetur *in leg. itaque ff. de furtis.* Et notat Sanctus Thomas *in 4. distinct. 35. quæstione vnica, art. 6. ad 3.* Sanctus Bonauentura *ibidem articulo vnico, quæst. 5.* Maior *q. 1. circa finem.* S. Antoninus *part. 3. tit. 1. cap. 21. §. 6.* Abbas *in cap. ex literis de diuort. circa fin.* Ostiensis *ibidem num. 2.* Ioannes Andreas *num. 1.* Alexander *num. 20.* Abulensis *in cap. 19. Matthæi q. 75.* & alij passim.

Confirmatur; quia etiamsi concederetur, quod in adulterio carnali non possit coniux adulter post emissam in Religione professionem, vel post susceptos ordines sacros redire ad coniugem innocentem (si coniux innocens petat, vt redeat, & adulter ingressus sit Religionem, vel susceperit ordines sacros, sine facultate coniugis innocentis, post latam scilicet sententiam de diuortio; sicuti volunt Paludanus *in 4. distinct. 35. quæstione 2. articulo 3. numero 16.* Sotus *in 4. dist. 36. quæstione vnica, articulo 6. ad 2.* Henriquez *libro 11. de matrimonio, capite 17.* Ex eo, quod, vt inquiunt ipsi, innocens, ad cuius petitionem fertur sententia diuortij propter adulterium carnale alterius coniugis videtur cedere iuri suo, & concedere alteri facultatem impediendi Religionem, vel suscipiendi ordines sacros) tamen id etiam concedi non debet in adulterio spirituali (cùm quando fit diuortium ob crimen hæresis, tale diuortium fiat in pœnam hæresis, vbi coniux fuit de hæresi condemnatus; & diuortium sit pœna coniuncta hæresi, licèt coniux fidelis non petat, quod feratur sententia de diuortio) ergo, si hæreticus emendatus ingrediatur Religionem, poterit coniux innocens, & fidelis illum reuocare; cùm non potuerit ille profiteri in præiudicium coniugis innocentis; nec coniux innocens censeatur cessisse iuri suo, & facultatem dedisse coniugi nocenti, quod ingrederetur Religionem, vel susciperet Ordines sacros.

Aduerte tamen, quod, si coniux innocens, post latam sententiam de hæresi alterius coniugis nocentis, monitus fuerit, quod illum, iam emendatum, recipiat, sed recipere recuset, possit tunc prædictus alter coniux nocens, iam emendatus, ingredi Religionem, & non possit post emissam professionem à coniuge innocente reuocari. 3

Probatur; quia in adulterio carnali, post latam sententiam de diuortio, & post præmissam monitionem, quod velit coniux innocens coniugem adulterum sibi reconciliare, potest coniux adulter ingredi Religionem, & non potest post professionem à coniuge innocente reuocari: ergo idem dici debet in casu nostro de adulterio spirituali. Consequentia patet à pari. Antecedens tradunt Ostiensis *in cap. Gaudemus de conuers. coniug. n. 3.* Cardinalis *ibid. num. vnic.* Ioannes Andreas *num. 3.* Abulensis *in cap. 19. Matthæi q. 75. 76.* & alij passim; & suadet ratio; quia coniux innocens recusans alterum coniugem, iam emendatum recipere, & sibi reconciliare, videtur tacitè illi concedere facultatem vt possit ingredi Religionem, quandoquidem, si denegans illi reconciliationem, nolit concedere facultatem ingrediendi Religionem, irrationabiliter agit; ita vt talis nolitio tanquam irrationabilis, attendenda non sit.

Quamuis, vt prædictus coniux nocens, iam emendatus, ingredi possit Religionem, requiratur multiplex admonitio; quia iustum non videtur, vt statim atque semel coniux innocens admonitus fuerit, debeat illum recipere ad societatem coniugalem, & sibi reconciliare. Ancharan. *in d. c. Gaudemus de conuers. coniug. n. 2.* Antoninus *ibid. circa fin.* Astensis *part. 2. lib. 8. tit. 11. art. 3.* & alij complures. 4

Aduerte

5 Aduerte secundò, quod si coniux hæreticus, vel adulter, iam emendatus, Religionem post latam de diuortio sententiam ingrediatur, & coniux innocens id notum habuerit, & (cùm potuerit contradicere) non contradixit, valeat professio; quia censetur tunc coniux innocens dedisse illi facultatem ingrediendi prædictam religionem. Syluester *verbo Matrimonium* 9. *q.* 11. Tabiena *eodem verbo Matrimonium* 4. *q.* 5. *n.* 6. S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 12. §. 6. & alij communiter.

COROLLARIUM IV.

An, si coniux fidelis, sciens, alterum coniugem incidisse in hæresim, habeat copulam cum illo, possit amplius ab illo per diuortium separari?

SUMMARIUM.

1 *Coniux fidelis sciens alterum coniugem incidisse in hæresim, si habeat copulam cum illo, potest amplius ab illo per diuortium separari, nisi habuerit expressam voluntatem remittendi illi ius, quod sibi competit diuertendi à prædicto coniuge post sententiam; Ratio enim, cur coniux, qui deliquit, non possit petere debitum à coniuge innocente, est, quia coniux innocens vult vti iure diuortij.*

2 *Oculus ad hoc vt eliciat actus visionis, quos elicere non potest propter aliquod impedimentum, quod ei opponitur, solùm requiritur, quod remoueatur huiusmodi impedimentum, quo remoto, statim oculus potest elicere prædictos actus.*

3 *Excommunicatio si tollatur à iudice excommunicato, statim ille (cum ipso per excommunicationem potestas iudicis non sit extincta, sed solùm suspensa, seu impedita) potest exercere actus iudici competentes.*

4 *Quando quis tacitè repudiat hæreditatem, hæreditas illa transit ad substitutos, & non requiritur illorum acceptatio.*

5 *Coniux innocens quando renunciat iuri acquisito per diuortium, & non ampliùs vti vult iure diuortij, statim ad ius petendum vocat coniugem nocentem virtute vinculi matrimonij, quod non fuit dissolutum, sed tantum ex parte suspensum.*

6 *Coniux fidelis si copulam habeat cum coniuge hæretica, vel è contra post sententiam latam de hæresi, non tenetur illam recipere ad pristinam societatem coniugalem; quia nullo iure habetur, quod coniux innocens petens debitum à coniuge adultera, vel hæretica, iam emendata, vel è contra, condonet iniuriam sibi factam per adulterium carnale, vel spirituale.*

7 *Nouitius, si post annum elapsum vestibus Professorum vtatur, aliosque actus Religiosis Professis competentes exerceat; sed tamen animum profitendi non habeat, quamuis in foro externo Professus præsumatur, reuera tamen ob defectum voluntatis Professus non erit; quia actus non operatur vltrà intentionem agentis.*

1 EX dictis habetur quartò, quod si coniux fidelis sciens alterum coniugem incidisse in hæresim, habeat copulam cum illo, priusquam ille de hæresi fuerit condemnatus, possit talis coniux innocens post sententiam de alterius coniugis hæresi latam ab illo per diuortium separari. Nec censendum sit, quod delictum illi condonauerit per priorem copulam cum eodem habitam, nisi quando haberet expressam voluntatem remittendi illi ius, quod sibi competit diuertendi à prædicto coniuge post sententiam latam: quamuis si habeat voluntatem expressam remittendi illi tale ius per illam copulam cum eodem habitam, valeret remissio, & condonatio, etiamsi per solam mentem facta fuerit; & non requiritur, quod alter coniux, cui talis condonatio, & remissio facta fuit, talem condonationem, & remissionem acceptet: Hoc Corollarium quoad omnes partes patet; quoad vltimam tamen (scilicet, quod non requiratur acceptatio, in qua est aliqua difficultas.)

Probatur; quia ratio, cur coniux, qui deliquit non possit petere debitum à coniuge innocente, est; quia coniux innocens vult vti iure diuortij: ergo statim atque hæc voluntas cessat, recuperat alter coniux illud ius; & alia acceptatio non requiritur.

Confirmatur: Ad hoc, vt oculus eliciat actus visionis, quos elicere non potest propter aliquod impedimentũ, quod ei opponitur, solùm requiritur, quod remoueatur huiusmodi impedimentum; quo remoto, statim oculus, (cùm in ipso remaneat integra potentia visiua) potest elicere prædictos actus visionis, & quid aliud non requiritur: ergo similiter in casu nostro (cùm vinculum matrimonij remaneat etiam integrum, & illæsum, & solùm sit impedimentum, quia coniux innocens vult vti iure diuortij) si huiusmodi impedimentum remoueatur, statim alter coniux, qui deliquit, recuperabit pristinum ius; & alia acceptatio non requiritur. 2

Confirmatur secundò: Si à iudice excommunicato tollatur excommunicatio, statim ille (cum in ipso per excommunicationem potestas iudicis non sit extincta, sed solum suspensa seu impedita) potest exercere actus iudici competentes; & quid aliud non requiritur: ergo similiter (cùm ob hæresim non sit extinctum vinculum matrimonij, sed solùm coniux reus sit impeditus, vt ob hæresim ab altero coniuge debitum petere possit) statim, atque tollitur huiusmodi impedimentum (quod tollitur, quotiescumque alter coniux cedit iuri suo) recuperat coniux hæreticus, iam emendatus, ius petendi, & alia acceptatio non requiritur. 3

Confirmatur tertiò, quando quis tacitè repudiat hæreditatem, statim hæreditas illa transit ad substitutos; & non requiritur illorum acceptatio: ergo similiter etiam, quando coniux innocens renunciat iuri suo acquisito per diuortium, & non ampliùs iure diuortij vult vti, statim coniux nocens recuperat ius petendi; & alia acceptatio non requiritur. 4

Non obstat, si dicas: quod, quando quis tacitè repudiat hæreditatem, statim hæreditas illa transit ad substitutos; quia ad hæreditatem illam substitutos vocat ipsum testamentum. 5

Respondetur enim, quod similiter etiam, quando coniux innocens renunciat iuri acquisito per diuortium, & non ampliùs iure diuortij vult vti, statim ad ius petendum vocat coniugem nocentem, ipsum vinculum matrimonij, quod nunquam fuit dissolutum, sed tantùm suspensum, seu impeditum ex parte coniugis nocentis.

Aduerte tamen, quod si coniux fidelis copulam habeat cum coniuge hæretica (vel è contra) post sententiam latam de hæresi, non teneatur illam recipere ad pristinam societatem coniugalem, si non habeat animum ei condonandi, & remittendi ius diuortij, (sicut etiam contingit in adulterio carnali.) 6

Probatur; quia nullo iure habetur, quod coniux innocens petens debitum à coniuge adultera, vel hæretica, iam emendata (vel è contra) condonet iniuriam sibi factam per adulterium carnale, vel spirituale; sed solùm apud sacros canones in casu de adulterio carnali habetur, præsumi factam esse condonationem: quæ verba tantùm significant præsumptionem,

nem, & non iam realiter factam condonationem, seu remissionem: ergo. Consequentia patet. Antecedens probatur; quia hoc modo loquendi (scilicet quod innocens per copulam subsecutam censeatur coniugi nocenti condonare iniuriam, & ius diuortij) vtuntur canones, & leges, inter quas *leg. Quæsitum §. Item quæritur ff. ad legem Iuliam de adulteriis.* Et hoc eodem modo loquendi vtuntur etiam communiter Doctores, inter quos Innocentius *in cap. Inquisitione de sentent. excommunic. num.* 1. Cardinalis *ibidem numero vnico.* Ioannes Andreas *numer.* 3. Sotus *in 4. dist. 36. quæst. vnica, art. 1. in fine corporis*, Supplementum Gabrielis *in 4. dist. 35. quæst. vnica, art. 7. casu 6. in prima conclusione.* Sanctus Antoninus *parte 3. titulo 1. cap. 21. §. 5.* Paulus *libro 5. cons. 402. numero vnico.* & alij passim.

7 Confirmatur; quia, si nouitius post annum elapsum vestibus Professorum vtatur, aliósque actus Religiosis professis competentes exerceat, sed tamen animum profitendi non habeat (quamuis in foro externo Professus præsumatur, reuera tamen ob defectum voluntatis professus non erit;) ut Doctores communiter quos sequitur Nauarrus *comment. 4. de Regular. n. 75.* Ergo etiam in casu nostro ob defectum similiter voluntatis non erit remissio, seu condonatio vera iuris diuortij, sed solùm præsumpta; ita vt sit remissio, seu condonatio vera iuris diuortij requiratur animus remittendi, seu condonandi ius diuortij.

Et ratio à priori est; quia (sicuti habetur *in leg. Non omnes ff. si cert. pet.*) actus non operatur vltra intentionem agentis; sed reuera, qui habet copulam modo suprà explicato, non vult remittere, seu condonare ius diuortij; ergo realiter non erit remissio, seu condonatio vera iuris diuortij.



DVBITATIO CLIV.

An licite possit quis recipere sacramenta ab hæretico in articulo mortis?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus non toleratus amittit iurisdictionem, & propterea non potest efficere validos actus qui iurisdictionem requirunt.*

2 *Hæreticus non toleratus non potest absoluere, excommunicare, Indulgentias dare, vel quid aliud simile facere: secus inualidè faceret.*

3 *Excommunicatus non potest excommunicare, & excommunicatus ab hæretico pro excommunicato non reputatur.*

4 *Excommunicatus ad iudicandum non recipitur, quia iurisdictio datur, & aufertur per Ecclesiam, & præcipue aufertur propter hæresim.*

5 *Ab hæretico etiam nominatim excommunicato, suspenso, & degradato in articulo mortis licite quis potest recipere baptismum, si tunc non sit alius, qui baptizare possit.*

6 *Qui in articulo mortis ab hæretico baptismum suscepit expressè laudatur* in cap. si quem in fine 24. quæst. 1.

7 *Hæreticus quod non possit conferre baptismum in casu necessitatis, non videtur esse mens Ecclesiæ, imò in casu necessitatis constitutus non solùm potest, sed tenetur recipere.*

8 *In articulo mortis potest quis licitè à Sacerdote hæretico etiam similiter nominatim excommunicato, suspenso, & degradato recipere sacramentum Pœnitentiæ secundùm communiorem Theologorum sententiam; quamuis contrarium non improbabiliter teneant aliqui ibi relati.*

9 *In articulo mortis absolutè, & vniuersaliter dicitur in Concilio Arausicano, & Tridentino omnes Sacerdotes absoluere posse.*

10 *Qui omnes dicit, neminem excludit.*

11 *In articulo mortis ex Concilio Tridentino quilibet excommunicatus, & hæreticus absolui potest ab omnibus peccatis & censuris; ergo sic etiam quilibet Sacerdos etiam excommunicatus & hæreticus absoluere potest in eodem articulo constitutum; cum Concilium de vtraque parte eodem modo loquatur.*

12 *In articulo mortis licitè potest quis ab hæretico recipere Baptismum; ergo etiam & sacramentum Pœnitentiæ, cum quilibet in articulo mortis sacramentum Pœnitentiæ recipere teneatur, si sit copia Ministri.*

13 *Sacramentum Pœnitentiæ (sicut Baptismus est necessarius omnibus simpliciter post peccatum originale) ita est necessarium, si non simpliciter omnibus, tamen simpliciter omnibus lapsis.*

14 *Sacramentum Pœnitentiæ dicitur Sacramentum secunda Tabula post peccatum actuale.*

15 *Neque videtur esse mens Ecclesiæ in eo statu denegare potestatem absoluendi Sacerdoti, quamuis hæretico etiam nominatim excommunicato, cùm tunc temporis agatur de æterna salute, & contritio ex alio capite sit valde difficilis.*

16 *Non obstat, quod hæreticus careat iurisdictione; quia in casu necessitatis, v. g. si non sit copia alterius, non videtur ab eo ablata huiusmodi facultas, neque præsumitur Ecclesia extendere prohibitionem suam ad casum tantæ necessitatis.*

17 *Textus* in can. Verbum de Pœnit. dist. 1. & in can. Arianus 1. quæst. 1. *loquuntur extra articulum mortis, & ideò eorum sermo non adaptatur casui, de quo agimus: Ecclesia enim in tali casu concedit omnibus Sacerdotibus facultatem absoluendi propter commune bonum animarum.*

18 *Hæretico, si sit periculum, quod is inferat iniuriam huic Sacramento; quodque non habeat intentionem absoluendi videtur denegata iurisdictio absoluendi etiam in articulo mortis. Et idem dic, si sit periculum peruersionis, vel quod alius fidelibus scandalum præstetur: secus est, si probabiliter suaderetur oppositum.*

19 *In articulo mortis constitutus licet Syluester sentiat, quod tantùm licite possit confiteri Sacerdoti hæretico, si non sit copia alterius Sacerdotis, tamen non solùm licitè potest, sed etiam tenetur cum eodem confiteri.*

20 *Pœnitens in tali casu neque peccabit; quia petit Sacramentum quod Sacerdos (eliciendo scilicet actum contritionis) dignè administrare potest, quod si non fecerit, non imputatur pœnitenti, sed malitiæ Sacerdotis. Quapropter non inducit illum ad peccandum, sed potius peccatum illius permittit. Quidquid dicant alij de Sacerdote parato, & non parato.*

21 *In articulo mortis potest quis licitè à Sacerdote hæretico, etiam similiter nominatim excommunicato, suspenso, vel degradato accipere Sacramentum Eucharistiæ, si non adsit alius, qui illum administret.*

22 *Eucharistiæ sacramentum in articulo mortis est de præcepto, & valde vtile ad salutem, cùm interdum per accidens conferat primam gratiam. Quandoquidem si pœnitens fuerit solùm attritus recipiendo hoc sacramentum fit virtualiter contritus.*

Sanctus

23 *Sanctus Hermenegildus in cap. vltimo 24. quæst. 1. laudatur, quod potius mori voluerit, quam Eucharistiam recipere ab Episcopo Ariano. Sed id præterquam quod non fuit in articulo mortis, Eucharistia ei dabatur per Arianum, tanquam in signum sui consensus in patria hæresim.*

24 *In articulo mortis non potest quis licitè à Sacerdote hæretico, nec etiam à Sacerdote nominatim excommunicato, vel publico Clerici percussore, qui nulla tergiuersatione celari possit, e contra recipere Sacramentum Extremæ Vnctionis.*

25 *Sacramentum Extremæ Vnctionis non est tanta necessitatis, & ordinariè supponit, infirmum esse absolutum à peccatis: & certum non est prædictum Sacramentum non esse de præcepto; tenentque plures Doctores, non esse peccatum mortale, si quis in articulo mortis hoc Sacramentum sine contemptu prætermittat.*

26 *Sacramentum Extremæ Vnctionis non est conferendum tempore interdicti.*

27 *Sacerdos hæreticus, vt suprà, potest etiam administrare hoc Sacramentum in articulo mortis constituto, si eidem aliter succurri non potest, videlicet si sit tantum attritus, quia virtute huius Sacramenti quoad effectum potest fieri contritus.*

1 Respondetur, & dico primò (licèt hæreticus, scilicet non toleratus amittit Iurisdictionem, & propterea non possit efficere validus actus, qui iurisdictionem requirunt. Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 30. *art.* 4. communiter receptus: Vnde, inquit ipse, non potest hæ-
2 reticus absoluere, nec excommunicare, nec Indulgentias dare, vel quid aliud simile facere, quod si fecerit, nihil est factum; & *in cap. audiuimus* 24. *q.* 1. dicitur,
3 quod excommunicatus non possit excommunicare; & *in cap. Apertè eodem loco* habetur; quod is, qui ab hæretico excommunicato non reputetur; & *in cap. Mi-*
4 *ramur ibidem*, aperitur, quod excommunicatus ad iudicandum non recipiatur; & ratio est, quia iurisdictio datur, & aufertur per Ecclesiam: aufertur autem præ-
5 cipuè propter hæresim.) Nihilominus in articulo mortis licitè potest quis ab hæretico, etiam nominatim excommunicato, suspenso, & degradato, recipere baptismum, si tunc non sit alius qui baptizare possit. Sanctus Thomas 3. *part. q.* 64. *art.* 6. *ad tertium*, & *q.* 82. *art.* 7. *ad secundum*, & *in* 4. *dist.* 19. *q.* 1. *art.* 12. *quæstiuncul.* 2. *ad tertium*. Scotus *in* 4. *dist.* 5. *q.* 2. Durandus *ibid. q.* 2. *num.* 7. Thomas de Argentina *quæst. vnica*, *art.* 1. Capreolus *conclus.* 5. & 4. Caietanus 3. *part. q.* 84. *art.* 3. Palatius *in* 4. *dist.* 5. *disput.* 3. Sotus *in* 4. *distinct.* 1. *q.* 5. *art.* 6. Victoria *in summa de baptismo*, *num.* 29. Angelus *verbo Angelus* 1. *num.* 12. Syluester *eodem verbo* 3. *q.* 5. 6. & 7. & *verbo Confessor primo*, §. *vltimo*. Ioannes Medina *Cod. de Confessione*, *q.* 28. Nauarrus *in summa cap.* 22. *num.* 4. Astensis 1. *part. lib.* 4. *tit.* 1. *art.* 3. Couarruu. *in cap. Alma mater*, §. 6. *num.* 8. *conclus.* 8. (vbi dicit esse communem Theologorum opinionem.) Angles *in materia de Sacramentis in genere*, *part.* 1. Bartholomæus Ledesma *de Sacramentis etiam in genere*, *dubit.* 14. Tabiena *verbo Absolutio* 1. *num.* 32. Vgolinus *tabul.* 1. *de censuris*, *cap.* 13. §. 17. Suarez *de censur. disput.* 11. *sect.* 1. *num.* 5. & Sayrus *de censuris etiam lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 12.

6 Probatur primò auctoritate, quia *in cap. signum in fine* 24. *q.* 1. expressè laudatur is, qui in articulo mortis ab hæretico baptismum suscepit.

7 Secundò probatur ratione, quia non videtur esse mens Ecclesiæ, quod in casu necessitatis nolit conferri baptismum ab hæretico, cùm in tali casu etiam infideles possint baptizare: quod adeò verum est in casu necessitatis homo non solùm potest recipere baptismum ab hæretico, sed etiam tenetur, si possit; cùm baptismus, præsertim in dicto casu, necessarius sit ad salutem. Sic Sotus, Victoria, Sayrus, & alij complures *in locis suprà citatis*.

Dico secundò: In articulo mortis potest quis licitè 8
à Sacerdote hæretico, etiam similiter nominatim excommunicato, suspenso, & degradato, recipere Sacramentum Pœnitentiæ. Durandus *in* 4. *dist.* 19. *q.* 2. Paludanus *dist.* 14. *q.* 7. *art.* 2. & *dist.* 25. *q.* 1. *art.* 3. *ad* 3. Maior *dist.* 19. *q.* 1. Sotus *dist.* 18. *q.* 4. *art.* 4. Glossa *in cap. Non est vobis*, *verbo baptismum paruulorum de sponsal.* Nauarr. *in summa cap.* 27. *num.* 271. & *consil.* 23. *de pœnit. & remission.* Cauus *relect. de pœnit. part.* 5. *fol.* 83. Medina *tract.* 2. *de pœnit. q.* 18. *circa finem*. Vasquez etiam *de pœnit. q.* 93. *art.* 1. *dub.* 4. *num.* 8. Reginald. *in Praxi for. pœnitential. lib.* 1. *num* 58. & *seqq.* Sanctus Antoninus 3. *part. tit.* 14. *cap.* 19. §. 16. & 18. Henriquez *lib.* 6. *cap.* 11. §. 8. Angelus *verbo Confessio* 3. *num.* 2. Syluester *verbo Confessor* 1. *q. vltima*, & *verbo Confessor* 3. *q.* 6. Armilla *verbo Absolutio*, *num.* 12. Rosella *verbo Confessio* 3. *num.* 35. Suarez *tom.* 5. *disput.* 11. *sect.* 1. *num.* 7. & 14. Azor *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 11. *q.* 11. & 12. & *cap.* 19. *q.* 5. Gambarupta *de casib. reseruat. cap.* 2. *num.* 54. & *seqq.* Coninch. *de Sacrament. disput.* 8. *dub.* 8. *num.* 15. Iacob. de Graff. *in decis. part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 81. Miranda *in Manual. Prælat. tom.* 1. *num.* 45. *art.* 11. *concl.* 1. Cenedus *ad decretum collect.* 24. *num.* 5. Camerotus *tract. de Confess. dub.* 16. 17. & *seqq.* Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 13. *num.* 5. Victoria *in summa*, *tract. de clauib. num.* 28. Viualdus *de confession. num.* 64. Bonacina *de Sacramentis*, *disput.* 5. *q.* 7. *punct.* 1. *num.* 9. & *de censuris disput.* 1. *q.* 3. *punct.* 3. *num.* 3. Richard. Tapper. *in explicat. art.* 5. §. 5. Ledesma 2. *part. q.* 1. *art.* 6. & *q.* 22. *art.* 1. & Vgolinus *tabul.* 1. *cap.* 14. §. 16. *num.* 12. Quorum sententiæ fauent Sanctus Bonauentura *in* 4. *dist.* 19. *q.* 1. *vers. Quilibet*. Caietanus *verbo Absolutio*, *cap.* 2. *de absolution. ex parte absoluentis verbo necessitas.* Adrianus *q.* 3. *de confession.* Capreolus *in* 4. *dist.* 19. *q. vnica*, *art.* 3. *ad* 4. Pedraza *in summa*, *cap.* 7. Alcoaer *in summa cap.* 9. Catechismus *fol.* 289. Directorium Curatorum *fol.* 144. Polancus *in directorio cap.* 2. & alij; quatenus vniuersaliter docent, quod in articulo mortis quilibet Sacerdos possit absoluere.

Quamuis contrarium non improbabiliter teneant Alensis 4. *part. q.* 80. *membr.* 3. *art.* 2. §. 1. *vers. Item non est.* Richardus *in* 4. *dist.* 18. *art.* 9. *q.* 1. Medina *Cod. de Confession. q. cui debeat fieri confessio*, §. *ad aliud*, & §. *oppositum.* Couarruu. *in cap. Alma mater*, *part.* 1. §. 6. *n.* 8. *concl.* 8. (vbi subdit, hanc esse communem sententiam Doctorum.) Gloss. *in cap. Præter hoc*, *dist.* 32. §. *Ad hoc*, *verbo Per manus*. Abbas *in cap Non est de sponsal. n.* 9. Castro *lib.* 2. *de iust. hæreticor. punit. cap.* 23. & 24. Pisanella *verbo Confessio* 3. *q.* 19. Corduba *in summa casuum q.* 18. Abulensis *in cap.* 16. *Matthæi q.* 83. Turrecremata *in cap. Verbum de pœnit. dist.* 1. *num.* 14. & Astensis *part.* 2. *lib.* 5. *tit.* 14. *q.* 6. (idem sentire videtur S. Thomas *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 3. *quæstiuncul.* 1. *ad secundum*, & *distinct.* 19. *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstiuncul.* 2. *ad* 3. & *in supplemento q* 19. *art.* 6. quatenus expressè aiunt, quod Sacerdos nominatim excommunicatus, præsertim si fuerit hæreticus, non possit absoluere in articulo mortis.

Probatur primò ex Concilio Arausicano *cap.* 3. & ex 9
Concilio Tridentino *sess.* 14. *cap.* 2. *de reformat.* vbi absolutè, vt vniuersaliter dicitur, omnes Sacerdotes absoluere in articulo mortis: ergo etiam id de hæreticis intelligendum erit. Antecedens patet; conse- 10
quentia probatur, quia qui omnes dicit, neminem excludit. *Argumento l. Iubemus*, *ff. de legat.* 3. Tum quia ex Concilio Tridentino in articulo mortis quili- 11
bet excommunicatus, & hæreticus absolui potest ab omnibus peccatis, & censuris; ergo sic etiam in eodem articulo mortis quilibet Sacerdos, etiam excommunicatus, & hæreticus, absoluere potest constitutum in prædicto articulo mortis; cùm Concilium eodem modo (tam ex parte eius, qui debet absoluere, quàm ex parte eius qui debet absolui) vniuersaliter loquatur.

HHh 3 Secundò

12 Secundò probatur ratione, quia ex dictis suprà in
articulo mortis, licitè potest quis ab hæretico recipere
baptismum: ergo etiam & Sacramentum Pœnitentiæ,
cùm quilibet in articulo mortis Sacramentum Pœni-
13 tentiæ recipere teneatur, si sit copia ministri; tum cùm
Sacramentum Pœnitentiæ, sicut baptismus est necessa-
rius omnibus simpliciter post peccatum originale:
(quapropter baptismus dicitur Sacramentum primæ
tabulæ post peccatum originale.) Ita sit & necessarium
si non simpliciter omnibus, tamen simpliciter omnibus
14 lapsis: (quapropter Sacramentum Pœnitentiæ dicitur
Sacramentum secundæ Tabulæ post peccatum actuale.)

15 Confirmatur, quia non videtur esse mens Ecclesiæ,
quod in articulo mortis deneget potestatem Iurisdictio-
nis Sacerdoti, quamuis hæretico, etiam nominatim ex-
communicato; cùm infirmus tunc temporis sit in eo
statu, in quo agitur de æterna salute, & contritio ex
alio capite sit valdè difficilis.

16 Objicies ex aduersariis: huiusmodi Sacerdos caret
Iurisdictione: ergo confessio illi facta erit inualida.

Respondetur, nego antecedens, quia mens Eccle-
siæ videtur esse, quod in articulo mortis quilibet Sa-
cerdos possit absoluere; cùm verisimile sit, non velle
Ecclesiam, quod lex sua, qua hæretico prohibet exer-
cere Iurisdictionem, extendatur etiam ad casum tantæ
necessitatis.

17 Instabis: *In cap. verbum de pœnitem. dist.* 1. ex Am-
brosio *lib.* 2. *de Cain & Abel, cap.* 4 habetur, quod hæ-
reticus non habeat potestatem ligandi & soluendi, &
in cap. Arianus 1 *q.* 1. dicitur, quod hæreticus possit so-
lùm conferre baptismum.

Respondetur: vtrobique esse sermonem extra arti-
culum mortis, quia in articulo mortis Ecclesia conce-
dit omnibus Sacerdotibus facultatem absoluendi pro-
pter commune bonum animarum, eo quod in articulo
mortis Sacramentum Pœnitentiæ sit maximè neces-
sarium, præsertim si pœnitens sit solùm attritus.

18 Reinstabis: est periculum quod hæreticus inferat
iniuriam huic Sacramento, quodque non habeat inten-
tionem absoluendi: ergo potiùs verisimile est, quod
Ecclesia ad hæc incommoda vitanda, deneget Sacerdoti
hæretico Iurisdictionem absoluendi, etiam in articulo
mortis.

Respondetur: concedo totum, si sit hoc periculum,
vel si timeatur, quod fidelis ab hæretico peruertatur,
vel quod aliis fidelibus scandalum præstetur; at si pro-
babiliter credatur, quod Sacerdos hæreticus admini-
straturus sit hoc Sacramentum secundùm ritum Eccle-
siæ, tunc constitutus in articulo mortis non solùm li-
citè potest confiteri Sacerdoti hæretico, sed etiam te-
netur; cùm habeat ministrum qui hæc Sacramenta ri-
tè conferre potest, & obliget tunc præceptum diuinum
19 quod commodè adimplere potest; quamuis nonnulli
cum Syluestro *verbo Confessor primo, q. vltima,* teneant,
quod possit quidem licitè confiteri, non tamen tenea-
tur; at quod dicebam videtur mihi probabilius ob ra-
tiones dictas. Cùm verò dixi (quod constitutus in ar-
ticulo mortis licitè possit confiteri Sacerdoti hæretico,
quin & teneatur) intellige, si non adsit alius Sacerdos,
quia si adsit alius Sacerdos, debet tunc huic Sacerdoti
confiteri, & non Sacerdoti hæretico, saltem (si ma-
gnum incommodum suum non sit) ex charitate, ad vi-
tandum scilicet peccatum Sacerdotis hæretici.

Vrgebis: Pœnitens scit; quod Sacerdos hæreticus
20 administraturus sit hoc Sacramentum Pœnitentiæ in
peccato mortali: ergo non potest illi licitè confiteri,
peccabit enim inducendo illum ad peccandum.

Respondetur: Nego, quod peccabit, quia petit Sa-
cramentum quod Sacerdos, (eliciendo scilicet actum
contritionis) dignè administrari potest, quod si non
fecerit, non imputatur pœnitenti, sed malitiæ Sacer-
dotis; præsertim cùm infirmus teneatur tunc consule-
re suæ conscientiæ, & tunc ius habeat petendi absolu-
tionem à quocumque Sacerdote; quapropter non in-
ducit illum ad peccatum, sed solùm illius peccatum
permittit; quamuis quidam cum Angelo *verbo Confes-
sio, primo num.* 1. teneant, quod licitè quidem hoc Sa-
cramentum petere possit à Sacerdote parato ad illud
administrandum, non tamen similiter à non parato;
sed quod dicebam, videtur mihi multò probabilius ob
rationes dictas.

Dico tertiò: In articulo mortis potest quis licitè à 21
Sacerdote hæretico, etiam similiter nominatim excom-
municato, suspenso, vel degradato, accipere Sacramen-
tum Eucharistiæ, si non adsit alius qui illud administret.
Nauarrus *in summa cap.* 22. *num* 4. & alij, quos sequitur
Suarez *tom.* 3. *in* 3. *part. disput.* 72. *sect.* 4. *circa finem.*
Quamuis contrarium satis probabiliter sentiant Palu-
danus *in* 4. *dist.* 8. *q.* 2. *art.* 3. *& dist.* 13. *q.* 1. *art.* 4. *concl* 5.
& dist. 17. *q.* 3. *art.* 3. *conclus.* 7. S. Bonauentura *ibidem,
dist.* 13. *q.* 2. Richardus *ibidem, art.* 1. *q* 4. Gabriel *q.* 1.
art. 3. *dub.* 4. Scotus *q.* 2. *§. restat ergo.* Sotus *dist.* 13. *q.* 1.
art. 9. Syluester *verbo Eucharistia* 3. *q.* 4. Canus *relectio-
ne de Pœnitentia, part.* 5. Victoria *de Eucharistia, q.* 93.
& de clauibus num. 17. Medina *Cod. de Confess. q.* 28.
dub. 2. Enriquez *lib.* 13. *cap.* 10. *num.* 2. Astensis *part.* 1.
lib. 4. *tit.* 13. *art.* 3, & Vgolinus *tabal.* 1. *cap.* 15. *§.* 17. *n.* 14.
Idémque videtur etiam sentire S. Thomas 3. *part. q.* 81.
art 3. *ad* 2. *& art.* 9.

Probatur, quia hoc Sacramentum in articulo mor- 22
tis est de præcepto, & est valdè vtile ad salutem, cùm
interdum per accidens conferat primam gratiam;
quandoquidem, si pœnitens fuerit solùm attritus, reci-
piendo hoc Sacramentum fit (virtualiter scilicet, &
quoad effectum) contritus, & sic saluatur: ergo veri-
simile est, quod Ecclesia concedat Sacerdoti hæretico
prædicto facultatem, vt constituto in articulo mortis
illud possit administrare.

Objicies ex aduersariis: Sanctus Hermenegildus *in* 23
cap. vltimo 24. *q.* 1 laudatur, quod potiùs mori volue-
rit, quàm Eucharistiam recipere ab Episcopo Ariano;
ergo.

Respondetur: concedo totum. Primò, quia id non
fuit in articulo mortis. Secundò, quia tunc Euchari-
stia ei dabatur, vt esset signum quod ipse consentiret
Patri in hæresi Ariana, quod absque dubio non lice-
bat fieri.

Dico quartò: In articulo mortis non potest quis 24
licitè à Sacerdote hæretico, nec etiam à Sacerdote no-
minatim excommunicato, vel publico Clerici percus-
sore (qui nulla tergiuersatione celari possit) è contra
recipere Sacramentum Extremæ Vnctionis. Syluester
verbo Vnctio, *q.* 4. Tabiena *eodem verbo, num.* 6. Armilla
ibid. S. Antoninus *part.* 3. *tit.* 14. *cap.* 15. *§.* 5. & alij com-
muniter, quos sequitur Suarez *tom.* 5. *de censur. disp.* 11.
sect. 1. *num* 23.

Probatur, quia Sacramentum hoc Extremæ Vnctio- 25
nis non est tantæ necessitatis, & ordinariè supponit
infirmum esse absolutum à peccatis; & certum non
est, prædictum Sacramentum Extremæ Vnctionis esse
de præcepto, (ita vt Sanctus Thomas *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1.
art. 1. *quæstione.* 3. *ad* 1. Sotus *ibid. q.* 1. *art.* 1. supplemen-
tum Gabrielis *dist.* 13. *q.* 1. Caietanus *in summa*, *verbo
Vnctio extrema.* Angelus *eodem verbo num.* 2. Syluester
q. 9. Armilla *num.* 1. Nauarrus *in summa cap.* 22. *n.* 16.
Viualdus *de extrema Vnctione, num.* 27. Victoria *in sum-
ma de extrema Vnctione, num.* 219. Couarruu. *in cap. Al-
ma, part.* 2. *§.* 2. *num.* 6. & Suarez *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 44.
sect. 1. *num.* 2. teneant, quod non sit peccatum mortale,
si quis in articulo mortis hoc Sacramentum sine con-
temptu prætermittat.) Ergo, &c.

Confirmatur, quia *in cap. quod in te de pœnit. & re-* 26
mission. dicitur, quod hoc Sacramentum extremæ Vn-
ctionis non sit conferendum tempore interdicti: ergo
non etiam conferri poterit à ministro hæretico in ar-
ticulo mortis.

Quamuis, si infirmus constitutus in articulo mortis, 27
non dederit signum contritionis (ita vt secundùm
commu

communiorem, & probabiliorem, saltem ab intrinseco, sententiam Doctorum non possit ipsi conferri absolutio sacramentalis.) Tunc Sacerdos hæreticus, etiam nominatim excommunicatus, vel notorius Clerici percussor (qui nulla tergiuersatione cælari queat) possit illi conferre Sacramentum prædictum Extremæ Vnctionis; quia fieri potest, quod talis infirmus constitutus in articulo mortis sit solùm attritus, & recipiendo hoc Sacramentum fiat (virtualiter scilicet, seu quoad effectum) contritus; ergo, cùm ex receptione talis Sacramenti pendeat æterna vita illius infirmi, poterit Minister hæreticus prædictus Sacramentum hoc conferre in articulo mortis. Videri poterit Suarez *tom. 5. de censuris disput. 11. sect. 1. num. 23.* vbi expressè docet, quod Sacerdos, nominatim excommunicatus possit in tali casu conferre infirmo prædictum Sacramentum Extremæ Vnctionis.

PETITIO PRIMA.

An licitè possit quis recipere Sacramentum ab hæretico, etiam extra articulum mortis?

SVMMARIVM.

1 *Licitè etiam potest quis etiam extra articulum mortis recipere Sacramenta post Extrauagantem Martini V. ab hæretico etiam notorio, si non sit nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit.*

2 *Sanctus Thomas vbi dicit, non licere Sacramenta recipere ab hæretico notorio, & hæreticum carere iurisdictione, loquitur iuxta ius antiquum.*

3 *Sotus autem idem dicit, quia putat quemlibet hæreticum & schismaticum esse nominatim excommunicatum, sicque vitandum, & non toleratum; sed hæc opinio est contra communem Doctorum sententiam.*

4 *Textus* in cap. Verum, & in cap. Potest fieri de pœnitentia, dist. 1. *intelligi debent de hæretico, quatenus hæreticus est, non de hæretico, quatenus per Ecclesiam eidem permittitur talis potestas in bonum commune fidelium.*

5 *Azorij distinctio reijcitur, qua dicit, quod licèt non prohibeamur recipere Sacramenta ab hæretico notorio ex vi censuræ, tamen prohibemur ex vi hæresis, quia seclusa excommunicatione ex vi hæresis, neque iure diuino, neque Ecclesiastico id facere prohibemur. Potest nihilominus id esse illicitum ratione scandali.*

1 Respondetur: Etiam extra articulum mortis licitè potest quis post Extrauagantem *Ad euitanda*, ex decreto Concilij Constantiensis sub Martino V. recipere ab hæretico, etiam notorio, si non sit nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit. Nauarrus *consil. 1. de constitut. q. 24. & 25. & consil. 10. num. 2. de hæreticis.* Suarez *tract. de fide, disput. 21. sect. 3. num. 5. & tom. 3. in 3. part. disput. 18. sect. 1. vers. 3. est obseruandum, & disput. 72. sect. vltima circa finem, & tom. 5. de censur. disput. 11. sect. 1. num. 14.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 9. n. 10.* & alij communiter.

Probatur, quia post Extrauag. *Ad euitanda*, solùm tenemur vitare nominatim excommunicatum, & notorium Clerici percussorem, qui nulla tergiuersatione cælari possit.

2 Objicies: Sanctus Thomas *3. part. q. 82. art. 7.* expressè ait, non licere Sacramenta recipere ab hæretico notorio; & *2. 2. q. 39. art. 3.* expressè etiam inquit, hæ-
3 reticum carere iurisdictione. Et Sotus *in 4. dist. 20. q. 1. art. 5. conclus. 2.* docet, hæreticum & schismaticum notorium (cùm vterque sit nominatim excommunicatus, sicque vitandus, & non toleratus) amittere iurisdictionem, ita vt vtriusque absolutio sit nulla, & inualida; ergo.

Respondetur: Sanctus Thomas (vti rectè notauit Caietanus *dicta q. 82.*) loquitur iuxta ius antiquum, quia post Extrauag. *Ad euitanda*, nec hæreticus, neque excommunicatus, etiam notorius, amittit Iurisdictionem, nisi fuerit nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit, vti suprà dicebam. Sotus verò illud dicit, quia putat, quemlibet hæreticum & schismaticum esse nominatim excommunicatum, sicque vitandum, & non toleratum; quod si esset verum, hæreticus notorius careret quidem iurisdictione, sicut & ea caret nominatim excommunicatus, & publicus Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit; sed hæc opinio est contra communem sententiam Doctorum, & minùs vera.

Instabis: *In cap. Verum, & in cap. Potest fieri de pœnit. dist. 1.* ex S. Ambrosio *lib. de pœnit. cap. 1.* Hæreticus non habet potestatem ligandi, & soluendi; ergo. 4

Respondetur: Id intelligi de hæretico, quatenus hæreticus est, quia (cùm extra Ecclesiam nulla sit Iurisdictio, & hæreticus sit extra Ecclesiam) non potest hæreticus iurisdictionem habere, nisi quatenùs ipsi permittitur ab Ecclesia, quæ post citatam Extrauag. *Ad vitanda*, permittit in bonum commune fidelium, quod hæreticus illam retineat, donec non fuerit nominatim excommunicatus, vel notorius Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit, vti toties dicebam: quidquid in contrarium dixerit Azorius *tom. 1. lib. 8. cap. 13. q. 7.* vbi docet, hæreticum carere iurisdictione, quamuis occultus hæreticus sit.

Vrgebis ex eodem Azorio *citato lib. 8. cap. 11. q. 7.* licèt non prohibeamur recipere Sacramenta ab hæretico notorio ex vi censuræ, tamen prohibemus ex vi hæresis. 5

Respondetur cum communi sententia Doctorum (quos sequitur Suarez *locis suprà citatis*, & Sanchez *cit. cap. 9. num. 20.*) Nego antecedens, quia, seclusa excommunicatione, ex vi hæresis, neque iure diuino, neque Ecclesiastico id facere prohibemur, quamuis aliunde quidem id possit esse illicitum, vt si quis recipit Sacramentum ab hæretico aliis præberet scandalum, vel si periculum esset; quod ab hæretico peruerteretur, vel si absque vlla iusta & rationabili causa hæreticum induceret ad peccandum.

PETITIO II.

An hæreticus ob delictum hæresis deperdat potestatem Ordinis in ordine ad conficienda Sacramenta, & potestatem seu iurisdictionem Ecclesiasticam in ordine ad conficienda sacramentalia.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus licèt notorius, quin & quantumuis vitandus, & non toleratus ob delictum hæresis, non amittit potestatem Ordinis in ordine ad conficienda Sacramenta.*

2 *Sacerdos hæreticus notorius, quamuis nominatim excommunicatus, & publicus Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit, verè consecrat, & Episcopus si quem ordinat, verè ordinat, dummodo seruetur debita materia, forma, & intentio.*

3 *Character ex communi sententia Doctorum est indelebilis, & independens ab Ecclesia receptus in anima etiam reprobi in altera vita.*

4 *Ecclesia*

4 *Ecclesia non potest ab hæretico auferre caracterem.*

5 *Nullo iure habetur, quod oblata fide; auferatur potestas Ordinis, cum hac potestas non fundetur in fide, sed in caractere indelebili.*

6 *Sacerdos hæreticus si resipiscat, non reassumit priores Ordines, ad quos fuit semel promotus.*

7 *Hæreticus si ob delictum hæresis amitteret potestatem Ordinis, statim atque incideret in hæresim etiam occultam, amitteret dictam potestatem, quod non est dicendum.*

8 *Textus* in cap. Arianus, in cap. Connenientes, in cap. Sequi voluerint, q. 7. & in cap. Ordinatinnes, p. 1. *irritant & annullant omnes ordinationes factas ab Episcopo hæretico quoad usum, non quoad substantiam, quia ordinati ab eo non possunt Ordines susceptos exercere.*

9 *Magister sententiarum & Gratianus aientes hæreticum ipso iure priuari potestate ordinis, eodem modo intelligendi sunt.*

10 *Hæreticus est extra Ecclesiam si simpliciter & absolutè loquamur, non autem si secundum quid, id est secundum caracterem Baptismi & Ordinis; retinet enim potestatem offerendi Sacrificium Missæ quoad substantiam, non verò quoad usum, seu meritum & fructum sacrificij.*

11 *Sacerdos offert sacrificium Missæ in persona Ecclesiæ quatenus orat, & sic hæretici sacrificantis oratio vim nullam habet: At secus est, quatenus consecrat, consecratio enim hæretici est valida & subsistens.*

12 *Hæreticus quamuis notorius, non tamen vitandus, & non toleratus ob delictum hæresis, neque deperdit potestatem in ordine ad conficienda sacramentalia, vt benedicere aquam; & si sit Episcopus, consecrare Ecclesias, Altaria, Calices, &c. licet peccet.*

13 *Sacerdos hæreticus statim atque incideret in hæresim etiam occultam, deperderet prædictam potestatem, sicque neque posset absoluere in articulo mortis; & idem dic de Episcopo hæretico, quod quidem est absurdum.*

14 *Ecclesia consecrata ab illo qui non habet fidem Trinitatis, sunt iterum consecranda: & Paramenta, Altaria, &c. ab hæretico benedicta, iterum benedicenda, si hæreticus in consecrationibus, & benedictionibus non seruauerit formam præscriptam ab Ecclesia.*

15 *Hæreticus licet sit indignus hac potestate & iurisdictione, non tamen ei de facto aufertur iurisdictio & potestas.*

16 *Hæreticus quod ipso iure: seu ipso facto priuetur prædicta potestate, & iurisdictione; licet plures Doctores teneant, attamen multò plures tenent contrarium: Nonnulli tamen ex eis distinguunt priuari prædicta iurisdictione quoad se, non quoad alios; & alij loquuti sunt ante Extrauagantem Martini V.*

1 RESpondetur, & dico primò: Hæreticus, quamuis notorius, quin & quamuis vitandus, & non toleratus, ob delictum hæresis, non deperdit potestatem
2 Ordinis in ordine ad conficienda Sacramenta; quapropter Sacerdos hæreticus notorius, quamuis nominatim excommunicatus; & publicus Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit, verè consecrat; & Episcopus, si quem ordinet, verè ordinat, dummodo seruetur debita materia, forma, & intentio. Sanctus Thomas 2. 2. q. 32. *art.* 5. Sotus *in* 4. *dist.* 13. *art.* 7. Turrecremata *de Ecclesia lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 7. Triumphus de potest. Papæ *q.* 15. *art.* 3. & alij communiter.

Probatur primò ex auctoritate, quia sic expresse tradit Textus *in cap. Ostenditur de consecrat. dist.* 4. & Textus *in cap. Prater,* §. *Verum, &* §. *Ad hoc dist.* 32. Et sic etiam expresse docent Glossa *ibidem,* §. *verum, verbo formam, & in cap.* 1. *de schismaticis.* & Canonistæ passim.

Probatur secundò ratione, quia caracter ex communi sententia Doctorum est indelebilis & independens ab Ecclesia, receptus in anima (etiam reprobi in altera vita) ergo est etiam & indelebilis potestas Ordinis. 3

Confirmatur, quia ex dictis Ecclesia non potest ab hæretico auferre characterem: ergo nec & potestatem Ordinis. 4

Confirmatur secundò, quia nullo iure habetur, quod ablata fide, auferatur potestas Ordinis (cùm hæc potestas non fundetur in fide, sed in charactere indelebili, modo, quo suprà dicebam;) ergo gratis dicitur, quod hæreticus ob delictum hæresis deperdat potestatem Ordinis. 5

Confirmatur tertiò, quia Sacerdos hæreticus, si resipiscat, non reassumit priores Ordines, ad quos fuit semel promotus; ergo signum est, quod talis potestas Ordinis non fuerit sublata, sed semper permanserit. 6

Confirmatur quartò, quia si hæreticus ob delictum hæresis amitteret potestatem Ordinis, statim atque incideret in hæresim (etiam occultam) dictam potestatem Ordinis amitteret, quod nullo modo dici debet. 7

Objicies: *In cap. Arianos q.* 1. *in cap. Conuenientes, in cap. si qui voluerint q.* 7. *& in cap. Ordinationes q.* 1. dicitur, quod ordinationes factæ ab Episcopo hæretico sint irritæ & nullæ: ergo. 8

Respondetur: distinguo antecedens; dicitur, quod sint irritæ & nullæ quoad substantiam (quasi, quod veros Ordines & characteres non receperint, qui ordinati fuerint ab Episcopo hæretico) nego: quod sint irritæ & nullæ quoad vsum & exercitium (quatenus scilicet nec Episcopus hæreticus ordinans, nec qui fuerint ordinati ab Episcopo hæretico, licitè possint Ordinem suum exercere: cùm ambo sint à tali vsu suspensi) concedo; & eodem modo intelligi debet Textus *in cap. didiscimus* 14. *q.* 1. (vbi dicitur, hæreticum carere potestate Ordinis,) Et eodem modo etiam intelligi debent Magister & Gratianus (qui aiunt, hæreticum ipso iure priuari potestate Ordinis,) quod scilicet 9 hæreticus careat potestate Ordinis, & hæreticus ipso iure priuetur potestate Ordinis, non quidem quoad substantiam, sed quoad vsum & exercitium Ordinis, modo, quo suprà dicebam: nam quod qui ordinati fuerunt ab Episcopo hæretico, validè (etsi non licitè) ordinati fuerint, habetur etiam (vt omittam iura, quæ supra adducebam) expresse *in cap. Quod quidem, q.* 1. ex Augustino *lib* 2. *contra epistolam Parmeniani cap.* 3. Et videri poterit præter alios Alphonsus à Castro *lib.* 2. *de iusta hæretic. punit. cap.* 11

Instabis: Hæreticus est extra Ecclesiam; ergo hæreticus saltem non retinet potestatem offerendi sacrificium Missæ in Ecclesia; cùm non sit verum sacrificium extra Ecclesiam, sicuti docent Augustinus, Leo, & Innocentius, quos refert Sanctus Thomas 3. *part. q.* 82. *art.* 7. 10

Respondetur: distinguo antecedens: Hæreticus est extra Ecclesiam, si simpliciter & absolute loquamur, concedo; secundùm quid, id est, secundùm characterem Baptismi, & ordinis, nego; vel respondetur: transeat antecedens: at distinguo consequens: ergò hæreticus, saltem non retinet potestatem offerendi sacrificium Missæ in Ecclesia, quoad substantiam (quasi sacrificium ab hæretico oblatum sit irritum, & nullum) nego: quoad vsum, & exercitium, seu meritum & fructum sacrificij, concedo.

Vrgebis: Sacerdos offert sacrificium in persona Ecclesiæ, sed Sacerdos hæreticus est extra Ecclesiam: ergò non potest illud offerre in persona Ecclesiæ: atque adeò sacrificium Missæ ab ipso oblatum non erit verum sacrificium. 11

Respondetur: distinguo maiorem: Sacerdos offert

sacrificium

sacrificium Missæ in persona Ecclesiæ, quatenus orat, concedo: & sic hæretici sacrificantis oratio vim nullam habet: quatenus consecrat, nego (cùm sic offerat in persona Christi) & sic eiusdem hæretici sacrificantis consecratio est valida & subsistens.

12 Dico secundò: hæreticus quamuis notorius (non tamen vitandus, & non toleratus) ob delictum hæresis neque deperdit potestatem in ordine ad conficienda sacramentalia, quapropter si Sacerdos hæreticus quamuis notorius, (non tamen vitandus, & non toleratus) benedicat aquam, (in forma scilicet præscripta ab Ecclesia) licet peccet, illa tamen aqua erit verè benedicta; & similiter Episcopus hæreticus, quamuis notorius (non tamen vitandus & non toleratus) consecret Ecclesias, Altaria, Calices, &c. licèt etiam peccet, hæc tamen omnia erunt verè consecrata. Caietanus *tom. 1. opuscul. in tract. de potest. Pontific. cap. 18. & 19.* Syluester *verbo Confessor primo q. 19. & 20.* & Nauarrus *consil. 10. de hæreticis*; quamuis contrarium sentiant alij, quos sequitur Castro *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. 23.*

Probatur, quia nullo iure habetur, quod hæreticus, quamuis notorius (non tamen vitandus & non toleratus) deperdat potestatem conficiendi sacramentalia: ergo si id asseratur, gratis asseritur.

Confirmatur, quia id non expedit bono communi Ecclesiæ, sed oppositum (vt patet ex dictis) ergo, &c.

13 Confirmatur secundò, quia alioquin Sacerdos hæreticus statim atque incideret in hæresim, etiam occultam deperderet prædictam potestatem, sicque neque posset absoluere in articulo mortis. Similiter & Episcopus hæreticus statim ac incideret in hæresim etiam occultam, deperderet dignitatem Episcopalem, quod nullo modo dici debet.

14 Objicies ex aduersariis: in aliquibus iuribus dicitur, quod Ecclesiæ consecratæ ab illo, qui non habet fidem Trinitatis, sint iterum consecrandæ, & *in cap. Agapitus, de consecrat. dist. 4.* habetur, quod Paramenta, Altaria, &c. ab hæretico benedicta, sint iterum benedicenda: ergo signum est, quod tales operationes, & benedictiones sint nullæ; atque adeò quod hæreticus ob delictum hæresis ipso iure priuetur potestate conficiendi sacramentalia.

Respondetur, Textus hos & similes intelligi, si hæreticus in consecrationibus & benedictionibus non seruauerit formam ab Ecclesia præscriptam.

15 Instabis: Hæreticus est indignus hac potestate & iurisdictione; ergo potius verisimile est, quod Ecclesia ab hæretico auferat hanc potestatem & iurisdictionem, statim atque inciderit in hæresim.

Respondetur: Nego consequentiam, sed solùm exinde sequitur, quod Ecclesia possit quidem illam auferre ab hæretico, non tamen quod de facto auferat (etsi non quidem in fauorem ipsius hæretici, cùm reuera indignus sit) sed in fauorem aliorum; cùm adsit iusta causa, quod Ecclesia dictam potestatem & iurisdictionem toleret in hæretico, donec non fuerit denunciatus, vel publicus Clerici percussor (qui nulla tergiuersatione cælare possit) & multò magis, donec fuerit hæreticus nullo modo publicus, sed simpliciter occultus.

16 Vrgebis: Plures Doctores sentiunt, quod hæreticus ipso iure, seu ipso facto priuetur prædicta potestate & iurisdictione: ergo non est facilè concedendum, quod hæreticus, quamuis notorius, si non sit vitandus, seu non toleratus, illam retineat.

Respondetur: concedo antecedens; at nego consequentiam, quia multò plures sunt, qui nobiscum tenent contrarium: vt omittam ex aduersariis ipsis nonnullos locutos esse, hæreticum priuari prædicta potestate & iurisdictione quoad se (quia nimirum peccat vtendo tali potestate & iurisdictione) non tamen priuari quoad alios, quia donec non fuerit per sententiam Iudicis denunciatus, seu nominatim excommunicatus, vel notorius Clerici percussor (qui nulla tergiuersatione cælari possit) si absoluat, v.g. valebit talis absolutio. Vt omittam etiam ex iisdem aduersariis quosdam alios locutos esse ante Extrauagant. *Ad euitanda*, non autem post, iuxta ea quæ supra dicebam.

PETITIO III.

An in locis hæreticorum licitè possit quis, hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, precibus, ac ritibus Ecclesiasticis interesse?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum in locis non potest quis licitè frequentare eorum Templa, eorúmque concionibus, precibus, ac ritibus Ecclesiasticis interesse, etiam si protestaretur se id facere, vt suo Principi obediat, & non vt falsam hæreticam sectam profiteatur & sectetur: immò debet potiùs mortem subire.*

2 *Hæreticorum in Regionibus si quis Templa frequentaret, eorúmque concionibus, precibus, & ritibus Ecclesiasticis interesset, exponeret se graui & probabili periculo recedendi à fide Catholica, & accedendi ad falsam hæreticam sectam.*

3 *Catholici in prædictis locis statuerunt quamdam legem non adeundi prædicta Templa, etiamsi sub grauissimis pœnis adstringerentur per laïcam potestatem.*

4 *Catholici quamplures ob dictam legem seruandam perpessi sunt grauia mala, quæ omnia adeundo hæreticorum Templa vitassent.*

5 *Fides Catholica in quibusdam Regionibus ob communicationem Catholicorum cum hæreticis euanuit: & in aliis Regionibus è contra propter separationem, viget & floret.*

6 *Protestatio de non frequentando hæreticorum Templa ad profitendam falsam sectam, sed tantùm in obsequium Principis laici non excusat à peccato mortali ob rationes recensitas, & maximè ob periculum peruersionis, & ob scandalum Catholicorum.*

7 *Talis protestans vtpotè in fide firmus & stabilis, licèt à vera fide non deficeret, suo tamen exemplo præberet occasionem aliis deficiendi, præsertim vxori, filiis, famulis, &c. vtpotè non similiter in vera fide constantes.*

8 *Catholici hic & nunc in dictis Regionibus ab hæreticis discernuntur, quia non frequentant eorum Templa. Hinc eorum Templa debent vitari, cùm eorum frequentatio habeatur tanquam signum contrariæ sectæ profitendæ, præsertim si exinde sequatur fidei contemptus & omittatur fidei externa professio, quando vrget præceptum.*

9 *Idolo offerens thus, etiamsi id faceret metu amittendi vitam, vel bona temporalia, coactus à Tyranno Principe, non excusaretur à peccato mortali, quamuis se id facere ob obsequium, & obedientiam Principis protestaretur.*

10 *Paulus V. in quodam suo Breui declarauit non licere scilicet Catholicis hæreticorum Templa adire, quatenus monet, atque obtestaretur Catholicos, quod nullo modo ad Templa hæreticorum accedant, aut eorum conciones audiant, aut cum iis in ritibus communicent, ne Dei iram incurrant.*

11 *Catholici in sententia nonnullorum, quos sequitur Azorius, possunt simul cum hæreticis orare, Deum precari, & rem diuinam audire, modò non sint hæretici nominatim excommunicati, vel notorij Clericorum percussores, iuxta Extrauag. Martini V. sed citati Auctores intelligendi sunt, si id fiat in Templis Catholicorum, non autem in Templis hæreticorum.*

12 *Catholici in sententia Azorij possunt hæreticorum Templa adire, eorúmque concionibus, &c. interesse, dummodo publice protestentur, se id facere, vt suo Principi sub pœna bonorum, & vitæ præcipienti obediant, quod tamen non docet absolutè & simpliciter, sed ad hæreticorum errores confutandos, & cum aliquibus conditionibus quæ ibi recensentur. Quod quidem non expedit fieri in Regionibus de quibus loquimur in præsenti.*

13 *Catholicorum familiæ non possunt excusari ex metu ne extirpentur, neque opprimantur, si in casu de quo agimus, hæreticorum Templa non frequentent, quia præter quam quod non sunt facienda mala, vt eueniant bona, Ecclesia Dei persecutionibus augetur, non minuitur, & fideles in primitiua Ecclesia falce recisi, velut frumentum germinabant.*

14 *Hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse, non est per se malum simpliciter & absolutè seu solitariè præcisè & seiunctim à circumstantiis: secus coniunctim cum quibusdam circumstantiis, vt cum periculo peruersionis, &c. vel si vtatur symbolo instituto ad profitendam hæreticorum prauitatem.*

15 *Eleazar (licet per se malum non fuerit vesci carne porcina) tamen quia tunc erat id veluti signum institutum ad profitendam falsam Religionem potiùs voluit mori, quàm carne porcina vesci.*

16 *Catholici in illis Regionibus profitentur Catholicam fidem, seque hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse, sine animo deserendi veram fidem, sed non virtute huius protestationis excusamur à peccato mortali, & cur?*

17 *Hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse, non sunt actus per se ordinati ad significandam sectam falsam, sed tamen sunt ad id ordinati ex instituto hominum, & ideò huiusmodi actus non excusant à mortali.*

18 *Certum non est in illis Regionibus Catholicos hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse omninò inuite, cùm id nonnullis possit esse ignotum, licet coactio Principis Tyranni sit notissima.*

19 *Hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse, si peccatum esset, id potissimum esset, quia fideles dissimularent fidem Catholicam, quando vrget præceptum illam exteriùs profitendi, sed militant etiam aliæ rationes.*

20 *Præceptum positiuum licèt non obliget cum graui incommodo, obligat tamen præceptum diuinum, quale est hic & nunc de profitenda exteriùs fide coram Tyranno; ex communi enim Theologorum sententia tale præceptum tunc obligat, quando fidelis de sua fide publica auctoritate interrogatur.*

21 *In dictis hæreticorum Regionibus sub grauissimis pœnis præcipitur, quod omnes Templa hæreticorum adeant, eorúmque concionibus, &c. intersint, & ostendant quamnam Religionem sectentur. Hinc virtualiter omnes interrogantur de sua fide, sicque tunc obligat præceptum diuinum de sua fide profitenda coram Tyranno, quod quidem excludit omnem simulationem.*

22 *Totis viribus resistendum est huiusmodi edictis & legibus: & præstat amittere bona temporalia, quàm animam.*

23 *Magis est fugiendum à locis & concionibus, quæ pestilentibus opinionibus complentur, quàm à locis contagiosis, & infectis, quia hæc corporibus nocent, illi verò animas interimunt.*

24 *Exsufflantes & anathematizantes oportet longè fugere ab hæreticis, &c.*

Qui hæreticorum Templa frequentant, eorúmque concionibus, &c. intersunt, animo tamen orandi ritu Catholico non communicant cum hæreticis in ritibus; neque hæreticorum Religionem profitentur verè & interiùs, secus simulatè & exteriùs.

26 *Elisæus concessit Naaman, vt Dominum suum ad Templum eandem comitaretur, & simul cum illo ad suum Dominum sustentantem coram idolo genuflecteret; cùm Naaman intentio non esset Idolum adorandi, sed tantùm obsequium Domino suo præstandi; at non ex hoc potest inferri, quod Catholicus vt obediat Principi præcipienti sub pœnis, &c. possit frequentare Templa sine animo honorandi, seu approbandi ritus hæreticorum; licet enim frequentare ob aliquod negotium ciuile, quale est famuli erga Dominum, dummodo non communicetur cum illis in ritibus, aliàs secus.*

27 *Principi hæreticus si sua Templa frequentet, possunt ipsius famuli, & subditi coram illo ferre sceptrum, coronam, gladium, &c. quia hoc modo se se habent solùm materialiter, & non formaliter.*

28 *Hæreticorum Templa frequentare non licet causa superstitionis, cùm id præcipiatur, vt Catholici ab hæreticis dignoscantur.*

RESpondetur negatiuè; & etiam si iste talis protestetur se id facere, vt suo Principi obediat, & non vt falsam hæreticorum sectam profiteatur; atque sequitur. Suarez *in defensione fidei Catholicæ lib.6.cap.9.n.16.* (quatenus ait, id esse sine vlla dubitatione dicendum.) *Azor.tom.3.lib.1.cap.7.q.2.* (quatenus, inquit, Catholicis non licere adire hæreticorum Ecclesias, preces, conciones, &c. subdens iam esse vsu receptum, quòd hæreticorum rituum frequentatio propè ab omnibus habeatur pro signo distinctiuo, quo hæretici à Catholicis discernuntur, & se de hac re aliquando interrogatum ita respondisse.) Sanchez *lib.1.moral.cap.4.n.27.* (quatenus asserit, id nullatenus licere, sed potiùs mortem subeundam: quod communi consensu multi viri doctissimi à Catholicis consulti subscripserunt; & nouissimè Paulus V. in quodã suo proprio motu definiuit, vt mox infrà dicetur. 1

Probatur, quia si quis in illis Regionibus hæreticorum Templa frequentaret, eorúmque concionibus, precibus & ritibus Ecclesiasticis interesset, exponeret se graui & probabili periculo recedendi à fide Catholica, & accedendi ad falsam hæreticorum sectam: ergo ratione talis periculi id licitè facere non poterit; consequentia patet: sequela antecedentis probatur, quia sic ibi in compluribus experientia sæpe docuit, & indies adhuc docet. 2

Confirmatur, quia propterea legem veluti quandam Catholici in prædictis locis statuerunt, ne quis ex ipsis impostetùm, etiam sub grauissimis pœnis à Principe ferendis, hæreticorum Templa adiret, eorúmque concionibus, precibus, conuentibus, & ritibus Ecclesiasticis interesset. 3

Confirmatur secundò, quia propterea etiam complurimi in illis locis libenter amiserunt bona omnia, passique sunt multa alia mala, quæ omnia, adeundo hæreticorum Templa, eorúmque concionibus, precibus, & conuentibus assistendo (licèt fidem interiùs retinerent, quinetiam & palam profiterentur) facilè deuitassent: quod tamen non fecerunt; signum igitur est, quod id facere sit peccatum mortale, cùm illi qui id non fecerunt, fuerint viri bonitate & litteris insignes, & excellentes. 4

Confirmatur tertiò, quia & propterea etiam in quibusdam Regionibus (propter communicationem scilicet Catholicorum cum hæreticis in Templis concionibus, diuinis officiis, aliísque ritibus Ecclesiasticis) omninò fides Catholica euanuit è contra verò in aliis Regionibus (ob separationem scilicet eorumdem Catholicorum ab hæreticis) magna cum admiratione viget & floret: dicere igitur quod liceat Catholicis Templa hæreticorum adire, eorúmque cõcionibus, diuinis officiis, aliísque ritibus 5

Ecclesia

Ecclesiasticis interesse, est concedere, & velle, quod fides Catholica in illis Regionibus vim & splendorem suum amittat; quodque Catholici noue ad omnem pietatem propensi, ab ea omninò deficiant.

6 Neque hominis protestatio (quod ipse hæreticorum Templa frequenter, eorúmque concionibus, precibus, conuentibus, aliísque ritibus Ecclesiasticis intersit, vt solum suo Principi obediat, & non vt falsam hæreticorum sectam profiteatur, atque sectetur) excusat ipsum à peccato mortali, tum ob rationes dictas, tum quia licèt hæc protestatio forsan à principio in aliquibus adminiatur, progressu tamen temporis ipse cum aliis experientia magistra sub pœnis à Principe constitutis cogetur hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, precibus, conuentibus, ac ritibus Ecclesiasticis, etiam omissa omni protestatione interesse, & progressu etiam temporis cogetur cum hæreticis in diuinis communicare, atque cum illis Synaxim suscipere, quinimò & etiam cogetur publicè illorum errores profiteri; non igitur hæc protestatio excusat ipsum à peccato mortali, sed propterea à principio omninò obsistere debet, ob maxima scilicet mala & incommoda, quæ exinde postea facilè euenirent; & quidem, si in hoc Catholici hæreticis cederent, fides nostra in illis locis paulatim deficiet; & si hæretici de hoc victoriam reportarent, etiam de aliis reportabunt, constituendo scilicet grauissimas pœnas iis, qui publicè ipsorum errores & articulos profiteri recusauerint. Vt omittam, quod per dictam protestationem, licèt publicè fieret, non tamen Catholicorum offensioni consuleretur, neque propriæ, vel alienæ proximi subuersionis periculum euitaretur, sicuti infra in responsione ad secundum clarius apparebit.

7 Secundò probatur, quia (licèt ipse, qui hæreticorum Templa frequentat, eorúmque concionibus, precibus, ac ritibus Ecclesiasticis assistit, frequentando & assistendo (vtpotè in vera fide constans, & non infirmus, à vera fide non deficiat, suo tamen exemplo præbeter occasionem deficiendi aliis, præsertim vxori, filiis, famulis, &c. qui (vtpotè non similiter in vera fide constantes, sed infirmi, ab illa deficerent: ergo ratione scandali saltem, licitè nō poterit hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, precibus, ac ritibus Ecclesiasticis assistere.

8 Tertiò probatur, quia hic & nunc in dictis Regionibus Catholici ab hæreticis discernuntur in hoc, quod Catholici hæreticorum Templa non adeunt, eorúmque concionibus, precibus, ac ritibus Ecclesiasticis non assistunt, cum hoc ipso, quod quis incipit hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, precibus, ac ritibus Ecclesiasticis assistere, censeatur fidem veram abiecisse, & hæreticorum sectam falsam acceptasse: quapropter, cùm Catholici adeunt Templa hæreticorum, eorúmque officiis assistunt, hæretici de hoc gloriantur, ac si illi recessissent à Catholicis & Catholici ingemiscunt, ac si illi transiissent ad hæreticos:) ergo nullo modo poterit quis hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, precibus, officiis, ac ritibus Ecclesiasticis assistere; cùm licitè non possit, (etiam ob metum amittendi vitam) vti signo, quando hoc ex natura sua, vel ex hominum instituto, & consuetudine ad falsam hæreticorum sectam profitendam refertur, præsertim si exinde sequatur fidei contemptus, & omittatur fidei externa professio, quando viget præceptum de facienda tali fidei externa professione propter impium Tyranni Principis iussum in contrarium.

9 Confirmatur, quia si quis nunc ob amittendi vitam, vel bona temporalia cogeretur à Tyranno Principe offerre thus Idolo, & offerat, non excusaretur à peccato mortali, quamuis se id, vt obediret suo Principi, & ob metum amittendi bona facere protestaretur: ergo (cùm in dictis Regionibus hic & nunc sit vsu receptum quod actus adeundi hæreticorum Templa, eorúmque concionibus, precibus, officiis, ac ritibus Ecclesiasticis assistendi sit signum profitendi sectam falsam hæreticorum, & abnegandi fidem veram Catholicorum) non poterit licitè hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. assistere: ita vt, si adiret & assisteret, non excusaretur, etiam facta prædicta protestatione à peccato mortali.

Quartò probatur, quia sic tandem Paulus V. in quodam suo Breui declarauit, non licere scilicet Catholicis hæreticorum Templa adire (quatenus monet, atque obtestatur Catholicos, quod nullo modo ad Templa hæreticorum accedant, aut eorum conciones audiant, aut cum iis in ritibus communicent, ne Dei iram incurrant) neque licere, hoc facere sine detrimento diuini cultus & salutis æternæ: quibus verbis satis apertè declarat Romanus Pontifex, quod tales actus sint mali, deformes & illiciti, ideóque prohibeantur: ergo Catholicus, si aliter fecerit, mortaliter peccabit; cùm (quando Summus Pontifex aliquid circa materiam moralem, & ad salutem animarum pertinentem declarat) ejus declarationi, (tanquam tunc infallibili, quia de fide tunc errare non potest, sicuti in Summa Theologica *disput.* 1. *q.* 28. *& seqq.* diffusè probabam) omninò & necessariò standum sit. 10

OBIECTIONES.

Objicies: quidam quos sequitur Azorius *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 11. *q* 2. docent, Catholicos posse simul cum hæreticis orare, Deum precari, & rem diuinam audire, modo non sint hæretici nominatim excommunicati, vel notorij Clericorum percussores (qui nulla tergiuersatione celari possint) iuxta Extrauag. *Ad euitanda*, ex Decreto Concilij Constantiensis sub Martino V. 11

Respondetur, eos Doctores intelligi, si id fiat in Templis Catholicorum cum Catholicis, non autem si id fiat in Templis hæreticorum cum hæreticis, de quibus loquimur.

Instabis: Idem Azorius *loco suprà cit q.* 4. apertè docet, posse Catholicos hæreticorum Templa adire, eorúmque concionibus, &c. interesse; idémque tradit *cit. lib.* 8. *cap.* 27. *q.* 5. dummodò publicè protestentur, se id facere, vt suo Principi sub bonorum publicationis, vel mortis pœna sic præcipienti obediant, & non vt sectam falsam hæreticorum profiteantur: ergo. 12

Respondetur: docet absolutè, & simpliciter nego: docet non absolutè & simpliciter, sed ad hæreticorum errores confutandos, & hæreticam impietatem euertendam, concedo; vel saltem sub quibusdam conditionibus, quorum (vt ipsemet Azorius aduertit.) Prima est, dummodo in Catholicorum animis nulla offensio generetur; at in Regionibus de quibus loquimur, grauiter offenduntur Catholici, si quis ex ipsis Catholicis Templa hæreticorum adeat. Secundò, dummodo nulla sit communicatio rituum, & cæremoniarum hæreticorum, & hæreticæ impietatis. Tertia, dummodo nullum sit periculum propriæ, vel alienæ proximi subuersionis, nullúmque sit periculum contemptus Catholicæ fidei; at in dictis Regionibus de quibus loquimur, experientia docet, quod paulatim fidem Catholicam relinquant ij, qui Templa hæreticorum frequentant, eorúmque conciones audiunt; quapropter gloriantur hæretici, si videant, quod quis Catholicorū cum ipsis in Templis, vel in audiendis ipsorum concionibus, &c. cōmunicet; quapropter exinde necessariò sequitur contemptus Catholicæ Religionis, & necessariò etiam sequitur, quod hæretica prauitas in illis locis in dies magis augeatur, & in Catholicorum animis pietas, & feruor paulatim diminuatur. Quarta, dummodo adire Templa hæreticorum, eorúmque concionibus, &c. interesse, non sit symbolum hæreticæ prauitatis, sicuti de facto est in casu nostro, quemadmodum suprà probabam; vt omittam, quod si hæ conditiones abessent, per protestationem (quamuis publicè fieret) Catholicorum offensioni non consuleretur, nec periculum propriæ subuersionis euitaretur; præsertim cùm tunc propter impium Tyranni Princi-

pis iussum ad sectam hæreticorum sequendam, Catholicus quam maxime fidem Catholicam exterius profiteri teneretur.

13 Objicies secundò: Si Catholici Templa hæreticorum non frequentarent, eorúmque concionibus, precibus, officiis, aliísque ritibus Ecclesiasticis non interessent, familiæ Catholicorum prorsùs opprimerentur, & extinguerentur; ergo ad euitanda hæc incommoda licitè poterit Catholicus id facere.

Respondetur (vt omittam, quod non sint facienda mala, vt eueniant bona; quodque nullo modo sint præferenda bona temporalia saluti æternæ) nego sequelam antecedentis, vti constat ex primitiua Ecclesia, quando (licèt tunc tanta persecutio, tantus furor, tantáque sæuitia contra Catholicos vigeret) non tamen propterea Catholici fuerunt oppressi & extincti, sed potiùs, ad instar vitis, quæ falce succiditur, fuerunt quamplurimum aucti & multiplicati.

14 Objicies tertiò: Hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse, non est per se malum (cùm posset quis id facere, vt hæreticos irrideret, & confutaret, vel vt Oratoris in dicendo eloquentiam perspiceret, vel vt hæreticorum orationibus, & ritibus tantùm materialiter assisteret, interim scilicet de rebus diuinis cogitando, & preces suas ritu Catholico recitando:) ergo, ne Catholicus suis bonis temporalibus spolietur, licitè poterit id facere.

Respondetur: Distinguo antecedens: Non est per se malum, simpliciter & absolutè, seu solitariè, præcisè & sejunctim à circumstantiis, concedo: Coniunctim cum quibusdam circumstantiis (vt si adsit, v.g. periculum ruinæ propriæ, vel alienæ proximi, præsertim in fide infirmi, & non ita constantis) vel si vtatur symbolo ex hominum vsu, & consuetudine instituto ad profitendam hæreticam prauitatem; vnde sequatur contemptus veræ fidei, & omittatur veræ fidei externa professio, quando vrget præceptum de facienda tali veræ fidei externa professione propter impium Tyranni Principis iussum in contrarium) de quibus dicebam supra, nego.

15 Quemadmodum & Eleazar 2. *Machab.6* (licet per se malum non fuerit vesci carne porcina) tamen, quia tunc erat id veluti signum institutum ad profitendam falsam Religionem, potiùs voluit mori, quàm carne porcina vesci: vbi aduerte, quod tamen si malum est, hæreticorum Templa frequentare, peius tamen sit, eorumdem precibus, & ritibus interesse; cùm per hanc præsentiam Catholici hæreticorum ritus non solùm (saltem tacitè) approbent, sed etiam illis cooperentur; quod sine graui & detestabili sacrilegio fieri non potest.

16 Objicies quartò: In illis Regionibus Catholici publicè profitentur Catholicam fidem, seque hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse, sine animo deserendi veram fidem: ergo virtute huius protestationis Catholicus excusabitur à peccato mortali.

Respondetur: Nego consequentiam, quia prædicta protestatio, vel non fit, vel si fit, non fit notoriè & publicè, neque progressu temporis, sed progressu temporis omittitur, & paulatim Catholici trahuntur ab hæreticis ad mala & incommoda maiora: quapropter à principio omninò obsistendum est, vti suprà dicebam: tum quia prædicta protestatio non impedit, quominùs Catholicus exponat se, & proximum (præsertim in fide infirmum, & non ita constantem) periculo deficiendi à fide; & quominùs vtatur symbolo profitendi hæreticam prauitatem, vnde necessariò sequatur contemptus fidei, & omittatur fidei externa professio, quando vrget præceptum de facienda tali fidei externa professione, propter impium Tyranni Principis iussum in contrarium. Vt omittam, quod si hoc argumentum valeret, sequeretur, quod quilibet Catholicus posset exteriùs profiteri quamcumque sectam falsam, protestatione præmissa, se id non facere animo deserendi veram fidem, sed ne vita, & bonis suis spolietur, quod nullo pacto dici debebit.

Objicies quintò: Hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse, non sunt actus per se ordinati ad significandam sectam falsam (quapropter si hæretici prædictos actus ad hunc finem ordinent, est per accidens:) ergo si Catholicus eosdem actus faciat sine intentione profitendi sectam falsam, non peccabit, sed solùm permittet, quod alij decipiantur ob iustam causam, ne scilicet ipse suis bonis spolietur. 17

Respondetur: Distinguo antecedens: Non sunt actus per se ordinati ad significandam sectam falsam, ita vt neque sint ordinati ex instituto hominum, nego; ita tamen, vt sint ordinati ex instituto hominum, concedo: quapropter, cùm tales actus ex communi impositione, vsu, & instituto hominum sint actus Religionis & facti, sic iubente Principe hæretico, vt significent cultum superstitiosum, atque adeò ad hunc finem instituti, fit, quod quacumque intentione fiant, à mortali non excusetur, qui eos fecerit. Vt omittam alia præterea, & incommoda, quæ exinde etiam sequuntur, vti suprà probabam.

Objicies sextò: In illis Regionibus nemo est, qui 18 nesciat Catholicos facere illos actus non spontè, sed ne deperdant vitam, vel bona, & Principem id præcipere, non ob Religionem, sed ob pecuniæ lucrum: ergo si Catholicus hæreticorum Templa frequentet, eorúmque concionibus, &c. intersit, nullam scandali occasionem aliis præbebit.

Respondetur: Nego antecedens; Non enim tam certum est, Catholicos hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse omninò inuite; cùm id nonnullis possit esse ignotum; nec etiam tam certum est, Principem id præcipere solùm ob pecuniæ lucrum, quod si hæc, tanquam certa, concedamus, adhuc argumentum nihil probat, quia per huiusmodi actiones adest periculum propriæ, vel alienæ proximi ruinæ, & fides nostra contemnitur, quinimò (saltem tacitè) etiam abnegatur, & quamplurima præterea alia mala, atque incommoda sequuntur, vti suprà dicebam.

Objicies septimò: si peccatum esset, hæreticorum 19 Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse, id potissimum esset, quia fideles dissimularent fidem Catholicam, quando vrget præceptum illam exteriùs profitendi; sed falsum est, quod hic & nunc eam (ex eo scilicet quod vrgeat præceptum de illa exteriùs profitenda) dissimulare, sit peccatum, cùm leges non soleant obligare cum graui incommodo: ergo Catholicus ad vitandam vitæ, vel bonorum pœnam impositam, poterit hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse sine peccato.

Respondetur: Transeat maior: Dixi autem transeat maior, quia præter rationem assignatam sunt & aliæ rationes, eæque etiam potissimæ, sicuti patet ex dictis; At nego minorem, quia licèt præceptum positiuum 20 non obliget cum graui incommodo, obligat tamen præceptum diuinum, quale est hic & nunc de profitenda exteriùs fide Catholica coram Tyranno; & quod hic & nunc obliget tale præceptum.

Patet primò, quia communis sententia Theologorum 21 est, tunc prædictum præceptum obligare, quando fidelis publica auctoritate de sua fide interrogatur, vtrum scilicet Catholicam, an aliam Religionem sectetur; sed cùm in Regionibus hæreticorum Catholici per Edictum Principis compelluntur hæreticorum Templa frequentare, eorúmque concionibus, &c. interesse, virtute interrogantur de sua fide, vtrum scilicet Catholicā Religionē profiteantur, an potiùs hæreticorū ritus, &c. approbēt & sectētur, ergo tūc obligat præceptū diuinū de profitēda exteriùs fide corā Tyrāno; alioquin de ipsis dici posset, quod erubescerent Christum, ita vt & ipsis optimè accommodari.

commodari possint verba Cypriani in libro de lapsis, quatenus ait, non esse dicendum Christianum, nec esse cum Christo, qui Christianus esse confunditur, veretur, vel erubescit.

22 Patet secundò; quia sub grauissimis pœnis præcipitur, quod omnes Templa hæreticorum adeant, eorúmque concionibus, &c. intersint, & ostendant quatenam Religionem sectentur: ergo virtute tunc omnes interrogantur de sua fide; sicque tunc obligat præceptum diuinum de fide exteriùs profitenda coram Tyranno, ita vt omnes teneantur illud implere, quod quidem implerent, si recusauerint prædicta hæreticorum Templa adire. Quod si non recusauerint, sed potiùs exteriùs cum hæreticis eorum actus (quamuis simulato animo) fecerint, non seruant præceptum diuinum de profitenda exteriùs fide coram Tyranno; sicut optimè adnotauit præterea Chrysostomus homilia 25. in Matthæum, & Cyprianus libro de lapsis, quatenùs aiunt. *Totis viribus resistendum est huiusmodi Edictis & Legibus; & præstat amittere bona temporalia, quàm animam;* sicut adnotauit etiam idem Chrysostomus oratione prima de prouidentia & fato, Augustinus libro de fide & symbolo

23 cap. 1. & Nazianzenus oratione 53 quatenùs inquiunt. *Magis est fugiendum à locis, & concionibus, quæ pestilentibus opinionibus complentur, quàm à locis contagiosis, infectis, quia hæc corporibus nocent, illi verò animas interimunt.* Videri etiam poterit Irenæus libro 1. capite 14. quatenùs asserit: *Exsufflantes, & anathematizantes oportet longè fugere ab hæreticis,* & libro 3. capite 3.

24 quatenùs inquit: Apostoli, eorúmque discipuli (idémque traditur de sancto Antonio Abbate) tantùm habuerunt timorem, vt ne verbo quidem communicarent alicui eorum, qui adulterauerant veritatem.

25 Obijcies octauò: Qui hæreticorum Templa frequentant, eorúmque concionibus, &c. intersunt, animo tamen orandi ritu Catholico non communicant cum hæreticis in ritibus neque hæreticorum Religionem profitentur: ergo non peccant.

Respondetur: Distinguo antecedens: Non communicant cum hæreticis, neque hæreticorum Religionem profitemur, verè & interiùs, concedo: simulatè saltem, & exteriùs, nego; & hoc sufficit ad peccatum, vti suprà dicebam, & tradunt Tertullianus libro de spectacul. capite 13. S. Augustinus in libro contra mendacium, & in epistolis de cessatione legal. ad S. Hieronymum, & Cyprianus epistola 31. & 32. iuxta illud Apostoli 1. ad Corinth. cap. 10. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.*

26 Obijcies nonò: Libro 4. Regum capite 5. Elisæus concessit Naaman vt dominum suum ad Templum eumdem comitaretur, & simul cum illo ad suum dominum sustentandum coram idolo genuflecteret; cùm Naaman intentio non esset idolum adorare, sed tantùm obsequium domino suo præstare: ergo multò magis poterit Catholicus hæreticorum Templa, sine animo honorandi ritus illorum, ad præstandam obedientiam Principi suo, qui sic mandat, & iubet, frequentare.

27 Respondetur: Concedo antecedens; at nego consequentiam; quia licitum quidem est, hæreticorum Templa frequentare ob aliquod negotium ciuile; ita vt famuli comitari possint dominos suos hæreticorum Templa frequentantes, dummodò cum illis nec in precibus, nec in ritibus communicent; & similiter, si Princeps sua Templa frequentet, possint ipsius famuli, & subditi coram illo ferre sceptrum, coronam, gladium,

28 &c. Nam hoc modo hæreticorum Templa frequentant solùm materialiter, & non formaliter; & hoc modo Elisæus concessit Naaman, quod posset comitari Principem suum; at quod nos contendimus, est, quod non liceat hæreticorum Templa frequentare causa superstitionis; cùm id præcipiatur, vt Catholici ab hæreticis dignoscantur, vtque ritus hæreticorum cum honore celebrentur. Omitto, quod, si etiam in primo casu adesset periculum spiritualis ruinæ propriæ, vel alienæ proximi, vt sequatur contemptus fidei, neque in primo casu etiam res licita sit ob easdem rationes.

COROLLARIVM

An possint Inquisitores indicere abiurationem de vehementi, & punire, tanquam credentem hæreticorum eum, qui bis hæreticorum concionibus, seu conuenticulis assistit?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores non possunt indicere abiurationem de vehementi, & punire, tanquam credentem hæreticorum, eum, qui bis eorum concionibus seu conuenticulis assistit; quia is est tantùm de hæresi suspectus leuiter, & multò magis si tantùm semel assisterit, contra plures Doctores oppositum sentientes, eo quia ex actu geminato videtur crimen trahi ad consuetudinem.*

2 *Limita, id non habere locum in terris Catholicorum, vbi si quis sciat occulta conuenticula hæreticorum, & ad ea etiam semel accedat, est suspectus de hæresi vehementer.*

Respondetur (quamuis affirment Ioannes Andreas, Archidiaconus, Geminianus, & alij *in cap. Quicumque §. hæretici verb. Credentes de hæret. in 6.* Repertor. Inquisit. *verb. Credentes §. Ponamus.* Calderinus *tractatu de hæret. c. 3. n. 4.* Zanchin. *de hæret. c. 3. n. 6.* & Campeg. *in annotation. ad eundem Zanchinum ibidem.* Moti ex eo, quia ex actu geminato videtur crimen trahi ad consuetudinem) Probabiliùs tamen negent Suarez *de fide disp. 24. sect. 3. n. 3.* Peña *in director. Inquisit. part. 2. quæst. 50. vers. si & plurimum.* Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 15. quæst. 1.* & Sousa *in Bull. Cœn. c. 1. disput. 8. n. 10.* (ita vt prædictus sit tantùm suspectus de hæresi leuiter, & multò magis, si solùm semel assisterit, sicque non debeat abiurare de vehementi) eum hac tamen limitatione, vt id, quod modò dixi, non procedat etiam in Terris Catholicorum; quia si quis in Terris Catholicorum sciat occulta conuenticula fieri ab hæreticis, & ad ea, etiam semel, accedat, erit suspectus de hæresi vehementer, atque adeò abiurare debebit de vehementi, nisi ignorantia, vel alia circumstantia facti, vel qualitas personæ in contrarium concurrat. 1 2

PETITIO IV.

An licitè possit quis cum Hæreticis, vel Infidelibus disputare de fide, præsertim publicè?

SVMMARIVM.

1 *Potest quis licitè cum hæreticis, vel infidelibus disputare de fide, præsertim publicè, si scilicet talem disputationem inierit ad fidem defendendam, erroresque refellendos.*

2 *Theologia ab Augustino dicitur scientia necessaria ad hæreticos refellendos, & fidem Catholicam defendendam.*

3 *Christus Dominus disputauit cum Pharisæis, & quidam de Synagoga cum Stephano Paulus confundebat Iudæos, & disputabat cum Græcis.*

4 *Qui cum hæreticis de fide disputat, fidem disputando profitetur, & talem disputationem ad ipsius fidei honorem, &c. refert, & ordinat.*

5 *Textus* in l. nemo Cod. de summa Trinit. *cùm sit ciuilis, & feratur circa materiam spiritualem, Clericos non comprehendit.*

6 *Clericis prohibetur disputare de rebus fidei, quæ sunt certa & ab Ecclesia iam semel definita.*

7 *Disputare de fide cum hæreticis, vel infidelibus, non est nisi bonum, atque adeò licitum, si fiat cum circumstantiis requisitis. Vide quænam sint.*

1 Respondetur affirmatiuè; si scilicet talem disputationem assumat ad fidem defendendam, erroresque refellendos. S. Leo *epist.* 20. S. Augustinus *lib.* 14. *de*
2 *Trinitat.* (quatenùs ait, operam dandam esse Theologiæ, tanquam scientiæ necessariæ, & ad hæreticos refellendos, fidémque Catholicam defendendam vtilissimæ) & alij Sancti Patres passim, quos sequitur S. Thomas 2. 2. *q.* 10. *a.* 7. Caietanus, Bañez, Valentia, & Aragonius *ibid.* Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. Coninch. *disp.* 18. *dub.* 9. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 6. & alij Doctores communiter.

3 Probatur primò, auctoritate ex Scripturis; quia *Matthæi* 24. *& Ioannis VIII.* Christus Dominus disputauit cum Pharisæis, & Act. 6. *Surrexerunt disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ, & spiritui, qui loquebatur.* Et Act. 9. *Paulus conualescebat, & confundebat Iudæos, & loquebatur Gentibus, & disputabat cum Græcis*, & cap. 17. Idem *Paulus disserebat de Scripturis, secundùm consuetudinem* & paulò post: *disputabat in Synagoga cum Iudæis*, &c.

4 Probatur secundò ratione; quia qui cum hæreticis de fide disputat, fidem disputando profitetur, & talem disputationem ad ipsius fidei honorem ad maiorem eiusdem fidei cognitionem, ad hæreticos confutandos, vel conuertendos, & ad Catholicos confirmandos refert, & ordinat. Ergo disputare de fide cum hæreticis, non est nisi bonum, atque adeò licitum; si scilicet (vt infrà dicetur) fiat cum circumstantiis requisitis.

5 Obiicies: *In l. Nemo Codice de Summa Trinitate.* prohibetur etiam & Clericis de rebus fidei disputare: Ergo.

Respondetur, quod talis lex, cùm sit ciuilis, & feratur circa materiam spiritualem, Clericos non comprehendat; Becanus *tractat. de fide cap.* 15. *quæst.* 7. *num* 8. Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 26. *quæst.* 2. & alij, quos sequitur Sanchez *lib.* 2. *mor. c.* 6. *n.* 8.

6 Respondetur secundò, distinguo antecedens: prohibetur etiam & Clericis disputare de rebus fidei, quomodocumque, nego: disputare de rebus fidei, quæ sint certæ, & ab Ecclesia iam semel definitæ, concedo: quod etiam prohibitum est à Concilio Chalcedonensi *in secunda definitione fidei*, & à Leone Papa *epist.* 48. *ad Martianum Imperatorem*; Et meritò; quia disputare de fide in dubium reuocando, & iterum in examen adducendo ea, quæ sunt certa, & ab Ecclesia iam semel definita, præterquam quod est dubitare de fide, ad nihil aliud deseruit, nisi vt fideles perturbentur, atque adeò est protsus illicitum: quod multò magis illicitum erit, si fiat ex animo, & voluntate fidem oppugnandi; sic Doctores, quos sequitur Suarez *citata disp.* 29. *sect.* 1.

7 Cæterùm dixi, quod disputare de fide cum hæreticis, vel infidelibus, non est nisi bonum, atque adeò licitum, si fiat cum circumstantiis requisitis; quæ cùm sint ad summum quatuor: Prima ex parte finis. 2. Ex parte conditionis personæ disputantis. 3. Ex parte conditionis Audientium. 4. Ex parte conditionis modi disputandi: Ideò sit

PETITIO V.

An licitè possit quis disputare cum hæreticis, vel infidelibus de fide (præsertim publicè) ex parte finis?

SVMMARIVM.

1 *Disputare quis licitè potest cum hæreticis, vel infidelibus de fide, præsertim publicè, ex parte finis, si scilicet talem disputationem assumat ad fidem defendendam, erroresque refellendos: secus si ad fidem euertendam, erroresque seminandos.*

2 *Hæretici solent Scripturas, & Conciliorum decisiones in quæstionem adducere contra legem Dei, & sacrorum Canonum.*

3 *Neque disputare quis potest cum animo firmo defendendi fidem, sed animo dubio, an scilicet debeat illam amplecti; quia talis animus constituit infidelitatem, ac proinde disputatio illa non est ex fide, sed contra fidem, ideoque illicita.*

4 *Idque procedit in iis, quibus fides iam sufficienter proposita est, & ob id sunt obligati eam firmiter tenere. Secus si fides non sit sufficienter proposita; quia tunc ad veritatem inquirendam Mysteria fidei licitè possunt adducere in quæstionem; tunc enim disputatio est medium ad fidem amplectendam.*

5 *Amplia, id procedere etiam in hæretico, cui fides sufficienter est proposita, cùm possit fieri, quod is velit errores deserere, sed argumentis aliquibus apparentibus sibi tamen visis efficacibus vrgeatur, quasi proponat viro docto, à quo solutionem illorum accipiat, errores deseret, sic enim faciens nihil operatur contra fidem.*

6 *Secus si eandem disputationem assumat cum hæretico, vel cum infideli pertinaci, quia talis disputatio est otiosa, & nullius fructus.*

7 *Disputatio cum illo ineunda non est, qui ita subuersus, & obstinatus est, vt spes esse non possit, quod sit reducendus, sed potiùs sumpturus occasionem irridendi fidem, & fidei fundamenta firma eludendi, atque alios peruertendi.*

8 *Hæretici ex Augustino disputare non amant, sed quomodocumque imprudentissima pertinacia superare.*

9 *Quod tamen ex Chrysostomo intelligendum est tantùm de illis, de quibus certi sumus, quod quantumcumque fecerimus, nunquam eos ad veritatis vitam reuocabimus.*

10 *Disputatio cum hæretico, seu infideli pertinaci secundùm plures Doctores regulariter est tantùm peccatum veniale; at auctori probabilius potiùs videtur contrarium, videlicet quod sit peccatum mortale; quia hæreticus, vel infidelis illa obstinato animo disputans contra fidem committit quamplurima peccata, quæ tenemur nos ex charitate vitare, nisi ob aliquam causam grauem, &c.*

Respondetur affirmatiuè; si scilicet (vti dicebam) talem disputationem assumat ad fidem defendendam, erroresque refellendos; patet ex dictis *sectione præcedenti*, & tradunt cum S. Thoma 2. 2. *q.* 10. *a.* 7. communiter Doctores, quos ibi referebam. 1

Secus, si dictam disputationem assumat ad fidem euertendam, erroresque seminandos. Qua ratione solent hæretici Scripturas & Conciliorum decisiones in quæstionem adducere contra legem Dei, & sacrorum Canonum, sicuti habetur ex Concilio Chalcedonensi *actione* 5. *in* 2. *definitione fidei, & ex Epistola* 48. Leonis 2

nis Papæ ad Martianum Imperatorem, & ex Gelasio Papa *epist.* 11. *ad Episcopos Sardaniæ*, quibus assentitur etiam idem Martianus Imperator *in l. nemo C. de summ. Trinit.* quatenùs expresse ibi prohibet, quod quis in dubium reuocet ea, quæ à Concilio Generali iam semel definita sunt.

3 Secus secundò, si eamdem dictam disputationem assumat non animo firmo defendendi fidem, sed animo dubio, an scilicet debeat illam amplecti; quia talis animus constituit infidelitatem, ac proinde disputatio illa non est ex fide, & pro fide, sed contra fidem, ideóque erit illicita ex Apostolo *ad Romanos* 14.

4 Quod tamen intellige de iis, qui (cùm sit ipsis fides sufficienter proposita, sunt obligati fidem firmiter tenere; quia, si quis (cum ipsis fides sufficienter proposita non sit) vt veritatem inquirat, fidei Mysteria in quæstionem adducit, licitè poterit id facere, quia tunc est medium ad fidem amplectendam. Bannez 2.2. *q.* 10. *a.* 3. Valentia *disp.* 1. *q.* 10. *punct.* 4. *concl.* 1. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 6. *n.* 1. & alij, quos sequitur Coninch. *disput.* 8. *dub.* 9. *n.* 142. (quamuis hæc non sit disputatio Catholici cum hæretico, vel cum infideli, sed è contra disputatio hæretici, vel infidelis cum Catholico)

5 Quod adeò verum est, quod etiam hæreticus, cui fides sufficienter est proposita, possit etiam licitè hanc disputationem assumere: fieri enim potest, quod hæreticus velit errores deserere, sed argumentis aliquibus apparentibus, sibi tamen visis efficacibus, vrgeatur, quæ si proponat viro docto, à quo solutionem illorum accipiat, errores desereret, & fidem amplecteretur; quapropter in tali casu licitè poterit dicta argumenta sub tali intentione illi proponere; quia sic faciens nihil operatur contra fidem, sed potiùs in fidei fauorem assumit medium, quo possit dubitationem conceptam repellere. sic Doctores, quos sequitur Coninch. *loco suprà cit. n.* 142. *circa fin.*

6 Secus tertiò, si etiam eamdem dictam disputationem assumat cum hæretico, vel cum infideli pertinaci; quia talis disputatio est otiosa, & nullius fructus iuxta illud Apostoli 2. ad Timoth. 2. *Noli verbis contendere: ad nihil enim vtile est, nisi ad subuersionem audientium*; & iuxta illud aliud eiusdem Apostoli ad Titum 3. *Hæreticum post vnam, & secundam correctionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est*; vbi Tertullia-

7 nus de præscript. cap. 16. aduertit, quod non dixerit Apostolus post vnam, & secundam disputationem, sed post vnam, & secundam correctionem, quia disputatio cum illo ineunda non est, eo quod ita subuersus, & obstinatus sit, vt spes esse non possit, quod sit reducendus, sed potiùs quod sit sumpturus occasionem irridendi fidem, & fidei fundamenta firma eludendi, atque alios

8 peruertendi; non enim (vt rectè dixit Augustinus *libro* 3. *contra Faustum, capite* 12.) disputare amant hæretici, sed quomodocumque impudentissima pertinacia superare.

9 Quod tamen cum quibusdam Doctoribus ex Chrysostomo *homilia* 6. *super illa verba Apostoli ad Titum* 3. intelligi debet de illis solis hæreticis & infidelibus, de quibus certi sumus, quod quantumcumque fecerimus, nunquam eos ad veritatis vitam reuocabimus.

10 Cæterùm putant Suarez *disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 13. Valentia *cit. punct.* 4. *concl.* 1. *circa fin.* & alij (quos sequitur Sanch. *loc. suprà cit. n.* 2.) quod hæc disputatio cum hæretico, vel cum infideli pertinaci regulariter (sicut & alij actus otiosi) sit peccatum tantùm veniale: at mihi videtur probabilius contrarium, quod scilicet regulariter sit potiùs peccatum mortale; quia hæreticus, vel infidelis illo obstinato animo disputans contra fidem committit quamplurima peccata, quæ tenemur nos ex charitate vitare, nisi ob aliquam causam grauem (vt si dicta disputatio prodesse possit Catholicis, aut hæreticis; Catholicis illos in fide confirmando, hæreticis eorum audaciam reprimendo, vel alios ad fidem conuertendo) rationabiliter excusetur; quia tunc prædicta disputatio cum hæretico, vel infideli pertinaci sufficienter honestabitur, & licita reddetur.

PETITIO VI.

An licitè possit quis disputare cum hæreticis, vel infidelibus de fide (præsertim publicè) ex parte conditionis ipsiusmet disputantis?

SVMMARIVM.

1 *Disputare licitè quis potest cum hæreticis, vel infidelibus de fide præsertim publicè ex parte conditionis ipsiusmet disputantis, si scilicet doctus sit, & nulla lex positiua prohibeatur; in tali enim casu potest, & aliis multùm prodesse: secùs si scientiam requisitam non habeat.*

2 *Scientia quænam requiratur arbitrio prudentis viri relinquitur pro qualitate materiæ disputandæ, & pro qualitate personæ, cum qua disputatur; debet enim saltem esse talis, quod possit veritatem confirmare, & argumenta opposita facilè dissoluere.*

3 *Defendens fidem non satis est, vt sciat argumenta sibi proposita dissoluere, sed requiritur etiam, vt possit ita dissoluere, vt audientes solutionem eorum percipiant.*

4 *Laici prohibentur lege positiua disputare de rebus fidei cum infidelibus, vel hæreticis publicè, & priuatim; quia præsumuntur minùs idonei, & sufficientes ad disputandum de fidei Mysteriis. Secus est de Clericis, cùm regulariter soleant esse in sacris literis, & in doctrina Theologica magis instructi.*

5 *Laïcis prohibetur etiam prædicare, & docere, & multò magis disputare de fidei Mysteriis.*

6 *Clerici etiam si tantùm primam tonsuram habeant, & Religiosi etiam si laici vulgò dicti sint, non veniunt laicorum nomine; quia absolutè laici non sunt, sed Clericorum nomine, & priuilegio gaudent.*

7 *Laïcus quamuis doctus comprehenditur sub hac prohibitione, quia non tantùm prohibetur ob defectum doctrinæ, quæ rarò in laïcis reperitur, sed etiam propter indecentiam ob præeminentiam sacræ doctrinæ super alias facultates.*

8 *Laïcus indoctus iure naturæ prohibitus est de fide disputare, sicut Clericus indoctus.*

9 *Laicus doctus si sub hac prohibitione non comprehenderetur, prohibitio nihil iuuaret, & incommoda non vitaret.*

10 *Laicus quantumuis doctus prohibetur docere, & prædicare, ergo & de fide disputare.*

11 *Finis legis nequaquam cessat in laïco, licet defectus scientiæ in illo cesset, quia tamen communiter non cessat in aliis, finis legis nunquam cessat.*

12 *Limita prædictam conclusionem in casu necessitatis vel grauis, & euidentis vtilitatis; quia tunc obseruare legem esset contra salutem animarum, & contra bonum fidei.*

13 *Limita, si laicus non assumat hanc disputationem propria auctoritate, quia si iussus, vel rogatus à Clericis, non peccaret, cùm tunc nomine Clericorum de fide disputet; tum quia tunc verificari non potest, quod ius docendi, vel disputandi sibi vindicet, aut vsurpet.*

14 *Limita, si non sit in locis, in quibus hæretici cum Catholicis permixtim viuunt; quia ibi lex prædicta abrogata videtur per consuetudinem contrariam: cum passim se efferat occasio hæreticos arguendi, & conuincendi, ne crescant, & grassentur; tum quia videntibus,*

videntibus, & non contradicentibus Prælatis idoneè laici has disputationes assumunt non solùm verbis, sed etiam scriptis.

15 *Albertus Pighius, & Henricus VIII. Rex Angliæ, licèt laici, cum Lutheranis de fide disputarint.*

16 *Limita conclusionem intelligi de disputatione formali, qualis est, quæ assumitur ad persuadendam fidem iis, qui in fide firmi non sunt, non autem de disputatione materiali; qualis est, quæ assumitur ad exercenda, & acuenda ingenia, siue causa exercitij, & honoris.*

17 *Laico solùm prohibetur disputatio de fide cum hæretico, vel cum infideli; quia disputatio inter fideles, & Catholicos veritatem agnoscentes, & credentes, non potest esse disputatio formalis, cùm non possit esse ad fidem persuadendam, & defendendam, sed solùm exercitij causa contra Caietanum, & alios.*

18 *Laico prohibitum, & illicitum est de fide disputare ex dubitatione, quam habet de fide; quia tunc non solùm mortaliter peccat, sed etiam est hæreticus cum habeat animum recedendi à fide, si rationes contrariæ sibi magis conuincentes videantur.*

19 *Idem ob eamdem rationem dicendum est etiam de Clerico, si cum tali dubitatione de fidei Mysteriis disputet.*

20 *Excipe hominem infidelem, cui fides nondum est sufficienter proposita.*

Aduertenda.

21 *Clericus indoctus, si de rebus fidei disputet, non peccat contra prohibitionem factam* in cap. Quicumque de hæreticis in 6. *quæ solùm laicos obstringit: Peccat tamen contra legem naturalem, exponendo se periculo errandi in multis: quapropter si Clericus indoctus de fide disputabit, excommunicationem non incurret; incurret autem laicus ex vi citati capituli.*

22 *Excommunicatio in casu, de quo agimus, non est lata ipso facto, sed per iudicem Ecclesiasticum ferenda.*

23 *Laicus si de Mysteriis fidei disputet, peccat mortaliter sine dubio, si sit indoctus, & etiam si sit doctus, probabilius peccabit.*

24 *Lex quando aliquid prohibet sub pœna excommunicationis, censetur obligare ad peccatum mortale; quia cùm à lege aliquid prohibetur, vel præcipitur sub pœna excommunicationis, non requiritur alia admonitio, vt is, qui dictam legem transgreditur, à legitimo Superiore excommunicari possit, cùm sufficienter à lege sit admonitus: Ergo cùm talis excommunicari queat, sequitur quod mortaliter peccauerit.*

25 *Excommunicatio lata, cùm sit grauis pœna, grauem culpam supponit.*

26 *Prohibitio ista est in materia graui pertinenti ad bonum fidei, & Religionis, & est ordinata ad remouendos errores in doctrina, & ad remouendas occasiones rixæ, & turbationis, & consequenter obligat ad culpam mortalem.*

27 *Laicus doctus, si de Mysteriis fidei disputet, quod non peccet mortaliter, non omninò est improbabile sicut quod neque comprehendatur* in cap. Quicumque citato.

28 *Lex prohibens, vel præcipiens aliquid sub pœna excommunicationis scilicet non lata, sed solùm ferenda, non improbabile est, quod non semper obliget sub peccato mortali.*

29 *Pœnæ graues, grauiores, & grauissimæ in iure appositæ, exceptis excommunicationibus latæ sententiæ, aut sunt tales, vt sine mortali peccato incurri possint, aut si sine mortali peccato incurri non possint, exigere videntur monitionem.*

30 *Prohibitio prædicta licèt sit in materia graui pertinenti ad bonum fidei, ac Religionis, & ordinata ad remouendos errores in doctrina, & ad remouendas occasiones rixæ, & turbationis, locum habere non videtur in laico docto.*

31. *Inquisitores possunt procedere contra eum, qui disputat de fide in casu à iure prohibito.*

Respondetur affirmatiuè; si scilicet doctus sit, & nulla lege positiua prohibeatur. Suar. *citat. disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 2. Valentia 2.2. *disp.* 1. *q.* 10. *punct.* 4. *concl.* 2. & alij, quos sequitur Coninch. *disp.* 18. *dub.* 9. *n.* 140. & 141. quia in tali casu potest & fidei, & aliis multùm prodesse. 1

Secùs, si scientiam requisitam non habeat; quia tunc è contra poterit & sibi, & aliis multùm obesse.

Quæ autem scientia requiratur, arbitrio prudentis viri relinquitur pro qualitate materiæ disputandæ, & pro qualitate personæ, cum qua disputatur: illud autem pro nunc certum esse debet, quod requiratur scientia talis, quæ & veritatem confirmare, & argumenta, quæ ab illo, cum quo disputatur, proponi poterunt, possit facilè dissoluere, iuxta illud Apostoli ad Titum 1. vbi de Episcopo, ad quem spectat, hæreticos, & infideles conuincere, ait, quod debeat esse ita doctus, vt possit ea hortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. 2

Vbi aduerte, non satis esse, quod defendens fidem, sciat argumenta sibi proposita dissoluere, sed requiri etiam, vt possit ea ita dissoluere, vt audientes dissolutionem eorum percipiant: quapropter sæpè sæpiùs contingere potest, quod mediocriter doctus, & in his controuersiis versatus ad disputandum sit aptior illo, qui mentem suam satis explicare non valet; sic Doctores, quos sequitur Coninch. *loc. suprà cit.* 3

Secùs secundò, si aliqua lege positiua prohibeatur; lege positiua autem prohibentur non omnes, sed solùm laici, *c. Quicumque §. inhibemus quoque de hæret. in* 6. vbi Alexander Papa ait. *Inhibemus quoque, ne cuiquam laicæ personæ liceat publicè vel priuatim de fide Catholica disputare, qui verò contrafecerit, excommunicationis laqueo innodetur;* & *in* 6. *synodo c.* 64. *Trullano,* vbi pariter prohibetur laicis, docere, vel disputare publicè de rebus fidei: at *in cit. c. Quicumque,* prohibetur talis disputatio, non solùm si fiat publicè, sed etiam si fiat priuatim. 4

Fit autem hæc prohibitio laicis; quia præsumuntur minùs idonei, & sufficientes ad disputandum de fidei Mysteriis, cùm ex alio capite regulariter Clerici soleant esse in sacris literis, & in doctrina Theologica magis instructi; tum quia *in c. Cùm ex iuncto, & in c. sicut de hæret. in* 6. *& in Concilio Carthaginensi* 4. *c.* 48. Laicis prohibetur prædicare, & docere; ergo meritò similiter, & prohibetur de fide disputare. 5

Nomine autem laicorum non comprehenduntur Clerici etiamsi tantùm primam tonsuram habeant, neque Religiosi, etiamsi *laici* vulgò dicti, sint; quia absolutè laici non sunt, sed Clericorum nomine, & priuilegio gaudent. Dominicus *in cit. c. Quicumque de hæret. in* 6. *n.* 1. & 2. Francus *ibid. n.* 1. Suar. *disp.* 20 *sect.* 1. *num.* 10. Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 6. *n.* 6. & Coninch. *disp.* 18. *dub.* 9. *num.* 145. 6

An autem sub hac prohibitione comprehendatur etiam laicus, tametsi doctus? 7

Respondetur, quod (quamuis negent Caiet. 2.2. *q.* 10. *a.* 7. *dub.* 1. Bañez *ibid.* Petr. de Ledesma *tom.* 2. *sum. tract.* 1. *c.* 5. *concl.* 13. & ex probabili Sanchez *cit. c.* 6. *n.* 5. *ex eo,* quia tunc cessat finis legis; qui est defectus doctrinæ communiter in laicis contingens.) Probabilius tamen affirment Gloss. *in cit. c. Quicumque verb. laicæ,* Dominic. & Francus *ibid. n.* 1. Suarez *de fide cit disp.* 20. *sect.* 1. *n.* 11. Azor. *tom.* 1. *inst. mor. lib.* 8. *c.* 16. *dub. q.* 1. Valentia 2.2. *disp.* 1. *q.* 10. *punct* 4. *concl.* 2. Sanchez *loc supra cit.* Rosella *verb. Infidelis in fin.* Sylu. *verb. Disputatio n.* 1. Nauarr. *consil.* 17. *de hæret. n.* 2. & *in sum. c.* 11. *n.* 17. Albertinus *de agnoscend. proposit. q.* 13. *n.* 12. Pena *in director. Inquisit. p.* 1. *quæst. commentar.* 25. Castro *lib.* 1. *de iusta hæreticor. punit. c* 19. Aragon. 2.2. *qu.* 10 *art.* 7. *notab.* 1. Becan. *tractat. de fide cap.* 15 *quæst.* 7. *num.* 5. Coninch *disp.* 18. *dub.* 9.

dubio 9. numero 145. & alij passim.

8 Probatur; quia laicus indoctus iure naturæ prohibitus est de fide disputare, sicut Clericus indoctus: ergo cùm prohibetur laico de fide disputatio, & non Clerico, aliquid speciale laico prohibetur, quod alias Clerico licitum est; sed nihil speciale laico prohibitum esset, si illi solum, cum est indoctus, prohiberetur de fide disputatio: ergo dicendū est, quod omnis laicus, siue indoctus, siue doctus, sub dicta prohibitione cōprehendatur.

9 Confirmatur; quia si laicus doctus sub hac prohibitione non comprehenderetur, quilibet laicus præsumere, vel occasionem sumere posset, quod sufficientem ipse doctrinam habeat, vt de fide disputationem assumere possit, & sic prohibitio nihil iuuaret, & incommoda non vitaret.

10 Confirmatur secundò; quia laicus, quantumuis doctus, prohibetur docere, & prædicare; ergo & de fide disputare: Antecedens patet *ex c. cùm ex iniuncto, & ex c. sicut in vno de hæreticis in 6.* Consequentia probatur; quia ob eamdem rationem laico vtrumque prohibetur, scilicet ob sacræ doctrinæ decentiam, & ob communiter in laicis contingentem scientiæ defectum.

11 Confirmatur tertiò; quia nequaquam in laico cessat finis legis: licet enim defectus sciētiæ in illo cesset; quia tamen communiter non cessat in aliis, finis legis nunquam cessat: nam finis illius legis non fuit defectus scientiæ cuiuslibet in particulari, sed defectus scientiæ generaliter contingens in vniuersali: (leges enim feruntur non de iis, quæ rarò sed quæ frequenter accidunt, *l. nam ad ea ff. de legibus*) qui finis semper etiam si vnus, vel alter laicus sufficientem scientiam habeat, adhuc perseuerat, ergo ob scientiam non sequitur, quod laicus doctus sub dicta prohibitione nō cōprehēdatur.

Atque hinc patet ad fundamentum Aduersariorum in contrarium.

Limitationes.

12 Limita, vt quod dixi, intelligatur in casu necessitatis, vel grauis, & euidentis vtilitatis: vt si v.g. esset infidelis, vel hæreticus aliquis, qui fideles peruerteret, & Clericus doctus non adesset, qui posset cum illo de fide disputare; quia tunc posset laicus doctus dictam de fide disputationem assumere (cùm tunc obseruare legem, esset contra salutem animarum, & contra bonum fidei) quinimò & propterea teneretur, tum scilicet ratione charitatis proximo debitæ, tum ratione fidei & Religionis despectæ, quam debet ab iniuria liberare. Suarez *tract. de fid disp. 20. sect. 1. n. 11.* Valentia 2.2. *disp. 1. q. 10. punct. 4. post 2. conclus.* Aragon *ibid. q. 10. a. 7. notab. 2.* Sanchez *lib. 2. mor. c. 6. n. 7.* Becanus *de fide c. 15. q. 7. n. 6.* Turriano *tr. de fide q. 10. a. 7. disp. 50.* Coninch. *disp. 18. dub. 9. n. 147.* & fauet Textus *in c. Nolite timere* 11. q. 3.

13 Limita secundò, vt laicus hanc disputationem assumat propria authoritate, quia si eam assumeret iussus, vel rogatus à Clericis, non peccaret, cùm tunc nomine Clericorum de fide disputet; tum quia tunc verificari non potest, quod ius docendi, vel disputandi sibi vindicet, aut vsurpet: quæ est materia prohibitionis, vti colligitur ex Leone Papa *epist. 162. cap. vlt.* vbi dicitur: *Nullus laïcus ius docendi sibi vindicet.* Et *ex can. 64. 6. Synod.* vbi similiter legitur, quod laïcus docendi authoritatem sibi non vsurpet: quæ verba clarè significant, quod non peccet laïcus, si à Clericis iussus, vel rogatus, cùm infidelibus, vel cum hæreticis disputationem assumat. Vide Doctóres, quos squitur Suarez *cit. disput. 20. sect. 1. n. 11.*

14 Limita tertiò, si non sit in locis in quibus hæretici cum Catholicis permixtim viuunt, quia ibi lex prædicta abrogata videtur per consuetudinem contrariam; cùm passim se offerat occasio hæreticos arguendi & conuincendi, ne crescant & grassentur; tum quia videntibus & non contradicentibus Prælatis, idoneè laï-
15 ci has disputationes assumunt; & quidem quod in dictis locis sic vsu receptum sit; vt scilicet laici docti cum hæreticis de fidei mysteriis non solùm verbis, sed etiam scriptis, (vt fecerunt Albertus Pighius, & Henricus VIII. Rex Angliæ, qui tametsi laici, cum Lutheranis de fide disputarunt) disputationes assumant; notant Caietanus 2.2. *q. 10. art. 7.* Bannez *ibidem.* Petrus de Ledesma *in summa tom. 2. tract. 1. cap. 5. concl. 13.* Valentia 2.2. *disput. 1. q. 10. punct. 4. concl. 2* Becanus *de fide, cap. 15. q. 7. num. 6.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 6. num. 7.* Coninch. *disput. 18. dub. 9. num. 147.* & Turrianus *tract. de fide, q. 10. art. 7. disput. 50.*

Limita quartò, vt intelligatur de disputatione formali, qualis est, quæ assumitur ad persuadendam fidem iis qui in fide firmi non sunt, non autem de disputatione materiali, qualis est quæ assumitur (vt fit in scholis) ad exercenda & acuenda ingenia, seu causa exercitij & honoris. Caietan. 2.2. *q. 10. art. 7. dub. 1.* Bannez *ibidem.* & Aragonius *notabil. 2.* Nauarrus *in summa cap. 11. num. 27.* Castr. *lib. 1. de inst. hæretic. punit. cap. 19.* Petrus de Ledesma *in summa tom 2. tract. 1. cap. 5. concl. 13.* Valentia 2.2. *disput. 1. q. 10. punct. 4 concl. 2.* Suar. *tract. de fide disput. 20. sect. 1. in principio.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 6. num. 9.* & Coninch. *disput. 18. dub. 9. circa finem.* Quapropter licitè potest laicus de mysteriis fidei causa exercitationis disputare, quia talis disputatio est vtilis ad ingenia exercenda; tum quia sic addiscitur modus disputandi cum hæreticis, & confirmandi mysteria fidei; dummodo nullum subsit periculum nutandi de fide, neque in illo qui disputat, neque in illis qui audiunt disputationem. 16

Hinc sequi videtur, quod laïco solùm prohibeatur de fide disputatio cum hæretico, vel cum infideli, quia disputatio inter fideles & Catholicos veritatem agnoscentes & credentes, non potest esse disputatio formalis; cùm non possit esse ad fidem persuadendam & defendendam, sed solùm exercitij causa. Castr. *lib 1. de inst. hæret. punit. c. 19.* Suarez *cit. sect. 1. n. 5.* (quatenus ait, formalem disputationem solùm esse illam, quæ contra hæreticos suscipitur.) Coninch. *vbi suprà n. 146.* (quatenus inquit, prohiberi solùm disputationem ad conuincendos eos qui in fide errant,) & alij. 17

Quamuis contrarium sentiant Caiet. 2.2. *q. 10. art. 7. dub. 1.* Bannez *ibid.* Valentia 2.2. *disp. 1. q. 10. punct. 4. concl. 2.* Pet. de Ledesma *in sum. tract. 1. c. 5. concl. 13.* & alij; quatenus docent, quod laico prohibeatur de fide disputatio vera & formalis, quæ & tunc est, quando non suscipitur solùm gratia exercitij, sed etiam ad fidem (cum hæreticorum argumenta proponantur, vt iis solùtis fidei veritas confirmetur) suadendam & confirmandam.

At (quidquid sit de hoc) illud tamen omninò dicendū est, quod laico prohibitum, & illicitum sit, de fide disputare ex dubitatione, quam habet de fide; quia tunc non solùm mortaliter peccat, sed etiam est hæreticus (cum habeat animum recedendi à fide, & rationes contrariæ sibi magis conuincentes videantur), qui autem sic dubitat, est hæreticus; S. Thomas 2.2. *q. 10. art. 7.* quem sequuntur communiter Doctores, ergò est quod idem in hoc casu dicendum erit de Clerico, si similiter cum tali dubitatione de fidei Mysteriis disputet propter eamdem rationem. 18 19

Excipe tamen hominem infidelem, cui fides nondum est sufficienter proposita; si enim iste talis de fide dubitet, & de illa ad veritatem inquirendam disputet, non peccabit mortaliter, vti dicebam suprà *petitione precedenti*, & tradunt Bannez *citat. q. 10. art. 7.* Valentia *citato puncto 4. concl. 1.* Becanus *tract. de fide c. 15. q. 7. num. 1.* & alij communiter. 20

Aduertenda.

Aduerte tamen hic primò, quod Clericus indoctus, si de rebus fidei disputet, non peccet contra prohibitionē factam *in cap. quicumque de hæret. in 6.* (cùm prohibitio in eo Textu facta solùm Laïcos obstringat) peccabit tamen contra legem naturalem, exponendo se periculo errandi in multis, ita vt sic & sibi, & aliis obesse possit; Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 26. q. 5.* Becanus *tract. de fide cap. 15. disput. 7. num. 7.* & alij quos sequitur 21

Sanchez *lib.1.moral.cap.6.num.8.* vterque igitur, (tam scilicet Clericus, quàm laicus indoctus) de fide disputando peccabit; Laicus tamen contra legem naturalem & Ecclesiasticam, Clericus autem solùm contra legem naturalem; Quapropter si Clericus indoctus de fide disputabit, excommunicationem non incurret; incurret autem laicus ex vi prædicti *cap. Quicumque de hæretic. in 6.* cùm excommunicatio non inferatur a iure naturali, sed solùm à iure Ecclesiastico, & tunc quando illa ab isto iure importatur & explicatur.

21 Aduerte secundò, quod excommunicatio quam in isto casu incurrit laicus, non sit ipso facto lata, sed per Iudicem Ecclesiasticum ferenda. Glossa *in cit.cap. Quicumque, verbo Innodetur.* Syluester *verbo disputatio n.1.* Valentia 2.2. *disput.1.q.10.punct.4.vers.alij etiam.* Turrianus *de fide q.10. art.7.* Suarez *de fide disput.20, sect.1. num.12.* Sanchez *lib.2.moral.cap.6.num.3* Emmanuel Sà *verb.Fides, num.3.* Conineb. *disput.18.dub.9.num.143.* & Becanus *vbi suprà, num.7.*

Ratio, quia lex vtitur verbo de futuro, scilicet *innodetur*, quod natura sua non importat excommunicationem latam, sed quod per sententiam ab altero illa feratur. Gloss. *in l. In criminali, Cod.de iurisd. omn.Iudic. & in l. Habemus, §.sanè, Cod.de sacros. Ecclesiis, & in l.1. Cod. Ne liceat potentiori, & in Auth. Habita, Cod. Ne filius pro patre, & in l.Improbum, Cod.ex quibus causis infamia irrogetur, & in cap Quisquis de elect verbo fiat, & verbo suspendatur, & in cap. Quia propter de fore compet verbo priuentur, & in cap.si diligenti eod.tit.verb.causam perdent, & in cap.Cum in de vsuris, verbo priuandus, & in Clement. sæpe de verb. signific.verbo Irritandus*, & Tiraquell.*de reuocand.donat.verbo reuertatur, num.36.& seqq.* Ananias *consil.31.* Marsilius *in Practica §. Aggrediar n. 116.* Albericus *in dictionar.verbo Ipso iure.* Angelicus *consil.371.* Suarez *de legib.tract.14. disput.13.sect.6. num.7.* & 8. Tuscus *Practic.conclus.verbo Priuatio conclus.713.n.8.& seqq.*& alij communiter.

23 An autem laicus, si de mysteriis fidei disputet, peccet mortaliter?

Respondetur affirmatiuè, idque sine dubio, si sit indoctus, quia tunc exponit se periculo errandi in multis, ita vt & sibi & aliis obesse possit (vt suprà dicebam) ob quam rationem peccabit etiam mortaliter Clericus indoctus.

24 Si verò laicus fuerit doctus, adhuc etiam probabilius peccabit mortaliter. Caietanus *in summa verbo disputatio in fine.* Armilla *eodem verbo num.* 1. Nauarrus *consil.24. de hæretic.num.2. & in summa cap.11. num.17. vers.quintò.* Suarez *tract.de fide, disput.20.sect.1.num 12,* Albertin.*de agnoscend.propositionq 13.num.* 11. Emmanuel Sa *verbo fides, num.3.* & Sanchez *lib.2.moral.cap.6. num.3.*

Primò, quia disputare de fide laico prohibetur sub pœna excommunicationis *in cap. Quicunque, §.inhibemus, de hæretic. in 6.* sed quando lex aliquid prohibet sub pœna excommunicationis, censetur obligare ad peccatum mortale (sicuti docent Caietanus 2.2. *q.186. art.9.ad 2.Argumentum.* Gabriel *in 4.dist.16.q.3. art.1. circa finem.* Angelus *verbo Clericus num.* 4. Syluester *eodem verbo 2.num.2.vers. quartò peccat.* Tabiena *eodem etiam verbo secundo num.7.* Nauarrus *in summa cap. 23. num.53.* Vasquez *1.2. q.96.art.2. disput.158. cap 5. n.41. & seqq.* Salonius 2. 2. *q.77. art.1. controuers.8. regul. 3.* Henriquez *lib.13. de excommunic.cap. 17. num.2.* Sayrus *in claui regia; lib.3; cap. 7. num. 25.* Azor. *tom.1. lib. 5. cap. 6. q. 5.* Conarruu. *in Regula Peccatum, part. 2. §. 5. num. 3. & in cap. Alma mater, part.1. §. 9. num.2.* Sotus *in 4.dist.20.q.1. art.4.vers. Hinc fit & dist.22.q.1. art.2. conclus.1. corollar.1.* Valentia 2.2.*q.10. punct.5.vers. Præter hanc.* Ledesma 2 *part. 4. q.17. art.2. dub.6. & q.23. art. 5.* Aragonius 2. 2. *q. 62.art. 3. §. Et si quis quæras.* Ioannes Medina *Cod.de Ieiunio, in quæst.de necessit seruand.ieiun. vers. Vt igitur.* Medina *prima secundæ.q.96. art. 4 vers. quarta Regula.* Rodericus *in summa tom. 1. cap. 194. num.2.* Gutierrez *lib. 1. quæst. Canonic.cap. 7. num.15.& seqq.* Philiarchus *tom. 1. p.2.lib.3. cap. 3. dicto 3.* & alij passim,) Quia, cùm à lege aliquid prohibetur, vel præcipitur, præcipitur sub pœna excommunicationis, non requiritur alia admonitio, vt is qui dictam legem transgreditur, à legitimo superiore excommunicari possit (cum sufficienter à lege sit admonitus, vt docet Abbas *in cap.Cum sit Romana de Appellat. num.* 18. Ergo, cùm talis transgressor excommunicari queat, sequitur, quod mortaliter peccauerit; cùm nemo sine peccato mortali excommunicari possit, *cap. Nemo Episcopum, & cap. nullus* 11. *q.* 3. & tradit Tridentinum 25
Concilium *sess. 25. cap. 3. de reformat.* & ratio est, quia cùm excommunicatio lata sit grauis pœna, necessariò grauem culpam supponit.

Secundò, quia prohibitio ista est in materia graui 26
pertinenti ad bonum fidei ac Religionis, & est ordinata ad remouendos errores in doctrina, & ad remouendas occasiones rixæ & turbationis (quæ facilius in disputatione laicorum timeri possunt) ergo lex laico prohibens, ne de fidei mysteriis disputet, obligat ad culpam mortalem.

Quamuis contrarium (quod scilicet laicus doctus, 27
si de mysteriis fidei disputet, non peccat mortaliter) non omninò improbabile sit, non solùm quia ad mentem Caietani, Bannez, Petri de Ledesma, Sanchez, & aliorum non improbabile est, quod sub dicta prohibitione *in cap Quicunque, §. Inhibemus quoque de hæretic. in 6.* facta non comprehendatur laicus, si doctus sit, sed etiam.

Primò, quia neque improbabile est, quod lex pro- 28
hibens, vel præcipiens aliquid sub pœna excommunicationis (scilicet non latæ, sed ferendæ) non semper obliget sub peccato mortali. Petrus de Soto *sect. 3. de excommunic. §. primò igitur.* Driedo *lib.* 2. *de libertate Christ. cap. 1. ante 3. propositionem.* Valentia *tom.3. disp. 7. q.5.punct.6 q.3. vers. quartum signum,* & alij, quibus fauet Caietanus *in summa verbo Clericorum peccata*; quatenus ibi ait, quod si quis ex Clericis comam relaxauerit, (quamuis sit excommunicandus) non peccet mortaliter, quia non incurrit pœnam excommunicationis latæ, sed tantùm ferendæ, si scilicet monitus contumax fuerit, quoniam quidquid sit de rigore iuris, æquitatis tamen ratio habet vt non sit excommunicandus, nisi præmonitus à Iudice suo; tum ne quasi ex improuiso tanta, talisque pœna inferatur pro iis quæ non sunt ex suo genere criminosa, tum propter tantam multitudinem impunè solitam hæc transgredi, ita vt non pro magno peccato transgressio reputetur, quæ ex suo genere mala non est, sed ex positiuo iure: excommunicatio enim non nisi pro magno crimine infligenda est; & propterea (subdit idem Caietanus) meo iudicio non incurrit mortale peccatum ante contemptum, seu contumaciam; Et propter hanc rationem (quia scilicet 29
pœnæ graues, grauiores, ac grauissimæ in iure appositæ, exceptis excommunicationibus latæ sententiæ, aut sunt tales, vt sine mortali peccato incurri possint, aut si sine mortali peccato incurri non possunt, exigere videntur monitionem, vt hæc nisi in contumacem feratur) extendi iudicium meum ad omnia Clericis prohibita; & dixi, quod si desit temeritas, contemptus, & contumacia, non video ex vi præcepti peccatum ad mortale; qui autem putat omnia præcepta obligare ad mortale eget lumine, quo videat, nec naturalis, nec diuini, nec (& multò magis) humani iuris præcepta omnia obligare ad mortale, sed ea sola, quorum transgressio est contra charitatem.

Secundò, quia licet, vt dicebatur, prædicta prohibitio 30
sit in materia graui pertinenti ad bonum fidei, ac Religionis, & ordinata ad remouendos errores in doctrina, & ad remouendas occasiones rixæ & turbationis (quæ faciliùs in disputatione laicorum timeri possunt) hoc tamen locum habere non videtur in laico docto, præsertim, cùm vtpote talis, prudens etiam esse consueuerit.

COROLLA-

COROLLARIVM

An possint Inquisitores procedere, & punire eum (qui siue laicus, siue etiam Clericus, verbi gratia, in loctus) disputat de fide in casu à iure prohibito?

31 EX dictis sequitur affirmatiuè; & docent Vmbert. Locat. *in prax. Inquisit. verbo disputare n. 2.* Zanard. & alij, quos sequitur Farinac. *de hæres. q. 78. n. 117.*

PETITIO VII.

An licitè possit quis disputare cum hæreticis, vel infidelibus de fide (præsertim publicè) ex parte conditionis audientium?

SVMMARIVM.

1 *Disputare cum hæreticis, vel infidelibus de fide, præsertim publicè ex parte conditionis audientium licitè quis potest, si scilicet disputatio fiat cum fructu illorum; secùs si fiat cum damno, quod regulariter est timendum, si disputatio habeatur coram vulgaribus.*

2 *Culpa, quam quis incurrit propter dictam disputationem est peccatum imprudentiæ secundùm Sanchez, & Caietanum, & rarissimè secundùm Valentiam, periculum est, vt excedat peccatum veniale; sed Authori multò probabilius videtur oppositum, quod scilicet rarissimè excusetur à peccato mortali, quia rarissimè abest periculum peruersionis, si scilicet habeatur coram indoctis.*

3 *Damnum prædictum Audientium in triplici casu non est timendum, ideóque peccatum mortale non interuenit. Primò, si concurrat doctrina disputantis, & argumentorum clarissima solutio. Secundò, si disputatio assumatur ad stabiliendum fideles vacillantes hæreticorum persuasionibus, vel infidelium. Tertiò si Auditores sint viri docti.*

4 *Doctorum nomine hic veniunt non solùm ij, qui perfectè sunt literati, sed etiam omnes, qui sunt capaces talis doctrinæ, & ei aliquo modo student; quia hoc solùm satis est, vt ex auditione disputationis periculum ipsi non generetur.*

5 *Fides impugnanda non est in disputationibus, quæ fiunt exercitij causa, quia præterquam quod periculum est de rebus fidei disputare, periculum etiam esse potest, ne deinde incipiant in fide vacillare.*

6 *Disputantes de fide regulariter plus detrimenti, quam vtilitatis afferre solent, & cur?*

7 *Disputans cum hæreticis secundùm Diuum Bernardum debet possidere eloquentiam, linguarum peritiam, antiquitatis cognitionem, Patrum eruditionem, in artibus exercitium, & ingenij celeritatem magnam.*

1 REspondetur affirmatiuè; si scilicet disputatio fiat cum fructu illorum; quia tunc, cùm sit vtilis, absque dubio licita erit; sic Doctores communiter, quos duabus Petitionibus immediatè præcedentibus referebam.

Secùs, si fiat cum damno, & detrimento eorundem; regulariter tamen hoc damnum, & detrimentum audientium timeri potest, si disputatio fiat coram vulgaribus, & indoctis hominibus; quia tales faciliùs argumenta in contrarium, quam nostræ fidei rationes, & Aduersariorum solutiones percipiunt. Tum quia hæretici coram illis, vtpote indoctis, controuersiam vocibus, & arrogantia definire intendunt, ex quo fit, quòd, licèt prædicti Auditores priùs firmi fuerint in fide, postea tamen vacillare incipiant in eadem; quapropter regulariter illicita erit talis disputatio. S. Thomas 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 7. Caietanus, & alij passim *ibidem.* Suarez *de fide disp.* 10. *sect.* 1. *n.* 14. Sanchez *lib* 2. *moral. c.* 6. *n.* 10. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 10. *punct.* 4. *post quintam conclusionem.* Conimb. *disp.* 18. *dub.* 9. *n.* 139. & Turrian. *de fide q.* 10. *a.* 7.

Subdit tamen Sanchez *loc. supra cit.* cum Caietano *in summa verbo Disputatio*, quod huiusmodi culpa sit peccatum imprudentiæ; subditque cum Valentia 2. 2. *disp.* 1 *q.* 10. *punct.* 4. *concl.* 1. *circa fin.* quod rarissimè periculum sit, vt excedat peccatum veniale; sed mihi multò probabilius videtur contrarium, quod scilicet rarissimè excusetur à peccato mortali; quia rarissimè abest periculum peruersionis; si scilicet disputatio fiat coram indoctis & vulgaribus hominibus, vti suprà dicebam. 2

Quamuis in triplici casu concedam, quod prædictum damnum, & detrimentum audientium timendum non sit, atque adeò mortale peccatum non intercedat. 3

Primò, si disputans sit ita doctus, vt aduersariorum argumenta tanta claritate soluat, vt meritò iudicare possit, quod id auditores facilè sint percepturi: hoc tamen rarissimè contingit, vti rectè adnotarunt Sanchez, & Valentia *in locis suprà cit.*

Secundò, si iam auditores sollicitati sint ab aliquo hæretico, & sic ij quasi in fide vacillare cœperint; quia tunc vir doctus potest, quin & tenetur, disputationem assumere, vt expulsa dubitatione firmitatem illi recipiant; aliàs silentium, & disputationis timor multùm dubitantibus obesset. S. Thomas, Suarez, Sanchez, Valentia, Turrianus, & alij, quos suprà citabam in locis allegatis.

Tertiò, si Auditores sint viri docti; scilicet tales, qui rationes pro vna, & altera parte percipere possint; quia tunc disputatio non videtur periculosa, sed potiùs proficua, & vtilis. S. Thomas, Suarez, Sanchez, Valentia, Turrianus, & alij vbi suprà.

Per doctos igitur in hoc loco intelliguntur non solùm ij, qui perfectè sunt literati, sed etiam omnes, qui sunt capaces talis doctrinæ, & ei aliquo modo student; quia hoc solum satis est, vt ex auditione disputationis periculum ipsis non generetur: quapropter Valentia dixit, quod disputari possit de rebus fidei, non solùm coram hæreticis, sed etiam coram aliis cordatis, & prudentibus viris, qui iudicantur, quod sint futuri capaces ipsius virtutis, & etiam facilè animaduersuri errorem Aduersariorum. 4

Aduerte tamen hîc, quod (vt notauit Nazianzenus oratione 26.) in disputationibus, quæ fiunt exercitij causa ad acuenda ingenia inter Catholicos cauere quis debeat, ne in huiusmodi disputationibus impugnare fidem assuescat; quia præterquam quod periculum est de rebus fidei disputare (vt idem Nazianzenus *oratione* 3. *de Theologia in princ.* ait) periculum etiam esse potest ne deinde incipiat in fide vacillare. 5

Aduerte secundò, quod disputationes de fide regulariter plus detrimenti, quàm vtilitatis, afferre soleant, sicut adnotauit Tertullianus *libro de præsumptionibus hæretic. cap.* 16. Author imperfecti *in Matth. homil.* 24. Vincentius Lyrinensis *lib. de prophanis hæretic. nouit.* Constantinus Imperator *in Epistola ad Arium apud Socratem lib.* 1. *histor. cap.* 6. Eusebius *lib.* 2. *de vita Constantini*, Nicephorus *lib.* 8. *histor. cap.* 15. & Concilium Toletanum 4. *cap.* 10.) Et ratio est; quia, cum hæretici veritatem non quærant, sed (sicut adnotauit Gregorius *lib.* 8. *moral. cap.* 2.) vt ab audientibus iudicentur victores, fit, quod, si publicè conuincantur (ne videantur victi) non conuertentur, sed potiùs audientes peruertentur: nam (cum rationes Catholicorum non percipiant) propter hæreticorum audaciam, & clamorem, iudicabunt, quod hæretici (sicuti notauit Socrates *lib.* 1. *histor. c.* 10.) potiùs victores extiterint. 6

7 Adde tertiò, quod S.Bernardus *serm.64. in cantic.* cum Origene *homil.10. in examen*, & aliis, in eo, qui disputat cum hæreticis, requirat eloquentiam, linguarum peritiam, antiquitatis cognitionem, Patrum eruditionem, in artibus exercitium, & ingenij celeritatem magnam.

PETITIO VIII.

An licitè possit quis disputare cum hæreticis, vel infidelibus de fide (præsertim publicè) ex parte conditionis modi disputandi?

SVMMARIVM.

1 *Disputare cum hæreticis, vel infidelibus de fide, præsertim publicè ex parte conditionis modi disputandi licitè quis potest, si scilicet modus disputandi seruet debitam mediocritatem. Secus si excedat.*

2 *Excessus interuenit, si disputans non tam rationum pondere quàm verbis velit contendere.*

3 *Item si ex modo disputandi potiùs videatur velle aduersarium vincere, quàm errorem superare, quia est indicium superbiæ, &c.*

4 *Item si nimia tarditate, vel nimio feruore disputationem assumat.*

5 *Disputatio vt sit licita, debet esse modesta, & temperata, quapropter abstinendum est à conuiciis; quia hæc nullam afferunt vtilitatem. Et non ostendendus erit animus vincendi, vel gloriam captandi, sed amor & desiderium reducendi hæreticos ad fidem.*

1 RESpondetur affirmatiuè, si scilicet modus disputandi seruet debitam mediocritatem; quia tunc licita erit disputatio; sic Doctores communiter, quos in superioribus Petitionibus referebam.

Secus, si excedat; quia tunc è contra propter contrariam rationem illicita erit disputatio, vt apud eosdem Doctores videri poterit.

2 Primò autem excedet; si disputans non tam rationum pondere, quàm verbis velit contendere, contra Paulum Apostolum ibi: *noli contendere verbis.*

3 Secundò; si ex modo disputandi potiùs videatur velle Aduersarium vincere, quàm errorem superare; quia est indicium superbiæ; & quia est contra consilium Hieronymi *lib.1. contra Pelagium circa medium*, ibi: *Non de Aduersario victoriam, sed contra mendacium quæramus veritatem.*

4 Tertiò, si nimia tarditate, vel nimio feruore disputationem assumat. Quapropter ex vtroque extremo, quod vtile est, sumi, sicque medium teneri, debebit; vti d. vir Nazianzenus *oratione 26. de moderatione in disputatione adhibenda.*

5 Disputatio igitur, vt sit licita debet esse modesta, & temperata; sicuti præter Nazianzenum *loc. suprà cit.* adnotauit etiam Clemens Romanus *epist.1.* Gregor. *2. p. Pastor. c.4.* & Hieronymus *lib.1. & 3.* contra Iouinian. Quapropter abstinendum erit à conuiciis; quia hæc nullam afferunt vtilitatem; & non ostendendus erit animus vincendi, vel gloriam captandi, sed amor, & desiderium reducendi hæreticos ad fidem, vti dixit Hieronymus *cit. lib.1. contra Pelagium*; & propterea Nazianzenus *in oratione contra Arium* requirit in disputante omnium virtutum ornamentum.

Obiectiones contra ea, quæ suprà dicebantur.

SVMMARIVM.

1 *Apostolus exhortans ad vitandum hæreticos, & etiam alij Doctores, & Patres id consulentes, intelligi debent, si ex disputatione nullus fructus, nullaque vtilitas speretur tam scilicet ex parte ipsorum hæreticorum disputantium, quàm ex parte aliorum; secus si fructus, vel vtilitas aliqua speretur.*

2 *Hæretici ex Bernardo nec rationibus conuincuntur, quia non intelligunt, nec auctoritate corriguntur, quia non resipiscunt, nec flectuntur suasionibus, quia subuersi sunt.*

3 *Hæretici ex Bernardo capiuntur non tam armis, quàm argumentis.*

4 *Item etsi hæreticus non surgat ex fæce, Ecclesia tamen confirmatur in fide.*

5 *Cum hæreticus ex Augustino verbis est agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, & quamuis non speretur, quod hæreticus, cum quo disputatur, conuertatur, non propterea semper à disputatione est abstinendum; quia potest esse spes, quod fiant minus audaces, & magis timidi, vel quod alij hæretici conuertantur, vel quod Catholici magis confirmentur.*

6 *Apostolus Paulus* in epistol.2. ad Tim. cap.2. & in epist.1. ad Cor. cap.11. *intelligendus est, si ex disputatione nullus fructus, nullaque vtilitas speretur, quod alibi in doctrina Apostoli manifestatur. Cui consentit Petrus, & reliqui. Vide ibi Dydimi pulcherrimam sententiam.*

7 *Leo Papa licet expresse prohibeat Monachis docere, & prædicare, non ideò sequitur, vt id prohibeat etiam si fiat cum hæretico; quia lex illa reuocata iam fuit per aliam legem nouam posteriorem, cùm tulerit legem illam tempore, quo Monachi regulariter nec ad ordines promouebantur, nec literis operam nauabant.*

OBiicies: Apostolus *ad Titum 3.* dicit: *Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui huiusmodi est, cùm sit proprio iudicio damnatus*: Ergo hæreticus est vitandus, atque adeò cum hæretico nec laici, nec Clerici de fide disputare debent; quapropter Tertullianus propter hæc verba Apostoli *in cap.16. de præscript. hæretic.* ait: *Fides nostra obsequiū Apostolo debet prohibenti quæstiones inire, nouitatis vocibus aures accōmodare, hæreticum post vnam correctionē conuenire, non post disputationem, adeò interdicit disputationē, correctionem designans causam hæretici conueniendi, ob hoc vnum scilicet, quia non est Christianus*; & propter eadē verba Apostoli prædicta, Gelasius Papa *in cōmonitorio ad Faustum*, inquit. *Nobis nullū fas est inire certamen cum hominibus communicationis alienæ, dicente Apostolo, hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita, sciens, &c.* Et Sosimus apud Socratem asserit: *Disceptatores non solùm non reconciliant schismata; sed potiùs hæreticos ad contentionem magis accendunt.* 1

Respondetur, & Paulum Apostolum, & Patres citatos intelligi, quando ex disputatione nullus fructus, nullaque vtilitas speratur, tam scilicet ex parte ipsorum hæreticorum disputantium (quod præsertim contingit, quando disputatur cum iis, qui fuerunt Magistri erroris; eum tales, vti adnotarunt Driedo *lib.2. de script. cap.3.* Valentia 2. 2. *disput.1. quæst.10. punct.4. circa finem*, & alij sint valdè obstinati, quàm ex parte aliorum; secùs si fructus, vel vtilitas aliqua speretur, vel ex parte illorum priorum, vel ex parte istorum posteriorum: quapropter S. Bernardus (*licet in ser.66. in cant.* dicat, quod *Hæretici* 2

nec

nec rationibus conuincantur, quia non intelligunt, nec auctoritate corrigantur quia non resipiscunt, nec flectantur suasionibus, quia subuersi sunt. Quapropter cum hæreticis non sit disputandum) tamen *in serm.* 64.
3 *in eadem Cantic.* dixit; *Capiuntur heretici non tam armis quàm argumentis.* Et paulò post *in eodem serm.* 64.
4 subdidit: *Etsi hereticus non surgat ex fæce, Ecclesia tamen confirmatur in fide.* Et S. Augustinus *epist.* 48. ait:
5 *Cum hereticis verbis est agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, & quamuis non speretur, quod hereticus, cum quo disputatur, conuertatur, non propterea semper à disputatione est abstinendum, quia potest esse spes, quod fiant minus audaces & magis timidi; vel quod alij heretici conuertantur, vel quod Catholici magis confirmentur.*

6 Instabis: Apostolus Paulus *in Epist. 2. ad Timoth. cap. 2.* inquit: *Noli contendere verbis, ad nihil vtile est, nisi ad subuersionem audientium.* Et *in epist. 1. ad Corinth. cap. 11.* dicit: *Si quis videtur esse contentiosus, nec talem consuetudinem habemus, sed neque Ecclesia Dei.* Quæ omnia potissimùm accommodantur ad hæreticos (qui semper contendunt verbis, & conantur subuertere Catholicos audientes;) ergo Apostolus Paulus potissimùm prohibet omnem disputationem cum hæreticis.

Respondetur (vt suprà) Apostolum Paulum intelligi, si ex disputatione nullus fructus, nulláque vtilitas speretur; & hoc inde patet, quia idem Apostolus *ad Titum* 1. scribit: *Oportet Episcopum esse amplectentem eum qui secundùm doctrinam, &c. vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, quod præcipuè fit disputando contra illos qui doctrinæ sanæ contradicunt, quales sunt heretici.* Et *ad Colossenses* 4. inquit: *In sapientia ambulate propter eos qui foris sunt, scientes quomodo oporteat singulis respondere.* Et paulò post subdit: *Propterea qui præsidere Ecclesiastico Magisterio deputatur super hoc, quod debet habere doctrinam, debet etiam resultantes obstruere.* Et Apostolus Petrus *in epist. 1. cap. 3.* ait: *Fideles omnes debent esse parati ad satisfactionē omni poscenti rationem reddere de ea quæ in nobis est in spe.* Quod si fideles debent secundùm Apostolum Petrū, reddere rationem de spe, debebunt etiam & reddere rationem de fide: quæ Apostoli Petri verba prædicta putat ibi Dydimus pertinere non solùm ad Ecclesiæ Præsides, sed etiam ad priuatas personas: quapropter ait: *Sicut continuè agi, quod bonum est, diuina doctrina vult, ita & instructos esse fideles hortatur, vt parati sint ad comprobationem rerum sapiendarum; quia enim multi Euangelio disciplinabiliter intendentes, exigunt eius satisfactionem spei bonæ, non oportet segnes esse, & ad satisfactionem deferre requirentes, sed magis esse preparatos Christi discipulos.* Videri etiam præter Dydimum poterit Fulgentius *lib. 2. ad Trasimundum cap. 1. & lib. ad Donatum cap. 2.* Et S. Thomas *2.2. q. 2. art. vltimo*, qui in Epistolam Petri Apostoli supradictam legunt vtrumque, scilicet de fide & de spe.

7 Obiicies secundò: Leo Papa *in epist. 62. cap. vltimo*, expressè prohibet Monachis docere & prædicare: ergo multò magis cum hæreticis de fide disputare: atque adeò falsum est, quod Clericis & Religiosis de fide cum hæreticis disputare prohibitum non sit contra ea, quæ suprà petitionibus præcedentibus dicebamus.

Respondetur: Nego consequentiam, quia lex illa Leonis Papæ reuocata iam fuit per aliam legem nouam potentiorem; & meritò, quia Leo Papa tulit legem illam tempore quo Monachi regulariter nec ad Ordines promouebantur, nec litteris operam nauabant; ac proinde tunc (quod non est nunc) tanquam insufficientes à disputando de fide cum hæreticis prohibebantur.

PETITIO IX.

Quovsque fideli prohibita sit communicatio cum infideli?

SVMMARIVM.

1 *Fideli cum infideli de iure naturali & diuino prohibita est communicatio in suis ritibus, & superstitioso cultu, v. g. in sacrificando, orando, & alia quæ infideles præstant, efficiendo, quia talis cultus est intrinsecè malus, neque vlla ratione honestari potest.*

2 *Fideli cum infideli quocumque etiam prohibita est communicatio de iure naturali & diuino, si ex tali communicatione immineat fideli peruersionis periculum, quia quilibet tenetur saluti suæ consulere, quod non censetur facere quotiescumque non vitat periculum quod sibi imminet.*

3 *Periculum huiusmodi ex frequenti, & diuturna cum infidelibus communicatione semper timeri potest, præsertim si fidelis sit homo simplex, & communicatio sit cum Iudæis, vel cum hereticis.*

4 *Fideli de iure naturali & diuino prohibitum etiam est admittere infidelem ad Sacramentorum participationem, quia infidelis est incapax fructuum illorum, & ideò si per vim se ingerat, potest Ecclesia eum tanquam iniurium repellere.*

5 *Fidelis cum infideli non potest contrahere matrimonium, non solùm ob periculum peruersionis, sed etiam ob reuerentiam Sacramenti, quod vnus altero non recipiente, recipere non potest.*

6 *Fideli de iure positiuo & Ecclesiastico prohibitum etiam est admittere infidelem non baptizatum ad sacrificium Missæ, quamuis liceat fideli eumdem admittere ad orationes priuatas, ad conciones, & ad alia, quæ Missæ Catechumenorum dicuntur.*

7 *Infidelis conuersio si sperari poterit ex admissione eiusdem ad sacrificium, tunc admitti poterit, dummodo non fuerit nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione celari possit.*

8 *Fideli etiam prohibitum est de iure positiuo & Ecclesiastico infidelem hereticum admittere ad quamcumque communicationem, quæ omninò necessaria non sit, si sit nominatim excommunicatus, seu denunciatus, vel Clerici manifestus percussor, &c. quia priusquàm sit talis, etiamsi sit notorius hereticus, non est ex obligatione vitandus.*

9 *Fidelis non prohibetur ex vi iuris Ecclesiastici orare, sacrificio assistere, celebrare, &c. tametsi simul adsit hereticus etiam notorius, qui tamen peccabit, si se vltrò ingerat, quia nulla est obligatio hunc siue in humana, siue in diuina conuersatione vitandi quovsque fuerit nominatim excommunicatus.*

10 *Fidelis ex vi iuris Ecclesiastici neque obligatur vitare hereticum etiam notorium, si similiter non fuerit nominatim excommunicatus, &c. in administratione Sacramentorum, sed licitè potest ab illo, qui etiam non peccabit, si fuerit inuitatus, seu requisitus (ne priuilegium concessum non excommunicatis frustratorium reddatur) Sacramenta (si ritu Catholico administret) recipere in iis casibus, in quibus ea licitè à Ministro peccatore petere potest.*

11 *Fidelis licitè potest filium heretici de sacro fonte suscipere, illúmque ad Ecclesiam & scholas Catholicorum admittere ob eamdem rationem; quamuis non possit hereticorum scholas adire propter periculum peruersionis, neque hereticum sui filij Pa-*

trinum adhibere, propter eius inhabilitatem ad docendum fidei diuinæ rudimenta.

12 *Fidelis non potest licitè cum hæretico non denunciato, neque Clerici manifesto percussore (qui nulla tergiuersatione cælari possit) matrimonium contrahere, si simus in locis Catholicorum, quia adest specialis Ecclesiæ prohibitio ob periculum peruersionis. Secùs dic in locis vbi passim Catholici cum hæreticis permixti viuunt; quia consuetudo obtinuit licitum esse, cùm non adsit ibi regulariter tale periculum.*

13 *Fidelis quamuis ratione excommunicationis quam contrahit hæreticus, eius familiaritatem non teneatur vitare, quousque ille non fuerit nominatim excommunicatus, seu denunciatus, vel Clerici notorius percussor, (qui nulla tergiuersatione cælari possit) nihilominus si exinde hæreticus sumat occasionem perseuerandi in hæresi, vel si exinde alij scandalizentur præsumendo, quod fidelis erroribus illius consentiat, omninò illum vitare debebit.*

14 *Fidelis in foro externo ex nimia cum hæretico familiaritate, conuersatione, visitatione, munerum oblatione, &c. de hæresi suspectus redditur, & hæretici fautor iudicatur.*

15 *Purgatio Canonica indicitur illi qui cum hæretico conuersatur.*

16 *Suspicio modo leuis, modò grauis, pro qualitate circumstantiarum iudicatur.*

1 SVppono, quod communicatio fidelis cum infideli vel sit in rebus diuinis, vel in humanis & politicis; item, quod communicatio fidelis cum infideli, vel sit cum infideli baptizato & Ecclesiæ subdito, vel sit cum infideli non baptizato & Ecclesiæ non subdito.

Suppono secundò, quod prædicta prohibitio vel sit de iure naturali & diuino, vel sit de iure positiuo & Ecclesiastico. His suppositis:

Respondetur, & dico primò: De iure naturali & diuino prohibita est fideli communicatio cum infideli in suis ritibus & superstitioso cultu, v.g. in sacrificando, orando, & alia, quæ infideles præstant, efficiendo. Est sententia communis Doctorum; &

Probatur, quia talis cultus est intrinsecè malus, neque vlla ratione honestari potest; alias etiam idololatria externa honestari posset, quod nemo dixerit: ergo.

2 An verò, si fidelis infidelium sacrificiis & orationibus intersit, censeatur cum illis communicare, & an aliquando se a peccato excusare possit. Vide quæ dicebam suprà *Petitione tertia.*

Dico secundò: De iure naturali & diuino prohibita etiam est fideli communicatio cum infideli quocumque, si ex tali communicatione immineat fideli peruersionis periculum: est etiam sententia communis Doctorum; &

Probatur, quia quilibet tenetur saluti suæ consulere, quòd non censetur facere quotiescumque non vitat periculum, quod sibi imminet, iuxta illud: *Qui amat periculum peribit in illo.* Videri poterit præter alios Sanctus Thomas 2.2.*q.* 10.*art.* 9.

3 Cæterùm ex frequenti & diuturna cum infidelibus communicatione tale periculum semper timeri potest, præsertim si fidelis sit homo simplex, & communicatio sit cum Iudæis, vel cum hæreticis; cùm isti semper fideles peruertere conentur. Ita Doctores, quos etiam adducendo Cyprianum, Athanasium, & Ireuæum sequitur Coninch. *de fide disput.* 18. *dub.* 11. *n.* 173.

4 Dico tertiò: De iure naturali & diuino prohibitum etiam est fideli admittere infidelem ad Sacramentorum participationem: est similiter etiam communis sententia Doctorum, &c.

Probatur, quia infidelis est incapax fructus illorum: quapropter si infidelis per vim se ingerat, poterit Ecclesia eum tanquam Religioni iniuriosum repellere & punire.

Hinc sequitur, quod non possit fidelis cum infideli 5
matrimonium contrahere, non solum ob periculum peruersionis, sed etiam ob reuerentiam Sacramenti, quod vnus, altero non recipiente, recipere non potest.

Dico quartò: De iure positiuo & Ecclesiastico pro- 6
hibitum etiam est fideli admittere infidelem non baptizatum ad sacrificium Missæ, sicuti patet ex Textu *in cap. Episcopus de consecrat. dist.* 1. quamuis liceat fideli eumdem admittere ad orationes priuatas, ad conciones, & ad alia quæ Missæ Catechumenorum dicuntur, sicuti constat ex eodem Textu citatu.

Quod si ex admissione infidelis ad sacrificium spe- 7
retur fructus aliquis specialis, v.g. eius, vel alterius conuersio, tunc admitti poterit infidelis, dummodò non fuerit nominatim excommunicatus, vel publicus Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit. Sic Doctores, quos sequitur Coninch. *loco suprà citato, num.* 164.

Dico quintò: De iure positiuo & Ecclesiastico pro- 8
hibitum etiam est fideli infidelem hæreticum (si sit nominatum excommunicatus, siue denunciatus, vel Clerici manifestus percussor, ita vt nulla tergiuersatione cælari possit) admittere ad quamcumque communicationem, quæ omninò necessaria non sit, sicuti habetur in Extrauag. *Ad euitanda,* ex decreto Concilij Constantiensis sub Martino V. & tradunt communiter Doctores *in tract. de censuris,* & præcipuè videri poterit Nauarrus *lib.* 5. *consilior. tit. de hæreticis, cons.* 16. *num.* 7. Suarez *tom* 3. *de Sacrament. disput.* 18. *sect.* 1. Azor. *tom.* 1. *Instit. moral. lib.* 8. *cap.* 11. *q.* 4. & Sanchez *lib.* 2. *moral. cap.* 9. *n.* 3. *& seqq.*

Dixi: *Si sit nominatim excommunicatus, seu denunciatus, vel Clerici manifestus percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit,* quia priusquam sit talis, etiamsi sit notorius hæreticus, non est ex obligatione vitandus, iuxta dictam Extrauag. *Ad euitanda,* & tradunt Doctores *in locis suprà citatis.*

Hinc sequitur, quod ex vi iuris Ecclesiastici non 9
prohibeatur fidelis orare, sacrificio assistere, celebrare, &c. tametsi simul adsit hæreticus, etiam notorius (qui tamen peccabit, si se vltrò ingerat,) quia nulla est obligatio hunc siue in humana, siue in diuina conuersatione vitandi, quousque fuerit nominatim excommunicatus, seu denunciatus, vel Clerici manifestus percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit, iuxta eamdem supradictam Extrauag. *Ad Euitanda,* & iuxta eosdem Doctores *suprà* citatos.

Sequitur secundò, quod ex vi iuris Ecclesiastici ne- 10
que obligetur fidelis hæreticum etiam notorium (si similiter non fuerit nominatim excommunicatus, seu denunciatus, vel Clerici manifestus percussor, qui nulla tergiuersatione cælari possit,) vitare in administratione Sacramentorum, sed licitè possit ab illo (qui etiam non peccabit, si fuerit inuitatus, seu requisitus, ne priuilegium concessum non excommunicatis frustratorium reddatur) Sacramenta (si non ritu Catholico administret) recipere in iis casibus, in quibus ea licitè à Ministro peccatore petere potest. Sic Doctores, quos sequitur Suarez *vbi suprà notabil.* 3. & Sanchez *num.* 10.

Sequitur tertiò, quod licitè possit fidelis filium hæ- 11
retici de sacro fonte suscipere, illúmque ad Ecclesiam, & scholas Catholicorum admittere, ob eamdem rationem. Nauarrus *lib.* 1. *consil. tit. de constitution. cons.* 1. *q.* 27. Azor. *vbi suprà q.* 8. *&* 9. & Sanchez *citato cap.* 9. *num.* 12. *&* 13. Quamuis licitè non possit idem fidelis hæreticorum scholas adire propter periculum peruersionis, neque hæreticum sui filij Patrinum adhibere, quia non potest hæreticus (vt periculum peruersionis omittam) obligationi illum docendi rudimenta fidei satisfacere, cùm hæreticus prohibeatur instruere, & docere. Nauarrus *loco suprà citato, q.* 29. & Azor. Sanchez, & alij, *vbi suprà.*

An autem licitè possit fidelis cum hæretico non denunciato,

nunciato, neque Clerici manifesto percussore (qui nulla tergiuersatione celari possit) matrimonium contrahere?

Respondetur cum distinctione: Si sumus in locis Catholicorum, non potest, quia adest specialis Ecclesiæ prohibitio ob periculum peruersionis; si verò sumus in locis vbi passim Catholici cum hæreticis permixti viuunt, potest, quia consuetudo obtinuit licitum esse, cùm non adsit ibi regulariter tale periculum; quod si tamen adsit aliquando, eo quod scilicet fidelis non sit permittendus Christiane viuere, sed potius timeatur vexandus, vt fidem derelinquat, non poterit, & multò magis non poterit inire pactum, vt ex filiis alij Catholicam fidem, alij verò hæresim profiteantur, quia id esset infidelitati consentire, seu infidelitatem approbare. Sic Doctores, quos sequitur Sanchez *de matrimonio, lib. 7. disput. 72. num. 5. & seqq. & lib. 2. moral. cap. 9. num. 9.*

13 Cæterùm (quamuis ratione excommunicationis quam contrahit hæreticus, eius familiaritatem fidelis non teneatur vitare quousque ille non fuerit nominatim excommunicatus, seu denunciatus, vel Clerici notorius percussor, qui nullà tergiuersatione celari possit) nihilominus, si exinde hæreticus sumat occasionem perseuerandi in hæresi, vel si exinde alij scandalizentur, præsumendo quod fidelis hæretici erroribus consen-
14 tiat, omninò fidelis illum vitare debebit; quapropter fidelis in foro externo ex nimia cum hæretico familiaritate, conuersatione, visitatione, munerum oblatione, &c. de hæresi suspectus redditur, & hæretici fautor iudicatur, iuxta Textum *in cap. inter sollicitudines, vers.*
15 *In pœnam, de purgat. Canonic.* vbi ob dictam suspicionem indicitur purgatio, & ab officio suspensio illi qui
16 sic cum hæretico conuersatur; suspicio autem modò leuis, modò grauis pro qualitate circumstantiarum iudicatur; qua de re præter alios videri poterit Eymericus *2. part. q. 56.* Peña *ibidem*, & Farinac. *de hæresi, q. 182. §. 10. n. 166. & seqq.*

PETITIO X.

Quinam sint casus, in quibus iure Ecclesiastico prohibeatur fideli cum infidelibus communicatio?

SVMMARIVM.

1 *Fideli generaliter prohibetur familiaritas cum Iudæis, maxime quæ consistit in quinque casibus, & quinam sint? Clerico enim in his casibus imponitur pœnam depositionis, laicis verò excommunicationis.*

2 *Fideli prohibetur Iudæos inuitare, vel ad eorum conuiuia accedere.*

3 *Item esse Obstetrices, vel Nutrices eorum filiorum in eorum domibus.*

4 *Famulari iisdem, vel in testamento aliquid relinquere, aut eos legatarios facere.*

5 *Itemque ipsis seruitutis vinculo subjici.*

6 *Itémque publica officia committere, vbi permittens excommunicandus iubetur.*

7 *Fideli cum Iudæis quatenus attinet ad generalem prohibitionem de familiaritate, solùm ea prohibetur familiaritas, ex qua peruersionis, vel scandali periculum timeri potest; quapropter si hæc duo cessabunt, cessabit etiam & prohibitio.*

8 *Peruersionis periculum & scandali, etiam si cesset in particulari, adhuc tamen probabile est, familiaritatem prohiberi, quia lex non respicit casus particulares, sed ea quæ communiter contingunt.*

9 *Prohibitio nulla est ex sententia satis probabili nonnullorum Doctorum quantum attinet ad quinque primos casus, præter eam, quæ iure naturæ inest ob periculum scilicet peruersionis, &c.*

10 *Concilij Trullani Canones non sunt, vt putat Gratianus, ex sexta Synodo generali desumpti, sed ex quibusdam Pontificibus, qui vt Iustiniano Imperatori placerent, plura statuerunt, quorum statuta ab Ecclesia Romana recepta non sunt.*

11 *Ingressus cum Iudæo in eidem balneum, eo quod nullibi reperiatur expressus, nisi in cap. Nullus cit. quod non est firmæ auctoritatis, hodie locum habere non videtur, solùm enim lotio simultanea ex condicto videtur prohibita.*

Respondetur: Generaliter prohibetur fideli familiaritas cum Iudæis, *cap. Iudæi, cap. Ad hæc, & cap. finali de Iudæis.* Specialiter autem prohibetur in decem casibus. 1

Primò prohibetur fideli cum Iudæis habitare.

Secundò, eorum azymis vesci.

Tertiò, iis Medicis vti.

Quartò, ab iis medicinas accipere.

Quintò, simul cum iis in balneum ingredi.

Hi quinque casus habentur *in cap. Nullus, 28. q. 1.* quod desumptum est ex Canone XI. Concilij Trullani, vbi transgredienti, si sit Clericus, imponitur pœna depositionis, si verò sit laïcus, imponitur pœna excommunicationis, non tamen latæ, sed solùm ferendæ.

Sextò, prohibetur fideli Iudæos inuitare, vel ad eorum conuiuia accedere, *cap. omnes 28. q. 1.* quod desumptum est ex Concilio Agathensi *cap. 40.* 2

Septimò, esse Obstetrices, vel Nutrices eorum filiorum, in eorum domibus, *cap. Ad hæc de Iudæis.* Et ita vt committatur ibi Prælatis, quod per censuram recessum compellant. 3

Octauò, iis famulari, vel in testamento aliquid relinquere, aut eos legatarios facere; *eodem cap. Ad hæc, & cap. si quis Episcopus de hæretic. & cap. sanè secundò 14. q. 2.* 4

Nonò, iis seruitutis vinculo subjici, *dicto cap. Ad hæc de Iudæis.* 5

Decimò, iis publica officia committere, *cap. constitut. 17. q. 4.* vbi permittens excommunicandus iubetur. 6

Hi omnes decem casus referuntur, & expenduntur ab Angelo, Rosella, Syluestro, Armilla, & Tabiena *verbo Iudæus*, à Suarez *de fide, disput. 18. sect. 6. num. 6. & seqq.* ab Azorio *tom. 1. Instit. moral. lib. 8. cap. 12.* à Sanchez *lib. 2. moral. cap. 51.* & à Coninch *disput. 18. dub. 11. num. 166.* Et expendentur etiam à nobis *infrà dub. 230. per totam.*

Aduerte interim tamen, quod (quatenùs attinet ad generalem prohibitionem de familiaritate fidelis cum Iudæis) solùm ea prohibeatur familiaritas, ex qua peruersionis, vel scandali periculum timeri potest; quapropter si hæc duo cessabunt, cessabit etiam & prohibitio. S. Thomas 2. 2. *q. 10. art. 9.* Sanchez *vbi suprà n. 2. & seqq.* Coninch. *num. 167. circa finem.* & alij complures. 7

Quamuis non omninò improbabile sit, quod licèt in particulari casu peruersionis, & scandali periculum cesset, adhuc familiaritas prohibeatur, quia lex non respicit casus particulares, sed ea quæ communiter contingunt, iuxta illud: *Leges accommodantur ad ea, quæ frequentiùs accidunt. l. Nam ad ea, ff. de legibus.* Sic tenent quidam Doctores, quos sequitur Suarez *loco suprà citato, num. 6.* vbi propterea docet, quod familiaritas cum Iudæis permittatur solùm iis, qui ita sunt in fide firmi, vt ipsis Infidelium conuersio specialiter commissa sit. 8

Aduerte secundò, quod (quatenus attinet ad quinque primos casus ex Concilio Trullano desumptos, & *in cap. Nullus 28. q. 1.* relatos) ex sententia satis probabili nonnullorum Doctorum nulla sit prohibitio, præter eam quæ iure naturæ inest, ob periculum scilicet peruersionis, vel scandali, quod dicebam, quia illius 9

Concilij

Concilij Canones non sunt (vt putat Gratianus ex sexta Synodo generali desumpti, sed ex quibusdam Pontificibus, qui, vt Iustiniano Imperatori placerent, plura statuerunt; quorum statuta ab Ecclesia Romana recepta non sunt. Sic Doctores, quos sequitur Bannez 2.2. q.1. *art.1. dub.* 5. Quapropter, quod prædicti quinque casus in conscientia non obligent, docent expressè nonnulli, quos sequitur Coninck. *cit. disput.* 18. *dub.* 11. *num.* 168. At quia Alexander III. in Concilio Lateranensi, & alij Pontifices ferè eisdem verbis supradictos casus statuerunt; & Doctores etiam communiter approbant, libenter illos expendam *infrà cit. dubit.* 230. *per totam*, de quorum expensione ibi videri poterit.

Aduerte tertiò, quod quintus casus, ingressus scilicet in idem balneum cum Iudæo (eo quod nullibi reperiatur expressus, nisi *in supradicto cap. Nullus*, quod vti dicebam, non est firmæ auctoritatis) hodie locum habere non videatur; At (posita illa prohibitione, quæ esto & adhuc non cessauerit) non de quocumque ingressu simultaneo intelligi debet, quia si casu fidelis, (cùm Iudæus balneum ingreditur) accedat lauari, non tenetur expectare, vel à lotione abstinere; cùm solùm ex intentione condicto, & conuentione lotio simultanea prohibeatur: Hæc enim solùm est, quæ familiaritatem inducit, & quæ propterea solùm ab illo Textu vitatur.

PETITIO XI.

An hæreticus, scilicet infidelis, qui baptismum suscepit, cogi possit ad retinendam fidem?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia cogere potest ad retinendam fidem fictè baptizatum, quamuis nunquam prius fidei actum habuerit.*

2 *Ecclesia non ob aliam causam pueros parentum Christianorum, quando veniunt ad vsum rationis, cogere potest, vt fidem retineant, nisi quia Ecclesia per baptismum iurisdictionem in eos acquisiuit, tametsi ante vsum rationis nunquam fidei actum habuerint.*

3 *Qui baptizatur, per se, vel per alios se subjicit Ecclesiæ, pollicendo scilicet, se velle esse sub tutela & iurisdictione Ecclesiæ.*

4 *Ecclesia cùm sit visibilis, habere debet iurisdictionem, quæ fundatur in aliqua re visibili.*

5 *Christus Dominus concessit Ecclesiæ quidquid erat necessarium ne Sacramenta contaminarentur.*

6 *Ecclesia cogere potest ad retinendam fidem Adultum, etiamsi metu ductus baptismum susceperit, dummodo tamen baptizari voluerit.*

7 *Projiciens merces tempore naufragij in mare, licèt quidem illas projiciat inuoluntariè secundùm quid, quia scilicet aliàs non prosperet, projicit tamen voluntariè simpliciter &, absolutè, ad seruandam scilicet vitam.*

8 *Suscipiens fictè baptismum, sicut etiam & alia Sacramenta, magnam Ecclesiæ & Sacramentis iniuriam intulit.*

9 *Ecclesia cogere potest post vsum rationis ad fidem retinendam filios infidelium qui inuitis parentibus ante vsum rationis baptizati sunt contra nonnullos oppositum satis probabiliter asserentes.*

10 *Ecclesia è contra cogere non potest ad retinendam fidem eum, qui aliquando fidem habuit, si modò velit illam abjicere.*

11 *Ciuitas defectu iurisdictionis non potest punire eum, qui vult fieri ciuis, sed nondum tamen factus est ciuis.*

12 *Religio non potest punire eum qui vult fieri Religiosus, sed nondum tamen factus est Religiosus.*

13 *Ecclesia non habet iurisdictionem in eum qui nunquam fuit in Ecclesia.*

14 *Ecclesia cogere non potest, vt postquam peruenit ad vsum rationis baptismum suscipiat, filium hominis Christiani, qui nondum b[illegible]mum suscepit, defectu iurisdictionis in eum.*

15 *Ecclesia non ex eo quod habet iurisdictionem in Parentem Christianum, habet etiam iurisdictionem in filium illius parentis non baptizatum, quia non in potestate patris, sed in potestate filij est suscipere baptismum.*

16 *Neque ex eo quod iam crediderit & inter Catholicos nutritus & educatus fuerit, sicuti patet de Catechumeno, qui non tamen quod crediderit cogi potest ad suscipiendum baptismum, secus si post vsum rationis tanquam Catholicus diu vixerit in Ecclesia, recipiendo scilicet Sacramenta & fruendo priuilegiis Ecclesiæ.*

17 *Ecclesia neque cogere potest hæreticum ad suscipiendam fidem, qui nunquam verum baptismum suscepit, quia sic verè nunquam fuit in Ecclesia; secus si præsumeretur baptizatus, & diu tanquam Catholicus vixerit.*

18 *Puniendi sunt tanquam hæretici, qui metu baptizati sunt, dummodo non fuerit absoluta coactio, quia scilicet tunc non fuit verus baptismus.*

19 *Nullibi reperitur in sacra Scriptura, quod non sit cogendus ad retinendam fidem is qui ab illa recedere vult: quando enim Iesus fecit discipulis potestatem abeundi, licèt iam essent in Ecclesia, forsitan non ideò erant baptizati, & erant tantùm quoad affectum, non autem re, & quoad effectum; neque enim, licèt poterat cogere eos ad retinendam fidem, coëgit, quia nondum expediebat hac vti potestate.*

20 *Per vasa fictilia ab Apostolo* ad Timoth. 2. *intelliguntur peccatores qui cum iustis permixti sunt in Ecclesia, vel Christiani infirmi, & debiles, qui ab hæreticis facile seducuntur.*

21 *Imenæus & Philetus hæretici, licèt aliquos infirmos ad ipsorum falsam sectam seduxerint, non tamen timendum est, quia in Ecclesia non solùm sunt vasa fictilia, sed etiam aurea & argentea.*

22 *Per magnam domum ibidem ab Apostolo intelligitur non Ecclesia, sed totus mundus; non enim in Ecclesia sunt vasa lignea & fictilia, id est mali, sed tantùm aurea & argentea, id est soli boni iusti; in mundo autem sunt boni & mali.*

23 *Boni solùm & iusti ex citatis Sanctis Patribus intelliguntur esse in Ecclesia quasi partes, & viua membra eiusdem; mali autem quasi membra semimortua, cùm careant charitate, quæ est anima & vita primaria Ecclesiæ.*

24 *Per magnam domum probabiliùs ibi significatur Ecclesia, vt autumant Ambrosius, Cyprianus, & alij.*

25 *Ecclesia, licèt dicatur Sancta, quia in ipsa solùm reperitur vera sanctitas, caput sanctum, & Sacramenta sancta, semperque in ipsa reperiuntur viri sancti, tamen comprehendit non solùm viros sanctos, sed etiam malos.*

26 *Ecclesia ab eodem Apostolo non solùm vocatur domus, sed etiam domus Domini, & Dei; quapropter fideles in eadem domo conuersantes, vocantur domestici Dei, & domestici fidei.*

27 *Hæretici non sunt in Ecclesia simpliciter & absolutè, sed sunt in Ecclesia secundùm quid, quatenùs scilicet retinent characterem baptismalem, & vera Sacramenta administrant, & possunt ab Ecclesia puniri: vnde argumentum desumptum ex doctrina Sancti. Augustini retorquetur.*

28 *Deus quamuis permittat hæreses, neque vllum cogat*

ad

ad fidem retinendam, non ideo sequitur, quod neque Ecclesia cogere debeat, quia præterquam quod argumentum nihil valet, sequeretur etiam quod nulla peccata, cùm Deus omnia peccata permittat, punienda forent; punit enim Deus hæreses suo tempore, quapropter & Ecclesia punire potest.

29 *Hæresum nomina ex Apostolo* 1. ad Corinth. 11. *intelliguntur dissensiones quæ erant inter Corinthios; nihilominus distinguendo argumenti antecedens, oportet hæreses esse antecedentes, & absolutè negatur, quia quicumque peccat, liberè peccat; ita vt possit non peccare, alioquin non peccaret, cùm Deus non obliget ad impossibilia: in effectu consequenter & ex suppositione, quod Deo permittente voluntas humana ex sua malitia sic se determinatura est, conceditur.*

30 *Scandala, licèt ex Sancto Matthæo necessariò dicantur euenire, non tamen ea, & alia peccata non puniuntur, quia non sunt similiter necessaria in causa, seu necessaria necessitate antecedenti, & absoluta, sed necessaria in effectu, seu necessaria necessitate consequenti, & ex suppositione.*

31 *Mala permittit Deus propter bonum commune, quia scilicet sunt occasio, vt veritas diligentiùs inquiratur, examinetur, & prædicetur.*

32 *Deus ex Sancto Augustino, sapientia suæ magis congruere vidit ex malis bona facere, quàm nulla mala esse permittere.*

33 *Hæreticorum inquietudine fit, vt scripturas vigilantiùs perscrutemur; vnde, ne oculi Christi noceant illis possit occurri, tanquam de somno ignauia nostra educitur industria, ita per multiplicem gratiam Saluatoris etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus concessit in adiutorium.*

34 *Infideles cogi non possunt ad fidem suscipiendam, cùm fides debeat esse voluntaria, & cùm si illi ad fidem suscipiendam cogerentur, sequerentur multa mala, & incommoda, secùs tamen dicendum est de hæreticis; in primos enim Ecclesia non habet iurisdictionem, quam tamen habet in secundos, & ob id cogere potest hæreticos ad fidem retinendam.*

35 *Ecclesiæ iure suo vtenti imputari non debet, si hæretici fictè simulent fidem, & fictè suscipiant Sacramenta, & alia incommoda sequantur, sed praua hæreticorum voluntati.*

36 *Fides est voluntaria antecedenter & absolutè, si scilicet nunquam fuerit suscepta; est tamen necessaria solùm consequenter, & ex suppositione, si semel fuerit per baptismum suscepta.*

1 RESpondetur, & dico primò: Ecclesia cogere potest ad retinendam fidem fictè baptizatum, quamuis nunquam priùs fidei actum habuerit.

Probatur primò auctoritate, quia sic habetur *in cap. contra Christianos de hæretic. in* 6. & notant ibi communiter Canonistæ; tum quia sic etiam colligitur *ex cap. Maiores de baptismo, & ex cap. de Iudæis dist.* 45.

2 Secundò probatur ratione, quia Ecclesia non ob aliam causam pueros parentum Christianorum, quando veniunt ad vsum rationis, cogere potest vt fidem retineant, nisi quia Ecclesia per baptismum iurisdictionem in eos acquisiuit, tametsi ante vsum rationis nunquam fidei actum habuerit: ergo propter solam susceptionem baptismi, Ecclesia cogere potest ad retinendam fidem eum, qui fictè baptizatus est: non enim obstat quod baptizatus dicat, se fictè baptizatum esse, quia non creditur in propria causa testimonium pro se ferenti; tum quia Ecclesia non iudicat de occultis.

3 Confirmatur, quia qui baptizatur, per se, vel per alios, se subjicit Ecclesiæ, pollicendo scilicet, se velle esse sub tutela & iurisdictione Ecclesiæ: ergo per baptismum Ecclesia acquirit ius in baptizatum; sicque illum cogere potest ad retinendam fidem & Religionem quam per baptismum exteriùs professus est, quamuis dicat se fictè baptismum suscepisse, sicuti dicebam.

Confirmatur secundò, quia Ecclesia (cùm sit visibilis) habere debet iurisdictionem quæ fundetur in aliqua re visibili: ergo cùm hæc non possit esse vera fides, vtpotè quid interius, erit necessario baptismus, vtpotè quid exterius. 4

Confirmatur tertiò, quia Christus Dominus concessit Ecclesiæ quidquid erat necessarium, ne Sacramenta contaminarentur: ergo concessit etiam Ecclesiæ potestatem puniendi eum qui fictè Sacramenta suscepit; sicque adhuc poterit eum punire, cogendo ad retinendam fidem & Religionem, quam exterius per susceptionem baptismi professus est; etiamsi solùm fictè baptismum susceperit, vti dicebam. 5

Dico secundò: Ecclesia cogere potest ad retinendam fidem adultum, etiamsi metu ductus baptismum susceperit, dummodò tamen baptizari voluerit, (cùm alioquin baptismus, vtpote in suscipiente intentionem suscipiendi requirens inualidus sit.) 6

Probatur primò auctoritate, quia sic patet *ex cap. Maiores, §. Item quæritur de baptismo*, & ex Concilio Toletano IV. *cap.* 56. quod refertur *in cap. de Iudæis, dist.* 45.

Probatur secundò ratione, quia qui tempore naufragij merces projicit in mare, licèt quidem illos projiciat inuoluntariè secundùm quid, (quia scilicet, si non esset naufragij periculum, non projiceret,) projicit tamen voluntariè simpliciter & absolutè, ad seruandam scilicet vitam: ergo sic etiam in casu nostro, atque adeò propter talem susceptionem baptismi Ecclesia acquirit in illum potestatem & iurisdictionem; sicque cogere poterit illum ad retinendam fidem & Religionem, quam exteriùs per talem susceptionem baptismi professus est: non enim obstat, quod dicat se non habuisse voluntatem suscipiendi baptismum, quia non creditur in propria causa testimonium pro se ferenti, nec Ecclesia iudicat de internis, vti *suprà* dicebam. 7

Confirmatur, quia si baptismum, sicut etiam & alia Sacramenta fictè suscepit, magnam Ecclesiæ, & Sacramentis iniuriam intulit: ergo adhuc Ecclesia poterit illum punire, & cogere vt maneat in fide & Religione quam exteriùs per susceptionem baptismi professus est. 8

Dico tertiò: Ecclesia cogere potest post vsum rationis, ad fidem retinendam filios infidelium, qui inuitis parentibus, ante prædictum vsum rationis baptizati sunt, quia reuera tales characterem baptismalem receperunt; nec ipsi (quidquid sit de parentibus) in hoc iniuriam passi sunt; cùm ipsorum negotium perutiliter gestum sit; ergo, &c. 9

Quamuis contrarium alij, & quidem probabiliter arbitrentur, quia non est conueniens, inquiunt ipsi, quod quia Ecclesia iniustè contra parentes eorum filios baptizauit, per hanc iniuriam in eorum filios iurisdictionem acquisiuerit; tum quia si in tales filios ratione baptismi aliquod ius Ecclesia acquisiuisset, posset illos ante vsum rationis à parentibus subtrahere, & fidelibus nutriendos consignare; quod ex communi sententia Doctorum in tractatu de baptismo non admittitur; ergo signum est, quod prædicti filij quando veniunt ad vsum rationis, ad fidem seu religionem nostram retinendam non sint compellendi, sed potiùs in propria ipsorum potestate relinquendi.

At ad istas aduersariorum rationes facilè respondere quis posset, ex iis quæ *suprà* dicebantur.

Dico quartò: Econtra Ecclesia cogere non potest ad retinendam fidem eum, qui aliquando fidem habuit, si modò velit illam abjicere, & nunquam fuerit baptizatus. 10

Probatur auctoritate ex Concilio Tridentino *sess.* 14. vbi dicitur, quod Ecclesia nullum ius habeat in eum, qui per baptismum nondum est in ipsam ingressus.

11 Secundò probatur ratione, quia defectu iurisdictionis ciuitas non potest punire eum qui vult fieri ciuis,
12 sed nondum tamen factus est ciuis; neque Religio potest punire eum qui vult fieri Religiosus, sed nondum tamen factus est Religiosus: ergo similiter defectu iurisdictionis Ecclesia non poterit punire eum qui vult fieri Christianus, sed nondum tamen per baptismum factus est Christianus; atque adeò non poterit cogere eum ad retinendam fidem, cùm nondum per baptismum factus sit Christianus, sicque subditus Ecclesiæ, sicuti dicebam.

13 Confirmatur, quia, quod Ecclesia non habeat iurisdictionem in eum qui nunquam fuit in Ecclesia, satis habetur *ex 1. ad Corinth. 5.* Ibi: *Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare?* Et tradunt Innocentius III. *in cap. Gaudemus de diuortiis.* S. Augustinus *homil. 50. de pœnitentia.* Chrysostomus *ibi,* Theodoretus, Theophylactus, & alij, sed qui baptismum nondum suscepit, non est, tamen si fidem habuerit, propriè in Ecclesia (sicuti suo loco *infrà* diffusiùs dicam. Et tradunt Nazianzenus *in oratione in sacrum lauacrum.* Augustinus *tract. 4. in Ioannem.* Chrysostomus *homil. 24. similiter in Ioannem.* Cyrillus *lib. 11. etiam in Ioannem cap. 50.* & Tertullianus *libro de præscript. hæretic.* Et patet *ex cap. 2. Actuum,* vbi dicitur, quod homines fiunt de corpore Ecclesiæ, cùm baptismum suscipiunt,) ergo, &c.

14 Dico quintò, neque Ecclesia cogere potest, vt postquam peruenit ad vsum rationis) baptismum suscipiat, filium hominis Christiani qui nondum baptismum suscepit, quia ex dictis Ecclesia in eum (cùm nondum scilicet baptizatus fuerit) iurisdictionem non habet.

15. Non obstat quod eius parens sit Christianus, quia non propterea Ecclesia in filium habet; cùm non in potestate patris, sed in potestate filij sit, suscipere, vel non suscipere baptismum.

16 Neque obstat secundò, quod filius iam crediderit & inter Catholicos nutritus & educatus fuerit, quia neque propterea propter eamdem dictam rationem cogi potest ad suscipiendum baptismum, sicuti patet de Catechumeno, qui quamuis etiam iam crediderit, & inter Catholicos nutritus & educatus fuerit; non tamen propterea cogi potest ad suscipiendum baptismum & retinendam fidem, quamuis quidem ad id cogi possit, si post vsum rationis tanquam Catholicus diu vixerit in Ecclesia, (recipiendo scilicet Sacramenta & perfruendo priuilegiis Ecclesiæ) quia tunc ratione Sacramentorum & Ecclesiæ priuilegiorum vsus censetur se iam subjecisse Ecclesiæ, atque adeò Ecclesia in ipsum potestatē & iurisdictionem acquisiuisse; præsertim quia si ipse in tali casu fidem desereret, iniuriam Sacramentis & Ecclesiæ faceret; quapropter posset Ecclesia (& propter hoc) illum punire, cogendo illum ad suscipiendum baptismum & ad retinendam fidem.

17 Dico sextò: Neque Ecclesia ad suscipiendam fidem cogere potest hæreticum qui nunquam verum baptismum suscepit, quia si verè nunquam fuit in Ecclesia,
18 sicuti dicebam. Et patet *in cap. contra Christianos de hæretic. in 6.* (vbi dicitur, quod puniendi sint tanquam hæretici qui metu baptizati sunt, dummodo non fuerit absoluta coactio, quia scilicet tunc non fuit verus baptismus;) Et patet etiam *ex cap. maiores de baptismo.* (vbi traditur, quod hos compellere ad fidem sit nostræ Religioni contrarium,) cùm igitur non fuerit verus baptismus, Ecclesia nullum ius habet in hæreticum, de quo dicebamus; sicque Ecclesia cogere eum non poterit ad baptismum, seu fidem suscipiendam; quamuis quidem cogere posset, si præsumeretur baptizatus, & diu tanquam Catholicus vixisset in Ecclesia (suscipiendo scilicet Sacramenta, & perfruendo priuilegiis Ecclesiæ, seu Christianorum fidelium,) vti *suprà* dicebam.

OBIECTIONES.

19 Objicies: Ex sacra Scriptura habetur quod non sit cogendus ad retinendam fidem is, qui ab illa recedere vult, sicuti patet *ex Ioan. 6* vbi Christus Dominus dedit abeundi potestatem Apostolis, qui tamen ex Cypriano *lib. 1. epist. 9.* & aliis Sanctis Patribus erant in Ecclesia: ergo, &c.

Respondetur: Nego antecedens, quia id ex nullo loco sacræ Scripturæ colligitur; & *ad cit. cap. Ioann. 6.* respondetur, quod forsasse tunc discipuli non fuerint baptizati; fuerint tamen in Ecclesia non re & quoad effectum, sed quoad affectum, & votum tantùm ad instar Catechumenorum; vel (dato, quod fuerint baptizati, & fuerint re & quoad effectum in Ecclesia.) Respondetur, quod Christus Dominus cogere potuerit illos ad retinendam fidem quam fuerant iam professi, non tamen coëgerit, quia nondum expediebat huiusmodi potestate vti.

Instabis: Apostolus *ad Timoth. 2.* ait, quod in magna 20
domo non solùm sint vasa aurea & argentea, sed etiam sint vasa fictilia, scilicet hæretici: ergo.

Respondetur: per vasa fictilia ab Apostolo ibi intelligi peccatores, qui cum iustis permixti sunt in Ecclesia; sic *ibi* Ambrosius, Chrysostomus, Theodoretus, Theophilactus, Anselmus, & alij; vel per vasa fictilia ab Apostolo intelligi Christianos infirmos & debiles, qui ab hæreticis facilè seducuntur; sic Cyprianus *ibi,* & Augustinus *lib. 4. de baptismo c. 12.* Ait enim ibidem Apostolus, quod licèt Imenæus & Philetus hæretici aliquos 21
infirmos ad ipsorum falsam sectam seduxerint, non sit tamen timendum, quia in Ecclesia non solùm sunt vasa fictilia, sed etiam aurea & argentea, scilicet viri fortes, & in fide constantes, qui seduci minimè poterunt.

Respondetur secundò: Per magnam domum ibi ab 22
Apostolo intelligi, non Ecclesiam, sed totum mundum; sic Chrysostomus *in d. cap. epist. 2. ad Timoth.* Theodoretus, Theophilactus, Sedulius, & alij *ibid.* Aiunt enim, in Ecclesia non sunt vasa lignea & fictilia, id est mali, sed tantùm aurea & argentea, id est soli boni & iusti; in mundo autem sunt boni & mali.

Vbi aduerte, quod prædicti Sancti Patres intelligunt 23
solos bonos & iustos esse in Ecclesia, quasi partes & membra viua Ecclesiæ; malos autem (cùm careant charitate, quæ est anima & vita primaria Ecclesiæ) quasi membra semimortua Ecclesiæ.

Aduerte secundò, quod probabiliùs Apostolus *ibi* per 24
magnam domum significet Ecclesiam. Ambrosius *in d. locum 2. Timoth. 2.* Cyprian. *lib. 1. epist. 2. & lib. 4. epist. 2.* & August. *lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 12. &*
lib. 7. c. 51. & 52. Quæ Ecclesia (licèt dicatur sancta, quia 25
in ipsa solùm reperitur vera sanctitas, caput sanctum, & Sacramenta sancta, semperque in ipsa reperiuntur viri sancti,) tamen comprehendit non solùm viros sanctos, sed etiam malos, & peccatores; qua de re videri poterit præter alios Chrysostomus *in psalm. 39.*

Aduerte tertiò, quod Ecclesia ab eodem Apostolo 26
non solùm vocetur domus, vt *in cit. loco 2. Timoth. 2.* sed etiam domus Domini & Dei, vt *in epist. 1. ad eund. Timotheum c. 3. vers. 15.* Ibi: *Vt scias, quomodo oporteat te in domo Domini conuersari, quæ est Ecclesia.* Et *ad Hebr. 3. vers. 50.* Ibi: *Moyses fidelis erat in domo Dei, id est in Ecclesia, & populo fideli Iudæorum.* Ob quam causam fideles in eadem domo conuersantes vocat idem Apostolus *ad Ephes. 2. Domesticos Dei.* Et *ad Galat. 6. Domesticos fidei.*

Vrgebis: S. Augustinus *cit. lib. 4. de baptismo contra* 27
Donatistas, c. 12. satis clarè per vasa aurea & argentea, intelligit fideles, per lignea & fictilia autem intelligit hæreticos; ergo ad mentem S. Augustini hæretici sunt in Ecclesia, atque adeò permittendi & tolerandi; non autem vllo modo vexandi ab Ecclesia.

Respondetur: Distinguo primum consequens; hæretici sunt in Ecclesia simpliciter & absolutè, nego; sicut *infrà* suo loco diffusè dicetur, sunt in Ecclesia secundùm quid (quatenus scilicet retinent characterem baptismalē, & vera Sacramenta administrant, & possunt ab Ecclesia puniri;

puniri; & quatenùs, dum per sententiam à fidelium consortio non segregantur, viuunt cum fidelibus & retinent iurisdictionem & dignitatem quam receperunt ab Ecclesia; quapropter Chrysostomus *epist. ad Antonianum*, ait, quod Hymenæus & Philetus in Ecclesia, quasi adhuc vasa fictilia delituerint) concedo: vnde negatur vltima consequentia & retorquetur potiùs argumentum.

28 Obijcies secundò: Deus permittit hæreses, neque cogit vllum ad fidem retinendam: ergo neque Ecclesia cogere debebit.

Respondetur (vt omittam, quod si argumentum quidquam valeret, sequeretur, quod nulla peccata, cùm Deus omnia peccata permittat, punienda forent.) Deus punit hæreses suo tempore, quapropter & Ecclesia punire poterit hæreticos, vt fidem quam semel per baptismum professi sunt retineant; cùm alioquin totum redundet in iniuriam Ecclesiæ, & Sacramentorum Ecclesiæ.

29 Obijcies tertiò: Ex Apostolo *1. ad Corinth.* 11. *Oportet hæreses esse*: Ergo (cùm hæreses sint necessario futuræ) debent permitti & tolerari, atque adeò non sunt propter illas hæretici puniendi, nec ad fidem retinendam compellendi.

Respondetur (vt omittam quod ibi per hæreses intelligantur dissensiones quæ erant inter Corinthios, vti notant *ibi* Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Ambrosius, & alij,) distinguo antecedens; Oportet, seu necesse est, hæreses esse, in causa, antecedenter & absolutè, nego; qui quicumque peccat liberè peccat, ita vt possit non peccare, alioquin non peccaret, cùm Deus non obliget ad impossibile: in effectu, consequenter & ex suppositione, quod Deo permittente voluntas humana ex sua malitia sic se determinatura est: quam rem vt sic futuram Deus, (cùm omnia præui-
30 deat) necessariò præuidit ab æterno, concedo; sed nego consequentiam; quemadmodum etiam *Matth.* 18. dicitur, *Necesse est vt veniant scandala*; non tamen propterea scandala & alia peccata non puniuntur, quia non sunt similiter necessaria in causa, seu necessaria necessitate antecedenti & absoluta, sed necessaria in effectu, seu necessaria necessitate consequenti & ex suppositione, sicuti dicebam. Videatur Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Theophylactus & Caietanus *in*
31 *cit. 1. ad Corinth.* 11. *& in cit. Matth.* 18. Quæ tamen omnia ex Anselmo, Beda, & S. Thoma *in dictum locum 1. ad Corinth.* 11. & ex Alensi *part. 2. q.* 161 *membr.* 3. permittit Deus propter bonum commune, quia scilicet sunt occasio vt veritas diligentiùs inquiratur, examine-
32 tur, & prædicetur; quapropter S. Augustinus *in Enchiridion* ait: *Deus sapientiæ suæ magis congruere videt, ex malis bona facere, quàm nulla mala esse permittere.* Quod etiam satis colligitur *ex citato loco 1. ad Corinth.* 11. vbi Apostolus asserit: *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt inter vos, manifesti fiant.* Et ideò idem Sanctus Augustinus *libro de vera Religione cap.* 8. *& in enarratione super Psal.* 54. *& in epist.* 105. inquit:
33 *Hæreticorum inquietudine fit, vt Scripturas vigilantiùs perscrutemur: Vnde, ne Ouili Christi noceant, illis possit occurri, tanquam de somno ignauia nostra educitur industria, ita per multiplicem gratiam Saluatoris, etiam quod inimicus in perniciem machinatur, Deus conuertit in adjutorium.*

34 Obijcies quartò: Infideles cogi non possunt ad fidem suscipiendam, (cùm fides debeat esse voluntaria; & cùm, si illi ad fidem suscipiendam cogerentur, sequerentur multa mala & incommoda:) ergo neque hæretici cogi poterunt ad fidem retinendam, cùm vtrobique sit eadem ratio.

Respondetur: Nego consequentiam; & disparitas est, quia in fideles Ecclesia non habet iurisdictionem quam habet in hæreticos ratione baptismi suscepti; & ideò licèt Ecclesia cogere non possit infideles ad fidem suscipiendam, cogere tamen poterit hæreticos ad fidem

retinendam. Neque in hoc (etiam si hæretici fictè simulent fidem, & fictè suscipiant Sacramenta, & alia in- 35
commoda sequantur, peccat aliquo modo Ecclesia, quia cùm Ecclesia iure suo non vtatur, peccata & incommoda quæ sequuntur, imputari non debent Ecclesiæ iure suo vtenti, sed prauæ hæreticorum voluntati; quemadmodum non peccat, qui iure suo vtens petit mutuum ab alio, quamuis ille det ad vsuram; quinimò si id non faceret Ecclesia, multò plura & maiora incommoda sequerentur: vnde & sequitur etiam, quod fides sit vo- 36
luntaria antecedenter & absoluta, (si scilicet nunquam fuerit suscepta) sit tamen necessaria solùm consequenter & ex suppositione (si scilicet semel fuerit per baptismum receptum suscepta.) Et meritò, quia alioquin totum redundaret in iniuriam Ecclesiæ, & Sacramentorum Ecclesiæ, sicuti *suprà* dicebam.

PETITIO XII.

An Reges & Principes omnes subjecti sint potestati spirituali Romani, seu Summi Pontificis?

SVMMARIVM.

1 *Reges & Principes omnes subiecti sunt potestati spirituali Summi Romani Pontificis. Quod liquet Summorum Pontificum, Conciliorum, & Sanctorum Patrũ auctoritate. Vide ibi plura testimonia.*

2 *Constantinus Magnus Imperator in Concilio Niceno apertè confitetur, se non posse iudicare de Episcopis, sed ab illis se esse diiudicandum.*

3 *Carolus Magnus*, In memoriam (*inquit*) D. Petri honoramus Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis, quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa S. Sede imponatur, iugum tamen feramus, & pia deuotione toleremus.

4 *Osuri Rex Angliæ de Pontifice Romano asserit*: Ego vobis dico, quia hic est ostiarius ille, vti contradicere nolo, sed in quantum noui, & valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis.

5 *Sanctus Ludouicus Galliarum Rex, mox moriturus filium sic monet*: Sis deuotus & obediens Matri Romanæ Ecclesiæ, eiúsque Pontifici, tanquam spirituali Patri te morigerum præbeas.

6 *Ladislaus Rex Hungariæ in oratione ad Nicolaum V. vocat illum*, Pontificem Maximum, vnicum Christianorum Principem, & Regum Regem, & in terris Deum.

7 *Alphonsus Rex Hispaniarum ait*: Qui negat Pontificem Romanum habere hanc potestatem, vel esse caput totius & vniuersalis Ecclesiæ, non solùm est excommunicatus, sed etiam hæreticus.

8 *Summus Romanus Pontifex est Pastor omnium ouium Christi, consequenter etiam ipsorum Regum & Principum; alioquin Reges & Principes non essent oues Christi, seu de ouili & Ecclesia Christi, sed extra ouile & Ecclesiam Christi.*

9 *Extrauagantis* Vnam sanctam de maiorit. & obedient. Bonifacij VIII. *tenor refertur, vbi dicitur*: Gladius esse sub gladio, & potestas temporalis subjici potestati spirituali, &c.

10 *Extrauagans supradicta reuocata non fuit à Clemente V. sed solùm declaratũ, in ea nihil de nouo definiri ad manifestandam obligationem fidelium à primordiis Ecclesiæ.*

Respondetur affirmatiuè, &
Probatur primò authoritate Summorum Pon- 1
tificum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum.

Et quidem Simmachus in *Apologia ad Anastasium*

Imperatorem, ait: *Tu, si Princeps Christianus es, qualiscumque Præsulis Apostolici debes vocem patienter audire.* Et Simmachus *in 6. Synodo Romana* (sicuti refertur *in cap. 2. dist. 10.*) *Non licet Imperatorem, vel cuique pietatem custodienti, quidquam, quod Apostolicis regulis obuiet agere.* Et Gelasius ad Anastasium Imperatorem: *Licet præsideas humano generi dignitate rerum terrenarum, tamen Præsulibus deuotus colla submitte.* Et Adrianus *in vltimo suorum Capitulorum* (sicuti refertur *in cap. Generali 25. q. 1.*) *Generali decreto constituimus, vt execrandum anathema sit, & veluti præuaricator Catholicæ fidei semper apud Deum reus existat, quicumque Regum, vel Potentum deinceps Romanorum Pontificum decreeorum censuram in quocumque crediderit, vel permiserit violandum.*

Et Concilium Nicænum *in cap. 39.* habet: *Romano Pontifici data est potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum.* Eandémque hanc veritatem definit Concilium Beneuentanum sub Victore III. Placentinum sub Vrbano II. Romanum sub Paschali II. Coloniense sub Gelasio II. Rhemense sub Calixto II. Lateranense sub Innocentio III. & Lugdunense sub Innocentio IV. Vbi Innocentius prædictus declarat, quod Romanus Pontifex punire possit pœnis temporalibus etiam Imperatorem hæreticum & rebellem, & in eodem Concilio priuat Imperio propter similia delicta Fridericum Imperatorem.

Et ex Sanctis Patribus Ambrosius *lib. de dignit. sacerd. cap. 2.* inquit: *Regum colla submittei pedibus Sacerdotis.* Et Nazianzenus *in oratione ad populum timore perculsum loquens cum Principe*, ait: *Suscipe supremo vocem liberiorem, scito te esse ouem gregis mei.* Et Chrysostomus *homil. 83.* asserit: *Si is, qui diademate coronatus, indignè agat, cohibe, maiorem illo potestatem habes.*

2 Secundò probatur exemplis, & quidem Constantinus Magnus Imperator (sicuti refert Ruffinus *lib. 1. cap. 2.*) In Concilio Nicæno apertè confitetur, se non posse iudicare de Episcopis, sed ab illis se esse dijudicandum.
3 dum. Et Carolus Magnus (sicuti refert Concilium Triburiense *can. 30.* Gratianus *in cap. 3. dist. 19.* & Nauclerus *vol. 2. generat. 28.*) inquit: *In memoriam Diui Petri honoremus Sanctam Romanam & Apostolicam Sedem; vt quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Magistra Ecclesiasticæ rationis; quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licèt vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur iugum, tamen feramus &*
4 *pia deuotione toleremus.* Et Osuri Rex Angliæ (sicuti refert Beda *lib. 2. cap. 25. de Pontifice Romano*) asserit: *Ego vobis dico, quia hic est Ostiarius ille, cui contradicere nolo, sed in quantum noui, & valeo, huius cupio in omnibus obedire statutis.* Et S. Ludouicus Rex Gal-
5 liarum mox moriturus (sicuti in eius vita refert Surius) filium sic monet: *Sis deuotus & obediens Matri Romanæ Ecclesiæ, eiúsque Pontifici tanquam spirituali Pa-*
6 *tri te morigerum probeas.* Et Ladislaus Rex Hungariæ in oratione ad Nicolaum V. (sicuti refert Coclæus *lib. 11. historiar. Hussitar.*) vocat illum, *Pontificem Maximum, vnicum Christianorum Principem & Regum Regem, & in terris Deum.* Et Alphonsus Rex Hispania-
7 rum (sicuti videre est *in tit. 5. suarum legum leg. 4.*) ait: *Qui negat Pontificem Romanum habere hanc potestatem, vel esse caput totius & vniuersalis Ecclesiæ, non solùm est excommunicatus, sed etiam hæreticus.*
8 Tertiò probatur ratione, quia Romanus, seu summus Pontifex (vti dicebam, & infrà clariùs patebit) est Pastor omnium ouium Christi: ergo etiam ipsorum Regum & Principum, (alioquin Reges & Principes non essent oues Christi, seu de ouili & Ecclesia Christi, sed extra ouile & Ecclesiam Christi;) ergo etiam ipsi Reges & Principes (tanquam oues, seu de ouili & Ecclesia Christi,) sunt subiecti potestati spirituali Romani, seu summi Pontificis.
9 Quapropter in Extrauaganti *Vnam Sanctam de maiorit. & obed.* Bonifacij VIII. dicitur: *Gladium esse sub* 9
gladio, & potestatem temporalem subijci potestati spirituali, & si deuiet potestas terrena, potestatem hanc terrenam iudicandam esse à spirituali: si deuiet potestas spiritualis minor, potestatem hanc spiritualem minorem iudicandam esse à suo superiore; si verè deuiet potestas spiritualis suprema, potestatem hanc spiritualem supremam à solo Deo iudicari posse.

Non obstat, si dicas, quod hæc Extrauagans Bonifacij VIII. reuocata fuerit à Clemente V. *in Extrauag. Meruit de Priuilegiis.* 10

Respondetur enim quod à Clemente V. ibi reuocata non fuerit, sed solùm declaratum in dicta Extrauaganti Bonifacij VIII. nihil de nouo definiri, sed solùm manifestari obligationem quam semper à principio nascentis Ecclesiæ fideles habuerunt ad obediendum Romano seu Summo Pontifici.

COROLLARIVM I.

An Romanus seu Summus Pontifex, propter potestatem quam habet in Reges & Principes, possit etiam in temporalibus eos dirigere ad finem supernaturalem, si ab eo illi deflectant, & salus animarum & bonum fidei & Ecclesiæ publicum ita requirat.

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex Romanus propter potestatem, quam habet in Reges & Principes, potest etiam in temporalibus eos dirigere ad finem supernaturalem, si ab eo illi deflectant, & salus animarum & bonum fidei & Ecclesiæ publicum ita requirat.*

2 *Sacerdotes ex Gelasio Papa in diuino iudicio reddituri sunt rationem pro ipsis Regibus.*

3 *Summus Pontifex Romanus tanquam caput omnium fidelium potest Reges & Principes, saltem indirectè dirigere ad finem supernaturalem etiam in temporalibus, si hæc impedirent consecutionem finis supernaturalis.*

4 *Summus Pontifex Romanus à Christo Domino commissam habet curam animarum vniuersalem, dirigendo eos ad finem supernaturalem, iuxta sacrarum Scripturarum oracula, quæ hic recensentur.*

5 *Petrus, eiúsque successores, sicque Summus Pontifex Romanus, habet à Christo Domino ly* Pasce oues *meas, ex quo Reges & Principes sunt oues Summi Pontificis Romani, eique sunt subiecti in spiritualibus; consequenter si deflectant in vsu potestatis temporalis à fine supernaturali, potest dirigere ad prædictum finem supernaturalem.*

6 *Potestas spiritualis est superior potestati temporali, quemadmodum anima est superior corpori; consequenter Reges & Principes habentes temporalem potestatem subduntur summo Pontifici.*

7 *Summus Pontifex ex officio tenetur dirigere suas oues ad finem supernaturalem, & consequenter etiam Reges & Principes, cum sint de ipsius ouili, potest admonere, corrigere, & punire, si deflectant à tali fine.*

8 *Summus Pontifex habet saltem indirectè potestatem in Reges & Principes, si perperam se gerant quid mali præcipiendo, vel permittendo, quod sit in detrimentum boni spiritualis eos impediendi, præcipiendo illis vt prædictum malum remoueant, & iustitiam sectentur, & sic ne sibi ipsis obsint, abutendo potestate temporali.*

Respondetur

1 RESpondetur ex dictis affirmatiuè ; &
2 Confirmatur ; quia Gelasius Papa *in cap. Duo sunt dist. 96.* ait, *Sacerdotes esse reddituros in diuino iudicio rationem pro ipsis Regibus.* Vnde Apostolus *ad Hebraos 13.* dicit : *Obedite Prapositis vestris & subiacete*
3 *eis:* Quæ verba etiam referuntur ad Reges ; cùm ibi Apostolus subdat : *Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri* : Ergo Romanus, seu Summus Pontifex (tanquam caput omnium Fidelium) potest Reges, & Principes, saltem indirectè, dirigere ad finem supernaturalem etiam in temporalibus ; si hæc impedierint consecutionem finis supernaturalis, ad quem ex officio tenetur illos dirigere.

4 Confirmatur secundò ; quia Romanus, seu Summus Pontifex à Christo Domino commissam habet curam animarum vniuersalem, dirigendo eos ad finem supernaturalem, iuxta illud Matthæi 16. *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in calis, & quodcunque solueris super terram erit solutum & in calis* ; & iuxta illud Ioannis 21. *Pasce oues meas* : ergo à Christo Domino commissam habet potestatem (etiam in Reges, & Principes, cum & ipsi sint de ouili, & Ecclesia Christi Domini) ad ea omnia, quæ necessaria sunt ad hanc directionem prædictam ; & consequenter habet potestatem in Reges, & Principes, vt eos dirigat ad finem supernaturalem, etiam in temporalibus; cum ei, cui aliqua iurisdictio concessa est, censeant etiam concessa ea omnia, sine quibus talis iurisdictio exerceri non potest, *l. 2. ff. de iurisd. omn. iudic. & c. Propterea de offic. delegat.*

5 Confirmatur tertiò ; quia Petrus, eiúsque successores, sicque Romanus, seu Summus Pontifex habet à Christo Domino ly *Pasce oues meas* ; sed Reges, & Principes sunt oues Romani, seu Summi Pontificis, eique sunt subiecti in spiritualibus : ergo si Reges, & Principes in vsu suæ potestatis temporalis deflectant à fine supernaturali (vt à fide, iustitia, &c.) poterit eos monendo, præcipiendo, corrigendo, & puniendo dirigere ad prædictam finem supernaturalem.

6 Confirmatur quartò ; quia potestas spiritualis est superior potestati temporali (quemadmodum anima est superior corpori. S. Thom. 2. 2. *q. 60. a. 6. & in 2 dist. 44. in exposit. text. ad* 4. quem sequuntur communiter Doctores.) Ergo Reges, & Principes, qui habent potestatem temporalem, subduntur Summo Pontifici habenti potestatem spiritualem ; & consequenter, si Reges, & Principes perperam se gerant (vt si v. g. quid contra legem diuinam præcipiant, vel iniustum bellum alteri inferant, vel aliqua grauia peccata, quæ sint in magnum detrimentum boni supernaturalis, subditis suis permittant) poterit Summus Pontifex eos monere, corrigere, & punire dirigendò ad finem supernaturalem, etiam in temporalibus; cùm & temporalia omnia ordinari debeant ad finem supernaturalem.

7 Confirmatur quintò ; quia Summus Pontifex ex officio tenetur dirigere suas oues, (& sic etiam Reges, & Principes, cùm etiam Reges, & Principes sint de ipsius ouili, sicuti supra dicebam) ad finem supernaturalem; sed non potest eas dirigere ad prædictum finem supernaturalem, nisi habeat facultatem monendi, corrigendi, & puniendi eos, si deflectant à tali fine supernaturali : ergo Summus Pontifex saltem indirectè habet facultatem in Reges, & Principes, etiam quoad temporalia, quatenùs temporalia possunt impedire hanc directionem ad prædictum finem supernaturalem.

8 Confirmatur sextò ; si Reges, & Principes perperam se gerant, (quid malum præcipiendo, vel permittendo, quod sit in detrimentum boni spiritualis, vt supra dicebam) potest Summus Pontifex, tanquam pastor vniuersalis, curam habens spiritualem animarum, tale malum impedire : ergo, saltem indirectè, habet potestatem in Reges, & Principes, præcipiendo illis, vt prædictum malum remoueant, & iustitiam sectentur, & sic potestate sua temporali vtantur, vt saluti spirituali non obsit.

COROLLARIVM II.

An, si quis Princeps sæcularis ferat leges repugnantes bonis moribus, possit Summus Pontifex contrarias Leges ferre, & illi præcipere, quod prædictas leges reuocet?

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex potest si quis Princeps sacularis ferat leges repugnantes bonis moribus, ferre contrarias leges, & illi pracipere pradictarum legum reuocationem.*

2 *Ad Summum Pontificem, cùm eius munus sit, omnes sibi commissas oues dirigere ad finem supernaturalem, pertinet peccata impedire, eorúmque occasiones remouere.*

3 *Ad Summum Pontificem ob eandem rationem pertinet, vt Fides, Religio, Pietas, Iustitia, & catera virtutes conseruentur, & augeantur.*

RESpondetur ex iisdem dictis suprà affirmatiuè ; & 1
docet S. Thomas *p. 2. q. 96. a. 5.* (quem sequuntur communiter Theologi) Felinus *in c. Ecclesia de constit. n. 41.* & Couarr. *2. p. decret. c. 8. §. 9. n. 6. & seqq.* (quos sequuntur communiter Canonistæ) & Bart. *in l. Priuilegia C. de sacros. Eccles. q. vnic.* (quem sequuntur communiter Iuristæ) &

Confirmatur ; quia ad Summum Pontificem (cùm 2
eius munus sit, omnes sibi commissas oues dirigere ad finem supernaturalem, vti dicebam) pertinet peccata impedire, eorúmque occasiones remouere: ergo, si leges ab aliquo Principe sæculari latæ foueant peccata, vel præbeant occasionem peccandi, poterit Summus Pontifex tales leges irritare, seu irritas declarare.

Confirmatur secundò ; quia ad eumdem Summum 3
Pontificem ob eamdem rationem dictam pertinet, vt Fides, Religio, Pietas, Iustitia, & cæteræ virtutes conseruentur, & augeantur : ergo, si viderit ad talem effectum aliquid esse præcipiendum, poterit illud, vt fiat, præcipere, non obstantibus legibus latis ab aliquo Principe sæculari in contrarium.

COROLLARIVM III.

An Summus Pontifex Reges, & Principes hæreticos, vel similiter iniquos, possit punire per censuras Ecclesiasticas?

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex potest punire per censuras Ecclesiasticas Reges & Principes hareticos, vel similes iniquos, quod sacris Scripturis confirmatur.*

2 *Idémque probatur auctoritate Summorum Pontificum, & Conciliorum Generalium per Text.* in c. nouit. de iudic. &c.

3 *Idem pariter probatur ex consuetudine antiqua, qua semper in Ecclesia fuit, Principes hareticos puniendi per censuras Ecclesiasticas.*

4 *Innocentius I. excommunicauit Arcadium Imperatorem ob iniurias S. Chrysostomo illatas.*

5 *Alexander III. excommunicauit Fridericum Imperatorem.*

6 *Innocentius III. excommunicauit Othonem Imperatorem.*

7 *Gregorius VII. excommunicauit Imperatores, Reges, & alios Principes sibi vsurpantes inuestituras dignitatum Ecclesiasticarum.*

8 *Gregorius IX. excommunicauit Fridericum II. Imperatorem.*

9 *Ioannes XXII. Ludouicum Imperatorem.*

10 *Vrbanus II. Philippum I. Regem, qui misit Romam Legatos, vt à Paschali absolueretur. Idémque complures Summi Pontifices in alios principes iam pluries fecerunt.*

11 *Summus Pontifex habet in Principes, si delinquant, potestatem directiuam; consequenter etiam coactiuam.*

1 RESpondetur ex iisdem dictis suprà affirmatiuè; &
Confirmatur ex sacra Scriptura, vt *ex 2. Corinth.*
10. Ibi: *Arma militia nostra non carnalia sunt, sed potentia Dei ad destructionem munitionum*; & ibidem: *In promptu habemus vlcisci omnem inobedientiam, &c. Nam & si amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & destructionem vestram, non erubescam.* Ex quibus verbis clarè colligitur, quod Apostolus habuerit potestatem puniendi fideles omnes, si bonum Ecclesiæ commune, & recta ratio sic postulauerit: quam potestatem ex dictis verbis colligunt *in cit. c.* Anselm. Theophilact. Theodoret. & alij; quam eamdem potestatem quod & Ecclesia similiter habeat in fideles omnes, ex illis aliis verbis Cor. 4. *(vultis in virga veniam ad vos?)* colligunt Gregorius *epist. 1. lib. 4.* Ambrosius *epist. 18. ad Marcellam sororem.* Hieronymus *ad Galatas 6.* Augustinus *lib. 3. contra Epistolam Parmen. c. 1.* & complures alij.
2 Confirmatur secundò, ex Summis Pontificibus, & Conciliis Generalibus; siquidem *in cap. nouit. de iudic.* habetur: *Non intendimus iudicare de feudo, sed de errore de peccato, cuius ad nos pertinet, sine dubitatione, censura, quam in quemlibet exercere possumus, & debemus*; & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. dicitur, posse personas Ecclesiasticas compellere Principes ad publicè iurandum pro fidei defensione, si necesse fuerit: & in octaua Synodo *art. 6.* legitur, Imperatorem Basilium obediuisse cuidam decreto ne à Summo Pontifice excommunicaretur.
3 Confirmatur tertiò ex consuetudine antiqua, quæ
semper in Ecclesia fuit, Principes hæreticos puniendi
per censuras Ecclesiasticas; siquidem Innocentius I.
4 (vt refert Nicephorus *lib. 13. c. 34.*) excommunicauit
Arcadium Imperatorem ob iniurias S. Chrysostomo
5 illatas, & Alexander III. (vt refert Platina in Alexandro)
excommunicauit Fridericum Imperatorem; & In-
6 nocentius III. (vt refert idem Platina in eius vita) ex-
communicauit Othonem V. Imperatorem, & Grego-
7 rius VII. (vt patet *ex eius lib. 7. epist. 14.*) excommuni-
cauit Imperatores, Reges, & alios Principes sibi vsur-
pantes inuestituras dignitatum Ecclesiasticarum; &
8 Gregorius IX. (vt patet *ex c. ad Apostolica de sent. & re*
iudic. in 6.) excommunicauit Fridericum II. Imperato-
9 rem, & Ioannes XXII. (vt refert Pighius *lib. de visibili*
Monarchia c. 14.) excommunicauit Ludouicum Impe-
10 ratorem, & Vrbanus II. (vt refert Baronius anno 1100.
& 1101.) excommunicauit Philippum I. Regem, qui
misit Romam Legatos, vt à Paschali absolueretur; quod
& etiam complures Summi Pontifices in alios Princi-
pes compluries fecerunt.
11 Confirmatur quartò vlteriùs ratione; quia Summus Pontifex ex dictis habet in Principes, si delinquant potestatem directiuam; ergo etiam & coactiuam; cùm potestas directiua sine coactiua sit nimis imperfecta.

COROLLARIVM IV.

An Summus Pontifex possit Principes hæreticos punire, non solùm pœnis spiritualibus, nempe censuris Ecclesiasticis, sed etiam pœnis temporalibus, nempe Regnis priuare, eorúmque subditos ab illorum obedientia liberare?

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex potest Principes hæreticos punire non solùm pœnis spiritualibus, nempe censuris Ecclesiasticis sed etiam pœnis temporalibus, nempe Regnis priuare, eorúmque subditos ab illorum obedientia liberare.*

2 *Ananias, & Saphira ad increpationem Sancti Petri ceciderunt mortui; expediebat enim, vt in Nouo Testamento ad aliorum exemplum, & terrorem, Legum diuinarum, & humanarum Transgressores punirentur.*

3 *Sanctus Paulus* 1. ad Corinth. 5. *postquam excommunicauit quemdam fornicarium, tradidit illum Sathanæ; quæ traditio significat, illum fuisse corporaliter etiam punitum magna corporis pœna in ipsum per dæmonem inflicta.*

4 *Ecclesia non potest errare in iis, quæ pertinent ad fidem, & mores magni momenti, in eâque semper viguit consuetudo puniendi Reges, & principes ob crimen hæresis pœnis temporalibus, eósque etiam priuandi Regnis.*

5 *Summus Pontifex potest punire Reges, & Principes, si fuerint inobedientes, & incorrigibiles; consequenter iuxta rectum prudentiæ dictamen eosdem punire pœnis temporalibus, &c.*

6 *Petrus, eiúsque Successores habent à Christo Domino ly* Pasce oues meas. *Ad pastorémque pertinet punire suas oues ea pœna, qua dictauerit recta ratio eas esse puniendas.*

7 *Petrus, eiúsque Successores habent à Christo Domino etiam ly* Quodcumque ligaueris, &c. *Quæ potestas non est limitata solùm ad pœnas spirituales; consequenter, si bonum commune Ecclesiæ requirat, quod principes improbi pœnis temporalibus afficiantur, dominiis expolientur, eorúmque vassalli ab eorundem obedientia eximantur, poterit Summus Pontifex hoc ipsum in illos exercere.*

8 *Ecclesia de facto propter peccatum hæresis, & alia delicta grauissima punit delinquentes oues suas, non solùm pœnis spiritualibus, sed etiam temporalibus, illos bonis suis priuando; consequenter punire poterit etiam principes.*

9 *Ecclesia de facto propter peccatum hæresis, & alia delicta grauissima punit alios subditos pœnis temporalibus, eo quod sic exigat bonum publicum Ecclesiæ; consequenter punire poterit & principes, & cur, arguendo à fortiori.*

10 *Rex hæreticus, vel schismaticus sine dubio potest constituere subditos suos in maximo periculo, cogendo eos ad multa & grauissima peccata, atque flagitia.*

11 *Ecclesia licet non possit punire principes infideles ob peccatum infidelitatis, & eorum subditos ab eorum dominio liberare, cùm de his, quæ foris sunt, Ecclesia non iudicet; tamen si eorum subditi fuerint aliqui Christiani potest illos à tali subiectione liberare propter maximum fidei periculum.*

12 *Papa ex communi sententia Theologorum, & Iuristarum*

rum quæ hic propriis eorum verbis relatis insinuantur, potest deponere Reges non solùm propter hæresim, aut schisma, aut aliud crimen intolerabile in populo, sed etiam propter insufficientiam. Vide ibi.

1 RESpondetur ex iisdem dictis suprà affirmatiuè, &
2 Probatur vlteriùs ex sacra Scriptura; quia ad increpationem Sancti Petri ceciderunt mortui Ananias, & eius vxor, eo quod (sicuti notat S. Gregorius *lib. 1. epist. 24.* & author de mirabilibus sacræ Scripturæ *lib. 3. c. vlt.* scilicet S. Augustinus) expediebat, vt in Nouo Testamento ad aliorum exemplum, & terrorem, legum diuinarum & humanarum transgressores punirentur: ergo, si Petrus concessam habuit facultatem puniendi pœna temporali, quinimò & pœna mortis dictas personas ad exemplum & terrorem aliorum, signum est, quod concessam etiam habeat & Ecclesia, eiúsque caput, præsertim si crimen fuerit hæresis, quod crimen inter omnia crimina grauissimum est.

3 Item quia Sanctus Paulus *1. ad Corinth. 5.* postquam excommunicauit quemdam fornicarium, tradidit illum Sathanæ; quæ traditio significat illum fuisse corporaliter etiam punitum magna corporis pœna in ipsum per dæmonem inflicta (sicuti notant ibi Anselmus, Theophilactus, Theodoretus, S Thomas, & alij, & Sanctus Ambrosius *lib. 1. de pœnitentia c. 12.*) Ergo ex hoc loco clarè colligitur, quod Ecclesia, eiúsque caput habeat potestatem corrigendi improbos, & inobedientes non solùm per censuras Ecclesiasticas, sed etiam per pœnas temporales, vt hac via etiam dirigat eos ad salutem æternam.

4 Secundò probatur vlteriùs ex ratione; quia Ecclesia non potest errare in iis, quæ pertinent ad fidem, & mores magni momenti; sed in Ecclesia semper fuit consuetudo puniendi Reges, & Principes ob crimen hæresis pœnis temporalibus, eósque etiam priuandi Regnis (ita vt & leges etiam de hac re latæ fuerint, quæ tanquam iuri naturali & diuino quammaximè conformes, à viris Catholicis receptæ, atque approbatæ fuerunt) ergo signum est, quod Ecclesia possit id facere; ne dicamus, illam errare in iis, quæ pertinent ad fidem, & mores magni momenti.

5 Confirmatur, quia Summus Pontifex ex dictis potest punire Reges & Principes, si fuerint inobedientes, & incorrigibiles: ergo poterit etiam iuxta rectum prudentiæ dictamen eosdem punire pœnis temporalibus, eorúmque subditos ab obedientia illis præstanda liberare, cum ex dictis etiam Ecclesiæ non detur limitata potestas; vt scilicet possit prædictos delinquentes solùm punire pœnis spiritualibus; seu censuris Ecclesiasticis.

6 Confirmatur secundò; quia Petrus, eiúsque Successores, sicque Summus Pontifex habet à Christo Domino, ly *Pasce oues meas, Ioann. 21.* sed ad pastorem pertinet punire suas oues ea pœna, qua dictauerit recta ratio, eas esse puniendas: ergo (si propter bonum commune Ecclesiæ dictauerit recta ratio, quod Principes inobedientes, & incorrigibiles pœnis temporalibus puniantur, Regnis priuentur, & eorum subditi ab eorumdem obedientia liberentur) poterit Summus Ecclesiæ pastor illos talibus pœnis punire; cùm & illi (quamuis supremi Principes) sint oues Ecclesiæ.

7 Confirmatur tertiò; quia Petrus, eiúsque Successores, sicque Summus Pontifex habet à Christo Domino etiam ly *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, Matth. 16.* (Quæ potestas ex dictis, & etiam ex dicendis non est limitata solùm ad pœnas spirituales) ergo (si bonum commune Ecclesiæ requirat, quod Principes improbi pœnis temporalibus afficiantur, dominiis expolientur, eorúmque vassalli ab eorumdem obedientia eximantur, poterit Summus Pontifex hoc ipsum in illa exercere; idque ob eamdem rationem iam suprà dictam; & quidem Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi (sicuti refertur *in c. ad Apostolicæ de sent. & re iudic. in 6.*) ex illis verbis. *Quodcumque ligaueris, &c.* colligit, quod Summus Pontifex huiusmodi potestatem habeat: quapropter meritò in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. dicitur: *Si Dominus temporalis, monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica fæditate, per Metropolitanum excommunicetur, & si intra annum satisfacere neglexerit, id Summo Pontifici significetur, vt ex tunc ipse vasallos ab eius fidelitate denunciet esse absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam.* Quod si tali pœna meritò puniuntur Principes, qui sunt negligentes in extirpandis hæreticis, multò magis eadem pœna puniri debebunt Principes, qui sunt in se, & personaliter hæretici.

Confirmatur quartò; quia Ecclesia de facto propter peccatum hæresis, & alia delicta grauissima punit delinquentes oues suas, non solùm pœnis spiritualibus, sed etiam temporalibus, illos bonis suis priuando: ergo similiter in simili casu punire poterit & Principes; cum non ex eo, quod sunt Principes, desinant esse oues Ecclesiæ; neque alicubi habeatur, Principes in afflictione pœnarum esse exemptos à iurisdictione Ecclesiæ. 8

Confirmatur quintò; quia (sicuti dicebam) Ecclesia de facto propter peccatum hæresis, & alia delicta grauissima punit alios subditos pœnis temporalibus eo quod sic exigit bonum publicum Ecclesiæ: ergo similiter etiam punire poterit & Principes. Consequentia probatur, tum à pari propter eamdem rationem; tum à fortiori; quia Principes faciliùs possunt delinquere, & difficiliùs corriguntur; tum quia Principum peccata plus nocent Ecclesiæ: quapropter *Eccles. 10.* dicitur *Rex insipiens perdet populum suum* (cum qualis est Rector ciuitatis, tales sint & habitantes in ea; & quales sunt Principes, tales sint & reliqui ciues) & *in c. præcipuè 11. q. 3.* habetur: *Principes grauiùs, quàm cæteri delinquunt, & ideò per pastores suos grauiùs, quàm cæteri, puniri debent.* 9

Confirmatur sextò; quia sine dubio Rex hæreticus, vel schismaticus potest constituere vassallos suos in maximo periculo, cogendo eos ad multa, & grauissima peccata atque flagitia: ergo, (cùm Christus Dominus optimè ordinauerit, & instituerit Ecclesiam suam) dicendum erit, quod is Summo Capiti & Pastori talis Ecclesiæ facultatem dederit, quod iste possit oues suas à lupis defendere, Principes scilicet excommunicando, eorúmque subditos à iuramento fidelitatis liberando; cùm ita exigat recta ratio, & bonum vniuersalis Ecclesiæ; & cùm ita etiam colligatur ex illis verbis *Ioan. 21. Pasce oues meas, & ex illis aliis verbis Matth. 16. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* 10

Confirmatur septimò; quia quamuis Ecclesia non possit punire Principes infideles ob peccatum infidelitatis, & eorum subditos ab eorumdem dominio liberare (cùm de his, quæ foris sunt, Ecclesia non iudicet, *1. Cor. 5.*) Tamen, si eorum subditi fuerint aliqui Christiani, potest illos à tali subiectione liberare propter maximum periculum, ne à Principibus infidelibus peruertantur, ex Sancto Thoma *2. 2. qu. 10. a. 10.* aliisque communiter (sicut etiam potest coniugem fidelem à coniuge infideli separare, si periculum fuerit, ne ab illo subuertatur ex *1. Cor. 7.* & etiam potest filios baptizatos à parentibus infidelibus seiungere propter idem periculum subuersionis ex Concilio Toletano *4. c. 59.*) ergo multò magis poterit Principes Christianos, qui sunt sibi subiecti, bonis, & Regnis priuare, & eorum vassallos ab eorumdem subiectione liberare; si scilicet similiter periculum sit, ne propter Principum hæresim subditi illorum hæresi, aliisque nefariis criminibus, & moribus prædictorum Principum inficiantur. 11

Tertiò probatur ex communi sententia Theologorum, Canonistarum, & Iuristarum; quia Paludanus *in tractat. de causa immediata Ecclesiastica potestatis art. 4.* Papa potest deponere Reges, non solùm propter hæresim, aut schisma, aut aliud crimẽ intolerabile in populo, 12

sed

sed etiam propter insufficientiam. Baconus *in prologo super 4.sent.q.11.a.4.*[Papa potest Regem deponere ratione iniquitatis & inutilitatis suæ personæ, potest etiã deponere Imperatorem, & Imperium alteri dare, si non defendat Ecclesiam.] Alensis *p.4. q.10. in explic Canon. Miss.* in illud *Et pro Rege N.* & *p.4.q.79.membr.5.& 6.* [Papa non est dubium, quin sit superior omnibus Christianis, & in temporalibus, & in spiritualibus: cùm igitur de præiudicio animæ, vel populi tractatur, Papa potest, & debet prouidere; & si necesse sit, quoscumque Reges deponere.] Idémque tradit etiam Io.Faber *in l.1. C.de Summ.Trinit.& fid.Cathol.n.10.* Vgo de S.Victore *lib.2. de sacramem.p.2.c.41.*[Magnam habet potestatem Papa super Imperatore, quia ex delicto illum deponit.] Idémque docent etiam Sander *lib.2. de visibil.monarch.Eccl. c.4.*& Petr.de Monte *in monarch.p.2.q.4.* S.Bonauentura *lib.de Ecclesf.Hierarch.p.2 c.2.* [Possunt Pontifices ex causa amouere Reges, & deponere Imperatores; sicut sæpè sæpiùs accidit, & visum est; quando scilicet eorum malitia hoc exigit, & Reipublicæ necessitas sic requirit.] Henricus *quodlib.6.q.33.*[Regimen vniuersalis Ecclesiæ tam in spiritualibus, quàm in temporalibus ad Papam pertinet.] Maironus *in 4.dist.19.q.4.*[Rex, & quicumque Princeps Christianus Regno & Principatus iure priuari potest per Ecclesiam.] Idémque docet Iacobus Latomus *lib.de Ecclesia c.14.* Thomas Valdensis *lib.2.doctrinal fidei a.3.c.75.*[Papa potest deponere Imperatorem pro hæresi.] Idémque tradunt Almainus *tract.de potest.Ecclesf.& temporal.q.2.c.5.*& Albertus Pighius *lib.5.de Ecclesf.Hierarchia c.2. & 14.* Victoria *de potestate Ecclesf.relect.1.q.5.proposit.8.*[Papa, quando necesse est ad finem spiritualem, potest non solùm omnia, quæ Principes sæculares possit, sed etiam facere nouos Principes, & tollere alios, & Imperia diuidere.] Syluester *verbo Papa, n.10.* [Potest Papa Imperatorem excommunicatione dignum, excommunicare, & depositione dignum deponere.] Et paulò post *n.11* [Papa potest Reges ex rationabili causa deponere.] Idémque aiunt Caietanus in Apologia de comparata auctoritate Papæ, & Concilij *p.2. c.13 ad 8.* Bannez *2.2.qu.10. art.10.in fin.comment.conclus.4. & q.12.art.2.circa vltimam conclusionem.* Alexander de Sancto Elpidio *lib.de auctoritate Summi Pontificis c.9.*& Olcot.*lib.de sapient. lect.200.* Michaël Volturnus *tractat. de regimin. mund. p.2.q.1.n.89.* [Ratione fidei, vel peccati grauis, & manifesti, si incorrigibilis fuerit Imperator, vel Rex, potest Papa eum deponere.] Idémque dicunt Tuschus *tom.6. verbo Papa.* Bellarminus *in tract.de potest.Papæ in temporalibus per totum.* Et Suarez *contra Regem Angliæ cap.23.* Molina *de iust.to.1.disp.29.concl.3.*[Si id exigat finis supernaturalis, potest Summus Pontifex deponere Reges, eósque Regnis suis priuare.] Idémque inquiunt Azor. *tom.2.lib.10.cap.2.quæst.2.* Et Valentia *2.2.disp. 1.quæst.13.punct.2.assert.2.* Qui subdit etiam, hoc esse certum apud Orthodoxos, & nullo modo dubium. Abbas *in cap. Per venerabilem qui filij sint legitimi*, & *in cap.Soluta de maiorit. & obed.num.7.* [Papa potest rationabiliter increpare Imperatorem, & alios Principes sæculares; idque non mirum, quia eos ex causa potest deponere.] Ioannes Ananias *in c. licet de voto num.10.* [Papa priuat laïcum ordine Geniture; quia habet potestatem super Reges, & Regna; vnde deponit Imperatorem.] Gambara *in tract de offic. & potest.legat. lib.2. de varijs Ordinariorum nominibus num 220.*[Solus Papa deponit Imperatorem & Reges.] Gulielmus Durandus *in speculo lib.1 tit de legato §.nunc ostendendum, num. 17.* [Papa deponit Imperatorem propter ipsius iniquitates, & dat Principibus Curatores, quando ipsi fuerint inutiles ad regendum.] Idémque scribunt Gregorius Tholosanus *de Republica cap 5.num.14.* Et Sylua *tract.de benef.part.3.quæst.8.* Castaldus *lib.de Imperatore quæst.21.*[Solus Papa sine Concilio deponit Imperatorem; quia Papæ & Christi vnum est Tribunal.] Et paulò post. [Papa Principem, quantumcumque exemptum, si expedit, punit, & deponit. Bellamera *in cap. Alius 15. quæst.6.* [Papa potest deponere Imperatorem, & Reges pro delictis; & quod hanc supremam & absolutam potestatem Pontifex habeat, est multùm æquum, & Reipublicæ expediens, vt sic scilicet sit aliquis supremus Monarcha, qui Regum huiusmodi excessus possit corrigere, & de ipsis iustitiam ministrare. Ancharanus *in cap.Canonum statutum num.6.de Constit.* [Papa Imperatorem coronat, & inungit, & quandoque deponit.] Idémque præter alios docet Aufrerius *tract. de potest.sæcular.num.5.* Petrus Bertrandus *in tractat.de origin.iurisd.q.4.n.5.* [Papa potest ferre depositionis, & damnationis sententias in Imperatorem, & quoscumque alios Principes.] Ioannes Quintinus *in Repet.cap. nouit.de iudic. num.64.* [Papa ius, & potestatem habet in spiritualia simul, & omnia temporalia.] Cunerus *lib. de offic.Princip.Christian.cap.8.* [Papæ potestate Princeps hæreticus, vel pertinaciter intolerabilis deponi poterit.] Idémque ait Conradus Brunus *lib.3. de legation.cap 6.* Gabriel Biel *lect.23. in Canon.Miss.* [Papa Imperatorem deponere potest.] Michaël de Aminion *tract.de vnit.ouilis & Pastoris num.12.*[Papa Imperatorem deponit causis exigentibus.] Driedo *lib.1.de libert. Christian.cap.14.* [Papa ex plenitudine potestatis super vniuersos Principes Christianos potest Reges & Principes Christianos propter hæresis crimen priuare suis Regnis, atque Imperijs, & in temporalibus prorsus eximere plebem Christianam ab obedientia, & subiectione eorum.] Carthusianus *lib.de regim.polit.art.19.* (In Papa est plenitudo tam spiritualis, quàm temporalis potestatis, ideò iurisdictionem, & dispositionem habet super omnia Regna, & Principatus fidelium non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, dum rationabilis causa requirit: nam & Imperatores potest deponere, & Reges, si vita eorum id mereatur, Regnis suis priuare.) Augustinus Triumphus *lib. de potest.Ecclesf. quæst.22.art.3 & quæst.40.* (Imperatores à Papa posse deponi quis ibit inficias; eius enim est deponere, cuius est eumdem constituere.) Aluarus Pelagius *tractatu de planctu Eccl'esf.lib.1.cap.21.* (Papa Imperatorem contumacem, & persecutorem Ecclesiæ Imperio priuat.) Simancha *de Cathol.institut.tit.45. num.25.* (Papa in ordine ad finem spiritualem habet amplissimam potestatem in omnes Principes Orthodoxos, & potest iusta de causa priuare Principem administratione, & iurisdictione.) Gulielmus de Monserrat. *tractat. de successión. Regum num.30.* (Papa cum causa potest quemcumque Christianum Principem priuare, prout priuauit, & deposuit Childericum.) Idemque ait Astensis *in summa part.1 lib.2.tit.64 cap 4.* Nauarrus *in cap.nouit.de iudic. notabil.3. num. 99.* (Papa potest deponere Reges negligentes.) Idémque tradunt Herueus *de potest.Papæ, §. Ad euidentiam 2.* & Iuo Episcopus Cornutensis *epist. 28.ad Vrbanum II.* Stephanus Episcopus Albestasensis *in epist.quæ est apud Marianum Scotum.* (Henricus IV. Imperator hæreticus est, & pro nefandis malis à Sede Apostolica excommunicatus est, nec Regnum, nec potestatem aliquam super nos, quia Catholici sumus, obtinere potest.) Isidorus Mediolanensis *lib. 2. de Imperij militant.Ecclesf.dignit.tit.8.conclus.3.* (Papa potest, eorum demeritis exigentibus, Imperatorem, ac Regem deponere.) Lupoldus à Bamberga *lib.de iur.Regn.& Imper. cap.10.* (Potest Rex propter crimen hæresis, vel aliud crimen notorium, de quo incorrigibilis appareret, à Regno deponi.) Idémque docet Reginaldus Polus *in lib.de Summo Pontifice cap.8.* Bartolus *in l.si Imperator, C.de legib.n.4* (Ius eligendi Imperatorem habent Principes de Alemania, & ius priuandi est penes Pontificem Romanum.) & Baldus *in proœmio ff. vet.* (Solus Papa priuat Imperatorem.)

COROLLARIVM

COROLLARIVM IV.

An Summus Pontifex habeat iure diuino vtramque potestatem, spiritualem scilicet, & temporalem?

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex habet iure diuino vtramque potestatem, spiritualem scilicet, & temporalem. Quod quidem confirmatur ex Summis Pontificibus per plures Canones hic citatos.*

2 *Idem probatur ex S.Bernardo* lib.4.de considerat. c.4. ad Eugenium Papam.

3 *Papa ex Aluaro Pelagio habet vniuersalem iurisdictionem in vniuerso mundo non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, licet executionem gladij temporalis per filium suum legitimum Imperatorem tanquam per Aduocatum, & defensorem Ecclesiæ, & per alios Reges, & mundi Principes ipse exercere debeat, vtramque affirmat de hoc Canonistarum sententiam.*

4 *Idem ex Theologorum, & Canonistarum communi sententia adstruitur, ex quibus Papa potestatis spiritualis, & temporalis apicem tenet, duósque gladios accepit à Christo Domino spiritualem, & temporalem.* Vide ibi per plures allatas authoritates, &c.

1 RESpondetur, ex iisdem dictis suprà affirmatiuè; & Confirmatur ex Summis Pontificibus, quia *in cap. omnes dist.22.ex Nicolao Papa dicitur.* [Romanam Ecclesiam solus ipse fundauit, & supra petram fidei mox nascentis erexit, qui B.Petro æternæ vitæ clauigero terreni simul, & cælestis imperij iura commisit.] Vbi gloss. *verbo Cælestis*, ait, [Papa vtrumque gladium habet, spiritualem scilicet, & temporalem.] Item *in cap. vnam sanctam de maiorit. & obedient.* ex Bonifacio VIII.habetur. [Gladium spiritualem, & temporalem esse in potestate Ecclesiæ, spiritualem quidem ab Ecclesia exercendum Sacerdotis manu: Temporalem verò, non nisi manu militis pro Ecclesia nutu Sacerdotis.] Et subditur [Gladium esse sub gladio, id est, potestatem temporalem esse sub potestate spirituali, seu potestatem temporalem tanquam minorem, & inferiorem esse subiectam potestati spirituali.] Item *in c.Venerabilem de elect. ex Innocentio III.* asseritur. [Electores habere ius eligendi Imperatorem ex concessione Sedis Apostolicæ.] Quibus verbis satis explicatur Summi, seu Romani Pontificis potestas.

2 Confirmatur secundò ex S. Bernardo *lib.4. de considerat. cap.4.ad Eugenium Papam* Ibi: [Quid tu denuò vsurpare gladium tentas, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: conuerte gladium tuum in vagina. Tuus ergo & ipse tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus, alioquin si nullo modo ad te pertineret, dicentibus Apostolis: ecce duo gladij hîc, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est; vterque ergo est Ecclesiæ, & spiritualis gladius, & materialis, sed is quidem pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus est; ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris.] Huc vsque S.Bernardus, quem Aluarus Pelagius *lib.1.de planctu Eccl.c.14.* [Sequens, inquit, quod Papa iurisdictionem vniuersalem habeat in vniuerso mundo, non solùm in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, licèt executionem gladij temporalis per filium suum legitimum Imperatorem, tanquam per Aduocatum, & defensorem Ecclesiæ, & per alios Reges, ac mundi Principes eum exercere debeat.] Subditque Aluarus, 2 quod vera sit sententia Canonistarum dicentium, habere Papam vtramque potestatem, spiritualem scilicet, & temporalem, spiritualem quidem per se, ac cæteros Ecclesiarum Prælatos administrandam; temporalem verò non quidem proximè per se, vel per aliarum Ecclesiarum Prælatos, sed ministerio, & opera Imperatorum, & aliorum Principum sæcularium in certis casibus exercendam.

4 Confirmatur tertiò, ex communi sententia Theologorum, Canonistarum, & Iuristarum; quia S.Thomas *in 2.sent circa fin.* ait. [Papa potestatis spiritualis, & temporalis apicem tenet.] Henricus *quodlib. 6. qu.23.* [Papa accepit à Christo Domino duos gladios, temporalem scilicet, & spiritualem; & quidem spiritualem habet non solùm iure, & habitu; sed etiam vsu, & functione; temporalem verò habet quidem iure, & habitu, sed vsu, & functione, non nisi in certis casibus.] Paludanus *in tract.de causa immediat.Ecclesiast.potest.a 4* [Papa est superior in spiritualibus, & per consequens in temporalibus quantum necesse est pro bono spirituali.] Ægidius Romanus *tract.de potest.Eccles p.1 c.30.* [Reges, & Principes non solùm spiritualiter, sed etiam temporaliter subsunt Summo Pontifici; quia si solùm spiritualiter Reges, & Principes subessent Ecclesiæ, non esset gladius sub gladio, neque essent temporalia sub spiritualibus, neque esset ordo in spiritualibus, neque reducerentur infima in suprema per media. Victoria *de potest. Eccles. relect.1.q.5. proposit.8.* [In ordine ad finem spiritualem Papa habet amplissimam potestatem temporalem super omnes Principes, & Reges, & Imperatorem.] Idémque tradit etiam Ledesma *2. 4. q.20 a 4. concl.8.* Molina *tom.1.de iust. & iur.tractat.2.disput.29. concl. 3.* [Potestas spiritualis Summi Pontificis ad finem supernaturalem adiunctam quasi ex consequenti habet supremam, & amplissimam potestatem iurisdictionis temporalis super omnes Reges & reliquos, qui sunt de Ecclesia, præcisè tamen, quatenus postulat finis supernaturalis, ad quem spiritualis potestas ordinatur.] Syluester *verbo Papa n.11.* [Papa in Reges, & Principes Christianos habet vniuersalem spiritualium, & temporalium iurisdictionem.] Bellarminus *in tract.de potest.Papa in temporalibus.* [Potestas Ecclesiastica, quæ spiritualis est, præest potestati politicæ temporali, & eam dirigere debet ad finem supernum æternæ vitæ. Ideò in ordine ad spiritualia deponere potest etiam de bonis temporalibus.] Azor. *tom.2.lib.4.c.19.q.1. & 2.* [In Romano Pontifice est vtraque potestas, spiritualis quidem semper non solùm iure, & habitu, sed etiam vsu, & administratione; at temporalis est quidem semper iure, & habitu, sed vsu, & actu in certis tantùm causis. Et hæc quidem temporalis est in Imperatoribus & Regibus ordinaria, non autem commissa, & delegata; sed quamuis ordinaria, est tamen Romani Pontificis potestati subiecta, non quidem quod ad nutum ipsius auferri possit, sed certis tantummodò ex causis.] Conarruu. *in Regula Peccato, p.2.§ 9.n.7.* [Papa verè habet potestatem temporalem, etiam super Imperatorem, quatenus ea vtilis & necessaria est ad Ecclesiæ Catholicæ regimen, & supernaturalis potestatis vsum. Cyprianus Bremensis *lib. de prima Orbis Sede ad 2. pro parte 2. prima concl.* [In collatione clauium includitur etiam collatio terrenarum potestatum pro conseruatione bonorum spiritualium.] Cordub. *lib.1.q.57.dub.3.* [Potestas ciuilis subiecta est non quidem potestati temporali Papæ, sed spirituali aliquo modo, in casu necessitatis, vel magnæ vtilitatis spiritualium; Et Ecclesia, maximè Papa, habet potestatem & auctoritatem, seu iurisdictionem aliquam temporalem in ordine ad finem spiritualem super omnes homines, & Principes, & Reges omnes, & Regna totius mundi. Nauarr. *in cap. nouit.de iudiciis notabili 3. n.41.* [Potestas Ecclesiæ directè solùm complectitur supernaturalia, indirectè verò eatenus naturalia, quatenus sunt necessaria ad conseruationem finis spiritualis.]

Durandus Episcopus Meldensis *lib. de orig. iurisdiction. q. 3.* [Christus Dominus contulit Petro, eiusque Successoribus vtramque potestatem, temporalem scilicet, & spiritualem; & potestas spiritualis se extendit primò, & principaliter ad spiritualia; secundariò autem, & per quamdam consequentiam se extendit etiam ad actiones hominum circa temporalia, quæ ordinantur ad spiritualia, tanquam ad finem.] Turrecremata *in summ. de Eccles. lib. 2 c. 114.* [Papa habet potestatem amplissimam in temporalibus in ordine ad spiritualia.] Bartolus *in Constitutione Henrici VIII, in volumine post duos libros feudorum*, quæ incipit, *Ad reprimendum.* [Apud Christi Vicarium est vterque gladius, spiritualis scilicet & temporalis.] & Baldus *in Proemio decretalium n. 6.* [Papa est seruus seruorum Dei quantum ad humilitatem; quia quantum ad potestatem est dominus dominorum: & quæcumque potestas est sub cælo, est in Summo Pontifice.]

COROLLARIVM VI.

Qualiternam explicetur potestas temporalis, quam habet Summus, seu Romanus Pontifex in bona temporalia, Imperia, & Regna huius mundi?

SVMMARIVM.

1 *Summus Pontifex ad mentem nonnullorum in administratione rerum spiritualium supremam potestatem habet directè, temporalem verò non nisi indirectè.*

2 *Summus Pontifex ad mentem aliorum in administratione rerum spiritualium habet potestatem absolute, & simpliciter; at verò in administratione rerum temporalium non absolute, & simpliciter, sed ex conditione.*

3 *Papa ad mentem aliorum habet prædictam duplicem potestatem spiritualem scilicet, & temporalem; spiritualem quidem non solùm iure, & habitu, sed etiam vsu, & functione, seu administratione.*

1 RÉspondetur ex dictis suprà: ad mentem nonnullorum explicatur, quod Summus, seu Romanus Pontifex in administratione rerum spiritualium supremam potestatem habeat directè, temporalem verò non nisi indirectè; quatenus scilicet opus est vti gladio, & potestate temporali ad defendendam, & conseruandam potestatem spiritualem.

2 Ad mentem autem aliorum explicatur secundò, quod Summus, seu Romanus Pontifex in administratione rerum spiritualium habeat potestatem absolutè & simpliciter; at verò in administratione rerum temporalium non absolutè & simpliciter, sed ex conditione, quatenus scilicet opus est illa vti ad bonam gubernationem rerum spiritualium; cùm spiritualia sine temporalibus neque defendi, neque conseruari, neque augeri possint.

3 Ad mentem tandem aliorum explicatur tertiò, quod Papa habeat prædictam duplicem potestatem, spiritualem scilicet, & temporalem, spiritualem quidem non solùm iure, & habitu, sed etiam vsu, & functione, seu administratione, qua semper vtitur per se, & per Ecclesiæ Ministros; temporalem verò potestatem habeat quidem etiam iure, & habitu, qua tamen reuerà non vtitur per se, sed per Imperatores, Reges, & Principes ordinariè; per se verò solùm in quibusdam casibus.

Et hic modus explicandi tertius & vltimus, est magis vsitatus apud Canones, & antiquos Doctores.

Obiectiones contra ea quæ suprà dicebantur.

SVMMARIVM.

1 *Ex verbis Matth.* 16. Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, *solùm colligitur, quod Christus Dominus concesserit Petro eiusque Successoribus potestatem ligandi fideles per censuras Ecclesiasticas principaliter, & primariò, per pœnas autem temporales minus principaliter, & secundariò, vel per censuras Ecclesiasticas explicitè, per pœnas temporales implicitè.*

2 *Potestas Ecclesiæ concessa excommunicandi citato loco Matthæi, solùm explicatur, & tamen exinde communiter Doctores colligunt, quod sub illis iisdem verbis, includatur, & continentur etiam potestas ligandi per alias censuras, & pœnas spirituales, & cur?*

3 *Item ex illis iisdem verbis communiter Doctores colligunt, quod Ecclesiæ concessa sit potestas ferendi leges, statuta, & præcepta; quia hæc etiam potestas requiritur ad hoc vt fideles dirigi possint ad finem supernaturalem.*

4 *Reges, & Principes non baptizati sunt in temporalibus bonis, Regnis, & Imperiis suis ita supremi domini, non tamen vt in illis neque directè, neque indirectè superiorem vllum agnoscant in commodum & vtilitatem spiritualem, & sic in ipsorum fauorem: secus in incommodum, & detrimentum spirituale, & sic in odium ipsorum.*

5 *Rex, vel Princeps infidelis, cùm non sit filius, & subditus Ecclesiæ, neque ipsius potestas temporalis est subiecta potestati spirituali, & iurisdictioni Ecclesiæ, neque consequenter pendet ab illa quoad vim directiuam, coactiuam, & vindicatiuam: at verò cùm Rex, vel Princeps per Baptismum fiat filius, & subditus Ecclesiæ, necessariò ipsius potestas temporalis in commodum & vtilitatem spiritualem, & sic in fauorem ipsius Regis, vel Principis debet esse subiecta potestati, & iurisdictioni temporali Ecclesiæ.*

6 *Rex vel Princeps ex eo, quod vult suscipere baptismum (sine quo vitam æternam consequi non potest, profitetur, & promittit se in ordine ad finem supernaturalem velle obedire supremo Ecclesiæ Pastori, qui est Summus Pontifex Romanus, & consequenter se ab eo velle puniri si delinquat.*

7 *Rex, vel Princeps quamuis per susceptionem baptismi fiat subditus Ecclesiæ, tamen ex alia parte recepit amplitudinem, potestatem, & maiestatem maiorem, ita vt illa (qualiscumque sit ipsius Regis, & principis subiectio) magnis priuilegiis non solùm spiritualibus, sed etiam temporalibus compensetur.*

8 *Ecclesia quodammodo potestatem etiam habet in Regem, vel Principem infidelem; quia si Rex, vel Princeps infidelis fideles sibi subditos a fide auertere tentetur, potest Ecclesia prædictos subditos à talis Regis, vel principis dominio remouere propter periculum peruersionis. Item ait eamdem potestatem habere, si scilicet ipse impediat, ne Euangelium prædicetur.*

9 *Ecclesia ex hoc non sequitur, quod habeat potestatem in Regem, vel in Principem infidelem directè, & propriè: secus autem indirectè & amplè.*

10 *Principes supremi. Reges & Imperatores licet fuerint iam per totum mundum, priusquam fuerit constituta pontificia dignitas, ab hominibus statim atque in mundo ea constituta fuit, cœperunt ei omnes esse*

subiecti

subiecti Summo, seu Romano Pontifici ex institutione ipsius Christi Domini, qui sic instituit ob commune bonum ipsorum, & Ecclesiæ.

11 *Subditi, & vassalli vt obediant Principibus, & Dominis suis de iure naturali, & diuino est, si nulla iusta causa, sit in contrarium, & sic absolutè, & antecedenter. Secus si aliqua iusta causa sit in contrarium, quia sic absolute & antecedenter de iure naturali, & diuino est, quod quilibet homo sit liber, & conseruet vitam suam; atque dominium bonorum suorum.*

12 *Vassallorum subiectio Regibus, & Principibus sæcularibus, quamuis sit de iure natura & diuino debita, Deus tamen Summo Pontifici concessit, vt tam à Regibus, vel Principibus hæreticis, aut alio modo impiis, & iniquis iusta de causa posset auferre; &c.*

13 *Christus Dominus vt homo temporale dominium quod habuerit per vniuersum Orbem multò probabilius est, quàm asserere oppositum; suadetúrque pluribus sacrarum Scripturarum testimoniis, docéntque præstantiores Theologi.*

14 *Christus vbi dixit: Regnum suum non esse de hoc mundo, intellexit quoad actum, vsum, vel administrationem: secus autem quoad ius, dominium, vel proprietatem, &c.*

15 *Christus Dominus fugit ne Rex crearetur quoad actum, vsum, vel administrationem. Secus quoad ius, dominium, & proprietatem. Vel fugit, ne Rex crearetur quoad ius, dominium, & proprietatem ex electione hominum non ex iure redemptionis.*

16 *Christus Dominus non obstat, quod nunquam hac potestate vsus sit supra totum mundum, quia reuerà eam collatam habuit, vt suprà probatum fuit luculenter.*

17 *Apostoli non erant subiecti Regibus, & Principibus sæcularibus de iure: secus de facto: quemadmodum & Apostolus Paulus de facto etiam necessitate scilicet compulsus appellauit Cæsarem.*

18 *Qui Deo militant, & inseruiunt, non debent se immiscere in rebus temporalibus passim, & ordinarie: secus autem aliquando, & in quibusdam casibus.*

19 *Certum est de fide, Papam si quid ex Cathedra tanquam de fide sine Concilio Generali definiat, non posse errare contra oppositum asserentes.*

20 *Papa simili ratione non potest errare (tametsi sine Concilio Generali definiat) in præceptis, seu rebus moralibus, quæ approbat, & toti Ecclesiæ proponit contra Gersonium, Almainum, & alios.*

21 *Papam, aliósque prælatos Ecclesiasticos de iure diuino posse delinquentem punire solum pœnis spiritualibus, temporalibus autem in tantum, in quantum eis concesserint Reges, & principes sæculares, negat Auctor hoc assumptum ex dictis superius, auctoritatéque probat vtrumque nempe posse punire tam pœnis spiritualibus, quàm temporalibus modo suprà explicato.*

22 *Potestas prædicta puniendi cùm ad rectam Ecclesiæ gubernationem sit necessaria, omninò dicendum est Christum Dominum per se, & immediatè potestatem hanc Ecclesiæ suæ tradidisse.*

23 *Ecclesia regimen, cùm ex se sit perfectum intrinsecè potestatem hanc habere debet, & non quasi à Regibus & principibus sæcularibus emendicatam.*

24 *Ecclesiæ potestas cùm sit maior, & excellentior potestate sæculari non debet ab illa dependere, neque ab illa potestatem suam quasi emendicare, præsertim cùm Reges & principes sæculares potuissent illam non concedere, vel concedere cum conditione.*

25 *Papa ipse, si fiat hæreticus, liber non est à dicta punitione; quia licet quamdiu est Papa, à nemine possit puniri, tamen si fiat hæreticus, potest à Concilio Generali hæreticus declarari, in quo casu de facto immediatè à Christo Domino deponitur, quemadmodum & de facto eligentibus Cardinalibus, immediatè à Christo Domino potestatem recipit.*

26 *Papam esse hæreticum, nunquam euenit, neque in posterum eueniet: probabile enim est, ipsum vt personam priuatam non posse esse hæreticum: quamuis probabile magis sit, posse quidem vt personam priuatam errare ex ignorantia, non tamen ex contumacia, sententia in oppositum non obstante.*

Obiicies: ex illis verbis Matth. 16. *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis.* 1
Solùm colligitur, quod Christus Dominus concesserit Petro, eiúsque Successoribus (vt explicatur *Matth. 18.*) potestatem ligandi fideles per censuras Ecclesiasticas; ergo exinde minùs rectè colligitur, quod concesserit etiam potestatem ligandi per pœnas temporales, seu corporales.

Respondetur: distinguo antecedens (*solùm colligitur, quod Christus Dominus concesserit Petro, eiúsque Successoribus potestatem ligandi fideles per censuras Ecclesiasticas*) solùm principaliter, & primariò, concedo: solùm quomodocumque (siue scilicet principaliter, & primariò, siue etiam minùs principaliter, & secundariò) nego. Vel distinguo: solùm explicitè, concedo: solùm (siue explicitè, siue etiam implicitè) nego; quia sub illa potestate ibi Ecclesiæ concessa ligandi, includitur quidem potestas ligandi per censuras (& hoc explicatur *Matthæi 18.*) Non tamen propterea negatur, quod sub illa generali concessione includatur etiam potestas ligandi per pœnas temporales, seu corporales; præsertim quia & id satis probant rationes, quos suprà adducebam, & alia loca Scripturæ (vt illud Ioannis 21. *Pasce oues meas*) & verba generalia, quibus Matthæi 16. *potestas ligandi super terram* conceditur Petro, eiúsque Successoribus indefinitè, & generaliter.

Accedit, quod citato loco *Matthæi* 18. Solùm explicatur potestas ibi Ecclesiæ concessa excommunicandi, & tamen exinde communiter Doctores colligunt (& rectè) quod sub illis iisdem verbis, *Quodcumque ligaueris super terram,* includatur, & contineatur etiam potestas ligandi per alias censuras, & pœnas spirituales (vt per suspensionem, interdictum, &c.) quia, quod Ecclesia habeat hanc aliam potestatem ligandi, requirit bona administratio, & gubernatio eiusdem Ecclesiæ: ergo etiam sub illis iisdem verbis includitur potestas Ecclesiæ concessa ligandi per pœnas temporales, seu corporales, eo quod ad bonum regimen eiusdem Ecclesiæ requiratur etiam talis potestas Ecclesiæ concessa à Christo Domino, esset diminuta, & imperfecta. 2

Accedit secundò; quod ex illis iisdem verbis communiter Doctores colligunt (& etiam rectè) quod Ecclesiæ concessa sit potestas ferendi leges, statuta, & præcepta; quia hæc etiam potestas requiritur, ad hoc, vt fideles dirigi possint in finem spiritualem ab eadem Ecclesia: ergo, cùm ad hunc finem requiratur etiam, quod Ecclesia possit imponere pœnas temporales, seu corporales sub illis iisdem verbis comprehenditur similiter talis potestas. 3

Obiicies secundò: Reges & Principes non baptizati sunt in temporalibus bonis, Regnis, & Imperiis suis ita supremi Domini, vt in illis neque directè, neque indirectè Superiorem vllum agnoscant; ergo idem dicendum erit de Regibus & Principibus baptizatis. Antecedens patet; consequentia probatur; quia alióquin Reges, & Principes baptizati essent deterioris conditionis, quàm Reges, & Principes non baptizati; tum quia quando Reges & Principes infideles per baptismum ad nostram fidem accedunt, non priuantur 4

bonis temporalibus, Regnis, & Imperiis suis: ergo neque priuabuntur prædicto priuilegio, quod scilicet in temporalibus neque directè, neque indirectè superiorem vllum agnoscant; tum quia alioquin Reges, & principes infideles retraherentur à nostra fide per susceptionem baptismi, si scilicet per susceptionem baptismi prædicto priuilegio exemptionis spoliarentur.

Respondetur: distinguo antecedens (Reges, & principes non baptizati sunt in temporalibus bonis, Regnis, & Imperiis suis ita supremi Domini, vt in illis neque directè, neque indirectè Superiorem vllum agnoscant) in commodum & vtilitatem spiritualem, & sic in fauorem ipsorum; negò: in incommodum, & detrimentum spirituale, & sic in odium ipsorum,

5 concedo: At nego consequentiam, & consequentiæ probationes; & disparitas est, quia, cùm Rex, vel princeps infidelis non sit filius, & subditus Ecclesiæ, neque ipsius potestas temporalis est subiecta potestati spirituali, & iurisdictioni Ecclesiæ, neque consequenter pendet ab illa quoad vim directiuam, coactiuam, & vindicatiuam: at verò, eùm Rex, vel Princeps per Baptismum fiat filius, & subditus Ecclesiæ, necessariò ipsius potestas temporalis in commodum, & vtilitatem spiritualem, & sic in fauorem ipsius Regis, vel Principis debet esse subiecta potestati, & iurisdictioni spirituali Ecclesiæ, vt ab ea dirigatur in ordine ad finem supernaturalem, & ad beatitudinis æternæ consecutionem; ita vt si à talia via deflectat, moneri, & puniri possit ab Ecclesia.

6 Accedit, quod eo ipso, quod quis Rex, vel princeps vult suscipere baptismum (sine quo vitam æternam consequi non potest) profitetur, & promittit, se in ordine ad finem supernaturalem velle obedire supremo Ecclesiæ Pastori (qui est Summus, seu Romanus Pontifex.) Et consequenter etiam promittit, se velle ab eo (quem tanquam Ecclesiæ Caput veneratur) si delinquat, puniri; vt hac via directionis, & punitionis possit consequi prædictum suum finem supernaturalem, & prædictam vitam æternam; cùm propterea baptismum suscipere voluerit.

7 Accedit secundò, quod (quamuis Rex, vel Princeps per susceptionem baptismi fiat subditus Ecclesiæ) tamen ex alia parte recipiat amplitudinem, potestatem, & maiestatem maiorem, ita vt illa (qualiscumque sit ipsius Regis, vel principis subiectio) magnis priuilegiis non solùm spiritualibus, sed etiam temporalibus compensetur; cùm ex vi fidei per baptismi susceptionem susceptæ possit multò plura, quam si fidem non suscepisset: potest enim in ordine ad finem supernaturalem præcipere multa, quæ non potest baptismo non suscepto; potest etiam punire multa peccata, quæ non posset ante baptismi susceptionem.

8 Accedit tertiò, quod Ecclesia quodammodo potestatem etiam habeat in Regem, vel Principem infidelem; quia si Rex, vel princeps infidelis fideles sibi subditos à fide auertere conetur, potest Ecclesia prædictos subditos à talis Regis, vel principis dominio remouere propter periculum, ne ab illo peruertantur. Habet etiam Ecclesia potestatem in prædictum Regem, vel Principem infidelem, si scilicet ille impediat, ne Euangelium prædicetur, vel ne ipsius subditi fidem nostram suscipiant, & amplectantur.

9 Non obstat, si dicas: ex hoc non sequitur, quod Ecclesia potestatem habeat in Regem vel principem infidelem, sed solùm, quod habeat potestatem in subditos iam priùs baptizatos. Ergo.

Respondetur enim: distinguo antecedens: ex hoc non sequitur, quod Ecclesia habeat potestatem in Regem, vel in Principem infidelem, directè, & propriè, concedo; (quia Ecclesia reuerà directè, & propriè non potest Regem, vel Principem infidelem punire, nec potest ei legem imponere) indirectè, & amplè, nego: ita vt scilicet potestatem habeat in Regem, vel Principem infidelem, quatenus per modum defensionis possit Regem, vel Principem infidelem in suo officio continere, ne impediat ille subditos fideles in rebus, & causis ad fidem pertinentibus; & ne impediat iste prædicationem Euangelij (cum Ecclesia à Christo Domino, iuxta illud Matthæi 28. *Euntes ergo docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus-Sancti*, habeat ius prædicandi Euangelium per vniuersum Orbem) & ne conuertat iste per se, vel alios in Christum Dominum, & in nostram fidem contumelias, & maledicta.

10 Obiicies tertiò: priusquam esset in mundo constituta pontificia dignitas, seu maiestas, erant iam per totum mundum principes supremi, Reges, & Imperatores: ergo signum est, quod hi nullo modo pendeant à Summo, seu Romano Pontifice.

Respondetur: nego consequentiam; quia statim atque in mundo constituta fuit Pontificia dignitas, seu maiestas; cæperunt omnes hi esse subiecti Summo, seu Romano pontifici ex institutione ipsius Christi Domini, qui sic instituit ob commune bonum ipsorum, & Ecclesiæ; vt sic scilicet meliùs fideles dirigerentur ad finem supernaturalem, & consequerentur salutem æternam, habendo aliquem superiorem, à quo monerentur, & corrigerentur, si à prædicto fine supernaturali, ad quem creati fuerunt deuiarent.

11 Obiicies quartò: de iure naturali & diuino est, vt subditi, & vasalli obediant principibus, & Dominis suis: ergo non potest Summus Pontifex ob istorum hæresim, vel aliud graue delictum hanc subiectionem tollere; cùm Summus Pontifex dispensare non possit in iure naturali & diuino.

Respondetur: distinguo Antecedens: si nulla iusta causa sit in contrarium (& sic, absolutè, & antecedenter) concedo: si aliqua iusta causa sit in contrarium (& sic ex hypothesi, & consequenter) nego; quemadmodum, si nulla iusta causa sit in contrarium (& sic absolutè, & antecedenter) de iure naturali, & diuino est, quod quilibet homo sit liber, & conseruet vitam suam, atque dominium bonorum suorum (ita enim, si nulla iusta causa sit in contrarium, & sic antecedenter, & absolutè, concessum est à Deo, & à Natura cuilibet homini) sed tamen, si aliqua iusta causa sit in contrarium, verbi gratia, delictum aliquod graue (& sic, ex hypothesi, & consequenter) poterit homo etiam à Principe sæculari, libertate, vita, atque bonis suis priuari; quia in tali casu Deus author Naturæ hanc potestatem etiam principibus sæcularibus concessit, vt scilicet iusta de causa possent etiam ipsi prædictis bonis hominem priuare; sic & in casu nostro, quamuis vassallorum subiectio sit Regibus, vel principibus sæcularibus de iure naturali & diuino debita, Deus tamen Summo Pontifici 12 concessit, vt illam à Regibus, vel Principibus hæreticis, aut alio modo impiis, & iniquis, iusta de causa possit auferre; nec id est in prædicto casu aliqualiter contra ius naturale, quinimò est iuri naturali, & rectæ rationi quam-maximè conforme; vt scilicet hac ratione Reges, & Principes in officio contineantur, bonum fidei & iustitiæ conseruetur, & innocentes non opprimantur, & ipsi prædicti Reges, & principes ad finem supernaturalem, ad quem conditi sunt, dirigantur.

Obiicies quintò: Christus Dominus, vt homo, vnam tantùm habuit potestatem, scilicet spiritualem, & non temporalem: ergo signum est, quod & Petro, eiusque Successoribus vnam etiam tantùm concesserit potestatem, spiritualem scilicet, & non temporalem. Consequentia patet à fortiori. Antecedens tradunt VValdensis *libro 2. in doctrinali fidei capite 76. & 77.* Almach.

lib 4.

lib.4.cap.12. Victoria *relect.1. de potest. Eccles.q.5. n.15.* Sotus *de iust.& iur.lib.4. q.4.art.1.* Burgenf. *in scrutinio scriptur.part.1.dist.7.* Abulenf *q.30. in illa verba Matthai 21. Ecce Rex tuus venit tibi*, & alij. Et suadetur *ex Ioan.18.* vbi Christus Dominus ait, Regnum suum non esse de hoc mundo; & ex illo *Ioan.6.* vbi fugit, ne Rex crearetur.

Respondetur: Nego antecedens, quia contrarium (quod scilicet Christus Dominus, etiam vt homo, temporale dominium habuerit in vniuersum orbem terrarum) multò probabiliùs docent S. Thomas *lib. 1. de Regim. Princip.cap.12.* Henric.*quodlib.6. q.22.* Almayn. *de potest. Eccles.cap.18.* Nauarrus *in cap. Nouit de Iudic. n.8. & 130.* Turrecremata *in summa lib.2. cap. 116.* & alij passim. Et probatur, quia sic cedit magis in dignitatem Christi Domini; & sic etiam decuit, vt scilicet, sicut totum orbem redemit & reparauit, ita totius orbis esset Princeps & Rex; quapropter *ad Hebr.* 1. dicitur, quod omnia Christo sint subiecta. Et *Matth. vltimo*, quod Christo data sit omnis potestas in cœlo & in terra. Et *Apocalypsis cap.* 1. quod sit Princeps Regum terræ. Et *cap.6. & 19.* quod sit Rex Regum, & Dominus Dominantium. Et *cap. 10. Act. Apostolor.* quod sit Dominus omnium. Et *ad Philippenses* 2. quod in nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum.

14 Non obstat si dicas: Christus Dominus dixit, Regnum suum non esse de hoc mundo; ergo.

Respondetur enim ex dictis, non esse de hoc mundo, quoad actum, vsum, vel administrationem, concedo: non esse quoad ius, dominium, vel proprietatem ex electione scilicet hominum (quo modo iura, dominia, Regna, & Imperia huius mundi accipiuntur) concedo: Non esse ex iure redemptionis, nego, quia eo ipso quod Christus Dominus fuit constitutus Redemptor totius mundi, accepit etiam ius & dominium suprà totum mundum.

15 Non obstat secundò, si dicas: Christus Dominus *Ioan.6.* fugit, ne Rex crearetur; ergo.

Respondetur enim ex similiter dictis, quod fugit, ne Rex crearetur, quoad actum, vsum, vel administrationem, concedo: quoad ius, dominium, & proprietatem, nego. Vel respondetur: Fugit, ne Rex crearetur etiam quoad ius, dominium, & proprietatem, ex electione scilicet hominum, concedo: Ex iure Redemptionis, nego, quia ex quo tempore (scilicet in vtero Beatissimæ Virginis Mariæ conceptus fuit,) cœpit esse Redemptor totius mundi, cœpit etiam esse Dominus, Princeps, Rex, & Imperator totius mundi.

16 Non obstat tertiò, si dicas: Christus Dominus numquam hac potestate vsus est suprà totum mundum: ergo non est cur dicatur, hanc potestatem collatam habuisse suprà totum mundum.

Respondetur enim, nego consequentiam; quia, quod hanc potestatem collatam habuerit suprà totum mundum, cedit in maiorem dignitatem Christi Domini; & præterea sic etiam decuit, vti *suprà* dicebam. Vt omittam, quod in hac potestate Christus Dominus aliquando vsus fuisse videatur; tum *Matth. 21.* cùm arefecit ficulneam quæ erat in bonis alterius; tum *Matthei* 8. cùm permisit quod porci per dæmones submergerentur in mare; tum etiam *citato Matth.21.& Ioan.* 2. cùm eiecit de Templo vendentes & ementes.

17 Obiicies sextò: Apostoli erant subiecti Regibus & Principibus sæcularibus; ergo signum est quod Papa non habeat potestatem & iurisdictionem in Reges & Principes sæculares.

Respondetur: distinguo antecedens; Apostoli erant subiecti Regibus & Principibus sæcularibus, de iure, nego; de facto, concedo; quemadmodum & Apostolus Paulus de facto etiam, necessitate scilicet compulsus, Cæsarem appellauit. *Actor.25.*

18 Obiicies septimò: Qui Deo militant & inseruiunt, non debent se immiscere in rebus corporalibus; ergo multò minùs Papa, qui in rebus spiritualibus est quam maximè occupatus.

Respondetur: Distinguo antecedens; non debet se immiscere in rebus temporalibus, passim & ordinariè, concedo; aliquandu & in quibusdam casibus, nego; præsertim si se immiscere rebus temporalibus, seu exercitium circa temporalia ad finem spiritualem ordinetur, quia tunc Papa, & quicumque alius (cùm dirigat temporalia ad bonum spirituale) potiùs dicetur se immiscere in rebus spiritualibus quàm in temporalibus; sicque huiusmodi exercitium potiùs sit actus potestatis spiritualis, quàm temporalis.

Obiicies octauò: Ex quibusdam aliis (qui tenent Papam, aliósque Prælatos Ecclesiasticos de iure diuino posse delinquentem punire solùm pœnis spiritualibus; temporalibus autem in tantum, in quantum eis concesserint Reges & Principes sæculares) non est certum de fide, Papam (si quid ex Cathedra tanquam de fide, sine Concilio generali definiat) non posse errare: ergo (quod definiuit Bonifacius VIII. *in Extrauag. Vnam sanctam,*) magnam vim non habet. 19

Respondetur: Nego antecedens, sicuti diffusè probabam *in Summa Theologica disput.1. q.18. vsque ad 46.* Et docent Caietanus *de potest. Papæ*, *cap* 9. Valdensis *lib.2.de doctrina fidei,cap.47.& 48.* Petrus Soto *in Apologia cap.83. & 84.* Driedo *lib. 4. de Ecclesiast. dogmat. cap.18.* Suarez *tract.de fide disput.5.sect.8.n.4.*(quatenus ait, id esse veritatem Catholicam, & nunc temporis tradi ab omnibus Doctoribus Catholicis.) Turrecremata *lib.2.summæ cap.109.* Canus *lib.2.de locis Theolog. cap. 4.* Echius *de Primatu Petri cap. 18.* & alij passim. Et patet ex Concilio Viennensi *in Clement. vnica de summa Trinitate*; ex Concilio Florentino *sess.25.in fin.* & ex Concilio Lateranensi sub Leone X. (qui Lutheri hanc veritatem negantis, articulum 24. tanquam hæreticum condemnauit.) Et patet etiam ex Felici Papa *in epist.ad Benignum*; ex Leone I. *serm.3. de assumptione sua ad Pontificatum*, & refertur *in 6. Synodo art.4.* ex Nicolao I. *in epist. ad Michaelem*; ex Innocentio III. *In epist.ad Episcopos Arelatenses*, & refertur *in cap. Maiores de baptismo*; ex Gelasio *in epist. ad Anastasium Imperatorem*: ex Gregorio *lib.4. epist. 72.* ex Hieronymo *in epist. ad Damasum de nomine Apostasis*; ex Bernardo *in epist.109.ad Innocentium*, & ex cumpluribus aliis summis Pontificibus, & sanctis Patribus.

Qua simili ratione de fide etiam Papa non potest errare (tametsi sine Concilio generali definiat) in præceptis, seu rebus moralibus, quas approbat, & toti Ecclesiæ proponit, sicuti diffusè etiam probabam *in summa Theologica locis suprà citatis*. Et docent Canus *lib.5. de locis Theologic. cap.5.* Molina *de iust. & iur. tom.2. disput.325.* Bellarminus *lib 4. de Romano Pontifice c.5.* Turrecremata *lib. 2. summa cap.* 110. Suarez *vbi suprà*. S.Antoninus 3. *part tit.18. cap. 8. §. 2.* Valentia *tom.3. disput.1 q.1. punct.7.* Azor.*tom.2. Instit.moral.lib.5.c.6.* & alij communiter. 20

Quapropter (licèt olim Gerson, Almaynus *in libris de potestate Ecclesiæ*, Adrianus *q.de Confirmatione*. Castro *lib. 1. cap. 2. contra hæreses*, & quidam alij, tenuerint quod Papa, si sine Concilio generali quid ex Cathedra definiat) possit errare, nunc contrarium, tanquam de fide certum, tenendum est, vti *suprà* dicebam.

Ad illud verò (quod dicebatur, Papam scilicet, aliósque Prælatos Ecclesiasticos de iure diuino posse delinquentem punire solùm pœnis spiritualibus, temporalibus autem in tantum, in quantum eis concesserint Reges & Principes sæculares.) Respondetur negando assumptum ex iis quæ *suprà* dicebam; quapropter quando Ecclesia vtitur hac potestate, meritò ex Concilio Toletano IV. *c.59.* dicit, se id facere authoritate Pontificali, vel se id facere potestate sibi tradita à Christo Domino in illis verbis: *Quodcumque ligaueris super terram, &c.* Et in illis aliis verbis: *Pasce oues meas.* Et in nulla Constitutione Pontificia habetur, 21

MMm 3 quod

quod Pontifex affetat se id facere potestate sibi tradita a Regibus, Principibus, vel Magistratibus sæcularibus,
22 quia cùm (vt omittam alia quæ *suprà* dicebam) hæc potestas ad rectam Ecclesiæ gubernationem & conseruationem sit necessaria, omninò dicendum est, Christum Dominum per se & immediatè potestatem hanc
23 Ecclesiæ suæ tradidisse; & cùm Ecclesiæ regimen ex se sit perfectum, intrinsecè potestatem hanc habere debet, & non quasi à Regibus & Principibus sæcularibus
24 emendicatam; & cùm Ecclesiæ potestas sit maior & excellentior potestate sæculari, non debet ab illa dependere, neque ab illa potestatem suam quasi emendicate; præsertim cùm Reges & Principes sæculares potuissent illam non concedere eum conditione, vt ad ipsos posset recurri & appellari, quod valdè expugnaret perfecto regimini Ecclesiæ; & prætereà potuissent prædictam potestatem concedere eum conditione, vt si enorme & graue delictum committeretur, non posset illud ab Ecclesia puniri, sed talis punitio ipsis Regibus & Principibus sæcularibus esset reseruata. Quod esset maximum inconueniens.

25 Hoc autem quod dixi, adeò verum est, vt nec ipse Papa, si fiat hæreticus, liber sit ab ista punitione; quia licèt, quamdiu est Papa, à nemine possit puniri, tamen si fiat hæreticus potest à Concilio generali hæreticus declarari: in quo casu de facto immediatè à Christo Domino deponitur, (quemadmodum & de facto, eligentibus Cardinalibus, Papa immediatè à Christo Domino potestatem recipit; iisdem enim causis, quibus res gignitur, etiam destruitur) depositusque manet inferior, sicque poterit postea ab Ecclesia puniri. Caietanus *de auctoritate Papæ cap.*18. *&* 19. Canus *lib.*4.*de locis Theologicis cap. vlt. ad* 12. Sotus *in* 4. *dist.* 22 *q.*2. *art.*2. Corduba *lib.*4 *q.*11. & alij communiter.

26 Cæterum forsan hoc, Papam scilicet esse hæreticum, nunquam euenit, nec in posterum eueniet; quia probabile est, Papam, etiam vt personam priuatam, non posse esse hæreticum. Sic Doctores, quos sequitur Pighius *lib.*4.*Hierarchiæ Eccles.cap.*8. quorum sententiam tanquam piam sequitur Bellarminus *lib.*4.*de summo Pontifice cap.*8. *&* 11 *circa finem.* Suarez *de fide disp* 10. *sect.*6.*n.*11. (quatenus ait, sibi magis pium, magisque probabile videri, posse quidem Papam, vt priuatam personam errare ex ignorantia, non tamen ex contumacia) & complures alij; nec enim vllus Pontifex adhuc fuit hæreticus, sicuti probat idem Bellarminus *citato lib.*4 *cap.*8. *& seqq.* Et promissio illa facta Petro. (*Rogaui scilicet pro te Petre, ne deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Et iterum: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduersus eam,*) intelligi potest de quolibet successore Petri.

Quamuis contrarium (Papam scilicet, vt priuatam personam, seu vt priuatum Doctorem posse esse hæreticum) teneant Caietanus *opuscul.* 1. *de authorit. Papæ cap.*15. Sotus *in* 4.*dist.*22.*q.*2.*art.*2 Canus *lib.*6.*de locis Theologic. cap.*12. Castro *de iusta hæreticor punit. lib.*1. *cap.*6. *& lib.*2.*cap.*22. Turrecremata *lib.*2.*c.*101. Valentia *in Analysi fidei.* & Turrianus *de fide disp.*16. *dub.*1. subdens, hanc opinionem nunc temporis esse communiorem.

At quid de hac re ego sentiam, satis dixi *in summa Theologica locis suprà citatis.* Vide etiam quæ dicam *infrà dubit.*145.*sect.*44.

PETITIO XIII.

An hæretici sint membra Ecclesiæ, seu sint in Ecclesia?

SVMMARIVM.

1 *Hæretici, licèt secundùm Caietanum & alios, sint membra Ecclesiæ, seu sint in Ecclesia ratione characteris per baptismum recepti; probabilius tamen est oppositum ex Gregorio, Hieronymo, & Augustino, quatenus aiunt hæreticos nomine tantùm esse Christianos.*

2 *Idem probatur ex sacris Canonibus, præsertim* in cap. statutum de hæretic. id 6. *quatenus ibi habetur, hæreticos esse extra Ecclesiam.*

3 *Item ex Summis Pontificibus Sixto Romano, & Felice I. necnon ex Patribus, quatenus aiunt hæreticos esse foris, & redire ad Ecclesiam, cum reuertuntur.*

4 *Sacerdotes & Episcopi Hæretici habent iurisdictionem in Ecclesia; at non ob id signum est, quod simpliciter sint membra Ecclesiæ, sed tantùm ex parte, seu secundum quid, id est quoad characterem baptismi, præsertim quia Deus per membra præcisa & separata, potest multa operari, cùm conseruat characterem; &c. sic statuente Deo propter commune bonum fidelium.*

5 *Hæretici conferunt & administrant vera Sacramenta; at non exinde sequitur quod sint in Ecclesia simpliciter & absolutè, sed tantùm ex parte & secundùm quid, præsertim quia hæretici in administrandis Sacramentis se habent vt instrumentum Dei.*

6 *Infidelis si baptizans intendat facere quod intendit Ecclesia, verum baptismum confert, & tamen certum est, quod infidelis nullo pacto fit pars & membrum Ecclesiæ, seu nullo pacto sit in Ecclesia.*

7 *Sacramenta administrans, si non vtatur forma Ecclesiæ, non confert vera Sacramenta, nec per illa character imprimitur.*

8 *Per baptismum ingrediuntur homines in Ecclesiam, sicque per characterem baptismalem constituuntur homines partes & membra Ecclesiæ, ex parte & secundùm quid, non simpliciter & absolutè.*

RESpondetur, quod (licèt Caietanus *opuscul.* 1. *de authoritate Papæ c.*22. *&* 27. *& opuscul.*2.*c.*25. Castro *lib.*2. *de iust. hæret. punit c.*14. & quidam alij affirment ratione characteris per baptismum, vel per ordinem recepti) probabiliùs tamen negent S. Thomas 1. *part. q.*8.*art.*3. *& opuscul.*23. Sotus *in* 4.*dist.*22.*q.*2.*art.*3. S.Antoninus 3.*part.tit.*22.*§.*5. Canus *lib.*4.*de loc.Theologic.c.*2. Victoria *de potest. Ecclesiæ in princip.n.*6. Sander.*de visibil. Monarch.lib.*8 *c.*2. Bellarmin.*lib.*3.*de Eccles.militante c.*4. Turrecremata *lib.*1.*c.*6.*& lib.*4.*part.*2. *c.*20. Ricciullus *lib.*5.*c.*12. *num.* 11. & alij communiter. 1

Probatur ex Gregorio *lib.*12. *moral c* 15. *& lib.* 16. *c.*21. ex Hieronymo *dialog.contra Lucifer.* & ex Augustino *lib.*7.*de baptismo,c.*10. *& de vnit. Eccles.c.*4. quatenus aiunt, hæreticos nomine tantùm esse Christianos.

Secundò probatur *ex c. Non in vobis de consecrat.* 2
*dist.*4. quatenus de hæreticis ibi dicitur: *Nobiscum autem estis in baptismo, in cæteris Dominicis Sacramentis, in Spiritu autem veritatis, in vinculo pacis, in ipsa denique Ecclesia Catholica nobiscum non estis.*

Tertiò probatur *ex c. Ipsa pietas* 23.*q.*4. *ex c. Aduocauit* 24.*q.*1. *ex c. Si quis* 1.*q.*1. *ex c.*3 *de hæretic. & ex c. Statutum de hæretic. in* 6. quatenus ibi habetur, hæreticos esse extra Ecclesiam.

Quartò probatur ex Sixto Romano Pontifice *in* 3
*epist.*1. *decretali*, ex Felice I. *epist.*1. ex Cypriano *lib.*8. *epist* 2. & ex Irenæo *lib.*3.*c.*3. quatenus aiunt, hæreticos esse foris & redire ad Ecclesiam, cùm reuertuntur. Vide etiam quæ dicentur *infrà dubit.* 235. *sect.* 13. *per totum.*

Objicies ex aduersariis: Sacerdotes & Episcopi hæ- 4
retici habent iurisdictionem in Ecclesia; ergo signum est quod sint partes & membra Ecclesiæ: antecedens patet, quia Sacerdos hæreticus verè consecrat hostiam, cuique

eiúsque consecratio est vera ; & Episcopus hæreticus validè promouet ad ordines, eiúsque promotio ad Ordines, seu ordinatio est subsistens & valida. Consequentia probatur, quia nemo habet iurisdictionem in aliqua Republica, vel Vniuersitate, nisi fuerit pars, vel membrum talis Reipublicæ, vel Vniuersitatis; quin, nisi fuerit caput prædictæ Reipublicæ, vel Vniuersitatis; vel vniuersale & primum scilicet quoad omnes, vel saltem particulare, seu partiale & secundarium, seu subordinatum, scilicet quoad aliquos.

Respondetur: Concedo antecedens; At distinguo consequens: ergo signum est, quod sint partes & membra Ecclesiæ; ex parte, seu secundùm quid, id est quoad characterem Baptismi & Ordinis, concedo; simpliciter seu absolutè, nego; præsertim quia Deus per membra præcisa & separata potest multa operari; cùm conferat characterem, qui vtpote indelebilis, etiam sublata fide tolli non potest; vnde fit quod hæreticus retinens characterem, possit, quamuis non sit membrum Ecclesiæ, validè exercere quosdam actus ordinis & iurisdictionis in Ecclesia; deinde, licèt in rebus physicis & naturalibus ad hoc vt caput influat in membra, debeat coniungi cum membris; tamen in moralibus id necessariò non requiritur; cùm possit membrum præcisum influere in reliqua membra, sic statuente Deo propter commune bonum fidelium, vti dicebam.

5 Instabis: Hæretici conferunt & administrant vera Sacramenta: ergo signum est, quod sint in Ecclesia. Antecedens patet ex dictis. Consequentia probatur, quia Sacramenta non reperiuntur nisi in Ecclesia, non autem extra Ecclesiam.

Respondetur: distinguo consequens, etiam vt suprà, scilicet, ergo signum est, quod sint in Ecclesia; ex parte, & secundùm quid, concedo; simpliciter & absolutè, nego; præsertim, quia hæretici in administrandis Sacramentis se habent, vt instrumenta Dei, & non vt instrumenta Ecclesiæ; & Deus ex alio capite per instrumenta præcisa potest multa operari, sicuti dicebam;
6 & patet per instantiam, quia etiam infidelis, si baptizans intendat facere quod intendit Ecclesia, verum baptismum confert, & tamen certum est, quod infidelis nullo pacto sit pars & membrum Ecclesiæ, seu nullo pacto sit in Ecclesia, sed omninò extra Ecclesiam; cùm verò dicebatur, Sacramenta non esse nisi in Ecclesia, non autem extra Ecclesiam. Respondetur cum Glossa *in c. Extra Ecclesiam* 1. q. 1. sensum esse, Sacramenta non
7 esse nisi in forma Ecclesiæ, non autem extra formam Ecclesiæ; quia si quis in administrandis Sacramentis non vtitur forma Ecclesiæ, non confert vera Sacramenta, nec per illa character imprimitur, sicuti constat *ex c.* 1. *de baptismo, & ex c. detrahi* 1. q. 1. Et tradunt *in c.* 1. *de Schismaticis verbo Irritas*, Glossa, & *ibid.* Ananias *n.* 12. Soccinus *n.* 6. & communiter alij Canonistæ, quos sequitur Triumphus *lib.* 8. *q.* 25. *art.* 3. *ad* 3.

8 Vrgebis: Per baptismum ingrediuntur homines in Ecclesiam, sicque per characterem baptismalem constituuntur homines partes & membra Ecclesiæ, ergo hæretici, cùm retineant tanquam indelebilem hunc characterem, remanent partes & membra Ecclesiæ.

Respondetur similiter etiam vt *suprà*: distinguo antecedens: Per baptismum ingrediuntur homines in Ecclesiam, sicque per characterem baptismalem constituuntur homines partes, & membra Ecclesiæ; ex parte & secundùm quid, concedo; similiter & absolutè, nego; quod autem per characterem baptismalem non constituantur homines partes, & membra Ecclesiæ simpliciter & absolutè, sed ad id requiratur prætereà saltem fides, patet ex eo, quia Ecclesia, quæ nunc viget, est eadem numero cum Ecclesia, quæ olim vigebat, & tamen tunc homines non constituebantur partes, & membra Ecclesiæ per characterem, sed per fidem: ergò signum est, quod ad constituendum aliquem, vt sit simpliciter & absolutè pars, & membrum Ecclesiæ, non sufficiat solus character præcisè, sed requiratur prætereà saltem etiam & fides. At vt hæc difficultas magis elucescat, sit

---

PETITIO XIV.

Quinam in vniuersum sint membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia; quinam autem non?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia variis modis sumitur: Primò vniuersalissimè pro qualibet collectione Deum venerante.*
2 *Secundò pro Congregatione fidelium, seu illorum, qui fidem in Deum profitentur: Et hoc modo eadem est Ecclesia, quæ fuit à principio mundi, & quæ modò est.*
3 *Cathecumeni propriè, seu simpliciter & absolutè non sunt membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia, quamuis fidem firmatam habeant; quia licèt sint membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia, quoad effectum & meritum, non tamen profitentur fidem sub speciali Sacramentorum signo.*
4 *Catechumenus est in Ecclesia non quoad rem, sed quoad votum & meritum.*
5 *Catechumeni sunt similes hominibus conceptis, sed nondum tamen natis, non tamen propriè, seu simpliciter sunt in Ecclesia, cum nondum Ecclesiam ingressi sint.*
6 *Catechumenus non potest vocari fidelis, nisi per baptismum intùs ingrediatur Ecclesiam.*
7 *Catechumenus non ex eo quod possit saluari est in Ecclesia; nemo enim saluari potest extra Ecclesiam, si sit extra Ecclesiam quoad rem & votum simul, secùs si sit tantùm quoad rem.*
8 *Catechumenus per fidem est membrum Christi, non tamen sequitur quod sit membrum Ecclesiæ.*
9 *Hæretici & Apostatæ sunt membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia ex parte & secundùm quid, non autem propriè, seu simpliciter & absolutè, sed potiùs extra Ecclesiam.*
10 *Schismatici sunt membra Ecclesiæ, ex parte & secundùm quid, quia similiter etiam sub speciali Sacramentorum signo fidem profitentur: non tamen propriè, seu simpliciter & absolutè, sed potiùs extra Ecclesiam, quia sunt extra vnionem inuisibilem cum Christo, &c.*
11 *Peccatores ècontra sunt propriè, seu simpliciter & absolutè membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia.*
12 *Excommunicati etiam sunt propriè, seu simpliciter & absolutè membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia, quia hi si contriti & pœnitentes fuerint, possunt esse membra viua, & Christo Domino inuisibiliter vnita.*

SVppono, quod Ecclesia variis modis sumatur. 1
Primò, vniuersalissimè pro qualibet collectione Deum venerante (quemadmodum sumitur ab Apostolo *ad Ephes. c.* 1. *&* 5.) pro collectione scilicet hominum & Angelorum, & Viatorum, & Beatorum.

Secundò, pro congregatione fidelium, seu illorum 2 qui fidem in Deum profitentur: & hoc modo eadem est Ecclesia quæ fuit à principio mundi, & quæ modò est; sed quia hæc professio fidei post aduentum Christi Domini habetur diuerso modo, ac priùs, ideò Ecclesia post aduentum Christi Domini definitur, quod sit congregatio fidelium, seu illorum qui fidem Dei sub speciali Sacramentorum signo, & sub eodem capite profitentur: quæ definitio constat *ex c. Ecclesia dist.* 1. *& ex c. firmiter de summa Trinitate & fide Catholica.* Et videri poterit præter alios Bannez 2. 2. *q.* 1. *art.* 10. *in commentario circa principium.* & Valentia *disput.* 1. *q.* 1. *punct.* 7.

punct.7.q.4.§.14. His suppositis.

3 Respondetur: Ex dictis sequitur primò, quod propriè, seu simpliciter & absolutè membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia Catechumeni (quamuis firmatam fidem habeant) non sint, quia licet sint membra Ecclesiæ, sed in Ecclesia quoad affectum & meritum (merentur enim salutem, quemadmodum si in Ecclesia, seu intra Ecclesiam essent) non tamen profitentur fidem sub speciali Sacramentorum signo. Gloss. *in c. Cane, verb. si Christiana 28 q. 1. & in c. Catechumenum de consecrat. dist 4.* Decius *in c. 1 de constitut. lectur. 2. n. 26.* Canus *de locis Theologicis, lib. 2. cap. 4.* Suarez *tom. 4. disput. 53. sect. 4. num. 8.* Menoch. *de arbitr. cas. 290. n. 17. & seqq.* Bellarmin. *de Eccles. militant. lib. 3. cap. 3.* Stephanus Caietanus *in repetit. c. Ad limina, n. 209. §. 5. q. 1.* Alterius *de censur. tom. 1. lib. 5. cap. 2. vers. sequitur 6. & vers. tand quoque*, & alij communiter. Quidquid in contrarium dixerint Andreas *in cap. 1. de constitution n. 2. & seqq.* Nauarr. *commentar. de Iubileo notabil. 31. n. 48.* Alphonsus à Castro *lib. 2. de iusta heretic. punit. c. 8.* & quidam alij.

Obijcies ex aduersariis: Sanctus Augustinus *tract. 4. in Ioannem*, ait, Catechumenum esse in Ecclesia; & Textus *in c. Veniens de Presbytero non baptizato*, habet, hominem fieri membrum non solùm per Sacramenta, sed etiam per fidei Sacramenta.

4 Respondetur ex dictis; Catechumenum esse in Ecclesia, & hominem fieri membrum (non solum per Sacramenta, sed etiam per fidei Sacramenta) quoad rem nego: quoad votum & meritum, concedo. Quapropter idem Augustinus *lib. 2. de symbolo in principio*,

5 inquit, Catechumenos esse similes hominibus conceptis, sed nondum tamen natis: Non igitur propriè, seu simpliciter & absolutè Catechumenus est in Ecclesia, seu membrum Ecclesiæ, cùm nòdum Ecclesiam ingressus sit; & propterea Nazianzenus *in oratione in sanctum lauacrum*, dicit, quod Cathecumenus non possit

6 vocari fidelis, nisi per baptismum intus ingrediatur Ecclesiam; & S. Augustinus *citato tract. 4. in Ioannem*, contradistinguit Catechumenum à fideli; quemadmodum etiam & contradistinguit Tertullianus *lib. de præscription.* S. Chrysostomus *homil. 24. in Ioannem* & Cyrillus *lib. 2. in Ioannem, c. 50.* & meritò, quia (sicuti dicebam) non est quis membrum Ecclesiæ, nisi signum visibile, scilicet per baptismum à Christo Domino institutum coniunctus sit Ecclesiæ.

7 Instabis: Catechumenus potest saluari; ergo est in Ecclesia, seu membrum Ecclesiæ: antecedens patet, quia potest habere fidem, spem, charitatem, & cæteras virtutes. Consequentia probatur, quia nemo saluari potest extra Ecclesiam ex Concilio Lateranensi *cap. 1. & in Extrauag. Vnam sanctam, de maiorit. & obedient.* Ibi: *Vna est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus saluari potest.*

Respondetur: Concedo antecedens: At nego consequentiam; & ad probationem consequentiæ respondeo distinguendo: Nemo saluari potest extra Ecclesiam, si sit extra Ecclesiam quoad rem tantùm, nego: si sit extra Ecclesiam quoad rem & votum simul, concedo. Quemadmodum nemo potest saluari sine baptismo, quoad rem & votum simul, non autem sine baptismo circa finem, *& cap. 2. de Presbytero non baptizato in fine.* Et videri poterit præter alios Bellarmin. *de Ecclesia militante lib. 3. c. 9.*

8 Vrgebis: Catechumenus per fidem est membrum Christi; ergo etiam est membrum Ecclesiæ.

Respondetur: Concedo antecedens, quod scilicet Catechumenus per fidem internam & inuisibilem sit membrum Christi, sed nego consequentiam, quod sic sit etiam membrum Ecclesiæ; cùm homo, sicuti dicebam, fiat membrum Ecclesiæ visibilis per signum visibile (qualis est baptismus) institutum à Christo.

9 Sequitur secundò, quod hæretici (idemque dico de Apostatis) fiot membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia, & non sint; sint secundùm quid, quia sub speciali Sacramentorum signo fidem aliquando professi sunt (ratione cuius professionis Ecclesia potest illos punire, & coërcere) non sint propriè, seu simpliciter & absolutè. sed potiùs extra Ecclesiam; quia sunt extra vnionem inuisibilem cum Christo, tum quia rejiciunt fidem in qua reliqui fideles conueniunt; tum quia Ecclesia illos rejicit à se, tanquam membra arida, & reliquo corpori pestifera & damnosa.

Sequitur tertiò, quod similiter schismatici sint membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia, & non sint: sint similiter secundum quid, quia similiter etiam sub speciali Sacramentorum signo fidem profitentur (ratione cuius professionis etiam Ecclesia potest illos punire & coërcere.) Non sint propriè, seu simpliciter & absolutè, sed potiùs extra Ecclesiam, quia sunt extra vnionem inuisibilem cum Christo; & sunt extra vnionem cum membris & capite Ecclesiæ; tum quia Ecclesia illos etiam rejicit à se tanquam membra similiter arida & reliquo corpori pestifera & damnosa. Vide quæ dicentur *infrà dubit. 255. sect. 13. per totam.* 10

Sequitur quartò, quod econtra sint propriè, seu simpliciter & absolutè membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia peccatores & reprobi baptizati, iuxta illud *Matth. 13.* (vbi Ecclesia nomine Regni cœlestis comparatur sagenæ missæ in mari ex omni genere piscium congreganti, habentique bonos & malos; & comparatur decem Virginibus fatuis & prudentibus; & comparatur areæ habenti triticum & paleas; & comparatur etiam domui, in qua sunt vasa in honorem & vasa in contumeliam,) quia peccatores & reprobi baptizati profitentur fidem eodem signo baptismi & aliorum Sacramentorum, ac profitentur prædestinati. Vide quæ dicentur *infrà citata sectione 13.* 11

Sequitur quintò, quod etiam propriè, seu simpliciter & absolutè sint membra Ecclesiæ, seu in Ecclesia excommunicati, quia hi (si contriti & pœnitentes fuerint) possunt esse membra viua, & Christo Domino visibiliter vnita per charitatem; tum quia non deserunt fidem, neque deserunt vnionem cum cæteris membris & capite Ecclesiæ, sed solum excluduntur à participatione communium orationum & suffragiorum Ecclesiæ. Vide quæ dicuntur *infrà eadem sectione 13.* 12

PETITIO XV.

Quænam sint proprietates huius Ecclesiæ?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia huius proprietates septem esse dicuntur, scilicet, quod sit Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, Visibilis, à Spiritu sancto gubernata, & extra quam, salus esse non potest.*

2 *Ecclesia dicitur Vna, quia est ab vno principio, scilicet à Deo vocante ad vnum finem, scilicet ad vitam æternam per vnica media, scilicet per Sacramenta.*

3 *Ecclesia dicitur Sancta, quia etsi non omnes, complurimos tamen Sanctos habet, & Sanctos efficit: tum quia eius caput quatenus tale est Sanctum.*

4 *Ecclesia dicitur Catholica, id est vniuersalis, quia recipit omnes, qui salutem consequi voluit, siue Iudæus, siue Græcus, siue seruus, siue liber, siue mas, siue fœmina.*

5 *Non obstat, quod in Passione Christi Apostoli scandalum passi fuerint, quia non ob id fidem dereliquerunt.*

6 *Neque quod in fine mundi propter persecutionem Antichristi Christus Dominus dixerit Lucæ 18.* Putásne filius hominis veniens inueniet fidem in terra? *quia exinde tantùm sequitur, quod in paucis fides inueniatur.*

7 Ecclesia

7 *Ecclesia dicitur Apostolica, quia ab Apostolis initium habuit, & ab Apostolis per totum orbem terrarum propagata est.*

8 *Item dicitur Visibilis, id est visu cognoscibilis, quia euidenter cognosci potest, quod in mundo sit aliquis hominum cœtus, seu aliqua hominum Congregatio, ita Deum colens, vt meritò quilibet, etsi obscurè & ineuidenter, firma tamen fide cognoscere debeat, quod sit vera Ecclesia.*

9 *Item dicitur à Spiritu sancto gubernata, ratione cuius gubernationis media Regula animata infallibili, scilicet Romano, seu Summo Pontifice, nec fallere, nec falli potest; quia est columna, atque firmamentum veritatis.*

10 *Magistri, Pastores, & Doctores omnes errare non possunt, quia si omnes errare possint (cùm hi sint pracipua Ecclesiæ membra, à quibus Ecclesia denominari debet, absolutè dici potiùs deberet, quod ipsa falli possit.*

11 *Non obstat, quod hac gubernatio, vel assistentia Spiritus sancti sit promissa tantùm Petro, eiúsque Successoribus; quia nomine omnium intelligendus est etiam Summus Magister, Pastor, & Doctor.*

12 *Item dicitur talis, extra quam salus esse non possit, ita vt sit via vnica salutis, & quia comparatur Arcæ Noë, & quia nemo saluari potest, nisi Christi membrum.*

1 RESpondetur: septem scilicet, quod sit Vna, Sancta, Catholica, Apostolica, Visibilis, à Spiritu sancto gubernata, & extra quam salus esse non potest. Videri poterit præter alios Canus *lib.* 3. & 4. *de locis Theologicis*. Valdensis *de doctrina fidei*. Bannez 2.2.*q.*1. *art.*10. Turrecremata *de Ecclesia lib.*1. & Valentia *disp.* 1.*q.*1.*punct.* 7.§.16. & *seq.*

2 Dicitur *Vna*; quia est ab vno principio, scilicet à Deo vocante; ad vnum finem, scilicet ad vitam æternam; per vnica media; scilicet per Sacramenta; & sub vno Capite & Pastore, scilicet Christo Domino, eiúsque Vicario summo Pontifice.

3 Dicitur secundò *Sancta*, quia (etsi non omnes) complurimos tamen Sanctos habet, & Sanctos efficit; tum quia eius caput præcipuum (scilicet Christus Dominus, Petrique Vicarius, quatenus talis) est sanctum; tum quia sanguine Christi Domini sanctissimi est decorata, multísque charismatum donis ornata, & in diuinum cultum spiritualibus præceptis, institutis & Sacramentis dedicata; ita vt verum sit, quod omnes illius partes (etsi non omnes vitæ sanctitatem habeant) sanctissimum tamen cultum profiteantur; tum quia vocat omnes, vt sobriè, & iustè, & piè in hoc sæculo viuamus.

4 Dicitur tertiò *Catholica*, id est, Vniuersalis; quia recipit omnes, qui salutem consequi velint; siue Iudæus, siue Græcus, siue seruus, siue liber, siue mas, siue fœmina quis sit; tum quia media Regula animata infallibili, scilicet Romano Pontifice, vniuersaliter, vera est, nullúmque errorem continet, neque continere potest; tum quia extenditur ad omne locum, iuxta illud Psalmi 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Tum quia, sicuti ab initio aliqua Dei Ecclesia fuit, sic vsque ad finem mundi sine interruptione semper durabit.

5 Non obstat, quod in Passione Christi Apostoli scandalum passi fuerint, *Matth.*26. quia (vt omittam, id in Beatissima Virgine Maria locum non habuisse) non ob inde sequitur, Apostolos fidem dereliquisse, sed solùm exteriùs eos fidem non manifestasse.

6 Neque obstat secundò, quod in fine mundi propter persecutionem Antichristi Christus Dominus dixerit Lucæ 18. *Putásne filius hominis veniens inueniet fidem in terra?* quia exinde tantùm sequitur, quod in paucis fides inuenietur, teste Sancto Augustino *lib. de vnitate Ecclesiæ cap.*13.

7 Dicitur quartò *Apostolica*, quia ab Apostolis initium habuit, & ab Apostolis per totum orbem terrarum propagata est; tum quia media Regula animata infallibili, scilicet summo Pontifice, Apostolorum doctrinam & traditiones sequitur; tum quia Apostolorum martyrio & sanguine decorata est.

8 Dicitur quintò *Visibilis*, id est, visu ipso cognoscibilis, quia euidenter cognosci potest, quod in mundo sit aliquis hominum cœtus, seu aliqua hominum Congregatio, ita Deum colens, vt meritò quilibet, etsi obscurè, & ineuidenter, firma tamen fide cognoscere debeat, quod sit vera Ecclesia, quapropter euidentia non est, quod talis hominum cœtus, seu Congregatio rectè colat Deum: hæc enim euidentia pugnat cum illo articulo fidei, *Credo Ecclesiam sanctam Catholicam,*) sed euidentia est, quod sit in mundo talis hominum cœtus, seu Congregatio, vt meritò quilibet debeat de tali hominum cœtu, seu Congregatione credere fide diuina Deum ritè colere.

9 Dicitur sextò, *A Spiritu sancto gubernata*, ratione cuius gubernationis media Regula animata infallibili, scilicet Romano, seu summo Pontifice, nec fallere, nec falli potest; quia est Ecclesia (sicut ait Apostolus 1. *ad Timoth.* 3.) Columna atque firmamentum veritatis, à qua columna, & à quo firmamento veritatis excludi debet omnis error, & ignorantia, etiam inuincibilis; aliàs si aliquando falli, vel fallere potest, non esset certa regula.

10 Hinc fit, quod Magistri, Pastores, & Doctores omnes errare non possint, quia si omnes errare possent (cùm hi sint præcipua Ecclesiæ membra, à quibus Ecclesia denominari debet, iuxta doctrinam Aristotelis *lib.*9.*Ethic. c.*9. absolutè dici potiùs deberet, quod Ecclesia falli possit; tum quia ex Apostolo *ad Ephes.* 4. Hi Magistri, Pastores, & Doctores dati sunt à Christo Domino, vt reliquos fideles (ne omni vento doctrinæ circumferantur) instruant, ac doceant: ergo requiritur, quod non errent, sed firmiter & infallibiliter veritatem cognoscant, quia si ipsi omnes errarent, ipsorum error totam Ecclesiam inficeret; cùm ipsis reliqui fideles obedire teneantur, iuxta illud Matthæi 23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia ergo quacumque dixerint vobis, seruate & facite.*

11 Non obstat si dicas: Hæc gubernatio, vel assistentia Spiritus sancti est promissa tantùm Petro, eiúsque successoribus, iuxta illud Matthæi: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Et iuxta illud aliud: *Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua.* Et non est promissa etiam aliis Magistris, Pastoribus, & Doctoribus: ergo hi alij poterunt errare.

Respondetur enim: cùm dixi, omnes Magistros, Pastores, & Doctores errare non posse, non exclusi Pontificem, seu summum Magistrum, Pastorem, & Doctorem: quod si autem illos, vt à summo Pontifice seiunctos, sumamus, eos etiam sic sumptos, nec etiam errare posse, licèt non sit de fide, est tamen theologicè certum, quia sic spectat ad specialem Dei prouidentiam, qua Deus Ecclesiam suam regit & gubernat.

12 Dicitur septimò, quod sit talis, *Extra quam salus esse non potest*, ita vt sit via vnica salutis; quia propterea S. Petrus 1. *epist. cap.*3. Ecclesiam comparauit cum Arca Noë; tum quia nemo saluari potest, nisi Christi membrum, & cum Christo per fidem & charitatem vnitus fuerit; sed qui voluntariè est extra Ecclesiam, non est Christo vnitus, sed potiùs à Christo separatus: ergo saluari nequaquam poterit, sed erit tanquam palmes extra vitem, qui tantummodò igni deseruit ad combustionem.

PETITIO XVI.

An prædictæ proprietates competant soli Congregationi, quæ Romano Pontifici pro tempore existenti obedit; ita vt ipsa sola sit vera Ecclesia?

SVMMARIVM.

1 *Proprietates prædicta competunt soli Congregationi quæ Romano Pontifici pro tempore existenti obedit, ita vt ipsa sola sit vera Ecclesia, idque de fide.*

2 *Ecclesia est vna, quia est ab vno principio, scilicet Deo, ad vnum finem, scilicet gloriam, seu vitam æternam, sub certis mediis, &c.*

3 *Item est Sancta, quia etsi non omnes, complures tamen Sanctos habet, & Sanctos efficit, & quia eius caput præcipuum est sanctum, &c.*

4 *Item est Catholica, quia omnes, quotcumque volunt Christo vniri, ad se recipit, nullum excludens, & quia media Regula animata infallibili, (scilicet Romano, seu summo Pontifice) per omne tempus idem docuit.*

5 *Item est Apostolica, quia media regula animata infallibili, sequitur Apostolorum doctrinam, etiamsi typis mandata non sit.*

6 *Item est visibilis; quia visibiliter apparet esse Congregatio, quam meritò quisque credere fide diuina debet colere Deum, &c.*

7 *Item est habens hæc Congregatio sub Romano Pontifice militans diuini Spiritus assistentiam, gubernationem, & protectionem, &c.*

8 *Item denique est talis, extra quam salus esse non potest, sicque est via vnica salutis.*

1 RESpodetur affirmatiuè; idque de fide; & probatur discurrendo per singulas.

2 Est enim Primò *Vna*; quia est ab vno principio, scilicet Deo; ad vnum finem, scilicet gloriam, seu vitam æternam, sub certis mediis, scilicet præceptis, Sacramentis, & sacrificiis; & sub vno Capite & Pastore, scilicet Christo, eiúsque Vicario.

3 Secundò, est *Sancta*; quia, etsi non omnes, complures tamen Sanctos habet, & Sanctos efficit; & quia eius Caput præcipuum (scilicet Christus, Petrique Vicarius, quatenus talis) est sanctum; & quia habet præcepta, Sacramenta, sacrificia, & media ad salutem, gloriam, seu vitam æternam sancta.

4 Tertiò, est *Catholica*; quia omnes, quotcumque volunt Christo vniri, in se recipit, nullum excludens; & quia media Regula animata (scilicet Romano, seu summo Pontifice) per omne tempus idem docuit, & docet, iuxta illud Pauli 1. *ad Corinth. 1. Fidelis Deus, quia sermo noster, qui fuit apud vos, non est in illo, est & non, sed est in illo, fuit.* Quasi diceret: Non est in illo inconstantia aliqua, vel mutatio, sed idem firmiter perseuerat, vtpotè fundatus suprà firmam Petram, aduersùs quam portæ inferi non præualebunt.

5 Quartò, est *Apostolica*; quia media Regula animata infallibili prædicta, sequitur Apostolorum doctrinam, etiam si typis mandata non sit.

6 Quintò, est *Visibilis*; quia visibiliter apparet esse Congregatio, quam meritò quisque credere fide diuina debet colere Deum; & quia sub visibili Capite, sub visibilibus Sacramentis, & sub visibili cultu est instituta.

7 Sextò, est habens hæc Congregatio, sub Romano Pontifice militans, diuini Spiritus assistentiam, gubernationem, & protectionem; quod non leuiter colligitur ex eo, quod semper eadem perseuerat, nec doctrinæ vento circumfertur.

Ex quibus omnibus sequitur vltimò, quod sit talis, 8 extra quam salus esse non potest; sicque sit via vnica salutis: quæ omnia (quemadmodum consideranti facilè patebit) sectis hæreticorum conuenire non possunt, sed solùm Romanæ Ecclesiæ conueniunt. Vide præter alios Valentiam *disput. 1. q. 1. punct. 7. §. 20. & sequentib.* Vide etiam quæ dicentur *infrà dubitat. 235. per totam.*



De Pœnis Hæreticorum quoad corpus, siue de pœnis hæreticorum corporalibus.

DVBITATIO CLV.

An Hæretico pœnitenti possit imponi pœna carceris?

SVMMARIVM.

1 *Hæretico pœnitenti potest imponi pœna carceris, ex communi Doctorum sententia; quia id expressè inuenitur in iure decisum.*

2 *Hæretici omnes pœnitentes, licèt de rigore iuris damnari possint ad perpetuum carcerem, non tamen id de facto seruatur; sed illi tantùm damnantur, qui post probationem testium plenè suum errorem fatentur, & pœnitentiæ signa ostendunt.*

3 *Ad perpetuum carcerem damnari non debet, qui ante publicationem testium errorem suum fateatur; quia tunc non videtur in errore suo satis deprehensus.*

4 *Suspectus solùm de hæresi, ad perpetuum carcerem damnari non potest.*

5 *Inquisitores cum Episcopis possunt, si rationabilis causa accesserit, mitigare perpetuum carcerem hæreticis pœnitentibus post publicationem testium debitam, & solùm ad tempus reducere, vel etiam totaliter tollere, vel in alias extraordinarias pœnitentias commutare.*

6 *Carcer iste, ad quem reus condemnatur, non debet esse ita arctus, vt incarcerati vitam abbreuiet, aliàs talis carceris pœnam imponens, irregularitatem non effugiet.*

7 *Textus* in Clement. 1. § Propter de hæretic. *requirit durum carcerem, siue arctum, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur; at non ita, quod vita carcerati abbreuietur notabiliter, sed tantùm aliqualiter.*

8 *Carceris perpetui dispensatio, commutatio, relaxatio, &c. in Hispania ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ, est solùm penes Inquisitorem generalem.*

9 *Tempus, post quod carcer perpetuus pœnitenti remitti potest, remittitur ad arbitrium Inquisitorum, qui spectata pœnitentium humilitate, poterunt illud, prout iustum fuerit, abbreuiare.*

10 *Clericus immurandus, propter hanc solam dispensationem non solet degradari.*

RESPONDETVR affirmatiuè; & ita, vt de facto sæpè sæpiùs imponitur. Sic Doctores communiter. Peña *director. 3. part. 9. q. 3 commentar. 142.* Simancha *de Cathol. Institut. tit. 47. num. 29.* Royas *tract. de hæretic. part. 2. num. 197.* 1

&

& alij, quos refert & sequitur Farinacius *quæst.* 193. *num.*103.

Probatur; quia id expressè deciditur *in c. Excommunicamus 2. de hæretic.* Ibi: *Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam pœnitentiam, in perpetuo carcere damnentur.*

2 Aduerte tamen, quod ad perpetuum carcerem non omnes hæretici pœnitentes, etsi de rigore iuris omnes tales damnari possint, de facto damnentur; sed illi tantùm qui post probationem testium plenè suum errorem fatentur, & pœnitentiæ signa ostendunt. Peña, Simancha, Royas, & Farinacius, *locis suprà citatis.*

3 Hinc sequitur, quod ad perpetuam carcerem damnari non debeat, qui ante publicationem testium errorem suum fateatur; quia tunc non videtur in errore suo satis deprehensus, iuxta Textum *in citata c. Excommunicamus*; quamuis secùs, si id fecerit post publicationem testium, quia tunc vndequaque (cùm iam conuictus sit) non solùm corpore, sed etiam mente in errore deprehensus est.

4 Sequitur etiam, quod ad perpetuum carcerem damnari non possit, qui solùm est de hæresi suspectus, iuxta *cit. Textum in prædicto cap. Excommunicamus*, & tradunt Repertor. Inquisit. *in verb. Carcer, vers. Viso de carcere*, & alij, quos citat & sequitur Farinacius *q.* 193. §. 1 *num.* 103.

5 Aduerte secundò, quod perpetuum carcerem hæreticis pœnitentibus post publicationem testium debitum possint Inquisitores cum Episcopis, si rationabilis causa intercesserit, mitigare, & solùm ad tempus reducere, vel etiam totaliter tollere, vel in alias extraordinarias pœnitentias commutare, secundùm potestatem ipsis traditam *in cap. Vt commissi de hæretic. in 6.* Ibi: *Et illorum qui vestris mandatis obedientes humiliter stant propter hæresim in carcere; vel muro reclusi, pœnam vnà cum Prælatis, quorum iurisdictioni subsunt, mitigandi, vel mutandi, cùm videritis expedire.* Et tradunt cum Glossa ibi communiter Canonistæ. Videri poterit Instructio Hispalensis anno 1484. §. 11. Videri etiam poterunt Clarus *in Practic.* §. *hæresis, num.* 7. Peña 3. *part. directorij q.* 93. *&* 96. Simancha *de Cathol. Institut. tit.* 16. *rubr. de custodia reorum, num.* 5. & Farinacius *de hæresi, q.* 193. *num.* 104.

6 Aduerte tertiò, quod iste carcer, ad quem reus condemnatur, non debet esse ita arctus, vt incarcerati vitam abbreuiet, aliàs talis carceris pœnam imponens irregularitatem non effugiet. Peña *loco suprà citato. q.* 59. *commentar.* 107. *in fine.* Decian. *lib.* 5. *c* 42. *n.* 14. & alij, quos citat & sequitur Farinac. *q.* 193. *n.* 106. quidquid in contrarium dixerit Martin. del Rio *de disquisit. magic. lib.* 5 *sect.* 7. *in princ.*

7 Objicies Textum *in Clementina* 1. §. *Propter de hæreticis.* Ibi: *Duro tamen tradere carceri, sine arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur*: ergo si Inquisitor de consensu Episcopi, & Episcopus de consensu Inquisitoris, possunt reum ad talem carcerem condemnare, poterunt etiam medio tali carcere incarcerati vitam abbreuiare.

Respondetur: Distinguo consequens: Poterunt incarcerati vitam abbreuiare, aliqualiter, concedo; notabiliter (ita vt intra paucos dies ibi incarceratus moriturus esset,) nego; quia hæc videretur esse clara quædam ad mortem condemnatio, quæ per Iudices laïcos, & curiam sæcularem solùm fieri debet.

8 Aduerte quartò, quod in Hispania ex speciali priuilegio Sedis Apostolicæ perpetui carceris dispensatio, commutatio, relaxatio, vel ad tempus, postquam reus est condemnatus, commutatio (sicut & vestis crucibus signatæ depositio) sit solùm penes Inquisitorem Generalem. Royas *singul.* 155. *n.* 5. Simancha *de Cathol. Institut. tit.* 16. *n.* 20. Peña 3. *part. director. q.* 59. *comment.* 108. & Farinac. *q.* 193. *n.* 98.

9 Aduerte quintò, quod tempus, post quod carcer perpetuus impositus reo remitti possit, relictum sit arbitrio Inquisitorum, qui, spectata pœnitentium humilitate, poterunt tempus, prout ipsis visum fuerit, abbreuiare, vel in aliam leuiorem pœnitentiam commutare: Regulariter tamen cum condemnato ad carcerem perpetuum dispensatur post annos tres; cum condemnato autem ad carcerem perpetuum irremissibilem non dispensatur, nisi post annos octo: Peña 3. *part. directorij q.* 59. *commentar.* 108. *circa finem.* Simancha *de Cathol. Institut. tit.* 16. *n.* 20. & alij, quos citat & sequitur Farinac. *q.* 193. *num.* 104.

Aduerte sextò, quod propter hanc solitam dispensationem non soleat degradari Clericus immurandus. Peña *loco suprà citato comment.* 46. *num.* 201. & alij passim. 10

DVBITATIO CLVI.

An hæretico pœnitenti possit imponi pœna fustigationis, exilij, & triremis?

SVMMARIVM.

1 *Hæretico pœnitenti potest imponi pœna fustigationis, exilij, & triremis.*

2 *Pœna fustigationis, vel triremis, in Hispania licèt non imponatur nisi hæreticis qui fuerunt duri ad conuersionem: Romæ verò, & alibi, loco perpetui carceris, pœnitenti hæretico pœna triremis ad triennium imponitur; & si est vehementer de hæresi suspectus, punitur pœna fustigationis, exilij, & triremis.*

RESPONDETVR affirmatiuè; & docent communiter Doctores, vt videre est apud Decianum *tract. crimin. lib.* 5. *c.* 42. *num.* 5. *& seqq.* & apud Farinacium *quæst.* 193. *n.* 85. *& seqq.* 1

Aduerte tamen, quod licèt in Hispania pœna fustigationis, vel triremis, non imponatur, nisi hæreticis qui duri fuerunt ad conuersionem; Romæ verò, & alibi, pœnitenti hæretico, loco perpetui carceris, pœna triremis ad triennium imponatur. Farinacius *loco suprà citato num.* 82. Royas *de hæretic.* 2. *part. num.* 263. & Bossius *tit. de hæreticis num.* 18. Et ei, qui committit delictum, ob quod est vehementer de hæresi suspectus, soleat pœna fustigationis, exilij, vel triremis, imponi. 2

COROLLARIVM.

An, & quomodo procedatur aduersùs hæreticos pœnitentes?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus pœnitens, loquendo quoad pœnam abiurationis, abiurat de formali; loquendo verò quoad alias pœnas, vltrà confiscationem bonorum, si in limine Iudicij ante accusationem suas hæreses confiteatur, per breue tempus condemnatur ad carcerem temporalem cum habitu pœnitentiali; si confiteatur post accusationem, punitur pœna & pœnitentia maiori; si verò post publicationem testium, condemnatur ad perpetuum carcerem, quia præsumitur metu probationum confiteri, & eius conuersio inuoluit suspicionem.*

2 *Inquisitores possunt ex iusta causa temperare dictam pœnam perpetui carceris, & solùm reducere ad tempus, puta in pœnam triremis ad triennium; idque fieri solet in Inquisitione Romana & Hispana.*

3 *Inquisitores possunt cum Nobilibus & aliis sibi benevisis temperare pœnam perpetui carceris cum exilio, deportatione, & in Monasterium aliquod detrusione, vel alia pœna ad tempus, cùm pœna triremium non sit Nobilium.*

4 *Hæreticus pœnitens puber debet reconciliari, necnon & puniri leniùs, propter minorem ætatem.*

5 *Summus Inquisitor solùm in Inquisitione Hispanica, potest post condemnationem commutare, seu temperare pœnam reo.*

6 *Hæreticus, si non conuertatur postquam à carcere Inquisitorum fuerit eductus, sed in Tabulatu, licèt de rigore iuris ad reconciliationem admitti non debeat, nihilominus si specialissima signa conuersionis dederit, arbitrio Inquisitorum ad reconciliationem admitti potest; quia saltem nondùm damnationis sententia est promulgata: & quandoque, licèt rarò, arbitrio Inquisitorum id fieri potest etiam post sententiam publicatam.*

7 *Hæreticus, qui in tortura cum legitima ratihabitione hæreses suas confitetur, etiam ad reconciliationem admitti debet, licet in principio talis confessio vi tormentorum habita sit, quia liberè postea ratificat, spontanea censetur.*

8 *Instructio Hispalensis in qua contrarium habetur, fuit reuocata per Instructionem Toletanam.*

9 *Hæreticus, licèt verè pœnitens, ad reconciliationem non admittitur in quibusdam casibus, & quinam ij sint, & vtrùm in primo & secundo horum casuum sit admittendus.*

1 RESpondetur ex dictis *dubit.* 155. & 156. proximè præcedentibus; Hæreticus pœnitens, loquendo quoad pœnam abiurationis, abiurat de formali, vt per se patet, & tradunt omnes Doctores; loquendo verò quoad alias pœnas (vltra confiscationem bonorum) si in limine Iudicij ante accusationem suas hæreses confitetur, per breue tempus condemnatur ad carcerem temporalem cum habitu pœnitentiali, si confitetur post accusationem, punitur pœna & pœnitentia maiori; si confiteatur post publicationem testium, condemnatur ad perpetuum carcerem, quia præsumitur in isto casu, quod metu probationum confiteatur, vt propterea talis conuersio suspicionem aliquam inuoluat. Peña *in direct. parte 3. commentar.* 142. Royas *de hæreticis, parte 2. num.* 197. *& sequentibus.* & Simancha *de Catholica Institutione, titul. 47. num.* 29. & 30. & in Enchiridion *titulo 58. num. 7. ex cap. Excommunicamus secundo de hæreticis.* Ibi: *Qui autem de prædictis, postquàm fuerint deprehensi, redire voluerint ad agendam pœnitentiam, in perpetuo carcere damnentur.* Vbi etiam Glossa, Abbas, Buttius, & alij communiter; sicque (hanc scilicet pœnam perpetui carceris obseruatam fuisse Cremonæ cum quodam hæretico pœnitente) testatur Bossius *titulo de hæreticis num.* 18. Sicque etiam habet Instructio Toletana anno 1561.*cap.*41.

2 Aduerte tamen hic, quod dictam pœnam perpetui carceris possint Inquisitores ex iusta causa temperare, & solùm reducere ad tempus, vti *suprà Dubitatione* 155. & 156. dicebam; quinimò videtur, quod hodie dicta pœna transierit in pœnam triremis triennalis, tam in Inquisitione Romana (sicuti testatur ex Farinacio Bario, *in Aphor. Inquisit. littera H, verbo hæretici nec sponte comparentes.*) quàm in Inquisitione Hispanica, (sicuti testatur Royas *vbi suprà part. 2. de hæreticis num.* 203. Quatenus inquit, quòd hodie hæretici, dummodò non sint debiles, vel senes, adde tu, vel Nobiles, loco perpetui carceris condemnentur ad triremes, non ad minus tamen, quàm ad triennium, vel, sicuti testatur Vmbertus Locatus *in casibus Inquisitionis decisis Placentiæ casu* 3. etiam interdum ad quinquennium.) Vt propterea hoc arbitrio Inquisitorum remissum videatur, iuxta ea, quæ *suprà cit. dubit.* 155. & 156. dicebam.

Cùm igitur Inquisitores possint dictam pœnam perpetui carceris temperare, vel solùm ad tempus, vel ad alias extraordinarias pœnas reducere, consequens est quod possint etiam in ordine ad Nobiles, vel alios sibi beneuisos, (qui ad triremes damnari non possunt, neque debent,) pensatis qualitatibus eorum, & circumstantiis delicti, pœnam carceris cum exilio, deportatione, in Monasterium aliquod detrusione, vel alia pœna ad tempus quacumque commutare. Peña *in directorio parte 3. commentar.* 142. Campegius *in Additionibus ad Zanchinum de hæreticis, capite* 41. Decianus *libro 5. capite 54. numero* 45. & Bariola *loco suprà citato*; quatenus expressè aiunt, quod pœnitentiæ qualitas, & quantitas relinquatur arbitrio Iudicis, maiori tamen pœna puniri debeant prudentes quàm simplices, & maiori pœna Clerici quam laici, & maiori pœna Prælati quàm subditi. 3

Aduerte secundò, quod hæreticus pœnitens puber debeat reconciliari, necnon puniri leniùs propter minorem ætatem. Sic Doctores, quos sequitur Royas *parte 2. de hæretic. num.* 318. 4

Aduerte tertiò, quod in Inquisitione Hispanica ex priuilegio Sedis Apostolicæ reo impositæ pœnæ commutatio, vel relaxatio post latam sententiam, seu postquam Reus fuerit condemnatus, spectet solùm ad summum Inquisitorem. Peña, Simancha, & Royas, quos citabam *suprà dubitatione* 155. 5

Aduerte quartò; quòd hæreticus, si non conuertatur postquam e carcere Inquisitorum fuerit eductus, sed in Tabulatu (quamuis tunc de rigore iuris ad reconciliationem admitti non debeat; quia potiùs metu instantis mortis, quàm amore veræ pœnitentiæ conuerti videtur,) nihilominus de pietate & misericordia, si specialissima conuersionis signa dederit, arbitrio Inquisitorum ad reconciliationem admitti possit; quia saltem nondum damnationis sententia est promulgata. Peña *in Director. part. 3. commentar.* 175. Royas *de hæreticis, part. 2. num.* 193 & 194. Decianus *lib. 5. cap. 39. num.* 3. Farinacius *quæst.* 193. *numero* 60. & Souza *in Aphorism. Inquis. lib. 2. cap. 34. num.* 8. (qui citans Peñam, Decianum, & Farinacium subdit, quod etiam post sententiam latam & publicatam arbitrio Inquisitorum reconciliari queat, rarò tamen debeat, præsertim si Curiæ sæculari iam traditus sit. Videatur præter Doctores citatos Instructio Toletana anno 1561.*n.*64. 6

Aduerte quintò, quod hæreticus, qui in torture cum legitima ratihabitione hæreses suas confitetur, etiam ad reconciliationem (quidquid in contrarium dixerint aliqui cum Syluano *consil.* 89.) admitti debeat, quia (licèt à principio talis confessio vi tormentorum habita sit;) tamen quia postea spontè, & liberè à reo ratificatur; perinde est, ac si spontanea & libera fuisset; ergo etiam reus tunc ad reconciliationem admitti debebit. Sic Doctores quos sequitur Simancha *in Enchiridion tit. 58. n.* 14 & Royas *de hæreticis, part. 2. num* 291. 7

Non obstat Instructio Hispalensis anno 1484.*n.*15. (in qua contrarium habetur,) quia ea per Instructionem Toletanam anno 1561.*n.*15. iam reuocata est. 8

Aduerte sextò, quod (vti diffusè dicam *Dubit. 162. in Corollarijs, Coroll.* 8.) ex Bulla Clementis VIII. die 3. Febr. ann. 1603. Hæreticus tamen si verè pœnitens, ad reconciliationem non admittatur in quibusdam casibus; 9

bus; quorum primus est, non Presbyter Missam celebrans. Secundus, non Presbyter confessionem audiens, & sacramentaliter non absoluens. Tertius, negans Trinitatem Personarum in diuinis. Quartus, negans diuinitatem Iesu-Christi. Quintus, negans Iesum-Christum conceptum de Spiritu Sancto. Sextus, negans Iesu Christi mortem, vt nos redimeret. Septimus, negans Beatæ Mariæ matris virginitatem. Octauus, Magistratus, seu Dominus (siue Ecclesiasticus, siue sæcularis) schismaticos, vel hæreticus, seu schisma, vel hæresim excitans.

At de primo & secundo casu dicam infrà diffusè *Dubit.* 210. Et, omnes prædictos casus non esse in Inquisitione Lusitana receptos, testatur Sousa *in Aphorism. Inquisitor. lib.* 1. *c.* 49. *n.* 6. Videri etiam poterit Scortia *in Bull. pontific. epitom.* 10. *theorem.* 36. Zanardus *in director. Theolog. p.* 1. *precept.* 1. *c.* 5. *quæst.* 11. Nald. *in summa verb. Heresis n.* 7. & Genuensis *in praxi c.* 58. *n.* 7.



DVBITATIO CLVII.

An hæretico possit imponi pœna mortis?

SVMMARIVM.

1 *Hæretico potest imponi pæna mortis; quia est delictum valde graue, & valde Ecclesiæ perniciosum.*

2 *Ecclesia id potest facere ex potestate sibi à Christo Domino tradita, quod primò probatur ratione; quia alioquin non posset, prout oportet inobedientes exercere, & eorum delicta punire, neque membra putrida, & toti corpori noxia resecare.*

3 *Idem probatur diuersis iuribus.*

4 *Idem dic de iis, qui tentauerint illicita addiscere, cum illicita docere, vel addiscere in iure equiparentur.*

5 *Ecclesia non solet hanc potestatem exequi per iudices Ecclesiasticos, sed per iudices & ministros sæculares; & quia sic videtur conformius Ecclesiæ pietati.*

6 *Delinquens cùm à Iudicibus fidei remittitur puniendus brachio sæculari, iudex sæcularis non potest illi pœnam remittere; sed omninò debet statim inferre.*

7 *Varij sunt hæreticorum gradus, & non omnibus hac pœna mortis imponitur.*

1 RESPONDETVR affirmatiuè; quia est delictum valde graue, & valde Ecclesiæ perniciosum; & tradunt communiter Doctores (vt videre est apud Couarruuiam *lib.* 2. *var. c.* 10. *n.* 10. Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 18. *& seqq.* Simanch. *tit.* 46. *n.* 44. *& seqq.* & Valentiam *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 11. *punct.*

2 3.) Quod autem Ecclesia id possit facere ex potestate sibi à Christo Domino tradita,

Probatur primò ratione; quia alioquin Ecclesia non posset, prout oportet, inobedientes coërcere, & eorum delicta punire, neque membra putrida, & toti corpori noxia resecare. Quod adeò verum (& rectè) reputat Suares *loc. supra cit. disp.* 20. *sect.* 3. *n.* 21. vt hanc Ecclesiæ potestatem denegare dicat esse errorem.

3 Secundò probatur authoritate ex Textu *in extravag. Vnam sanctam, de maior. & obed.* ex Textu *in cap. ad Apostolica de sent. & re iud. in* 6. & ex Textu *in c.* 1. *de homicid. in* 6. Item ex Textu *in l. Arriani C. de her.* & ex Textu *in l. Quicumque C. de her.* Ibi: *Vltimo supplicio*

4 *coërceantur, qui illicita docere tentauerint.* Idemque dicas de iis, qui tentauerint illicita addiscere; cùm illicita docere, vel addiscere in iure æquiparentur, *l. culpa C. de malefic.* & tradunt cum Gloss. *in c. excommunicamus* 2. *de her.* communiter Canonistæ. Vide etiam, quæ dicam, infrà *Dubit.* 163. *petitione* 5.

Aduerte tamen, quod Ecclesia non soleat hanc potestatem exequi per iudices, & Ministros Ecclesiasticos, sed per iudices, & Ministros sæculares, iuxta Text. *in c. ad abolendam § præterea de her.* Idque ex eo, quia sic videtur conformius Ecclesiæ pietati; tum quia sic potestas sæcularis iudicatur inferior, & subdita potestati spirituali. 5

Aduerte secundò, quod cùm à iudicibus fidei delinquens remittitur puniendus brachio sæculari, iudex sæcularis non potest illi pœnam remittere, sed omninò debet statim inferre, iuxta Textum *in c. vt officium de her. in* 6. Aliàs, vt hæreticorum fautor, puniri potest. 6

Aduerte tertiò, quod varij sint hæreticorum gradus; & non omnibus (etiamsi omnes digni sint) hæc pœna mortis imponatur: quapropter videndum est, quibusnam imponatur. Ideò sit, 7



DVBITATIO CLVIII.

An de facto imponatur pœna mortis hæretico impœnitenti, & pertinaci?

SVMMARIVM.

1 *Pœna mortis imponitur hæretico impœnitenti; & pertinaci; ex communi Doctorum sententia, quia sic expresse reperitur decisum.*

2 *Pœna mortis si alicui hæretico imponi debeat, maximè imponenda est impœnitenti, & pertinaci, cùm ipse maximè omnium delinquat.*

3 *Hæreticus priusquam hac pœna mortis afficiatur, iudices fidei debent omnia media, quæ conuenientia iudicabunt, adhibere, vt ille errorem suum agnoscat.*

RESPONDETVR affirmatiuè: Est communis sententia Doctorum, Clar. *lib.* 5. *§. heresis*, Decian. *tract. crim. lib.* 5. *c.* 55. *in fin.* Peña 2. *p. directoriq.* 40. *comment.* 65. Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 48. *n.* 6. Suarez *de fide disp.* 23. *sect.* 2. *n.* 3. Farinac. *q.* 196. *§.* 1. *n.* 4. Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 1. *c.* 46. *n.* 6. & aliorum passim. Videatur etiam Instructio Toletana anno 1561. *n.* 43. 1

Probatur primò authoritate; quia sic expresse decidit *in c. ad abolendam de her.*

Secundò probatur ratione; quia si pœna mortis alicui hæretico imponi debet, maximè imponi debet impœnitenti, & pertinaci; cùm ipse maximè omnium delinquat. 2

Aduerte tamen, quod priusquam hæreticus hac pœna mortis afficiatur, iudices fidei debent omnia media, quæ conuenientia iudicabunt, adhibere, vt ille errorem suum agnoscat: præcipuè autem adhibere debent, vt mediis viris doctis de errore suo conuincatur: qui medio si sæpiùs repetito non acquieuerit, sed in errore suo pertinaciter perseuerauerit, tradi debebit viuus comburendus Curiæ sæculari, alligata lingua, ne impiis blasphemiis offendat adstantes. 3

DVBITATIO CLIX.

An de facto imponatur pœna mortis hæretico fictione iuris impœnitenti, & pertinaci?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus fictione iuris impœnitens est, qui legitimis testibus conuictus, negat hæresim se commisisse; quia tunc præsumitur in illa velle perseuerare, dum illam non confitetur.*

2 *Pœna mortis imponitur hæretico fictione iuris impœnitenti ex communi Doctorum sententia.*

3 *Hæretici solùm fictione iuris non concremantur viui, sed priùs suffocantur ob dictam iuris fictionem.*

4 *Pœna hæc vt locum habeat, tria requiruntur, Primò, vt verba, vel facta sint ita clara contra fidem, vt nullum alium sensum habere possint. Secundò, vt reus per testes omni exceptione maiores conuincatur. Tertiò, vt non possit cum in negatiua persistit, obliuio præsumi.*

5 *Obliuio præsumi non potest, in factis arduis, atrocibus, & horrendis, & in factis, vel dictis solitis, & consuetis: secus in causis, quæ insignes, & ardua non sunt, nec solita, & consueta, neque delinquentem comitantur.*

6 *Obliuio regulariter præsumitur decennio, nisi aliter iudicibus fidei visum fuerit.*

7 *Errores omnes hæreticales, de quibus per testes quis est conuictus, si non confiteatur, est tradendus Curiæ sæculari; si ipsi adeò recentes, & graues essent, vt eorum verisimiliter credi non possit oblitus.*

8 *Qui omnes suos errores hæreticales fatetur, recusat tamen manifestare errores alienos, quorum conuincitur notitiam habere, vt verus hæreticus, probabilis est, quod tanquam impœnitens tradi possit Curiæ sæculari.*

9 *Qui in iudicio manifestauit suos errores; sed postea confessionem factam reuocat, licèt secundùm aliquos damnandus non sit ut impœnitens: probabilius tamen est oppositum, si in reuocatione persistit, & reuocandi, ac infirmandi priorem confessionem verisimilem causam non demonstrat; & cur?*

10 *Ratio Aduersariorum friuola est, quando non probatur verisimilis causa reuocationis.*

1 SVPPONO, quod hæreticus fictione iuris impœnitens & pertinax sit, qui legitimis testibus conuictus, negat, hæresim se commisisse; quia tunc præsumitur in illa velle perseuerare, dum illam non confitetur. Neque obstat, quod exteriùs fidem Catholicam profiteatur; quia reputatur in tali casu ficta, & dolosa professio. Hoc supposito.

2 Respondetur affirmatiuè; sicque seruatur *in Praxi*, & docent communiter Doctores. Cantera *qu. crim. rubr. de hær. c.1. n.57.* Peña *2.p. direct. qu.34. comment.59. n.2.* Royas *tr. de hær. p.1. n.69.* Suarez *de fide disp.23. sect.2. n.5.* Farinac. *q.178. n.20.* Lorca *in 2.2. S.Th. disp.47. n.20.* Albertin. *q.8. n.7. & 8.* & Ioseph Sesse *tom.4. decis.445. n.15.* (quidquid in contrarium dixerit Boërius *dec.341. n.4.* & Clar. *lib.5. §. hæresis n.10.*) Videatur etiam Instructio Hispalensis anno 1484. *n.14.* & Instructio Toletana anno 1561. *n.43.*

Probatur primò ratione; quia venia indulgenda non est ei qui non agnoscit peccatum suum, cùm potiùs testibus, quibus reus conuictus est, quàm ipsi reo in proprio facto fides adhibenda sit.

Probatur secundò, authoritate ex Textu *in cit. c. ad abolendam*, quatenus ibi mandatur, iudici sæculari puniendum relinqui hæreticum, qui in hæresi deprehensus satisfactionem congruam exhibere recusauerit; at qui de sua hæresi legitimè conuictus, illam fateri recusat, satisfactionem congruam non exhibet; ergo sequitur, quod vt hæreticus pertinax, & incorrigibilis puniri debeat.

Aduerte tamen, quod ibi viui non concrementur, sed priùs suffocentur, eo quod solùm præsumptione iuris hæretici impœnitentes reputantur. 3

Aduerte secundò, quod vt hæc pœna locum habeat, tria requirantur: Primò, vt verba, vel facta (de quibus hæreticus accusatus, & conuictus est) sint ita clarè contra fidem, vt nullum alium sensum habere possint. Secundò, vt reus per testes contestes omni exceptione maiores, talia facta fecisse, vel talia verba protulisse conuincatur. Tertiò, vt non possit (cùm reus in negatiua persistit) obliuio præsumi. Peña *2. p. direct. q.34. comment.59.* Albertin. *q.34. n.52.* & Royas *tract. de hær. p.1. num.84.* 4

Quandonam autem obliuio præsumi possit? 5

Respondetur cum Peña *cit. q.34. comment.59. versic. In his ergo*, in factis arduis, atrocibus, & horrendis, (vt in direptione, conculcatione imaginum, & prædicatione hæresum, &c.) & in factis, vel dictis solitis, & consuetis (licèt ardua non sint) & in his, quæ semper delinquentem comitantur, obliuionem non præsumi, etiam post longum tempus, in cæteris verò causis, quæ insignes, & arduæ non sunt, nec solitæ & consuetæ, neque delinquentem comitantur, decennio regulariter obliuio præsumitur; nisi aliter iudicibus fidei visum fuerit, pensata delicti, personarum, & circumstantiarum qualitate. Videatur etiam Instructio Hispalensis anno 1484. §.13. 6

Ex dictis sequitur, quod velut diminutus confitens, & negatiuus Curiæ sæculari tradi debeat, qui non omnes errores hæreticales (de quibus per testes contestes omni exceptione maiores esset conuictus) non confitetur; si ipsi adeò recentes, & graues essent, vt eorum verisimiliter credi non possit oblitus; quia cùm non omnes confiteatur, non est vera confessio; *cap. quem pœnitet de pœnit. d. st.1.* Et ex alio capite perseuerantia, & contumacia in vno solo errore (tametsi alij abiurentur) verum hæreticum constituit. Peña *2. p. direct. comment.59. in fin.* Royas *de hær. 2. p. assert.21.* & Suarez *de fide disp. 23. sect.2. n.6.* 7

Sequitur secundò, quod ille; qui omnes suos errores fatetur, recusat tamen manifestare errores alienos, quorum conuincitur notitiam habere (quamuis nonnulli teneant, quod non vt impœnitens hæreticus damnari debeat, quia ex hac occultatione solùm conuincitur, quod sit fautor hæreticorum, non autem verus hæreticus, & consequenter, quod non vt verus hæreticus, & impœnitens condemnari, sed solùm ob hanc causam torqueri debeat.) Probabilius tamen sit, quod vt verus hæreticus impœnitens, & Curiæ sæculari tradi possit, sic occultans alienos errores, cùm suos manifestat; quia, cùm tempore pœnitentiæ ita hæreticis faueat, præsumitur non verè, & ex animo, sed fictè errores suos manifestare. Bursat. *consil.7. n.13.* Decian. *tract. crimin. lib.5. c.55. n.10.* Param. *lib.3. q.9. n.19. & seqq.* Suarez *loc. suprà cit. n.6.* Simanch. *de Cathol. instit. tit.48. n.27. & 28.* Peña *direct. 2. p. q.34. comment.59. vers. Ex his possumus*, & Farinac. *de hær. q.196. §.1. n.17.* 8

Videatur etiam Sousa *in Aphorism. Inquisit. lib.1. c.48. n.11. & 12.* quatenus, inquit, quod diminutus qui de se confitetur, non tamen omnes suos errores, nec omnes suos complices reuelauit, est tradendus Curiæ sæculari, dummodò circa illa in ipso non præsumatur obliuio, & planè probetur diminutio, si diminutio verò non planè probetur, & illa notabilis sit, est torquendus iuxta probationis qualitatem. Diminutus similiter censetur, qui non confitetur omnes qualitates, quæ veram, & formalem hæresim respiciunt. Item, & qui non confitetur

tempus

tempus hæresum suarum, si in ipso similiter non præsumatur obliuio, sed malitia; circa tempus tamen à parte ante præsumi potest obliuio, & complicum obliuisci posse reus præsumitur, si ij remoti sint, & cum iis raro conuersatus fuerit, præsertim si interim complices consanguineos, & propinquos confessus sit. Item præsumi potest etiam obliuio, si reus confessus sit præcipuos errores, vel præcipuas circumstantias, & qualitates illorum, minores verò taceat. Quinimò Royas *de hær. p. 2. n. 242.* & Ioseph Sesse *tom. 4. decis. 446. n. 16. & decis. 453. n. 7.* volunt, quod qui complices, vel omne delicti tempus non reuelat, diminutus non censeatur; quia non est verisimile, quod qui delictum suum confitetur, partem temporis (cùm sit res minoris momenti) vel complices manifestare non velit.

Videatur etiam Cantera *in quæst. crim c. 1. de hær. n. 57.* quatenus ait, quod (vt quis relaxetur Curiæ sæculari ex diminutionibus) requiritur, esse illas valde claras, & manifestas, & constare, quod ex malitia reus non vult dicere, & declarare illud, in quo est diminutus; ideoque in supremo Concilio sanctæ Inquisitionis maxima cum maturitate mandatum fuit, quod propter diminutionem nemo damnetur, sine consultatione eiusdem supremi Concilij sanctæ Inquisitionis.

Videatur & etiam Fryas *de confessar. sollicit. qu. 22. n. 57. & 58.* (quatenus asserit, quod vel diminutio rei, non satisfaciendo scilicet in totum testificationi, est minima, & tunc reus est admittẽdus ad misericordiam, & non torquendus: vel est diminutio maxima, & legitimè probata, & tunc potest torqueri, præmissa supremi Concilij consultatione.) Et *n. 60.* quatenus subdit, quod Doctores, dum de diminutis agunt, comprehendunt, & explicant etiam in complicibus; dum autem agunt de iisdem diminutis Curiæ sæculari relaxandis, exemplificant tantum, & restringunt se ad diminutos circa errores, & hæreses, de quibus conuincuntur; ideoque sentiunt, quod hunc, vel illum complicem omitti (nisi sit Magister) pertineat ad minorem diminutionem; vt propterea cautè in his Inquisitores se gerere debeant.

9 Sequitur tertiò, quod qui in iudicio manifestauit suos errores, sed postea confessionem factam reuocat (quamuis nonnulli, quos sequitur Cantera *in quæst. crimin. rubr. de hær. c. 1. n. 70.* putent, quod damnandus non sit, vt impœnitens; quia per hanc reuocationem aliquid minuitur de fide, & firmitate confessionis factæ) probabilius sit oppositum, si in reuocatione persistit, & reuocandi, ac infirmandi priorem confessionem verisimilem causam non demonstrat; sic Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius *de hær. q. 187. n. 75. & q. 196. n. 20. & seqq.*

Probatur; quia ex propria confessione iam delictum est plenè probatum, cùm verò postea reuocat, præsumitur dolosè, ad vitandam pœnam ordinariam reuocare; Ergo. Accedit, quod si facta hac reuocatione, non posset iste condemnari, vt hæreticus negatiuus, cùm etiam non possit condemnari, vt hæreticus pœnitens; quia pœnitentiæ signa de suo errore non ostendit, cuilibet hæretico daretur ansa reuocandi suam confessionem, vt sic pœnam ordinariam effugeret: quod est maximum absurdum.

10 Atque hinc patet ad rationem Aduersariorum in contrarium: Respondetur enim ex dictis, quod illa friuola sit, quando non probatur causa verisimilis reuocationis: Accedit, quod licet minuatur aliqualiter firmitas confessionis, manet tamen coniecturis præcedentibus, vt integram probationem retineat.

* * *

COROLLARIVM.

An, & quomodo procedatur aduersùs hæreticos impœnitentes etiam fictione iuris?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus impœnitens, & pertinax punitur pœna mortis. Quod si post diligentias adhibitas ab Inquisitoribus, conuertatur, admittitur ad reconciliationem, sicut quicunque alius hæreticus non relapsus: quia tamen talis conditio metu mortis facta præsumi potest, perpetuò est immurandus, & prius degradandus, si sit Clericus.*

2 *Degradatio huiusmodi de iure debet esse realis: de consuetudine tamen iam introducta sufficit verbalis; & quia temperari solet prædicta pœna immurationis, vel perpetui carceris, omitti etiam solet vtraque degradatio.*

3 *Hæreticus impœnitens, & pertinax, etiam fictione iuris, punitur eadem pœna mortis, excepto, si in ipso, quando in negatiua persistit, præsumatur obliuio.*

Respondetur ex dictis *Dubit. 158. & 159.* proximè 1
præcedentibus. Hæreticus impœnitens & pertinax punitur pœna mortis, iuxta *cit. c. ad abolendam de hær.* & iuxta *cit. Instructionem Toletanam anno 1561. n. 43.* Quod, si post adhibendas ab Inquisitoribus diligentias (de quibus Campeg. *in Annot. ad Zanchinum de hær. c. 16. lit. A*) conuertatur, admittitur ad reconciliationem, sicuti quicumque alius hæreticus non relapsus; quia tamen talis conuersio metu mortis facta præsumi potest, perpetuò est immurandus, & si aliquo Ordine fuerit insignitus, priùs degradandus: quæ degradatio 2
de iure debet esse realis; de consuetudine tamen iam introducta sufficit verbalis: quinimò, quia iuxta ea (quæ dicebam *Dubit. 155.*) temperari solet prædicta pœna immurationis, vel perpetui carceris, omitti etiam solet prædicta vtraque degradatio.

Vide *dubitationem 158.* & ex Doctoribus, quos *ibid.* citabam, vide præcipuè Sousam *in Aphor. Inquis. lib. 2. c. 46. n. 6.*

Eadem pœna mortis punitur impœnitens, & perti- 3
nax, etiam fictione iuris: excepto si in ipso, quando in negatiua persistit, præsumatur obliuio. Vide *dubitationem 159.* & ex Doctoribus, quos *ibid.* citabam, vide præcipuè Peñam, Royas & Sousam *c. 48. n. 11. & seqq.*



DVBITATIO CLX.

An imponatur pœna mortis hæretico relapso?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus relapsus est, qui post erroris abiurationem, iterum in abiuratam hæresim incidit.*

2 *Hæretico relapso imponitur pœna mortis: quia sic expressè in iure decisum reperitur.*

3 *Si quis sponte ab alio non præuentus manifestet, quod ipse in hæresim abiuratam reinciderit, pœnam mortis effugiet: Ratio enim cur ei imponitur pœna mortis est præsumptio eius fictæ conuersionis: quæ cessat quando sponte se accusat.*

4 *Relapsus si non veniat sponte, sed venisse probetur metu*

metu probationum sibi instantium, eo quod intelligebat alios ad se ipsum accusandum preparare, pœnam mortis non vitabit.

5 *Reus si prima vice de heresi conuictus fuerit sola sua confessione, & postea per testes conuincitur relapsus; quamuis de rigore iuris pœna relapsi condemnari possit; poterit tamen ad misericordiam, & reconciliationem admitti.*

6 *Ad relapsum pœnitentem mittuntur duo, vel tres Ecclesiastici, qui eum in fidei veritate confirment, ad mortis patientiam exhortentur, & ad sacramentum Pœnitentiæ, & sacramentum Viatici disponant.*

7 *Non traditur Curiæ sæculari dictus relapsus, inconsulto supremo Senatu Inquisitionis.*

8 *Et cùm sic Curiæ sæculari traditur, antequam tradatur, est prius torquendus in caput alienum, si adsit semiplena probatio, quod deliquerit, cum complicibus: éstque etiam priùs degradandus, si aliquo Ordine fuerit insignitus.*

1 SVPPONO, quod hæreticus relapsus sit, qui post erroris abiurationem, vel canonicam pœnitentiam in abiuratam hæresim reincidisse deprehenditur. Hoc supposito

2 Respondetur affirmatiuè. Est communis sententia Doctorum, &

Probatur; quia sic expresse deciditur *in cap. ad abolendam, §. illos quoque de hæreticis.* Ibi: *Illos quoque, qui post abiurationem erroris, vel postquam se propriis Antistitis examinatione purgauerint, deprehensi fuerint in abiuratam heresim reincidisse, sæculari iudicio, sine vlla penitùs audientia decernimus relinquendos.* Et tradunt *ibi* Glossa, Abbas, Felinus, & alij Canonistæ passim.

3 Aduerte tamen, quod præcitatus Textus requirit, quod sint deprehensi: per quod verbum indicat, ab aliis deprehendi debere, hæreticos in hæresim reincidisse; quapropter si quis sponte ab alio non præuentus manifestet, quod ipse in hæresim abiuratam reinciderit, pœnam mortis effugiet. Locatus *in Prax. Inquisit. verbo Abiurare, num. 4.* Peña *3. p. direct. comment. 12. vers. Sed qui si relapsus,* Decian. *tract. crim. lib. 5. cap. 56. num. 12.* Menoch. *consil. 82. num. 168.* Alphonsus de Castro *tract de iust. her. punit. lib. 2. c. 2.* & Farinac. *qu. 193. num. 56.* (quidquid in contrarium dixerit Royas *de her. p. 2. n. 32.*) quia ratio, quare pœna mortis hæretico relapso imponatur, est; quia præsumitur fictè conuerti, sicque incorrigibilis esse, sed qui ab alio non præuentus se ipsum defert, & pœnitentiam petit, clarum veræ conuersionis suæ signum præbet; ergo. Quod ampliat, & rectè Menochius *vbi suprà*, etiamsi captus sit hæreticus, dummodò fateatur hæresim, de qua in processu non constabat.

4 Aduerte secundò, quod si relapsus non veniat sponte, sed venisse probetur metu probationum sibi instantium, eo quod intelligebat, alios se ad ipsum accusandum præparare, pœnam mortis non vitabat. Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. c. 9. n. 25.* Decianus, Alphonsus de Castro, & Farinacius *in locis suprà citatis.* Quapropter Farinacius & Peña *vbi suprà*, requirebant, delictum esse occultum: quia in publico ferè semper præsumitur, quod hæreticus relapsus non verè, & ex animo, sed ex metu probationum sibi instantium pœnitentiam, & misericordiam petat.

5 Aduerte tertiò, quod si prima vice reus de hæresi conuictus fuit sola sua confessione, & postea per testes conuincitur relapsus esse (quamuis de rigore iuris pœna relapsi possit condemnari) tamen, si priores errores tempore, quo erat impubes, commissos abiurauit, ad misericordiam, & reconciliationem admitti poterit; sic Doctores, quos suprà citabam *in locis suprà allegatis.*

6 Aduerte quartò, quoad praxim, quod ad relapsum pœnitentem mittantur duo, vel tres Ecclesiastici, qui eum in fidei veritate confirment, ad patientiam in mortis (quæ *ex c. ad abolendam, §. Illos quoque de heret.* euitari non potest) exhortentur, & curent, quod non solùm sacramentum Pœnitentiæ, sed etiam sacramentum Eucharistiæ (quidquid in contrarium alicubi, forsan contra præceptum diuinum de sumendo Viatico, practicatur) administretur eidem relapso pœnitenti, qui post duos, vel tres dies Curiæ sæculari tradatur; sic Doctores, quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 1. c. 45. num. 18. & seqq.*

Aduerte quintò, quod relapsus tradi ab Inquisitori- 7
bus inferioribus Curiæ sæculari non possit inconsulto supremo Senatu sanctæ Inquisitionis. Molina *de iust. tract. 5. disp. 8. n. 14.* & alij passim. Videri etiam poterit Instructio Toletana anno 1561.

Aduerte sextò, quod relapsus, antequam sic tradatur 8
Curiæ sæculari, sit prius torquendus in caput alienum, si adsit semiplena probatio, quod deliquerit cum complicibus; sitque etiam priùs ab Episcopo degradandus, si aliquo Ordine insignitus fuerit; sic DD. communiter, quos sequitur idem Sousa *loc. suprà cit.*



DVBITATIO CLXI.

An relapsus dicatur, & Curiæ sæculari tradi debeat, qui de primo lapsu non fuit plene conuictus, sed abiurauit de vehementi: in secundo autem lapsu plene conuincitur?

SVMMARIVM.

1 *Relapsus dicitur, & Curiæ sæculari tradendus, qui de primo lapsu non fuit plenè conuictus sed abiurauit de vehementi; in secundo verò lapsu plenè conuincitur; quia sic expressè deciditur* in cap. Accusatus de hæreticis in 6.

2 *Textus citatus dicit, quod talis sit relapsus quadam iuris fictione, non autem verè.*

3 *Textus item requirit, quod priùs abiurauerit de suspicione heresis vehementi; secùs si solum abiurauerit de suspicione leui.*

4 *Relapsus etiam dicendus est, si priùs scilicet abiurauerit heresim; postea verò incidit in suspicionem heresis vehementem, & sic Curiæ sæculari est tradendus contra nonnullos; quia ad hoc, vt quis fictione iuris relapsus reputetur, sufficit si de vno lapsu constet plenè, & de altero constet præsumptione iuris vehementi.*

5 *Textus* in cap. literas de præsumptionibus, *non obstat; quia ibi solùm dicitur, quod is confessus sit heresim suam, & fratris, quam confessionem postea reuocauit, ob cuius reuocationem, & priorem confessionem factam suspectus de heresi vehementer fuit.*

6 *Relapsus dicitur solùm fictione iuris qui post vehementem heresis abiurata suspicionem, manifestè in heresim incidit; at ex dictis inde satis colligitur idem dicendum esse, si lapsum manifestum antecedat, vel subsequatur, vehemens heresis suspicio.*

7 *Neque* in cap. Accusatus de hæreticis, *relapsus dicitur, qui post vehementem suspicionem heresis manifestè in heresim incidit; cùm potiùs ibi habeatur contrarium, quandoquidem is, qui primò heresim abiurauit, si postea hereticis fauere reperiatur, tanquam relapsus punitur.*

8 *Limitant*

8 *Limitant autem Menochius, & alij, si ille talis faueat hæreticis profitentibus eamdem hæresim, quam ipse prius abiurauerat, secus autem si diuersam.*

9 *Limitatio prædicta Auctori non placet; quia qui abiurat hæresim vnam, tacitè abiurat hæreses omnes; ac proinde si incidit in vehementem hæresis suspicionem, fictione iuris relabi censetur.*

1 Respondetur affirmatiuè, & docent communiter Doctores, quos citat & sequitur Barbosa *in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 8. n. 2.* quia sic expressè deciditur *in cap. Accusatus in princ. de hæret. in 6.* Ibi. [Accusatus de hæresi, vel suspectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehemens suspicio orta erat, si hæresim in iudicio abiurauit, & postea commisit it in ipsa, censeri debet quadam iuris fictione relapsus, licèt ante abiurationem suam hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum.]

2 Aduerte, quod Textus dicit, quod talis sit relapsus quadam iuris fictione, non autem verè; ad hoc enim requiretur, vt in idem crimen eodem modo bis fuerit lapsus.

3 Aduerte secundò, quod Textus requirit, quod priùs abiurauerit de suspicione hæresis vehementi; secus, si solùm abiurauerit de suspicione leui, Ibi: [Si autem leuis, & modica suspicio illa fuerit, quamquam ex hoc sit grauiùs puniendus, non tamen debet in hæresim relapsorum pœna puniri.]

Aduerte tertiò, quod si quis, postquam fuerit in hæresim lapsus (cùm ante lapsum, & abiurationem esset de crimine hæresis leuiter suspectus, & post abiurationem plenè probetur, verè illud crimen antea commisisse) dicendus est etiam relapsus, & puniendus pœna imposita relapsis; sic Doctores, quos sequitur Squillacens. *de fid. Cathol. c. 31, n. 2.*

4 Petes, quid dicendum de casu contrario, si scilicet priùs abiurauerit hæresim in quam fuit lapsus, postea verò incidit in suspicionem hæresis vehementem: an scilicet in hoc casu etiam fictione iuris sit dicendus relapsus, & sic Curiæ sæculari tradendus?

Respondetur, quod (quamuis negent Treuisanus *lib. 2. decis. 57. per totam.* Suarez *de fide disput. 24. sect. 2. n. 7.* Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 2. c. 45. n. 3.* Vbi testatur sic practicari in Inquisitione Lusitana; & Royas *de hæret. 2. p. n. 333.*) Probabilius tamen saltem in puncto iuris, affirmant Alphonsus à Castro *de iust. hær. punit. lib. 2. c. 2.* Zanchin. *tract. de hær. c. 16. n. 4* Menochius *conf. 82. n. 148. lib. 1.* Bursat. *conf. 7. n. 15. lib. 1.* Cantera *in quæst. crim. c. 1. de hær. n. 58.* (Vbi testatur sic censuisse supremum sanctæ Inquisitionis Concilium) & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *de hæres. q. 195. n. 17.* (quamuis fateatur, contrariam sententiam, etiam in Italia, sicut in Lusitania ab Inquisitoribus practicari.)

Probatur, quia ad hoc, quod quis fictione iuris relapsus reputetur, sufficit, si de vno lapsu constet plenè, & de altero constet præsumptione iuris vehementi; quod autem lapsus præsumptus antecedat, vel subsequatur lapsum certum, materialiter, & impertinenter se habet: ergo, &, cùm in vtroque casu sit tantundem, & æquale fundamentum pro affirmatiua sententia.

5 Obijcies ex Aduersarijs Text. *in c. literas de præsumpt.* vbi quidam post factam confessionem, & abiuratam hæresim, quam de se, & fratre suo confessus fuerat, postea hæresim fratris negauit, ob cuius negationem damnatur, non tanquam hæreticus relapsus, sed tanquam de hæresi suspectus; Ergo.

Respondetur, Textum hunc non obstare; quia ibi solùm dicitur, quod is confessus sit hæresim suam, & fratris, quam confessionem postea reuocauit, ob cuius reuocationem & priorem confessionem factam suspectus vehementer de hæresi fuit. Non tamen ibi dicitur; quod prius hæresim abiurauerit, & postea in vehementem hæresis suspicionem inciderit.

Obijcies secundò, Textum *in c. Accusatus*, vbi fictione iuris, & non propriè hæreticus reputatur, qui abiurata hæresi, de qua fuit plenè conuictus, iterum in suspicionem hæresis vehementem incidit: ergo, cùm nihil statuatur de illo, qui priùs vehementer de hæresi suspectus fuit, & postea in manifestam hæresim incidit, inferri non debet, quod & iste talis etiam pœnæ relapsi similiter subiiciatur; cùm pœnæ sint restringendæ, & non ampliandæ. 6

Respondetur: Transeat, quod *in cit. c. Accusatus*, solùm dicatur fictione iuris relapsus, qui post vehementem hæresis abiuratæ suspicionem manifestè in hæresim incidit: at ex dictis inde satis colligitur, idem dicendum esse, si lapsum manifestum antecedat, vel subsequatur vehemens hæresis suspicio.

Respondetur secundò: Nego, quod in supradicto capitulo solùm dicatur relapsus, qui post vehementem hæresis suspicionem manifestè in hæresim incidit. cùm potiùs ibi habeatur contrarium; quandoquidem is, qui primò abiurauit, si postea hæreticis fauere reperiatur tanquam relapsus puniatur, Ibi: [Ille quoque, de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterit, vel nunc constat, si post illam hæreticos receperit, deducat, visitet, siue associet, aut dona, vel munera, seu fauorem eis impendat, meritò debet iudicari relapsus.] Quapropter Farinac. qui *n. 18.* dixerat, quod Inquisitores Italiæ non soleant condemnare, vt relapsum, eum, qui primò confessus, vel conuictus fuit de hæresi, & postea incidit in vehementem hæresis suspicionem, subdit *n. 32.* quod id extendi non debeat ad hunc casum expressum de fauore hæreticorum. 7

8 Limitant autem Menoch. *conf. 82. num. 149. lib. 1.* Alphonsus de Castro *de iust. hær. punit. lib. 2. c. 2.* Simanc. *de Cathol. inst. tit. 57. rubr. de relapsis n. 6.* Azor. *p. 1. lib. 8. c. 14. q. 4.* & alij; si ille talis faueat hæreticis profitentibus eamdem hæresim, quam ipse priùs abiurauerat, secus autem, si diuersam; quia tunc non censetur in hæresi priori abiurata consentire.

9 At hæc limitatio mihi cum Deciano *tractat. crimin. lib. 5 cap. 56. num. 13.* Cantera *quæst. crimin. rubr. de hær. cap. 1. num. 58.* & aliis, non probatur: quia qui abiurat hæresim vnam, tacitè abiurat hæreses omnes; ac proinde, si incidit in vehementem hæresis suspicionem, fictione iuris relabi censetur, vt in Dubitatione sequenti meliùs explicabitur.

DVBITATIO CLXII.

An, vt quis pœna relapsi damnetur, debeat in eamdem hæresim prius abiuratam labi?

SVMMARIVM.

1 *Relapsi pœna, vt quis damnetur, debet in eamdem hæresim priùs abiuratam relabi.*

2 *Item relapsi pœna vt quis damnetur, sufficit, si solùm hæresim, in quam incidit, abiurauerit, & postea in aliam diuersam relabatur, contra nonnullos; quia qui abiurat vnam hæresim, tacitè abiurat omnes.*

3 *Limita tamen in casu, quo quis priùs de hæresi vehementer suspectus abiurauit, & postea in diuersam hæresis speciem relapsus fuit; quia in tali casu licèt prior abiuratio fuerit generalis, tamen non debet censeri relapsus.*

4 *Limita secundò, vt intelligatur, si incidit in aliam hæresim post hæresis abiurationem: secus verò si post hæresis purgationem; quia qui abiurat*

vnam hæresim, abiurat omnes hæreses: at qui se purgat ab vnius hæresis infamatione non se purgat ab omnibus.

5 *Relapso cuilibet pœnitenti, & Curiæ sæculari tradendo, dari debent sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ contra Couarruuiam quoad Eucharistiam.*

6 *Relapsus est, qui ad hæresim, postquam eam vt Pœnitens abiurauit, iterum reuertitur.*

7 *Relapsi ex communi sententia Doctorum dicuntur, qui in eamdem speciem hæresis, quam priùs abiurarunt relabuntur.*

8 *Hæreticus item relapsus est, qui post hæresim abiuratam, etiam in diuersam speciem hæresis relabitur; licet enim is non sit relapsus secundùm etymologiam, & proprietatem vocabuli; est tamen relapsus secundùm ius.*

9 *Sententia prædicta est certa, quando reus abiurauit hæresim simpliciter, & generaliter; quia tunc absque dubio si in diuersam hæresim ab ea, quam priùs tenuit, relabitur, dicetur verè relapsus.*

10 *Hæreticus nunc temporis ad fidem rediens quamuis in vnam tantùm hæresim inciderit, abiurat omnem hæresim absolute, & generaliter.*

11 *Hæreticus pœnitens si vnam tantùm speciem hæresis abiurauerit, & postea relabitur in diuersam speciem hæresis ab ea, quam abiurauit, probabilius dicitur relapsus, contra nonnullos censentes hanc sententiam nimis rigorosam.*

12 *Hæreticus relapsus est, qui post abiuratam hæresim non quidem iterum in hæresim labitur; sed hæreticis fauet, illos defendit, vel receptat.*

13 *Hæreticus relapsus est ille quoque, de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterat, vel nunc constat, si post illam hæreticos receptet, deducat, visitet, siue associet, aut dona, vel munera, seu fauorem eis impendat.*

14 *Hæreticus relapsus est, qui post indictam purgationem iterum in hæresim labitur.*

15 *Hæreticus relapsus est, qui de vehementi suspicione hæresis abiurauit, si post abiurationem de vehementi in hæresim incidat.*

16 *Relapsus non est is, qui primò de leui abiurauit, ex Alexandri IV. Constitutione; quamuis post huiusmodi abiurationem de hæresi conuictus fuerit.*

17 *Hæreticus relapsus est etiam qui in aliquos casus hæreticales, quamuis illos non abiurauerit, incedit ex Constitutione Pauli IV. & quinam hi casus sint*, Vide ibi.

18 *Relapsi habentur ex Constitutione Pauli IV. omnes Magistratus, & Domini temporales, & Ecclesiastici, qui in hæresim, vel in schisma inciderint, aut hæresim, vel schisma excitauerint.*

19 *Idem habetur in Constitutione Clementis VIII. innouando Sixti V. & Pauli IV. Constitutiones circa hoc*, Vbi vide de pœnis contra prædictos statutis.

20 *Missas celebrantes, Confessiones audientes, & sacramentaliter absoluentes cùm non sint in sacro Presbyteratus Ordine constituti ex Constitutione Gregorij XIII. inquirendi, & cognoscendi sunt ab Inquisitoribus.*

21 *Confessiones sacramentales audientes, non tamen absoluentes, cùm non sint in sacro Presbyteratus Ordine constituti, non comprehenduntur, neque puniuntur pœnis statutis in dicta Gregorij XIII. Constitutione.*

22 *Item neque Sacerdotes Confessiones audientes, & absoluentes sine licentia Ordinarij.*

23 *Hæreticus relapsus è contra non est, qui hæresim in iudicio, quamuis in eam iterum, atque iterum lapsus fuerit, non abiurauit; relapsi enim dicuntur illi, qui post abiuratas hæreses, in hæreses incidisse conuincuntur, non autem qui in eundem errorem iterum, atque iterum labuntur nulla pœnitentia solemni, vel abiuratione, vel canonica purgatione iudicialiter facta interueniente.*

24 *Hæreticus relapsus neque est, qui occultè in hæresim post abiurationem emissam relabitur; sed vt hæreticus relapsus sit, requiritur, quod de relapsu constet, vel per propriam confessionem in iudicio, vel per testes, vel per euidentiam facti.*

25 *Hæreticus relapsus neque satis probabiliter est, qui post abiuratam hæresim redditur de secundo in eamdem hæresim lapsu suspectus vehementer; idque hodie seruatur per Italia Inquisitores; quia quod talis sit relapsus nullo iure habetur.*

26 *Hæreticus neque verè; sed solùm ex iuris fictione dicitur relapsus, qui post abiurationem de vehementi suspicione iterum in manifestam hæresim labitur.*

27 *Hæreticus relapsus neque est, qui post abiurationem, iterum eo quod de nouo reddatur de hæresi suspectus; abiurat, sed necessariò requiritur ad hoc vt relapsus dicatur, quod constet de vno saltem in hæresim lapsu, vel ante, vel post abiurationem.*

28 *Hæreticus relapsus neque est, qui abiurauit de vehementi, & postea receptauit hæreticos.*

29 *Hæreticus relapsus neque est, qui post hæresim certam abiuratam hæreticos receptauit, vel cum illis communicauit; si illi tamen alias diuersas sectas, aut hæreses sequantur; quia quod is sit relapsus, nullo iure constat; quamuis aliqui Doctores sentiant, quod sit relapsus si generaliter abiurauerit.*

30 *Hæreticus relapsus neque est qui hæresim abiurauit tanquam fautor hæreticorum, & post abiurationem iterum illis fauet.*

31 *Hæreticus relapsus neque est, qui post purgationem relabitur in hæresim, si tamen purgatio ei inducta fuerit.*

32 *Hæreticus relapsus neque est, qui post purgationem incidit in aliam hæresim, non tamen in eamdem, quam purgauit: qui enim se purgat, solùm se purgat de illis hæresibus, de quibus fuit diffamatus: at non sic qui abiurat.*

33 *Hæretici relapsi olim Curiæ sæculari non tradebantur, sed perpetuo carceri, vel arcto monasterio ad pœnitentiam peragendam mancipabantur; hodie tamen etiam si ad fidem reuertantur, Curiæ sæculari traduntur, quia qui in hæresim relabitur non præsumitur verè, & realiter redire ad fidem, sed fictè, & simulatè.*

34 *Qui pluries quàm semel in idem delictum relabitur, non est venia dignus, & ex peccandi consuetudine debet pœna augeri.*

35 *Relapsus, & quicumque alius hæreticus si pertinax sit, igni viuus traditur: si autem pertinax non sit, prius strangulatur, postea igne comburitur.*

36 *Ecclesia hæretico non relapso, sed ad fidem redeunti vitam condonat, ita tamen vt eum in perpetuo carcere includat, bonisque suis spoliet.*

37 *Ecclesia nunquam gremium suum claudit redeuntibus quoad spiritualia, non autem quoad temporalia.*

38 *Hæretico relapso administranda sunt Ecclesiæ sacramenta si pœnitentiæ signa dederint manifesta.*

39 *Relapso, si spontè ad Ecclesiam redeat, & spontè suum errorem coram Inquisitore fateatur, vita condonetur: Relapsus enim punitur pœna mortis, & traditur Curiæ sæculari, eo quod censeatur esse incorrigibilis.*

40 *Relapsus dicitur, qui post abiuratam hæresim conuincitur, iterum in hæresim reincidisse: sed qui spontè coram Inquisitore comparet, & suum errorem fatetur, non propriè est de relapsu conuictus.*

Is

41 *Is dicitur spontè venire, & comparere, qui indiciis non prauentus coram Inquisitoribus comparet.*

1 RESPONDETVR: & dico Primò: si quis, cùm priorem hæresim, in quam incidit, simul abiurauit etiam generaliter omnes (vt de more fieri solet) hæreses abiurauit, absque dubio relapsi pœna damnatur: est communis sententia DD. ita expresse deciditur *in c. Accusatus, §. cum verò de hæreticis in* 6. Ibi: [Eum verò, qui in vna hæresis specie, vel secta commisit, aut in vno fidei articulo, seu Ecclesiæ sacramento errauit, & postmodùm hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit, si ex tunc in aliam hæresis speciem, siue sectam, aut alio articulo, seu sacramento committat, volumus, vt relapsum in hæresim iudicari.] & sic cum Glossa ibi notant communiter Canonistæ.

2 Dico secundò: si solam hæresim, in quam incidit, abiurauit, & postea in aliam diuersam hæresim labitur, (quamuis Glossa *in cit. c. Accusatus*, Repertorium Inquisitorum *verbo Relapsus sub vers.* 3. Menoch. *cons.* 82. *n.* 156. *lib.* 1. Suarez *de fide disp.* 23. *sect.* 2. *n.* 8. & Peña 2. *p. direct. q.* 40. *comment.* 65. negent, quod sit relapsus; quia neque ratione criminis, cùm sit diuersum, neque ratione abiurationis relapsus dici potest; & fauet citatum caput Accusatus, vbi Textus expresse postulat abiurationem hæreticis generalem, vt quis relapsus censeatur.) Probabiliùs tamen affirmant Vmbertus Locatus *in iudicial. Inquisit. verb. Relapsi num.* 6. & Decianus *tractatu crim. lib.* 5. *c.* 56. *n.* 2.

Probatur; quia qui abiurat quamlibet vnam hæresim, tacitè abiurat omnes (cùm abiuret recessum à diuina reuelatione per Ecclesiam proposita, & tacitè promittat, se ab Ecclesia ampliùs non recessurum.) Ergo ex hac præcisa abiuratione, si in hæresim labatur, relabi censeri debebit.

3 Limita dictum secundum nostrum tamen in casu, quo quis priùs tantùm de hæresi vehementer suspectus abiurauit, & postea in diuersam hæresis speciem lapsus fuit; quia in tali casu, licèt abiuratio prior fuerit generalis, tamen non debet censeri relapsus, per Textum *in cit. cap. Accusatus*, Ibi: *si postea delinquit in ipsa:* quasi diceret, si deliquit in ipsa hæresi, quam priùs de vehementi abiurauit; secùs verò, si in alia diuersa; sic Doctores, quos sequitur Farinacius *q* 195. *n.* 46.

4 Limita secundò, dictum idem secundum nostrum, vt intelligatur, si incidit in aliam hæresim post hæresis abiurationem; secùs verò, si post hæresis purgationem; quia qui abiurat vnam hæresim, abiurat omnem hæresim: at qui se purgat ab vnius hæresis infamatione, non se purgat ab omni hæresi: quæ est ratio, cur possit, vt relapsus, puniri, qui solùm vnam hæresim abiurauit, si in aliam diuersam labatur, non tamen si se ab vna purgauit, & in aliam incidit. Peña *directorij* 3. *p. rubr. de secundo modo finiendi processum comment.* 38. *numero* 150. Paramus *de orig. Inquis. lib.* 3. *q.* 4. *rubr. de expedit. Process. n.* 5. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *q* 195. *n.* 30.

5 Aduerte tamen, quod cuilibet relapso pœnitenti, & Curiæ sæculari tradendo dari debeant sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ iuxta Textum *in cap. super eo de hæretic. in* 6. & tradunt Simanch. *loco suprà citato titulo* 63. *numero* 7. & Suarez *de fide disput.* 23. *sect.* 2. *numero* 12. quidquid in contrarium quoad Eucharistiam dixerint Couarruuias *libro* 2. *variarum capite* 1. *numero* 11. & Cantera *quæstione de hæretic. numero* 13. de quorum opinione dicam *infrà* commodiùs *Dubitatione seq.*

Aduerte secundò, quod relapsus pœnitens, quem suprà dicebam, publicè ad reconciliationem non admittatur, etiamsi confitens existat; sic Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *moral. c.* 27. *n.* 23.

COROLLARIA.

Ex dictis igitur *suprà Dubitatione* 160. 161. & 162. 6

Primò relapsus est, qui ad hæresim, postquam eam, vt pœnitens, abiurauit, iterum labitur. Director. Inquisitorum *p.* 2. *q.* 58. *n.* 1. & *q.* 40. *n.* 3. Peña *ibid. comment.* 85. (quatenus ait: Iure Pontificio hæreticus relapsus est, qui post solemnem, & iudicialem hæresum abiurationem relapsus fuit, *cap. Accusatus de hær. in* 6.) Io. Royas *singul.* 172. *n.* 1. (quatenus inquit; relapsus est, qui post abiurationem iterum in hæresim labitur.) Locat. *in iudicial. Inquisit. verbo Relapsi* (quatenus asserit. Relapsi dicuntur quasi iterum lapsi.) Simancha *de Catholic. instit. tit.* 57. (quatenus dicit: Relapsi dicuntur, quasi in eamdem hæresim labentes) Alphonsus de Castro *lib.* 2. *de iusta hæretic. punit. c.* 2. & alij. Et quidem ex commu- 7
ni sententia Doctorum relapsi dicuntur, qui in eamdem speciem hæresis, quam priùs abiurarunt, relabuntur, *cap. Illos quoque de hæret.* Ibi: [Illos quoque, qui post abiurationem erroris deprehensi fuerint in abiuratam hæresim reincidisse, sæculari iudicio sine vlla penitus audientia decernimus relinquendos.] Quod præcipuè præter alios adnotarunt Director. Inquis. *p.* 2. *q.* 55. Peña *in d. direct. p.* 3. *comment.* 38. *vers. Ex his planè*, & Simancha *cit. tit.* 17. *n.* 4.

Secundò, Hæreticus relapsus est, qui post hæresim 8
abiuratam, etiam in diuersam speciem hæresis labitur. Locatus *verb. Relapsi n.* 6. Bursatus *lib.* 1. *cons.* 7. *num.* 14. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 374. Carrer. *tract. de hær. n.* 133. Hippolytus Riminald. *cons.* 150. *n.* 23. Azor. *tom.* 1. *Instit. mor. lib.* 8. *c.* 14. (quatenus ait, hunc talem non esse relapsum secundùm ethymologiam, & proprietatem vocabuli, esse tamen relapsum secundùm ius) & alij. Quæ sententia est certa quando reus abiurauit 9
hæresim simpliciter, & generaliter, quia tunc absque dubio, si in diuersam hæresim ab ea, quam priùs tenuit, labitur, dicetur verè relapsus, ita vt pœna relapsis imposita puniendus sit, *ex capite Accusatus, §. Cùm verò de hæreticis in* 6. Ibi: [Cùm verò qui in vna hæresis specie, vel secta commisit, aut in vno fidei articulo, seu Ecclesiæ sacramento errauit, & postmodum hæresim simpliciter, vel generaliter abiurauit, si ex tunc in alia etiam hæresis specie, siue secta, aut alio articulo, seu sacramento committit, volumus, vt relapsum iudicari. Et notat ibi Glossa *verbo simpliciter*, & *verbo iudicari*. Ioannes Monachus *ibidem numero* 3. Rosella *verbo hæreticus num.* 35. Syluester *eodem verbo num.* 15. Tabiena *num.* 16. Simancha *de Cathol. instit. titul.* 57. *numero* 4. & alij passim.

Et quidem nunc temporis hæreticus ad fidem re- 10
diens, quamuis in vnam tantùm hæresim inciderit, abiurat omnem hæresim absolutè, & generaliter, *cit. cap. Accusatus*; & tradunt Peña *in direct. p.* 2. *q.* 40. *comment.* 65. *circa fin.* (vbi ait, hodie ita fieri vbique, & in specie Romæ in Officio sanctæ Inquisitionis) & *p.* 3. *comment.* 40. (vbi refert formam quam hodie adhibent hæretici in abiuratione) Decianus *in tract. crim. lib.* 5. *c.* 47. *n.* 10. (vbi inquit, ita hodie fieri.) Simancha *in Enchiridion tit.* 53. *n.* 9. & alij communiter.

Quod si hæreticus pœnitens vnam tantùm speciem 11
hæresis abiurauit, & postea labitur in diuersam speciem hæresis ab ea, quam abiurauit (quamuis, quod non sit habendus pro relapso, teneat Glossa *in c. Accusatus, §. cùm verò verb. simpliciter de hær. in* 6. Ioannes Andreas *ibid. n.* 8. & *seqq.* Director. Inquisit. *p.* 2. *q.* 40. *num.* 5. Vbi dicit, contrariam opinionem esse nimis rigorosam. Menoch. *lib.* 1. *cons.* 82. *n.* 156. & Repertor. Inquisit. *verbo relapsus, vers.* 3.) Alij tamen probabiliùs nobiscum sentiunt, quod etiam in tali casu sit relapsus, &, tanquam relapsus, puniendus. Io. Monachus *in cit. cap. Accusatus, n.* 3. & *seqq.* Geminian. *ibidem n.* 4. Franch. *num.* 3. Peña *in director. Inquisit. part.* 2. *quæst.* 40. *comment.* 65. *lit. D.*

(vbi ait, hanc opinionem hodie esse magis receptam) Locat. *verb. Relapsi n. 6.* vbi asserit, esse opinionem veriorem) Mandosius *in addit. ad Repertorium loc. cit.* (vbi dicit, esse opinionem magis veram, & communem) & alij complures; & quidem hæc opinio est hodie magis in praxi recepta, & consequenter sequenda, iuxta ea, quæ dicebam *suprà dubit. præced.*

12 Tertiò, hæreticus relapsus est, qui post abiuratam hæresim in quam lapsus fuit, non quidem iterum in hæresim labitur, sed hæreticis fauet, illos defendit, vel receptat, &c. Gloss. *in c. Accusatus §. Ille quoque de hæretic. in 6.* Io. Andreas *ibid. n. 1.* Geminian. *num. 1.* Rosella *verbo Hæreticus n. 36.* Syluester *eod. verb. hæreticus 1. n. 16.* Tabiena *n. 16.* Menoch. *lib. 1. cons. 82. n. 148.* Director. Inquisit. *p. 2. q. 40. n. 6.* Mascard. *de probationibus, volum. 2. conclus. 863. num. 6.* Bursat. *lib. 1. cons. 7. num. 36.* & alij passim.

13 Et patet *ex cit. c. Accusatus §. Ille quoque de hær. in 6.* Ibi: [Relapsus est ille quoque, de cuius lapsu in hæresim ante abiurationem constiterat, vel nunc constat, si post illam hæreticos receptet, deducat, visitet, siue associet, aut dona, vel munera, sui fauorem eis impendat.] Et patet etiam ex Constitutione Alexandri V. quæ incipit, *Quod super. vers. Quæsiuistis*, apud Peñam, *inter literas Apostolicas* Ibi: [Quæsiuistis etiam circa idem, si is, qui hæresim abiurauit, & per solam inexcusabilem receptionem, vel receptationem, vel deductionem, seu associationem, vel visitationem hæreticorum, siue dationem, vel missionem munerum, aut etiam alias in fauorem eorum, qui excusari non possit, sine adoratione tamen (vt vestris verbis vtamur) lapsus est postmodum, propter hoc debeat iudicari relapsus; & quidem si legitime constitit, vel etiam nunc constaret, quod tales post huiusmodi abiurationem in hæresim commisissent, non est dubium, eos per hoc fuisse relapsos; quia tunc dubitari non debet, illos ex approbati à se priùs erroris consequentia, id fecisse.]

14 Quartò, hæreticus relapsus est, qui post purgationem indictam, scilicet ob suspicionem de hæresi non leuem; sed grauem in hæresim labitur. Rosella *verb. hæreticus n. 17.* Syluester *eod. verb. hæreticus primò num. 15. & seqq.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 48. n. 51.* Director. Inquisit. *p. 3. n. 150. vers. Nec contendas*, & Peña *ibid. comment. 35. & 38. lit. E.* & alij communiter.

Et patet *ex cap. ad abolendam, §. Illos quoque de hæreticis*, Ibi: [Illos quoque, qui post abiurationem erroris, vel postquam se propriis Antistitis examinatione purgauerunt, deprehensi fuerint in abiuratam hæresim reincidisse, sæculari iudicio, sine vlla penitus audientia decernimus relinquendos.] Ex quibus verbis clarè patet, quod non solùm sit relapsus, qui in hæresim relabitur post abiuratam hæresim, sed etiam qui relabitur post purgationem.] Et notat ibi Glossa; patet etiam *ex cap. Excommunicamus 1. §. Adijcimus de hæret.* Ibi: [Qui si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonicè puniantur.] Et notat etiam ibi Glossa. Patet similiter etiam *ex cap. super eo de hæretic. in 6.* Ibi: [Quodque ij, qui post abiurationem erroris vel postquam se proprij Antistitis examinatione purgauerint, si deprehensi fuerint in abiuratam hæresim reincidisse, sæculari decernantur iudicio.]

15 Quintò, hæreticus relapsus est, qui de vehementi suspectione hæresis abiurauit (eo quod de primo lapsu per plenas probationes non fuerit conuictus) si post dictam abiurationem de vehementi in hæresim incidat. Syluester *verb. hæreticus 1. n. 15.* Rosella *eodem verbo num. 34.* Martinus del Rio *lib. 5. disquis. magic. sect. 12.* Mascard. *de probat. lib. 2. concl. 863. num. 3. & 4.* & alij passim.

Et patet *ex cap. Accusatus de hæretic. in 6.* Ibi: [Accusatus de hæresi, vel suspectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehemens suspicio orta erat, si hæresim in iudicio abiurauit, & postea committit, eo ipso censeri debet quadam iuris fictione relapsus, licèt ante abiurationem suam hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum.] Patet etiam ex Constitutione Alexandri IV. (*Quod super*, apud Peñam inter literas Apostolicas, *vers. Primum igitur.* Ibi: Quod talis si tanquam accusatus, vel suspectus de hæresi eam in iudicio abiurauit, & postea committat in ipsa, censeri debet quadam iuris fictione relapsus, licèt ante abiurationem suam plenè probatum non fuerit crimen hæresis contra ipsum; dummodò huiusmodi priùs orta suspicio violenta fuerit, ac certis, & veris indiciis comprobata: si verò leuis, & modica, quamquam ex hoc sit grauius puniendus, relapsorum tamen in hæresim non debet pœna puniri, ex quo præsumi non potest verisimiliter antea lapsus in eam]

Vbi aduerte, quod ex prædictæ Alexandri IV. Constitutionis vltimis verbis clarè colligatur, non esse relapsum eum, qui primò de leui abiurauit: Quamuis post huiusmodi abiurationem de hæresi conuictus fuerit: quod etiam clarè colligitur *ex dicto capite Accusatus de hæreticis in 6.* Ibi: [Si autem leuis, & modica suspicio illa fuerit, quamquam ex hoc sit grauiùs puniendus, non tamen debet in hæresim relapsorum pœna puniri.] Et tradunt Rosella *verbo hæreticus numero 34.* Syluester *eodem verbo hæreticus 1. numero 15.* Tabiena *numero 16.* Mascardus *de probationibus, libro 2. conclus. 863.* Royas *singul. 1. numero 26.* Hieronymus Gabriel *libro 1. consil. 160. numero 23. & sequentibus.* Carrer. *tractatu de hæreticis numero 159.* Afflict. *in Constitut. Regn. de hæreticis, rubric. 1. numero 31.* & Squillacen. *de fide Catholica, capite 31. numero 2.* Quamuis hi duo postremi Doctores rectè subdant, illum talem (si postquam fuerit in hæresim relapsus, cùm ante relapsum, & abiurationem esset de crimine hæresis leuiter suspectus, & post abiurationem plenè probetur, quod verè crimen illud antea commiserit) esse verum relapsum, & puniendum pœna relapsis imposita. 16

Sextò, ex Constitutione Pauli IV. quæ incipit, *Cùm quorumdam*, apud Peñam, inter literas Apostolicas. Hæreticus relapsus est etiam, qui in aliquos casus hæreticales, quamuis illos non abiurauerit, incidit; quorum primus est, si quis negaret sanctissimam Trinitatem: Secundus, si negaret Iesu Christi diuinitatem: Tertius, si negaret, Christum esse conceptum de Spiritu Sancto. Quartus, si negaret, Christum Dominum sustinuisse mortem crucis, vt nos redimeret: Quintus, si negaret, Beatissimam Virginem Mariam esse veram Matrem Dei, & fuisse semper Virginem. 17

Sic Paulus IV. in præcitata Constitutione, vbi mandat, quod negans vnum ex istis articulis pro relapso in hæresim habeatur, quodque, vt relapsus Curiæ sæculari tradatur, & debitis pœnis in relapsos statutis in omnibus, & per omnia puniatur, perinde, ac si verè, & realiter in hæresim relapsus esset, & esse relapsus conuinceretur.

Idem Paulus IV. in altera Constitutione, (quæ incipit: *Cùm ex Apostolatus*, apud Peñam inter literas Apostolicas, vult) quod etiam tanquam relapsi, habeantur omnes Magistratus, & Domini temporales, & Ecclesiastici, qui in hæresim, vel in schisma inciderint, aut hæresim, vel schisma excitauerint. 18

Præterea Clemens VIII. in sua Constitutione, quæ incipit: *Etsi aliàs* contra celebrantes Missas, & audientes Confessiones sacramentales sine Ordine Presbyteratus (statuit, quod isti etiam habeantur tanquam relapsi, & à iudicibus sanctæ Inquisitionis, vel locorum Ordinariis, tanquam Ecclesiæ misericordia indigni, à foro Ecclesiastico abiiciantur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerint) ritè degradati, statim per iudices sæculares pœnis debitis puniendi, Curiæ sæculari tradantur; subditque in eadem Constitutione Clemens VIII. sic etiam fuisse statutum 19

priùs

priùs à Sixto V. & Paulo IV, cuius Cõstitutionem refert Locatus post Iudiciale Inquisitorum in rubrica contra sine Ordinibus celebrantes, vbi ait, tanquam relapsum habendum esse illum, qui Missam celebrauit sine Ordine Presbyteratus, & tradendum esse eundem brachio sæculari; vbi etiam idem Locatus refert aliud decretum eiusdem Pauli IV. in quo præcipitur, quod tanquam relapsus habeatur is, qui (cùm non fuerit promotus ad Ordinem Sacerdotalem) audit Confessionem Sacramentalem; quodque etiam tanquam relapsus, habeatur is, qui diuinissimo Eucharistiæ Sacramento abutitur.

20 Aduerte tamen hîc quod Gregorius XIII. in sua Constitutione (quæ incipit *Officij*, estque 14. in Bullario edita anno 1574. die 6. Augusti) definiuerit, ac declarauerit, eos, qui in sacro Presbyteratus ordine non constituti Missas celebrare, & Confessiones audire, atque sacramentaliter absoluere præsumerent, esse inquirendos, & cognoscendos ab Inquisitoribus sancti Officij.

21 Refert hanc Constitutionem Acuña *de confess. sollic. q. 13. n. 17.* qui *n. 14.* sequens Rodericum *tom. 2. quæst. regular. q. 28. n. 2. vers. hæc Constitutio*, quod per hanc Gregorij XIII. Constitutionem puniantur illi, qui non habentes ordinem Sacerdotalem Confessiones audiunt, si audiant, & simul absoluant; non autem si tantùm audiant, & non absoluant, vt patet ex illis verbis dictæ Constitutionis: *Confessiones audire, & sacramentaliter absoluere præsumerent*; quia si Sacerdos tantùm audiret Confessionem, & sacramentaliter non absolueret, non conficeret Sacramentum; vbi etiam *num. 15.* idem Acuña sequens etiam eumdem Rodericum *loco suprà citato*,
22 asserit (& rectè) pœnis latis in prædicta Constitutione non puniri illum qui est Sacerdos, si Confessiones audiat absque actuali iurisdictione, & simul etiam absoluat, sed puniri solùm illum, qui Presbyteratus Ordinem non habens, Confessiones audire, & à peccatis absoluere præsumat. At de hoc sexto casu vide quæ dicebam *dubit. 156. in Corollario*, & quæ dicam *dubit. 210.*

23 Septimò, ècontra hæreticus relapsus non est, qui hæresim in Iudicio (quamuis in eam iterum atque iterum lapsus fuerit) non abiurauit. Vmbert Locat. *in Iudic. Inquisit. verb. Abiurare, num. 5.* Repertor Inquisitor. *verb. Relapsus, vers. Nota quod licet.* Castro *lib. 2. de iusta hæretic. punit. cap. 16.* Simancha *de Cathol. Instit. tit. 57. num. 2. & seqq.* Oldrad. *consil. 271. n. 1.* Squillacen. *de fid. Cathol. cap. 31. circa finem.* Peña *in directorio part. 2. q. 58. commentar. 83. vers. Obseruandum est.* (quatenus ait, quod relapsi dicantur illi, qui post abiuratas hæreses, in hæreses incidisse conuincuntur, non autem dicantur relapsi illi, qui in eumdem errorem iterum atque iterum labuntur nulla pœnitentia solemni, vel abiuratione, vel canonica purgatione iudicialiter facta interueniente: si quis enim iterum atque iterum in varias vel easdem hæreses labatur (etsi verè, id est physicè, seu secundùm naturam relapsus dici posset priùs quàm illas abiurauerit.) Nihilominus, vt relapsus, ita vt Curiæ sæculari tradatur (dummodo pœnitere velit) iuridicè, legitimè, seu secundùm leges puniri non debet. Azor. *tom. 1. Instit. moral. lib. 8. cap. 14. q. 1.* (quatenus inquit, quod in Iure Canonico relapsus hæreticus censeatur ille, qui postquam hæresim publicè coram Iudice abiurauit, id est iureiurando damnauit & execratus est, in eam iterum incurrit: quapropter, etiamsi millies quis in hæresim, à qua per veram cordis pœnitentiam recessit, relabatur, relapsus non habebitur, nisi eam hæresim coram Iudice abiurauerit.) & alij passim.

24 Octauò, Neque hæreticus relapsus est, qui occultè in hæresim post abiurationem factam relabitur, sed vt hæreticus relapsus sit, requiritur, quod de relapsu cõstet, vel per propriam confessionem in Iudicio, vel per testes, vel per euidentiam facti. Syluester *verb. hæreticus 1. num. 19.* Menoch. *lib. 1. cons. 82. num. 177.* & alij communiter.

Nonò, satis probabiliter, neque hæreticus relapsus 25
est, qui post abiuratam hæresim in quam lapsus fuit, redditur de secundo in eamdem hæresim lapsu suspectus vehementer. Io. Royas *part. 2. num. 333.* Farinac. *de hæres. q. 195. §. 1. num. 18.* subdens hanc sententiam hodie regulariter per Italiæ Inquisitores seruari: quia quod iste talis sit relapsus, inquiunt ipsi, nullo iure habetur, & ex alio capite pœnæ sunt strictè interpretandæ, *cap. Odia, de regul. iur. in 6.*

Quamuis alij nobiscum *suprà dubit. 161.* propter rationes ibi allatas probabiliùs contrarium sentiant, istum scilicet etiam fictione iuris esse relapsum, & ideò pœnis contra relapsos latis puniendum. Bursat. *lib. 1. cons. 7. n. 15.* Zanchin. *tract. de hæretic. cap. 16. num. 3.* Menoch. *lib. 1. cons. 82. num. 148.* & Alphonsus de Castro *lib. 2. de iust. hæretic. punit. cap. 2.* Quatenus ait, quod adhuc alio modo possit quis dici lapsus, si scilicet primò de hæresi conuictus hæresim omnem abiurauit, & perpetuo carceri (prout fieri mandatur *in cap. Excommunicamus, §. si quis autem de hæretic.*) mancipatus fuerit, & postea ex carcere exiuit: tunc enim dicetur meritò relapsus, quia de primo lapsu fuit conuictus, & de secundo dedit vehementem suspicionem per hoc solùm, quod è carcere exiuerit.

Decimò, Neque verè, sed solùm fictione iuris hæ- 26
reticus relapsus est, qui post abiurationem de vehementi labitur in manifestam hæresim, *cap. Accusatus de hæretic. in 6.* & notat ibi Glossa *verbo Iurisdictione.* Geminian. *num. 1.* Archidiacon. *num. 1.* Mascard. *conclus. 863. num. 3.* & alij passim; & nos dicebamus *suprà cit. dubit. 161.*

Vndecimò, Neque hæreticus relapsus est, qui post 27
abiurationem de vehementi iterum (eo quod de nouo reddatur de hæresi grauiter suspectus) abiurat de vehementi; sed necessariò requiritur, ad hoc vt relapsus dicatur, quod constet de vno saltem in hæresim lapsu, vel ante, vel post abiurationem. Hippolit. Riminald. *cons. 150. num. 23.* Repertor. Inquisit. *verb. Relapsus vers. 2. & verb. Abiuratio, vers. Item si.* Locat. *in Iudic. Inquisit. verb Vehemens suspicio, num. 1.* (vbi subdit, sic à Pio V. Romæ in Congregatione anno 1567. declaratum fuisse) Menoch. *lib. 1. consil. 82. num. 150.* Simanch. *de Cathol. Institut. tit. 57. num. 1.* & alij communiter, quia quod iste talis sit relapsus, saltem fictione iuris, nullo iure constat; & ex alia parte pœnæ, *ex cap. Odia de regul. iur. in 6.* restringi debent.

Duodecimò, iuxta ea quæ mox *suprà* dicebam, ne- 28
que hæreticus relapsus est, qui abiurauit de vehementi, & postea receptat hæreticos. Castro *lib. 2. c. 2.* Læl. Zecch. *in summa part. 1. tit. de fide Cathol. rubric. de hæres. c. 11. n. 5.* Peña *in director. Inquis. part. 2. q. 56. commentar. 81. lit. C. vers. Iam Eymericus.* Simanch. *de Cath. Instit. tit. 57. n. 5.* & alij communiter ob eamdem rationem dictam; & quia, quod iste talis sit hæreticus relapsus, saltem fictione iuris, nullo etiam iure constat, & ex alia parte pœnæ sunt restringendæ.

Decimotertiò, Neque hæreticus relapsus est, qui post 29
hæresim certam quamdam abiuratam hæreticos receptat, defendit, vel cum istis communicat, si isti tales alias diuersas sectas, aut hæreses sequantur. Castro *cit. c. 2.* Menoch. *lib. 1. cons. 82. num. 148.* Simanch, *vbi suprà, n. 6. & 7.* & Azor. *tom. 1. Instit. Moral. lib. 8. cap. 14. q. 4.* ob eamdem etiam rationem dictam, quia scilicet etiam, quod iste talis sit hæreticus relapsus, saltem fictione iuris, nullo etiam iure similiter constat, & ex alio capite pœnæ sunt restringendæ, sicuti dixi.

Quamuis Decianus *in tract. crimin. lib. 5. c. 56. n. 13.* Petr. Gregor. *syntagm. iur. lib. 33. c. 8. n. 6.* & Cantera *in quæst. crimin. in rubric. de hæretic. c. 1. n. 58.* rectè sentiant, quod sit relapsus, casu quo (sicuti nunc fieri solet) priùs abiurauerit hæresim in generali, & postea hæreticos receptet, defendat, vel cum istis communicet, non obstante quod isti tales diuersa alia dogmata sectentur.

Decimoquartò, iuxta ea quæ *suprà* dicebam *n. 27.* 30

Neque hæreticus relapsus est, qui hæresim abiurauit, tanquam fautor hæreticorum, & post abiurationem iterum illis fauet. Calderin. *in tract. de hæretic in rubr. de pæn. receptat. num. 3. & in rubr. de execut. sent. n. 6.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 56. n. 16.* & alij communiter, quia ex dictis *cit. num. 27.* ad hoc, vt quis sit verè relapsus constare debet quod in aliquam hæresim verè lapsus fuerit, *cap. Accusatus, §. illi quoque de hæretic. in 6.* Et tradunt præter alios Castro *lib. 2. de iusta hæretic. punit. c. 2.* & Simancha *de Cathol. Institut. tit. 57. num. 5.* Sed qui iterum fauet hæreticis, non constat quod is vnquam in hæresim verè lapsus fuerit: ergo non erit verè relapsus.

31 Decimoquintò, Neque hæreticus relapsus est, qui post purgationem labitur in hæresim, si purgatio ipsi indicta fuerit propter suspicionem de hæresi leuem, & non propter suspicionem de hæresi vehementem. Locat. *in Iudic. Inquisit. verb. Suspensio, n. 7.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 48. n. 51.* Hieronym. Gabriel. *lib. 1. consil. 560. num. 23.* Peña *in director. Inquisit. part. 3. in rubr. de secundo modo finiendi processum comment. 35. & 38.* & alij passim.

32 Decimosextò, Neque hæreticus relapsus est, qui post purgationem, (etiam indictam propter suspicionem de hæresi vehementem) incidit in aliam hæresim, & nõ in eamdem, quam purgauit. Param. *de orig. S. Inquis. lib. 3. q. 4. in rubr. de expedit. Processf. num. 5.* Director. Inquis. *part. 3. loc. cit. n. 150.* & *ibi* Peña *d. comment. 35. & 38. lit. E*, & alij complures. Ratio autem (cur qui abiurat de vehementi, si iterum in eamdem, vel in diuersam hæresim labatur, sit verè relapsus; qui verò, vt infamatus etiam de vehementi, etiam de vehementi se purgat, non censeatur relapsus, nisi iterum labatur in eamdem hæresim, de qua se purgauit) illa est, quia qui abiurat hæresim, abiurat omnem hæresim; & ideò in quamcumque hæresim postea iterum labatur, dicitur verè relapsus: at verò qui se purgat, solùm se purgat de illis hæresibus de quibus fuit diffamatus; & ideò si in alias hæreses iterum labatur, non dicetur verè relapsus; quamuis hodie, qui se purgat de vehementi, soleat etiam generaliter omnem hæresim abiurare; & sic vtrobique est eadem ratio, vt scilicet hæreticus relapsus sit, etiamsi postea non in eamdem, sed in diuersam hæresim labatur.

Aduertenda.

33 Aduerte, quod hæretici relapsi olim Curiæ sæculari non tradebantur, sed perpetuo carceri, vel arcto Monasterio ad pœnitentiam peragendam mancipabantur. Repertor. Inquis. *verb. Relapsus, vers. Nota.* Io. Calderin. *tract. de hæretic. in rubr. de redeuntibus, n. 7.* & alij passim. Hodie tamen, etiam ad fidem reuertantur, Curiæ sæculari traduntur. Butrius *in cap. Ad abolendam, §. illos quoque de hæretic.* Ostiens. *ibid. num. 9.* Abbas *num. 1.* Felin. *num. 2.* Iul. Clar. *in Pract. crimin. §. hæresis, num. 7.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. cas. 374.* Simancha *de Catholic. Instit. tit. 57. n. 10.* & alij, quos sequitur Bossius *tit. de hæretic n. 59.* &

Patet *ex d. cap. Ad abolendam, §. Illos quoque de hæretic.* Ibi: *Illos quoque, qui post abiurationem erroris deprehensi fuerint in abiuratam hæresim reincidisse, sæculari Iudicio, sine vlla penitùs audientia, decernimus relinquendos.* Et *ex cap. Super eo de hæretic. in 6* Ibi: *Si deprehensi fuerint in abiuratam hæresim reincidisse, sæculari decernantur Iudicio.*

Ratio autem (cur hodie Ecclesia relapsos non recipiat, sed eos brachio sæculari tradat) illa est, quia qui in hæresim relabitur, non præsumitur verè, sed simulate & fictè (cùm malus semper præsumatur malus in eodem genere mali) rediisse ad fidem; & quia exinde alij sumere possent occasionem in abiuratas hæreses relabendi; & quia periculum est, ne relapsi alios inficiant, & peruertant; quapropter meritò Concilium Narbonense *cap. 11.* decreuit, quod illi qui post abiurationem, vel purgationem erroris deprehensi fuerint in abiuratam hæresim reincidisse, sine vlla penitùs audientia Curiæ sæculari pœna debita puniendi relinquantur; quia satis est, inquit Concilium, tales per falsam conuersionem semel Ecclesiam decepisse.

Confirmatur, quia (sicuti dicitur *in l. 3. Cod. de Episcop. audientia,*) qui pluries quàm semel in idem delictum relabitur, non est venia dignus. Et (sicuti dicitur *in eadem lge. 3. & in leg. facultas, Codice. de iur. fisc.*) ex peccandi consuetudine pœna debet augeri: ergo meritò Ecclesia relapsos in hæresim non recipit, sed eos, tanquam homines, qui præsumuntur in hæresis peccato persistere, & solùm conuersionem, ne pœna mortis puniantur, fingere, Curiæ sæculari tradit. 34

Aduerte secundò, quod relapsus & quicumque alius hæreticus, si pertinax sit, igni viuus traditur; quod si pertinax non sit (cùm tamen sit relapsus) priùs strangulatur, & postea igne comburitur. 35

Aduerte tertiò, quod Ecclesia hæretico non relapso, sed ad fidem redeunti vitam condonat, (ita tamen vt eum in perpetuum carcerem includat, bonísque suis expoliet; *cap. Vt commissi de hæretic. in 6.* At verò hæreticum relapsum, etiamsi ad fidem reuertatur, Curiæ sæculari tradit, *cap. Ad abolendam, §. Illos quoque, de hæretic. in 6.* 36

Objicies: *In l. Vltima, Cod. de summ. Trinit. & fid. Cathol.* dicitur, quod Ecclesia nunquam gremium suum claudat redeuntibus: ergo neque etiam gremium suum claudere debebit relapsis. Accedit quod *in cap. Dico 23. q. 4.* habetur: [Peccatores nunquam deserendos, quia homines sunt, persequendam in eis propriam iniquitatem, sed miserandam, & subleuandam communem naturam] 37

Respondetur: Distinguo antecedens: Ecclesia nunquam gremium suum claudit redeuntibus, quoad spiritualia, concedo: quoad temporalia, nego; & quidem de facto Ecclesia relapsis redeuntibus ad fidem Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ non denegat; quamuis illos vita, & bonis temporalibus priuet; & ad id, quod dicitur *in cit. cap. Dico 23. q. 4.* Respondetur eodem modo, ita vt in eumdem sensum interpretanda sint illa vltima verba prædicti Textus, scilicet esse naturam communem subleuandam auxiliis spiritualibus, præbendo reis Sacramenta Ecclesiæ; cùm ibi non dicatur, quod relapsi vita, & bonis suis priuati non debeant.

Vt omittam dici posse, prædictas leges tunc temporis (quando Ecclesia omnes ad fidem redeuntes excipiebat) latas esse, nunc autem, quoniam experientia rerum magistra docuit, ob bonum fidei præstare propter rationes dictas; quod relapsi (etiamsi ad fidem redeant) pœna mortis puniantur, locum non habere, neque seruari.

Vt omittam etiam, Textum illum loqui de homine peccatore in generali; sic Doctores quos sequitur Becanus *de fide, cap. 15. q. 9.* quapropter aiunt; Iudices debere in hæreticis persequi propriam iniquitatem, infligendo illis pœnas à iure constitutas, debere tamen misereri communem naturam, admittendo eosdem ad fructum, & participationem Sacramentorum.

Ex dictis sequitur, quod hæretico relapso administranda sint Ecclesiæ Sacramenta, iuxta Textum *in cap. super eo de hæretic. in 6.* Ibi: [Si tamen posteà pœniteant, & pœnitentiæ signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam sunt humiliter petita Sacramenta Ecclesiæ, nempe Pœnitentiæ & Eucharistiæ deneganda] Et docet Glossa *ibi verb. deneganda,* Io. Andr. *ibid. num. 3.* Io. Monachus *num. 5.* Angel. *verb. hæreticus, num. 19.* Syluester *eodem verbo hæreticus 1. num. 14. & seqq.* Squillacen *tract. de fide Cathol. c. 27. n. 4.* & alij passim. 38

Aduerte quartò, quod relapso, si spontè ad Ecclesiam redeat, & spontè suum errorem coram Inquisitore fateatur, vita condonetur. Locatus *in iudicial. Inquisit. verb. Abiurare, num 4.* Pena *in direct. Inquisit. part. 3. comment 12. vers sed quid si relapsus.* Param. *de orig. S. Inquis. lib. 3. q. 4. in rubr. de forma & ordine iudiciario, num. 12.* 39

num. 12. Repert. Inquiſ. *verb. Relapſus, verſ. ſi tamen, & verb. Miſericordia, verſ. Ego tamen.* Caſtr. *lib. 2. de iuſt. hæretic. punit. cap. 2.* Menoch. *lib. 1 conſil. 82. n.* 168. & alij communiter: Et

Probatur, quia relapſus punitur pœna mortis, & ab Eccleſia traditur Curiæ ſæculari, eo quod cenſeatur eſſe in hæreſi incorrigibilis, & pertinax, & fictè, atque ſimulatè conuerti; ſed in relapſo (qui ſponte ſuum errorem fatetur, & ſponte Eccleſiæ reconciliari humiliter petit,) hæc ratio ceſſat; ergo iura diſponentia, relapſum Curiæ ſæculari tradendum, non loquuntur de relapſo, qui ſponte ad fidem reuertitur.

40 Confirmatur, quia relapſus dicitur, qui poſt abiuratam hæreſim conuincitur iterum in hæreſim reincidiſſe; ſed qui ſponte coram Inquiſitore comparet, & ſponte ſuum errorem fatetur, non propriè, (ſicuti iura de reo conuicto loquuntur) eſt de relapſu conuictus: ergo iura loquentia de relapſo, non loquuntur de eo qui ſponte ad gremium Eccleſiæ reuertitur.

41 Cæterum is dicitur ſpontè venire, & comparere, qui indiciis non præuentus coram Inquiſitoribus compareret; quod ſi hæreticus relapſus compareat ex eo (quia timet, ne ab aliquibus apud Inquiſitores accuſetur, vel facilè id præuidere poteſt.) Tunc non ſponte, ſed ex metu dicetur ad Eccleſiam redire; atque adeò ipſi vita non condonabitur. Sic Doctores, quos ſequitur Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 56. n. 12.* & Paramus *de origin. S. Inquiſit. lib. 3. q. 4. in rubrica de form. & ordin. iudiciar. num. 12.*

PETITIO I.

An hæreticus impunè poſſit occidi?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus impunè poteſt occidi in terris, vbi Catholici non viuunt permixti cum hæreticis, & non gaudet libertate conſcientia, quia in iure diſcernitur eſſe diffidatus.*

2 *Idem etiam dic de credentibus, receptatoribus, fautoribus, & defenſoribus hæreticorum.*

3 *Limita id eſſe faciendum, non propria auctoritate, & priuata, ſed auctoritate publica, & cum magna conſideratione, & ſic ex iuſtiia & magnis cauſis, volente, & præcipiente Principe, & Magiſtratu.*

4 *Hæreticus impunè non poteſt offendi & occidi, niſi fuerit iuridicè declaratus hæreticus, & non ſufficit ſi tantùm fuerit probatus.*

5 *Hæreticus impunè non poteſt offendi & occidi, niſi quando Magiſtratui volenti illum capere, reſiſtentiam inferret; idque fieri debet prudenter, videlicet neceſſitate ſic exigente, &c.*

6 *Percutiens Clericum hæreticum, vtpote qui amiſit Canonis priuilegium propter hæreſim, non eſt excommunicatus.*

1 Reſpondetur affirmatiuè; ſcilicet in terris, vbi Catholici non viuunt permixti cum hæreticis, & non fruitur libertate conſcientiæ.

Probatur, quia *in Auth. Gazaros, Cod. de hæretic.* dicitur, quod hæreticus ſit diffidatus (ſicuti patet ex illis verbis: *Diffidamus atque bannimus*; Idémque habetur in Conſtitutione Clementis IV. *Ad extirpanda, verſ. Idem quoque*: & in Conſtitutione Leonis X. *Exurge Domine, verſ. Necnon*; & Friderici Imperatoris, vbi
2 id etiam extenditur ad credentes, receptatores, fautores, & defenſores hæreticorum; & probant præter alios Peña *in director. Inquiſit. part. 3. tit. de forma denunciandi, commentar. 36. lit. B, verſ. Sed ipſum.* & Scaccia *tract. de Iudic. cauſar. cap. 79. num. 2.*) Ergo ſi hæreticus eſt diffidatus, impunè poterit offendi & occidi. Peña & Scaccia *in locis ſuprà citatis*, & etiam Soccin. *in cap. Excommunicamus 1. de hæretic. num. 12.* Io. Monachus, & Io. Andr. *in cap. Præſidentes de hæretic. lib. 6.* Guundiſaluus *de hæretic q. 24. per totam.* Carter. *tract. de hæretic. num.* 148. & Graffius *lib. 2. deciſion. cap. 11. num. 15.* & colligunt *ex Deuter. cap. 13. & cap. 17. ex Numer. 25. ex lib 4. Regum cap. 22. & 25. & ex lib. 1. Machabæorum cap. 2.*

Aduerte tamen, quod id quod dixi, fieri debeat, non 3
auctoritate propria, & priuata, ſed auctoritate publica & cum magna conſideratione, & ſic ex iuſtis & magnis cauſis, volente & præcipiente Principe, & Magiſtratu (qui in hac ſententia ferenda rationem habere debet ad bonum publicum, Religionem Chriſtianam, & honorem Dei;) & quoneſcumque hæreticus ſua perfecta doctrina alios inficeret, & nullum aliud remedium facilè adhiberi poſſet. Archidiac. *in cap. Præſidentes de hæretic. in 6. num 1.* Geminian. *ibid. num. 7.* Io. Andreas *num. 2.* Franch. *num. 5.* Bonifacius de Vitalinia *in rubrica de crimine hæreſis n. 17.* Royas *in ſingulari fidei 3. n. 31.* Oſtieoſis *in ſumma de hæretic. §. qualiter deuitetur, n. 7.* & alij, quos ſequitur Decianus *in tract. crimin. lib. 5. cap. 42. n. 2.*

Quinimò, quod hæreticus impunè non poſſit of- 4
fendi & occidi, niſi fuerit iuridicè hæreticus declaratus; & non ſufficiat ſi tantùm fuerit probatus, tenent Geminian. *in d. cap. Præſidentes de hæretic. in 6. n. 7.* Franch. *ibid. n. 3.* & Repertor. Inquiſit. *verb. Executio, verſ. ſpoliatio hæreticorum.*

Quinimò etiam, quod hæreticus impunè non poſſit 5
offendi & occidi, niſi quando hæreticus Magiſtratus, volenti illum capere, reſiſtentiam inferret, docent Peña & Scaccia *in locis ſuprà citatis.* Idque adhuc etiam prudenter & non leuiter fieri debet, ſed neceſſitate ſcilicet ſic exigente, & cum aliis circumſtantiis in Iure Ciuili & Canonico requiſitis.

Cæterùm addunt Carter. *tract. de hæretic. n.* 148. & 6
Decian. *cit. lib. 5. cap. 41. n. 12. & cap. 42. n. 2.* quod qui percutit Clericum hæreticum non ſit excommunicatus, cùm propter hæreſim Clericus, vt inquiunt ipſi, Canonis priuilegium amittat.

PETITIO II.

An hæreticus ſepeliri debeat in loco ſacro?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus ſepeliri non debet in loco ſacro, neque pro ipſo orandum eſt, prout decernitur in pluribus Iuribus, & conſtat ex Auctoribus qui recenſentur luculenter.*

2 *Hæreticum ſcienter ſepeliens in loco ſacro, eſt ipſo iure excommunicatus, neque à cenſura excuſabitur, niſi id fecerit cum aliqua ignorantia, iuxta tenorem Textus* in cap. quicumque de hæretic. in 6. *qui loquitur de ſepelientib. hæreticum ſcienter in loco ſacro, non de neſciente.*

3 *Excommunicatus ob dictam cauſam humationis, ſeu ſepultura hæretici, non poteſt abſolui, niſi eiuſdem oſſa, exhumauerit publicè propriis manibus. Quod ſi plures ſepeliuerint, tunc demùm omnes abſoluentur, ſi vnus tantùm extraneus, oſſa exhumauerit.*

4 *Hæretici ſepulti oſſa exhumanda non ſunt, ſi ab oſſibus Catholicorum diſcerni non poſſint.*

5 *Hæreticum in loco ſacro ſcienter ſepeliens, non ſolùm eſt ipſo facto excommunicatus, ſed etiam eſt de hæreſi ſuſpectus, & propterea contra eum, tanquam contra ſuſpectum de hæreſi, procedere poſſunt Inquiſitores.*

6 *Hæreticum ſi ſcienter Clericus ſepeliuerit, eſt priuandus*

dus officiis, ad quæ nunquam absque indultu Sedis Apostolicæ restituuntur.

7 *In loco vbi sepultus fuit hæreticus, nullus alius sepeliri potest.*

8 *Sepeliens hæreticum extra locum sacrum, non incidit in excommunicationem latam* in cap. x. de hæretic. in 6. *licèt sepeliuerit cum Ecclesiasticis cæremoniis.*

9 *Sepultura Ecclesiastica carere dicitur grauis pœna, & grauis ignominia.*

10 *Dicta de priuationis pœna Ecclesiasticæ sepulturæ, & suffragiorum Ecclesiæ contra hæreticum, potiùs intelligi debent ratione hæresis, & impœnitentiæ finalis, quàm ratione excommunicationis.*

1 REspondetur negatiuè, ita vt pro ipso etiam neque orari debeat. Castro *lib. 2. de iust. hær. pun. c. 18. vers. At cum nullus.* Didac. Spin. *in specul. testament. glos. 1. in princ. n. 17.* Syluester *verbo Sepultura, n. 9.* Glirland. *de hæretic. q. 9. n. x.* Carrer. *in Praxi tit. de hæretic. §. nunc de pœnis, n. 6.* Simancha *de Cathol. Institut. tit. 18. n. 7.* Royas *singular. 181.* & Peña *in director. part. 3. schol. 102. vers. sed alterum.*

Probatur, quia sic patet *ex cap. sicut de hæretic.* & notant ibi Glossa *vers. Nec inter Christianos.* Zabarella *in princ.* Ostiensis *n. 2.* Ananias *n. x.* & alij Canonistæ. Sic etiam patet ex Constitutione Leonis X. *Exurge Domine*, apud Peñam inter litteras Apostolicas, & ex Constitutione Martini V. *Inter cunctas*, apud Peñam etiam *loco citato*; sic etiam colligitur *ex cap. Excommunicamus 1. §. credentes de hæretic.* (quatenus ibi de defensoribus & laudatoribus hæreticorum ita statuitur: [Sanè Clerici non exhibeant huiusmodi pestilentibus Ecclesiastica Sacramenta, nec eos Christianæ præsumant tradere sepulturæ.] Quod multò magis locum habere debet in ipsis hæreticis, vti rectè notant ibi Zabarella *n. 6.* Butrius *n. 38.* & Ananias *n. 10.*) Et sic tandem etiam colligitur *ex cap. Sacris de sepulturis*; quatenus ibi de excommunicato ita decernitur: [Sacris est Canonibus institutum, vt quibus non communicamus viuis, non communicemus defunctis, & vt careant Ecclesiastica sepultura, qui priùs erant ab Ecclesiæ vnitate recisi.]

2 Aduerte tamen, quod qui scienter hæreticum in loco sacro sepeliuerit, sit ipso iure excommunicatus, *cap. Quicumque de hæretic. in 6.* Ibi. [Quicumque hæreticos scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ, excommunicationis sententiæ se nouerint subiacere.] Quod præter alios notat ibi Franchus *n. 2.* idemque habetur in Constitutione Nicolai III. quæ incipit: *Nouerit vniuersitas*, apud Peñam inter literas Apostolicas; quapropter ab excommunicatione ista & ab aliis pœnis excusatur, qui hæreticum in loco sacro cum aliqua ignorantia, quod ille fuerit hæreticus, sepelierit; cùm in *d. cap. Quicumque*, dicatur: [Quicumque hæreticos scienter præsumpserint Ecclesiasticæ tradere sepulturæ.] Et notant ibi Glossa *verbo Scienter.* Archidiac. *num. 6.* Nauarr. *cons. 11. de hæretic.* & alij passim Canonistæ.

3 Aduerte secundò, quod ab hac excommunicatione, qui eam contradixit, non possit absolui, nisi hæretici sepulti ossa exhumauerit, *c. 2. de hæretic. in 6.* Ibi: [Nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publicè extumulent, & proiiciant huiusmodi corpora damnatorum.] Et notant ibi Glossa *verbo propriis manibus.* Archidiac. *n. 7. & seqq.* Franch. *n. 3.* & alij communiter. Quod si plures hæreticum scienter sepelierint, & ab vno, (quamuis sit extraneus) ossa fuerint extumulata, tunc omnes ab excommunicatione prædicta absolui poterunt. Geminian. *in d. c. 2. n. 15.* Franch. *n. 3.* & alij plures.

4 Aduerte tertiò, quod exhumanda tamen ossa hæretici sepulti non sint, si ab ossibus Catholicorum discerni non possint. Sic Doctores communiter cum Glossa *in d. c. Quicumque de hæret. in 6. verbo Extumulent*; & id satis colligitur *ex c. Sacris de sepulturis*, vbi (cùm fiat mentio de excommunicato) dicitur, quod eius ossa non sint exhumanda, si à Catholicorum ossibus discerni non possint.

5 Aduerte quartò, quod qui hæreticum in loco sacro scienter sepelierit, non solùm sit ipso iure, seu ipso facto excommunicatus, sed etiam sit de hæresi suspectus, vt propterea contra eum, tanquam contra suspectum de hæresi, procedere possint Inquisitores. Ita Doctores, quos sequitur Peña *in director. Inquisit. part. 3. q. 40. comment. 89 vers. Sed alterum.*

6 Aduerte quintò, quod qui hæreticum, vel etiam hæretici fautorem in loco sacro scienter sepeliuerit, sit Clericus, priuetur officiis, ad quæ nunquam absque indultu Sedis Apostolicæ restituuntur, *c. Excommunicamus 1. §. credentes, de hæretic.* & notant ibi præter alios Glossa *verbo Apostolic.* Butrius *n. 39.* Ananias *num. 4.* & Soccinus *n. 49.*

7 Aduerte sextò, quòd in loco vbi sepultus fuit hæreticus, nullus alius sepeliri possit; *c. 2. de hæretic. in 6.* Ibi: [Et locus ille perpetua careat sepultura.] Et notant ibi Glossa *verbo Locus.* Geminianus *n. 3.* Franch. *in princ.* Royas *singul. 102.* & alij passim.

8 Aduerte septimò, quod non incidat in excommunicationem latam *in c. 2. de hæretic. in 6.* is qui sepeliuerit hæreticum extra locum sacrum, tamen si illum sepeliuerit cum Ecclesiasticis cæremonijs. Ledesma 2. *part. q. 26. art. 2. excommun. 27.* & alij, quos sequitur Suarez *tom. 5. de censur. disput. 1x. sect. 4. n. 13.* quia in illo Textu dicitur, quod *Locus ille careat perpetua sepultura:* Quæ verba supponunt, quod dictus locus debeat esse ad fideles sepeliendos deputatus; tum quia is, qui extra locum sacrum, consuetis cæremoniis, & solemnitatibus adhuc adhibitis sepultus fuit, non dicitur propriè loquendo, frui Ecclesiastica sepultura; licèt in contrarium inclinare videantur Angelus *verbo excommunicatio 7. cas. x8. & verbo hæreticus, n. 19.* Syluester *verbo Excommunicatio 9. n. 58.* & S. Antoninus *part. 3. tit. 24 c. 5. apud Suarez loco suprà citato.*

9 Cæterùm, quàm grauis pœna & quàm grauis ignominia sit, quod quis careat Ecclesiastica sepultura, videri poterit Assinius *in l. 4. §. sed tunc locus, ff. de Relig. & sumpt. funer n. 112.* Gulielmus Benedic. *in c. Raynutius verbo, Mortuo itaque Testatore, n. 50.* Repertor. Inquisit. *verbo, Sepultura.* Couarruu. *lib. 2 var. c. 1. n. 10.* Anton. *c. de iure non scripto, lib. 3. c. 99.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 18 n. 9* Ruland. *vol. 3. cons. 20, n 27.* Castr. *lib. 2. de iust. hæret. punit. c. 18. & lib. 13. aduersùs hæreses, verb. sepultura.* Contad. Brun. *de cæremon. Ecclesiast.* Paulus Fuscus *de visitat. lib. 1 c 25. n. 4.* & Petr. Pechius *de iure sistend. c 5. n. 17.*

10 Aduerte octauò, quod quæ dicebam, scilicet quod hæreticus non debeat sepeliri in loco sacro, neque pro ipso orari, quodque qui contrarium scienter fecerit, incurrat excommunicationem, aliásque pœnas (quæ suprà dicebantur) intelligi debeant potiùs ratione hæresis & impœnitentiæ finalis, quàm ratione excommunicationis; cùm licèt quis sit excommunicatus, etiam notorius, dummodò non sit nominatim denunciatus, vel publicus Clerici percussor, qui nulla tergiuersatione celari possit) post Extrauag. *Ad euitanda*, ex decreto Concilij Constantiensis sub Martino V. non sit necessariò vitandus, sed sicut possumus communicare cum illo viuo, sic etiam possumus communicare cum illo eodem defuncto.

* * *

PETITIO

PETITIO III.

Quandonam & qualiter Clericus hæreticus debeat degradari?

SVMMARIVM.

1 *Clericus hæreticus debet degradari, quando traditur Curiæ sæculari ex pluribus deductis.*
2 *Clericus hæreticus debet degradari, quando condemnatur ad perpetuum carcerem.*
3 *Clericus debet, secundùm probabiliorem, degradari quando condemnatur ad perpetuum carcerem ob crimen hæresis, non ob alia crimina.*
4 *Item debet degradari, quando condemnatur ad perpetuas triremes.*
5 *Clericus quando condemnatur ad perpetuos carceres, vel triremes, non degradatur realiter, seu actualiter, sed solùm verbaliter, ex benignitate S. Inquisitionis, non autem de rigore iuris.*
6 *Degradatio duplex est: vna realis, seu actualis: altera verò verbalis, & quid vtraque sit?*
7 *Degradatio realis, seu actualis, propriè est degradatio, quæ in Ecclesiastico foro æquiparatur separationi animæ à corpore, & verbalis degradatio potiùs dicenda est depositio.*
8 *Degradatio & depositio, quinetiam & suspensio sæpè confunduntur, & pro vno & eodem sumuntur.*
9 *Clericus depositus & degradatus verbaliter, gaudet priuilegio Canonis* 17. q. 4. cap. si quis suadente diabolo.
10 *Clericus pariter depositus, seu degradatus verbaliter, si similiter viuat instar Clericorum, & deferat habitum & tonsuram, gaudet etiam priuilegio fori, ita vt non possit conueniri coram Iudice sæculari, nec capi, nec puniri à Iudice laico, nisi tradatur Curiæ sæculari à Iudice Ecclesiastico.*
11 *Clericus depositus, seu degradatus verbaliter gaudet vtroque priuilegio tam Canonis, quàm fori, si non sit incorrigibilis, secùs si fuerit incorrigibilis, quia eo casu amittit vtrumque.*
12 *Clericus degradatus realiter amittit etiam vtrumque priuilegium Canonis & fori.*
13 *Percutiens Clericum degradatum realiter, vel Clericum depositum, seu degradatum verbaliter, sed incorrigibilem; non incurrit excommunicationem Canonis* si quis suadente, *& potest Iudex sæcularis illum capere & punire.*
14 *Vterque prædictorum Clericorum, tam realiter, quàm verbaliter degradatorum, licèt modo prædicto amittant dicta priuilegia, non tamen liberantur onere recitandi diuinum Officium, si habeant ordinem sacrum; quemadmodum neque liberatur excommunicatus, suspensus & interdictus.*
15 *Idem docent alij de Clericis damnatis ad triremes, quamuis alij probabiliter sentiant oppositum.*
16 *Depositionis pœna imposita in iure, intelligi debet de depositione verbali, quia in pœnalibus mitior & benignior pars est eligenda.*
17 *Clericus in quibus casibus degradatur, & brachio sæculari traditur, est pœna mortis afficiendus.*
18 *Degradatio pro nullo crimine imponitur (quamuis graue fuerit) nisi in iure fuerit id expressum.*
19 *Clericus absens, quando degradatur verbaliter, & per sententiam relinquitur curiæ sæculari, potest tunc à Iudice sæculari etiam pœna mortis, sine alia degradatione reali, seu virtuali puniri: meliùs tamen quod priùs degradetur realiter, &c.*
20 *Degradationis cærimonia, seu solemnitas erga Clericum absentem vbinam habeatur?*
21 *Sacerdotis ad degradationem requiruntur Episcopi sex, ad Diaconi tres; at cùm quilibet ipsorum degradatur propter hæresim, sufficit solus Episcopus, præsentibus tamen Abbatibus & Prælatis suæ Diœcesis. Quod est speciale in isto crimine hæresis.*
22 *Sententia quando profertur in hæreticum absentem, poni debet in loco publico eius statua, seu imago, quæ habeat infixum nomen & cognomen hæretici, cuius memoria damnatur, & quæ statim curiæ sæculari detur vt comburatur.*
23 *Idem fit, quando post mortem quis condemnatur de crimine hæresis, in quo casu etiam coram prædicti hæretici statua, seu imagine omnes illius, ac si tunc viueret, hæreticales errores recitantur, & prædicta statua, vel imago comburitur à Iudice sæculari.*
24 *Criminis propter grauitatem etiam post mortem delinquentis aduersùs illum proceditur & inquiritur, licèt cessante criminis grauitate pœna delinquentis morte extinguatur.*

RESpondetur: Clericus hæreticus debet degradari, quando traditur Curiæ sæculari. Clar. *in §. final. q.* 36. *n.* 35. Couarruu. *in practic. q.* 32. *n.* 5. Scaccia *de iudic. caus. lib.* 1. *c.* 11. *n.* 76. *&c.* 98. *n.* 4. Anton. Scapp. *de iur. non script. lib.* 5. *c.* 140. *n.* 10. Diaz *c.* 97. *n.* 4. & ibi Salsedo, Bobadilla *lib.* 2. *c.* 18. *n.* 54. *&* 76. Farinac. *lib.* 1. *q.* 8. *n.* 78. & alij communiter. 1

Probatur *ex c. Ad abolendam, §. præterea de hæret.* Ibi: *Totius Ecclesiastici Ordinis prærogatiua nudetur.* Et docent ibi Ostiensis *n.* 6. Zabarella *in princ.* Abbas *n.* 1. *&* 5. Ancharan. *n.* 4. Ananias *n.* 6. Io. Andr. *in princ.* & Butrius *n.* 1. Probatur etiam *ex c. Excommunicamus* 1. *§. damnati, & ex capite excommunicamus primo, §. damnati de hæretic.* Ibi: *Clericis priùs à suis Ordinibus degradatis.* Probatur etiam tandem ex Constitutione Innocentij IV. & Nicolai III. *Nouerit vniuersitas, vers. damnati*; & ex Constitutione Martini V. *inter cunctas, vers. Similiter Clerici.*

Item secundò Clericus debet degradari, quando condemnatur ad perpetuum carcerem propter crimen hæresis. Sic Doctores quos sequitur Peña *in direct. Inquis. part.* 3. *comment.* 46. *n.* 202. *litt. F, verb. & consequenter.* (Vbi subdit, sic decisum fuisse ab Vrbano IV. in quodam rescripto quod ibi refertur;) & patet *ex c. de hæretic. in* 6. & docent ibi Glossa *in princ.* Archidiacon. *n.* . Geminian. *n.* 3. & Franch. *n.* 2. Et patet etiam ex Constitutione Alexandri IV. *Quod super vers. quæstioni verò,* apud Peñam *loco suprà citato.* 2

An autem Clericus debeat similiter degradari, quando damnatur ad perpetuum carcerem etiam ob aliud crimen, quam ob crimen hæresis. 3

Respondetur, quod (quamuis nonnulli cum Arnald. Albert. *in c.* 1. *de hæretic. in* 6 *num.* 17. *&* 28. affirment.) Probabiliùs tamen alij cum Francho *in eo capite n.* 5. negent, ita vt Clericus debeat tantùm degradari, quando condemnatur ad perpetuos carceres ob crimen hæresis, & non ob alia crimina.

Item tertiò Clericus debet degradari, quando condemnatur ad perpetuas triremes. Peña *vbi suprà n.* 201. Campeg. *in Addit. ad Zanchin. tract. de hæretic. c.* 50. *litt. G. verb. Pœnas,* & alij. 4

Aduertenda.

Aduerte tamen hîc, quod quando Clericus condemnatur ad perpetuos carceres, vel triremes, non degradetur realiter, seu actualiter, sed solùm verbaliter. Peña & Campeg. *in locis suprà citatis*; vbi tamen subdunt, quod degradetur tantùm verbaliter ex benignitate Sanctæ Inquisitionis, non autem de rigore iuris, quia de rigore iuris deberet degradari realiter, ; & ideò aliquando talis Clericus realiter degradatus sit. Videantur Peña, & Campegius *vbi suprà.* 5

Videri etiam poterunt Repertorium Inquisit. *verb. Degradatio, vers. degradatio autem* & Locat. *in indic. Inquis. verb. degradatio, n.5.* qui aiunt, quod Clericus in minoribus Ordinibus constitutus, semper degradetur solùm verbaliter, & nunquam realiter, etiam in casu quo morti tradendus fuerit.

6 Aduerte secundò, quod ex dictis, & *ex c. degradatio, de pœnis in 6.* (quia de re etiam Soccin. Iun. *in c. Pernenit, n.132. de sentent. excommunic.* Speculator *in tit. de accusation. §.2.* Menoch. *de arbitr. cas. 415. n. 4.* Iul. Clar. *in §. final. q.74.* Scaccia *tract. de iudic. part. 1. c. 11. n.71.* Zerola *in Praxi Episcop. verb. degradatio in princ.* & Farinac. *in tract. crimin q.8. n.71.*) duplex sit degradatio: vna realis, seu actualis; altera verbalis.

Verbalis est, cùm ab Episcopo contra Clericum profertur sententia, cuius vigore priuatur ille Ordinum susceptorum executione, seu ministerio; Actualis autem est, cùm Clericus per sententiam non solùm priuatur Ordinum susceptorum executione, seu ministerio, sed etiam actualiter & personaliter priuatur & spoliatur Ordinibus Ecclesiasticis. Abbas *in c. Qualiter, & in c. Quando n.10 de accusation. & in c. At si Clerici, §. de Adulteriis, n.14 de Iudiciis.* & alij cum Glossa *in c. Ideò, verb. Ac restitutionibus 2. q.6.*

7 Et hæc degradatio posterior propriè est degradatio (quæ in Ecclesiastico foro æquiparatur separationi animæ à corpore, sicuti præter alios notant Candelabrum *part. 3. tract. de deposition & degradation. n.7.* & Maiolus *de irregularit. lib. 3. c.22. n.2.*) quia degradatio prior illa verbalis potiùs dici debet depositio.

Et quidem, quod depositio & degradatio verbalis sint vnum & idem, patet *ex c. degradatio de pœnis in 6. & ex c. si quis lacus 12. q. 3.* & tradunt Io. Aloys. de Leo *in l. Officiale, Cod. de Episcop. & Cleric. n.14.* Iul. Clar. *in §. final. q. 74. in princ.* Peña *in director. Inquis. scholio 69. col. 5.* Farinac. *in tract. crimin q.8. n.72.* Flamin. Chartar. *in tract. de execut. sent. capit. Bannit. c. 1. num. 289.* Menoch. *de arbitr. cas. 415. n.5. & 7.* Scaccia *tract. de indic. part. 1. c.11. n. 71.* & Grass. *de effect. Cleric effect. 1. num. 816.*

8 Et quod degradatio & depositio, quin etiam & suspensio sæpè confundantur, & pro vno & idem sumantur, patet etiam *ex c. Sacerdos, c. Dictum est, c. Clericus, & c. Archidiaconus, dist. 81.*

9 Aduerte tertiò, quod Clericus depositus, seu degradatus verbaliter, gaudeat priuilegio Canonis 17. *q. 4. cap. Si quis suadente Diabolo*; ita vt qui illum percusserit, incurrat excommunicationem prædicti Canonis. Glossa *in c. Degradatio, verb. Priuilegio Clericali de pœnis in 6.* Quod tamen intellige, si prædictus Clericus viuat instar Clericorum, & deferat habitum & tonsuram. Glos. *in c. Ex parte, de Cleric. coniug. verb. sæculariter.* Abb. *in c. Ad abolendam de hæret. n.11. & in c. Nominis de verb. signif. n.2.* Enriquez *lib. 13. c. 55. n.3.* Tolet. *lib. 1. c. 17.* & alij communiter.

10 Aduerte quartò, quod Clericus similiter depositus, seu degradatus verbaliter, (si similiter viuat instar Clericorum, & deferat habitum & tonsuram) gaudeat etiam priuilegio fori; ita vt non possit conueniri coram Iudice sæculari, nec capi, nec puniri à Iudice laïco, nisi tradatur Curiæ sæculari à Iudice Ecclesiastico Dec. *in l. In omnibus causis, de reg. iur. num. 18* Clar. *q.36. num. 32. & seqq.* Syluester *verbo Degradatio primo num. 8.* Peña *in director. Inquis. part 3. sc ol. 49. §. Postremò quamuis.* Maranta *in Practica part. 4. d. 11. num. 71.* Menochius *lib. 8. cons. 789. num 9.* Scaccia *tract. de indic. part. 1. c. 11. num. 73.* Salfido ad Diaz *cap 115. circa finem, & c. 139. vers. Et cum Clericus, & cap. 140. littera C, vers. Nam quando.* Farinacius *lib. 1. quæst. 8. num. 73.* Bobadilla *lib. 2. cap. 12. num. 38.* & Grass. *de effect. Clericat. effect. 1. num. 824.*

11 Cæterùm, (cùm dixi, quod Clericus depositus, seu degradatus verbaliter, gaudeat vtroque priuilegio Clericali, Canonis scilicet & fori) intellige, si talis Clericus depositus, seu degradatus verbaliter, non sit incorrigibilis, quia si incorrigibilis fuerit, amittit vtrumque prædictum priuilegium. Angelus *verbo degradatio, n. 1.* Syluester *n.8.* Nauarr. *c.27. n.81.* & Bernard. Diaz *in practica cap. 139.*

Aduerte quintò, quod ècontra Clericus degradatus 12
realiter amittat etiam vtrumque priuilegium, Canonis scilicet & fori; *c. Degradatio de pœn. in 6.* & Doctores communiter *in locis suprà citatis*, cum Decio, Claro, & aliis, quos in principio præcedentis aduertendi citabam. Et quidem quod Clericus degradatus realiter possit coram Iudice sæculari conueniri, & ab illo etiam sine alia traditione capi & puniri, docent Abbas *in c. Tuæ, n. 2. de pœnis in 6. & in c. Ex parte n. 3. de Cleric. coniug.* Franch. *in c. 1. §. finali de præbendis in 6.* Syluester *verbo Iudex primo, num. 4.* Menoch. *de arbitr. cas. 415. num. 6* Roland. *lib. 1. cons. 4 num. 24.* Bernard. Diaz *in Practic. n. 133.* Bobadilla *lib. 2. c.18. num. 38. & 74.* Alciatus *in c. Cùm non ab homine, de iudic. num. 108.* Farinacius *in tract. crimin. q 8. num. 73.* Grass. *de effect. Cleric. effect. 1. n 823.* Viuius *lib. 1. commun. opinion. litt. C. n. 61.* Beroius *in c. At si Clerici, n.173. de iudiciis.* Bossius *in criminal. tit. de foro competen. n. 140.* Maranta *in Practica part. 4. d. 11. n. 71.* Peña *in director. part. 3. comment 49.* Chartar. *in tract. de execut. sentent. Capt. Bannit. cap. 1. n. 286.* & Scaccia *tract. de indic. part. 1. cap. 11. n. 58.* qui tres vltimi Doctores subdunt, idem esse quod Clericus degradetur realiter, ac si, præcedente tamen degradatione verbali, tradatur Curiæ sæculari: quod Scaccia *loco suprà citato n. 76.* asserit esse certum.

Ex quibus sequitur, quod qui percusserit Clericum 13
degradatum realiter, vel Clericum depositum, seu degradatum verbaliter, sed incorrigibilem, non incurrat excommunicationem Canonis, *Si quis suadente diabolo*, & quod nòn prohibeatur Iudex sæcularis capere & punire talem Clericum.

Cæterum (quamuis vterque prædictus Clericus 14
amittat vtrumque prædictum priuilegium, scilicet Canonis & fori) non tamen propterea, si habeat Ordines sacros, liberetur ab obligatione recitandi diuinum Officium. Angel. *verb. Degradatio, n.4.* Syluester *eodem verbo q. 8.* Tabiena §. 2. & Nauarrus *de oratione cap. 7. num. 17. & cap. 21. num. 17.* Quemadmodum neque liberatur a prædicta obligatione recitandi prædictum diuinum Officium is qui fuerit excommunicatus, suspensus, vel interdictus. Syluester *verb. Hora, q.3.* & Nauarr. *cit. cap. 7. n 17.* quia par non est, vt quis ex delicto commodum reportet, & soluatur vinculo obligationis præcedentis, præsertim cùm recitatio diuini officij ei pœnæ non repugnet. Idem tradunt aliqui de damnato ad 15
triremes, quamuis alij probabiliter sentiant oppositum, quia dum per vim in illo supplicio destinetur, satis habet afflictionis; tum quia rarò tunc habet animum paratum ad recitandum diuinum Officium; tum quia cederet in dedecus Ordinis Ecclesiastici, si scilicet recitando diuinum Officium in illa hominum colluuie ostenderet statum suum, quod sit in sacris.

Aduerte sextò, quod cùm in iure imponitur pœna 16
depositionis, intelligi debeat de depositione verbali. Enriquez *lib. 13. de excommun c. 55. n. 5.* Bernard. Diaz *in Pract. c. 140. n. 4.* & alij passim, quia in pœnalibus & odiosis mitior & benignior pars est amplectenda, & in dubio standum est potiùs pro Reo.

Aduerte septimò, quod in omnibus illis casibus, in 17
quibus Clericus degradatur, & brachio sæculari traditur, talis Clericus sit pœna mortis afficiendus. Sic Doctores communiter, quos sequitur Auila *de censur. par. 4. dub. 3 circa fin* Pro nullo tamen crimine (quamuis graue fuerit) imponitur degradatio, nisi in iure fuerit id expressum. Couarruu. *lib. pract. quæst. 32. n. 2.* Bernard. Diaz *in practica c. 140. n. 1.* Enriquez *lib. 13. c. 55. n. 5.* Casus verò in quibus Clericus possit degradari, tradunt Couarruu. *loc. suprà cit.* Farinac. *lib. 1. q. 8. n. 47. 57. & 58.*

Bernard.

Bernard. Diaz *vbi suprà c. 97. n. 4.* & ibi Salsedo *& in Addit. c. 139.* & Garzias *de Nobilitat. gloss. 9. n. 29.*

19 Aduerte octauò, quod quando degradatur verbaliter, & per sententiam relinquitur Curiæ sæculari, Clericus absens possit tunc à Iudice sæculari, etiam pœna mortis, sine alia degradatione reali, seu actuali puniri. Peña *in director. part. 3. comment. 49. §. præterea dico.* & Chartar. *de execut. sentent. capt. bannit. c. 1. num. 288.* qui tamen subdunt, meliùs esse quod priùs degradetur realiter, seu actualiter, & quod Iudex sæcularis petere debeat à Prælato Ecclesiastico, vt sic realiter scilicet eum degradet. Angel. de Castro *inter consil. criminal. diuers. consil. 37. tom. 2.* & alij, quos sequitur Farinac. *lib. 1. quæst. criminal. q. 8. n. 109.*

20 Quænam autem forma, seu quænam cæremonia & solemnitas adhibenda sit, quando degradatur Clericus absens, habetur *in director. Inquis. part. 3. n. 215.* & tradit ibi Peña *comment. 49. littera D.* Aloysius de Leo *in l. Officiales, Cod. de Episcop. & Cleric. num. 15.* Menoch. *de arbitr. cas. 415. num. 8. & seqq.* Scaccia *tract. de iudic. part. 1. cap. 11. num. 73. & seqq.* Maranta *in Practica part. 4. d. 11. num. 71. & 72.* & Farinacius *in tract. crimin. q. 8. num. 72.* & habetur etiam *in Pontificali Romano pag. 190.* & quænam forma adhibenda sit quando degradatur Clericus præsens, habetur *in cap. Degradatio, de pœnis in 6. in cap. Cùm ab homine de iudic. in cap. Nouimus, de verb. signific. in cap. Non potest de re iudic. & in cap. Felix V. q. 7.* & habetur etiam in Tridentino *sess. 13. cap. 4. de reformat.* & in Repertorio Inquisit. *verbo Degradatio, vers. Forma autem*, & tradit Mandosius *ibi litt. B.*

21 Cùm degradatur Sacerdos, interesse debent Episcopi sex, cùm verò degradatur Diaconus interesse debent Episcopi tres; *c. Si quis tumidus cum duob. seqq. 15. q. 7.* At cùm quilibet istorum degradatur propter hæresim, sufficit solus Episcopus, præsentibus tamen Abbatibus & Prælatis suæ Diœcesis: quod est speciale in isto crimine hæresis; *c. 1. de hæretic. in 6.* Ibi: *Quoniam Episcoporum numerus ad degradationem Clericorum à Canonibus constitutus non potest de facili conuenire concedimus, vt Sacerdotem, vel alium Clericum in sacris constitutum.* Cùm pro hæresi fuerit sæculari Curiæ relinquendus, aut perpetuò carcerandus, conuocatis Abbatibus, aliisque Prælatis & religiosis personis, & litteratis suæ Diœcesis, de quibus expedire videbitur, vnus solus Episcopus possit degradare. Et tradunt præter alios Simanch. *de Cathol. Institution. tit. 46. n. 69.* & Peña *in directorio part. 3. comment. 45. vers. Olim autem.*

Cæterùm, quandonam Clericus amittat priuilegium Canonis, fori, vel exemptionis gabellarum, & quandonam & qualiter degradari debeat in criminalibus, satis dixi *in tract. de Immunit. & Iurisdict. Ecclesiastica, præsertim Tomo priori.*

22 Aduerte nonò, quod quando sententia profertur in hæreticum absentem, poni in loco publico debeat eius statua, seu imago, quæ habeat infixum nomen, & cognomen hæretici (cuius memoria damnatur) & quæ statim Curiæ sæculari detur vt comburatur. Scaccia *de iudic. caus. cap. 98. num. 4.* Simanch. *de Cathol. Institut. tit. 2. num. 8. & in Enchiridion. tit. 45. num. 4.* Paramus *de orig. Sanctæ Inquisit. lib. 3. q. 4. num. 87.* Peña *in director. part. 3. comment. 46. n. 216. vers. Contra verò.* Royas *singul. 134. n. 10.* & Campegius *ad Zanchin. tract. de hæretic. c. 18. litt. B.*

23 Quod etiam fit, quando post mortem quis condemnatur de crimine hæresis. Royas *citato singul. 134. num. 10.* Farinacius *q. 10. num. 38.* & Peña *citata part. 3. comment. 91. §. contra verò*, qui subdit, quod coram prædicti hæretici statua, vel imagine, omnes illius, ac si tunc viueret, hæreticales errores recitentur, & prædicta statua, vel imago comburatur à Iudice sæculari; qui idem Peña *comment. 49. vers. Quando cœperit*, subdit etiam, quod hic modus comburendi statuam, vel imaginem hæretici absentis non sit antiquus; cùm olim ossa defuncti hæretici exhumarentur, & Ecclesiastica sepultura priuarentur.

Objicies: crimen & pœna delinquentis morte extinguitur, (vti constat *ex l. defuncto, ff. de public. iudic.* Ibi: *Defuncto eo qui fuit reus criminis, & pœna extincta est.* Et quod crimen & pœna delinquentis morte ipsius extinguatur, tradunt etiam Peregrinus *de iur. fisc. lib. 4. tit. 5. in princ.* Iulius Clarus *in final. quæst. 51. num. 12.* Gomez *de delictis, cap. 1. num. 18.* Dueñas *regul. 173.* Royas *singul. 50. & singul. 134.* Sebastianus Medices *in tract. Mors omnia soluit, part. 2. conclus. 2. in princ. & conclus. 27. num. 76. & conclus. 32. num. 86.* Simancha *de Cathol. Institut. tit. 18. n. 2.* & alij passim. Videri poterit etiam Stobæus *serm. 122.* vbi ait: *Viuos castigare decet & non mortuos; quid enim iuuat mortuos qui ampliùs non sunt affligere?* Et Fabius *declamat. 12.* vbi inquit, mortem finem esse, nec sæuitiam vltra facta procedere, esséque eum valdè crudelem, qui adeò hominem exuit, vt ibi pœnam quærat, vbi sensum doloris non inueniat) Ergo post mortem hæretici non est illius statua, vel imago comburenda. 24

Respondetur: Distinguo antecedens: Regulariter (si scilicet sint alia crimina, præter crimen hæresis, & læsæ Majestatis humanæ) concedo: specialiter (si scilicet sit crimen hæresis, vel læsæ-Majestatis humanæ) nego; quia propter grauitatem criminis, etiam post mortem delinquentis, aduersùs illum proceditur & inquiritur, vt patet ex dictis, & docent præter alios Clarus *loco suprà citato, num. 13. & in §. læsæ Majestatis, num. 16.* Gomez *tom. 3. de delictis, cap. 1. num. 80. & cap. 2. num. 12.* Royas *citato singul. 50. & citato singul. 134 num. 9.* Romanus *singul. 436.* Dueñas *vbi suprà.* Sebastianus Medices *cit. conclus. 2. num. 8.* Lancillotus *Instit. Canonic. lib. 4. tit. de hæretic. §. post mortem, & §. hæresis, num. 21.* Simancha *in Enchiridion tit. 55. num. 3. & tit. 62. num. 3.* Peña *in director. part. 3. comment. 42. vers. In crimine tamen.* Peregrinus *de Iur. fisc. lib. 4. tit. 5. num. 19.* & Gigas *de crimine læsæ Majestatis, lib. 1. tit. Qualiter in crimine læsæ Majestatis procedatur, qu. 20. num. 3.*

PETITIO IV.

An Inquisitores, & alij Iudices Ecclesiastici, reum Iudici sæculari mortis pœna puniendum tradentes, si illè mortis pœna de facto puniatur, incurrant irregularitatem? Vbi etiam, an possint illum sic tradere, & à principio (si sit Religiosus, Nobilis, vel aliqua ratione insignitus) ad carcerem apprehendere, inconsulto supremo Senatu Sanctæ Inquisitionis?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores, & alij Iudices Ecclesiastici, reum Iudici sæculari tradentes, si ille pœna mortis afficiatur, non incurrunt irregularitatem, ex Summorum Pontificum Constitutionibus, quæ recensentur, & quia rogant Iudicem sæcularem, vt misericorditer se gerat contra talem reum, qua protestatione præmissa, nullam incurrunt irregularitatem.*

2 *Inquisitores etiamsi protestationem non præmittant, quinetiam prorsùs & omittant, nullam adhuc irregularitatem incurrunt. Idémque procedit etiam in Fiscali, secretario, denunciatoribus, & aliis Officialibus in Tribunali Inquisitionis.*

3 *Inquisitores, si Iudex sæcularis differat executionem, possunt contra eum instare, vt sententiam exequatur, alioquin eumdem de hæresi suspectum habebunt, & tamen adhuc nullam irregularitatem incurrent, contra nonnullos oppositum sentientes.*

4 *Inquisitores, cùm tradunt hæreticos Curiæ sæculari puniendos, non tenentur præmittere protestationem.*

5 *Idémque dicas de fiscali, secretario, denunciatoribus, & aliis S. Inquisitionis Officialibus.*

6 *Inquisitor si quis irregularitatem aliquo modo forsan incurrat, alter potest cum illo dispensare ex priuilegio quodam Vrbani III.*

7 *Inquisitores non possunt relaxare reum brachio sæculari, quin neque in Inquisitione Hispanica illum possunt (si sit Religiosus, Nobilis, vel aliqua ratione insignitus) à principio comprehendere ad carcerem, inconsulto supremo Senatu Sanctæ Inquisitionis.*

1 RESpondetur negatiuè, Couarruu. *in Clem.* 1 *part.* 2. §. 5 *n.* 6. Simanch. *de Cathol. Instit. c.* 34. *n.* 48. Felic. *de cens. cit. de Irreg. c.* 2. *de* 1. *specie Irregularitatis, quæ contrahitur extra bellum, vers. Inquisitor tradens.* Didac. Perez *lib.* 8. *tit.* 4. *l.* 3. *vers. sed dubium occurrit.* Alphons. de Azeued. *ad Cur. Pis. lib.* 2. *c.* 21. *n.* 1. Peña *in director. part.* 2. *comment.* 20. *& part.* 3. *q.* 36. *comment.* 85. *in fine.* Thom. Zerola *in Prax. Episcop. p.* 1. §. *heretici n.* 12. Sayr. *de censur. lib.* 6. *cap.* 18. *n.* 15. Auila *de censur part.* 7. *disp.* 5. *sect.* 2. *dub* 2. Medina *in summa lib.* 11. *c.* 1. §. 10. *reg.* 4. Armilla *verb. Irregularitas, n.* 14. Maiol. *de irregularit. lib.* 2. *c.* 9. *& lib.* 5. *c.* 48. §. 2. *n.* 9. Scottia *Epitom* 10. *Theorem.* 34. Viuald. *de Irregul. ex homicidio volunt. n.* 246. & alij passim.

Probatur, quia sic patet ex quadam Bulla Pauli IV. Cardinalibus concessa (quam postea ad tollendos omnes scrupulos, ne periculo irregularitatis incurrendæ Ministri Sanctæ Inquisitionis ab officio retardarentur; confirmauit Pius V. qui illam extendit ad omnes Inquisitores, eorúmque Vicarios, Commissarios, Consultores, & alios prædictæ Sanctæ Inquisitionis Ministros, quantumcumque & quomodocumque ad hæreticorum condemnationem concurrat,) sic etiam patet ex altera Bulla prædicti Pauli IV. (quæ incipit: *Cum ex Apostolatus*, & refertur in Bullario, & est 19. inter Constitutiones eiusdem Pauli IV. *tomo* 1.) Apud Pesiam inter literas Apostolicas *fol.* 157. in qua similiter habetur. quod Inquisitores quantumcumque & quomodocumque procedentes aduersus hæreticos, nullarum pœnarum & censurarum sententias incurrant, & vlterius ratio est, quando Inquisitores, & alij Iudices Ecclesiastici, tradunt mortis pœna puniendum hæreticum, vel alium reum Iudicibus sæcularibus, rogant eos, vt erga talem reum misericorditer se gerant, qua protestatione facta nullam incurrunt irregularitatem, *ex c. Nouimus, de verb signific.* tum quia ex dictis Bullis Inquisitores, aliique Iudices & Ministri Ecclesiastici, solùm prohibentur exequi sententiam mortis: Ergo, &c.

2 Quapropter Henriquez *lib.* 14 *c* 12. *n.* 5. *litt. B*, in Glossa, Peña, Maiolus; Sayrus, Scottia, Zerola, & Auila, *in locis suprà citatis*, tenent, quod Inquisitores, etiamsi protestationem non præmittant, quinetiam prorsùs eam omittant, nullam adhuc (quod idem de fiscali, secretario, denunciatoribus, & aliis Officialibus in Tribunali Sanctæ Inquisitionis tradunt Doctores, quos citat & sequitur Auila *vbi suprà*,) irregularitatem incurrant, quia Inquisitores & alij Ecclesiastici Ministri, non procedunt ad occisionem, neque ad mutilationem executiuè, modo quo *suprà* dicebam, procedere solùm prohibentur.

3 Et hoc adeò verum est, quod si Iudex sæcularis differat executionem, possint Inquisitores contra eum instare, vt sententiam exequatur, alioquin eumdem de hæresi suspectum habebunt, & tamen adhuc nullam irregularitatem incurrent. Tabiena *verb. Irregul.* 2. *n.* 15. Henriquez *n.* 5. *litt. D. in glossa.* Medina & Auila *in locis supra cit.* quos sequitur Barbosa *in collectan. tom.* 2. *lib.* 5. *tit.* 7. *c.* 13. *n.* 5. quamuis contrarium sentiant alij cum Couarruu. *vbi suprà n.* 6.

Ex dictis sequitur, quod Inquisitores, cùm tradunt 4
hæreticos Curiæ sæculari mortis pœna puniendos, non teneantur præmittere protestationem (prout habet Textus *in c. Nouissimus de verb. signific.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 34. *n.* 47. Auila *loco suprà cit.* & Cened. *in quæst. Canonic. q.* 15. *n.* 5.

Idémque dicas de fiscali, secretario, denunciatoribus, 5
aliisque Sanctæ Inquisitionis Ministris, & Officialibus; scilicet quod neque isti, si dictam protestationem omittant, irregulares efficiantur. Sic Doctores iidem *in locis suprà cit.*

Aduerte tamen, quod si quis Inquisitorum irregula- 6
ritatem aliquo modo forsan interdùm incurrat, alter possit cum illo dispensare, ex priuilegio quodam Vrbani III. Sic Doctores, quos sequitur Ruyas *de hæret. part.* 2. *n.* 423.

Aduerte secundò, quod Inquisitores non possint re- 7
laxare quempiam brachio sæculari, inconsulto supremo Senatu Sanctæ Inquisitionis, quia id inter causas grauissimas computatur. Peña *in director. Inquis. part.* 3. *comment.* 96. Molina *de iustit. tract.* 5. *disp.* 28. *n.* 14. (quatenus expressè ait, quod nullus relaxatur brachio sæculari, Senatu supremo inconsulto, tametsi vota Inquisitorum, Ordinarij, & Consultorum omnium consentiant ob eamdem rationem, quam iam *suprà* ego dicebam,) Simancha *de Cathol. Institut. tit.* 34. *n.* 33. & alij, iuxta Instructionem Toletanam anno 1561. *n.* 66.

Qui subdunt etiam in Hispania sancitum esse, quod Inquisitores particulares nullum religiosum, Nobilem, vel aliqua ratione insignitum comprehendant, quin priùs certiorem efficiant Inquisitorem Generalem, eiúsque supremum Senatum, missis ad eos indiciis & probationibus contra talem reum habitis, quodque ex eorum præscripto procedatur, & non aliter. Excipitur tamen casu periculi, fugæ, vel alterius grauis mali, iuxta eamdem Instructionem Toletanam, *n.* 5.

PETITIO V.

An hæreticus per publicas & supremas potestates, debeat affici pœna mortis?

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia habet potestatem puniendi hæreticum, ex communi Doctorum sententia, quia is in Baptismo fidem Catholicam professus est.*

2 *Hæreticus fuit aliquando in Ecclesia, cui adhuc etiam ratione characteris baptismalis subiectus manet, & fidei & Ecclesiæ infert iniuriam consequenter punibilem.*

3 *Qualibet Respublica habet ius & potestatem puniendi transgressores suæ Religionis, & quilibet Princeps suæ militiæ desertores.*

4 *Deus in antiqua lege dedit ius & potestatem Superioribus Populi Iudaici, quod punirent sacrilegos, & eos qui fideles ad Idola veneranda permouerent. consequenter à fortiori eam dedit Christus Dominus suæ Ecclesiæ.*

5 *Constantinus primus, sic volente Synodo Nycæna, Arium cum aliquibus eius sociis in exilium relegauit.*

6 *Imperatores multi ex Sancto Augustino, multas leges contra hæreticos tulerunt.*

7 *Iustinianus*

7 Iustinianus omnes hæreticos de Imperio suo eiecit ex Paulo Diacono.

8 Hæreticus quod puniatur, est rationabile, pium, vtile, & necessarium.

9 Hæretici sunt exterminandi tanquam insidiatores Ecclesiæ, labefactores gregis, contaminatores hæreditatis, qui Iudæos falsa Religione, Græcos impietate superant ex sancto Clemente, & ex aliis Patribus ipsos esse puniendos demonstratur.

10 Rebelles, & Nocentes rationabile, pium, vtile, ac necessarium est vt puniantur.

11 Hæretici, sicut & alij peccatores puniuntur tum propter ipsorum vtilitatem; sic enim sæpè corriguntur, & emendantur; tum etiam vt alij terreantur, & in officio contineantur, & à delictis retrahantur: tum denique vt aliis non noceant.

12 Multitudo ex Aristotele necessitati potiùs, quàm rationi paret, & ob bonum commune delicta puniri debent, alioquin innumera delicta & peccata committerentur.

13 Hæretici sunt peste infecti, & tanquam pestiferi diligenter arcendi, ipsorum enim malitia ex Patribus superat malitiam homicidarum, & adulterorum, & Christi crucifixorum, & superat etiam malitiam meretricis, quæ suppositiuum filium sectum voluit.

14 Lutherus ipse fatetur, se plusquam salis modium cum Sathana comedisse, & ab illo argumenta ad tollendam Missam didicisse.

15 Hæreticos contra loquutus est Apostolus 2. ad Tim. 3. vbi erunt (inquit) homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites sine benignitate, proditores, proterui, timidi, & voluptatum amatores magis, quàm Dei, &c.

16 Hæreticus si sit impœnitens per publicas, & supremas potestates debet affici pœna mortis.

17 Hæreticus impœnitens ex legibus etiam imperialibus damnatur pœna mortis. Vide ibi plures, quæ recensentur, vbi licet depositum sit de Manichæis, seu tertij generis sectariis, attamen est eadem ratio de cæteris, idque etiam procedit de iure canonico iuxta Textum in cap. Ad abolendam de hæreticis, &c.

18 Michael Imperator ex Paulo Diacono tulit legem, vt hæretici omnes pœna capitis plectantur.

19 Falsi Prophetæ olim à vera fide recedentes iubebantur excidi ex Deut. cap. 13.

20 Hæretici, quod pœna mortis plectendi sint, traditur ex Patribus, vbi ex Cypriano habetur: si ante aduentum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda hæc præcipuè sunt seruata, quanto magis post aduentum Christi erunt seruanda? Hæresis enim idololatriæ æquiparatur.

21 Arius in Alexandria vrbe vna scintilla fuit, sed, quia non statim oppressa est, totum Orbem eius flamma populata est, ex Hieronymo.

22 Priscillianus Hæresiarcha cum suis sociis iussus est occidi per Maximum Imperatorem ex Hieronymo.

23 Hæretici Albigenses n. 180. tempore Innocentij III. simul exusti fuerunt; ex Antonio, & Concilio Calcedonensi.

24 Iudices laici non possunt dictam pœnam remittere.

25 Hæreticus pariter impœnitens non solùm puniri debet pœna mortis, sed etiam pœna ignis.

26 Hæreticus pariter impœnitens non solùm puniri debet pœna ignis quomodocumque; sed ita vt etiam viuus comburatur.

27 Ignis pœna in hæreticos fuit vsu, & consuetudine paulatim introducta; quapropter minùs rectè Ostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, & alij eam deducunt à verbis Christi Ioannis 15. Si quis in me non manserit, mittitur foras, sicut palmes, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet; Christus enim Dominus ibi non solùm loquitur de hæreticis, sed etiam de peccatoribus in vniuersum, nec de igne nostro; sed de igne gehennæ.

28 Fredericus Imperator statuit, quod hæreticus viuus comburatur.

29 Pœna prædicta Combustij est antiqua ex pluribus Patribus, & Historiis Ecclesiasticis.

30 Blasphemi, Idololatræ, magiam sectantes, & alij similes homines scelesti licitè pœna mortis puniuntur, consequenter etiam hæretici.

31 Consuetudo fuit etiam apud alias Nationes, vt qui à Religione, quam putabant veram, recederent, morte punirentur, ob quam causam Athenis occisus fuit Socrates, & Nabuchodonosor Rex legem tulit, vt qui Deum Danielis blasphemaret, occideretur, & eiusdem domus deuastaretur.

32 Hæretici vt coerceantur, præter pœnam capitis, non est aliud remedium efficax.

33 Adulteratores monetæ falsarij, & rei læsæ maiestatis humanæ pœna capitis puniuntur.

34 Adultera mulier pœna capitis punitur, eo quod non seruet fidem promissam viro suo.

35 Hæretici sunt fures, & latrones, itémque lupi rapaces, qui omnes pœna capitis puniuntur.

36 Hæretici Deum impiè blasphemant, eius Dei authoritati, & verbo repugnent, & Deo tribuant quod ei non inest, tollant autem quod eidem inest, & Ecclesiæ sunt rebelles, eique grauem inferunt iniuriam, &c.

37 Scelesti omnes, quorum scelus notabiliter proximum lædit pœna capitis puniuntur; consequenter multò magis hæretici puniendi sunt.

38 Hæretici perturbant pacem, & tranquillitatem Reipublicæ magis, quàm fures, adulteri, homicidæ, falsarij, periuri, & alij similes scelesti, qui omnes pœna capitis plectuntur; consequenter multò magis hæretici ipsi.

39 Hæretici inficiunt alios magis, quàm fures, adulteri, & similes scelesti.

40 Credere licèt sit donum Dei, est tamen cum Dei auxilio, quod nemini denegatur, in potestate ipsius quod credat.

41 Fides debet esse libera, non consequenter, & ex suppositione, si scilicet illa fuerit iam semel suscepta; sed antecedenter & absolutè; cùm nemo cogi possit ad illam suscipiendam: susceptam tamen si quis deserat, sicut infert grauem iniuriam Religioni, ita grauiter est plectendus.

42 Gentiles in antiqua lege ante circumcisionem factam cogi non poterant ad amplectendum Iudaismum: at post eam cogi poterant ad obseruandam legem Mosaicam.

43 Hæreticus, si loquamur de pœnis spiritualibus, est tantùm vitandus: secùs autem si loquamur de pœnis temporalibus.

44 Ecclesia non punit Iudæos, sed eos tolerat; at non ideò sequitur, quod tolerare debeat hæreticos; quia Iudæi nunquam nostram fidem receperunt, sicque nunquam Ecclesiæ subditi facti sunt; at secùs hæretici, qui fidem susceperunt, & subditi eidem facti sunt.

45 Iudæi sic viuere ex Augustino permittuntur, ad hoc vt Scripturæ sacræ testimonium conseruent.

46 Quamplures ob metum pœnæ ad fidem redeunt, sicque de facto videre est in illis locis, vbi viget sanctæ Inquisitionis Officium.

47 Sanctus Martinus reprehendebat Iudices & Principes Christianos, quod hæreticos pœna capitis punirent; quia nondum nouerat, legibus cautum esse, quod hæretici pœna capitis punirentur: vel quia Iudices, & Principes Christiani sic hæreticos puniebant, non tam ex affectu virtutis, ac fidei, quàm

ex affectu odij, & vindicta, &c.

48 Sanctus Martinus quosdam Episcopos reprehendebat, quod permiserint, vt Priscillianus appellare potuerit ad Imperatorem.

49 Sanctus Augustinus, Cyprianus, Bernardus, Iustinus, & Ambrosius senserunt, hæreticos non esse puniendos pœna capitis. At Augustinus dictam sententiam retractauit, vt ex pluribus locis eiusdem apertè demonstratur. Cyprianus tantùm loquitur, quando si punirentur, maiora mala sequerentur. Bernardus tantùm docet, hæreticos potius rationibus conuincendos, quàm armis. Iustinus solùm dicit, eos non esse puniendos propter tumultum Populi, & Ambrosius negat à Iudicibus Ecclesiasticis tantùm pœna capitis esse puniendos; non tamen à iudicibus laicis, consequenter non obstant eorum dicta contra punitionem eorumdem.

50 Hæreses erant tempore Apostolorum, & tamen tunc hæretici pœnis temporalibus non puniebantur; quia tunc id non expediebat; at ex eo, quod tunc talis consuetudo non fuerit, non sequitur, Ecclesiam non habuisse talem potestatem.

51 Sanctus Augustinus ait, quod Reges, & Principes sæculares debeant hæreticos punire; idémque sentire videtur Gregorius, Leo, & alij Sancti Patres ex eo, quod Ecclesia in executione suæ iurisdictionis & potestatis, vtatur tanquam Ministro, & instrumento brachio Principum sæcularium, &c.

52 Isaias 11. vbi dicit: Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo decumbebit: vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Et paulò post non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo: Per hæc verba solùm significat quod in Ecclesia Christi pacificè simul conuersabuntur pauperes, & diuites; crudeles, & mansueti; iusti, & peccatores; impatientes & patientes; nobiles, & ignobiles, &c.

Idem etiam habetur Oseæ 2. vbi sensus dictæ Scripturæ aperitur, & declaratur.

53 Ecclesia ex Scripturis allegatis non sequitur, quod non possit persequi, & pœna etiam mortis, non quidem ex odio, sed ex zelo iustitiæ, punire tanquam pacis & fidei perturbatores hæreticos.

54 Aperitur sensus verborum Isaiæ cap. 11. in fauorem hæreticorum pœnitentium, quamuis etiam dici possit, quod & hæretici, qui sunt serpentes, & aspides non nocebunt, neque damnum inferent Catholicis; quia licet videantur iis nocere, reuerà tamen non nocent, sed eos in doctrina, & virtute Catholica se exercere, faciunt.

55 Homines potentes & crudeles in sacra Scriptura appellantur lupi, leones, pardi, panthera, & vrsi.

56 Isaias cap. 2. vbi habet: Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non leuabit gens contra gentem, &c. describit solùm tempus Aduentus Messiæ, prout demonstratur ex eodemmet Isaia, & ex Patribus interpretibus, consequenter non ex illis verbis sequitur, quod fides Christi non armis, nec hominum cæde sit insinuanda.

57 Item possunt prædicta verba ex plurimorum Patrum interpretatione intelligi de bonis & probis Viris, qui animi affectionibus edomiti, & secum, & cum proximo, & cum Deo magnam pacem habent, &c.

58 Parabola de zizania Matth. 13. non est intelligenda de hæreticis tantùm, sed de peccatoribus omnibus in vniuersum, quando scilicet si punirentur, grauia mala sequerentur.

59 Hieronymus, Theophylactus, & Euthymius, Chrysostomus, Cyprianus, & Augustinus per zizania intelligunt hæreticos, non ita vt excludant cæteros reprobos, sed quia inter cæteros improbos hæretici sunt peiores, de hæreticis faciunt mentionem specialem.

60 Christus Dominus, per istam parabolam de Zizania non prohibet extirpari hunc, vel illum improbum, sed peccatorem in particulari; sed solùm prohibet, ne probi tentent extirpare omnes improbos, seu peccatores in vniuersum, cum hoc fieri non possit sine magno damno proborum.

61 Christus Dominus prohibuit, ne hæretici punirentur, quando non possunt cognosci, neque à fidelibus discerni; sed si delictum sit publicum, & cognoscantur qui sint hæretici, qui verò Catholici parabola nihil officit.

62 Dominus solus potest fictilia vasa confringere, & zizania eradicare scilicet omnia, vel etiam si discerni non possint, vel immediatè absque vllo medio, cum Ecclesia tantùm possit mediis Principibus sæcularibus tanquam instrumentis eidem subordinatis.

63 Christus Dominus in illis verbis Lucæ 9. Nescitis cuius spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed saluare, solum significat se noluisse suam doctrinam Euangelicam in Orbe terrarum introducere per externam violentiam more Tyrannorum volentium alia Regna vsurpare.

64 Item ibi reprehenduntur à Christo Domino Apostoli cupientes Samaritanos non tam ex affectu salutis animarum, sed ex affectu odij, & vindicta per ignem puniri.

65 Item ex illo loco ad summum deducitur, quod non pertineat ad Ecclesiam mortis sententiam in hæreticos, seu in alios delinquentes per se, & immediatè exequi.

66 Christus Dominus Luc. 22. & Matt. 26. vbi prohibet Apostolis, ne vtantur gladio, solùm significat, quod non sint ex odio, & vindicta, neque ex propria, & priuata auctoritate vindicanda iniuria.

67 Christus Dominus reprehendit Petrum, quod sine ipsius iussu seruum Pontificis vulnerauerit; quia temerarium erat, vnum hominem velle cum tanta militum turba pugnare; præsertim quia facilè, si Dominus voluisset, potuisset se liberare, &c.

68 Christus Dominus per illa verba: Qui acceperint gladium, gladio peribunt, non significat, quod omnes illi, qui gladium acceperint, nisi forsan vt plurimum gladio perituri sint, sed alludit ad veterem legem, qua præcipiebatur, quod omnis homicida interficeretur.

69 Item Christus Dominus per dicta verba voluit significare, Iudæos, qui contra ipsum gladio venerant, gladio Romanorum perituros.

70 Hieronymus, & alij exponunt prædicta verba non de gladio materiali, sed de gladio spirituali, scilicet de diuina vindicta, qua puniuntur à Deo in hac, vel in altera vita, vel vt loquitur Augustinus, intellexit de gladio materiali, videlicet peccato, quia vt ipse ait: omnis qui gladio percusserit, gladio morietur: nam ipso peccato anima morietur: alij denique exponunt non de facto, sed de merito, seu secundùm meritum.

71 Paulus Apostolus 2. ad Cor. 10. vbi dicit: Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, &c. solùm significat, Apostolos in Euangelio prædicando non esse vsos armis carnalibus, scilicet vt explicat ibi Chrysostomus, opibus, gloria, Principatu, humana scientia, facundia, astutia, simulatione, gladio, scuto, &c. quibus homines carnales vtuntur, sed esse vsos armis spiritualibus, &c.

72 Potestas, quam habet Ecclesia à Christo Domino puniendi etiam corporaliter hæreticos, & alios delinquentes, potest dici spiritualis, quia tam directè extendatur ad spiritualia, & temporalia ordinentur

tur ad spiritualia, indirectè extenditur etiam ad temporalia.

73 Arma prædicta dicuntur ab Apostolo: esse potentia Deo; quia scilicet sunt ordinata ad defendendum honorem Dei, vel quia sunt valida, & efficacia per Deum, vel quia sunt virtus Dei, &c.

74 Arma prædicta dicuntur item ad destructionem munitionum, quia scilicet sunt ad destructionem syllogismorum, sophysmatum eloquentiæ humanæ, virtutum philosophicarum, sæcularis potentiæ, &c.

75 Apostolus Paulus vsus est interdum potestate diuina ad corporaliter puniendos delinquentes.

76 Apostolus ideò dicit: Principes temporales non sine causa gladium portare; quia ipsis vsus gladij materialis conceditur directè, Ecclesiæ autem solùm indirectè, & eminenter.

77 Potestas puniendi in corpore, vel in bonis temporalibus homines si delinquant non solummodò, & priuatiuè lege naturæ conceditur Principibus sæcularibus, ita vt nullo modo concedatur Ecclesiæ; sed ita vt indirectè concedatur etiam Ecclesiæ.

78 Idque maximè verum est in crimine hæresis, quod potest, & debet Ecclesia per se, vel per alios punire.

79 Necesse est, hæreses esse non antecedenter, & absolutè; quia quicumque peccat, liberè peccat, ita vt possit non peccare, alioquin non peccaret, cùm Deus non obliget ad impossibile: oportet autem esse consequenter, & ex suppositione, quod Deo permittente sic homo ex sua malitia liberè se determinauerit.

80 Deus non ex eo, quod permittat hæreses, eas vult, quia permittit etiam scandala, & cætera omnia peccata, quæ tamen puniuntur.

81 Deus permittit hæreses, ita vt in hac vita nunquam hæreticos puniat, sed non inde sequitur, quod Ecclesia illos punire non debeat in hac vita, etiamsi Deus puniat in altera.

82 Deus etiam punit tempore suo hæreticos in hac vita.

83 Iudas qui primus fuit inter Christianos hæreticus laqueo se suspendit, & crepuit medius.

84 Simon Magus Hæresiarcha, cùm volare arte magica niteretur, orante S. Petro in terram præceps corruit, & confractus est.

85 Lucianus Apostata, cũ diu, & multum aduersùs Christũ, & Ecclesiã latrauerit, à canib. dilaniatus fuit.

86 Manes Persa dictus Manichæus Rege sic volente arundine fuit excoriatus, eiusdémque corpus fuit traditum bestiis deuorandum. Cutis verò paleis expleta instar vtris ante portam vrbis suspensa.

87 Iulianus Apostata, lancea, sicuti quidam volunt, à dæmone transfossus, desperans misere mortuus est.

88 Donatistæ quidam, qui sacrosanctam Eucharistiam canibus suis comedendam tradiderunt, ab iisdem canibus rabie accensis, tanquam non Domini, sed ignoti, & inimici lacerati fuerunt.

89 Arius eodem tempore, quo furore armatus in Ecclesiam pugnare aggrediebatur, animam, viscera, & excrementa turpiter effudit.

90 Nestorius blasphema lingua à vermibus exesa, & consumpta, apud Insulam quamdam exulans, infeliciter obiit.

91 Lutherus, cùm vespere benè comedisset, & bibisset, atque hilaris decubuisset, postridie exanimis in lectulo repertus est.

92 Caluinus calculo, podagra, hæmoroïde, phtisi, asmate, hemicrania fluxione, & sanguinis excreatione laborans animam exhalauit.

93 Hæreticos pœnis corporalibus, præsertim pœna capitis punire esset contra mansuetudinem Ecclesiæ, si ea id faceret quomodocumque; at quia id facit monendo priùs hæreticos, vt ad fidem redire velint, & tamen illi sunt pertinaces, vel relapsi, non est contra mansuetudinem, sed potiùs pro mansuetudine; mansuetudo enim debet esse talis, vt puniantur delinquentes, & seruetur iustitia.

94 Apostoli mites, & mansueti fuerunt, & tamen compluries spiritu seueritatis vsi sunt: nam Petrus occidit Ananiam, & Zaphiram coniuges, & Paulus tradidit fornicarium Sathanæ, &c.

95 Hæretici pœnitentes licèt pœna mortis puniantur, non est periculum, quod damnentur; & ideò non currit argumentum in oppositum, sicut neque habet locum in hæreticis pertinacibus; cum bonum Ecclesiæ bono particulari sit præferendum, & ipsis hæreticis, non autem Ecclesiæ sit imputandum, si non saluentur.

96 Hæretici non sunt membra Ecclesiæ simpliciter, & absolutè loquendo, quatenus scilicet non retinent etiã fidem: sunt tamen membra Ecclesiæ secundũ quid, quatenus scilicet retinent solum characterem baptismalem, per quem se subdiderunt Ecclesiæ.

97 Homicidæ fures, latrones, adulteri, & similes homines scelesti, ex eo, quod perturbant pacem, & tranquillitatem Reipublicæ, seu politicam, puniuntur pœnis corporalibus à Principibus & Ministris sæcularibus: at non inde sequitur, hæreticos esse puniendos tantùm pœnis spiritualibus à Prælatis Ecclesiasticis, quia ipsi perturbant vtramque pacem, & tranquillitatem, &c.

SVppono 1. quod Ecclesia habeat potestatem puniendi hæreticum. Est sententia communis DD. Et patet ex iis, quæ dicebam *suprà dubit.* 159. & vlteriùs. 1

Probatur; quia hæreticus in Baptismo fidem Catholicam professus est, & eam obseruare promisit: ergo eam deserendo grauem fidei, & Ecclesiæ iniuriam infert; sicque Ecclesia debet habere ius, & potestatem eam puniendi, & in fide suscepta retinendi.

Confirmatur; quia hæreticus fuit aliquando in Ecclesia, cui adhuc etiam ratione characteris baptismalis subiectus manet; ergo conueniens non est, vt ob proprium scelus, & iniuriam, quam fidei, & Ecclesiæ infert, ab Ecclesiæ potestate subtrahatur; alioquin ex proprio scelere commodum reportaret; & dolus, & fraus ipsi patrocinaretur contra id, quod habetur *in c. 1. 15. q. 6. & in c. constituit 20 q. 3.* 2

Confirmatur 2. quia quælibet Respublica habet ius, & potestatem puniendi transgressores suæ Religionis; & quilibet Princeps etiam habet ius, & potestatem puniendi desertores suæ militiæ; ergo sic & Ecclesia. 3

Confirmatur 3. quia Deus in antiqua lege dedit ius, & potestatem Superioribus populi Iudaïci, quod punirent sacrilegos, & eos, qui fideles ad idola veneranda permouerent, sicuti constat *ex c. 13. 17. 19. & 21. Deut.* Ergo multò magis dicendum est, quod Christus Dominus hanc potestatem dederit suæ Ecclesiæ, cùm hæc sit Respublica perfectior, & multò latior, per totum scilicet terrarum Orbem extensa. 4

Confirmatur 4. quia, sic volente Synodo Nicæna Constantinus I. Arrium cum aliquibus eius sociis in exilium relegauit (sicuti refert S. Augustinus *lib. 1. contra Epistolam Parm. c. 7.* Qui idem S. Aug. *in Epist. 166.* refert etiam quod multi Imperatores, multas leges contra hæreticos tulerint) & Iustinianus omnes hæreticos de Imperio suo eiecit (sicuti refert Paul. Diaconus *lib. 16.*) Ergo dicendum est, quod Ecclesia talem habeat potestatem, ne dicamus, quod pij, & religiosi Imperatores, & Principes iniquas leges condiderint. 5 6 7

Suppono 2. quod sit rationabile, pium, vtile, ac necessarium, vt hæreticus puniatur. Suarez *de fide disp. 20. sect. 3. n. 6.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 46. n. 1. & seqq. & in Enchirid. tit. 1. n. 1. & seqq.* Castro *lib. 2. de iust. hær. punit. c. 12.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 40.* Læl. Zech. *in summ. p. 1. tit. de fide rubr. de hæresi c. 11. n. 16.* Roffensis *a. 33. contra Lutherum*, Bellarmin. *lib. 3. de laicis c. 21. & 22.* & Azor. *tom. 1. lib. 8. cap. 13.* Patet ex dictis & vlteriùs. 8

Probatur 1. auctoritate; quia S. Clemens *lib. 6. constitut. c. 18.* [ait. Hæretici sunt exterminandi, tanquam insidiatores Ecclesiæ, labefactores gregis, contaminatores hæreditatis, 9

hæreditatis, qui Iudæos falsa Religione, Græcos impietate superant.] Et S.Leo *epist.2. ad Episcopos Italiæ* de Manichæis loquens, inquit: [Quos vigilantia nostra reperit, auctoritas, & censura coërcuit.] Et paulò post, *& in epist.* 83. [Pertinaces autem per publicam potestatem perpetuò sunt exilio relegati.] & Lucius primus *in epist. ad Episcopos Galliæ* scribit. [Hæretici seuerè sunt extirpandi.] Idem etiam asserunt Cyprian. *lib. de vnit. Eccles.* Ambrosius *lib.1. de Pœnitentia c.*14. quatenus ait: [Sequestrari oportet grauiter lapsum, ne modicum fermentum totam massam corrumpat.] Augustinus *lib. contra Donatistas c.*4. *&* 20. *tract.*10. *in Ioan. epist.*48. *& lib.*2. *retractat. c.*5. Hieronymus *epist.*53. Origenes *homil.* 9. *in Numer.* & Patres Concilij Toletani *quæst. canon.* 57. *&* 59. & tandem Innocentius I. quatenus Catafrigenses, & Gelasius quatenus Manichæos in exilium miserunt.

10 Probatur secundò ratione; quia rationabile, pium, vtile, ac necessarium est, vt puniantur rebelles, & nocentes; sicuti habetur ex Petro *epist.*1. *c.*2. & ex Paulo *ad Rom. c.*13. quatenus ibi Principes dicuntur Ministri Dei, & malefacta vindicare: ergo rationabile, pium, vtile, ac necessarium est, vt puniantur hæretici, qui sunt Ecclesiæ rebelles, sacrilegi, & fidei contemptores.

11 Confirmatur; quia hæretici (sicut & alij peccatores) puniuntur; tum propter ipsorum vtilitatem *ex Prouerb.*3. & ex Apostolo *ad Corinth.*17. sic enim sæpè corriguntur & emendantur, vt obseruat S. Augustinus *epist.*48. 50. *&* 61. *& lib.*1. *contra Parmen. c.*7. iuxta illud Psalm.22. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt, quem enim Dominus diligit, eum castigat, & punit,* & *vexatio dat intellectum* Isaiæ 28. Vnde & Deus, vt ad se Paulum traheret, per pœnam cæcitatis temporalem id fecit, *Act.*9. Quod etiam notauit S.Leo *epist.*4. Ibi: Profuit ista distinctio, dum ad spirituale remedium nonnunquam recurrunt, qui timent temporale supplicium: impediuntur etiam, ne liberiùs peccent, & ne alios inficiant, & peruertant. Quapropter hæreticis obstinatis rectè dixit Bellarminus *lib.*3. *de laicis c.*21. *circa fin.* [Beneficium est, quod de hac vita tollantur: nam quo diutius viuunt, eò plures errores excogitant, & maiorem sibi damnationem acquirunt.] Tum secundò, vt alij terreantur, & in officio contineantur, & à delictis retrahantur: vt enim ait Aristoteles *lib.*10. *Ethic. cap.*9.

12 [Multitudo necessitati potiùs, quàm rationi paret.] Et ob bonum commune delicta puniri debent; alioquin innumera delicta & peccata committerentur, *cap. vt fama de sent. excomm.* quod etiam dicitur *ad Titum* 5. Ibi: [Peccantem coram omnibus argue, & vt cæteri timorem habeant.] Tum tertiò, vt aliis non noceant. Quæ omnia (sicut adnotarunt Ambrosius, Hieronymus, & Augustinus *locis suprà citatis*) præcipuè locum habent in hæreticis: Ergo, &c.

13 Confirmatur secundò; quia hæretici sunt peste infecti & tanquam pestiferi diligenter arcendi: ipsorum enim malitia (sicuti dixerunt Hieronymus *epist. ad Damasum, & in dialog. aduersus Lucifer.* Augustinus *lib.*1. *de Baptismo c.*4. *& lib.*2. *c.*8. Irenæus *lib.*4. *c.*62. & alij, superat malitiam homicidarum, & adulterorum, & Christi crucifixorum (qui vestem inconsutilem integram seruarunt, *Ioan.* 19.) & superat etiam malitiam meretricis, quæ suppositituum filium sectum voluit, 2. *Reg.*

14 *c.*1. Quod & inde quoque patet; quia Lutherus ipse *de angul. Miss.* fatetur, se plusquam salis modium cum Sathana comedisse, & ab illo argumenta ad tollendam Missam didicisse: & Apostolus 2. *ad Timoth.*3. *vers.*2. *de*

15 *hær.* inquit, [Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, patentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes, &c.] Ergo, cùm hæretici sint tales, absque dubio rationabile, pium, vtile, ac necessarium est vt puniantur. His suppositis, sit

Difficultatis Resolutio.

Respondetur igitur: hæreticus, si sit impœnitens, 16
per publicas, & supremas Potestates, debet affici pœna mortis: patet ex iis, quæ dicebam *supr. Dubitatione* 158. (vbi etiam de hac re vide) & docent Ostiensis *in c. ad abolendam de hær. n.*6. Abbas *ibid. n.*13. Zabarella *n.*80. Ioannes Andreas *n.*6. Butrius *num.*17. Ancharan. *num.*7. Henricus *n.*19. Syluester *verbo Hæresis primo n.*14. Raynerius *eod. verb. c.*5. *vers. Quartum est*, Bellarminus *lib.*3. *de laic c.*21. *&* 22. Castro *lib.*1. *de iust. hær. punit. c.*9. *& lib.*2. *c.*12. Suarez *de fide disp.*23. *sect.*1. Valentia 2.2. *disp.* 1. *q.*11. *punct.*3. Azor. *tom.*1. *lib.*8. *c.*13. *q. vlt. vers. vlt. pœna,* Albertin. *de agnoscend. hær. q.*8. *& q.*34. *n.*51. Royas *de hær. p.*1. *n.*590. *& p.*2. *assert.*21. Petr. Gregorius *syntagm. iur. lib.*33. *c.*8. *n.*20. Antonius Gomez *de delictis cap.*2. *rubr. de crim. læsæ maiestat. n.*1. Couarruu. *lib.*2. *var. c.*10. *n.*10. Simanch. *de Cathol. instit. tit.*46. *n.*42. Bossius *tit. de hær. n.*37. Menoch. *de arbitris lib.*2. *cas.*374. *n.*1. Afflict. *in constit. Regn. de hær. rubr.*1. *n.*36. Turrian. *de fide disp.* 56. *dub.*1. Roffensis *a.*33. *contra Lutherum.* Osius *lib.*1. *contra Brentium*, & alij communiter.

Prima Probatio ex Auctoritate.

Probatur primò; quia sic patet *ex l. Ariani, §. Ma-* 17
nichæi, C. de hær. (vbi quamuis sit sermo solùm de Manichæis, est tamen eadem ratio de cæteris,) & *ex leg. Quicumque, §. eos C. eod.* (quatenus ibi dicitur: *Vltimo supplicio afficiantur, qui illicita docere tentauerint.* Vbi quamuis fiat mentio solùm de docentibus, est tamen eadem ratio de addiscentibus. Gloss. *in c. excommunicamus* 1. *verbo Puniendi de hær.* cum sicuti dicitur *in l. culpa C. de malefic.* docere, & discere illicita æquiparentur) *& ex l. vbicumque, ex l. sequenti, ex l. Manichæi, Cod. de hær.* (quatenus ibi dicitur, quod hæretici Ministris laïcis sint tradendi, debita, id est, secundùm leges, quæ est pœna mortis, animaduersione puniendi) & *ex c. excommunicamus de hær.* & tandem *ex c. super eo de hær. in* 6.

Confirmatur; quia & Michaël Imperator tulit le- 18
gem, vt hæretici omnes pœna capitis plectantur, sicuti refert Paulus Diaconus *lib.*14. *histor.*

Confirmatur secundò; quia olim etiam falsi Pro- 19
phetæ à vera fide recedentes, iubebantur occidi, sicuti constat *ex Deut. c.*13. quatenus ibi præcipitur, vt falsus Propheta interficiatur, quia *locutus est*, inquit Textus vt vos auerteret à Domino Deo vestro. Videri etiam poterit Textus *in c.*18 *& in lib.*3. *Reg. c.*18. & *in lib.*4. *c.*10. *&* 23.

Confirmatur tertiò; quia & quod hæretici pœna 20
mortis plectendi sint, tradunt etiam S.Cyprianus *contra epist. Parmen. c.*7. *& de veritate Eccles. c.*7. *& in exhortatione ad Martyres c.*5. quatenus ait. [Si ante aduentum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda hæc præcipuè sunt seruata, quantò magis post aduentum Christi erunt seruanda?] Hæresis enim idololatriæ æquiparatur; quandoquidem dogmata hæretica, inquit Hieronymus *ad Galat.*5. Sunt idola, quæ fidelibus ab hæreticis adoranda proponuntur. Simmach. Papa apud Suarez *tract. de fide disp.*23. *sect.*1. *n.*5. quatenus inquit: [Ferro abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non sentiunt.] Optatus Milenitanus *lib.* 3. *contra Parmen.* quatenus asserit, quod propter hæreses occisi fuerint Donatistæ. Gregorius *lib.*1. *epist.*71. *&* 72. Bernardus *serm.*66 *in Cantic.* Leo *epist.*91. *ad Turbium c.*1. Hieron. *in c.*5 *ad Galat.* in illa verba. [Modicum fermentum to- 21
tam massam corrumpit, quatenus scribit: [Arius in Alexandria vrbe vna scintilla fuit, sed, quia non statim oppressa est, totum Orbem eius flamma populata est.] Et quatenus *lib. de Vir. illustr.* refert, Maximum Imperatorem præcepisse, quod Priscillianus Hæresiarcha cum suis sociis occideretur. Innocentius *epist.* 23. quatenus affert exemplum de Chirurgo, qui priùs curat, vt medicamentis

dicamentis

dicamentis vulnus sauetur; at illud, si manens sanari non potest, ferro amputat, ne corpus reliquum sua tabe corrumpat,) & S. Antoninus *3. part. 19. §. 4 historia*, quatenus scribit, quod tempore Innocentij III. simul exusti fuerint 180. hæretici Albigenses; quod idem habetur in Concil. Calcedonen. *c. 1.*

24 Aduerte tamen hîc, quod iudices laïci non possint dictam pœnam remittere; sicuti constat *ex c. vt officium de heret. in 6.* ex Bulla Vrbani IV. incipiente *Licet*, & ex Bulla Innocentij IV. incipiente *Statuimus*: quæ Bullæ referuntur in Directorio Inquisitorum.

25 Aduerte secundò, quod hæreticus (si scilicet fuerit impœnitens, vti dicebam) non solùm puniri debeat pœna mortis, sed etiam pœna ignis; sicuti patet ex Constitutione Federici Imperatoris (quæ incipit *Inconsutilem*, éstque apud Peñam *inter literas Apostolicas*) & tradunt Ostiensis *in summ. de heret. §. qua pœna feriatur n. 9.* Vitalin. *in rubr. de crim. heres. n. 6.* Abbas *in c. Excommunicamus 1. de her. in princ.* Socin. *ibid. n. 7.* Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 42. n. 4* Clar. *in Practica §. heresis n. 7.* Rolandus *lib. 3. cons. 75. n. 5.* Martinus del Rio *lib. 5. disquis. magicar. sect. 16.* Et videri etiam poterit Conc. Calcidon. *act. 1.* Vbi habetur, quod Diaconus Episcopus Alexandrinus dixerit. [Si Euthyches præter dogmata Ecclesiæ sapit, non solùm pœna dignus est, sed etiam & igne.]

26 Aduerte tertiò, quod hæreticus (si similiter impœnitens sit) non solùm puniri debeat pœna Ignis quomodocumque, sed ita, vt etiam viuus comburatur. Calderin. *tract. de heret. in rubr. de pœn heret. filior. n. 10.* Simanch. *de Cathol. institut. tit. 46. n. 49.* Royas *tract. de heret. p. 5. n. 360. & seqq.* Lælius Zechius, *in summ. part. 1. tit. de fide rubr. de heret. c. 11. n. 16.* Repertor. Inquisit. *verbo comburi, vers. 1.* & Castro *lib. 2. de iust. heret. punit. cap. 12.* qui refert, quod in Italia, Hispania, & Gallia hæretici igne comburendi tradantur, in Flaudria, & in alijs inferioris Germaniæ partibus capite plectantur, & alibi, ligatis manibus, & pedibus, in flumen proiiciantur.

27 Aduerte quartò, quod Ostiensis, Ioannes Andreas, Abbas, & alij complures *in c. Ad abolendam de heretic.* putent, pœnam, vt hæretici igne comburendi tradantur, desumi ex eo, quod Christus Dominus *Ioan. 15.* dixerit. *Si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet; & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* At minùs rectè, quia Christus Dominus ibi non solùm loquitur de hæreticis, sed etiam de peccatoribus in vniuersum, nec loquitur de igne nostro, sed de igne gebennæ; quapropter Simanch *de Cathol. instit. tit. 46. n. 47.* Villadiego *de heret. q. 15. n. 7.* & quidam alij aiunt, pœnam hanc fuisse paulatim vsu introductam, & continuatam, & nullo iure scripto traditam haberi; quorum Doctorum sententia fortasse vera est, si loquamur de legibus in corpore Iuris insertis; at secùs, si loquamur
28 etiam de dicta Constitutione *Inconsutibilem*, Federici Imperatoris, quia in ea expresè Federicus Imperator statuit, quod hæreticus viuus comburatur, sicuti suprà notabam.

29 Aduerte quintò, quod hæc pœna sit antiqua, sicuti inquit S. Gregorius *lib. 1. dialog. c. 4.* & inquiunt etiam Claudius Sanct. *lib. de methodo contra sectas veterum Principum*, Paulus Diaconus *lib. 24.* Sozomenus *lib. 1. c. 20.* Zonaras (quatenus in vita S. Alexij ait, quod Basilius quidam hæreticus fuerit flammis combustus) Nicephor. *lib. 18. c. 4.* (quatenus scribit, quod Constantinopoli similiter alij quidam hæretici fuerint etiam flammis combusti; quapropter grauiter errabant Donatistæ, qui (sicuti refert S. Augustinus *lib. 1. contra epist. Parm. c. 7. & epist. 166. & lib. 2. contra literas Petilian. c. 10. & lib. 2. contra Epist. Gaudentij c. 17.*) negabant, quod liceret Ecclesiæ tradere hæreticum igne comburendum; cum quibus Donatistis sentit etiam hæreticus Ioannes Hus, vti refertur in Concilio Constantiensi. *art. 14.* vbi error iste damnatur, sicut & damnatur in Bulla Leonis X. contra Lutherum, qui etiam sic sentiebat, vti refert Roffensis *art. 33.*

Secunda Probatio, ex ratione.

Probatur secundò ratione; quia licitè pœna mortis 30
puniuntur Blasphemi, Idololatræ, magiam sectantes, & alij similes homines scelerati: ergo & hæretici: consequentia patet à pari, quin à fortiori. Antecedens probatur *ex lib. 3. Regum cap. 8. ex lib. 4. c. 10. vers. 25. & cap. 23. ex lib. 1. Machabaeor. c. 25. & Leuit. 20. vers. secundo, & c. 24. vers. 16.* vbi præcipitur, quod qui blasphemauerit Nomen Domini, morte moriatur: Idem præcipitur *Numer. 2.* contra illos, qui Idolis sacrificabant, & *Exodi 23. vers. 27.* Moyses præcepit, vt occiderentur multa millia Iudæorum, eò quod idolum vituli adorassent; & à vero Dei fide recessissent. & *Leuitic. 20. & Numer. 25. cap.* puniebantur illi, qui ad Magos declinassent, & *cap. 16. Numer.* terræ hiatu absorbentur schismatici, & *c. 25. vers. 5. Deuter. 13. vers. 6. & cap. 17. vers. 12.* dicitur: Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, & decreto iudicis moriatur homo ille, & *Actor. 5.* Petrus occidit Ananiam, quia Spiritui Sancto fuerat mentitus (de quo facto ait Ambrosius *sermon. 19 Dum illum punit, alios corrigit: Voluit enim, vt pœna ad vnum, metus ad alios perueniret.*) & *Actor. 13.* Paulus cæcitate percussit illum, qui fidem impedire conabatur.

Confirmatur; quia etiam apud alias nationes con- 31
suetudo fuit, vt qui à Religione (quam putabant veram) recederent, morte punirentur; sicuti constat ex iis quæ refert Aristoteles *lib. 1. de Monarch. c. 1.* & ex iis, quæ refert Plato *lib. 10. de legibus*, qui idem Plato *lib. 6.* ait: *Quos Legislator insanabiles sentit, hos vltimo supplicio afficit, non ignorans, istis meliùs esse mori, quàm viuere.* Ob quam causam Athenis occisus fuit Socrates, vti testatur idem Plato, & Ælianus *libro 5. variar. histor.* scribit, quod Athenienses consueuerint lapidibus occidere illos, qui Deos blasphemabant; & Nabucodonosor Rex legem tulit, vt qui Deum Danielis blasphemaret, occideretur, & eiusdem domus deuastaretur, *cap. 3. Danielis*: qua lege Nabucodonosor Rex obsequium iustissimum, ait S. Augustinus *epistola 50.* præstitit Deo vero.

Confirmatur secundò; quia ad coërcendos hæreti- 32
cos, præter pœnam capitis, non est aliud remedium efficax: quod inde patet; quia priùs hæretici excommunicabantur, at iactitabant, quod excommunicatio esset frigidum fulmen: priuabantur bonis suis, neque hanc pœnam valde timebant (cùm haberent multos, à quibus alerentur) coniiciebantur in carcerem, & eiiciebantur in exilium, sed neque hoc satis erat; cùm præsentes verbis, absentes verò libris & epistolis corrumperent, & inficerent.

Confirmatur tertiò, quia Adulteratores monetæ, fal- 33
sarij, & rei læsæ maiestatis humanæ pœna capitis puniuntur, *l. 1. 2. & 3. de fals. monet. l. Quicumque, & l. Cornelia, ff. ad l. Cornel. de fals. & l. lex 12. Tabularum, ff. ad l. Iul. maiest.* Ergo multò magis & hæretici pœna capitis puniri debebunt; cùm sint adulteratores, & falsarij verbi Dei, & rei læsæ maiestatis diuinæ.

Confirmatur quartò, quia mulier adultera pœna 34
capitis punitur, eo quod non seruet fidem promissam viro suo; ergo multò magis & pœna capitis puniri debebit hæreticus, eo quod non seruet fidem promissam Deo viuo, & vero; cùm hoc peccatum (vt rectè dixit Augustinus *epist. 50.*) grauius sit peccato adulterij.

Confirmatur quintò, quia, *Ioan. 10.* Hæretici sunt fu- 35
res, & latrones (vt ibi præter alios exponit Chrysostom. *hom. 68.*) & *Matth. 7.* sunt lupi rapaces. *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* (vt ibi exponit Ambros. *lib. 7. in Lucam c. 10. in princ.* & August. *tract. 45.*) Idémque dicitur *Act. 10.* vbi Paulus ait. *Attendite vos, & vniuerso gregi: ego scio, quod post discessionem meam intrabunt in vos lupi rapaces.* At fures, latrones, & lupi rapaces pœna capitis puniuntur; Ergo, &c.

36 Confirmatur sextò, quia hæretici dum impiè blasphemant, (cum Dei auctoritati, & verbo repugnent, & Deo tribuant, quod ei non inest, tollant autem, quod eidem inest) & Ecclesiæ sunt rebelles, cique grauem inferunt iniuriam, (cùm ab ea se separent, & ei tribuant, quod possit fallere, & falli.) Inferunt etiam iniuriam omnibus fidelibus (cum, sicuti dicitur *in l. Manichaeos, Cod. de hæretic.* quod in Religionem diuinam committitur, in omnium iniuriam committatur) omnibus sunt quammaximè perniciosi, etiam in spiritualibus (cùm animas occidant) tollunt fundamentum omnis, & vniuersæ bonitatis; Rempublicam seditionibus, & tumultibus replent: ergò non est, cur pœna capitis puniendi non sint.

37 Confirmatur septimò, quia omnes scelerati, quorum scelus notabiliter proximum lædit, pœna capitis puniuntur: Ergo multò magis & hæretici pœna capitis puniri debebunt; cùm ipsorum hæresis non solùm notabiliter proximum lædat, sed etiam Deo quammaximam iniuriam inferat.

38 Confirmatur octauò; quia hæretici perturbant pacem, & tranquillitatem Reipublicæ magis, quàm fures, adulteri, homicidæ, falsarij, periurij, & alij similes scelerati; at isti pœna capitis puniuntur: ergo multò magis & hæretici pœna capitis puniri debebunt. Minor, & consequentia patent. Maior probatur; quia Pax Ecclesiastica consistit in fidei, & sacramentorum vnitate; pax verò politica consistit solùm in externa tranquillitate; sed hæretici perturbant vtramque pacem; fures autem, adulteri, &c. perturbant tantùm pacem politicam: Ergo, &c.

39 Confirmatur nonò, quia hæretici inficiunt alios magis, quàm fures, adulteri, & similes scelerati; quandoquidem ex Hieronymo *lib. 3. commentar. ad Galatas*, & ex aliis Sanctis Patribus de hæreticis dicitur, quod scintilla statim, atque apparet, sit extinguenda; fermentum putridum à vicina massa sit remouendum; putridæ carnes sint secandæ: scabiosum animal à caulis omnium sit repellendum, ne tota domus comburatur, tota massa, corpus, aut pecus corrumpatur (cùm

Morbida facta pecus totum corrumpat ouile.)

Et præterea comparetur hæresis cancro, quod medicamentis curari non potest, sed (ne perpetuò serpat, & totum corpus corrumpat) ferro abscindi debet.

Obiectiones.

40 Obiicies, quod quis credat, est donum Dei: ergo puniri non debet hæreticus, qui non credit.

Respondetur: Nego consequentiam; quia licet, quod quis credat, sit donum Dei, est tamen cum Dei auxilio (quod nemini denegatur) in potestate ipsius, quod credat; Theologi communiter ex Augustino *lib. de prædestinat. sanct. cap. 11.* Correctio autem mouet hominem, vt Dei gratiæ obediat, & cooperetur iuxta illud Prouerb. 29. *Virga, & correctio tribuit sapientiam*: quemadmodum, quod quis sit castus, vel iustus, &c. est similiter donum Dei, & tamen si castus, & iustus non sit, punitur, & compellitur ad iustè, vel castè viuendum.

41 Instabis: Fides debet esse libera: ergo non debet puniri hæreticus, si illam deserit.

Respondetur: distinguo antecedens: debet esse libera consequenter, & ex suppositione (si scilicet illa fuerit iam semel suscepta) nego: antecedenter, & absolutè, quod scilicet nemo cogi possit ad illam suscipiendam, concedo: non tamen hinc sequitur, quod (vti dicebam) puniri non possit, qui fidem semel susceptam deserit; quia homo (cum fidem iam semel susceptam deserendo grauem iniuriam inferat fidei, sacramentis, & Ecclesiæ) meritò punitur ab Ecclesia, quemadmodum in

42 antiqua lege Gentiles ante circumcisionem factam cogi non poterant ad amplectendum Iudaismum; at post dictam circumcisionem factam cogi poterant ad obseruandam legem Mosaïcam, *ex cap. 5. ad Galatas vers. 3.* Ibi: *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* Quemadmodum etiam licet liberum sit homini alia peccata committere, tamen si ista committat, punitur; ergo & sic, licet liberum sit homini non credere, tamen si non credat, puniri poterit. Vide Augustinum *epist. 50. ad Bonifacium*, & *lib. 3. contra Cresconium c. 51. & lib. 2. contra epistolam Gaudentij c. 11.* vbi ait: datum est homini liberum arbitrium, sed vt si esset malefaciens, fieret mala patiens.

Reinstabis: *Matth. 18.* dicitur, *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus*; & *ad Titum 3.* habetur: *hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita, quia subuersus.* Ergo sequitur, quod hæreticus sit tantùm vitandus. 43

Respondetur: distinguo consequens; si loquamur de pœnis spiritualibus tantùm, concedo: si loquamur de pœnis etiam corporalibus (quæ licet in dictis locis sacræ Scripturæ non sint expressæ, tamen non sunt exclusæ; quin potiùs in aliis locis eiusdem sacræ Scripturæ inclusæ, sicuti patet ex dictis, & etiam patebit ex dicendis) nego. Vt omittam, quod Paulus Apostolus scribebat ad Titum, qui erat Episcopus, quem propterea non decebat vti gladio temporali, sed solùm spirituali, scilicet excommunicatione; & quamuis tunc posset Titus hæreticum pertinacem, & incorrigibilem tradere brachio sæculari, vt ab illo puniretur, tamen id tunc non fecit, nec facere iussus fuit à Paulo Apostolo; quia tunc non erant Principes sæculares, quibus posset committi; cùm omnes tunc essent Gentiles, & Infideles. Vt omittam etiam, quod ibi tantùm erat sermo de admonitione, quæ fieri debet hæretico, priusquam excommunicetur ab Ecclesia, quæ priusquam quempiam excommunicet, ad minùs bis monere consueuit.

Vrgebis: Ecclesia non punit Iudæos, sed eos tolerat: ergo & tolerare debebit hæreticos. 44

Respondetur: Nego consequentiam; & disparitas est; quia Iudæi nunquam nostram fidem receperunt, sicque nunquam Ecclesiæ subditi facti sunt; at secùs hæretici, qui à fide recepta, & à promissione Deo, & Ecclesiæ facta, iam subditi per baptismum susceptum facti Ecclesiæ, recesserunt. Vt omittam, quod (cum 45 sacra Scriptura conseruetur apud Iudæos inimicos nostræ fidei, & exinde desumatur magnum argumentum ad probandam veritatem eiusdem nostræ fidei) dicit Sanctus Augustinus *in Psalmo quadragesimo circa finem*, & *libro 18. de Ciuitate Dei, capite quadragesimo-sexto*, quod Iudæi sic viuere permittantur, ad hoc, vt Scripturæ sacræ testimonium conseruent; & citat illud ad Romanos, 11. *Illorum delictum salus est Gentium*; & illud Psalmi quinquagesimi-octaui. *Ne occidas eos, ne fortè obliuiscantur populi mei, disperge illos in veritate tua.* Vt omittam etiam, quod Religio Iudæorum fuit pro tempore instituta à Deo; secta autem hæreticorum, quæ plena mendaciis est, fuit instituta à dæmone patre mendacij.

Reurgebis: Experientia docet, quod terrores 46 non valeant, vt hæretici reuocentur ad fidem: Ergo.

Respondetur: Nego antecedens; quapropter Augustinus *epist. 48.* rectè dicit, ob metum pœnæ quamplurimos ad fidem redire; sicque de facto videre est in illis locis, vbi viget sanctæ Inquisitionis Officium. Vt omittam, quod de facto etiam sectæ complures Albigensium, Donatistarum, & Manichæorum, &c. armis extinctæ sint.

Obiicies secundò, S. Martinus reprehendebat Iudices, & Principes Christianos, quod hæreticos pœna capitis punirent; sicuti refert Sulpitius *lib. 2. histor. sacr. circa fin.* Ergo. 47

Respondetur, Sanctum Martinum eos reprehendisse; quia nondum ipse nouerat legibus cautum esse, quod hæretici pœna capitis puniretur: vel quia Iudices, & Principes Christiani sic hæreticos puniebant non tã ex affectu

affectu virtutis, ac fidei, quàm ex affectu odij, & vindictæ; vel quia tunc (cùm exinde maiora mala, perturbationes scilicet, & seditiones contra pacem, & bonum commune sequerentur) non expediebat hæreticos pœna capitis puniri; quemadmodum & hodie etiam in Germania, & in aliis regionibus ad vitanda maiora incommoda hæretici similiter tolerantur, & permittuntur.

48 Cæterum idem S. Martinus (vt ibidem refert Sulpitius) quosdam Episcopos reprehendebat, quod permiserint, vt Priscillianus hæreticus appellare potuerit ad Imperatorem; & quidem rectè; quia de causis Ecclesiasticis non Principes sæculares, sed Prælati Ecclesiastici iudicare debent; reprehendebat etiam eosdem, quod apud Imperatorem causam Accusatoris agerent; & quidem etiam rectè; quia licèt Prælatis Ecclesiasticis licitum sit Ministris sæcularibus hæreticos puniendos tradere; licitum tamen non est apud eosdem Ministros sæculares partes Accusatoris agere.

49 Instabis: S. Augustinus *q.* 10. *& 11. in Matthæum, lib. 2. contra Cresconium c.* 35. *lib.* 6. *contra Donatistas post collationem* 56. *epist.* 48. *ad Vincentium, & epist.* 51. *ad Bonifacium Comitem*, & in multis aliis locis apertè ait, quod hæretici non sint puniendi pœna capitis; & S. Cyprianus apertè etiam asserit, quod hæretici non sint puniendi alia pœna, nisi solùm, vt habeantur, tanquam Ethnici, & Publicani (quemadmodum indicatur *Matth.* 18.) & S. Bernardus *serm.* 64. *in Cantic.* apertè similiter etiam inquit, quod hæretici conuincendi sint, non armis, sed argumentis; idémque sentire videntur Iustinus *epist. ad Zenum*, & Ambros. *epist.* 37.

Respondetur: concedo, quod S. Augustinus sic senserit, cùm esset iunior; ast hanc sententiam postea retractauit *lib.* 2. *retractation. c.* 5. vbi ait: [Non placet, quod antea senseram, quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas, vel quantum in eis in melius vitandis conferre posset diligentia disciplinæ.] *& epist.* 48. *ad Vincentium*, atque *epist.* 50. *ad Bonifacium*, vbi loquens de legibus Principum contra hæreticos inquit: [Magis pro illis sunt istæ leges, quæ illis videntur aduersæ; quoniam multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur: nam per has leges terrentur sæuientes, & corriguntur intelligentes.] & *lib.* 3. *contra literas Parmen. cap.* 2. Vbi asserit, quod hæretici sint pœnes ad fidem reuocandi, & *epist.* 166. *&* 167. *& lib.* 2. *contra duas Epistolas Gaudentij c.* 17. *&* 26. *& lib* 2. *contra literas Petiliani c.* 83, vbi probat, quod Christiani Principes habeant potestatem hæreticos puniendi pœna mortis, iuxta illud ad Roman. 13. *Non sine causa gladium portant*; & *cit. epist.* 50. *ad Bonifacium*, vbi aduertit, quod Ecclesia non statim voluerit circa puniendos hæreticos vti tota potestate, quam habebat, sed processerit paulatim; quia priùs voluit, quod hæretici redire ad fidem monerentur, quodque fideles cum illis non communicarent, postea cœpit hæreticos in exilium mittere; postea verò tandem hæreticorum malitiam crescere videns, cœpit seuerioribus pœnis eos coërcere; & affert parabolam de nuptiis *Luc.* 14. vbi Christus Dominus priùs inuitauit semel, & illos vocauit iterum; postea verò præcepit, quod intrarent, per vim cogerentur.

Non obstat igitur Augustinus, vti dicebam; neque obstat Cyprianus; quia tantùm loquitur, quando, si punirentur hæretici, maiora mala sequerentur, neque obstat Bernardus; quia solùm docet, quod hæretici potius conuincendi sint rationibus, & argumentis, quàm armis; eò m rationes, & argumenta sint ad fidem persuadendam magis apta, quam arma; neque obstat Iustinus; quia solùm dicit, quod hæretici puniendi non sint propter tumultum populi, non tamen dicit, quod à iudicibus puniendi non sint, secl. so periculo; neque tandem obstat Ambrosius; quia solùm negat, quod hæretici à iudicibus Ecclesiasticis pœna capitis sint puniendi, non tamen negat, quod ab istis ad puniendum potestati sæculari sint tradendi.

Reinstabis: Tempore Apostolorum erant hæreses, & 50 tamen tunc hæretici pœnis temporalibus non puniebantur.

Respondetur: concedo totum; at tunc id erat: quia tunc id non expediebat, neque in praxi poni poterat; at ex eo, quod tunc in Ecclesia hæreticos puniendi consuetudo non fuerit, non sequitur, quod tunc Ecclesia talem potestatem non habuerit: non enim semper quis vti debet potestate, quam habet, sed tempore opportuno, tunc autem Apostoli (cùm de facto, licet non de iure, subiecti fuerint Principibus sæcularibus) talem potestatem exercere non poterant, & ideò rectè dicit Augustinus *cit. epist.* 50. quod non semper Ecclesia vsa sit tota potestate, quam habet, sed cœperit paulatim hæreticos per se, vel per Principes sæculares pœnis temporalibus punire, nunc scilicet exilio, vt *in l. Arian Cod. de heret.* Nunc pœna pecuniaria, vt *in l. cunctis heretici eod. tit.* Nunc amissione omnium bonorum, vt *in l. Manichæi*, & nunc tandem pœna mortis, vt *in l. Quicumque eodem Codice.*

Vrgetur: S. Augustinus *citata epist.* 50. *circa medium* 51 ait, Quod Reges, & Principes sæculares debeant hæreticos punire, idémque sentire videtur Gregorius *lib.* 1. *epistola* 72. Leo *epist.* 4. (quatenùs ait: *seueris Principum constitutionibus Ecclesiam adiuuari.*) & *epistola* 2. (quatenus de hæreticis loquens inquit, hæreticos iuxta Christianorum Principum leges relegandos esse) & alij Sancti Patres.

Respondetur, Augustinum, Gregorium, Leonem, & alios Sanctos Patres id dicere, ex eo quod Ecclesia in executione suæ iurisdictionis, & potestatis vtatur (tanquam Ministro, & Instrumento) brachio Principum sæcularium, & ex eo quod Ecclesia exigat à Principibus sæcularibus, vt sibi ad hæreticos, & alios delinquentes puniendos auxilium præbeant; sicque non ex eo, quod non habeat talem iurisdictionem, & potestatem; sed ex eo, quod sibi vires deficiant, & potestatem, quam habet, non possit sine sæcularium Principum auxilio executioni mandare; & propterea Ecclesia monet prædictos Principes sæculares, vt sibi ad sui, & Reipublicæ defensionem vtantur, sicuti tenentur circa prædictos delinquentes puniendos potestate, quam habent.

Obiicies tertiò, *Isaia* 11. habetur: *Habitabit lupus cum* 52 *Agno, & Pardus, cum hœdo decumbebit: Vitulus, & Leo, & Ouis simul morabuntur, & puer paruulus minabit eos.* Et paulò post: *Non nocebunt, & non occident in vniuerso monte sancto meo: quia impleta est terra scientia Domini, sicut aquæ maris operientis:* Quibus verbis significat Isaias, quod sine cæde, & sanguine doctrina Christi per totum Orbem propaganda, & consetuanda sit: Ergo hæretici in Ecclesia sunt tolerandi, non autem pœnis temporalibus, præsertim capitis, puniendi.

Respondetur: Nego conseq. quia Isaias per ea verba solùm significat, quod in Ecclesia Christi pacificè simul conuersabuntur pauperes, & diuites, crudeles, & mansueti; iusti, & peccatores; impatientes, & patientes, nobiles, & ignobiles; ita vt Gentes barbaræ, & crudeles depositâ ferocitate, & crudelitate sua, viuant simul cum mansuetis, & patientibus (inde Saulus ex Hieron. *in d. c.* 11. *Isaia* spirans minarum, & cædis in Christianos, & erat lupus, habitauit cum S. Petro, & S. Ioanne) sic præter Hier. exponunt prædicta verba Origen. *hom.* 2. *in c.* 6. *Gen.* Chrysost. *hom.* 13. Basil. *hom.* 10. & alij Patres.

Idem etiam habetur *Osea* 2. *vers.* 18. Ibi: *Et percutiam cum eis fœdus in die illa cum bestia agri, & cum volucre cœli, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter.* Quibus verbis significantur varij hominum mores, variarum ferarum naturam imitantes; & promittit Deus, quod ita sit mansuefacturus omnes gentes (etiam crudeles, impias, barbaras & feras) vt fideles possint simul cum eis habitare, adeò pacificè, ac si pactum cum eisdem iniissent; sic exponunt prædicta verba Hieronymus, Theophylactus, Theodoretus, & alij *in cit. c.* 2. *Osea.*

Quamuis Rupertus, Isidorus & Montanus *in d.cap.* 10. *Oseæ* exponant de bestiis ad literam, quæ Apostolis & Martyribus subdebantur, eorúmque pedibus subijciebantur, iuxta illud *Lucæ* 10. *vers.*9. [Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit.] Vide *Act.*28. *vers.* 5. S. Paulus à vipera inuasus nihil mali ab ea passus est.

De hoc fœdere loquens Iob c. 5. *v.* 13. inquit: [Sed cum lapidibus Regionum pactum tuum & bestiæ terræ pacificæ erunt tibi.] Et Dauid *Psal.*90.*v.*13. Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.

Isaias igitur per dicta verba solùm significat, quod homines gentiles (qui instar luporum, leonum, ac pardorum barbari & feroces sunt) tempore legis Euangelicæ ferocitatem & barbariem suam sint deposituri, & simul cum mansuetis eamdem Christi doctrinam amplexuri, & amicos & cultores Dei non persecuturi, sed simul cum illis sub eisdem legibus pacificè victuri: Quod factum est iuxta illud *Actor.*4. *vers.* 32. [Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna.

53 Non tamen hinc sequitur, quod Ecclesia non possit persequi, & pœna etiam mortis (non quidem ex odio, sed ex zelo iustitiæ) punire (tanquam pacis & fidei perturbatores) hæreticos; alioquin sequeretur, quod neque posset Ecclesia punire sacrilegos, fures, adulteros, falsarios, homicidas, & alios delinquentes.

54 Cæterùm illa alia verba Isaiæ *eodem cap.* 11. [Non occident & non nocebunt in omni monte sancto meo.] faciunt sensum, quod qui priùs erant idololatræ, impij & crudeles, ad Christum postea conuerti, Ecclesiæ (quæ est mons sanctus Dei) non nocebunt, sicuti dicebam, & præter alios exponit Hieronymus *loco suprà citato.*

Quamuis etiam dici possit, quod & hæretici (qui sunt serpentes, & aspides) non nocebunt, neque damnum inferent Catholicis, quia licèt videantur iis nocere, reuera tamen non nocent, sed eos in doctrina & virtute Catholica se exercere faciunt; & quod Isaias hoc significare videatur, colligitur ex verbis paulò priùs prolatis *in eodem cap.* 11. Ibi: [Et delectabitur infans ab vbere, super foramine aspidis.] Quia in lege Euangelica (sicuti patet in Martyribus & Confessoribus) paruuli, qui in mansuetudine & innocentia infantes erant, inermes & nudi ad aspidum (scilicet Tyrannorum) fraudes & venenum non timebant, sed quasi ludum cum ipsis congredi putabant; cùm tamen ante legem Euangelicam etiam nomen, ac membrum illorum pertimescerent.

55 Ex dictis patet, quod in sacra Scriptura homines potentes & crudeles appellentur lupi, leones, pardi, Pantheræ, & vrsi; quapropter *Hieremiæ* 5. Nabuchodonosor Rex appellatur leo, lupus, & pardus; *& Prouerb.* 23. *vers.* 15. Princeps impius super populum pauperem appellatur leo rugiens, & vrsus esuriens.

56 Instabis: *Isaiæ cap.*2. habetur: [Conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces, non leuabit gens contra gentem, nec exercebuntur vltra ad prælium.] Quibus verbis significat Isaias, quod fides Christi, non armis, nec hominum cæde sit insinuanda & conseruanda: ergo recurrit difficultas quæ suprà fiebat.

Respondetur: Nego consequentiam, quia Isaias ibi describit solùm tempus Aduentus Messiæ, sicuti patet ex principio eiusdem *cap.*2.*vers.*2. [Et erit in nouissimis diebus, scilicet (vt præter alios exponit Augustinus *epist.*80.*ad Hesich.*) tempore Messiæ, præparatus mons domus Domini.] Scilicet (vt exponunt ibi Hieronymus, Basilius & Rupertus) Christus Dominus; cùm Christus Dominus sit mons in vertice montium, id est Prophetarum, & Apostolorum, quos doctrina & gratia sine vlla comparatione excedit (quamuis per hunc montem Cyrillus *ibi*, Eusebius *lib.* 2. *demonstrat. cap.* 3. *demonstr.*37. & Athanasius *epist.ad Epictetum in princ.* exponant & intelligant Ecclesiam,) cùm igitur ibi Isaias loquatur solùm de tempore Aduentus Messiæ, illa verba [Conflabunt gladios suos in vomeres & lanceas suas in falces] significant, quod tempore Aduentus Domini bella cessabunt, & quod homines relicta militia, agriculturæ operam nauabunt; & quidem quod tempore Aduentus Domini fuerit per vniuersum orbem maxima pax, scribit præter alios Hieron. *in d.c.* 2. *Isaiæ.*

57 Possunt etiam prædicta verba (sicuti volunt Tertullianus *lib.*3. *contra Marcion.cap.*21. Athanasius *lib.*1. *de Incarnat.* Irenæus *lib.*4. *cap.*67. & Origenes *lib.*5. *contra Celsum.*) intelligi de bonis & probis viris, qui animi affectionibus edomitis, & secum, & cum proximo, & cum Deo magno pacem habent, adeò quod si lædantur & bellare cogantur, non bellum in se, sed per bellum pacem & iustitiam quærunt; sicque Isaias prædicat, quod tempore Aduentus Messiæ talis futura sit lex Euangelica, & homines tunc non ad bellum, sed ad pacem adducantur, & fideles tunc non ad prælium, sed ad pacem & iustitiam exerceantur. Videri poterit præter alios Tertullianus *Gnost.cap.*13.

Non tamen hinc sequitur, quod Ecclesia non possit persequi & pœna etiam mortis, punire hæreticos, vti *suprà* dicebam.

58 Objicies quartò: *Matthæi* 13. *vers.*29. dicitur, quod non sint euellenda zizania, ne eradicetur simul cum eis triticum; sed per zizania intelliguntur hæretici, per triticum autem intelliguntur Catholici: ergo fit quod hæretici non sint eradicandi, sed simul cum Catholicis in eodem agro (scilicet in eadem Ecclesia) vsque ad diem iudicij tolerandi.

Respondetur: Nego consequentiam, quia parabola ista de zizaniis non est intelligenda de hæreticis tantùm, sed de peccatoribus omnibus in vniuersum (quando scilicet, si punirentur, grauiora mala sequerentur.) Origenes *homil.* 1.*in Iosue.* S. Augustinus *lib.*2. *retract. cap.*8. *& lib.*3. *contra Parmen.cap.*2. *circa med. & lib. de fide & operibus*, *& cap.* 17. *contra Aduersarios legis & Prophetarum, & serm.* 39. *de Sanctis*, vbi exponens hanc parabolam ait: zizania peccatores nempe sunt) *& sermon.*233. *de tempore cap.*2. (vbi inquit: [Dicam fratres mei, quod sentio, inter vos segetes Dei mixta sunt zizania, scilicet amatores mundi, amatores pecuniæ, amatores deliciarum, consultores nugarum, &c. S. Hieronymus *in d. verba cap.* 13. *Matthæi*, & S. Thomas 2.2. *q.*10.*art.*8.*ad primum, & q.*11.*art.*3. *ad* 3. *& q* 108. *art.*3. *ad primam.*

Et colligitur *ex cap. Notandum* 24 *q.*3.ibi: [sicut per bonum semen in dicto loco S. Matthæi intelliguntur omnes boni: quod explicat Christus Dominus, cùm ait: Bonum semen hi sunt filij Regni; zizania autem filij sunt nequam, id est filij diaboli, qui nequam est.] Colligitur etiam secundò ex verbis subsequentibus, ibi: [Mittet filius hominis Angelos suos, & colligent de regno suo omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem & mittent eos in caminum ignis.] Quæ verba comprehendunt omnes malos, qui mittendi sunt in infernum. Colligitur denique tertiò ex eo, quia zizania contradistinguitur à tritico ibi: [Colligite primùm zizania in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregate in horreum nostrum.] Sed per triticum intelliguntur omnes probi & electi; ergo per zizania intelliguntur omnes improbi & reprobi, seu præsciti.

59 Quod si dicas: Hieronymus, Theophilactus & Euthymius *in cit. cap. Matthæi* 13. Chrysostomus *homil.* 47. Cyprianus *lib* 1. *epist.*3. & etiam Augustinus *in libro per collationem contra Donatistas cap.* 8. per zizania intelligunt hæreticos.

Respondetur: Intelligunt hæreticos, ita vt excludant cæteros improbos, nego: ita vt includant, sed quia inter cæteros improbos hæretici sunt peiores, de hæreticis faciunt

faciunt specialem mentionem, concedo. Intelligenda est igitur Parabola ista de zizaniis, non de hæreticis tantùm, sed de improbis omnibus in vniuersum, sicuti dicebam.

60 Cæterum autem per istam Parabolam Christus Dominus non prohibet extirpari hunc, vel illum improbum, seu peccatorem in particulari; sed solùm prohibet, ne probi tentent extirpare omnes improbos, seu peccatores in vniuersum; cùm hoc fieri non possit sine magno damno proborum, seu iustorum, ita vt sic Christus Dominus insinuet, quod ante diem Iudicij nunquam futurum est, vt omnes improbi sint eradicandi.

61 At dato, quod Parabola dicta de zizaniis intelligenda sit solùm de hæreticis; Respondetur, quod Christus Dominus prohibuit ne hæretici puniantur, quando non possunt cognosci, neque à fidelibus discerni; sed si delictum sit publicum, & cognoscantur qui sint hæretici, qui verò Catholici, parabola dicta nihil obstat nobis, quia in tali casu, licèt eradicentur hæretici, non tamen periculum est, quod eradicentur fideles; quin quod in dicto casu hæretici eradicandi sint, patet ex iis quæ suprà dicebantur, & etiam ex eo, quia verba illa 1. *ad Corinth. cap.* 5. *vers.* 13. *Auferte malum ex vobismetipsis*, præcipuè accommodanda sunt ad hæreticos; item ex eo quia (cùm Christus Dominus dixerit esse cauendum & attendendum ab hæreticis) eo ipso censetur dedisse facultatem Ecclesiæ, quod ipsa ad eos coërcendos & puniendos mediis necessariis vteretur; quare cùm iudicauerit Ecclesia, ad dictos hæreticos coërcendos pœnam mortis esse medium expediens, fit quod eos tali pœna punire possit.

62 Instabis: S. Cyprianus *lib.* 3 *epist.* 3. ait, solum Dominum posse fictilia vasa confringere & zizania eradicare: Ergo.

Respondetur iuxta ea quæ mox *suprà* dicebam, solum Dominum posse fictilia vasa confringere & zizania eradicare, scilicet omnia, vel etiamsi discerni non possint, vel immediatè absque vllo medio, cùm Ecclesia tantùm possit mediis Principibus sæcularibus, tanquam instrumentis eidem Ecclesiæ subordinatis.

63 Vrgebis: *Luc.* 9. *vers.* 54. dicitur: *Domine vis vt ignis descendat de cælo?* Ad quæ verba Christus Dominus ad Apostolos conuersus, eos increpat dicens: *Nescitis cuius spiritus estis, filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* Quibus verbis Christus Dominus reprehendit Apostolos, quod vellent Samaritanos, quia non recipiebant Christum, per ignem consumere: Ergo, &c.

Respondetur: Nego consequentiam, quia illis verbis solùm significat Christus Dominus, noluisse se suam doctrinam Euangelicam in Orbe terrarum introducere per externam violentiam, (sicuti faciunt Tyranni, quando volunt Regna aliorum vsurpare,) sed per mansuetudinem, (sicuti prædixerat Isaias *cap.* 15. *vers.* 5. *& cap.* 61. *vers.* 1.) non tamen hinc sequitur quod Euangelium, postquam fuerit prædicatum & insinuatum, non possit defendi & conseruari, etiam pœnis temporalibus puniendos illos, qui ab Euangelica doctrina iam semel recepta recedere volunt; sermo igitur ibi non est de hæreticis, sed solùm de infidelibus nondum ad fidem conuersis, qui (cùm per baptismum Ecclesiæ subditi nunquam facti sint) ob infidelitatem ab Ecclesia puniri non possunt.

64 Respondetur secundò, Reprehendi ibi à Christo Domino Apostolos, quia cupiebant Samaritanos, non tam ex affectu salutis animarum (vt facit Ecclesia) sed ex affectu odij & vindictæ per ignem punire, sicuti indicat Cyprianus *epist.* 51. *&* 52.

Respondetur tertiò, Ex illo loco ad summum deducti, quod non pertineat ad Ecclesiam mortis sententiam in hæreticos, nec etiam in alios delinquentes per se & immediatè exequi: quod vltrò concedimus; cùm propterea Inquisitores non possint hæreticos punire pœna mortis, sed solùm eos tradere brachio sæculari.

Objicies quintò: *Luca* 22. Christus Dominus pro- 66
hibet Apostolis, ne vtantur gladiis; *& Matth.* 26. *& Ioan.* 18. Christus Dominus ad Petrum ait: *Conuerte gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Quibus verbis significat, quod Ecclesia non debeat vti gladio materiali: vnde S. Bernardus *lib.* 4. *de consideratione cap.* 3. scribens ad Eugenium Papam inquit: [Quid tu denuò vsurpare gladium tentas? quem iussus es in vaginam conuertere.] Et Tertullianus *lib. de patientia cap.* 3. scribit: [Patientia Christi in Malchu vulnerata est; itaque gladij opera maledixit in perpetuum] Putant igitur S. Bernardus, & Tertullianus, nolle Christum, quod Ecclesia vtatur gladio materiali; ergo, &c.

Respondetur: Nego consequentiam, quia *Luca* 22. Christus Dominus solùm significat, quod non sint ex odio & vindicta, neque ex propria & priuata auctoritate vindicandæ iniuriæ; idémque significat *Matth.* 26. *& Ioannis* 18. per illa verba: *Conuerte gladium tuum in locum suum.* Quod scilicet similiter non debeamus ex odio & vindicta, neque ex propria & priuata auctoritate sumere vindictam de inimicis nostris; vel quod non debeat Ecclesia capitis pœna delinquentes punire propria authoritate, sed debeat illos tradere potestati sæculari & punire per Ministros sæculares, sicuti dicebam, & notat etiam Bernardus *lib* 4. *de consideratione.*

Reprehendit verò Petrum Christus Dominus, quod 67
sine ipsius iussu seruum Pontificis vulnerauerit, quia temerarium erat, vnum hominem velle cum tanta militum turba pugnare. (Præsertim quia facile Christus Dominus, si voluisset, potuisset se liberare, quapropter dixit: [An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?] Vel quia sic Petrus Christi mortem impedire volebat; quapropter dixit: [Calicem quem dedit mihi Pater non vis vt bibam?] *cit. Matth.* 26. *& cit. Ioannis* 18.

Cæterùm Christus Dominus per illa verba: *Qui* 68
acceperint gladium, gladio peribunt, non significat, quod omnes illi qui gladium acceperint (nisi forsan vt plurimum) gladio perituri sint, sed alludit ad veterem legem, qua præcipiebatur, quod omnis homicida interficeretur. *Genes.* 9. *vers.* 6. Ibi: [Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.] Voluit sic igitur Christus Dominus monere Petrum, quod conuerteret gladium in locum suum, quia lege statutum erat, quod omnis homicida vita priuaretur. Theo-
philactus *in cap.* 18. *Ioannis*, vbi subdit, quod per hæc 69
verba Christus Dominus etiam significauerit, Iudæos, qui contra ipsum gladio venerant, gladio Romanorum perituros fuisse; quapropter & Euthymius inquit: [Prophetia fuit hæc perditionis Iudæorum, qui aduersùs Christum Dominum venerant.]

Quamuis alij (vt Hieronymus) exponant prædicta 70
verba de gladio non materiali, sed de gladio spirituali, scilicet de diuina vindicta, quia punientur à Deo in hac vel in altera vita, Et alij (vt Augustin. *lib.* 2. *de serm. Domini in monte cap.* 29.) exponant etiam non de gladio materiali, sed de gladio similiter spirituali, scilicet de peccato; quia, inquit Augustinus: [Omnis qui gladio percusserit, gladio morietur: nam ipso peccato anima moritur; omnis igitur qui alterum iniustè occidit, seipsum occidit.] Et alij (vt idem Augustinus *in quæstionib. veteris & noui Testamenti.* Theophylactus *in d. cap.* 26. *Matthæi.* & Caietan. *in d. cap.* 18. *Ioannis*) exponant non de facto, seu secundùm factum, sed de merito seu secundùm meritum, ita vt sensus sit: omnis qui gladio iniustè interfecerit hominem, morte dignus est.

Objicies sextò: Paulus Apostolus 2. *ad Corinth. c.* 10. 71
v. 4 inquit: [Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum] Accedit quod ipsemet Paulus Apostolus aduersùs hæreticos solùm armis spiritualibus vsus sit, vel vt ipsemet Paulus

loquitur, *gladio spiritus*, quod est verbum Dei. Accedit secundò, quod idem Paulus Apostolus *ad Romanos* 13. de solis Principibus & Iudicibus laicis dicat, quod non sine causa gladium portent; ergo recurrit difficultas.

Respondetur: Nego consequentiam, quia Paulus Apostolus per illa verba 2. *ad Corinth.* [Arma militiæ nostræ,&c.] solùm significat, Apostolos in Euangelio prædicando non esse vsos armis carnalibus, scilicet (vt explicat ibi Chrysostomus) opibus, gloria, Principatu, humana scientia, facundia, astutia, simulatione, gladio, scuto,&c. (Quibus homines carnales vtuntur,) sed esse vsos armis spiritualibus, scilicet (vt exponit ibidem Anselmus,) charitate,patientia, humilitate, oratione, prædicationis efficacia, spiritus vehementia, sanctitate, miraculis, puta intentione, &c. quod dixit idem & Paulus Apostolus 1. *ad Corinth.* 2. cùm ait: [Sermo meus & prædicatio mea, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostentatione spiritus, vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. Nihil igitur ex hoc loco Pauli Apostoli colligitur, quod nobis aduersetur.

72 Vt omittam potestatem quam habet Ecclesia à Christo Domino, puniendi etiam corporaliter hæreticos & alios delinquentes, posse dici spiritualem, quia potestas hæc cùm directè extendatur ad spiritualia;& temporalia ordinentur ad spiritualia, indirectè extenditur etiam ad temporalia.

73 Dicuntur autem à Paulo Apostolo hæc arma esse potentia Deo; quia scilicet sunt ordinata ad defendendum honorem Dei, vel quia sunt valida & efficacia per Deum, vel quia sunt virtus Dei, (cùm per illa in audientium animis miros effectus operetur Deus,) vel quia quodammodo vsui sunt ipsimet Deo, vel quia instituta sunt à Deo, vel quia denique indicant vim & potentiam Dei.

74 Dicuntur item eadem *arma ad destructionem munitionum*; quia scilicet sunt ad destructionem syllogismorum, sophismatum eloquentiæ humanæ, virtutum philosophicarum sæcularis potentiæ,&c.

75 Vt omittam etiam Apostolum Paulum ipsum interdum tali virtute diuina ad corporaliter puniendos delinquentes vsum fuisse; quamuis tamen rarò,quia tunc expediebat Ecclesiæ.

76 Quod verò de Principibus temporalibus dicit idem Apostolus, scilicet, eos non sine causa gladium portare; ideò est, quia Principibus sæcularibus vsus gladij materialis conceditur directè, Ecclesia autem solùm indirectè & eminenter; ita vt seruato debito ordine iustitiæ, Principes sæculares gladio materiali vtantur nutu Pontificis, & gladius materialis Principum sæcularium subordinetur, seu subiectus sit gladio spirituali Pontificis.

77 Objicies septimò: Lege naturæ conceditur Principibus sæcularibus potestas puniendi in corpore,vel in bonis temporalibus homines, si delinquant: ergo homines, si delinquant, punire in corpore, vel in bonis temporalibus, spectabit ad Principes sæculares, non autem ad Ecclesiam,seu ad Prælatos Ecclesiasticos.

Respondetur: distinguo antecedens; solummodò & priuatiuè, ita vt nullo modo concedatur Ecclesiæ, nego; ita vt indirectè concedatur etiam Ecclesiæ, concedo; quia potestas Ecclesiæ vtpote spiritualis, directè extenditur ad spiritualia, & consequenter indirectè extenderetur etiam ad temporalia, vt seruetur subordinatio temporalium ad spiritualia; (cùm temporalia ordinentur ad spiritualia,) & vt Ecclesia possit res suas Ecclesiasticas administrare, & fideles adiuuare, quod finem supernaturalem (ad quam conditi sunt) consequantur; & vt quandocumque opus erit, defectum potestatis sæcularis (si in sui officij executione negligens fuerit, vel si potestate temporali,quam habet, abutatur) possit supplere.

78 Idque maximè verum est in crimine hæresis, quod potest & debet Ecclesia per se, vel per alios punire; & Ecclesiam potestatem habere puniendi delinquentes pœnis etiam temporalibus, patet vlterius *ex cap. Si vos* 23.q.5. (quod desumptum est ex Augustino *lib. de vnitate Eccles.cap.17.*) & *cap. Sæpe* 28.q.1. *ex cap.2. de pœnis*, & *ex cap.1. de homicid.* (quod desumptum est ex Concilio generali Lugdunensi, vbi Innocentius IV. omnes cuiuscumque sint ordinis & dignitatis (etiam Principes) qui procurant vt fideles per Assassinos occidantur, puniri non solùm excommunicatione, & aliis pœnis spiritualibus, sed etiam pœnis temporalibus; cùm velit ibi Pontifex, quod isti tales priuentur suis bonis, & ab vniuerso Christiano populo sint diffidati: diffidare verò (vt ex communi præter alios docent Couarruuias *lib.2.variar. cap.20.n.10.* & Castaldus *de Imperat.q.103.n.2.*) significat,quod qui est diffidatus,licitè & impunè possit puniri.

79 Objicies octauò: Oportet, seu necesse est, hæreses esse; ergo hæretici non sunt, præsertim pœna capitis puniendi, sed tolerandi.

Respondetur: Distinguo antecedens: Necesse est hæreses esse, antecedenter & absolutè, nego; quia quicumque peccat, liberè peccat, ita vt possit non peccare, alioquin non peccaret, cum Deus non obliget ad impossibile: Consequenter & ex suppositione, quod Deo permittente, sic homo ex sua malitia liberè se determinauerit, concedo: At nego consequentiam, quia similiter etiam dicitur: *Necesse est vt veniant scandala*; & tamen scandala puniuntur; vnde subditur: *Væ autem illi per quem scandalum venit.*

80 Instabis: Deus permittit hæreses; ergo recurrit difficultas.

Respondetur: Nego similiter consequentiam, quia permittit etiam scandala, & cætera omnia peccata,quæ tamen puniuntur.

81 Reinstabis: Deus permittit hæreses,ita vt in hac vita nunquam hæreticos puniat: ergo nec Ecclesia illos punire debebit.

Respondetur: Nego etiam consequentiam; & disparitas est,quia (cùm Deus hæreticos puniat in altera vita, in qua non punit Ecclesia,) debebit Ecclesia illos punire in hac præsenti vita. Vel

82 Respondetur secundò meliùs: Nego antecedens,quia tempore suo Deus etiam punit hæreticos in hac vita; & quidem (vt omittam alios,ne sim longior.)

83 Iudas qui primus fuit inter Christianos hæreticus (vt habetur *in Epistola Sancti Athanasij ad Episcopos Catholicos aduersus Arium*,quæ refertur *lib.1.histor.tripart. cap.13.* & notat Hieronymus *in cap. 26. Matthæi*, & Prateolus *verbo Iudas Iscariotes*,) laqueo se suspendit, & crepuit medius, a quo proditore Iuda dicti fuerunt Iudaistæ, qui (sicuti referunt Prateolus *loco suprà citato* & Philastrius *lib. de hæresi hæres. 56.*) docebant Iudam bonum opus operatum esse, eo quod Christum Dominum prodiderit.

84 Simon Magus similiter Hæresiarcha, cùm volare arte magica niteretur,orante Sancto Petro,in terram præceps corruit,& confractus est: qua de re videri poterit præter alios Baronius anno Domini 68.

85 Lucianus Apostata, cùm diu & multum aduersùs Christum & Ecclesiam latrauerit, à canibus dilaniatus fuit; sic refert Suidas *verb. Lucianus*,& Baronius anno 171. *n. 7.* qui idem An.173.*n.20.* scribit Montanum & Maximillam Pseudoprophetissam laqueo sese suspendisse; & eodem anno 173.*n.10.*subdit, Theodorum Coriarium in aërem à Dæmone se extolli permisisse, & in terram prolapsum horribiliter obiisse; de quibus omnibus videri poterit etiam Eusebius *lib. 5. cap. 5. & cap.25.*

86 Manes Persa, dictus Manichæus, Rege sic volente, arundine fuit excoriatus, eiusdémque corpus fuit traditum bestiis deuorandum,cutis verò paleis expleta instar vtris ante portam vrbis suspensa: sic refert Cyrillus *catech.6.* & Epiphanius *hæres.67.* subdens, quod sic suo

tempore

tempore dicta cutis in Perside custodita fuerit.

87 Iulianus Apostata, lancea, sicuti quidam volunt, à dæmone transfossus, desperans miserè mortuus est; sic refert Baronius anno 363.& 364. *n.1.& seqq.*

88 Donatistæ quidam, qui Sacrosanctam Eucharistiam canibus suis comedendam tradiderunt, ab iisdem canibus, rabie accensis, tanquam non Domini, sed ignoti, & inimici lacerati fuerunt; sic refert S. Optatus *lib.* 2. *contra Parmin paulò post medium.*

89 Arius eodem tempore, quo furore armatus in Ecclesiam pugnare aggrediebatur, animam, viscera, & excrementa turpiter effudit,

90 Nestorius, blasphema lingua à vermibus exesa & consumpta, apud Insulam quamdam exulans infeliciter obiit.

91 Lutherus, cùm vespere benè comedisset & bibisset, atque hilaris decubuisset postridie exanimis in lectulo repertus est die 18. Februarij anno 1546. sic refert Coclæus *in vita eiusdem Lutheri*, ac denique

92 Caluinus calculo, podagra, hæmorrhoide, phtisi, asmate, hemicrania, fluxione, & sanguinis excreatione laborans animam exhalauit die 27. Maij ann. 1564. Beza *in vita Caluini.* Bellarminus *de Eccles. cap.* 13. & Bolzecus *in vita eiusdem Caluini cap.* 22. vbi subdit, Caluinum non solùm pediculis, ac vermibus toto corpore, præsertim in fundamento & verendis (quibus fœtidissimum ulcus inerat) fuisse corrosum, sed etiam dæmones inuocantem, stomachantem, execrantem, maledicentem tempori, quo studuerat, & scripserat, infeliciter obiisse.

93 Vrgebis: Est contra mansuetudinem Ecclesiæ pœnis corporalibus, præsertim pœna capitis, punire hæreticos: ergo.

Respondetur: Distinguo antecedens: si id faceret Ecclesia quomodocumque, concedo: si id faceret Ecclesia (sicut de facto facit) monendo priùs hæreticos, quod ad fidem redire velint; & tamen illi sint pertinaces, vel relapsi, nego; quia mansuetudo debet esse talis, vt puniantur delinquentes, vt seruetur iustitia (cùm virtus vna non pugnet cum alia virtute, sed omnes inter sese virtutes connexæ sint.) Et quia modus Regiminis debet esse ita suauis, vt expediat bono communi, non autem sit contra bonum commune.

94 Quod inde quoque patet, quia Apostoli mites & mansueti fuerunt, & tamen compluries spiritu seueritatis vsi sunt: nam Petrus occidit Ananiam & Zaphiram coniugem eius, *Actor.* 5. & Paulus tradidit Corinthium Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret. *Corinth. cap.* 5. *vers.* 5. Et excæcauit Elimam Magum. *Actor.* 13. *vers.* 11. Quo spiritu seueritatis vsus est etiam idem Paulus (vt notauit Augustinus *lib.* 3. *contra Epistol. Parmen.*) *epist.* 1. *ad Corinth. c.* 4. *vers.* 21. Ibi: *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in spiritu mansuetudinis?* Et *epist.* 2. *ad eosdem Corinthios c.* 10. Ibi: *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam.* Et paulò post: *Si gloriatus fuero de potestate quam dedit Dominus nobis in ædificationem, non in destructionem, non erubescam.* Quinimò & Christus Dominus ipse, quamuis mitissimus, flagello de Templo eiecit ementes & vendentes, *Luc.* 19. *vers.* 45.

95 Reurgebis: Si hæretici pœna mortis puniantur, periculum est quod damnentur: at si vita donarentur, possent conuerti & saluari: ergo non sunt per potestates sæculares pœna capitis puniendi.

Respondetur: Nego consequentiam, quia argumentum non habet locum in hæreticis pœnitentibus (cùm si in tali casu moriantur, saluentur,) neque argumentum locum habet in hæreticis pertinacibus (cùm bonum Ecclesiæ bono particulari sit præferendum, & ipsis hæreticis, non autem Ecclesiæ sit imputandum, si non saluentur,) vt omittam fieri etiam posse, quod & iisdem hæreticis melius sit, si vita priuentur, quia viuendo plura peccata committerent, & causa essent, quod plures damnarentur.

Objicies nonò: Hæretici non sunt membra Ecclesiæ: ergo non potest eos punire Ecclesia. Consequentia probatur, quia qui sunt foris, seu extra Ecclesiam, non potest eos punire Ecclesia. *Cap. Gaudemus de diuortiis, cap. multis* 2. *q.* 1. Et docent ex communi præter alios Albericus *in rubrica Cod. de iudic. n.* 3. & Oldrad. *cons.* 51. Quapropter Apostolus Paulus 1. *Corinthior.* 5. *vers.* 12. inquit: *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare?* 96

Respondetur: Distinguo antecedens: Hæretici non sunt membra Ecclesiæ simpliciter & absolute loquendo, (quatenus scilicet non retinent etiam fidem) concedo: Non sunt membra Ecclesiæ secundùm quid (quatenus scilicet retinent solùm characterem baptismalem, per quem se subdiderunt Ecclesiæ, nego; quapropter quamuis sint ab Ecclesia separati quoad vnionem spiritualem, & internam, & etiam quoad communicationem externam cum cæteris fidelibus, tamen quia secundùm quid sunt in Ecclesia, & de iure etiam pertinent ad Ecclesiam, puniri poterunt ab Ecclesia; Apostolus Paulus autem loquitur solùm de iis, qui omnimodo sunt extra Ecclesiam (cuiusmodi sunt qui baptismum nunquam susceperunt) non autem etiam de iis qui illum non habuerunt, sicuti patet ex iis quæ dicebam; & ex eo, quia Respublica non priuatur Iurisdictione in subditum, etiamsi subditus fugiat extra Patriam & Rempublicam; Neque dux exercitus priuatur Iurisdictione in suum militem, etiamsi suus miles fugiat extra militiam, *l. desertorem, ff. de re militar.* Neque Abbas priuatur iurisdictione in suum Monachum, etiamsi suus Monachus fugiat extra Monasterium, vel Religionem, *cap. sanè, & cap. finali de Regular.* Neque tandem Dominus priuatur iurisdictione in suum vassallum (vt redeat, v.g. ad habitandum) si scilicet suus vassallus sine licentia Domini decesserit de loco. Bald. *in Prælud. feud. n.* 17. Afflict. *in cap finali, §. vltimo, n.* 126. *de cap. qui car. vend.* Decian. *respons.* 41. *n.* 90. *lib.* 2. & alij, quos citat & sequitur Ricciulius *lib.* 5. *de Iure person. cap.* 12. *n.* 14. *& seqq.* (vbi subdit, quod Ecclesia in quibusdam casibus punire possit etiam Hebræos, *l.* 2. *& l. Iudæos, & l. Iudæi, Cod. de Iudæis, & cap. In nonnullis eod. tit.*) Vide quæ dicebam *suprà sect.* 20. *&* 21.

Instabis: Homicidæ, fures, latrones, adulteri, & similes homines scelerati, ex eo quod perturbant pacem & 97
tranquillitatem Reipublicæ, seu Politicam, puniuntur pœnis corporalibus a Principibus & Ministris sæcularibus: ergo hæretici ex eo, quod perturbant solùm pacem & tranquillitatem Ecclesiæ, seu Ecclesiasticam, puniri debebunt pœnis tantùm spiritualibus, & non etiam temporalibus à Prælatis Ecclesiasticis.

Respondetur: Nego consequentiam, quia hæretici (sicuti suprà dicebam) perturbant vtramque pacem & tranquillitatem; & quidem primò, & per se perturbant pacem & tranquillitatem Ecclesiæ, seu Ecclesiasticam (quæ consistit in vnione fidei, iuxta illud *ad Ephes.* 4. *v.* 5. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptisma.*) Perturbant etiam pacem & tranquillitatem Reipublicæ, seu politicam; quia (cùm hæretici irrideant cæremonias Ecclesiasticas, Sacramenta, cultúmque Sanctorum, & euertant Altaria, &c.) non possunt cum Catholicis pacificè viuere. Quod & inde patet, quia Ariani perturbarunt totum Orientem, Macedoniam, Græciam, Donatistæ & Circumcelliones, Aphricam; Iconomachi & Albicenses, Romanorum Imperium; Lutherani, Germaniam; Hussitæ, Bohemiam; Caluinistæ, Galliam, Angliam, & alias mundi partes: quare potiùs retorquetur contra aduersarios argumentum.

PETITIO

PETITIO VI.

An hæreticus puniri debeat etiam in domo, ita vt ipsius domus funditùs euertatur?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus puniri debet etiam in domo, ita vt eius domus funditùs euertatur, ita vt nullo vnquam tempore sit reparanda, dummodo in ea is conuenticula fecerit, & hæresim docuerit.*

2 *Idem dic de domo, in qua hæreticus se occultauit, ne caperetur ab Inquisitoribus, quia reputatur, quod Dominus illius fauorem ipsi hæretico præstiterit.*

3 *Dominus domus vt ab hac pœna excusetur, debebit probare, quod ignoranter processerit, vt habetur in Constitutione Alexandri IV. & Clementis IV.*

4 *Domus non destruitur, si non ex consensu Domini domus; sed ex consensu conductoris, eò hæretici conuenerint; sed conductor, vt hæreticorum fautor aliis pœnis punitur, scilicet pecuniæ, verberum, & exilij.*

5 *Domus aliena aliquando destruitur etiam si Dominus illius, crimen in illa commissum ignorauerit, si scilicet talis destructio conuenire videbitur ad vtilitatem, & terrorem communem, restituto tamen pretio Domino domus.*

6 *Domus delinquentis delicto læsæ maiestatis, siue diuinæ, siue etiam humanæ, si sit hypothecata vxori, vel alteri, & delinquens non habeat alia bona, quæ loco domus subrogentur, non potest tunc domus destrui, nisi Fiscus ex propriis bonis vxori, vel alteri satisfecerit.*

1 RESpondetur affirmatiuè, & ita vt nullo vnquam tempore sit reparanda; si scilicet in ea hæreticus conuenticula fecerit, & hæresim docuerit. Zanchin. *tract. de hæretic. c.39. & 40.* Peña *loco suprà citato comment. 92. circa finem*, & alij, quos refert & sequitur Farinac. *q. 190. §. 2. n. 50. & seqq.*

2 Idem dicas de domo, in qua hæreticus se occultauit, ne caperetur ab Inquisitoribus (etiamsi dicta domus sit alterius) quia reputatur, quod Dominus illius fauorem ipsi hæretico præstiterit. Zanchin. Peña, & Farinacius *in locis suprà citatis.*

3 Quapropter, vt Dominus domus ab hac pœna excusetur, debebit probare, quod ignoranter processerit; vt habetur in Constitutione Alexandri IV. quæ incipit: *Felicis recordationis*, ibi: *Nisi legitimè constiterit, prædictarum domorum dominos penitùs innocentes, & prorsùs inculpabiles extitisse.* Et in Constitutione Clementis IV. quæ incipit: *Ad extirpanda*, apud Peñam *inter litteras Apostolicas in fine.*

Aduerte tamen, quod si non ex consensu Domini domus, sed ex consensu conductoris ibi hæretici conuenerint, non destruitur domus, sed conductor, vt hæreticorum fautor, aliis pœnis punitur, scilicet pecuniæ, verberum, vel exilij, iuxta conditionem personæ, ex Textu *in l. Ariani, §. Cunctis, vers. siue de priuatis ædificiis, Cod. de hæretic.* & tradunt Decian. *lib. 5 cap. 51. n. 50.* & alij passim, quos citat & sequitur Farinac. *q. 190. §. 2. num. 39.*

5 Aduerte secundò, quod aliquando domus aliena destruitur (etiamsi dominus illius crimen in illa commissum ignorauerit,) si scilicet talis destructio conuenire videbitur ad vtilitatem & terrorem communem; restituto tamen pretio domino domus: Quod ratò contingit, nisi in crimine nimis publico & scandaloso Zanchin. *tract. de hæretic. c. 39.* Simanch. *de Cathol. Institut. tit. 46. n. 91.* & alij quos refert & sequitur Farinacius *loco suprà citato, numero 37.*

Aduerte tertiò, quod si domus delinquentis delicto læsæ Majestatis, siue diuinæ, siue etiam humanæ, sit hypothecata vxori, vel alteri, & delinquens non habeat alia quæ loco domus subrogentur, non potest tunc domus destrui, nisi Fiscus ex propriis bonis vxori, vel alteri satisfecerit, quia aliàs vxor, vel alter creditor innoxius hypothecam amitteret, quod est absurdum. Clar. *q. 82. verb. statutum 8. n. 4.* & alij, quos citat & sequitur Farinac. *q. 116. n. 28. & seqq.* 6

DVBITATIO CLXIII.

An, & quomodo puniendi sint Hæresiarchæ, & Dogmatistæ?

SVMMARIVM.

1 *Hæresiarchæ & Dogmatistæ, sunt non solùm qui errorem inuenerunt, sed etiam qui errorem iam inuentum, quasi ex officio, vel consuetudine, aliis, siue publicè, siue occultè prædicarunt; quia ratione talis consuetæ prædicationis verè sunt Magistri, & Principes erroris, & errorem sequentium.*

2 *Hæresiarchæ & Dogmatistæ sunt, qui alios quasi ex officio vel consuetudine peruertere conantur, ita vt excludantur ij, qui consanguineos, vel vnum, vel alterum priuatum peruerterunt.*

3 *Hæresiarchæ & Dogmatistæ, licèt secundùm aliquos quantumuis signa pœnitentiæ præbuerint, brachio sæculari sine vlla misericordia tradendi sunt: Probabiliùs tamen est oppositum, nempè eos, si vera conuersionis signa præbuerint, ad reconciliationem admittendos esse, & brachio sæculari non tradendos, quia nullus est Textus in Iure Canonico, qui talibus talem pœnam indicet.*

4 *Berengarius hæresiarcha conuerti volens ad gremium Ecclesiæ receptus fuit.*

5 *Hæresiarcha & Dogmatista sic conuersus faciliùs alios conuertet.*

6 *Peruersor aliorum ex legibus Imperialibus pœna mortis punitur: ac prædictas leges non obstare censendum est, quia eæ in hoc crimine, quod merè est Ecclesiasticum, locum non habent, nisi quando hæretici ex foro Ecclesiæ pelluntur.*

7 *Dispositio iuris simpliciter prolata de hæreticis, debet simpliciter etiam intelligi de Hæresiarchis & Dogmatistis.*

8 *Inquisitores in admittendis Hæresiarchis & Dogmatistis debent cum magna prudentia procedere, ne illi simulata pœnitentia simplices decipiant.*

9 *Inquisitores forsan non debent ad reconciliationem admittere Hæresiarchas & Dogmatistas illos, qui post longum tempus, & post multas admonitiones, & mox Curiæ sæculari tradendi, pœnitentiæ signa præbent, quia tales videntur fictè conuerti.*

10 *Inquisitores forsan neque debent ad reconciliationem admittere illos, qui præceptis, comminationibus, pœnis, præmiis, promissionibus iuratis, vel aliis exquisitis modis conati sunt hæresim persuadere. Vel conati sunt peruertere Regem, Principes, vel alias personas Regales, &c.*

11 *Ecclesiæ Sacramenta concedi debent omnibus his delinquentibus, qui pœnitentiæ signa præbent, licèt brachio sæculari tradantur, & ad publicam reconciliationem non admittantur.*

Suppono,

1 SVPPONO, quod Hæresiarchæ & Dogmatistæ sint non solùm, qui errorem inuenerunt, sed etiam qui errorem iam inuentum quasi ex officio, vel consuetudine, aliis, siue publicè, siue occulte prædicauerunt, quia ratione talis consuetæ prædicationis verè sunt Magistri, & Principes erroris, & errorem sequentium. Peña 2.*part.direct.q.39.comment.*64 Suarez *de fide disp.*23. *sect.*2. *n.*11. & alij, quos citat & sequitur Farinac.*q.* 178. *n.* 15. ex Textu *in cap. Qui aliorum* 24. *q.* 3. Ibi: *Qui aliorum defendit errorem, multò amplius damnabilior est illis, qui errant, quia non solùm errat, sed etiam aliis offendicula erroris præparat & confirmat; vnde quia Magister erroris est, non tantùm hæreticus, sed etiam Hæresiarcha dicendus est.*

2 Dixi, quod hæresiarchæ & Dogmatistæ sint, qui alios quasi ex officio, vel consuetudine peruertere conantur, vt excludantur ij qui consanguineos, vel vnum, aut alterum priuatum peruerterunt; tales enim non propriè Hæresiarchæ, vel Dogmatistæ dicuntur. Sic Doctores *in locis suprà citatis*, præcipuè Suarez *num.*11. His suppositis.

3 Respondetur, quod (quamuis Royas *tract.de hæretic.* 2.*part.n.*339.*assert.*43. Repertor. Inquisit. *verb. Docere.* Suarez *cit.sect.*2.*n.*9. & Simanch.*de Cathol.Instit.tit.*47. *n.*50. putent, Hæresiarchas & Dogmatistas siue vlla misericordia, quantumuis signa pœnitentiæ præbuerint, brachio sæculari tradendos esse. Ad quam opinionem inclinat etiam Lorca *in* 2.2.*q.*11.*art.*4.*disp.*27.*membr.*5. *n.*7. licèt in fine subdat, quod interdum conueniat, supradictis reis pœnam mortis indulgeri; ideoque id prudenti iudicio Inquisitorum remittendum sit.) Probabilius tamen sit oppositum (quod docent Cantera *quæst.crimin.rubr.de hæretic.c.*1. *n.*70. Peña 2 *part.direct. comment.*64.*versic. An autem.* & Decian.*lib.*5.*tractatuum criminal.c* 54.*n.*47.) nempe prædictos Hæresiarchas & Dogmatistas, si veræ conuersionis signa præbuerint, ad reconciliationem admittendos, & brachio sæculari non tradendos esse.

Probatur, quia nullus est Textus in Iure Canonico pœnam, modo quo volunt aduersarij, Hæresiarchis & Dogmatistis indicens: quinimò contrarium potiùs insinuat Textus *in cap. Ad abolendam, de hæretic.* cùm ibi Pontifex æquet eos, qui docent, iis qui credunt hæreses. Ibi: *Aliter sentire, aut docere non metuunt:* & de omnibus subjungat, ad misericordiam recipi, si publicè consenserint abjurare, & congruam satisfactionem exhibere.

4 Confirmatur, quia Berengarius hæresiarcha, conuerti volens ad gremium Ecclesiæ receptus fuit; *cap. Ego Berengarius de consecrat.dist.* 2. & Cazalla insignis hæresiarcha, teste Cantera *loco suprà citato*, brachio sæculari ex speciali Breui sedis Apostolicæ relaxatus fuit; aliàs non relaxandus.

5 Confirmatur secundò, quia sic Hæresiarcha & Dogmatista conuersus, faciliùs alios conuertet, & conuersos in fide confirmabit.

6 Objicies ex aduersariis: In quampluribus legibus Imperatoris expressè cauetur, quod aliorum peruersor pœna mortis puniatur. Sic *in l. vltima, Cod. de Iudæis.* ibi: *Pœna sanguinis destinandus, qui fidem alterius expugnauit peruersa doctrina. In l. vltima, Cod.de Apostat.* Ibi: *Pœna capitis esse puniendum, qui alium peruertit. In l.Cum qui seruum, Cod.eodem. in l.Quicumque, Cod.de hæretic. in l.* 2. *Cod. Ne sacrum Baptisma iteretur*, & in aliis multis; quibus legibus standum est, cùm in Iure Canonico contrarium dispositum non reperiatur: non enim inusitatum est, quod in pœnis imponendis Ius Canonicum per Ius Ciuile suppleatur.

Respondetur, prædictas leges Imperatorias non obstare, quia tales leges in hoc crimine, quod merè est Ecclesiasticum (cùm contrarium, vt suprà dicebam, in Iure Canonico sit insinuatum) locum non habent; nisi quando hæretici ex foro Ecclesiæ pelluntur, & iudicio sæculari traduntur iudicandi. Accedit quod si quid probarent, probarent etiam, quod quilibet peruersor alterius, etiamsi vnius tantùm pœna mortis sit afficiendus quod nemo dixerit.

7 Objicies secundò, Esto in Iure Canonico cautum sit, hæreticos pœnitentes ad reconciliationem admitti debere; id tamen intelligi debet de hæreticis communiter contingentibus, non autem de hæreticis qualificatis & à communi modo peccandi exorbitantibus; Tales enim metiendi non sunt regula communi, sed ita vt lex simpliciter loquens, in illis locum habere non debeat, argumento *l: Nunquam plura, ff. de priuat.delict.*

Respondetur: Distinguo ly *Non autem intelligi debet de hæreticis qualificatis:* ita vt per hæreticos qualificatos intelligantur quicumque Hæresiarchæ & Dogmatistæ, nego ob rationes supradictas; ita vt intelligantur tantùm Hæresiarchæ, vel Dogmatistæ quidam, de quibus mox *infrà* dicam *in Aduertendo* 2. & 3. concedo.

8 Aduerte tamen, quod in admittendis Hæresiarchis & Dogmatistis, Inquisitores debent cum magna prudentia procedere, ne illi simulata pœnitentia simplices decipiant, iuxta Textum *in cap.Vt officium de hæretic.in* 6. Ibi: *Prouiso solerter, ne simulata conuersione redeant fraudulenter, & vos imò seipsos fallentes sub agni specie lupum gerant:* Quapropter tales homines multis experimentis, an fictè, vel verè, & ex animo conuertantur, debent teneri, & grauissimis pœnis affici, præcipuè carceris irremissibilis, à quo non nisi post longissimum tempus, & manifestissima veræ contritionis signa liberari debebunt. Simanch. *de Cathol. Instit. tit.*47.*n.*72. Peña 2 *part.direct.q.*39.*comment.*64.*vers. Tametsi*, & alij communiter, quos refert & sequitur Farinacius *q.*193. *num.*12.

9 Aduerte secundò, quod forsan Inquisitores non debent ad reconciliationem admittere Hæresiarchas & Dogmatistas illos, qui post longum tempus, & post multas admonitiones, & mox Curiæ sæculari tradendi pœnitentiæ signa præbent; quia tales non videntur verè & ex animo, sed fictè (ad vitandam scilicet pœnam mortis) conuerti velle: quapropter dixit Sousa *in Aphor. Inquis.lib.*1.*cap.*9.*n.*14. quod si Hæresiarcha, vel Dogmatista errorem suum, postquam ab Inquisitoribus deprehensus fuit, defendat, tametsi postea conuertatur, non sit ad reconciliationem admittendus; quod si verò statim conuersus fuerit, & signa veræ conuersionis ferè euidentia dederit, ad reconciliationem admitti possit.

10 Aduerte tertiò, quod forsan Inquisitores neque debent ad reconciliationem admittere illos, qui præceptis, comminationibus, pœnis, præmiis, promissionibus iuratis, vel aliis exquisitis modis conati sunt hæresim persuadere, vel conati sunt peruertere Regem, Principem, vel alias personas Regales, aut filios, quia in his omnibus delinquentibus ratione grauitatis delicti, & ratione pœnitentiæ defectus, qui cum magno periculo semper timetur, sufficiens fundamentum existit, vt Inquisitores recedere possint à communi Iuris regula statuente, quod hæretici pœnitentes ad reconciliationem admittuntur. Sic Doctores, quos citat & sequitur Farinacius *q.* 193. §.1.*num.*7. *& seqq.*

11 Aduerte quartò, quod omnibus his delinquentibus, qui pœnitentiæ signa præbent, licèt brachio sæculari tradantur, & ad publicam reconciliationem non admittantur, concedi debent Ecclesiæ Sacramenta: (sicuti de relapsis pœnitentibus dubitatione præcedenti dicebam) ex Textu *in cap. Super eo de hæretic. in* 6. (Qui Textus etsi de relapsis expressè loquatur, ad omnes tamen pœnitentes, ex identitate rationis, extenditur,) & docent communiter Doctores, quos sequitur Suarez *de fide disput.*23.*sect.*2.*n.*12. Simanch.*tit.*65.*n.*7. Sousa *in Aphor.Inquis.lib.*1.*c.*10.*n.*18. & Barbos.*in collect.tom.*5. *lib.*5. *tit.*2. *c.*5. *n.* 5. Quidquid in contrarium dixerint Couarruu. *lib.* 2.*variar. cap.*1.*n.* 11. & Cantera *rubr.de hæretic.n.*13. moti ex eo, quod in praxi talis consuetu-

do seruetur ; quæ quidem tamen si alicubi reuera seruatur, seruari non debere videtur, cùm illa præcepto diuino de sumendo viatico repugnare videatur.



DVBITATIO CLXIV.

An, & quomodo puniendi sint Hæretici pœnitentes tardè conuersi? An scilicet tales ad reconciliationem admitti, vel potiùs brachio sæculari tradi debeant?

SVMMARIVM.

1 *Hæretici pœnitentes tardè conuersi, si conuertantur ante sententiam, etiam post receptas probationes, & testium publicationem, ad reconciliationem admitti debent.*

2 *Hæretici pœnitentes continuò & confestim dicuntur redire ad fidem, si redierint intra tempus, quo condemnari possunt.*

3 *Hæretici pœnitentes si conuertantur post latam sententiam, probabilius est, quod regulariter ad reconciliationem admitti non debeant, quia damnati relinquuntur brachio sæculari, debita animaduersione puniendi.*

4 *Traditus Curiæ sæculari ad misericordiam & reconciliationem non admittitur.*

5 *Reus in casu, quo veræ conuersionis magna indicia dederit, poterit ab Inquisitoribus ex æquitate ad reconciliationem admitti.*

6 *Is, qui eductus è carcere, vel potiùs in Tabulatu existens auditurus sententiam, conuertitur ad misericordiam, seu reconciliationem admitti non debet, quia respectu ipsius sententia est iam prolata, quamuis is etiam, si conuersionis dederit specialissima signa, possit similiter ad reconciliationem admitti.*

1 RESPONDETVR, & dico primò: si conuertantur ante sententiam, etiam post receptas probationes, & testium publicationem, ad reconciliationem admitti debent. Sic Doctores communiter, quos sequitur Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 47. n. 36.* Decian. *tract. crim. lib. 5. c. 54. n. 3.* Peña *1. par. direct. comment. 8. vers. Vsu autem.* Zanchin. *tract. de hæretic. c. 16. n. 5.* Suarez *de fide disp. 23. sect. 2. n. 15.* & Farinac. *q. 193. n. 55.*

Probatur ex Textu *in c. Excommunicamus 2. §. si qui de hæretic.* & ex communi consuetudine & praxi omnium Inquisitorum.

2 Objicies: *In c. ad abolendam, de hæretic.* solùm ij qui continuò & confestim, postquam fuerint deprehensi ad fidem redierint; ad misericordiam admittuntur: At ij qui post receptas probationes, & testium publicationem, & repetitas monitiones, ad fidem redeunt, non possunt dici continuò & confestim ad fidem redire; ergo ad misericordiam, seu reconciliationē admitti non debent.

Respondetur: Nego minorem, quia si intra tempus quo condemnari possunt, ad fidem redierint, continuò & confestim ad fidem redire censentur. Eymeric. *3. part. direct. q. 98.* & Menoch. *de arbitr. cas. 8. & 9. ex §. vlt. Instit. de inutil. stipulation.*

3 Dico secundò, si conuertantur post latam sententiam, probabilius est, quod regulariter ad reconciliationem admitti non debeant. Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 46. n. 36.* Peña *2. part. direct. comment. 36. vers. Postquam.* Suarez *de fide disp. 23. sect. 2. n. 16.* & Farinac. *q. 193. n. 58.* etsi quidam alij contrarium sentiant.

Probatur, quia *in c. Excommunicamus 1. & 2. de hæret.* damnati relinquuntur brachio sæculari debita animaduersione puniendi: ergo post damnationem non videtur quod ad reconciliationem admitti debeant, cùm post condemnationem Iudex Ecclesiasticus iam functus sit officio suo.

Secundò probatur, quia traditus Curiæ sæculari ad misericordiam, seu reconciliationem, vt mox infrà dicetur, non admittitur; At nullus damnatur impœnitens, qui brachio sæculari per ipsam condemnationem non tradatur; ergo facta condemnatione, videtur, quod remissioni locus non relinquatur. 4

Dixi *Regulariter*, quia in casu quo reus veræ conuersionis magna indicia dederit (ita vt de ipso verè quid boni sperari possit) poterit ab Inquisitoribus ex æquitate ad misericordiam, seu reconciliationem admitti, cùm sic pietati Matris Ecclesiæ conuenire videatur. 5

Hinc sequitur, quod is qui eductus è carcere, vel potiùs in Tabulatu existens, auditurus sententiam, conuertitur ad misericordiam, seu reconciliationem admitti non debeat, quia respectu ipsius sententia est iam prolata, ipsique manifesta, licèt non promulgata; ergo conuersio ipsius fit post condemnationem, & sic non debet censeri vera, sed ficta (ad vitandam scilicet pœnam mortis) ac proinde non debet recipi. Sic Doctores quos sequitur Peña *2 part. direct. comment. 36. vers. Postquam.* 6

Quamuis & iste reus etiam in casu quo dederit veræ conuersionis specialissima signa, possit similiter ad misericordiam, seu reconciliationem admitti propter eamdem rationem quam suprà dicebam. Peña *loco suprà cit.* Decian. *tract. crim. lib. 5. c. 36. n. 3.* & alij, quos refert & sequitur Farinac. *de hæres. q. 193. n. 60.*



DVBITATIO CLXV.

An, & quando puniendi sint, qui omittunt exequi pœnitentias ab Inquisitoribus sibi impositas, vel omittunt saccum benedictum portare? Vbi etiam quid dicendum, si effringant, vel fugiant è carcere, dum ipsorum causa tractatur spectans ad S Officium?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores ex consuetudine iam recepta solent hæreticis pœnitentibus in signum conuersionis, & detestationis erroris, quem commiserant, præter alias pœnitentias imponere, vt patenter suprà vestes, habitum quemdam portent signatum crucibus rubei, vel crocei coloris.*

2 *Hæretici huiusmodi pœnitentes, si pœnitentias sibi ab Inquisitoribus impositas non exequantur, vel supradictum habitum occultauerint, aut abjecerint, possunt Inquisitores aduersùs eos procedere, tanquam de hæresi suspectos.*

3 *Item secundùm aliquos tales damnandi sunt vt impœnitentes & relapsi, atque adeò brachio sæculari tradendi, quia qui sine causa pœnitentiam sibi impositam exequi omisit, præsumitur fictè conuersus.*

4 *Omittens pœnitentias impositas ab Inquisitoribus, propriè non est relapsus, sed impœnitens, & consequenter tanquam impœnitens est puniendus; & sic si ab impœnitentia recedat recipiendus, neque tradendus brachio sæculari.*

5 *Pœnitentias*

5 *Pœnitentias violare impositas, quales sunt, non ieiunare, non peregrinari, habitum pœnitentialem occultare, e carcere fugere, non sunt signa erroris approbationis à iure statuta.*

6 *Fundamentum aduersariorum solùm habet locum, cùm quis omittit exequi pœnitentias sibi impositas directè contrarias errori priori detestato, ac proinde tunc solùm poterit, vt relapsus condemnari.*

7 *Auctoris sententia locum habet, etiamsi hæreticus pœnitens sub iuramento & pœna relapsi ad pœnitentiarum executionem se obligauerit, ita vt neque in tali casu debeat vt relapsus condemnari.*

8 *Pœnitentiam non adimplens, non tanquam relapsus, sed tanquam impœnitent condemnandus est pœna arbitraria, vt ieiunij, fustigationis, vel duplici pœna.*

9 *Damnatus ad carcerem perpetuum, si exinde fugiat, etiamsi non sponte, sed comprehensus redeat, reconciliandus est, maiori tamen pœnitentia propter fugam afficiendus.*

10 *Excipe, nisi pœnitentia imposita de directo tendat contra hæresim detestatam, vt contra ipsam prædicare, vel cum hæreticis non conuersari, &c. quia in tali casu reus condemnari debet, contra nonnullos tenentes in tali casu non omninò improbabiliter reum non esse habendum pro relapso, sed condemnandum denuò arbitrio Inquisitorum ad maiorem aliam pœnitentiam.*

11 *Pœnitentias iniunctas non adimplens, immò animo obdurato adimplere recusans, iudicandus est tanquam impœnitens, & si resipiscere nolit, tradendus Curiæ sæculari. Idemque dic, si pœnitentiam impositam propter hæresim probatam recipere nolit.*

12 *Abiurare recusans habetur pro conuicto, & Curiæ sæculari tradendus est ex Constitutione Martini V. & statim si sit confessus, conuictus, vel in hæresi manifestè deprehensus. Secùs autem si non sit confessus, conuictus, &c. nam tunc non statim Curiæ sæculari tradi debet, sed priùs excommunicabitur, in qua censura si per annum perstiterit, tanquam hæreticus condemnabitur.*

13 *Detentus in carcere pro crimine hæresis, si effringat, vel fugiat è carcere, non est pro conuicto habendus, & tanquam hæreticus condemnandus, contra aliquos Doctores oppositum sentientes, quia in tali casu præsumi debet effugisse, &c. tædio carceris.*

14 *Reus huiusmodi effringens, & fugiens è carcere, punitur pœna arbitraria, consuetudine potiùs quàm lege aliqua, præsertim in Inquisitione Hispanica, vbi si sit vir Nobilis, Doctor, Religiosus, arctiùs ob id custoditur; si verò ignobilis, vilis, &c. publicè verberibus flagellatur, & causa hæresis in suo statu permanet.*

15 *Detentus in carcere pro crimine hæresis, si effringat, vel fugiat, &c. & contra ipsum resultet indicium ad torturam, potest citari ad comparendum, etsi non compareat, etiam condemnari.*

1 SVPPONO, quod Inquisitores ex consuetudine iam recepta, soleant hæreticis pœnitentibus, in signum conuersionis & detestationis erroris, quem commiserant, præter alias pœnitentias, imponere, vt patenter suprà vestes habitum quemdam crucibus rubei, vel crocei coloris signatum portare debeant; qua de re Calderin. *tract. de hæreticis redeuntib. & conuers. n.*8. Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 47. *n.* 9. *& seqq. & in Enchirid. tit.* 61. *n.* 7. Royas *tract. de hæretic.* 2. *part. n.* 309. Peña 3. *par. direct. comment.* 41. *n.* 175. & Farin. *q.* 193. *n.* 91.

2 Suppono secundò, quod si tales hæretici pœnitentes, pœnitentias sibi ab Inquisitoribus impositas non exequantur, vel supradictum habitum occultauerint, aut abiecerint, possint Inquisitores aduersùs illos, pœnitentias sibi impositas non implentes procedere, tanquam de hæresi suspectos, quia sic tales homines non leuem suspicionem ingerunt, quod fictè & non verè, & ex animo conuersionem antecedentem fecerint, & errores præteritos fuerint detestati; cùm satisfactionem debitam omittant, vel paruipendant. Peña *loco suprà cit. comment.* 146. Simanch. *de Cathol. Institut. tit.* 48. *n.* 29. *& in Enchirid. cit. tit.* 61. *n.* 7. & Farinac. *de hæres. cit. q.* 193. *n.* 123. His suppositis.

Quidam vt Calderinus *tract. de hæretic. rub. de hæreticor. contumelia, n.* 1. Decian. *tract. crimin lib.* 5. *c.* 56. *n.* 4. Vmbert Locat. *in iudicial Inquisition. verb. Carcer, n.* 16. Royas *sing* 122. *n.* 3. (vbi citat Calderinum, & Squillante,) Zanclun. *de hæret. c.* 10. *n.* 4. & *ibid.* Additionator Campegius *lit. C.* & alij apud Menoch. *lib.* 1. *cons.* 82. *n.* 102. Riminald. *lib.* 2. *cons.* 150. Bursat. *cons.* 7. *n.* 32. *& seqq.* & Treuisan. *lib.* 2. *decis.* 36. tenent, quod tales hæretici pœnitentias sibi impositas implere recusantes, debeant damnari vt relapsi, atque adeò brachio sæculari tradi; quod præcipue (inquiunt ipsi) locum habet in carceris pœnitentia, quæ grauior est, si scilicet ab illo aufugere tentauerint. 3

Probant, quia qui sine causa pœnitentiam sibi impositam exequi omittit, præsumitur fictè conuersus, & in priori errore perseuerare; ergo vt relapsus damnari debebit, cùm iam in errorem priorem reprobatum præsumatur relabi; Neque obstat (subdunt ipsi) quominùs vt relapsus damnetur, eo quod hæc pœnitentiæ violatio non sit formaliter hæresis, sed hæresim præsumptiuè arguat, quia vt relapsus damnatur, qui abiurata hæresi, in violentam hæresis suspicionem incidit; vt *ex c. Accusatus de hæret. in* 6. *dub.* 162. dicebam. His tamen non obstantibus,

Respondetur, probabilius esse (quod docet Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 16. *rubr. de custodia reor. n.* 14. *& tit.* 47. *n.* 77. *& tit.* 48. *n.* 19. Royas sibi contrarius *tract. de hæret.* 2. *pars. assert.* 41. *n.* 355. *vers.* 3. *fuit.* Iul. Clar. *lib.* 5. *verb hæresis, n.* 10. & ipsius Additionator *lit. V,* vbi citat Riminald. *loc. suprà cit.* defendẽtem de pœna relapsi mulierem, cui Inquisitores imposuerant, ne de domo, quam sibi pro carcere præfixerant, exiret, & exiuit sine licentia. Cantera *in quæst. crim. c.* 1. *de hæret. n.* 60. Sousa *in Aphor. Inquis. lib.* 2. *c.* 26 *n.* 38. Peña 3. *part. direct. quæst.* 97. *comment.* 146. *vers. Itaque.* & Farinac. *q.* 193. *n.* 136. *& seqq.*) scilicet eum qui pœnitentias sibi impositas violat, non esse relapsum, sed impœnitentem; & consequenter contra illum (dum in illo statu perseuerat) tanquam contra impœnitentem solùm procedi debere; quapropter (sicut impœnitens, si à contumacia recedat, & misericordiam petat, admittitur, & brachio sæculari non traditur) sic & iste talis, quamuis debeat pro crimine pœnitentiæ absque causa violatæ, arbitrio Inquisitoris puniri pœna pecuniaria, vel fustibus, vel ieiuniis, pensata malitia & qualitate personæ & grauitate criminis. 4

Probatur, quia violare pœnitentias impositas, quales sunt non ieiunare, non peregrinari, habitum pœnitentialem occultare, vel abiicere, è carcere fugere, &c. non sunt signa erroris approbationis à iure statuta; ergo non debet, qui prædictas pœnitentias sibi impositas, violat, ob talem violationem condemnari vt relapsus. Antecedens patet; consequentia probatur, quia non possunt Iudices, condemnare vt relapsum, quem iura non iudicant relapsum, tum quia solùm fictione & præsumptione iuris dici poterit, qui prædictas pœnitẽtias impositas violat, errorem priorem detestatum approbare, ergo cùm verè non approbet, non poterit pœna ordinaria puniri. 5

Ex his sequitur, quid dici debeat ad fundamentum aduersariorum in contrarium; locum enim illud solùm habet, cùm quis omittit exequi pœnitentias sibi impositas, directè contrarias errori priori detestato; vt si omittat se purgare, errorem abiurare, hæreticis non fauere, &c. (cùm hæc à iure statuta sint signa erroris approbationis vehementia) ac proinde tunc solùm poterit vt relapsus condemnari; secùs verò si omiserit alias pœnitentias, de quibus *suprà* dicebam. Simancha, Peña, & Farinacius *in locis suprà citatis.* 6

7 Sequitur secundò, quod nostra sententia locum habeat, etiam si hæreticus pœnitens sub iuramento & pœna relapsi ad pœnitentiarum executionem se obligauerit; ita vt & in tali casu etiam ob violationem pœnitentiarum, quæ hæresi directè contrariæ non sunt, non debeat, vt relapsus condemnari, quis cuiuscumque obligatio metienda est iuxta iuris regulam (cui quilibet se informare velle censetur ex Textu *in l. Si duo, ff. de acquirend. vel omittend. possession. & in l. Nemo potest, ff. de leg. 1.*) Ergo cùm iuris regula non permittat hunc violatorem puniri vt relapsum, sequitur quod neque ex ipsius obligatione hanc pœnam subire debeat. Rimioald. *d. cons. 150. n. 6. 7. & 35.* Menoch. *cons. 82. n. 113. lib. 1.* Peña *3 part. directorij, q. 97. commentar. 146. in fine*, & alij, quos citat & sequitur Farinac. *de hæresi, q. 193. n. 142.* Vide etiam quæ dicam *infrà dubit. 195. sect. 16. & 17.*

8 Qui igitur pœnitentiam non adimplet, non tanquam relapsus, sed tanquam impœnitens condemnandus est pœna arbitraria, vt ieiunij, fustigationis, vel duplici pœna. Cantera *vbi suprà*. Sousa *in Aphor. lib. 3. c. 29.*
9 *n. 5.* dicens, quod si damnatus ad carcerem perpetuum exinde fugiat, etiamsi non spontè, sed comprehensus redeat, reconciliandus sit, maiori tamen pœnitentia propter fugam afficiendus, (quidquid in contrarium afferat Bursat. *lib. 1. consil. 7. n. 4.* Royas *singul. 23. n. 5* & Arelatan. *notabil. 6.*) Et videri etiam poterit Pacianus *consil. 19. num. 64.* & Zechius *tom. 1. tit. de hæretic. cap. 11. num. 18.*

10 Excipe, nisi iuxta ea (quæ dicebam *suprà*) pœnitentia imposita de directo tendat contra hæresim detestatam (vt contra ipsam prædicare, vel cum hæreticis non conuersari, &c.) quia in tali casu reus (cùm sit signum vehemens à iure statutum, approbationis erroris) condemnari debebit, tanquam relapsus. Simancha, Peña, Farinacius, *vbi suprà*. Riminald. *lib. 2. consil. 156. n. 13.* Treuisan. *lib. 2. decis. 36. n. 2.* Menoch. *lib. 1. cons. 82. n. 107.* Cantera *loco suprà cit.* Locat. *in Prax. Inquis. verb. Pœnitentia.* & Sousa *in Aphor. Inquisitor. lib. 3. c. 29.*

Quamuis non omninò improbabiliter contrarium (quod scilicet etiam in tali casu reus non adimplens pœnitentiam, non sit habendus pro relapso, sed condemnandus arbitrio Inquisitorum denuò ad maiorem aliam pœnitentiam) teneant alij, quos sequitur Simancha *tit. 47. n. 77.*

11 Aduerte tamen hîc, quod si injunctas pœnitentias non solùm non adimplet, sed etiam animo obdurato adimplere recusat, tanquam impœnitens sit iudicandus, & si resipiscere nolit, tradendus Curiæ sæculari. Idémque dicendum est, si pœnitentiam impositam propter hæresim probatam recipere renuat. Peña *in direct. Inquis. part. 3. comment.* 146. & alij, quos sequitur Sousa *loco suprà cit. n. 7.*

12 Hinc, qui abiurare recusat, pro conuicto habetur, & Curiæ sæculari ex Constitutione Martini V. tradendus est; & tradendus statim, si sit confessus, conuictus, vel in hæresi manifestè deprehensus; secus autem, si non sit confessus, conuictus, vel in hæresi manifestè deprehensus: tunc enim non statim Curiæ sæculari tradendus erit, sed priùs excommunicabitur, & si in excommunicatione per annum perstiterit, tanquam hæreticus condemnabitur. Eymericus *in director. Inquis. part. 2. q. 55.* & ibi Peña *comment.* 80. Vmbert. Locat. *in Prax. Inquis. verb. Suspicio, n.* 8. Hippolit. Rimiuald. *lib. 4. cons. 395. n. 64.* Martin. del Rio *in disquis. magic. lib. 5. sect. 12.* & Sousa *in Aphor. lib. 2. c. 40. n. 16.* qui propterea rectè dixit, quod & renuens abiurare de leui (quin multò magis) non statim sit Curiæ sæculari tradendus, sed priùs excommunicandus, & si per annum in excommunicatione pertinaciter permanserit, Curiæ sæculari tradendus.

13 Aduerte secundò, quod detentus in carcere pro crimine hæresis, si effringat, vel fugiat è carcere (quamuis Zanchinus *de hæres. c. 10. n. 4.* & Additionator Campegius *ibid. in Addition. litt. B*, & ex parte Mascard. *de probation. tom. 2. concl. 820.* teneant, quod sit pro conuicto habendus, & tanquam hæreticus condemnandus.) Contrarium tamen teneant meliùs Simanch. *in Annotat. ad Tractatum Zanchini cap. 8. & in Cathol. Institut. tit. 16. n. 23.* Peña *in director part. 3. comment. 35.* Ioseph Aldrete *de discipl. tuend. lib. 2. c. 8. n 25.* Royas *de hæretic. part. 2. assert. 15.* & Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 26. n. 37.* Quia reus in tali casu præsumi debet effregisse, vel fugisse è carcere tædio carceris, vel metu falsorum testium, aut tormentorum, &c. non autem eo quod errorem habuerit in intellectu.

Debebit tamen propter fugam pœna arbitraria pu- 14
niti. Peña *loco suprà cit.* (vbi ait, quod si quis, dum custoditetur pro hæresi, è carcere fugit, consuetudine potiùs quàm lege aliqua, præsertim in Inquisitione Hispanica receptum est, vt si sit vir Nobilis, Doctor, Religiosus, vel alius honorabilis Ciuis, custodiatur arctiùs, & puniatur duriùs; quod si sit homo vilis, publicè verberibus flagelletur, & causa hæresis in suo statu permanens tractetur, aliísque pœnis arbitrariis interim puniatur; in quo casu tamen mitiùs est agendum cum illo, qui negligentia custodis euasit è carcere.) Parramus *lib. 3 q. 4. n. 72. & 73.* Ioseph. Sesse *tom. 4. decis. 471. num. 6.* & Sousa *in Aphor. Inquis. lib. 2. cap. 26. num. 32.*

Aduerte tertiò, quod (licèt, vti dicebam, detentus 15
in carcere pro crimine hæresis, si effringat, vel fugiat è carcere, neque pro confesso, neque pro conuicto habendus sit, atque adeò neque tanquam hæreticus condemnandus,) tamen non solùm contra ipsum resultet indicium ad torturam, sed etiam, si non compareat, ex tali indicio cum aliis adjuncto possit citari ad comparendum, etsi non compareat, etiam condemnari. Peña *loco suprà cit.* Royas *n. 185.* Ioseph Sesse *n. 8.* & Sousa *n. 37.* Vide etiam quæ dicam *infrà dub. 217. petit. 6.*

Dixi de pœnis Hæreticorum, dicam nunc



De pœnis Suspectorum de Hæresi.

DVBITATIO CLXVI.

An, & quotuplex sit hæresis suspicio, seu præsumptio?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis suspicio triplex est: Prima modica & leuis. Secunda, magna, seu vehemens. Tertia, maxima, seu violenta.*

2 *Hæresis suspicio modica, seu leuis est, quæ oritur ex leuibus indiciis, seu ex leuibus coniecturis: leuia verò indicia, seu leues coniecturæ sunt, ex quibus leuiter infertur, seu ex quibus non frequenter, sed rarò concluditur crimen suspectum, &c.*

3 *Hæresis suspicio magna, seu vehemens est, quæ desumitur ex verbis, seu factis efficaciter, & frequenter hæresim concludentibus, vt si, v.g. quis vocetur ad respondendum de fide, & intra terminum assignatum absque causa legitima non compareat.*

4 *Item si impedias scienter directè, vel indirectè Inquisitionis officium. vel impedientibus des fauorem, consilium, vel auxilium.*

5 *Item si instruas hæreticos, vel eorum credentes ab Inquisitoribus citatos, quomodo veritatem celent, vel falsum deponant.*

6 *Item si faueas, defendas, vel recipias hæreticum, non tamen quia amicum, vel consanguineum, sed quia hæreticum.*

7 *Item si cum hæreticis specialem contrahens familiaritatem.*

8 *Item si in causa fidei conuincaris falsum in Iudicio dixisse, eo quod reuoces, quod potiùs confessus fueris.*

9 *Item si sis Religiosus & in partibus vltramontanis absque superiorum licentia commorans, detrahas Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Constitutionibus, vel similia alia à fide deuia in sermonibus, vel secretis colloquiis euomas.*

10 *Hæresis suspicio maxima seu violenta est, quæ oritur ex verbis, vel factis arctantibus Iudicem ad credendum quod sic dicens, vel faciens hæreticus sis, vt si hæreticis reuerentiam, vel adorationem more ipsorum exhibeas, vel consolationem, aut communionem ab illis recipias.*

11 *Item si in causa fidei excommunicatus per annum insordescas.*

12 *Item si deficias in purgatione Canonica, quam in causa fidei tibi indictam, præstare non potuisti.*

13 *Item si post abiurationem hæresis, de qua conuictus fueras, vel postea conuinceris, cum hæreticis communices, vel eos visites, recipes, deducas, associes, muneribus immediatè, vel mediatè per alios afficias.*

1 RESPONDETVR, Triplex: Prima, modica, seu leuis. Secùnda, magna, seu vehemens. Tertia, maxima, seu violenta. Simanch. *de Cathol. Institut. tit. 50. n.22. & seqq.* Director. Inquisit. *part.2.q.55.n.2.vers. Et hæc suspicio* & ibi Peña *commentar.*80. *& part.3. comment.14. n.*100. Henric, *in cap.1.de hæresic.n.*8. Martin.del Rio *lib.5. sect.*12. Locat. *in indic. Inquisitor. verb. præsumptio, n.*8. *& verb. Suspicio, n.3. & seqq.* Afflict. *in constitut. Regni de hæreticis.* & Pactatenis *rubr.1.n.*31. Lælius Zecchius *in summ part.1.tit. de fide rubr. de hæretic. c.11.n.5.* & Farinac, *de hæresi, q.*187. *§.2. & seqq.*

2 Suspicio, seu præsumptio hæresis modica, seu leuis est, quæ oritur ex leuibus indiciis, seu ex leuibus coniecturis (ita vt propterea modicam, seu leuem probationem faciat, & modica, seu leui defensione tollatur. Director. Inquisit. Peña, & Martinus del Rio *loco suprà cit.*) leuia verò indicia, seu leues conjecturæ sunt, ex quibus leuiter infertur, seu ex quibus non frequenter, sed raró concluditur crimen suspicatum; vt si, v.g. frequenter perjuras, & vitam geris deprauatam. Item si Sacramenta ministras in malo statu, vel sine iurisdictione & potestate. Item si bis repetis Sacramentum non repetendum. Item si priore coniuge viuente, contrahis secundas nuptias. Item si per annum exsistis in excommunicatione extra causam fidei. Item si in Sacramento Confessionis prouoces ad Venerem, vel ad alia scelera pœnitentem. In his enim omnibus reddetis de hæresi suspectus leuiter. Sic Doctores *in locis suprà citatis.*

Aduerte tamen, quod ex iis indiciis quæ diximus, quædam reddunt te de hæresi suspectum leuiter secundùm Doctorum communem opinionem: quædam autem alia te reddunt de hæresi suspectum leuiter de iure & lege sic statuente; inter quæ discrimen est aliquod notabile, vt *infrà* dicetur *dubit.*168.

3 Suspicio, seu præsumptio hæresis magna, seu vehemens est, quæ desumitur ex verbis, vel factis efficaciter, & frequenter hæresim concludentibus (ita vt propterea magnam, seu vehementem probationem faciat & non nisi magna, seu vehementi defensione tollatur. Simancha *cit. tit.*50.*n.*53. Director. *cit. part.2. q.*55. & ibi Peña *comment.*80. Martin. del Rio *cit. sect.*12. Locatus *cit. verb. præsumptio, n.*8. *& cit. verb. suspicio, n.*3. Verbi gratia, si vocetis respondere de fide, & intra terminum assignatum absque causa legitima non compareas, ex Textu *in cap. Cum contumacia de hæretic. in* 6. Item si impedias scienter, directè vel indirectè Inquisitionis officium, ex Textu *In cap. Vt Inquisitionis negotium, §. vltimo de hæretic. in* 6. cùm in tali casu censearis hæreticorum fau-
tor & defensor. Item si impedientibus Inquisitionis 4
officium scienter des consilium, auxilium, vel fauorem,
ex Textu *in citato cap. Vt Inquisitionis negotium.* Idque
ob eamdem rationem mox *suprà* dictam, quia scilicet
hæresi faues. Item si instruas hæreticos vel eorum cre- 5
dentes ab Inquisitoribus citatos, quomodo veritatem
cælent, vel falsum deponant, ex Textu *in cap. Accusa-
tus, §. finali de hæretic. in* 6. Idque etiam ob eamdem ra-
tionem, quia similiter eorum hæresi fauet. Item si fa- 6
ueas, defendas, vel recipias hæreticum, non tamen qua
amicum, vel consanguineum, sed qua hæreticum, ex
Textu *in cap. Excommunicamus 1. §. credentes de hæretic.*
Idque ob eamdem rationem iam suprà pluries repeti-
tam. Item si cum hæreticis specialem contrahas fami- 7
liaritatem, ex Textu *in cap Inter sollicitudines de purga-
tione Canonica.* Idque ob eamdem rationem quam su-
prà pluries dicebam. Item si in causa fidei conuincaris 8
falsum in iudicio dixisse, eo quod reuoces, quod priùs
confessus fueris, ex Textu *in cap. Literas de præsumptio-
nib.* Item si sis Religiosus, & in partibus vltramontanis 9
absque Superiorum licentia commorans, detrahas San-
ctæ Romanæ Ecclesiæ Constitutionibus, vel similia
alia à fide deuia in sermonibus, vel secretis colloquiis
euomas, ex Textu *in Extrauaganti Ioannis XXII.* inci-
piens *Ad nostram, de Regularib. inter communes*, In his
enim omnibus reddetis de hæresi suspectus vehemen-
ter. Sic Doctores iidem quos *suprà in principio dubita-
tionis* citabam.

Suspicio, seu præsumptio hæresis maxima, seu vio- 10
lenta est, quæ oritur ex verbis, vel factis arctantibus Iu-
dicem ad credendum, quod sic dicens vel faciens, hæ-
reticus sit (ita vt, sicuti dicebam, arctet & vrgeat Iudi-
cem ad credendum, quod hæreticus sis; & propterea
dicatur ea præsumptio iuris & de iure. Simanch. *cit. tit.*
50.*n.*4. Peña *part.2.q.55.comment.*80. *vers. Tertia suspicio.*
& Læl. Zecch *cit. c.11.n.5.*) verbi gratia, si hæreticis re-
uerentiam, vel adorationem more ipsorum exhibeas,
vel consolationem, aut communionem ab illis recipias,
ex Textu *in cap. Quicumque, & in cap Accusatus de hæ-
retic. in* 6. Item si in causa fidei excommunicatus per 11
annum insordescas, ex Textu *in cap. Cum contumacia de
hæretic. in* 6. Item si deficias in purgatione Canonica, 12
quam in causa fidei tibi indictam præstare non potuisti,
ex Textu *in cap Inter sollicitudines de purgatione Cano-
nica.* Item si post abiuratam hæresim de qua conuictus 13
fueras (vel postea conuinceris, cum hæreticis commu-
nices, vel eos visites, recipes, deducas, associes, muneri-
bus immediatè vel mediatè per alios afficias, ex Textu
in cap. Accusatus, §. Ille quoque de hæretic. in 6. In his
enim omnibus casibus reddetis de hæresi suspectus vio-
lenter. Director. Inquisit. *part.2.q.55.n.6.* Simancha *de
Cathol. Instit. tit.5.n.*26. Locatus *in indic. Inquisit. verb.
Suspicio, n.*4. & alij Doctores *in locis suprà cit.*

DVBITATIO CLXVII.

An hæresis suspicio leuis sufficiat ad condemnandum reum tanquam hæreticum?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis suspicio leuis non sufficit ad condemnandum reum, quia leuia indicia, seu leues coniectura mouere non debent prudentem virum ad faciendum iudicium de crimine.*

2 *Reus condemnatur ex leui argumento aduersus Catholicam Religionem* in l.2. Cod. de hæretic. *At*

non ideò iudex debet moueri ex leuibus indiciis; quia plures Doctores in lege citata pro leui indicio, intelligunt pro leui hæresi.

1 RESPONDETVR negatiuè: Royas *tract. de hær. 2. p. assert. 6. n. 148.* Director Inquisit. 2. *p. q. 55. n. 2.* & ibi Peña, Simanch. *de Cathol. instit. tit. 50 n. 21.* Henric. *in c. 1. de hær. n.* 8. & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 187. n. 26.*

Probatur; quia leuia indicia, seu leues coniecturæ mouere non debent prudentem virum ad faciendum iudicium de crimine adeò graui, sed potiùs ad interpretandum omnia in sensum sanum.

2 Obiicies: *in l. 2. C. de hær.* Reus condemnatur, vt hæreticus ex leui argumento aduersùs Catholicam Religionem. Ibi: [Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis aduersùs eos sanctionibus succumbere debent, qui vel leui argumento à iudicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint, deuiate.] Ergo

Respondetur: Nego consequentiam; quia licèt nonnulli Doctores (vt verùm fatear) verba illa: *vel leui argumento* intelligant pro leui indicio; & probatione, meliùs tamen communiter alij intelligunt pro leui hæresi; ita vt sensus sit, hæreticorum vocabulo continentur illi, qui vel *leui argumento*, id est, vel paululum, aut in vno tantùm articulo à fide Catholica deuiauerint: sic Doctores, quos sequitur Peña 2. *p. director. ad c. 1. de hær. comment. 1. vers. Es hac sententia,* & Farinac. *de hæresi quæst.* 178. *num.* 61.



DVBITATIO CLXVIII.

An hæresis suspicio leuis, non præcedente diffamatione, sufficiat ad inquirendum specialiter contra aliquem, & ad interrogandum eum? Vbi etiam, An sufficiat ad carcerandum?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis suspicio leuis, quod non sufficiat ad specialiter inquirendum, & interrogandum reum asserunt nonnulli Doctores, quia Inquisitio, & examinatio de credulitate alicuius, esse non potest, nisi quia de illius recta fide dubitatur: quod quidem non conuenit ex leui suspicione de crimine tam graui infidelitatis.*

2. *Hæresis suspicio leuis è contra, quod sufficiat ad specialiter inquirendum, & interrogandum reum decent alij Doctores; quia Inquisitio, & examinatio assumuntur à iudice ad inuestigandam veritatem, quæ inuestigatio non est frustratoria, vt per se patet.*

3 *Reus, si daret indicia suspicionis vehementia, non solùm posset inquiri, & examinari, sed etiam super delicto infamato posset torqueri.*

4 *Limitant tamen nonnulli ex Doctoribus suprà citatis, vt quod dicebant procedat in homine vili, & improbo, non autem in viro nobili, honesto, & Religioso, quia ratione vilitatis, & improbitatis suspicio augetur.*

5 *Homo vilis, & improbus si de fide inquiratur, & examinetur grauis iniuria non afficitur; sicut sola Inquisitione afficeretur vir honestus, & probus.*

6 *Homo vilis, & improbus in omnium sententia neque captura afficitur ex leuibus indiciis; quia ea is etiam grauiter læderetur.*

7 *Suspicio non qualiscumque ad inquirendum, & examinandum reum exigitur; sed probabilis, scilicet à iure probata, quo casu reus potest inquiri de sua fide: secùs si suspicio oriatur ex aliis delictis, seu indiciis, quæ solùm ex opinione Doctorum habent; quod ingerant suspicionem.*

8 *Ex praxi Inquisitorum probatur, quod reus inquiritur ob leuem suspicionem iuridicam; quia in tali Inquisitione & examinatione non videtur, quod nulla iniuria afficiatur.*

9 *Leuiter de fide suspectus indicitur abiuratio de leui: quod quidem necessariò supponit, reum esse priùs inquisitum, & examinatum.*

10 *Reus leuiter suspectus suspicione probabili, & iuridica, condemnari debet, vt abiuret de leui, vt per talem abiurationem purget suspicionem, quam contraxit.*

11 *Reus pro commisso crimine leuem suspicionem inducente, condemnari potest ad aliquam pœnitentiam, vt pecuniæ, reclusionis in carcere pro aliquo tempore, fustigationis, vel triremis arbitrio iudicum fidei, pensata qualitate personæ, & grauitate delicti.*

12 *Leuiter suspecto de fide vt abiuratio, & condemnatio inferatur, necessariò delictum, seu indicium, ex quo talis suspicio oritur, debet esse plenè probatum; quia aliàs non esset vera suspicio, quæ pœnam mereatur.*

NEGANT Menochius *de præsumpt. q. 100. n. 2. & seqq.* Nauarr. *cons. 2. n. 8. tit. de hær. lib. 5.* Clar. *pract. crimin. §. final. q. 6. n. 6.* Lessius *de iust. & iur. lib. 2. c. 29. dub. 3. n. 15.* Simanch. *de Cathol. instit. tit. 50. n. 28.* Alphons. de Castro *lib. 2. de hær. punit. c. 25.* Homobonus *de Bonis tract. de casib. reseru. part. 2. cas. 1.* (Vbi propterea docet, quod non sit aliquis denunciandus ob suspicionem leuem, sed ob suspicionem vehementem) Valentia *tom. 2. disp. 6. q. 13. punct. 4. §. 1. vers. Sed vt hac Inquisitio.* (Vbi loquens de sortilegio, seu maleficio inquit, quod vt quis possit interrogari de seipso requiratur, vt sit suspectus, vel propter publicam infamiam, vel propter semiplenam probationem, vel propter grauia indicia) Genuens. *in prax. Archiepisc. c. 18. n. 20.* & Lazarius *de blasphemia q. 12. n. 32.* quia inquisitio, & examinatio de credulitate alicuius esse non potest, nisi quia de illius recta fide dubitatur; sed ob leuia indicia, & leues coniecturas dubitare de aliquo crimen infidelitatis adeò graue, non est licitum (cùm sit valde iniuriosum) ergo non est licita inquisitio, & examinatio quæ hanc dubitationem supponit. 1

Affirmant Royas *tract. de hær. 2. p. n. 20.* (Vbi ait, certum, & indubitatum esse, quod Inquisitores possint contra aliquem in crimine hæresis procedere ex leui, seu modica suspicione, vt suspectus interrogetur, quid sentiat de fide. Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 20. n. 21. & c. 35. n. 20.* Peña *in director. inquisit. p. 2. comment. 12. vers. Cæterum, & comment. 80. vers. Atque ita crederem.* Calderin. *tract. de hær. filior. & nepot. n. 10.* Scacc. *tract. de ind. c. 59. n. 2. & seqq.* Rolandus *cons. 8. n. 6. lib. 3.* Paris. *cons. 2. n. 100. lib. 4* & Mascardus *de probat. lib. 2. concl. 861. n. 3.* quia inquisitio, & examinatio assumuntur à iudice ad inuestigandam veritatem: quæ inuestigatio non est frustratoria, vt per se patet, neque iniuriosa; cùm illius ipsemet reus fundamentum, & occasionem præstiterit: Ergo. 2

Secundò, quia si reus daret indicia suspicionis vehementia, non solùm posset inquiri, & examinari, sed etiam super delicto infamato posset torqueri: ergo propter indicia leuia saltem poterit examinari. 3

Limitant tamen nonnulli (Royas scilicet, & Peña) ex Doctoribus suprà citatis, vt quod dicebant, procedat in homine vili, & improbo, non autem in viro nobili, honesto, & religioso; quia ratione vilitatis, & improbitatis 4

tatis suspicio augetur, ratione verò nobilitatis, & probitatis suspicio minuitur: tum quia homo vilis, & improbus, si de fide inquiratur, & examinetur (cùm ipsemet malæ suspicionis occasionem dederit) graui iniuria non afficitur, sicuti sola Inquisitione afficeretur vir honestus, & probus: quapropter in sententia omnium ob solam leuem suspicionem neque homo vilis, & improbus capturæ subiicitur; quia captura etiam homo vilis, & improbus grauiter læderetur. His tamen non obstantibus.

7 Respondetur meliùs cum Vmberto Locato *in iudicialibus Inquisit. verbo Citatio n.* 15. Repertorio Inquisitorum *verb. Suspecto, vers. Notu, quod suspicio*, Contado *practic. tit. de hær. n.* 9. Ferdinando de Castro *in oper. mor. tract. 4. disp. 7. punct.* 1. *n.* 7. (qui citat Suarez *de fide disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 4.) & Farinacio *de hæresi q.* 185. *n.* 58. (quatenus ad inquirendum, & examinandum reum exigunt suspicionem non qualemcumque, sed probabilem, scilicet à iure probatam) distinguendo: si hæresis suspicio leuis oritur ex delicto, seu indicio cui à iure, vel consuetudine talis suspicio annexa est, reus de sua fide potest inquiri, & examinari; secùs si suspicio oriatur ex aliis delictis, seu indiciis, quæ solùm ex opinione Doctorum habent, quod ingerant suspicionem.

Posterior pars probatur ex fundamento primæ sententiæ; quod in posteriori casu satis mihi probatur.

8 Prior verò pars probatur ex vsu, & consuetudine Inquisitorum; quia, quotiescumque reperitur, quod quis habeat libros prohibitos, & illos legat, vel quod sine potestate, & iurisdictione sacramenta ministret, binas nuptias contrahat: in sacramento Confessionis pœnitentem ad Venerem excitet: in excommunicatione per annum insordescat, &c. examinatur eius fides: ergo dicendum est, quod ob leuem suspicionem iuridicam reus inquiri, & examinari possit; quia in tali inquisitione, & examinatione non videtur, quod vlla iniuria afficiatur; cùm non imponatur ipsi alia suspicio, vel dubitatio, præter eam, quæ à iure est imposita.

9 Confirmatur; quia (sicuti mox infrà dicetur) condemnatus super hoc delicto, & de fide leuiter suspectus, indicitur abiurario de leui; sed hæc necessario supponit, quod reus sit priùs inquisitus, & examinatus: ergo.

10 Ex his sequitur, quod reus leuiter suspectus suspicione probabili, & iuridica, condemnari debeat, vt abiuret de leui, ad hoc vt per talem abiurationem purget suspicionem quam contraxit. Simanch. *de Cathol. instit. tit.* 1. *rubr. de abiuratione n.* 18. 21. *& seqq.* Squillacent. *tract. de fid. Cathol. c.* 31. *n.* 2. Decian. *tract. crim. lib.* 5. *c.* 47. *n.* 2. Scacc. *de iudiciis c.* 59. *n.* 10. Peña 2. *part. direct. q.* 55. *comment.* 80. *vers. Et vbi quis*, & 3. *p. q.* 87 *comment.* 136. *vers. Nec refert*, & Farinac. *de hæres. q.* 187. *n.* 31.

11 Sequitur secundò, quod reus pro commisso criminе, leuem suspicionem inducente, condemnari possit ad aliquam pœnitentiam, vt pecuniæ, reclusionis in carcere pro aliquo tempore, fustigationis, vel triremis arbitrio iudicum fidei, pensata qualitate, malitiáque personæ, & grauitate delicti. Decian. *loc. suprà cit cap.* 38. *n.* 7. Farinac. *vbi suprà num.* 33. & Repertorium Inquisitor. *verb. Testis, vers. Notu quod.*

Et quidem, quod suspicio, seu præsumptio leuis sufficiat, vt qui sic est suspectus, seu præsumptus cogi possit ad abiurandum de leui, patet ex Constitutione Innocentij IV. *Noverit Vniuersitas*, ex Constitutione Nicolai III. *Noverit Vniuersitas*, & ex Constitutione Federici Imperatoris *Catharos, vers. Qui autem* (quæ Constitutiones omnes habentur apud Peñam inter literas Apostolicas) & docent etiam Doctores, quos Cotollario primo citabam.

Quin, quod & etiam sufficiat ad purgationem indicendam, tenent Peña *in direct. inquis. p.* 3. *q.* 87 *comment.* 136. *vers. Nec refert.* Afflict. *in Constitut. Regni de heret.* & Pactarenis *rubr.* 1. *n.* 31. & Martin. del Rio *lib.* 5. *disquisit. sect.* 15. *in princ.*

12 Aduerte tamen, quod (vt leuiter suspecto de fide abiuratio, & condemnatio inferatur) necessariò delictum, seu indicium, ex quo talis suspicio oritur, debeat esse plenè probatum; quia aliàs non esset vera suspicio, nec merens pœnam (quæ vltrà abiurationem de leui, solet esse, vel exilium, vel ad triremes condemnatio, vel alia pœna pecuniaria, pensatis qualitatibus personarum, & delictorum) Arelatanus *de heret. notab.* 27. Royas *de her.* 2. *p. assert.* 6. *n.* 148. Menoch. *consil.* 81. *n.* 155. Mascard. *de probat. lib.* 2. *concl.* 861. *n.* 7. & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *q.* 187. *n.* 54.

An autem suspicio leuis sufficiat ad carcerandum? Vide infrà *Dubit.* 205. *Petit.* 2.

PETITIO

An hæresis suspicio leuis, non præcedente similiter diffamatione, sufficiat saltem ad inquirendum generaliter, seu ad formandam inquisitionem generalem?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis suspicio leuis, non præcedente diffamatione, sufficit ad inquirendum generaliter, seu ad formandam inquisitionem generalem. Contra Clarum tenentem, requiri querelam, vel denunciationem vltra leuem suspicionem; quia hoc dato sequerentur plura absurda.*

2 *Suspicio leuis in crimine hæresis, non præcedente diffamatione, non est leuis simpliciter, sed per comparationem ad suspicionem vehementem, vel violentam, vt propterea interim debeat esse notabilis arbitrio prudentis iudicis.*

3 *Suspectus leuiter, vehementer, vel violenter quinam dicatur.*

Respondetur affirmatiuè ex c. *Accusatus de her. in* 6. non autem ex c. *Excommunicamus*, §. *Adycimus de her.* (vt benè aduertit Angel. *tractat. de malefic. vers. Hæc est n.* 51.) & docent Roland. à Valle *consil.* 8. *n.* 6. *lib.* 1. Arelatanus *de her. notab.* 26. Simanch. *de cathol. instit. tit.* 44 ... & alij communiter. 1

Cæterùm (quamuis Iulius Clarus *lib.* 5. §. *final. q.* 6. *n.* 7. teneat, quod in crimine hæresis possit procedi ex suspicione leui absque eo, quod præcedat diffamatio, vt dicebam) tenet tamen adhuc, quod vltra ipsam suspicionem leuem requiratur querela, vel denunciatio, prout in aliis criminibus; aliàs darentur Inquisitoribus habenæ nimis laxæ.

At contrarium, & quidem satis rectè, tenent alij, quos sequitur Scaccia *de iudic. lib.* 2. *c.* 59. *n.* 11. quia si vera esset opinio Iulij Clari, sequeretur, quod si quis committeret aliquod factum hæreticale, v. g. contereret, vel combureret crucem, aut imaginem alicuius Sancti, vel faceret quid simile, propter quod redderetur suspectus de hæresi, & Inquisitor inquirendo generaliter eum reperiret sine accusatione, vel denunciatione, non posset contra eum procedere: quod magnum videtur absurdum. Non obstat, quod Inquisitoribus darentur habenæ nimis latæ, quia in munus Inquisitorum non eliguntur, nisi viri graues, & probi: vt omittam, quod suspicio leuis in casu nostro non sit leuis simpliciter, sed per comparationem ad suspicionem vehementem, vel violentam, vti mox infrà dicetur.

Quamuis igitur in crimine hæresis possit non solùm per viam accusationis, vel denunciationis; sed etiam per viam inquisitionis, procedi ex suspicione leui, non præcedente diffamatione, seu clamore, vel infamia, vt in aliis delictis, suspicio tamen leuis in tali casu non sit leuis simpliciter, sed per comparationem ad suspicionem 2

picionem vehementem, vel violentam, vt propterea interiori debeat esse notabilis arbitrio prudentis iudicis, *c.excommunicamus 1.§.qui autem de hær.*& docent communiter Doctores, quos sequitur Freytas *in addit. ad Tract. de Confessor.sollicit. q 5.n.37.* In quo sensu sunt explicandi.Scaccia *loc.suprà cit.*Arelatanus *de hær.notabil.27.*Royas *de hær.p.2.n.20.& 180.* & alij, dum asserunt, quod in casu hæresis possit procedi contra quamcumque ex suspicione leui.

3 Qui autem dicatur de hæresi suspectus leuiter, vehementer, vel violenter: vide quæ dicebam*suprà dubit.* 166. Vide etiam præter alios ex Doctoribus Albertinum *de agnoscendis q.34.n 4.& seqq.* Simancham *de Cathol. instit.tit.50.n.24.& seqq.* Zecchium *in summ. tom.1.tit. de fide c.18.num.11.*Riccium *in praxi tom.2.resol.423.per totam.* & Farinacium *de hæresi quæstione 187.num.23. & seqq.*



DVBITATIO CLXIX.

An, & quid dicendum de eo, qui de fide suspectus est, suspicione vehementi?

SVMMARIVM.

1 *Suspectus de fide suspicione vehementi potest primò condemnari ad abiurationem; quia per aliam viam non videtur, quod possit suspicionem tam grauem purgare.*

2 *Suspectus de fide suspicione vehementi potest condemnari ad aliquam extraordinariam pœnam, vt pecuniæ, triremis, vel fustigationis, attenta qualitate personæ, & delicti, ex quo oritur suspicio.*

3 *Suspicio vehemens si oriatur ex fautoria hæresis, sic suspectus est ipso iure excommunicatus excommunicatione prima Bullari Summo Pontifici reseruata.*

4 *Item est irregularis ex probabiliori sententia Doctorum: Fautores enim hæreticorum redduntur inhabiles ad beneficium: nomine autem Officij intelligitur Officium Ecclesiasticum; quamuis secùs dici debeat, si suspicio oriatur ex alio delicto.*

5 *Hæreticorum Fautor, Receptator, vel Defensor, efficitur infamis.*

6 *Pœna supradicta vt contrahatur requiritur sententia declaratoria delicti, sicut & in delicto hæresis.*

7 *Requiritur etiam ex probabili sententia Doctorum, vt intra annum excommunicatione notatus satisfacere contempserit.*

8 *Hæreticorum Fautor, Receptator, Defensor, vel quomodocumque de hæresi vehementer suspectus, si sit Clericus, licet ipso iure non amittat beneficia obtenta, venit tamen illis priuandus per iudicis sententiam.*

9 *Item redduntur ij inhabiles ipso iure ad quodlibet officium publicum, & beneficium Ecclesiasticum, ita vt collatio illis facta sit nulla, & inualida.*

10 *Item non possunt admitti ad publica officia, vel consilia nec ad alios eligendos; suntque incapaces testandi, & succedendi ex testamento, & alias habent inhabilitates à iure, quæ hîc recensentur.*

11 *In Hispania non quilibet Hæreticorum Fautor, Receptator, vel Defensor his pœnis subiacet; sed illi solum qui publicantur ob fautoriam excommunicati.*

1 RESPONDETVR, quod talis (quamuis non possit de crimine hæresis condemnari, *ex c. Accusatus de hær.in 6 in princ.*Ibi: [Licèt ante abiurationem suam hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum.] Et docent ibid. Gloss. Geminian.*num.1.* Francus *num.1.* & alij Canonistæ, expressè tradentes, quod crimen hæresis ex vehementi suspicione non dicatur plenè probatum, & *ex c.literas de præsumpt.* Ibi [Quocirca mandamus, quatenus eum propter solam suspicionem, tametsi vehementem, nolumus, illum de tam graui crimine condemnari.] Et docent Ostiensis *in c. Excommunicamus 1.de hær.n.28.*Ananias *ibid.n.11.* Parisius *lib.4.cons.2.num 61.& 99.*& Oldrad.*cons.110.in princ.*) Potest tamen condemnari ad abiurationem; quia per aliam viam non videtur, quod possit suspicionem ita grauem purgare. Cantera *in quæst.crim. rubr.de hær. c.1.n.56.* Locat.*iudicial.inquisit.verb.Suspicio,n.7.* Peña *3.p.direct.rubr.de quinto modo terminandi processum comment.41.n.166.vers.Circa istum* Decian.*tract.crim.lib.5. c.47.n.2.*Menochius *de præsumpt.lib.1.q.100.n.11.*& Farinac *q.187.n.40.*

2 Item potest condemnari ad aliquam extraordinariam pœnam, vt pecuniæ, triremis, vel fustigationis, attenta qualitate personæ, & delicti, ex quo oritur suspicio (cùm delictum sit, quod punitur) Simanch. *de Cathol.inst.tit.50.rubr.de præsumpt.n.21.*Royas *de hær.2.p. n.304 & seqq.*Suarez *de fide disp.23.sect.2.n.4.* & Farinac.*loc.suprà cit.n.42.* sicque & multò magis, potest ei indicij purgatio, *c. Inter sollicitudines vers. Attendentes de purgat.canonic.*& Peña *in direct.part.2 1.comment.14. vers.Est autem purgatio.*Vmbert.Locat.*in iudic.inquisit. verb.Suspicio n.7.*& Gabriel *cons.160.n.6.*

3 Aduerte tamen, quod (si suspicio vehemens oriatur ex fautoria hæresis) sic suspectus est ipso iure excommunicatus excommunicatione prima in Bulla Cœnæ, Summo Pontifici reseruata.

4 Secundò, ex probabiliori sententia Doctorum est irregularis, iuxta Text.*in c.1.§.Hæretici de hær.in 6.*Vbi fautores hæreticorum (sicut ipsimet hæretici) redduntur inhabiles ad beneficium, & officium: nomine autem Officij ibi intelligitur Officium Ecclesiasticum; sic Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *lib. 1.moral. c 25.n.7* & Farinac.*q.192.n.14.*

Quamuis secùs dici debeat, si suspicio oriatur ex alio delicto; quia tunc, casu quo delictum non sit publicum, & infamiam gignat, delinquens irregularis non efficitur. Suarez *de fide disp.24.sect.2.n.6.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *loc.suprà cit.n.10.*

5 Tertiò, hæreticorum Fautor, Receptator, vel Defensor efficitur infamis ex Textu in Constitutione Innocentij IV. quæ incipit *Ad extirpanda;* ex Textu in Constitutione Alexandri IV. quæ incipit *Quod super,* & ex Textu in Constitutione Pauli IV. quæ incipit, *Licet ex Apostolatus officio,*apud Peñam *in fine Directorij Inquisitorum.*

6 Vt autem hæc pœna contrahatur, requiritur sententia declaratoria delicti, sicut & in delicto hæresis requiri in loco suo suprà dicebatur; & tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Bursatus *cons.14.n.28. lib.1.*Azor.*tom.1.instit.lib.8.c.13.rubr. de 4.hæret.pœna, q.7.*Farinac.*q.189 n.56.*& Sanchez *lib.2. moral.cap.26. num.1.*

7 Requiritur etiam ex probabili sententia Doctorum, vt infrà annum excommunicatione notatus satisfacere contempserit; sic Doctores quos citat, & sequitur Sanchez *cit.c.26. n.3.*

8 Quartò, si hæreticorum Fautor, Receptator, Defensor, vel quomodocumque de hæresi vehementer suspectus, sit Clericus (licèt ipso iure non amittat beneficia obtenta, ita vt propterea possit illa in fauorem tertij renunciare, & renunciatio non rescindatur) venit tamen illis priuandus per iudicis sententiam, iuxta Textum *in c. Excommunicamus primò, §.Credentes de hæreticis,* & tradunt Doctores, quos citat & sequitur Sanchez *lib.2. moral.*

moral.c.26.num.14. & sequentibus, & Farinacius *q.189. num.81.& 86.*

9 Quintò, redduntur iohabiles ipso iure ad quodlibet officium publicum,& beneficium Ecclesiasticum;ita vt collatio illis facta sit nulla,& inualida ex Text. *in c. 2. § heretici de har.in 6.* & docent Peña *3.p.direct.q.113. comment.162.1.p.inst.mor.c.13.q.8.* & Sanchez *cit.c.26. num.4.*

10 Sextò, non possunt admitti ad publica officia, vel consilia,nec ad alios eligendos. Item sunt incapaces testandi, & succedendi ex testamento. Item nullus ipsis cogitur super quocumque negotio, sed ipsi alteri respondere coguntur. Item si quis ipsorum fuerit iudex, ipsius sententia est nulla; & nulla causa ad ipsius audientiam perferri debet.Item si sit Aduocatus, ipsius patrocinium non admittitur. Si Tabellio, instrumenta per ipsum facta non valent, sed cum authore damnato damnantur; si verò fuerit Clericus, ab omni officiu,& beneficio deponi debet. Insuper mandatur Clericis,ne huiusmodi prauis hominibus exhibeant Ecclesiastica sacramenta, vel Christianam sepulturam, nec eleemosynas, vel oblationes ipsorum recipiant, alioquin suo priueantur officio, ad quod nunquam absque indulto Sedis Apostolicæ speciali restituantur: denique excommunicationis sententia iubentur affici, qui prædictos istos homines, sic ab Ecclesia denotatos, vitare contempserint.

11 Aduerte secundò,quod in Hispania tamen non quilibet hæreticorum fautor, receptator, vel defensor his pœnis subiacet;sed illi solùm,qui publicantur ob fautoriam excommunicati; & postquam sic publicati sunt, infrà annum satisfacere contemnunt; quia de his tantùm loquitur Text. *in c. Excommunicamus, §. credentes de hereticis*,vt notauit cum Eymerico *3.p.direct.q.123. n.2.*Peña *ibid. loc.cit.*



DVBITATIO CLXX.

An, & quid dicendum de eo, qui de fide suspectus est suspicione violenta?

SVMMARIVM.

1 *Suspectus de fide suspicione violenta potest damnari tanquam hereticus.*

2 *Hereticus verus non dicitur, sed presumptus condemnatus ex suspicione, seu presumptione violenta. Est tamen presumptio iuris, & de iure in contrarium probationem directam non admittens.*

3 *Suspecto de fide suspicione violenta indicenda abiuratio, nedum purgatio.*

4 *Presumptio iuris, & de iure licèt non admittat probationem directam, admittit tamen indirectam, qualis est,si sic suspectus velit probare,quod testes examinati falsum dixerint,vel quod indicia vera non sint.*

5 *Procedendi modus contra suspectum violenta suspicione, id est, ac modus procedendi contra suspectum de vehementi.*

1 RESPONDETVR, quod talis potest damnari, tanquam hæreticus. Gloss. *in c. cum contumacia de her.in 6.verbo vehementem*,Gemmian.*ibid.n.11.* Franch *n.3.*Director.Inquisit.*p.2.q.55.n.10.* & ibi Peña & Menochius *de presumpt.lib.1.q.100.num.15.*(Vbi ta-
2 men rectè subdit,quod condemnatus ex suspicione, seu præsumptione violenta non dicatur hæreticus verus,sed tantùm præsumptus) quia, sicuti dicebam suprà *dubitatione 166.* hæc suspicio, seu præsumptio est præsumptio iuris, & de iure in contrarium probationem directam,non admittens: & patet ex Textu *in c. Quicumque, c.Cùm contumacia, c.contra Christianos, c.filij de hereticis in 6. cap.Excommunicamus, §. qui autem de hereticis*, & tradunt communiter Doctores, quos sequitur Peña *2. parte directorij quest.55. num.10. comment. 80. vers.violenta suspicio*, & Farinacius *questione 187. num.46.*

Sicque, & multò magis, poterit ei indici Abiuratio, 3
nedum Purgatio; Director. *p.3.rubr. de 6. modo terminandi processum fidei,num.173.*Martin.del Rio *lib.5.disquisit. sect.2. vers. Si verò*, & Geouensis *in Praxi Archiepisc.c.84.n.8.*

Dixi, *Probationem directam non admittens*;quia indi- 4
rectam vtique admittit, qualis est, si sic suspectus velit probare, quod testes examinati falsum dixerint, vel indicia, ex quibus violenta suspicio desumitur, vera non sint. Peña *loc.suprà cit.vers.Quamuis*, Simanch. *de Cathol.instit.tit.51.rubr.de probation.n.13.* & alij, quos sequitur Farinac. *vbi suprà n.50.*

Cæterùm licèt quæ de violenta suspicione dixi ita se 5
habeant; modus tamen procedendi contra sic suspectum in iudicio,idem est, ac modus procedendi contra suspectum de vehementi, sic Doctores iidem, quos citat, & sequitur Farinac. *loc suprà cit. n.51.*



DVBITATIO CLXXI.

An, & quid dicendum de eo, qui metu ductus exteriùs recedit à Catholica fide?

SVMMARIVM.

1 *Recedens exterius metu ductus à Catholica fide,si metu graui cadente in constantem virum, licet grauissimè peccet, non tamen vt hereticus, neque vt de heresi vehementer suspectus damnari debet; quia non presumitur voluntariè recedere, qui tali metu ductus, recedit.*

2 *Heresis suspicio vt tollatur, non sufficit quilibet metus, sed requiritur metus mortis, vel magni tormenti corporalis, ita vt infamia, exilij, vel non valde grauis fustigationis metus,non videtur sufficere in tam graui delicto.*

3 *Heresis suspicio vt excludatur, requiritur etiam, vt qui exteriùs à fide Catholica recessit,cessante metu statim signa doloris ostendat, & commissi sceleris pœnitentiam expostulet. Aliàs presumitur & priùs ex animo consensisse, & nunc de presenti ratum habere.*

ESPONDETVR, si recedit metu graui du- 1
ctus cadente in virum constantem, licèt grauissimè peccet, non tamen vt hæreticus, neque vt de hæresi vehementer suspectus, damnari debet.Peña *1.p.direct.comment.24.vers.Rursus.* Simancha *de Cathol. institut. titul.17. numer.29.* & alij passim.

Probatur; quia cum hæresis consistat in voluntario recessu à Catholica veritate, non præsumitur, voluntariè recedere qui tali metu ductus recedit.

Dixi, *si recedat metu graui ductus cadente in virum* 2
constantem; quia, vt tollatur hæc hæresis suspicio,

non sufficit, quilibet metus, sed requiritur metus mortis, vel magni tormenti corporalis; ita vt infamiæ, exilij, vel non valde grauis fustigationis metus non videatur sufficere in tam graui delicto ad excludendam eius suspicionem; præsertim si qui recedit, sit Episcopus, Religiosus, Clericus, Theologus, Nobilis, vel similis vir; secùs si sit fœmina, puer, vel homo plebæius; quia tunc prædictorum malorum metus sufficere videbitur.

3 His adde cum Azorio *1.p.inst.mor.lib.8.c.9 q.9. circa fin.* Peña *loc suprà cit. versic. Sed hac quidem*, Farinacio *q.183.n.26. & seqq.* & alijs, requiri etiam ad excludendam prædictam suspicionem, vt qui exteriùs à fide Catholica recessit, cessante metu, statim signa doloris ostendat, & commissi sceleris pœnitentiam expostulet; aliàs præsumetur & priùs ex animo consensisse, & nunc de præsenti recessum, quem à fide, & veritate Catholica commisit, ratum habere; ideóque in tali casu grauius puniendus, & ad abiurationem, tanquam de hæresi vehementer suspectus, compellendus erit.

PETITIO I.

An suspecti, & inquisiti de hæresi, torqueri possint? Vbi etiam, An detur casus, in quo possint Inquisitores torquere quempiam, & non imponere illi abiurationem de vehementi? & An licèt reus fuerit tortus, possint ei Inquisitores imponere abiurationem tantùm de leui?

SVMMARIVM.

1 *Suspectus, & inquisitus de hæresi, si aliter veritas haberi non possit, torqueri potest, & debet. Sufficitque vnicus testis, vt is torqueri possit, si tamen fuerit omni exceptione maior, alioquin sufficiens non erit.*

2 *Hæresis in crimine Indicia ad torturam magna, & vrgentia esse debent: & minùs rectè dixerunt nonnulli, solam infamiam adhuc sufficere: sola namque infamia non facit indicium ad torturam, nisi fuerit magna, grauis, & vrgens.*

3 *Reus, quando torqueri potest, torqueri potest non solùm vt dicat, an ipse sit hæreticus, sed etiam an in hæresi complices habeat; quia hæreticus complices habere consueuit.*

4 *Suspectus, & inquisitus de hæresi torqueri potest etiam si sit persona priuilegiata, quæ scilicet aliàs non esset torquenda.*

5 *Suspectus tanquam de hæresi torquendus est impediens sanctum Inquisitionis officium.*

6 *Hæreticalia verba qui se protulisse fatetur, torquendus est, etiamsi asserat, non ex praua intentione protulisse.*

7 *In fide errans, asserens, quod ita tenuerit, quia ita Ecclesia tenere putabat, torqueri potest.*

1 Respondetur: (cùm tortura detur in subsidium probationis) suspectus, & inquisitus de hæresi sit, & aliter veritas haberi non possit, torqueri potest, & debet: Director. Inquisit. *p.3.n.151.* (Vbi Peña *comment.39. n.151.*) *& p.3.q.61. n.1.* (vbi idem Peña *comment.110. vers. iam tota*) Zabarell. *in Clement. finali num 12. & in Clem.1.num.2. de hæret.* Locat *in iudicial. verb. Inquisitor vers. Si autem.* & Simancha *in Enchirid. tit.52.n.1.* Qui subdunt, quod in crimine hæresis sufficiat vnicus testis, ad hoc vt reus torqueri possit.

Quod tamen intellige, si testis ille fuerit omni exceptione maior; alioquin, vt reus torqueri possit, sufficiens non erit. Gabriel *lib.1. consil 168.num.6.* & Carrerius *in tract. de hæret. num.118.* Quinimò etiam requiritur, quod reus fuerit de hæresi infamatus; quia contra hominem bonæ famæ vnicus testis, nisi alia concurrant, ad torturam indicium non facit. Peña *in cit. comment. 110. vers. Non dubito tamen*, & Decianus *in tract. crim lib.5.c.36.n.6.*

Item in crimine hæresis indicia ad torturam magna, 2
& vrgentia esse debent. Director. *p.3.q.61.n.6. & ibi* Peña *comment.110. vers.5.regula.* Simancha *cit. tit.52.n.5. & 6.* & alij.

Quapropter minùs rectè dixit Locatus *vbi suprà*, & Squillacensis *de fide Catholica cap.31.num.1.* quod sola infamia sufficiat, vt reus torqueri possit; sed potiùs cum Directorio *cit. q.61.n.8.* & Peña *cit comment.110. vers.2. Regula*, & Scaccia *de iudic. caus. c.95.n 1.* dicendum erit, quod sola infamia non faciat indicium ad torturam, nisi fuerit, iuxta quæ dicebam, magna, grauis, & vrgens.

Aduerte tamen hîc, quod quando reus torqueri 3
potest, torqueri possit non solùm, an ipse sit hæreticus, sed etiam an in hæresi complices habeat; quia hæreticus complices habere consueuit. Paulus IV. & Pius V. *apud Locatum post iudicial. Inquisit. inter decreta*, & docent Binsfeld. *de confess. malef. 2. membr.* & Martinus del Rio *lib.5. disquis. sect.3. vers. Secundum indicium.*

Aduerte secundò, quod, cùm dixi, suspectum & in- 4
quisitum de hæresi torqueri posse, intelligendum sit, etiamsi iste talis fuerit persona priuilegiata (quæ scilicet aliàs torqueri non posset) quia ob grauitatem tanti criminis de quo loquimur, de tortura priuilegium non habet. *l. etsi excepta, C. de malef. & mathemat.* & docet Royas *sing.208.* Martinus del Rio *vbi suprà, vers. Quoad personas*, Carrerius *tract. de hæretic. n.127.*

Aduerte tertiò, quod in specie, tanquam de hæresi 5
suspectus, torqueri possit, qui sanctum Inquisitionis officium impedit; sic Doctores quos sequitur Peña *in p.2.q.54. comment.79. vers In hac materia.*

Item torqueri possit, qui confitetur, quod verba hæ- 6
reticalia protulerit, negat tamen, quod id ex praua intentione fecerit. Simancha *in Enchirid. tit.29.n.10. & tit.52.num.7.* & Decianus *in tractat. crimin. lib.5 cap.36. direct. num.17.*

Item torqueri possit, qui in fide errat, asserit tamen, 7
quod ita tenuerit, quia ita Ecclesiam tenere putabat, alioquin nullo modo ab Ecclesia recessisset. Bellamera *in c.1. de summ. Trinit. q.5 n.11.* & alij, quos sequitur Menoch. *de præsumpt. lib.5 præsumpt.6.n.3.*

An autem detur casus, in quo possint Inquisitores torquere quempiam, & non imponere illi abiurationem de vehementi? Vide infrà *dubit.192. petit.12.*

Item, An licèt reus fuerit tortus, possint ei Inquisitores imponere abiurationem tantùm de leui? Vide *citata dubit.192. petit.13.*

PETITIO II.

An suspecti, & inquisiti de hæresi, abiurare teneantur?

SVMMARIVM.

1 *Hæresim abiurare est, cùm quis ad fidem reuersus ex præcepto iudicis errores hæreticos, quos tenebat, abiurat, scilicet iureiurando promittit, se ampliùs ad eos nunquam reuersurum.*

2 *Suspecti, & inquisiti de hæresi abiurare tenentur, ita vt si quis ipsorum id facere recusauerit, sit hoc ipso habendus pro conuicto, & Curiæ sæculari tradendus ex Constitutione Martini V.*

3 Iuramentum

3 *Iuramentum interuenire debet in abiuratione hæresis, cuius forma habetur in iure expressa; ita vt pœnitens iureiurando promittat, se semper fidem Catholicam professurum, nunquam ab ea recessurum, & nunquam etiam ad hæresim rediturum.*

4 *Item debet etiam damnare, ac detestari Auctores illarum hæresum, quos ipse secutus est, & damnare, ac detestari libros illorum.*

5 *Abiuratio fieri debet per Scripturam, in qua abiurans detestetur præteritos errores, & in qua faciat vera fidei confessionem, vel per propriam manum abiurantis scripta, vel per Notarium confecta ab ipso subscripta.*

6 *Suspectus, vel inquisitus de vna hæresi, debet abiurare non solùm illam, sed omnes hæreses.*

7 *Neque satis est vt abiuret, & damnet omnes hæreses, sed tenetur etiam detestari in particulari illas hæreses, in quas lapsus est.*

8 *Qui abiurat de leui, cogi potest, quod abiuret omnem hæresim.*

9 *Abiuratio hæresum ordinariè fieri debet publicè, & in loco publico; secus si spontè quis accedat ad Inquisitores, & errores suos confiteatur, priusquam fuerit accusatus, vel denunciatus.*

10 *Abiurare non tenetur publicè, & in loco publico de hæresi leuiter suspectus, sed secretò, & coram paucis viris.*

11 *Abiurare multò magis tenetur de hæresi vehementer suspectus, licet de ea conuictus non fuerit, & multo magis qui eam confessus est.*

12 *Qui abiurat de vehementi, non admittitur ad audiendas Confessiones, secus, si abiurauit de leui.*

13 *Regularis, qui abiurauit (etiam de leui) redditur inhabilis ad officia, gradus, & dignitates Religionis, per quamcumque pœnitentiam impositam, si non sit illa salutaris.*

14 *Abiuratio (etiam de vehementi) non inducit irregularitatem.*

1 SVppono, quod abiurare hæresim sit, cùm quis ad fidem reuersus ex præcepto iudicis errores hæreticos, quos tenebat, abiurat; scilicet iureiurando promittit, se ampliùs ad eos nunquam reuersurum; ita vt hæreticus ad hoc, quod Ecclesiæ reconcilietur, suos errores damnare, & detestari teneatur. Simanch. *de Cathol. inst. tit. 1. n. 2.* Peña *in direct. p. 3. comment. 40.* & Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 47. n. 1.* Hoc supposito.

2 Respondetur affirmatiuè; ita vt si quis ipsorum id facere recusauerit, sit hoc ipso habendus pro conuicto, & Curiæ sæculari tradendus, ex Constitutione Martini V. *Inter cunctas*, apud Peñam *inter literas Apostolicas*, & tenent Ostiensis *in summ. de hær. §. qualiter deprehendantur n. 4.* Tabiena *verbo hereticus n. 16. & 24.* Oldrad. *consil. 171. n. 5.* & alij passim.

3 Quapropter aduerte, quod in abiuratione hæresis debeat interuenire iuramentum (cuius forma habetur *in c. Quoties 1. q. 7. & in c. Ego Berengarius de consecrat. dist. 1.*) ita vt pœnitens iureiurando promittat, se semper fidem Catholicam professurum, nunquam ab ea recessurum, & nunquam etiam ad hæresim rediturum; ita vt hæreticus debeat non solùm detestari hæresim, quam tenuit, sed etiam debeat profiteri fidem Catholicam, quam tenet Ecclesia Romana; sic Doctores, quos sequitur Simancha *de Cathol. inst. tit. 1. n. 4.*

4 Aduerte secundò, quod debeat etiam damnare, ac detestari Authores illarum hæresum, quos ipse secutus est, & damnare, ac detestari libros illorum: sic iidem Doctores, quos sequitur Simancha *loc. suprà cit.*

5 Aduerte tertiò, quod abiuratio fieri debeat per scripturam, in qua abiurans detestetur præteritos errores; & in qua faciat veræ fidei confessionem. Locat. *e. si quis voluerit, c. Quoties, c. Maximum 1. q. 7. c. his, qui tempore 26. q. 2. & in c. Ego Berengarius*, & docent Royas *sing. 1. n. 7.* Gundisaluus *tract. de hær. q. 10. n. 7.* Locat. *in iudicial. verb. Scriptura n. 8.* & Decian. *tract. crim. lib. 5. c. 47. n. 6.* Et constat etiam ex Constitutione Iulij III. quæ incipit, *Illius*; apud Peñam *inter literas Apostolicas*, vbi dicitur, quod abiuratio facienda sit per scripturam propria manu abiurantis scriptam, vel per publicum Notarium confectam, & ab ipso Abiurante subscriptam.

Aduerte quartò, quod vsu receptum sit, vt is, qui in vnam tantùm hæresim incidit, debeat abiurare non solùm illam hæresim, in quam incidit, sed etiam omnes alias hæreses generatim. *c. Accusatus, §. cùm verò de hær. in 6.* & docet Io. Andreas *ibid. n. 9.* Geminian. *n. 4.* Decian. *vbi suprà num. 10.* & Simanch. *de cathol. inst. tit. 1. num. 12.* 6

Aduerte quintò, quod non satis sit, vt quis abiuret, & damnet omnes hæreses in vniuersum, sed teneatur etiam detestari in particulari illas hæreses, in quas lapsus fuerat, Simancha *loc. suprà cit. & in Enchirid. tit. 53. n. 10.* & Martinus del Rio *lib. 5. disquisit. sect. 12. vers. Debent præterea.* 7

An autem qui abiurat de leui, compelli possit ab Inquisitoribus abiurare generaliter omnem hæresim? 8

Respondetur, quod (quamuis negatiuè videatur respondendum per ea, quæ tradit Glossa *in c. Accusatus, §. cùm verò in verb. simpliciter de hær. in 6.* Eymeric. *in direct. inquisit. sub tit. Forma abiurandi hæresim, quando delatus est suspectus leuiter, num. 163. & seqq.* Calderin. *de hær. p. 1. c. 10. num. 1* & Vmbert. Locat. *in Inquisitionis formula sub tit. Forma abiurationis leuiter suspecti.* Meliùs tamen affirmant Decianus *in tract. crim. lib. 5. c. 47. num. 15.* Zech. *in summ. tom. 1. tit. de fide c. 11. n. 5.* Simancha *de Cathol. inst. tom. 1. n. 12. & tit. 57. n. 7.* sicque seruatur Romæ in Tribunali sanctæ Inquisitionis, teste Peña *in direct. Inquisit. p. 3. comment. 4.* sicque etiam seruatur in Tribunali S. Inquisitionis Hispaniæ, teste Acuña *de Confessor sollicit. q. 24. n. 22.*

Aduerte sextò, quod Abiuratio hæresum ordinariè fieri debeat publicè, & in loco publico; constat *ex c. Ad abolendam, §. præterea de hær.* & docent communiter Bittius *ibid. n. 6.* Ananias *n. 12.* Soccin. *n. 8.* Eymeric. *in direct. inquisit. p. 3. n. 126. 166. 367. & 171.* ponens formam abiurationis publicæ, quando abiurans est suspectus de leui, de vehementi, vel de violenta, & *ibi* Peña *comment. 42.* reddens rationem, ob quam abiurationes istæ publicæ fiant. Riminald. *lib. 6. consil. 686. num. 25. & 250. & 251.* asserens abiurationem factam secretò non valere. Menuch. *de arbitr. lib. 2. cons. 372. n. 1.* Simanch. *de cathol. instit. tit. 47. n. 8. & 74 in Enchirid. tit. 53. n. 12.* Squillacens. *tract. de fide cathol. c. 29. n. 2.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. c. 47. n. 5.* declarans, quando, & quomodo abiuratio dicatur publicè facta. Royas *singul. 1. n. 16. & 17.* Martin. del Rio *in disquis. magic. lib. 5. sect. 12. vers. Et hac abiuratio*, & Barbosa *in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 7. c. 9. n. 11.* Et constat etiam ex Constitutione Martini V. inter literas Apostolicas, apud eundem Peñam inter literas Apostolicas, & ex instructione Hispalensi anno 1484. *n. 5.* 9

Potest tamen quis abiurare non publicè, sed secretò, seu priuatim (scilicet in Auditorio Inquisitorum) ex causa benevola Inquisitoribus. Zechius *in summ. tom. 1. tit. de fide c. 11. n. 17.* Roland. à Valle *lib. 3. consil. 63. n. 7. & 8.* & Decian. *in tract. crim. lib. 5. c. 38. n. 6. & c. 47. n. 7.*

Item potest, & non tenetur abiurare publicè, & in loco publico is, qui priusquam fuerit accusatus, vel inquisitus, spontè ad Inquisitores accedens, suas hæreses occultas non per se (quæ scilicet non prodierunt exterius, sicque non poterant sciri, nisi per illam confessionem spontaneam, quia hæreticus per se occultus, seu purè mentalis non indiget abiuratione, & reconciliatione; quinimò neque indiget Inquisitorum absolutione, ita Doctores communiter, quos sequitur Sanchez *lib. 2. moral. cap. 8. num. 3.* & Bonacina *in Bull. Cœnæ tomo 3. disput. 1. quæst. 2. punct. 2. num. 2. & 3.* Et ego dicebam diffusè *suprà dubitatione 13. & 15. per totas*) sed

sed occultas per accidens (quæ scilicet prodierunt quidem exteriùs, at non poterant probari defectu testium) confitetur, & cum Ecclesia Romana sentire paratus est. Royas *singul.* 23. *numero* 8. *& in tractatu de hæreticis parte* 2. *numero* 272. Simancha *de Catholicis institutionibus titulo* 1. *n.* 24. Barbosa *loco suprà citato*, Locatus *in indic. inquisit. verbo Ordinarios num.* 2. & alij passim.

10 Item potest, & non tenetur regulariter abiurare publicè, & in loco publico, sed secretò, seu priuatim is, qui de hæresi fuit leuiter suspectus; Director. *p.* 3. *n.* 261. & *ibi* Peña *comment.* 40. *vers. Præterea differunt*, Simancha *de Cathol. instit. tit.* 1. *n.* 24. Royas *singul.* 1. *n.* 26. Scaccia *de iudic. lib.* 1. *c.* 59. *n.* 10. Genuens. *in Prax. Archiepiscop. c.* 84. *n* 9. & alij communiter.

Quamuis hoc non obseruetur in omnibus delictis; quia, v. gratia, contrahens binas nuptias in Inquisitione Hispanica est de hæresi suspectus leuiter, & tamen ibi abiurat publicè, non autem secretò, seu priuatim. Vide infrà diffusiùs in Petitionibus sequentibus.

Cæterùm (quamuis, qui de hæresi leuiter suspectus est possit, & non teneatur regulariter abiurare publicè, & in loco publico) cogi tamen debet, vt abiuret saltem secretò, seu priuatim, & coram paucis viris. Simancha *de Cathol. instit tit.* 1. *n.* 18. *& seqq.* Scaccia *de iudic. caus. c.* 59. *n.* 10. & alij, quos sequitur Squillacens. *tract. de fide cathol. c.* 51. *n.* 2.

11 Quapropter multò magis tenetur abiurare is, qui de hæresi vehementer suspectus fuit, quamuis de ea conuictus non fuerit. Repertor. Inquisit. *verbo Abiuratio, vers. sed abiurationes.* Director. Inquisit. *p.* 2. *q.* 55. *n.* 12. *& p.* 3 *n.* 16. & alij complures.

Et multò magis etiam tenetur abiurare is, qui hæresim confessus est, Locat. *in iudic inquis verb. Abiurare n.* 1. & Decian. *lib.* 5. *c.* 47. *n* 2. *& seqq.* Vide, quæ dicentur *infrà in Petitionibus seqq.*

12 Aduerte septimò, quod Sacerdos, qui abiurauit, admitti ampliùs non possit ad audiendas confessiones, si abiurauerit de vehementi. Vmber. Locat. *in fin. prax. inquis.* Ricc. *p.* 2. *dec.* 218. Genuens. *in prax. Archiep. c.* 45. *n.* 2. & Alphons. de Leon. *de offic. & potest Conf. ss. rem.* 2. *recollect. n.* 211. ex declaratione S. Congregationis S. Officij apud Vmbert. Locat. *vbi suprà*, per quam expressè ordinatur, quod ampliùs non admittatur ad audiendas Confessiones, si abiurauerit de vehementi.

Secùs autem, si abiurauerit de leui. Genuens. *loc supr. cit.* quatenus ait: dubitatum fuit in Curia Archiepiscopali, An quidam Sacerdos, qui abiurauerat hæresim de leui, esset admittendus ad audiendas confessiones fidelium, & re delata ad S. Congregationem generalis Inquisitionis S. Officij in vrbe, fuit rescriptum die 6. Mart. ann. 1596. quod dictus Sacerdos non fuerit impeditus exercere omnes Ordines, & ministrare Sacramenta, & audire etiam fidelium sæcularium confessiones, si sic tantùm abiurauerit de leui.

13 Aduerte octauò, quod Regularis, qui abiurauit (etiam de leui) reddatur inhabilis ad officia, gradus, & dignitates Religionis; Alphons. de Leon. *vbi suprà* ex decreto S. Congregationis S. Officij annuente Vrbano VIII. per quod expressè Regulares redduntur inhabiles ad Officia, gradus, & dignitates Religionis propter quamcumque pœnitentiam, si non sit illa salutaris; quamuis contrarium tradiderint Rodriq. *in q. Reg. tom.* 2. *q.* 82. *a.* 2. & Freytas *in addit. ad Tract. de confess. sollicit. q.* 24. *n.* 70. Idque etiam si abiurauerit de vehementi.

14 Aduerte nonò, quod ex abiuratione (etiam de vehementi) non incurratur irregularitas Alphons. de Leon. *loc. suprà cit.* Sanchez *lib.* 1. *mor. c.* 25. *num.* 12. Villalob. *in summ. tom.* 1. *tract.* 21. *difficult.* 15. *n.* 2. quia irregularitas imponenda non est si non fuerit expressa in iure, sicuti est in casu nostro.

At de Abiuratione Vide etiam quæ dicam *infrà dubitatione* 195. *sect.* 25. 26. *&* 27.

PETITIO III.

An, & qui sint de hæresi suspecti?

SVMMARIVM.

1 *Suspecti de hæresi sunt, qui sancta Inquisitionis Officium impediunt, non tamen si id fecerint ex amicitia, ex pretio, & ex consanguinitate. Potest nihilominus contra eos procedi tanquam contra perturbantes iurisdictionem sanctæ Inquisitionis, non tamen tanquam contra suspectos de hæresi.*

2 *Suspecti de hæresi sunt, qui cum hæreticis conuersantur; non tamen qui cum ipsis conuersantur ob bonum finem, v. g. ob illorum salutem.*

3 *Item de hæresi suspecti sunt, qui hæreticorum conciones audiunt.*

4 *Item qui hæreticos receptant.*

5 *Item qui hæreticis fauent.*

6 *Item qui hæreticos visitant.*

7 *Item qui hæreticis munera mittunt.*

8 *Item qui cum hæreticis confœderationes contrahunt.*

9 *Item qui hæreticos sepeliunt.*

10 *Suspecti de hæresi sunt qui eo quod Ecclesiam contemnere videntur, fidelium consortia deuitant, singulis annis sua peccata non confitentur, neque communicant, diebus festiuis Missam, & diuina Officia non audiunt, diebus ieiunij non ieiunant, vel diebus vetitis carnes comedunt.*

11 *Suspecti de hæresi sunt, qui facilè, & sæpè mulieres consanguineas, affines, moniales, commatres, vel similes alias personas carnaliter cognoscunt.*

12 *Suspecti de hæresi sunt, qui duas vxores ducunt, viua priore.*

13 *Suspecti de hæresi sunt, qui Apostatæ à Religione negligentes ad eam redire per annum in excommunicatione persistunt.*

14 *Suspecti de hæresi sunt, qui fideles, vbi tamen mixtim non viuunt, matrimonium cum hæreticis contrahunt.*

15 *Suspecti de hæresi sunt, qui horrenda iuramenta, execrabiles blasphemias, verba impudentissima, vel nomen dæmonis frequenter proferunt.*

16 *Suspecti de hæresi sunt sacrilegi, & dæmonem inuocantes.*

17 *Suspecti de hæresi sunt, qui hæreticum non reuelant.*

18 *Suspecti item de hæresi sunt, qui in causa hæresis examini se subiicere nolunt.*

19 *Suspecti de hæresi sunt, qui priùs de se, vel de aliis hæresim confessi fuerunt, postea verò negant.*

20 *Suspecti de hæresi sunt, qui libros hæreticorum retinent, etiamsi illos non legant: secus si statim ac eos habuerint, lacerant, comburant, vel Inquisitoribus, aut Episcopis deferant.*

21 *Suspecti item de hæresi sunt, qui libros hæreticorum transcribunt, vel legunt; secus si transcribant, vel legant ex ignorantia.*

22 *Suspecti de hæresi sunt, qui Christi fidem ore licet, non corde, negant.*

23 *Suspecti de hæresi sunt Officiales, Magistratus, vel Domini temporales, si in puniendis, vel fugandis hæreticis, negligentes sint. Vel si requisiti ab Episcopis, & Inquisitoribus hæreticos apprehendere recusent.*

Respondetur: de hæresi suspecti sunt, qui sanctæ Inquisitionis Officium impediunt; Locat. *in iudic. Inquisit. verb. Suspicio num.* 11. Peña *in director. parte* 2. 1
q. 54.

q. 54. commentar. 79. & Campeg. in Addit. ad Zanchin. tract. de hæretic. cap. 20. lit. A, verb. Suspicio. Non tamen sunt de hæresi suspecti, si id fecerint ex amicitia, ex pretio, vel ex consanguinitate; quo casu, quamuis contra eos procedi possit, tanquam contra perturbantes Iurisdictionem Sanctæ Inquisitionis Officij, non tamen procedi poterit tanquam contra suspectos de hæresi. Bonifacius de Vitalinis in Clement. 1. de hæretic. n. 100. Zabarella ibid. n. 7. & Peña in director. part. 1. q. 56. comment. 81. vers. Et quamquam hæc sententia. Vide etiam quæ dicam infrà dubit. 208.

a Secundò, de hæresi suspecti sunt qui cum hæreticis
conuersantur. Repertor. Inquisit. verb. hæreticus, vers.
Nota quod. Campeg citato cap. 20. verb. Suspicio in 7.
casu. & Royas singul. 175. n. 4. Non tamen de hæresi
suspecti sunt, si cum hæreticis conuersentur ob bonum
finem, v.g. ob illorum salutem. Tabiena verb. Hæreticus,
3 n. 4. & alij passim. Item de hæresi suspecti sunt qui
hæreticorum conciones audiunt. Archidiacon. in cap.
Quicumque de hæretic. in 6 n. 2. Ioannes Andreas ibid.
n. 3. Geminian. n. 7. Peña in director. part. 2. comment. 75.
versic. Sed plurimum. & Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 15. q. 1.
4 Item qui hæreticos receptant. Repertor. Inquisit. verbo
Defensores, versic. primo. Locatus in iudicial. Inquis. verbo Suspicio, n. 3 Director. Inquisit. part. 3. q. 51. n. 3. & ibi
Peña comment. 76. & Menoch de arbitr. cas. 374. n. 15.
5 Item qui hæreticis fauent, vel illos defendunt. Archidiacon. vbi suprà, n. 4. Io. Andreas ibid. n. 4. Director. Inquisit. part. 2. q. 50. n. 4. & 5. Zanchin de hæretic. cap. 17. n. 1.
6 & Simancha in Enchirid. tit. 13. n. 2. & tit. 14. n. 3. Item
qui hæreticos visitant. Calderin. tract. de hæretic. rubr. de
hæretic. credentibus, n. 11. Campeg. vbi suprà in cas. 8. Di-
7 rector. Inquisit. par. 2. q. 56. n. 8. Item qui hæreticis munera mittunt. Director. Inquisit. loco suprà cit. & Locat.
8 in iudicial. Inquisit. verb Suspicio, n. 3. Item qui cum hæreticis confœderationes contrahunt. Locatus verbo
9 Suspicio, n. 5. & Peña part. 2. q. 56. comment. 81. Item
qui hæreticos sepeliunt. Sic Doctores passim in locis
suprà citatis.

10 Tertiò de hæresi suspecti sunt, qui (eo quod Ecclesiam contemnere videntur) fidelium consortia deuitant, singulis annis sua peccata non confitentur, neque communicant, diebus festiuis Missam & diuina Officia non audiunt, diebus ieiunij non ieiunant, vel diebus vetitis carnes comedunt. Zabarella in cap. Excommunicamus 1. de hæreticis in fine. Felinus ibid. n. 4. Ananias in cap. Ad abolendam, eodem tit. n. 4. Idem Felinus ibid. n. 2. Repertor. Inquisit. verbo Cognoscere, vers. Sed an Iudex, & verb Præsumptio, & verb. Credentes, vers. Non credit, & verb. Confessio, vers. Si quis semel. Peña in director. part. 2. in c. 1. de hæretic. Alberic. de hæretic. q. 13. n. 71. Gennens. in Prax. Archiepisc. cap. 18. n. 11. Læl. Zecch. in summa tom 1. tit. de fide cap. 11. n. 5. Duard. in Bull. Cœn. lib. 2 Canon. 1. q. 33. n 7. Alphons. de Leone de offic. & potest. Confessar. tom. 1. recollect. 12. n. 12. cas. 15. Emmanuel de Moura Opuscul. de Ensal. & Incant. sect. 3. c. 3. n. 20. Royas singul. 98. n. 6. (qui propterea ait, quod possint Inquisitores procedere contra eum, qui non recipit sacram Communionem quolibet anno.) Et Peña in director. Inquisit. part. 2. q. 55. comment. 46. (Vbi inquit, vehemens suspicio sumatur ex signis exterioribus operum, vel verborum, ex quibus capitur argumentum concludens frequenter, & vt in pluribus, quod qui talia facit, vel dicit, sit hæreticus; vt si quis diebus prohibitis absque necessitate & superioris facultate carnibus vesceretur.) & alij passim.

Non obstat, si dicas: Omnia ista supradicta fieri posse sine mentis errore; ergo.

Respondetur enim, concedo totum; at non tamen exinde sequitur, quod arbitrio suo non possint Inquisitores procedere contra talia facientem, pensatis circumstantiis & qualitatibus facti, temporis, & personarum; quamuis hodie regulariter contra eum, qui non communicat in Paschate, procedere soleant Episcopi.

Quartò, propter eamdem rationem de hæresi suspe- 11
cti sunt, qui facilè & sæpè Mulieres Consanguineas, Affines, Moniales, Commatres, vel similes alias personas carnaliter cognoscunt. Sic Doctores, quos sequitur Simancha de Cathol. Instit. tit. 50 n. 30.

Quintò, de hæresi suspecti sunt qui duas vxores du- 12
cunt. Castr lib. 1. de inst. hæretic. punit. c. 1. Peña in direct. part. 2. q. 56. comment. 81. vers De eo qui vidente. Menoch. de præsumpt. lib. 5 præsumpt. 6. n. 37. Grass. lib. 5. decision. c. 18. n. 16. & Simancha loco suprà cit. tit. 40. n. 1. & in Enchiridion. tit. 12. n. 5.

Sextò, de hæresi suspecti sunt, qui Apostatæ à Reli- 13
gione negligentes ad eam redire per annum in excommunicatione persistunt. Director. Inquisit. part. 2. q. 49. n. 3. Vmbert. Locat. in iudicial. Inquisit. verb. Apostata, n. 1 & Decian. in tract. crim. lib. 5. c. 71. n. 2.

Septimò, de hæresi suspecti sunt, qui fideles (vbi ta- 14
men permixtim non viuunt) matrimonium cum hæreticis contrahunt. Glossa in cap. Decreuit de hæretic. in 6. Franch. ibid. n. 1. Geminian. n. 1. Io. Andreas n. 1. & Cantera in quæst. crim. rubr. de hæretic. c. 1. n. 1.

Octauò, de hæresi suspecti sunt, qui horrenda iura- 15
menta, execrabiles blasphemias, verba impudicissima, vel nomen Dæmonis frequenter proferunt. Sic Doctores, quos sequitur Petrus Binsfeld. in l. finali, Cod. de malefic. & mathemat. in indicio 11.

Nonò, de hæresi suspecti sunt, sortilegi & dæmo- 16
nem inuocantes. Simanch. de Cathol. Instit. tit. 21. n. 13. & Menoch. de præsumpt. lib. 5 præsumpt. 7 n. 20.

Decimò, de hæresi suspecti sunt, qui hæreticum non 17
reuelant. Castr. lib. 2. de inst. hæretic. punit. c. 25. in princip. Repertor. Inquisit. verb Fautores, vers. Item in Indicatione. Peña in director part. 2. q. 55 comment. 88. vers. Postremò. & Læl. Zecch. in Summa, part. 1. tit. de fide, rubr. de
hæres. c. 11. n. 5. Item de hæresi suspecti sunt, qui in cau- 18
sa hæresis examini se subjicere nolunt. Sic Doctores, quos sequitur Peña in director. part. 3. q. 62. comment. 111. vers. Sed opportune.

Vndecimò, de hæresi suspecti sunt, qui priùs de se, 19
vel de aliis hæresim confessi fuerunt, postea verò negant; cap. literas de præsumpt. ibi: [Nos verò prædictum N. suspectum de hæresi vehementer habuimus, tum quia vel mendacium priùs dixit in fratrem, asserendo illum hæreticum, vel periurium postea commisit in Deum purgando illum de hæresi.] Et tradunt ibi communiter Canonistæ.

Duodecimò, de hæresi suspecti sunt, qui libros hæ- 20
reticorum retinent. Vmbert. Locat. in iudic. Inquisit. verb. Libri, n. 1. Albertin. tract. de agnosc. assertion. q. 28. n. 14. Conradus in Practica rubr. de hæret n. 4. (etiamsi illos non legant. Sic Doctores, quos sequitur Decianus in tract crim. lib 5. cap. 37. n. 55. & c. 46. n. 32.) Secùs, si statim ac eos habuerint, lacerent, comburant, vel Inquisitoribus, aut Episcopis deferant. Syluest. verb. hæresis 1. n. 10. Repertor. Inquisit. verb. Libri, vers. 2. Cater. tract.
de hæretic. n. 125. & Albertinus vbi suprà. Item de hæ- 21
resi suspecti sunt, qui libros hæreticorum transcribunt, vel legunt. Secùs, si transcribant, legant, vel retineant ex ignorantia. Peña in direct. part. 2. comment. 17. vers. Cæterum. & Mascard de probat. lib. 2. conclus. 862.

Decimotertiò, de hæresi suspecti sunt, qui Christi fi- 22
dem ore, licèt non corde, negant. Peña vbi suprà, part. 1. q. 9. comment. 24. vers. Sed hæc quidem. & alij, quos sequitur Azor tom. 1. lib. 8. c. 9. q. 9.

Decimoquartò, de hæresi suspecti sunt Officiales, Ma- 23
gistratus, vel domini temporales, si in puniendis, vel fugandis hæreticis negligentes sint. Peña in director. p. 2. comment. 2. vers. Si de Episcopis. & Menoch. de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 6. n. 31. Vel si requisiti ab Episcopis, aut Inquisitoribus, hæreticos apprehendere recusent. Peña, Menochius in locis suprà citatis.

Quid autem dicendum de percutientibus, & conspurcantibus sacras Imagines, dicam infrà dubit. 195. sectione 86. per totam.

PETITIO IV.

Quænam sint pœnæ suspectorum de hæresi?

SVMMARIVM.

1 *Suspecti de hæresi puniri possunt pœna pecuniaria.*
2 *Item possunt detrudi in carcerem.*
3 *Suspecti de hæresi bona non ipso Iure sunt confiscata; quamuis hæreticorum bona sint ipso iure confiscata.*
4 *Filij hominis suspecti de hæresi non priuantur beneficiis, neque ad ea redduntur inhabiles.*

1 Respondetur, (vt omittam pœnas quas suprà dicebam) suspecti de hæresi puniri possunt pœna pecuniaria. Royas *singul.1.n.22.* Peña *in director. part. 3. q.103. comment. 152. vers. sed non erit.* & Simancha *de Cathol. Instit. tit.46.n.66.& in Enchirid tit.67.n.10.*

2 Item possunt detrudi in carcerem. Royas *de hæretic. part.2.assert.1.* Martin. del Rio *lib.5.disquis.sect.7.in princip.* Genuens. *in Praxi Archiepisc. cap.84.n.1.* Scaccia *tract. de indic caus. cap.44. & cap.59. n.6.* & Gundisalu. *tract. de hæret. q.11.*

3 Cæterùm (quamuis hæreticorum bona sint ipso iure confiscata) non tamen id est verum in suspectis de hæresi. Vmbert locat. *in Iudic. inquis. verb bona hæreticorum n.1.* Tabiena *verb. hæreticus n.5.* Cantera *in quæst. crimin. rubr. de hæretic. c.1. n.54.* & Loquez *in addition. ad Diaz. c.116. n.12.*

4 Item Filij hominis suspecti de hæresi non priuantur beneficiis, neque ad ea redduntur inhabiles, Zanchin. *tract. de hæret. c.28. n.5.* Repertor. Inquis. *verb. filij vers. Item filij.* Puteus *decis.400. l.2.* Peña *in director. part.3. q.115. comment.164.* & alij, quos sequitur Sanchez. *lib.2. moral. cap.27. n.29.*

PETITIO V.

An possit condemnari Reus, vt abiuret publicè de leui?

SVMMARIVM.

1 *Reus si de leui est suspectus publicè, debet etiam de leui abiurare publicè, contra plures Doctores asserentes non debere; quia differentia inter abiurationem de vehementi, & abiurationem de leui est tantùm respectu loci.*
2 *Reus si non est suspectus de leui publicè, debet tantùm abiurare in Audientia secreta Inquisitorum secundùm quod apud plures, vel pauciores suspectus fuerit de hæresi.*
3 *Contrahens binas nuptias in Inquisitione Hispanica abiurat de leui, & tamen abiurat publicè.*
4 *Abiuratio de vehementi licet fieri debeat publicè, & in loco publico, aliquando tamen ex causa rationabili fieri potest non publicè, sed secretò.*
5 *Mares ante 14. & fœminæ ante 12. ætatis annum cogi non debent ad abiurandum, quamuis si fuerint doli capaces, possint cogi priùs, rarò tamen, & non publicè.*
6 *Mares, & fœminæ supradictæ ætatis si reconcilientur ex hæresi formali propter ipsorum propriam confessionem, & postea relabantur, videntur ex misericordia, consulto supremo Inquisitorum consilio, pro illa vice iterum ad reconciliationem posse admitti.*

Respondetur (quamuis negent Simancha *tit.1.n.24.* Peña *in Director. Inquis. p.2. comment* 40. Scacc. *de Iudic. caus. lib 1. cap.59. n* 10. Barbos. *in collect tom.2. l.5. tit.7. cap.9. n.11.* & Royas *singul.16 n.26.* Quatenus ait, quod secunda differentia, quæ est inter abiurationem de vehementi, & inter abiurationem de leui sit respectu loci; quia Abiuratio de vehementi fit solemniter in conspectu totius populi: Abiuratio verò de leui fit in domo Episcopi, vel coram Inquisitoribus. Quod quidem ordinariè est verum) Meliùs tamen, vt tollatur scandalum, & satisfiat populo) sentit Eymeric. *in direct. Inquis. part.3. n.161.* docens, quod Reus, si est suspectus publicè, debeat, etiam de leui, abiurare publicè, si verò non est suspectus publicè, debeat abiurare in Audientia secreta Inquisitorum, secundùm quod apud plures, vel pauciores suspectus fuerit de hæresi: & Sousa *in Aphor. Inquisit. l.2. c.40. n.5.* inquiens, quod Abiuratio leuis aliquando fiat publicè, aliquando verò secretè, secundùm quod culpa publica, vel occulta fuerit, prout videbitur Inquisitoribus; sicque seruatur in Inquisitione Hispanica, in qua contrahens binas nuptias abiurat de leui, & tamen abiurat publicè; idemque etiam faciunt aliquando Blasphemi, Astrologi iudicarij, legentes libros Hæreticorum, &c. 1 2 3

Hinc sequitur, quod (licèt Abiuratio de vehementi fieri debeat publicè, & in loco publico, sicuti suprà dicebam, & docet præter alios. Riminald. *l.6. consil.686.* Menoch. *de Arbitr l.2. cas* 322. *n.1.* & constat. *ex cap. Ad abolendam §. præterea de hæret.* Vbi Butrius *n.6.* Ananias *n.12.* Soccinus *n.8.* & etiam ex Bulla Martini Quinti) Aliquando tamen ex causa rationabili fieri possit non publicè, sed secretò; Doctores, quos sequitur Peña *in direct. Inquisit. part.3. comment.40. n.161.* 4

Cæterum Ætas requisita ad abiurandum in Maribus est 14. Annus, in fœminis 12. ex Concilio Toletano *c.11* & ex Concilio Bituricensi *c.3.* quamuis, si fuerint doli capaces, possint cogi abiurare priùs, rarò tamen, & non publicè. Peña *in director. part. 3. comment. 40. n.16.* Param. *l.3. q.4. n.17.* Sousa *tit. cap.40. n.4.* Et videri etiam poterit Instructio Vallisoletana Anno 1488. §. 12. 5

Vbi aduerte, quod supradicti, si reconcilientur ex hæresi formali propter ipsorum propriam confessionem, & postea relabantur, videntur ex misericordia, consulto supremo Inquisitorum consilio, pro illa vice, non obstante relapsu, iterum ad reconciliationem admittendi. 6

PETITIO VI.

An possit condemnari Reus, qui abiurauerit de leui, ad grauem aliquam pœnam, vt Triremium, vel Fustigationis, &c.

SVMMARIVM.

1 *Reus, qui abiurauit de leui, si aliundè delictum sit graue, non est omninò improbabile, quod possit condemnari graui aliqua pœna, vt Triremium, vel Fustigationis; sicque seruatur in Inquisitione Hispanica, in qua ducens duas vxores abiurat de leui, & tamen fustigatur, & condemnatur pœna Triremium. Et sollicitans in confessione pariter abiurat de leui, & tamen damnatur pœna Triremium, contra plures Doctores asserentes, pœnas graues esse tantùm infligendas abiurantibus de vehementi; & de leui pœnas leues, vt pecuniaria, carceris per aliquot menses, vel alterius publicæ pœnitentiæ non valdè grauis.*

1. Respondetur

5 Rby Espondetur (quamuis absolutè, & sine distinctione negent Zanard. *in direct. Theolog. part. 3. c. 134.* quatenus ait, quod qui abiurat de leui, non afficiatur pœna graui, sed pœna pecuniaria, vel carceris per aliquot menses, vel alterius publicæ pœnitentiæ non valdè grauis; qui verò abiurat de vehementi, possit fustigari, trium ictuum funis pœna puniri, per annos ad carcerem, vel ad triremes, iuxtà qualitatem personæ, ac delicti, condemnari. Et Genuens. *in Prax Archiepisc. c. 68. n. 8.* quatenus inquit, quod suspectis leuiter possit imponi pœnitentia salutaris, suspectis autem vehementer pœna triremium) Oppositum tamen non est improbabile (si aliunde delictum sit graue) ad hoc vt scilicet correspondeat delicto pœna proportionata; sicque seruatur in Inquisitione Hispanica, in qua (vt dicam *infrà dubit.* 209. ducens duas vxores abiurat de leui, & tamen fustigatur, & condemnatur ad triremes; similiter (vt etiam dicam *infrà dubit.* 237.) sollicitans in confessione, blasphemus, &c. abiurat etiam de leui, & tamen aliquando similiter etiam condemnatur ad triremes; Quibus pœnis punitur de hæresi suspectus vehementer. Videatur præter Doctores suprà citatos Royas *de heretic. part. 2. n. 301.*

PETITIO VII.

An quando ex delicto oritur suspicio vehemens, debeat semper considerari Reus ad abiurandum de vehementi.

SVMMARIVM.

1 *Suspicio ex delicto heresis an sit vehemens, vel leuis considerandum est ex personarum, & causarum circumstantiis, ex quibus interdum oritur suspicio vehemens, interdum leuis, interdum verò nulla secundùm Peñam contra Regulam communem, quam afferunt alij, quod id considerandum sit ex qualitate delicti inducentis vehementem, vel leuem suspicionem, secundum quas vel grauiter, vel leuiter Reus puniri debeat.*

2 *Processus Minorum in causa fidei quotiescumque de heresi formali non constat, regulariter non terminatur per abiurationem maiorem, quàm per abiurationem leuem.*

REspondetur (quamuis affirment Vmbert. Locat. *in Prax. Inquis. verb. suspicio §. suspectus* Torreblanca
1 *de magia l. 3. c. 20. n. 1.* Riccull. *tract. de Iur. person. lib 5. c. 11. n. 30.* & alij communiter quatenus regulam generalem adducunt, quod quando quis committit delictum inducens suspicionem vehementem, debeat abiurare de vehementi; quando verò committit delictum inducens suspicionem leuem, debeat abiurare de leui) Meliùs tamen sentit Peña *in direct. Inquis. p. 2. comment. 85. in fine,* (quatenus ait: vnum præ cæteris habeant Inquisitores ante oculos, nè facilè credant hunc, vel illum delinquentem esse suspectum vehementer, eo quod reperiant ex hoc, vel illo delicto, quod ille committit, oriri suspicionem vehementem; quia quam plurimùm semper considerandæ sunt personarum, & causarum circumstantiæ, ex quibus interdùm oritur suspicio vehemens, interdùm leuis, interdùm verò nulla) & Zanardus *in direct. Theolog. p. 2. precept. 1. c. 1. §. 25.* quatenus asserit, quod ex consideratione personarum, & circumstantiarum aliquando suspiciones vehementes conuertantur in leues, & è contrà suspiciones leues conuertantur in vehementes.

2 Quapropter ex Peña rectè dixit Sousa *Aphor. Inquis. l. 2. c. 40. n. 15.* quod Processus Minorum in causa fidei, quotiescumque de hæresi formali non constat, regulariter non terminetur per abiurationem maiorem, quàm per abiurationem leuem; quia præmatura ætas in prædicta fidei causa, quàm plurimùm delicto detrahit.

PETITIO VIII.

An, & quandò purgatio indici possit?

SVMMARIVM.

1 *Purgatio est infamie, seu suspicionis deletio, & innocentia detectio per modos à Iure prascriptos, ita vt qui se purgauit, ad omnes honores, officia, & dignitates promoueri possit.*

2 *Purgatio indici potest propter solam suspicionem, quod quis sit hereticus.*

3 *Purgatio indici potest propter solam suspicionem, ex qua oritur scandalum.*

4 *Purgatio indici potest propter solam infamiam, seu diffamationem.*

5 *Infamia, seu diffamatio sola sufficit ad inquirendum, & procedendum in crimine heresis, & iunctis aliis adminiculis, non solùm sufficit ad purgationem, sed etiam ad abiurationem, dummodò scilicet illa sit publica, grauis, & vehemens; & orta non ab æmulis, & vilibus hominibus. Dicta infamia, seu diffamatio probatur per Testes inhabiles, si sint plures, quàm duo, & dicant verisimilia.*

6 *Purgare se recusans, vel deficiens in purgatione debet tanquam infamis haberi; & si per annum in se purgando contumax fuerit, tanquam hereticus condemnari. Vide hic permultas constitutiones.*

7 *Purgare pariter se recusans, seu in purgatione deficiens, debet etiam officio, & beneficio priuari.*

8 *Purgare qui se tenetur de crimine heresis, tenetur etiam iuramentum prastare, & si iurare noluerit, ex hoc ipse tanquam hereticus reputatur.*

SVppono, quod purgatio sit infamiæ, seu suspicionis 1
deletio, & innocentiæ detectio per modos à Iure præscriptos: ita vt qui se purgauit, ad omnes honores, officia, & dignitates permoueri possit; sic Doctores communiter, quos sequitur Gabriel *l. 1. Consil. 160. n. 11.* Hoc supposito.

Respondetur: Purgatio indici potest propter solam 2
suspicionem, quod quis sit hæreticus: Patet ex dictis, & *ex cap. Ad abolendam §. qui verò de heret. in 6.* & docent ibi Abbas *n. 1.* Butrius *n. 6.* Soccin. *n. 10.* Angelus *verbo heret. n. 2.* Syluester *eod. verbo heretic. primò n. 11.* & alij, quos sequitur Gabriel *loco suprà citato n. 1.*

Item 2. Purgatio indici potest propter leuem suspi- 3
cionem, ex qua oritur scandalum, *cap. Tua de cohabitat. Cleric. & Mulier. cap. Ex parte de Offic. ordinary, & cap. Inter sollicitudines vers. Antecedentes de purgat. canonic.* & docet Gabriel *vbi suprà n. 7.* & Simanch. *de cathol. Institut. tit. 56. n. 8.*

Item 3. Purgatio indici potest propter solam infa- 4
miam, seu diffamationem; *cit. cap. Inter sollicitudines ibi:* [Ipsum igitur adire remittentes, vt ibi purgetur, vbi noscitur infamatus;] & patet ex constitutione Martin. Quinti. *Inter cunctas* apud Peñam; & docet Rosella *verb. heretic. n. 13.* Syluester *eod. verb heret. n. 10.* & alij, quos sequitur Martinus del Rio *l. 5. disquisit. sect. 13. vers. sed de infamia.*

Vbi aduerte, quod sola infamia, seu diffamatio suffi- 5
ciat (& multo magis) ad inquirendum, & procedendum in crimine hæresis. Zabarella *in Clem. 1 §. verum 2. de heretic. n. 5.* Ioannes Monachus *in c. vt officium de heret. in 6.* Zanchin. *de heret. c. 11. n. 3.* Repertor. Inquisit. *verb. Accusatio vers. sed ponamus.* & ibi Mandosius *in Addit. lit. O,* Vbi generaliter ait, quod fama succedat loco Accusatoris, & sufficiat ad inquirendum.

Quinimò Peña *in directorio part. 2. question. 57. commentar. 81. vers. Purgatio.* Paramus *de origine*

sancta

Sancta Inquisitionis libro 3. quæstione 4. numero 26. & alij tenent, quod infamia, seu diffamatio, iunctis alijs adminiculis, sufficiat non solùm ad purgationem; sed etiam ad abiurationem, *ex eod. c. Inter sollicitudines de purgat. canonic.*

Quamuis non quælibet infamia, seu diffamatio sufficiat ad purgationem indicendam, sed illa solùm, quæ sit publica, & grauis, vel vehemens. *d. c. Inter sollicitudines*; & docent Peña *p. 3. direct. comment.* 38. Decianus *in tract. crim. lib. 5. c. 48. n. 8.* & Gabriel *citat. cons. 160. num. 4.*

Item quæ sit orta non ab æmulis, & vilibus hominibus Peña *vbi suprà comment.* 82. Gabriel *lib. 1. cons. 160. n. 5.* Oldrad. *cons. 210. n. 9.* Simanch. *de Cathol. inst. tit. 56. n. 7. & in Enchirid. tit. 54. num. 4.* & alij communiter.

An autem infamia, seu diffamatio ad indicendam purgationem in crimine hæresis probetur per testes inhabiles?

Respondetur, quod (quamuis affirment Eymeric. *in direct. p. 2. q. 57. n. 2.* & Vmbert. Locat. *in praxi verb. diffamati, num. 3. & seqq.*) Probabiliùs tamen sit contrarium; nisi prædicti testes inhabiles sint plures, quàm duo, & præterea deponant verisimilia; sic Doctores, quos sequitur Peña *in direct p. 3. comment.* 19.

6 Aduerte secundò, quod qui se purgare recusat, vel in purgatione deficit, debeat, tanquam infamis, haberi, etsi per annum in se purgando contumax fuerit, tanquam hæreticus condemnari. *c. Excommunicamus primo. §. Qui autem de hæret.* Ibi: [Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi iuxta considerationem suspicionis qualiscumque personæ propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur, ita quod, si per annum in excommunicatione perstiterint, extunc, veluti hæretici, condemnentur.] Idem patet ex Constitutionibus citatis Innocentij IV. & Nicolai IV. ex Constitutione Martini V. *Inter cunctas*, & ex Constitutione Federici Imperatoris *Catharos* (quæ omnes reperiuntur apud Peñam inter literas Apostolicas.) Idémque etiam patet *ex Auth. Gazaros, §. qui autem C. de hæret.* Ibi: [Qui autem inuenti fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum Ecclesiæ iuxta considerationem suspicionis, qualitatémque personæ propriam innocentiam congrua purgatiоnē monstrauerint, tanquam infames & banniti ab omnibus habeantur; ita quod, si sic per annum permanserint, ex tunc omnes, tanquam hæreticos, condemnamus.] Et docent Felin. *cit. c. excommunicamus 1 n. 1.* Syluester *verb. hæreticus 2. n. 10.* & alij, quos sequitur Bossius *tit. de hæret num. 12.*

7 Aduerte tertiò, quod qui similiter se purgare recusat, vel in purgatione deficit, debeat etiam officio, & beneficio priuari. *cap. Inter sollicitudines de purgat. canonic.* Ibi: Quod si forsalle in purgatione defecerit, eum Ecclesiasticæ disciplinæ mucrone percellas, & ab officio, & beneficio depositum, ad agendam pœnitentiam in arctum monasterium detrudere non omittas; & docent Doctores, quos sequitur Lopez *in allegat. hær.* § 11.

8 Aduerte quartò, quod qui se purgare tenentur, teneatur etiam iuramentum præstare. *cap. Excommunicamus 1. §. Adijcientes de hæretic.* Ibi: [Si qui verò ex eis religionem obstinatione damnabili respuentes iurare fortè noluerint, ex hoc ipsi, tanquam hæretici, reputantur.] & docent ibi Gloss. *verbo iurare.* Ostiensis *numero* 10. Abbas *num.* 11. Ioannes Andreas *num.* 23. & alij communiter Canonistæ.

Dixi de pœnis Hæreticorum, & suspectorum, de hæsi, dicam nunc,

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

De pœnis filiorum, & nepotum tam diuinæ, quàm humanæ læsæ Maiestatis crimen committentis.

DVBITATIO CLXXII.

Quibusnam pœnis afficiantur hæreticorum filij?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij propter parentum hæresim nullis pœnis corporalibus afficiuntur: esset enim inhumanum.*

2 *Hæreticorum filij ob delictum parentum neque priuantur bonis proprijs temporalibus, habitis eo tempore, quo parens commisit delictum; quia nullibi id reperitur cautum in iure.*

3 *Hæreticorum filij neque priuantur potestate succedendi in maioratu, quem habet pater hæreticus; quia eum non habet à patre, sed à primo instituente.*

4 *Maioratus compluries habet iurisdictionem in vasallos, & tamen si iurisdictio, & dignitas sit accessoria, eo non priuantur hæreticorum filij; secus si iurisdictio, & dignitas sit per se concessa.*

5 *Iurisdictio, & dignitas, quæ multoties maioratum consequitur, est accessoria tum ex vsu; tum quia per successionem ex sola bonorum obtentione habetur, tum quia transit etiam ad fœminas.*

6 *Hæreticorum filij neque priuantur successione auorum, vel aliorum consanguineorum, vel extraneorum; sicut priuantur successione parentis; quia nullibi id etiam reperitur in iure cautum.*

7 *Filij reorum læsæ maiestatis humanæ priuati sunt qualibet successione; at non sic dicendum de filijs reorum læsæ maiestatis diuinæ; cùm simus in pœnalibus, & pœnæ restringendæ sint tantum ad expressa. Neque militat eadem ratio in vtraque dispositione.*



Espondetur, & dico primò, si loquamur de pœnis corporalibus, hæreticorum filij propter parentis hæresim nullis pœnis afficiuntur. Simanchà *de Cathol. inst. tit. 29.* Suarez *de fide disp. 24. sect. 3. num. 2.* & alij passim; quia inhumanum esset, propter parentis delictum morte, verberatione, fustigatione, vel simili malo pœnæ filios afficere. 1

Dico secundò: si loquamur de pœnis temporalibus, ob delictum parentis, filij neque priuantur bonis proprijs habitis eo tempore, quo parens delictum commisit. Menochius *cons. 805. n. 31.* Molina *de iust. & iur. tom. 3. disp. 658. n. 25.* Vasquez *de legib. disp. 169. n. 36.* Sanch. *lib. mor. c. 30. n. 4.* & Farinac. *de hæres. q. 191. n. 42.* 2

Probatur; quia nullibi id reperitur cautum in iure; & ex alio capite pœnæ, præsertim in ordine ad innocentes, extendi non debent sine manifesto iure, vel ratione.

Item secundò, hæreticorum filij neque priuantur potestate succedendi in maioratu (quem habet pater hæreticus;) quia eum non habent à patre, sed à primo instituente, qui descendentes omnes in successione vocauit, & maioratus non connumeratur inter bona patris, sed potiùs inter bona familiæ, seu generis. 3

Obiicies: maioratus compluries habet iurisdictionem in vasallos; at hæreticorum filij iurisdictione, & dignitate sunt priuati. *cap. secundo de hæreticis in 6.* 4

Ibi:

Ibi: [Ad nullum officium publicum admittantur:ergò.

Respondetur: Distinguo minorem: si iurisdictio, & dignitas sit per se concessa, concedo: si iurisdictio, & dignitas sit accessoria, nego: quia talis iurisdictionis, & dignitatis hæreticorum filij sunt capaces, eo ipso, quo capaces sunt bonorum maioratus, quibus talis iurisdictio & dignitas annexa est; cùm principale trahat accessorium, Regul. Accessorium 42. de Reg. iur. in 6.

5 Quod autem talis iurisdictio, & dignitas, quæ multoties maioratum consequitur, sit accessoria, probatur tum ex vsu, tum quia per successionem ex sola bonorum obtentione habetur; tum quia transit non solùm ad mares, sed etiam ad fœminas. Menochius, Molina, & Sanchez *in locis suprà cit.*

6 Dico tertiò: Neque priuantur successione auorum, vel aliorum consanguineorum, vel extraneorum (sicuti successione parentis priuantur) Baldus, Iason, Alexander, Guido Papa, Cephalus, Molina, Antonius Gomez, Iacob. Butig. *in locis infrà citandis post dubitationem 173 corollar. 1.* Simancha *de cathol. inst. tit. 29. num. 19.* Canrera *quæst crimin. tit. de quæstione tangente perso. delict. c. 2. n. 11.* Surdus *cons. 386. lib. 3.* Menochius *cons. 805. n. 23.* Suarez *de fide disp. 24. sect. 3. n. 3.* Decian. *tractat. crim. lib. 5. c. 45. n. 5.* Farinac. *q. 116. n. 75.* & Sanchez *lib. 2. mor. c. 29. n. 13.*

Probatur, quia nullibi id etiam repetitur cautum in iure.

7 Obiicies: Filij reorum læsæ maiestatis humanæ priuati sunt qualibet successione, ex Texto *in l. Quisquis, §. filij C. ad l. Iul. maiest.* Ergo idem multò magis dicendum erit de filiis reorum læsæ maiestatis diuinæ; cum crimen læsæ maiestatis diuinæ multò maius sit crimine læsæ maiestatis humanæ.

Respondetur: Nego consequentiam; quia (sicuti pluries dicebam) pœnæ, vtpote odiosæ, extendi non debent de casu ad casum etiam ob maioritatem, nedum identitatem rationis: vt omittam, quod in casu nostro non sit eadem ratio: siquidem in crimine læsæ maiestatis humanæ priuantur filij qualibet successione ob seueritatem Principis, qui meritò timet, ne filij, si diuitiis affluant, delicta parentum sequantur: quod in crimine hæresis, seu læsæ maiestatis diuinæ locum non habet.

DVBITATIO CLXXIII.

An bonis parentis priuentur hæreticorum filij?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij priuantur bonis parentis, etiamsi sint illegitimi, & etiam adoptiui; quia sic habetur expressum.*

2 *Hæreticorum filij priuantur etiam legitima, quidquid sit de iure ciuili veteri: id enim procedit de iure ciuili nouo, & de iure canonico.*

3 *Filia fœmina hæreticorum priuantur dote ob patris hæresim; quia omnia delinquentis istius bona applicantur fisco.*

4 *Hæreticorum filij probabilius non priuantur alimentis, saltem ex æquitate, & misericordia; præsertim cùm ius naturæ, vtpote fortius, iure positiuo tolli non possit.*

1 Respondetur affirmatiuè (etiam illegitimi, etsi non etiam adoptiui, sicuti dicetur *infrà in Corollario*) Peña *2. p. direct. comment. 9. ad c. vergentis de hær. vers. ca-*terum hodie, Graff. *lib. 2. decis. c. 11. num. 9.* Decian. *tract. crim. c. 45. n. 3.* Farinac. *q. 91. n. 1.* Sanchez *lib. 2. mor. c. 29. n. 9.* & alij passim.

Probatur, quia sic habetur *in c. Quicumque, § hæretici, & in c. filij de hær. in 6.* Vbi expressè hæreticorum filij excluduntur à successione bonorum parentis condemnati. Item probatur *ex c. Cùm secundùm leges eodem tit.* Vbi bona parentis hæretici iam applicantur fisco.

2 Hinc sequitur; quod hæreticorum filij priuentur etiam legitima, hîc Doctores iidem, quos suprà referebam in locis supra citatis; quia licèt de iure ciuili veteri iuxta Text. *in l. Manichæos, & in l. cognouimus Cod. de hær.* Filij Catholici non priuarentur hæreticorum parentum legitima: de iure tamen ciuili nouo, & de iure canonico (cui in hoc crimine hæresis, cùm sit Ecclesiasticum, standum est) hodie priuantur; cùm ius illud ciuile vetus correctum iam sit ab Imperatoribus in Authent. *Gazaros C. de hær.* & ab Ecclesia *in cit. c. Quicumque, e. filij, & c. secundùm leges de hær. in 6.*

3 Sequitur secundò, quod etiam filiæ fœminæ priuentur dote parentis hæretici; quia omnia delinquentis istius bona applicantur fisco, sicuti suprà dicebam ex Text. *in cit. cap. Cùm secundùm leges*, & docent Cantera *quæst. crim. rubr. de hær. c. 1. n. 20.* Simancha *de cathol. inst. tit. 9. rubr. de bonis hæreticorum*, Farinac. *q. 191. n. 8.* Quemada *q. 24. n. 1.* & Azor. *p. 1. instit. moral. lib. 8. c. 12. q. 6. vers. Imò dotes.* Vide quæ dicentur *infrà Corollar. 2.*

4 An autem priuentur etiam alimentis?

Respondetur, quod (quamuis satis probabiliter affirment Imola *in Clem. Pastoralis de sent. & re iudic. n. 25.* Ioannes Lupus *in c. Per vestras notab. 3. § 15. n. 16. de donationib. inter vir. & vxor.* Bursatus *cons. 28. num. 11. volum. 3.* Quemada *in quæst. fiscal. cit. quæst. 24. num. 12.* Simancha *vbi suprà titul. 29. rubric. de filiis, & minorib. num. 11.* Sanchez *tom. 1. moral. lib. 2. cap. 16. num. 26.* & Ricciull. *tract. de iur. person. lib. 5. cap. 40. num.* . Sicque omnia parentum bona, nullis filiorum alimentis reseruatis, publicari propter atrocitatem delicti; quia, tametsi parentes astringantur iure naturali filios alere, non tamen ob id impediuntur, quominus possint omnia bona hypothecæ alicui subiicere per contractum, ita vt sæpè à creditoribus omnia bona, non deductis filiorum alimentis, vsurpentur; ergò à fortiori id poterunt per delictum; cùm prior obligatio oriatur ex propria parentum voluntate, posterior autem ex legis præscripto, propter bonum commune, vt tam grauis supplicij timore à delicto perpetrando parentes deterreantur.) Probabilius tamen sit oppositum, filios scilicet (saltem ex æquitate, & misericordia, præsertim cùm alimenta sibi procurare non valent) alimentis non priuari; quia, cùm parens iure naturæ filios suos (dum hi alimenta sibi procurare non valent) ex propriis bonis alere debeat, videtur, quod fiscus, in delinquentis bona succedens, in hac obligatione (sicut in obligatione soluendi creditoribus) succedere teneatur. Præsertim cùm ius naturæ, vtpote fortius iure positiuo, tolli illo non possit. Torreblanca *de magia libro 3. capite 11. numero 46. & 47.* Plotus *inter consil. criminal.* Ziletti *lib. 1. consil. 130. numero 83.* Soccinus *libro 1. consil. 30. numero 3.* Peña *2. parte directorij, commentar. 9. ad cap. vergentes vers. Inquisitores tamen*, Surdus *consilio 386. numero 8. & 13.* Royas *singul. 87.* & alij, quos *infrà* citabo *corollario secundo.* Et fauet Instructio Hispalensis, quam affert ipse Gabriel Quemada *loco suprà citato.*

Ex dictis igitur *Dubitatione 172. & 173.* fit

COROLLARIVM I.

An filij hæreticorum possint succedere ex testamento, vel ab intestato in bonis, quæ sibi relinquuntur, siue ab auis, siue ab aliis consanguineis, siue etiam ab aliis (quamuis extraneis) Catholicis?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij possunt succedere ex testamento, vel ab intestato in bonis, quæ sibi relinquuntur, siue ab auis, siue ab aliis consanguineis, siue etiam ab aliis, quamuis extraneis;, Catholicis, contra Angelum, & alios.*

2 *Non valet argumentum à pœnis statutis contra reos læsæ maiestatis humanæ, ad reos læsæ maiestatis diuinæ, cùm enim pœnæ sint restringendæ, non extenduntur de casu ad casum; nisi sit iure expressum.*

3 *Filij reorum læsæ maiestatis humanæ ideò priuantur potestate succedendi ex testamento, vel ab intestato in bonis, quæ sibi relinquuntur, ne imitantes suos parentes idem crimen in Principes committere audeant, cùm diuitiæ ad hoc valde conferant, quæ ratio non militat in filio hæretici.*

1 REspondetur affirmatiuè ex dictis *suprà dubitatione* 172. & docent Baldus *in l. Gallus §. quidam rectè n.2.ff.de liber.& posth.* Iason *in l hæreditas n.8. C de his quib.vt indign.* Alexander *vol.3.cons.74.n.1.* Guido Papa *cons.175.n.3.* Cephal.*vol.1.cons.*103.Molina *de iust.tom.3.p.1 disp.*658.*n.*19.& 25. Antonius Gomez *tom.2.var.c.2.n.13.*Iacob.Butig. *in l.1.C.de her.inst.circa medium,* Gomez *lib.de delictis rubr.de crimin.læs.maiest.num.13.* (quatenùs, ait, quod filij, vel nepotes hæreticorum non possint quidem succedere parentibus, & ascendentibus, qui fuerunt hæretici, quando illorum bona confiscantur; possint tamen succedere omnibus aliis ascendentibus, siue fuerint collaterales, siue extranei, siue ex testamento, siue ab intestato) Cantera *in quæst.crimin. rubr.de her.c.1.n.11.& 12.* (quatenus testatur, quod ita seruetur in praxi) Simancha *de Cathol.instit. titul.29. num.19.* (quatenùs asserit, quod filij hæreticorum possint succedere in hæreditate aui paterni) Decianus *in tract.crim.lib.5. c.45 n.5.* (quatenus inquit, quod dicti filij hæreticorum possint succedere in hæreditate aui paterni, si fuerit Catholicus dictus auus paternus) & alij, quos citabam *suprà cit.dubit.172.n.6.*

Quamuis contrarium teneant Angelus *in l.1.Cod.de her.instituend.n.4.* Ancharanus *in cap.statutum 2. de hæreticis in 6.num.2.* Ananias *in cap.Vergentis num.17 de her.* Repertor.Inquisit. *verb.Filij hæreticorum vers.Nunc videndum est,* & Zanchin. *tract.de her.c.28.n.2.* Ex quibus Doctoribus.

2 Obiicies: Filij eorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis humanæ, sunt incapaces eius, quod ipsis relinquitur ex testamento, vel ab intestato: ergo etiam filij eorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis diuinæ; cùm crimen læsæ maiestatis diuinæ sit quid grauius, quàm crimen læsæ maiestatis humanæ.

Respondetur: Concedo antecedens; at nego consequentiam; quia, sicuti *loc.cit.* dicebam, pœnæ statutæ contra committentes crimen læsæ maiestatis humanæ non extenduntur ad committentes crimen læsæ maiestatis diuinæ, seu ad hæreticos, nisi in iis casibus, qui sunt expressi in iure; præsertim, cùm Regula iuris sit, quod pœna non sit imponenda, nisi fuerit expressa in iure; sed nullibi expressum est in iure, quod filij hæreticorum fiant incapaces succedendi in huiusmodi
bonis; & ratio (cur filij committentium crimen læsæ 3
maiestatis humanæ puniantur prædicta pœna succedendi) forsan est, quia leges timent, ne filij, imitantes suos parentes, idem crimen in Principes committere audeant, & attentent; cùm opes, & diuitiæ ad hoc audendum, & attentandum vim magnam habeant: quod periculum non est in hæresi; cùm, vt quis fiat hæreticus, non indigeat opibus, & diuitiis.

COROLLARIVM II.

An filij hæreticorum ob hæresim parentum priuentur hæreditate paterna?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij ob hæresim parentum priuantur hæreditate paterna, quandoque enim iuxta canonicas sanctiones fertur vltio non solum in auctorem scelerum, sed etiam in progeniem damnatorum. Quod quidem fit in criminis detestationem, atque hac ratione parentes, qui plurimum diligunt filios deterreantur; bonum enim publicum Respublica Christiana sic exigit, fitque etiam auctoritate Imperiali, & ratione.*

2 *Amplia, eos non tantùm priuari hæreditate paterna, sed etiam legitima.*

3 *Amplia, filios hæreticorum secundùm nonnullos priuari etiam alimentis, quod quidem saltem ex æquitate, & misericordia non seruatur; solent enim Inquisitores præbere alimenta filiis hæreticorum, præsertim paruulis, & impuberibus.*

4 *Amplia etiam quoad filias hæreticorum, quæ priuantur etiam dote, quamuis interdum etiam ex æquitate, & misericordia soleant Inquisitores constituere dotem hæreticorum filiabus.*

5 *Idémque faciunt Principes sæculares cum filiabus reorum criminis læsæ maiestatis.*

REspondetur ex dictis *suprà dubitatione* 173. affirmatiuè; & docent Doctores, quos ibi citabam *n.* 1. 1
Et patet etiam *ex c. Vergentis de hær.* Ibi: [Si propter crimen læsæ maiestatis humanæ filij priuantur hæreditate paterna, multò magis priuari debent ob læsam maiestatem diuinam:] Nec hoc dissonum est à ratione; quia (vt ibidem dicitur) iuxta canonicas sanctiones, quandoque fertur vltio non solùm in auctorem scelerum, sed etiam in Progeniem damnatorum (vbi notant Glossa, Buttius *n.1.5.& 6.* Henricus *num.4.* Io. Andreas *n.1.* Soccin.*n.7.* & Ancharanus *n.4*) Quod quidem fit in detestationem tanti criminis, vtque hac ratione parentes, qui quamplurimum diligunt filios, deterreantur à dictu crimine: bonum enim commune Reipublicæ Christianæ sic exigit, & præferri debet particularibus personis.

Patet secundò, etiam ex Constitutione Federici Imperatoris (quæ incipit *Catharos*) apud Peñam inter literas Apostolicas.

Patet etiam tertiò, ratione; quia, vt pluries dictum est, bona hæreticorum publicantur, & transeunt ad fiscum: ergo in ea filij succedere non possunt.

Et quod dixi, adeò verum est, vt filij hæreticorum 2
hæreditate paterna priuentur, etiam quoad legitimam. Roland.*lib.3.cons.8.n.35.& seqq.* Ghirland.*tract.de hær. q.4.n.1.& 2.* Quemada *q.24.n.2.* & alij, quos citabam *suprà dicta dubit.* 173.

Item 2. adeò verum est, vt satis probabiliter priuentur, etiam quoad alimenta. Imol. *in Clement. Pastoral. de sent.& re iud.n.25.* Io.Lup. *in cap.Per vestras no abil.3. §.23.*

§.23.n.16.*de donat. inter vir. & vxor.* Bursat.*vol.3.consf.* 28.*n.22.*Quemada *in loco infrà citando* Simanch.*de Cathol.inst.tit.*29.*n.*12. & alij, quos citabam *suprà* *eodem dubit.*173.

Quamuis Royas *sing.*47.Peña *in direct p.2.comment.* 9.*in c.vergentis de hær.*Surd *cons.*386.*n.*13. velint, quod (saltem ex æquitate, & misericordia) filij hæreticorum non sint priuandi alimentis; quemadmodum etiam ex æquitate, & misericordia, neque filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ priuantur dictis alimentis. Peregrin.*de iur.fisc.lib.5 tit.1.n.*34. & alij, quos sequitur Bossius *in practica tit.de bonor.public.n.*9.

Et quidem, quod soleant Inquisitores, saltem ex æquitate,& misericordia, præbere alimenta filiis hæreticorum (præsertim infirmis,paruulis,& impuberibus, qui scilicet alimenta sibi procurare non valent) testantur Cottas.*in l.Qui liparas ff.de rit.nupt.n.*6 2 Lup.Sen.*in tract.de hær.c.*18. Peña *in direct.p.2.comment.*8.*vers.Inquisitores tamen,*Io.Lup.*in tit.c.Per vestras* §.72.Simancha *de cathol.inst.tit.*29.*n.*12.& alij,quos citabam *suprà d.dub.*173.Et fauet,vt ibidem dicebam quædam Instructio Hispalensis,quam refert ipse Gabriel Quemada *in quæst.fiscalib.q.*24.*n.*12.

4 Item tertiò,adeò verum est,vt priuentur etiam hæreticorum filiæ quoad dotem.Cantera *in quæst.crim.rubr. de hær.c.*1.*n.*20.& alij,quos sequitur Quemada *q.*24

Quamuis interdum,etiam ex æquitate, & misericordia, soleant Inquisitores constituere dotem hæreticorum filiabus.Peña *in dirct.loc.suprà cit.*& Cantera *vbi suprà n.*20.sicut & solent etiam ex æquitate,& miseri-
5 cordia idem facere Principes sæculares cum filiabus reorum criminis læsæ maiestatis humanæ. Angel. *cons.* 357.*n.*2. Becc.*cons.*8. Afflict.*in c.*1.*in princ.gloss.*3.*n.*30. quæ fuit prima causa benef. amitt. & Surd. *de aliment. tit.*9.*q.*32.*n.*21.

COROLLARIVM III.

An filij priuentur etiam hæreditate paterna, si mater fiat hæretica, vel si pater Iudæus, ad fidem conuersus, postea incidat in hæresim?

SVMMARIVM.

1 *Filij priuantur etiam hæreditate paterna, si mater fiat hæretica, vel si pater Iudæus ad fidem conuersus postea incidat in hæresim.*

2 *Textus* in cap.Iudæi t.q 1. *Ibi: à rebus eorum fideles filios excludi non oportebit, est correctus* per cap. contra Christianos de hær.in 6. *& propterea non obstat.*

2 Respondetur ex dictis etiam affirmatiuè,& quidem quod filij priuentur hæreditate paterna, si mater fiat hæretica, docent Locatus *in indic.Inquis.verb.filij n.*9.Zanchin.*tract.de hær.c.*18.& alij communiter.

Quod etiam priuentur hæreditate paterna, si pater Iudæus,ad fidem conuersus, postea incidat in hæresim, tenent Gloss.*in cap.contra Christianos de hær.in 6. verb. procedendum,* Archidiacon.*ibid n.*1,Geminian.*n.*7,Felin, *in c.vergentis de hær.n.*4. & Tolet.*lib.*1.*c.*69.*n.*2.

2 Non obstat Textus *in c.Iudæi* 1.*q* 1. Ibi: [Iudæi baptizati,si postea, præuaricantes in Christum, qualibet pœna damnati extiterint, à rebus eorum fideles filios excludi,non oportebit:] Et redditur ratio; quia facilè prædicti filij à fide recederent,videntes,se priuari omnibus bonis paternis: quod non est ita præsumendum de filiis Christianorum.

Respondetur enim cum Felin.*loc.suprà cit.*talem textum esse iam correctum per præd.ctum c. *Contra Christianos de hær. in 6.*

COROLLARIVM IV.

An hæreticorum filij propter parentum hæresim priuentur hæreditate paterna, non solùm de iure canonico, sed etiam de iure ciuili?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij propter parentum hæresim non solùm de iure canonico, sed etiam de iure ciuili non priuantur hæreditate paterna.*

2 *Hæreticorum filij de iure Authenticorum,sicut & de iure canonico,cui in hac materia, vtpote ad fidem spectante, standum est, priuantur hæreditate paterna.*

Respondetur ex dictis negatiuè; & patet 1
Primò, *ex l. Manichæos §. præterea Codice de hæreticis.* Ibi: [Sed nec filios hæredes eius existere, aut adire permittimus,nisi à paterna prauitate discesserint.] Et notant ibi Odofredus *num.*1. Azor. *num.* 11. & alij Iuristæ.

Secundò, *ex leg. hæretici §.Orthodoxi Cod de hæretic.* Ibi: [Orthodoxi filij hæreticorum, qui nihil deliquerunt, illibatum accipiant,& indiminutum, quod eis ab intestato competit.]

Tertiò, *ex l. Manichæi* 2.*ex l.quæ de Samaritis, ex l cognominis Codice de hæreticis, & ex Authent. Codice eodem*, in quibus locis expressè habetur,quod filij Catholici; siue ex testamento, siue ab intestato, succedant in hæreditatem paternam; quamuis ipsorum parentes fuerint hæretici. Et probat Azor. *in summa rubric. de, hæreticis numero* 3. *& sequentibus.*Peregrinus *de iur.fisc.lib.*4.*titul.*5.*num.*30. Menochius *de arbitr.lib.*2. *centur.*6.*cas.*546. *num.*10. Parisius *lib.*4.*cons.*2.*num.*180. Surdus *cons.*386.*n.*11,Roland.*lib.*3.*cons.*8.*n.*36.& Clar. *in pract.crim.§.finali q.*78.*n.*4.

At verò de iure Authenticorum (sicut & de iure canonico, cui in hac materia, vtpote ad fidem spectante, 2 standum est) priuantur hæreditate paterna.Salycet.*in l. Manichæos C.de hær n.*1.& Buttigar.*ibid.circa fin.*& patet *ex Auth.Gazaros C.de hær.in princ.* Ibi:Ita quod filij eorum ad successionem eorum peruenire non possint; cùm longè grauius sit, æternam, quàm temporalem, ostendere maiestatem; & notant ibi idem Salycet. *n.*1. Cynus *n.* 2. & alij passim.

COROLLARIVM V.

An filij hæreticorum possint succedere in maioratum, si tamen ipsorum parentes non fuerint eiusdem maioratus institutores, sed tantùm possessores?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij succedere possunt in maioratum, si tamen ipsorum parentes non fuerint eiusdem maioratus institutores, sed tantùm possessores; filius enim succedit in maioratum, non quasi accipiat à parente,sed à primo institutore.*

2 *Filius quotiescumque succedit in aliqua bona ex persona propria,& non ex persona parentis,delictum parentis non impedit eius successionem,& sic non amittit bona maioratus, cùm in dicta bona succedat ex persona propria,non ex persona parentis.*

3 *Hæreticorum filij propter hæresim parentum non sunt infames; quia, vt diximus, in pœnalibus non fit extensio à pœnis latis in reos læsæ maiestatis humanæ ad læsam maiestatem diuinam; neque enim id iure vllo cautum est.*

4 *Amplia, idem procedere etiamsi essent infames; quia sicut possunt succedere in bona ipsis ex testamento, vel ab intestato relicta a suis ascendentibus, vel etiam ab aliis extraneis Catholicis, ita similiter poterunt succedere in bona maioratus.*

5 *Hæreticorum filij etiam si dicerentur incapaces successionis, intelligendum id esset de successione in illa bona, quæ acquirunt post delictum patris, non autem in ea, quæ habent ius acquisitum ante eius delictum.*

6 *Reorum læsæ maiestatis humanæ filij sunt omninò incapaces succedendi in bona ex testamento, vel ab intestato, & nihilominus succedere possunt in alia bona, quæ sunt ipsis in spe acquisita, & debita ante delictum parentum.*

7 *Filij nondum nati, tamen nascituri, cùm non acquirant ius aliquod physicum, sed solùm morale, non requiritur, quod habeant existentiam physicam, sed sufficit, quod habeant solùm moralem: instituto enim maioratu pro omnibus successoribus, omnes isti successores existunt moraliter.*

8 *Parens hæreticus licèt non possit succedere in maioratum, possunt tamen succedere eius filij, cùm succedant ex persona propria, non patris.*

9 *Feudum quando relinquitur alicui, & ipsius hæredibus, hæredes non amittunt illud feudum propter crimen patris, quia filij successores non habent illud ius succedendi à parente, neque succedunt nomine, seu vocatione parentis, sed habent illud ius ab eo, qui feudum concessit.*

10 *Filij etiam in aliquo casu possent succedere repræsentando personam parentis, si scilicet in aliquo tempore eorum parens vel in potentia, vel in spe habuit tale ius succedendi.*

1 RESpondetur ex dictis *eadem dubitatione* 172. affirmatiuè: quamuis etiam prædicti filij fuerint nati post hæresim parentum. Sarmient. *libro* 3. *select. cap.* 4. *num.* 5. Molina *de iustitia tom.* 3. *parte* 1. *disputat.* 658. *num.* 25. Vasquez t. 2. *disput.* 169. *num.* 36. Aliet Molina *lib.* 4. *de Primogen. cap. vltimo num.* 51. *& sequentibus*, & alij, quos sequitur Sanchez *libro* 2. *mor. cap.* 30. *num.* 4.

Probatur; quia filius succedit in maioratum, non quasi illum accipiat à parente, sed è primo Institutore: ergo propter delictum parentis non potest impediri, quin in maioratum succedat. Antecedens patet ex dictis *citata dubitatione* 172. Consequentia probatur *ex lege* 3. *de interdict. & relegat.* vbi dicitur, quod filius propter delictum parentis amittat bona, quæ ipse obtineret à parente, si parens non deliquisset, non autem amittat bona, quæ ipsi proueniunt non à parente, sed à genere, ciuitate, vel rerum natura, &c.

2 Confirmatur; quia quotiescumque filius succedit in aliqua bona ex persona propria, & non ex persona parentis, delictum parentis non impedit successionem filij (sicuti rectè aiunt Peregrinus *de iur. fisc. tit.* 9. *n.* 2. Grammat. *decis. Neapol.* 6. *n.* 13. *&* 14. Roland *cons.* 68. *n.* 10. *vol.* 3. Boër *cons.* 155. *n.* 5. *vol.* 3. & alij passim) ergo filius propter hæresim parentis non amittit bona maioratus; cùm filius in dicta bona maioratus succedat non ex persona parentis, sed ex persona propria, sicuti *suprà* dicebam, & docent Bart. *in l.* 1. *§. si sit filius num. vnic. ff. de coniug. cum emancip.* Mantica *de coniect. vltim. volunt. lib.* 8 *tit.* 13. *n.* 45. & alij passim.

3 Obiicies: Filij hæreticorum propter hæresim parentum sunt infames: ergo ratione infamiæ contractæ succedere non possunt in maioratum.

Respondetur: Nego antecedens; quia, quamuis sint infames filij eorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis humanæ *ex l. quisquis §. filij verò Codice ad leg. Iul. maiest.* non tamen similiter sunt infames etiam filij eorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis diuinæ; cùm nullo iure constet, quod tali pœna afficiantur posteriores filij; & pœna non sit apponenda, nisi sit in iure expressa; neque extendenda de casu ad casum, etiam ob maioritatem rationis, vt suprà dicebam.

Respondetur secundò: Transeat antecedens; at nego consequentiam, quia etiamsi prædicti filij essent infames, adhuc tamen, sicuti possunt succedere in bona ipsis ex testamento, vel ab intestato relicta à suis ascendentibus, vel etiam ab aliis extraneis Catholicis, ita similiter poterunt succedere in bona maioratus, saltem si maioratus iurisdictionem, & dignitatem annexam non habeat. 4

Vt omittam, quod, quamuis etiam concederemus, filios hæreticorum non esse capaces successionis, id tamen intelligendum sit, non posse scilicet prædictos filios succedere in ea bona, quæ acquirunt post delictum parentum, non autem etiam in ea, in quæ habebant ius acquisitum ante delictum illorum; filij autem hæreticorum ab eo tempore, quo maioratus institutus fuit, acquisiuerunt ius quoddam, & spem succedendi in dictum maioratum suo loco, & tempore (sicuti præter alios tradunt Tiraquellus *de Primog quæstion.* 40. *num.* 200. & Molina *lib.* 4. *de Primog. capite vltimo numero* 51.) quia ex dispositione testatoris, vel institutoris ea bona ipsis debentur, suntque ipsis acquisita, saltem in spe, sicuti dicebam; quapropter succedere poterunt in maioratum, & minimè impediuntur à tali successione propter delictum parentum. Quemadmodum ob eamdem rationem, licet filij eorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis humanæ, sint omninò incapaces succedendi in bona ex testamento, vel ab intestato, *ex d. l. Quisquis.* Nihilominus succedere possunt in ea alia bona, quæ sont ipsis in spe acquisita, & debita ante delictum parentum: sic DD. quos sequitur Boër. *decis.* 7. *n.* 6. & Menoch. *cons.* 805. *n.* 31. *&* 38. *vol.* 89. 5 6

Instabis: Filij nondum nati non habent esse in rerum natura: ergo nequeunt acquirere aliquod ius; atque adeò falsum est, quod debeant succedere in maioratum, ex eo quod habent ius acquisitum in illum. 7

Respondetur: Nego consequentiam; quia filij nondum nati, tamen nascituri (cùm non acquirant ius aliquod physicum, sed solùm morale) non requiritur, quod habeant existentiam physicam, sed sufficit, quod habeant solùm existentiam moralem; eo ipso autem, quod quis instituit maioratum pro omnibus successoribus, omnes isti successores existunt moraliter in ipso institutore, qui est caput generis seu familiæ.

Vrgebis: Parens hæreticus non potest succedere in maioratum, *cap. vergentis de hær.* ergo neque poterunt ipsius filij; cùm ipsi filij succedant in maioratum repræsentando personam parentis. 8

Respondetur: Nego consequentiam; quia filij non succedunt ex persona parentis, sed ex persona propria; neque habent ius succedendi à parente, vel ex iure in se ipsos transmisso à parente, sed à primo maioratus institutore: quapropter, licèt ob aliquod crimen reddatur incapax succedendi parens, non tamen propterea redduntur etiam incapax succedendi filius: quemadmodum quando relinquitur feudum alicui, & ipsius hæredibus, hæredes non amittunt illud feodum propter crimen parentis; quia filij successores non habent illud ius succedendi à parente, neque succedunt nomine, seu vocatione parentis; sed habent illud iura ab eo (qui feudum concessit) & succedunt ex vocatione ipsorum propria independenter à parente, ita vt omnes descendentes videantur esse successores illius, qui feudum concessit. Baldus *in l. penultima Codice de legit. hæred. num.* 2. & Ripa *in l. finali q.* 70. *Cod. de reuocand. donat. num.* 236. 9

Vt

10 Vt omittam, quod etiamsi concederemus, filios succedere repræsentando personam Parentis, adhuc possint ij succedere, quamuis ipsorum Parens ob aliquod crimen factus fuerit incapax succedendi; quia, licet filius non possit succedere repræsentando personam Parentis, quandò ipsius Parens nullo vnquam tempore (nec in potentia, nec in spe) ius succedendi habuit, sed ex ipso conceptionis tempore à tali iure exclusus fuit (vti rectè præter alios adnotauit Menochius *cons.* 172. *n.* 5. & Molina *l.* 3. *de Primogen. cap.* 7. *n.* 1. *& seqq.*) Nihilominùs poterit prædictus filius succedere, si in aliquo tempore ipsius Parens, vel in potentia, vel in spe habuit (sicuti habent successores maioratus) tale ius succedendi: Nam in tali casu, si postea ob aliquod crimen parens reddatur incapax succedendi, poterit filius succedere, etiam repræsentando personam Parentis.

COROLLARIVM VI.

An filij hæreticorum possint succedere in Maioratum, si similiter ipsorum Parentes non fuerint Maioratus institutores, sed tantùm possessores, tamen si prædictus Maioratus iurisdictionem, & dignitatem (quamuis amplissimam) annexam habeat?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij possunt succedere in Maioratum, si similiter ipsorum parentes non fuerint Maioratus institutores, sed tantùm possessores, quamuis talis maioratus iurisdictionem, & dignitatem amplissimam annexam habeat, licet prædicti filij nati sint post heresim parentum. Nullibi enim oppositum reperitur in iure expressum.*

2 *Hæreticorum filij sunt incapaces iurisdictionis, si ea conferatur per se, & principaliter; secùs si per accidens, & secundariò, seu accessoriè, & per consequentiam: Iurisdictio enim est per accidens coniuncta bonis maioratus.*

3 *Cæcus incapax est iurisdictionis per se, & principaliter; est tamen capax per accidens, & per consequentiam; quia si succedat alicui in Comitatum, Marchionatum, vel Ducatum, &c. non solùm acquirit bona Comitatus, &c. sed etiam iurisdictionem illis bonis annexam.*

4 *Infames sunt incapaces dignitatis: At hæreticorum filij non sunt infames; cùm hæc infamia nullibi reperiatur expressa, & non valeat argumentum à crimine læsæ maiestatis humanæ ad læsam maiestatem diuinam in pœnalibus.*

5 *Infames non sunt capaces dignitatis, si ea conferatur per se, & principaliter, secùs si conferatur per accidens, & secundariò.*

6 *Dominium bonorum Maioratus verè, & formaliter est in persona, & non in bonis Maioratus, attamen quamuis iurisdictio, & dignitas verè, & formaliter non sint in bonis Maioratus, sed in persona, dicitur tamen esse accessoria bonis Maioratus, quia ipsis annectitur.*

7 *Cura animarum licet verè, & formaliter non sit in beneficio, sed in persona Beneficiati; dicitur tamen esse accessoria beneficio; quia illi annectitur, sicque dicitur de iure patronatus.*

8 *Dignius trahit ad se minùs dignum, quando vtrumque est æquè principale; secùs tamen est, quando vtrumque non est æquè principale, sed dignius fuerit accessorium, vt in casu, de quo agitur; idque etiam contingit in iurepatronatus, quod est dignius fundo, & sequitur naturam fundi tanquàm sui principalis.*

9 *Minus dignum potest ad se trahere magis dignum, quod est illi annexum.*

10 *Romani Pontifices aliquando priuarunt Regno Regem, & totam eius posteritatem; At nondum tamen est iure cautum, quod propter heresim parentis filij successores sint incapaces succedendi in Regnum; & ordinariè propter hoc non confiscatur Regnum, sed deuoluitur ad sequentem vocatum.*

11 *Romani Pontifices Regno priuarunt Regem, & totam eius posteritatem, non ex quacumque causa, sed ex grauissima, aliquando enim ob bonum commune expedit, si scilicet alio modo non possit succurri, vel alio modo non possit malum heresis impediri, quod propter parentis heresim tota eius Posteritas Regno priuetur.*

RESpondetur: Ex dictis etiam *eadem dubit.* 172. affirmatiuè; quamuis similiter prædicti filij fuerint nati post hæresim parentum. Valasc. *de Iur. Emphyt. q.* 49. *n.* 11. Berous *cons.* 155. & 156. (quatenus vniuersaliter aiunt, non impediri filium, si succedat ex persona propria, succedere in bona sibi ab aliis relicta, neque tali iure succedendi priuari propter delictum; sicuti contingit in casu nostro, in quo filij succedunt in dictum maioratum ex persona propria, & non ex persona parentis) idemque tradunt etiam Menoch. *cons* 808. *n* 9. *& seqq.* & Molina *de Iust. tom.* 3. *part.* 1. *disput.* 653. *num.* 25. 1

Probatur; quia nullibi habetur in iure, quod prædicti filij sint incapaces talis successionis: ergò sine iure expresso non sunt tali pœna afficiendi; cum *ex cap. Is qui de sent. excommunic. in 6.* pœna imponenda non sit, nisi fuerit in iure expressa; præsertim quando pœna est imponenda innocentibus propter crimen parentis, sicuti contingit etiam in casu nostro.

Obiicies: Filij hæreticorum sunt incapaces iurisdictionis: Ergò etiam erunt incapaces bonorum, quibus est annexa iurisdictio; præsertim si talis iurisdictio fuerit amplissima, qualis solet esse Maioratus, cui solet esse annexa iurisdictio, & dignitas Comitatus, Marchionatus, vel Ducatus, &c. 2

Respondetur: Distinguo Antecedens; Filij hæreticorum sunt incapaces iurisdictionis, si iurisdictio conferatur per se, & principaliter, concedo; si conferatur per accidens, & secundariò, seu accessoriè, & per consequentiam (vt est in casu nostro) nego; quia, cùm prædicti filij sint capaces bonorum Maioratus, erunt etiam capaces iurisdictionis, quæ est coniuncta cum bonis Maioratus; quandoquidem ex regula Accessorium *de regul. Iur. in 6.* Principale trahit ad se Accessorium; sicque qui capax est principalis, capax est etiam Accessorij. Bartol. *in l. Cæcus de Iudic. in fine*, Angel. *in l. cum Prætor §. non autem n. 2. ff. de Iudic.* Abbas *cons.* 47. *n.* 2. Bocr. *decis.* 24. *n.* 35. & alij, (quatenus aiunt, quod multi, qui sunt incapaces iurisdictionis per se, & principaliter, sint tamen capaces illius accessoriè, & per consequentiam; & quidem cæcus, qui incapax est iurisdictionis per se, & principaliter, est tamen capax illius per accidens, & per consequentiam; quia si 3
succedat alicui in Comitatum, Marchionatum, vel Ducatum, &c. non solùm acquiret bona Comitatus, Marchionatus, vel Ducatus, &c. sed etiam acquiret iurisdictionem illis bonis annexam; quapropter rectè dixit Glossa *in l. 1. ff. de Auctor. Tutor. verb. accommodare.* Sæpè, quod non est licitum directè, licitum est per consequentiam.

Instabis: Infames non sunt capaces dignitatis; *l.* 2. *Cod. de dignitatibus.* Ergò neque sunt capaces prædicti Maioratus (cùm sit amplissima dignitas) atque adeò hæreticorum filij, tanquam infames, non erunt capaces Maioratus de quo loquimur, scilicet iurisdictionem, & dignitatem annexam habentis. 4

Respondetur: Nego consequentiam; quia ex dictis hæreticorum filij non sunt infames,

5 Respondetur secundò, transeat, quod hæreticorum filij sint infames; at distinguo Antecedens: Infames non sunt capaces dignitatis, si dignitas conferatur per se, & principaliter, concedo: si dignitas conferatur per accidens, & secundariò, seu accessoriè, & per quamdam consequentiam, nego. Ad hoc autem, vt quis sit habilis ad ea, quæ sunt accessoria, & per quamdam consequentiam sufficit, si sit habilis ad Principale; cum igitur hæreticorum filij sint habiles ad bona Maioratus, erunt etiam habiles ad iurisdictionem, & dignitatem, tanquam annexam, bonis Maioratus; sicut, vt quis possit vendere fundum, cui est annexum iuspatronatus, sufficit, si possit vendere fundum (quod est principale) cum tamen iuspatronatus non possit vendi per se, & principaliter, at vendito fundo, simul cum fundo transit in emptorem etiam iuspatronatus; *cap. ex literis de Iurepatron.*

6 Reinstabis: Dominium bonorum Maioratus verè, & formaliter est in persona, & non in bonis Maioratus: Ergò etiam iurisdictio bonorum Maioratus verè, & formaliter est in persona. & non in bonis Maioratus (vti docent etiam Alex. *in l. 1. ff. de Iurisdict. omn. iudic. n.* 32. & Boët. *decis.* 217. *n.* 6. *&* 7.) ergò falsum est, quod ideò filij hæreticorum possint per quamdam consequentiam succedere in Maioratum habentem iurisdictionem, & dignitatem; quia iurisdictio, & dignitas est accessoria Maioratui.

Respondetur: Nego consequentiam; quia, quamuis iurisdictio, & dignitas verè, & formaliter non sit in bonis maioratus, sed in persona; dicitur tamen esse accessoria bonis maioratus; quia bonis maioratus annectitur, id est, cum illis datur, & transfertur sicut, licèt

7 cura animarum verè, & formaliter non sit in beneficio, sed in persona beneficiati; dicitur tamen esse accessoria beneficio, quia illi annectitur, id est cum illo datur, & transfertur; sicut etiam, licèt iuspatronatus verè, & formaliter non sit in fundo, sed in persona Domini fundi, dicitur tamen esse accessorium fundo, quia illi annectitur, id est, cum illo datur, & transfertur; omnia igitur ipsa, & similia dicuntur esse accessoria bonis; quia bonis annectuntur, id est, circà bona exercentur, & cum bonis dantur, & transferuntur.

8 Vrgebis: Dignius trahit ad se minùs dignum, & hoc sequitur naturam dignioris, *cap. quod in dubiis de consecrat. Eccles.* Ergò cum iurisdictio & dignitas sint quid dignius bonis temporalibus maioratus, & hæreticorum filij non sint capaces iurisdictionis, & dignitatis, fit, quod neque sint capaces bonorum maioratus; ita vt potiùs ex incapacitate iurisdictionis, & dignitatis arguendum sit, quod ij non sint capaces talium bonorum, quàm è contrà, scilicet, quod cum sint capaces bonorum maioratus, propterea sint capaces iurisdictionis, & dignitatis; quia habenda est maior ratio dignioris, quod ad se trahit minùs dignum; *cit. cap. quod in dubiis.*

Respondetur: distinguo antecedens: Dignius trahit ad se minus dignum; quando vtrumque est æquè principale, concedo: quando vtrumque non æquè principale, sed dignius fuerit accessorium (vt est in casu nostro) nego; sicut contingit in iurepatronatus, quod est dignius fundo, in quo est constitutum ipsum iuspatronatus, & tamen, quia annectitur fundo, dicitur esse accessorium fundo, & sequitur naturam fundi, tanquam sui principalis, (vt scilicet vendi possit simul cum fundo) iuxtà textum *in §. si tamen alienam Instit. de rerum diuis.* Ibi: [interdùm vilius trahit ad se id, quod est magis pretiosum;] quapropter rectè dixit Domini-

9 cus *in cap. super eo de prebend. in 6. n.* 1. [Minus dignum potest ad se trahere magis dignum, quod est illi annexum.]

10 Revrgebis: aliquando Romani Pontifices priuarunt regno Regem, & totam eius posteritatem: Ergò signum est, quod hæreticorum filij propter hæresim parentum priuandi sint maioratu, præsertim si maioratus iurisdictionem, & dignitatem (vt Comitatus, Marchionatus, vel Ducatus, &c.) annexam habeat.

Respondetur: Concedo antecedens; at nondùm tamen propterea est iure cautum, quod propter hæresim parentis filij successores sint incapaces succedendi in regnum; quinimò ordinariè propter hæresim parentis non confiscatur regnum, sed deuoluitur ad sequentem vocatum; & meritò: quia successores vocati non accipiunt regnum à Rege præcedente, sed ab eo, qui primò regnum instituit; vti dicebam; & tradit præter alios. Vasquez *p.* 2. *disput.* 169. *n.* 42. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 8. *cap.* 12. *q ultima*, licet igitur aliquando Romani Pontifices regno priuauerint non solùm Regem, sed etiam totam eius posteritatem, non tamen ex hoc facto propterea constituta est lex vniuersalis, vti etiam dicebam.

Respondetur secundò: distinguo antecedens: aliquando Romani Pontifices regno priuarunt Regem, & 11
totam eius posteritatem; quacumque de causa, nego: ex causa grauissima, concedo; aliquando enim ob bonum commune (si scilicet alio modo non possit malum hæresis impediri) expedit, quod propter parentis hæresim tota eius posteritas regno priuetur, & illud ad alios etiam extraneos, deuoluatur, cum maxima tamen consideratione, consilio, atque prudentia. Molina *de Iust. disput.* 620. *n.* 9. *& disput.* 657. *n.* 4. Vasquez *cit. disput.* 169. *n.* 43. & alter Molin. *de Primog. lib.* 4. *cap. vltimo n.* 37. & in simili casu (si scilicet alio modo, quam priuando delinquentem maioratu, etiam ex bonis patrimonialibus constituto, non possit malum publicum impediri) vltrò concedo, quod possit Rex priuare maioratu non solùm delinquentem, sed etiam omnes eius descendentes; quia bonum commune proponendum est bono particulari aliquorum innocentium.

COROLLARIVM VII.

An etiam filij eorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis humanæ, possint succedere in Maioratu, tametsi prædictus Maioratus iurisdictionem, & dignitatem (quamuis amplissimam) annexam habeat?

SVMMARIVM.

1 *Filij eorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis humanæ succedere possunt in maioratum, quamuis habeat annexam iurisdictionem, & dignitatem etiam amplissimam.*

2 *Filij eorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis humanæ redduntur incapaces cuiuscumque successionis, siue ex testamento, siue ab intestato; sed id intelligitur de bonis acquisitis post delictum Patris, non autem de bonis ante delictum.*

Respondetur etiam affirmatiuè; quamuis similiter prædicti filij fuerint nati post delictum Parentum. 1
Imola *in cap. ex parte de feud. n.* 23. Grammatic. *decis. Neapol.* 6. *n.* 13 *& seqq.* & Peregrin. *de Iur. fisc. tit.* 9. *n.* 2. (quatenus vniuersaliter aiunt, quod crimen parentis non noceat Filiis succedentibus ex persona propria, & vt principaliter vocatis, vti contingit in casu nostro) Item Sarmiento *l.* 3 *select. q.* 4. *n.* 5. & Vasquez *p.* 2. *disput.* 169. *n.* 36. (quatenus vniuersaliter etiam inquiunt, quod ob nullum parentum crimen filij amittant Maioratum) & reddunt rationem, quàm suprà dicebam; quia scilicet filij non accipiunt maioratum à parente, sed à primo institutore.

Objicies

2 Obijcies : *in l. quisquis §. filij verò Cod. ad leg. Iul. maiest.* filij eorum, qui committunt crimen læsæ maiestatis humanæ redduntur incapaces cuiuscumque successionis, siue ex testamento, siue ab intestato : ergò non sunt capaces maioratus ; præsertim si maioratus iurisdictionem, & dignitatem annexam habeat.

Respondetur : distinguo Antecedens ; ita vt id intelligatur de illis bonis, quæ relinquuntur filiis post crimen parentum, concedo ; ita vt id intelligatur etiam de illis bonis, quæ sunt acquisita filiis ante crimen parentum, nego. Ius autem succedendi in maioratum est filiis acquisitum (saltem in spe, & ex dispositione institutoris) ab eo tempore, quo fuit institutus maioratus, quem maioratum non accipiunt dicti filij à parente ; sed à primo institutore.

COROLLARIVM VIII.

An non solùm filij legitimi hæreticorum, & aliorum committentium crimen læsæ maiestatis humanæ, & eorum receptatorum, fautorum, vel defensorum, &c. priuentur hæreditate paterna, & afficiantur aliis pœnis in iure statutis ; sed etiam eorum filij illegitimi ?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij non solùm legitimi, & aliorum committentium crimen læsæ maiestatis humanæ, & eorum receptatorum, fautorum, vel defensorum, sed etiam illegitimi priuantur hæreditate paterna, & afficiuntur aliis pœnis in iure statutis, nè plus foueatur luxuria, quam castitas ; neque enim decet filios illegitimos esse melioris conditionis, cum digni sint maiori odio.*

2 *Leges indistinctè loquentes de filiis, generaliter intelligi debent.*

3 *Filij illegitimi veniunt in odiosis nomine filiorum, quando odium est rationabile.*

4 *Natura non distinguit inter filios illegitimos, & naturales legitimos.*

5 *Pœna huius priuationis ratio militat tam in filiis legitimis, quàm in illegitimis, sunt enim partes corporis parentis, & ex eiusdem sanguine nascuntur.*

6 *Filij puniuntur odio parentum, qui tam excruciantur videndo eorum causa puniri legitimos, quàm illegitimos.*

7 *Filij spurij, qui certum patrem non habent, non priuantur similiter hæreditate paterna, nec afficiuntur similiter aliis pœnis ob quodcumque crimen Parentum.*

1 Respondetur *ex eadem dubit.* 173 affirmatiuè, & tenent Glossa *in cap. statutum 2. de hæret. in 6. verbo volumus.* Geminianus *ibidem num* 4. Dominicus *in principio.* Ancharanus *num* 2. Ioan. Andreas *n. 1. in fine* Franchus *num.* 4. Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt.* 33. *num.* 11. Surd. *cons.* 386. *n.* 6. Couarruu. *lib. 2. variar. c.* 8. *n.* 3. Graffius *l. 2. c.* 11. *n.* 19. Peña *in director. part.* 3. *comment.* 163. Suarez *tom.* 5. *disput.* 41. *sect.* 3. *n.* 2. Sanchez *l. 2. moral. c.* 27. *n.* 1. Molina *l.* 4. *de Primogen. c.* 11. *n.* 36 & Azor *tom.* 1. *l.* 8. *c.* 13. *q.* 8.

Primò probatur : nè plus foueatur luxuria, quàm castitas, & nè plus honoris tribuatur luxuriæ, quàm castitati, contra id, quod habetur in Auth. *de resignat. & ea qua §. vltimo.* [Nec decet, filios illegitimos esse melioris conditionis ; cum digni sint maiori odio,] *l. Pariepes ff. de iis qui vocand.*

Confirmatur ; quia leges indistinctè loquuntur de 2 filiis, quæ cum non distinguant, nec nos distinguere debemus, *l. de pretio ff. public. & l.* 2. *ff. de offic. Præsid.*

Confirmatur secundò ; quia, quando odium est ra- 3 tionabile, tunc etiam in odiosis sub nomine filiorum veniunt illegitimi : sic Doctores, quos sequitur Surd. *cit. cons.* 386. *n.* 6.

Secundò probatur ; quia natura non distinguit inter filios illegitimos, & naturales legitimos. Bald. *in l. quisquis Cod. Ad leg. Iul. maiestat. n.* 6. Tiraquell. *in l. si vnquam verb. donatione largitus Cod. de reuocand. donat. n.* 288. Anchatan. *cons.* 225. & patet *ex l. parentes ff. de in ius vocand. ex l. hos accusare ff. de accusat. ex l. Adoptiuus §. seruiles de rit. nuptiar. & ex Auth. quibus mod. natural. effic. sui § si quis ergò filios.* Ergò cùm leges puniant filios ob crimen parentum, nomine filiorum comprehenduntur etiam illegitimi. 4

Confirmatur : quia dictæ pœnæ sunt statutæ contra 5 filios ex eo, quod sint partes corporis parentum, & ex eorum sanguine nascuntur ; quæ ratio æquè militat in filiis naturalibus illegitimis, ac in legitimis.

Tertiò probatur ; quia (cum filij puniantur odio 6 parentum vt dicebam, & patet *ex cap. Vt commissi de hæret. in* 6. *ex cap. vergentis de hæret. & ex l. Quisquis Cod. ad leg. Iul. maiestat.* & parentes etiam, cum vident suos filios illegitimos sua causa puniri, excruciuntur) pœnæ, statutæ in iure contra filios, extenduntur etiam ad filios illegitimos.

Hinc fit, quod filij spurij, qui certum patrem non 7 habent, non priuentur similiter hæreditate paterna, nec afficiantur similiter aliis pœnis ob quodcumque crimen parentum. Bald. *in l. quisquis Cod. ad leg. Iul. maiestat. n.* 6. Ioan. Andr. *in cap. statutum de hæret. in* 6. *n.* 4. Ancharan. *ibidem in fine.* Franch. *n.* 4. Surd. *consil.* 386. *n.* 6. Couarruu. *l.* 2. *variar. c.* 8. *n.* 3. Repertor. Inquisit. *verb. filij vers. sed ex præsuppositio.* & Decianus *in tract. crim. l.* 5. *c.* 45. *n.* 3.

COROLLARIVM IX.

An etiam filij adoptiui incurrant pœnas statutas in iure contra filios hæreticorum.

SVMMARIVM.

1 *Filij adoptiui non incurrunt pœnas statutas in iure contra filios hæreticorum ; quia non sunt propriè filij, sed habent solùm quamdam imaginem filiorum.*

2 *Filij adoptiui dicuntur filij, succedunt in bona parentum simul cum aliis filiis legitimis & naturalibus, & in successione bonorum excludunt ascendentes & vxorem. Item si vsusfructus relinquatur vxori à patre filij adoptiui, restringitur ad alimenta, sicut restringeretur si filius adoptiuus esset filius legitimus & naturalis : At non sic debent subire onera filiorum, vt scilicet & ipsi propter crimen parentum puniantur ; quia fauores sunt ampliandi, odia verò restringenda.*

3 *Filius legitimus & naturalis si pater eius in hæresim incidat, contrahit pœnas statutas in iure contra filios ; quamuis talis filius esset alteri datus in adoptionem, essetque in alterius potestatem & familiam translatus, quia adhuc ipse habet ius ad bona parentis naturalis, & succedit in eius bona, tam in testamento quàm ab intestato.*

4 *Filius adoptiuus potest per emancipationem reuerti ad patrem legitimum & naturalem.*

Respondetur

1 RESpondetur negatiuè; & tradunt communiter Doctores.

Probatur, quia non sunt propriè filij, sed habent solùm quamdam imaginem filiorum; *l. quæsitum, ff. de Adoption. l. filio, ff. de lib. & posth. & l. cum Adoptiuum, Cod. de decurion.* Ideoque cum quid in iure disponitur de filiis, in tali dispositione non veniunt etiam filij adoptiui. Soccin. *in l. Adoptiuum, ff. de in ius vocand. n. 4.* & alij, quos sequitur Tiraquell. *in l. si vnquam, verb. susceperit liberos, Cod. de reuocand. donat. n. 5.*

2 Objicies: Filij adoptiui dicuntur filij, *cit. l. cum adoptiuum, Cod. de decurion. lib. 10.* & habent multa priuilegia filiorum, (vt præter alios probat Tiraquell. *loco suprà cit. n. 20.* Succedunt etiam in bona parentum simul cum aliis filiis legitimis & naturalibus, *l. penult. §. etsi quidem, Cod. de adoptionib. & l. si te parens, Cod. de suis & legitim.* Item in successione bonorum excludunt ascendentes & vxorem, *l. 1. §. liberi, ff. de Tertull. & l. Æquissimum in princip. tit. eodem.* Et probat præter alios Guliel. Benedict. *in cap. Raynutius, verb. vxorem de testament. n. 478.* Item, si vsusfructus relinquatur vxori à patre filij adoptiui, restringitur ad alimenta, sicut restringeretur si filius adoptiuus esset filius legitimus & naturalis. Pycus *in l. Titia, ff. de legat. 2. n. 61.* Caualcan. *de vsufruct. relict. n. 34.* Mantic. *lib. 9. de coniectur. vlt. volunt. tit. 7. n. 13.* & Surd. *de aliment. tit. 2. q. 15. n. 36.)* Ergo debent etiam subire onera filiorum; vt scilicet & ipsi propter crimen parentum puniantur sicut cæteri filij, iuxta Regulam iuris: *Qui sentit commodum, sentire debet & incommodum.*

Respondetur: Concedo antecedens; At nego consequentiam, & disparitas est, quia fauores sunt ampliandi; odia verò restringenda; quapropter filij adoptiui non sint propriè filij, non debent quoad omnia æquiparari filiis naturalibus; quod verò in multis ipsi filiorum naturalium priuilegiis gaudeant; Ratio est, quia sic iura statuerunt; & quia sic præsumitur esse voluntas patris filij adoptiui: quod neutrum est in casu nostro.

3 Vbi aduerte, quod filius legitimus & naturalis, si pater eius in hæresim incidat, contrahat pœnas statutas in iure contra filios, quamuis talis filius esset alteri datus in adoptionem, essetque in alterius potestatem & familiam translatus; quia adhuc ipse habet ius ad bona parentis naturalis, & succedit in eius bona, tam ex testamento, quàm ab intestato, & potest agere contra inofficiosum testamentum patris; *l. penultima, §. omnia igitur, Cod. de adoption. & §. sed & hodie, instit. eod. tit.* Item per adoptionem non tollitur vt patet naturalis non sit verus pater, cùm Ius Ciuile dirimere non possit iura sanguinis, *l. Ius autem ciuile, ff. de pact. l. iura sanguinis, ff. de regul. iur. l. Abdicatio, Cod. de patr. potest.*

4 *& § finali instit. de legit. agnat.* Item potest dictus filius adoptiuus per emancipationem reuerti ad patrem legitimum & naturalem; *l. Penultima, §. tunc enim necesse est, Cod. de adoption.* cùm per emancipationem adoptio statim dissoluatur; *cit. l. Penultima, §. sin autem.*



DVBITATIO CLXXIV.

An aliis pœnis, præter supradictas Dubitatione præcedenti, afficiantur hæreticorum filij, & nepotes?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij & nepotes afficiuntur aliis pœnis, præter supradictas; ita communiter Doctores.*

2 *Prima pœna est Irregularitas, quæ filiis & nepotibus hæreticorum, & fautorum imponitur descendentibus per lineam masculinam; si verò lineam fœmininam solùm filij, non nepotes.*

3 *Hæreticus, vel fautor, vt eorum filij tali pœna afficiantur, debet esse condemnatus per Iudicis sententiam, vel debet esse talis per euidentiam facti.*

4 *Pœna prædicta ex probabiliori sententia Doctorum extenditur ad filios illorum, qui brachio sæculari comburendi traduntur, quamuis pœnitentiæ signa præbuerint.*

5 *Filij illegitimi, & incestuosi non excusantur ab hac pœna irregularitatis; aliàs crimen parentum illis faueret, & luxuriæ prærogatiua, quæ castitati coniugali denegatur, concederetur, quod est absurdum.*

6 *Pœna, vt ex delicto parentis ad filios descendat, requiritur, quod parens certò sit parens; nam est dubio à prædictis pœnis, & cæteris inferendis excusabuntur.*

7 *Filiatio probatur per denominationem patris, & reputationem ortam ex tractatu vt talis, scilicet filij.*

8 *Pœna secunda est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica recipienda: ita Doctores communiter.*

9 *Descendentes si solùm descendant per lineam maternam, solùm redduntur inhabiles filij non nepotes.*

10 *Beneficij nomine venit etiam pensio in fauorem fidei, & detestationem hæresis.*

11 *Inhabilitas prædicta inuenitur ipso iure; ita vt collatio beneficij illis facta sit ipso iure nulla, inualida.*

12 *Pœna tertia est inhabilitas ad officia publica, vt Magistratum, Iudicum, Prætoriatum, Notariatum, & similia non tamen sunt priuati iure eligendi, & repræsentandi cum id non sit officium publicum.*

13 *Pœna quarta ex opinione aliquorum doctorum est priuatio beneficiorum, quæ filij, vel nepotes obtinebant priusquam ipsorum parens, vel auus esset hæreticus declaratus; quæ tamen opinio reiicitur, & cur?*

14 *Filij percutientium sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales priuantur beneficiis, quæ tempore delicti parentum obtinebant; at non sic filij hæreticorum quia pœnæ non sunt extendendæ de casu ad casum.*

15 *Pœna quinta pariter ex opinione aliquorum doctorum est infamia, eo quod infamia afficiuntur filij delinquentium delicto læsæ maiestatis humanæ: At hæc opinio pariter reiicitur; quia in iure canonico nullus est textus hanc illis pœnam irrogans; neque argumentum à simili, neque à fortiori in lege pœnali validum est.*



RESPONDETVR affirmatiuè; in quo conueniunt omnes tam iuris ciuilis, quàm iuris canonici Doctores; quarum. 1

Prima pœna est irregularitas, quæ filiis, & nepotibus imponitur *in c. 2. §. hæret. & in cap. statutum 2. de hæret. in 6.* ex quo textu aduertunt præcitati doctores, quod, si descendant per lineam masculinam, irregulares sint filij, & nepotes hæreticorum, & fautorum; si autem descendant per lineam fœmininam, solùm filij, non autem & nepotes. 2

Aduerte tamen, quod in tali casu requiratur, hæreticum, vel fautorem esse talem, vel decessisse talem per sententiam iudiciis, vel per euidentiam facti probari, sicuti habetur *in cit. cap. quicumque.* Ibi: [qui tales esse vel tales decessisse probantur;] & tradunt Azorius *prima part. institut. moral. lib. 13. c. 13. q. 8.* Sanchez *l. 2. moral. c. 27 num. 28.* & Farinaç. *q. 191. num. 69.* qui subdunt, quod sufficiat solùm euidentia facti; tametsi sententia iudicis sequuta non fuerit. 3

Aduerte

4 Aduertè secundò; quod ex probabiliori sententia Doctorum extendatur ad filios illorum, qui brachio sæculari comburendi traduntur (qualis est relapsos negatiuus, & Hæresiarcha) quamuis pœnitentiæ signa præbuerint; quia impœnitentes à iure reputantur. Azor. Sanchez, & Farinac. *in locis suprà citatis*, & Suarez *de fide disput. 23. sect. 3. n. 3.*

5 Aduerte tertiò, quod ab hac pœna irregularitatis, & ab aliis pœnis mox infra referendis non excusentur filij illegitimi, & incestuosi; alias crimen parentum illis faueret, & luxuriæ prærogatiua, quæ castitati coniugali denegatur, concederetur; quod est absurdum. Menoch. *de præsumpt. l. 5. præsumpt. 33. n. 1.* Peña 3. *part directorij, q. 114. comment. 163. circa principium*, Farinac. *q. 191. n. 9.* & alij, quos citat, & sequitur Sanchez *l. 2. moral. c. 37. n. 1.*

6 Aduerte quartò, quod, vt ex delicto parentis pœnæ ad filios descendant, requiratur, quod parens hæreticus certò sit patens; nam in dubio à prædictis, & cæteris referendis pœnis excusabuntur: Farinacius & Sanchez *in locis suprà citatis*, & Couarruuias *lib. 2. variar. cap. 8. n. 3.*

7 Aduerte quintò, quod filiatio probetur per nominationem patris, & reputationem ortam ex tractatu, vt talis scilicet filij. Repertor. Inquis. *verbo filij vers. etsi quæratur*, & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 191. n. 10.*

8 Secunda pœna est inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica recipienda; sic Doctores etiam communiter ex Textu *in cap. quicumque, §. hæretici de hæretic. in 6.* Ibi [hæreticorum, eorumque credentium, receptatorum, defensorum, & fautorum filij vsque ad secundam generationem ad nullum Ecclesiasticum beneficium admittantur;] & notant cum Glossa, *ibi communiter canonistæ.*

9 Aduerte tamen, quod siqui descendunt, descendant per lineam maternam, solùm reddantur inhabiles filij; non item nepotes ex textu *in c. 1. statutum 1. de hær. in 6.*

10 Aduerte secundò, quod nomine beneficij veniat etiam pensio in fauorem fidei, & detestationem hæresis. Suarez *de fide disput. 23. sect. 3. num. 4.* Farinac. *q. 191. n. 60.* & Sanchez *l. 2. moral. c. 28. n. 36. & seqq.* ex Textu *in c. 2. de hæret. in 6.*

11 Aduerte tertiò, quod hæc inhabilitas, incurratur ipso iure, ita vt collatio beneficij illis facta, sit ipso iure nulla, & inualida. Suarez *de fide disput. 24. sect. 3. n. 4.* & Sanchez *l. 2. moral c. 28. n. 31.* & habetur expressè *in c. 2. de hæret. in 6.* Ibi: [quod si secùs actum fuerit, decernimus irritum, & inane accedit, quod tales sunt irregulares;] Irregularitas autem est impedimentum irritans collationem beneficij, Suarez & Sanch. *in locis supra citatis.*

12 Tertia pœna est inhabilitas ad officia publica, vt Magistratum, Iudicium, Prætoriatum, Notariatum, & similia, ex Textu *in cit. cap. Quicumque, & cap. statutum de hæret. in 6.* & tradunt communiter Doctores quos sequitur Suarez *de fide disput. 24. sect. vlt. n. 6.* referens Bullam Innocentij IV. Alexandri IV. & Clementis IV. id ipsum statuentium; vbi subdit, & rectè idem Suarez, quod ex vi huius inhabilitatis non fiunt prædicti filij, & nepotes priuati iure eligendi, & repræsentandi; cùm id non sit officium publicum.

13 Quarta pœna (ex opinione Geminiani *in c. vt commissi, §. priuandi de hæret. in 6. n. 4.* Dominici *ibid. n. 4.* Io. Monach. *ante n. 1. vers.* 68. Franch. *in c. felicis n. 6. de pœnis in 6.* Alexandri ad Barthol. *in l. Quisquis lit. l., Cod. ad leg. Iul. Maiest.* Peregr. *de iure Fisci l. 3. n. 1. tit. 10.* Archidiac. *in c. dixit Apost. 24. q. 3.* Romani *singul. 693. circa finem.* Gutierr. *canon. quæst. l. 1. c. vlt. n. 38.* Gomez *to. 3. Variar. c. 2. n. 16* Calderin. *consil. 3. tit. de hæret.* Flaminij *de resignat. benef. l. 3. q. 1. n. 34.* Nauarr. *consil. 23. de hæret. l. 5.* Molinæ *de Iust. & Iur. t. 3. p. 1. disput. 6, 8 n. 12.* & aliorum complurium) est priuatio beneficiorum, quæ filij; vel nepotes obtinebant, prius quàm ipsorum parens, vel auus fuerit hæreticus declaratus.

At hæc opinio mihi cum Abbate *in c. vergentis de hæret. n. 4* Felino *ibid. n. 3.* Butrio *n. 9.* Simancha *de Cath. Instit. tit. 29. n. 20.* Paramo *de orig. S. Inquis. l. 3. q. 8. n. 203. & seqq.* Couarr. *l. 2. variar. c. 8. n. 4* Rebuffo *in prax. benefic. p. 3. de modo amittendi benef. n. 25.* Peña 3. *p. Direct. q. 114. comm. 163. vers. In hac quæst.* Sanch. *l. 2. moral. c. 28. n. 27.* Farin. *q. 191 n. 57.* Suarez *de fide disp. 24 sect. 3.* & aliis, non probatur; quia nullibi cauta reperitur talis priuatio: ergo gratis asseritur; tum quia pœnę, vtpote odiosę, non debēt, præsertim respectu innocētiū, ampliari, sed potius restringi.

Obijcies fundamentum aduersariorum; quia *in c. felicis, §. quod siquis de pœnis in 6.* Filij percutientium S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalem priuantur beneficiis, quæ tempore delicti parentis obtinebant: ergo multò magis priuari debebant filij hæreticorum, cùm grauiùs delinquat qui maiestatem diuinam offendit. 14

Respondetur: nego consequentiam; quia argumentū in pœnis, vt sæpe *supra* dicebam, non valet, neque etiam ex maioritate rationis; quæ solùm probat, potuisse Ecclesiam filios etiam hæreticorum beneficiis priuare, non autē probat de facto eos priuasse; priuauit autē de facto in crimine læsionis Cardinalis filios percutientium licet tale crimen leuius sit crimine læsæ maiestatis diuinæ, ob euitandam audaciam delinquendi; quod non ita locum habet in crimine læsæ maiestatis diuinæ. Vide quæ dicam *infra diffusius in corollario.*

Quinta pœna, ex opinione Couarr. *l. 2. var. c. 8. n. 1* Simanch. *de Cathol. Inst. tit 29. n. 13 & 14.* Farin. *q. 191. n. 28.* & aliorum (vt verum fatear) cōmuni, est infamia; eo quod infamia afficiantur filij delinquentium delicto lęsæ maiestatis humanæ ex Textu *in l. quisquis, § filij, Cod. ad leg. Iul. maiest.* At & hæc opinin etiam mihi, cum Menoch. *consil. 808. n. 44. vol. 1.* Suarez *de censur. disp. 48. sect. 3. n. 2. & de fide disp. 24. sect. vlt. n. 7.* Sanchez *l. 1. moral c. 28. n. 5.* & aliis, non probatur; quia in iure canonico (cui in hoc delicto, vtpote Ecclesiastico stari debet) nullus est textus hanc illis pœnam irrogans: constitutiones autem Innocentij IV. Alexandri IV. & Clementis IV. *Ad extirpanda &c* quas nonnulli ex aduersariis contra nos adducūt, solùm hos filios excludunt à publicis officiis: ex qua exclusione minùs rectè infertur pœna infamiæ: neque argumentum à simili, vel etiam à fortiori, in lege pœnali (sicuti supra dicebam) validum est, cum pœnæ (sicuti supra etiam dicebam) non ob similitudinem, vel maioritatem rationis, sed ob iuris dispositionem solam imponantur. Accedit, quod si prædicti filij essent infumes, essent etiā priuati omnib. priuilegiis, omni actu legato, omniq; testimonio ferendo; quod gratis dicitur sine fundamēto. 15

COROLLARIVM I.

An, & quando filij propter parentum delicta priuentur beneficiis?

SVMMARIVM.

1 *Clerici, licet propter hæresim parentum priuentur ipso iure beneficiis obtentis, postquam ipsorum parentes*
2 *in hæresim inciderunt, non tamen etiam priuantur beneficiis obtentis ante parentum hæresim: Nullo enim iure id habetur expressum. Contra plures Doctores contrarium tenentes in vtroque crimine & læsæ maiestatis diuinæ, & humanæ.*

3 *Textus in* cap. vt commissi de hæretic. in 6. *vbi inter facultates concessas Inquisitorib. hæreticæ prauitatis vnaeste declarandi, esse priuatos beneficiis hæreticos, & eorum fautores, & illorum filios, & nepotes, intelligi debet de beneficiis obtentis à filiis, postquā eorum parentes in hæresim inciderunt.*

4 *Hæreticorum filij non priuantur beneficiis ante parentum hæresim obtentis, ex Constitutione octaua per ordinem inter Constitutiones Innocentij IV. &c. quia id, quod decernit ibi Innocentius IV. intelligi debet de beneficiis, & Officiis post parentum crimen obtentis: non enim Pontifex ibi voluit inducere ius nouum, sed solùm confirmare antiquum.*

5 *Innocentius IV. in Constitutione X. per ordinem inter suas Constitutiones prohibet, ne filij hæreticorum ad vllum beneficium Ecclesiasticum admittantur; At ibi loquitur de beneficiis quæ filij obtinuerunt ad preces parentum hæreticorum.*

6 *Alexander IV. in Constitutione per ordinem X. inter suas Constitutiones, & relata* in cap. Vt commissi de hæretic in 6. *ait, quod Ecclesiasticis beneficiis priuandi sint hæreticorum filij; At dicta Constitutio non aduersatur in casu, de quo agitur, cùm nihil ibi dicatur de priuatione beneficiorum, sed solùm ibi declaratur facultas quam habent hæreticæ prauitatis Inquisitores priuandi filios & nepotes hæreticorum beneficiis.*

7 *Textus* in cap. 1. de schismatic. in 6. *vbi schismatici, eorùmque filij indistinctè beneficiis omnibus Ecclesiasticis, tam obtentis, quàm obtinendis indigni dicuntur, non facit contra sententiam Auctoris, cùm ibi solùm sit sermo de hæreticis: At de filiis hæreticorum, si hi fuerint Catholici, nihil prorsùs dicit.*

8 *Nicolaus III. Paulus III. & Paulus IV. nil aliud de nouo in suis Constitutionibus in casu de quo agitur, voluerunt statuere, sed solùm confirmarunt, quod de iure antiquo iam statutum erat.*

9 *Filij ideò puniuntur pœna propter delictum parentis, quia proueniunt ex radice infecta, & sanguine improbato, quidquid dicatur in contrarium.*

10 *Hæreticorum filij puniuntur vt filij hæreticorum, propriè & formaliter, scilicet eorum, qui iam erant hæretici, non vt filij hæreticorum impropriè & materialiter, scilicet eorum, qui postea in hæresim inciderunt; cùm pœnæ sint potius restringendæ, quàm ampliandæ, &c.*

11 *Filij priuantur beneficiis obtentis post delictum parentum, & non beneficiis obtentis ante delictum eorumdem; quia ratio cur sic priuantur, est, vt parentes puniantur in filiis, qui sint filij delinquentium propriè & formaliter, non autem qui sint filij delinquentium impropriè & materialiter, præsertim cùm pœnæ sint restringendæ; tum quia cùm legitimè & nullo iure prohibente, beneficia acquisiuerint ante parentum delictum, non debent sine propria culpa illis priuari, &c. neque militat eadem ratio in natis ante, ac in natis post delictum.*

12 *Filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ, non priuantur beneficiis ante parentum crimen obtentis.*

13 *Non valet argumentum à pœnis statutis contra crimen læsæ maiestatis humanæ ad crimen læsæ maiestatis diuinæ, cùm in pœnalibus (præsertim contra innocentes & non delinquentes, non sit facienda extensio.*

14 *Argumentum à crimine læsæ maiestatis humanæ ad crimen læsæ majestatis diuinæ, licèt in iis solis quæ sunt in iure expressa.*

15 *Innocentius III.* in cap. Vergentis de hæret. *arguit non à grauitate criminis, sed tantùm ex maiori grauitate peccati hæresis, vult probare se non sine causa hæreticis bonorum confiscationem infligere; cùm ius ciuile reis læsæ maiestatis humanæ, quod est peccatum leuius, eamdem bonorum confiscationem infligat.*

16 *Sanctus Augustinus fauet sententiæ Auctoris. Neque enim loquitur de pœna solùm spirituali, cùm dicat, quod parentum peccata non noceant filiis antea natis, noceant verò filiis postea nascituris, sed de pœna corporali, seu reali, cùm absolutè dicat Sanctus Augustinus aliis in locis, quod pœna nulla spirituali filij propter peccata parentum sint afficiendi.*

17 *Sanctus Augustinus in locis recensitis non loquitur solùm de hæresi, sed etiam de aliis delictis grauibus, quæ etiam suo tempore propter delictum parentum in filiis puniebantur.*

18 *Concilium Toletanum* 15. cap. 11. *mandat, quod ex benignitate restituantur ad pristinos honores filij hæreticorum nati post delictum parentum, si ipsorum parentes resipuerint; fauétque multùm sententiæ Auctoris, cùm supponat filios conceptos ante delictum parentum non indigere, vt ipsis ignoscatur.*

19 *Hæreticorum filij non sunt perpetuò infames infamia iuris, quidquid in contrarium dicatur: Non enim sunt infames ob solum delictum parentum, sed ob solum delictum proprium.*

20 *Formula qua vtuntur Inquisitores, condemnando hæreticos, est formula ordinaria, in qua nihil certi de hoc statuitur.*

EX dictis habetur primò, quod Clerici (licèt propter hæresim parentum priuentur ipso iure beneficiis obtentis postquam eorum parentes in hæresim inciderunt.) Non tamen etiam priuantur beneficiis obtentis ante parentum hæresin. Abbas *ex c. Vergentis, de hæret. n.* 4. Felinus *ibdem n.* 3. Buttius *n.* 9. Simancha *de Cathol. Institut. tit.* 29. *n.* 20. *& in Enchyridion tit.* 63. *n.* 9. Paramus *de orig. S. Inquis. l.* 3. *q.* 8. *num.* 203. *& seqq.* Couarruuias *l.* 2. *variar. c.* 8. *n.* 4. Rebuffus *in Praxi benefic. part.* 3. *de modo amittendi beneficia n.* 25. Zecchius *in summa part* 1. *tit. de fide rubr. de hæret. c.* 11. *n.* 16. Afflictus *l.* 3. *feudor. in tit quæ sint Regalia, §. & bona committentium n.* 118. Carterius *tract. de hæret. n.* 141. Decianus *in tract. crim. l.* 5. *c.* 45. *n.* 5. Peña *in direct.* 114. *comment.* 163. Surd. *cons.* 386. *n.* 5. Menoch. *vol.* 8. *consil.* 105. *n.* 33. Villadieg. *de hæret. q.* 23. *n.* 2. Toletus *l.* 1. *c.* 69. *n.* 4. Lancellot. *Instit. Iur. canonic. l.* 4. *tit. de hæret. §. bona quoque verb. filij.* Petrus Ledesma *tom.* 2. *summæ tract.* 1. *c.* 6. *conclus.* 17. *diff.* 2. Azor *tom.* 1. *l.* 8 *c.* 13. *q* 8. *in* 8. *hæret. pœna.* Sanchez *l.* 2. *moral. c,* 28. *n.* 28. Suarez *tom.* 5. *de censur. disput.* 43. *sect* 3. *n.* 2. *& tract. de fide disput.* 24. *sect.* 3. *n.* 5. (quatenus ait, quod isti solùm prohibeantur recipere beneficia, vel de beneficiis prouideri, non autem quod præcipiantur etiam priuari beneficiis iam obtentis) Rota *decis.* 87. *&* 90. apud Farinac. *tom.* 2. *consiliorum.* Clarus *l.* 5. *§. hæresis n.* 6. (vbi ait, quod hæc sit benignior sententia) Hoieda *de incompatibilit. benefic. c.* 23. *num.* 100. Aufrerius *ad Capell. Tolosan. decis.* 120 *circa finem.* Otolora *de Nobilit. part.* 4. *cap.* 9. *n.* 9. Ricciull. *l.* 5. *c.* 29. *in fine* (vbi inquit, quod, consultis sancti Officij Cardinalibus, sic declarauerit Clemens VIII.) Gutier. *lib.* 2. *quæst. canon. c.* 30. *num* 58. & alij, quos supra citabam & sequebar. 1

Ratio, quia (sicuti dictum est) nullo iure habetur, quod hi priuentur beneficiis obtentis ante parentum hæresim: Ergò talis pœna (vtpote potiùs restringibilis) absque Textu expresso, non est ipsis imponenda.

Quamuis contrarium (quod scilicet filij propter parentum crimen læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ non solùm sint inhabiles ad beneficia consequenda, sed etiam ipso iure priuentur beneficiis ante parentum crimen consecutis) teneant Geminianus *in* 6. *vt commissi § priuandi de hæret. in* 6. Ioan. Monachus *ibidem ante n.* 1 *vers.* 68. Dominic. *n.* 4. Franchus *in cap. felicis n.* 6. *de pœnis in* 6. *Alexander ad Bartol. in l. quisquis lit. l. Cod. ad leg. Iul. maiest.* Præpositus *in c. quo iure distinct.* 8. *col.* 3. *vers. nota vlteriùs, & in c. satis peruersum num.* 4. *dist.* 56. Ananias *in cap. vergentis de hæretic. num.* 12. Berous *in capite Item cum quis de restitution. polit. numero* 43. Imola *in l. in Insulam ff. solut. matrim. circa finem principij* (licet sub dubio) Tabiena *verb. hæreticus num.* 6. Rota *in vna Conchen. pensionis* 1598. Flamminius *de resignat. benefic. lib.* 3. *q.* 1. *num.* 34. Archidiacon. *in cap. dixit Apostolus* 24. *q.* 3. Bellamera *ibidem* 2. Peregrinus *de Iur. Fisc. l.* 3. *tit.* 10. *n.* 2. Romanus *singul.* 693. 2

in

in fine. Garzias *de benefic. part. 11. cap. 10. num. 72. & seqq.* Decianus *in tract. crim. l. 5. c. 20. n. 5.* Gundisalnus *tract. de hæretic. q. 23. n. 2.* Repertor. Inquisit. *verb. filii, vers. nunc videndum.* Calderin. *tract. de hæret. rubr. de pœnis hæreticorum filiorum n. 4.* Restaurus Castaldus *tract. de Imperat. q. 118. n. 13.* Ioan. Lopez *de obtent. regn. part. 5. §. 8.* Grassius *l. 2. decis. c. 11. n. 11.* & alij, quos supra referebam; ex quibus contra nostram sententiam.

3 Obiicies; *In cap. vt commissi de hæret. in 6.* Pontifex (enumerans facultates hæreticæ prauitatis Inquisitoribus concessa) tanquam præcipuam, enumerat illam, quod scilicet ab Inquisitoribus declarati debeant esse beneficiis priuati hæretici, & hæreticorum fautores, & illorum filij, & nepotes; idque in executionem constitutionum Innocentij, Alexandri, & Clementis Prædecessorum: ergò.

Respondetur; nego consequentiam; quia id, quod dicitur *in citato capite, vt commissi*, intelligi debet de beneficiis à filiis obtentis, postquam eorum parentes in hæresim inciderunt; iuxta id, quod habetur *in c. 2. §. hæretici eodem tit. de hæret. in 6.* Vbi filij hæreticorum, & eorum nepotes non priuantur beneficiis ante parentum delictum obtentis, sed solùm redduntur inhabiles ad ea imposterum consequenda, sicuti patet ex illa particula: *non admittantur.* Quæ particula solùm significat, quod isti tales imposterum non sint ad beneficia admittendi: quapropter Glossa *in Clem. 1. de pœnis verb. obtinendi, & ibidem* præter alios Imolan. *n. 18.* aiunt, quod inhabilitas ad beneficia, & officia obtinenda non priuet beneficiis, & officiis priùs obtentis; ita vt dicendum sit, quod *in d. cap. vt commissi*, nihil de nouo statuatur de beneficiorum priuatione.

4 Instabis, quod, filij hæreticorum priuentur beneficiis ante parentum hæresim obtentis, decernit Innocentius IV. *in constitut. 8.* per ordinem inter suas constitutiones *in vers. Cæterùm*, ad quam Bonifatius (dum canonizat Federici constitutionem latam contra hæreticos, & hæreticorum fautores, eorumque filios, & nepotes, priuando scilicet eos omnibus beneficiis, honoribus, & dignitatibus) se refert *in cit. cap. vt commissi*; Et quamuis quidem D. Federici constitutio defectu potestatis ad beneficia Ecclesiastica se non extenderet, ad ea tamen se extendit, postquam à Pontifice fuerit approbata. *l. 1. Cod. de veter. Iur enucleand. & cap. ad Apostolicæ de prebend. in 6.* Ergò recurrit difficultas.

Respondetur, nego antecedens; quia id, quod decernit ibi Innocentius IV. intelligi debet de beneficiis, & officiis post parentum crimen obtentis: non enim Pontifex ibi voluit inducere ius nouum, sed solùm confirmare, quod de iure antiquo iam statutum fuerat; nempe quod hæreticorum filij, & nepotes priuentur beneficiis post parentum crimen obtentis, vti dicebam.

5 Reinstabis; idem Innocentius IV. in constitutione decima per ordinem inter suas constitutiones prohibet, nè filij hæreticorum ad vllum beneficium Ecclesiasticum admittantur; subditque quod beneficiorum collatio ipsis facta sit inualida, eosdemque priuat beneficiis acquisitis, & reddit etiam inhabiles ad alia acquirenda: Ergò recurrit difficultas.

Respondetur, nego consequentiam; quia ibi Innocentius IV. solùm loquitur de beneficiis, quæ filij obtinuerant ad preces parentum hæreticorum; subditque, quod huiusmodi collatio sit inualida: quemadmodum etiam statuitur *in c. 2. §. penultimo de hæret. in 6.* quod scilicet omnes collationes ad preces hæreticorum factæ sint inualidæ, vti etiam dicebam.

6 Vrgebis: Alexander IV. in constitutione per ordinem decima inter suas constitutiones & relata *in d. cap. vt commissi* ait, quod Ecclesiasticis beneficiis priuandi sint hæreticorum filij; dum explicat, quomodo se gerere debeant hæreticæ prauitatis Inquisitores, si quando ipsis ab Apostolica sede committitur, quod in hæreticos, & hæreticorum filios animaduertant, illos scilicet priuando beneficiis Ecclesiasticis, honoribus, & dignitatibus: & hoc frequenter accidere, subdit idem Pontifex: quod quidem non esset, si tales pœnæ, quas exequantur contra eos à iure statutæ non fuissent; dummodò tunc tales reperti fuerint, non verò in iis, quos emendatos constituit: ergò.

Respondetur: nego etiam consequentiam; neque enim prædicta Alexandri IV. constitutio quidquam nobis aduersatur, cum nihil ibi dicatur de priuatione beneficiorum, sed solùm ibi declaretur facultas, quam habent hæreticæ prauitatis Inquisitores priuandi filios, & nepotes hæreticorum beneficiis, quod verò priuandi sint beneficiis, etiam ante parentum crimen acquisitis, nihil ibi dicitur.

Revrgebis: quod, hæreticorum filij beneficiis ante parentum hæresim obtentis priuentur, pro absoluto præsupponit Pontifex *in c. 1. de schismatic. in 6.* vbi, cum schismatici, ipsorumque filij puniendi veniant, eos indistinctè beneficiis omnibus Ecclesiasticis iam obtentis, quam obtinendis indignos reddit; vt propterea ex hoc cesset obiectio, quod ille sit casus specialis; quia, licet fuerit particularis prouisio, pœnæ tamē in decimo casu iunctæ cum iam schismaticis, tanquam hæreticis, infliguntur, omnibus hæreticis communes præsupponantur; ita vt si extensio aliqua ibi fiat, ea sit, quod hæreticorum pœnæ ad schismaticos etiam extendantur; ita Doctores, quos sequitur Bero. *in cap. Item cum quis de restitut. spol. n. 44 circa finem.* 7

Respondetur, nego antecedens; neque ibi quidquam dicitur contra nostram opinionem: cum ibi solùm sit sermo de hæreticis, quos vltrò concedo, ipso iure priuatos esse omnibus beneficiis, etiam obtentis ante hæresim: At de filiis hæreticorum, si hi fuerint Catholici, nihil prorsus dicitur.

Ter vrgebis: hoc saltem clarè disponit Nicolaus III. *in constitut. 2.* per ordinem inter sua, ibi: [Nos enim prædictos ex nunc priuamus beneficiis acquisitis, volentes, vt tales & habitis perpetuò careant, & ad alia similia nequaquam in posterum admittantur:] quæ constitutio non potest dici antiquata (ita vt contrarium de consuetudine seruetur) quia per constitutionem Pauli IV. 41. per ordinem inter suas, omnes antiquæ summorum Pontificum constitutiones contra hæreticos, & hæreticorum fautores, eorumque filios latæ renouantur; tum quia non multò priùs à Paulo III. *in extrauagant. 20.* per ordinem inter suas, & postea ab aliis summis Pontificibus contra læsæ maiestatis humanæ, & diuinæ reorum filios id seruatum videtur. 8

Respondetur: nego etiam antecedens; quia Nicolaus III. solùm loquitur ibi de beneficiis post parentum delictum obtentis scilicet, quæ iure prohibente sunt à dictis hæreticorum filiis acquisita: nec ibi Nicolaus aliquid aliud de nouo statuere voluit: eodemque modo respondetur ad constitutionem Pauli IV. & ad alteram Pauli III. Nihil enim in eis etiam aliquid de nouo statuitur, sed solùm quod de iure antiquo iam statutum erat.

Obiicies secundò: Filiis propter delicta parentum pœna imponitur non ex eo, quod filij prouenerint ex radice infecta, & sanguine improbato (cum crimen sit merè spirituale, non trahens originem, vel commercium à radice, vel à sanguine) ergò non intrat distinctio, vtrum filij sint nati ante, vel post delictum parentis: sic Doctores, quos sequitur Claudius *in l. si quis id quod n. 19. ff. de Iurisd. omn. iudic.* 9

Respondetur: nego similiter antecedens; quia ratio, cur filiis propter delicta parentum pœna imponatur, est hæc ipsa, quod filij proueniant ex radice infecta, & sanguine improbato, sicuti patebit ex iis, quæ dicam *infrà dubit. 176.*

Instabis: hæreticorum filij priuantur beneficiis vt filij (quod æquè conuenit filiis iam natis, ac nascituris: sic Doctores, quos sequitur Zabarella *in cap. quibusdam extra de pœnis vers. quæro an filij*) & hoc, vt parentes in filiis acriùs puniantur, iuxta textum *in lib. Isti* quidem 10

quidem circa fin.ff.quod met.caus. & in c.Afferte de præsumpt. Cùm patet magis timeat, posse affligi filios, quam seipsum. Glossa *in Extrauag. Ioann.XXII. § filij eius de pœnis.* Ostiens.*in c.Vergentis in finalibus verbis de hæretic.*& Io.Andr.*ibid.in vers.Progenie:* Quæ quidem ratio magis militat in filiis iam natis, quam in filiis nascituris; cum fortassè hæretici post delictum filios non suscipiant; & maior sit pœna, videre infamatum filium iam adultum, & forsan in dignitate constitutum, quam filium minorem & forsan infantem, qui nihil adhuc cognoscit; & cùm præterea filij iam nati, faciliùs quam filij nascituri possint patris actiones, quas vident, imitari: quæ fuit ratio præcipua propter quam quod filij in hoc propter delicta parentum puniantur, sancitum fuit.

Respondetur: Distinguo antecedens: Hæreticorum filij puniuntur vt filij; vt hæreticorum propriè, & formaliter, scilicet eorum, qui iam erant hæretici, concedo; vt filij hæreticorum impropriè & materialiter, scilicet eorum qui postea in hæresim inciderunt, iuxta ea quæ diffusè dicam *infrà cit.dub.177.* nego, cùm pœnæ sint potiùs restringendæ quàm ampliandæ; tum quia plures sunt rationes, ob quas filij propter parentum delictum puniuntur; & quamuis vna sit, vt hac ratione puniantur parentes videntes, filios affligi; noluerunt tamen leges punire filios, priuando eos beneficiis legitimè iam obtentis, quia cùm iam acquisitum sit filiis ius, non debet iis illud auferri per subsequentem parentum calamitatem, iuxta id quod habetur *in §.Etsi,instit.de ingenuis, in l.filiam, in l.mancipatum, §.1.ff. de Senatoribus, & in l.generali, ff. de rit. nupt.* Tum quia præcipua ratio est, ne filij parentes imitentur, tanquam nati ex radice infecta & sanguine improbato (in quibus filiis est maior timor, vt *infrà* dicetur,) quæ ratio solùm reperitur in filiis conceptis post delictum parentis, & non ante; & ideò lex pœnalis extendi non debet ad filios conceptos ante.

11 Reinstabis: Filij priuantur beneficiis obtentis post delictum parentum: ergo priuabuntur etiam beneficiis obtentis ante delictum eorundem. Consequentia probatur, quia ratio cur filij propter delicta parentum priuentur beneficiis, est vt hac ratione parentes puniantur in filiis.

Respondetur: Nego consequentiam, & ad probationem respondeo, quod ratio, sicuti dicebam, est, vt sic parentes puniantur in filiis, qui sint filij delinquentium propriè & formaliter, non autem qui sint filij delinquentium impropriè & materialiter; præsertim cùm pœnæ sint restringendæ; tum secundò, quod, cùm filij legitimè, & nullo iure prohibente, beneficia acquisiuerint ante parentum delictum, non debent sine propria culpa illis priuari; priuantur autem beneficiis acquisitis post delictum parentum, quia iure iis prohibetur tunc consecutio beneficiorum, præsertim cùm leges pœnales non extendantur ad casus non expressos ob similitudinem rationis; tum tertiò, quod est maior ratio, cur filij concepti post delictum parentum priuentur beneficiis, quia isti trahunt originem ex sanguine parentum iam infecto; præsertim cùm timor ne filij imitentur parentes, oriatur præcipuè (sicuti dicam *citata dubitatione 176*) ex sanguine prædictorum parentum infecto; & ideò iura voluerunt beneficiis priuare filios conceptos post delictum parentum, non autem conceptos ante delictum eorumdem.

12 Vrgebis; In crimine læsæ majestatis humanæ per potestatem ciuilem, seu laïcalem, id indistinctè statutum fuit *ex l. Quisquis, Cod.ad leg.Iul.majest.* Sic Doctores, quos sequitur Claudius *in l. si quis id quod, n.19. ff.de iurisdict. omn. indic.* & Gygas *in tract. de crim læs. majest. q. 5.* Ergo multò magis idem seruandum erit in crimine læsæ majestatis diuinæ; cùm crimen læsæ majestatis diuinæ sit enormius crimine læsæ majestatis humanæ; sicut in terminis argumentatur Innocentius III. *in cap. Vergentis de hæretic.*

Respondetur: Nego antecedens, quia filij committentium crimen læsæ majestatis humanæ, non priuantur beneficiis ante parentum crimen obtentis, vti dicam *infrà dubit.177.* præsertim *petit.1.* vbi etiam explicabo dictam *l.Quisquis.*

Respondetur secundò: Transeat antecedens; at 13
nego consequentiam, quia non valet argumentum à pœnis statutis contra crimen læsæ majestatis humanæ ad crimen læsæ majestatis diuinæ; cùm in pœnalibus (præsertim contra innocentes & non delinquentes) non sit facienda extensio. Sic Doctores, quos sequitur Bartholom.Socein.*n.* 11. agens de pœnis statutis *in dicta l. Quisquis.* & Gygas *vbi suprà lib.3. tit.1. de pœnis quas incurrunt filij committentes id crimen, q.17.*
circa fin. vbi ait, quod liceat argumentari à crimine 14
læsæ majestatis humanæ ad crimen læsæ majestatis diuinæ, in iis solis quæ sunt in iure expressa; cùm igitur iuxta nostram opinionem non sit in iure expressum, quod filij priuentur beneficiis obtentis ante parentum hæresim, non est cur hanc pœnam (etiamsi concederemus, eam esse statutam contra filios parentum committentium crimen læsæ maiestatis humanæ) illis infligamos; præsertim cùm sæpè contingat, quod iustis de causis grauiora delicta mitioribus pœnis quàm leuiora puniantur. Sic Doctores, quos sequitur Couarr *lib.2.var.resol.c 8.n.4.*

Vt omittam Innocentium III. non ex eo quod cri- 15
men læsæ maiestatis diuinæ est grauius crimine læsæ maiestatis humanæ, argumentari, filios hæreticorum incurrere easdem pœnas, quæ sunt statutæ contra filios committentium crimen læsæ majestatis humanæ, sed tantùm ex maiori grauitate peccati hæresis vult probare, se non sine causa hæreticis bonorum confiscationem infligere, cùm ius ciuile committentibus crimen læsæ maiestatis humanæ (quod est leuius peccatum) eamdem bonorum confiscationem infligat: quapropter ex eo Textu solùm deducitur, quod possit quidem pœna inflicta crimini læsæ maiestatis humanæ, infligi etiam hæresi, non tamen deducitur, quod omnis pœna inflicta per ius ciuile alicui crimini, sit etiam de facto inflicta hæresi; quinimò potiùs deducitur quod pœna inflicta illi crimini, non sit hæresi infligenda à Iudice, nisi etiam ea de facto hæresi inflicta fuerit à iure.

Objicies tertiò: Si vera esset nostra opinio, præci- 16
puè id esset, quia huius sententiæ videtur esse S. Augustinus (vt refertur *in c Iam itaque primo q.4*) Sed S. Augustinus (cùm adducat illud Domini per Ezechielem: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur,*) intelligi debet de pœna spirituali, (vt etiam ex eiusdem S. Augustini dictis declaratur *in c.Si habes 24. q. 3.* Tum etiam quia, crescente hæreticorum cottupicla, ad reprimendam audaciam illorum, qui vix vllis pœnis resipiscunt, augendæ erunt pœnæ, sicut innuit Summus Pontifex *in d. Vergentis in princ.* vbi pœnæ contra hæreticos latæ, etiam ad hæreticorum filios extendontur,) ergo,&c.

Respondetur: Concedo maiorem; Et quidem S. Augustinus est apertè nostræ sententiæ, tum *in d. c. Iiaque (quod est desumptum ex Epist.ipsius 23. ad Bonifacium,)* tum *in c.Queris de consecrat.dist.4.*(quod etiam est desumptum ex eadem epistola,) tum *in c.Non imputantur 1 q.4.* (quod Gratianus tribuit eidem Augustino id asserenti *in epist.75. ad Auxilium,*) tum *in Psal.84. & Deuter. 42.* At nego minorem; quia falsum est, quod S. Augustinus ibi loquatur solùm de pœna spirituali; cùm in prædictis locis dicat: quod parentum peccata non noceant filiis antea natis, noceant verò filiis postea nascituris: quod intelligi non potest de pœna spirituali; cùm propter peccata parentum filij nec antea nati, nec postea nascituri vllam pœnam spiritualem incurrant, vt ait idem S. Augustinus *losne 1.* quapropter *in d.c.Non imputantur,* legitur: [Non imputantur filiis peccata parentum, quæ post eorum natiuitatem à parentibus committuntur.]Non igitur S. Augustinus

gustious intelligi potest de pœna spirituali; cùm absolutè dicat, quod filij propter peccata parentum nulla pœna spirituali sint afficiendi.

17 Vt omittam, S. Augustinum ibi non loqui solùm de hæresi, sed etiam de aliis delictis grauibus, quæ etiam suo tempore propter delictum parentum in filiis puniebantur, vti patet *ex l. Quisquis, Cod. ad leg. Iul. maiestatis*, lata per multos annos ante mortem S. Augustini lata, in qua filij parentum committentium crimen læsæ maiestatis grauiter puniuntur.

18 Obiicies quartò: Si vera esset dicta nostra opinio, id esset, quia in Concilio Toletano 13. *cap.* 1. mandatur, quod ex benignitate restituantur ad pristinos honores filij hæreticorum nati post delictum parentum, si ipsorum parentes resipuerint; at hoc non multum viget, quia illud Concilium non est generale; tum quia exinde non necessariò infertur, quod filij nati ante delictum parentum dicta benignitate non indigeant; cùm per Concilium prouisum fuerit in eo casu tantùm, tanquam in casu magis dubitabili, argumento *l. si, Cod. qui atat. se excus. lib.* 10.

Respondetur: Concedo maiorem; siquidem tale Concilium multum fauet nostræ opinioni; cùm supponat quod filij concepti ante delictum parentum non indigeant, vt ipsis ignoscatur, vti patet ex illis verbis: [Quod & de filiis eorum decernimus obseruandum, qui post admissum scelus nati esse produntur.] At nego minorem; quia, quamuis illud Concilium non fuerit generale, magnæ tamen est apud omnes auctoritatis, cùm ei interfuerint ferè omnes Hispaniarum Episcopi, sicut præter alios tradit Couarr. *lib. 2. var. c. 8. n. 5.*

19 Obiicies quintò: Isti hæreticorum filij sunt perpetuò infames infamia iuris. Couarr. *cit. c. 8. n. 1. vers. 1.* & Alphons. à Castro *de iust hæret. punit. lib. 2 c. 12 paulò post principium, vers. Propter hanc causam, ex c. si quis 6. q. 1. & ex c. Vergentis de hæreticis.* Ergo sunt ipso iure priuati, vel saltem priuandi beneficiis etiam obtentis; *l. 2. §. Miles, ff. de his qui notant. infam.* & *l. infam. Cod. de decurion. lib.* 10. & docent Glossa *in regula infamia, de regul. iur. in 6.* Io. de Imola *in l. insulam, ff. solut. matrim.* Præpositus *in c. Satis peruersum. distinct.* 50. Roman. *singul.* 693. & alij.

Respondetur: Nego antecedens, sicuti dicebam, suprà, & dicam etiam infrà ex probabiliori sententia Doctorum: At transeat pro nunc antecedens, distinguo tamen consequens; si fuerint infames ob delictum proprium, concedo: si fuerint infames ob solum delictum parentum, nego: nam in tali casu non priuantur beneficiis antea obtentis, sed ad summum obtentis post delictum parentum: Immò non desunt Doctores, qui putent, quod neque priuentur beneficiis etiam postea obtentis.

20 Obiicies sextò: Inquisitores proferunt sententiam condemnantem hæreticos, eorúmque filios, & reddentem eos inhabiles ad habendum, tenendum, & possidendum dignitates, beneficia, & officia, tam Ecclesiastica quàm sæcularia: quibus verbis aptè comprehenduntur & obtenta & obtinenda; ergo.

Respondetur: Nego consequentiam; quia Inquisitores vtuntur hac formula ordinaria, in qua nihil certi de hoc statutum est; & noluerunt per illam definire quidpiam, sed tantùm voluerunt, quod disputatio remittatur viris Theologiæ & vtriusque Iuris peritis, præsertim quia in fine prædictæ sententiæ Inquisitores se remittunt ad ea, quæ de iure statuta sunt: quapropter, cùm (sicuti probabam) iura intelligenda sint de filiis conceptis post delictum parentum, non autem ante, fit quod sententia Inquisitorum etiam non comprehendat filios conceptos ante.

COROLLARIVM II.

An hæreticorum filij sint, saltem à iudice Ecclesiastico, priuandi beneficiis obtentis ante Parentum hæresim.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij neque sunt à iudice Ecclesiastico priuandi beneficiis obtentis ante Parentum hæresim; quia nullo iure id habetur, sed solùm redduntur inhabiles ad alia in posterum obtinenda.*

2 *Textus* in cap. felicis, §. quod si quis de pœnis in 6. *vbi habetur, quod filij parentis percutientis Cardinalem ipso iure sint priuati beneficiis obtentis ante parentis delictum, non potest trahi ad dispositionem non expressam in iure in aliis delictis etiam grauioribus, prout non est expressum idem de filiis hæreticorum.*

HAbetur secundò; quod hæreticorum filij neque sunt à iudice Ecclesiastico priuandi beneficiis obtentis ante parentum hæresim. Glossa *in Clem. 1. §. ipsius de pœnis.* Angelus *de malefic verb. & eius bona publicamus n.* 27. Clar. §. *hæresis num.* 16. Couarruuias *l. 2. variar. c. 8. num. 4.* Peña *in direct. inquisit. part 3 comm.* 563. *vers. sententiam.* Holeda *de benefic. part. 1. cap. 23. num.* 10. Menoch. *consil.* 805. *num.* 32. Royas *singul.* 24. & *singul.* 66. *num.* 3. Villadieg. *de hæret. q.* 13. Decianus *l. 5. c. 45 num.* 6. Rebuff *in Praxi part. 3 de mod. amittend. benefic. num.* 25. Repertor. Inquis. *verb. filij vers. supradictum est*, & *vers. nunc quæritur.* Paramus *de origin. S. Inquisit. l. 3. q. 9 num.* 203. Maiolus *l. 5. de irregularit. c. 47. num.* 6. Azeuedo *lib. 8 tit. 3 leg. 1. num.* 204. Didacus Perez *l. 8. tit. 7. leg. 1. vers. Tenendo priorem opinionem.* Guttier. *l. 2. canonic. quæst. c.* 30. *num.* 38. Surd. *consil.* 386. *num.* 3. Grassius *l. 2. c. 11. num.* 21. Salzedo *in Practica Bernardi Diaz. c. 114. vers. quinimò filij.* Simanch. *de Catholic. Institut. tit. 29. n. 2.* & *in Enchiridion tit. 63. n. 9.* & alij passim.

Ratio; quia etiam nullo iure habetur, quod hæreticorum filij priuandi sint beneficiis obtentis ante parentum hæresim, sed solùm redduntur inhabiles ad alia in posterum obtinenda.

Quamuis contrarium teneant Imola *in l. insulam in principio ff. sol. matrimon.* Palacius *rubr. de Regno Nauarr. part 5. §. 8* Henricus *in cap. Vergentis col. 4. de hæretic.* Ananias *ibidem col.* 2. Ioan. Andreas *in cap. vt commissi col.* 2. Dominicus *ibidem §. priuandi.* Gygas *l. 3. de crim. læs. maiest tit. de pœnis*, quas filij incurrunt, *q.* 11. & alij, quos sequitur Suarez *tom 5. disput. 4. sect. 3. n. 2.* Ex quibus contra nostram opinionem.

Obiicies; *In cap. felicis §. quod si quis de pœnis in 6.* 2
habetur quod filij parentis percutientis Cardinalem ipso iure sint priuati beneficiis obtentis ante parentis delictum; (cùm tamen tale delictum sit leuius delicto læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ:) Ergo.

Respondetur: nego consequentiam; quia non in casu nostro valet argumentum: Quod enim filij parentis percutientis Cardinalem priuentur beneficiis obtentis ante parentis delictum, est expressum in iure; non est autem expressum similiter de filiis hæreticorum, &c.

COROLLARIVM III.

An hæreticorum filij sint priuati ipso iure beneficiis post parentum hæresim, & reddantur inhabiles ad alia beneficia obtinenda, priusquam parentes de hæresi condemnentur?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij non sunt priuati ipso iure beneficiis obtentis post parentum hæresim, nec redduntur inhabiles ad alia beneficia obtinenda, priusquam parentes de hæresi condemnentur, nec debent illis beneficiis priuari, sed solùm redduntur inhabiles ad acquirenda, & retinenda illa beneficia, quæ post parentum condemnationem obtinuerunt: cessat enim ratio dispositionis priusquam sit lata sententia declaratoria criminis.*

2 *Filij concepti ante parentum delictum, non sunt infames, nec inhabiles ad beneficia consequenda, nec priuantur beneficiis obtentis etiam post parentum condemnationem.*

1 HAbetur tertiò, quod hæreticorum filij non sunt priuati ipso iure beneficiis obtentis post parentum hæresim, nec redduntur inhabiles ad alia beneficia obtinenda, priusquam parentes de hæresi condemnentur, nec debent illis beneficiis priuari, sed solùm redduntur inhabiles ad acquirenda, & retinenda illa beneficia, quæ post parentum condemnationem obtinuerunt; sic Doctores, quos sequitur Peña *in direct.Inquis. p.3.commentar.163.vers.sententiam*, & Suarez *tom.5.disp.4.sect.3.num.2.*

Ratio; quia tales filij priuantur beneficiis obtentis post parentum hæresim, vel quia sunt infames (vt etiam tenet communis opinio) vel saltem quia ex alio capite sunt inhabiles ad ea consequenda (vt dicebam *suprà in principio dubitationis præsentis*) sed priusquam parentes condemnentur de hæresi, non sunt tales (vt dicebam *ibidem*, & dicam etiam *infrà in corollario 5.*) Ergo non priuantur beneficiis obtentis (etiam post parentum hæresim, priusquam parentes de hæresi fuerint condemnati.) Quod si ante condemnationem essent notoriè hæretici, tunc essent inhabiles ad beneficia acquirenda, adeò quod si illa obtinerent, inualidè obtine-
2 rent, vt dicam *infrà cit.coroll.5.* Filij præterea concepti ante parentum delictum non sunt infames, nec inhabiles ad beneficia consequenda, nec priuantur beneficiis obtentis, etiam post parentum condemnationem; nec debent illis priuari; quia filij concepti ante parentum delictum nullas pœnas incurrunt propter crimen parentum, vti dicebam *suprà*, & iterum diffusè dicam *infrà dubitatione 176.*

COROLLARIVM IV.

An non solùm filij hæreticorum, & eorum Fautorum, Defensorum, Receptatorum, & credentium sint priuati beneficiis, sintque inhabiles ad alia consequenda, (sicut etiam ad offi-ia publica modo, quo suprà explicabam) sed etiam eorum descendentes, atque nepotes vsque ad secundam generationem?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij, & eorum Fautorum, Defensorum, Receptatorum, & credentium sunt priuati beneficiis, suntque inhabiles ad alia consequenda, & ad officia etiam publica, sicque eorum descendentes, atque nepotes vsque ad secundam generationem.*

2 *Limita dictam pœnam habere tantùm locum in filiis, & nepotibus descendentibus per lineam masculinam, seu paternam vsque ad secundam generationem, id est filios, & nepotes: per lineam verò fœmininam, seu maternam vsque ad primam generationem, id est vsque ad filios: licèt enim tam pater, quàm mater concurrant ad generationem, magis tamen concurrit pater, quàm mater.*

3 *Constitutio Pauli IV. apud Nauarrum* lib.5. consil. tit.de Iudæis, & Saracenis cons.1. *&c. prohibet, quod admittantur descendentes ex hæreticis, vel Iudæis atque ad quartam generationem; at præterquam quod non est vsu recepta, loquitur solùm de admissione ad Religionem Sancti Francisci; & limitata fuit à Sixto V. vsque ad secundum gradum in linea paterna, & vsque ad primum in linea materna.*

4 *Constitutio prædicta Pauli IV. ex æquitate iuris non habet locum in iis, qui sponte, nullo cogente metu, conuersi sunt.*

HAbetur quartò, quod sic; & patet *ex cap. Vt commissio, §.priuandi, & ex c.Quicumque, §.hæretici de hær.in 6.& ex Constitutione Innocentij IV. Nouerit Vniuersitas vers.hæretici, apud Peñam inter literas Apostolicas.* Quod deinde tamen limitatum est in filiis, & ne- 1
2 potibus descendentibus per lineam masculinam, seu paternam vsque ad secundam generationem, idest, vsque ad filios, & nepotes: per lineam verò fœmininam, seu maternam vsque ad primam generationem, idest, vsque ad filios, *ex c.statutum 2.de hær.in 6.* Ibi: [Primum, & secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus; per maternam verò dumtaxat ad primum volumus hoc extendi.] Et docent *ibid.* Glossa *verbo inane*, Geminian.*n.2.* Io.Monach.*n.1.& seqq.* Molina *de iust.tom.5.disp.658 n.19.* Azor.*tom.1 lib.8.cap.15.* Suarez *tom.5.de censur.disp.43.sect 3.n.1.* & alij, quos sequitur Sanchez *lib.2.moral.c.27.n.2.*

Ratio, quia, licet tam pater, quàm mater concurrant ad generationem (quod inde probatur; quia si equus copulam habeat cum asina, vel asinus cum equa, proles, quæ nascitur ex tali copula, etiam quoad figuram externam, participat de vtroque; ergo signum est, quod ad generationem animalium concurrat tam pater, quàm mater) magis tamen concurrit pater, quàm mater: ergo filius magis inficitur (sicut etiam & magis nobilitatur) ex semine patris, quàm ex semine matris.

Confirmatur; quia propterea etiam ordinariè magis filius repræsentat, & sequitur patrem, quàm matrem.

Obiicies: Constitutio Pauli IV. *apud Nauarrum lib.5. consil.titul.de Iudæis & Saracenis cons. 1. & apud Rodriquez tom 1. quæst.regul. q.14.a.1. & 2.* prohibet, 3
quod admittantur descendentes ex hæreticis, vel Iudæis, vsque ad quartam generationem: ergo pœnæ contra hæreticos latæ non solùm extenduntur vsque ad primam, & secundam, sed etiam vsque ad quartam generationem.

Respondetur (vt omittam nonnullos Doctores, quos sequitur Auila *de censur.p.7.disp.4.dub.3.* sentire, quod talis Constitutio non sit vsu recepta.) Nego consequentiam; quia dicta Constitutio loquitur solùm de admissione ad Religionem sancti Francisci, sicuti patet ex verbis eiusdem Constitutionis, & notat Rodriq.
cit.

cis.art.1. vbi subdit, quod eadem Constitutio limitata sit à Sixto V. iuxta restrictionem *c. statutum 2.de her. in 6.* scilicet vsque ad secundum gradum in linea paterna, & vsque ad primum in lineá materna. Videri etiam poterunt Nauarrus, & Auila *locis suprà citatis,* qui tenent, quod licet dicta Constitutio (quam subdunt, fuisse ad Saracenos extensam, & confirmatam à Gregorio XIII.) in rigore iuris intelligenda sit in descendentibus ex hæreticis, Iudæis, vel Saracenis) etiam non condemnatis, sed conuersis) nihilominus ex æquitate iuris non habeat locum in iis, qui spontè, nullo cogente metu, conuersi sunt.

COROLLARIVM V.

An ad hoc, vt filij, & nepotes hæreticorum incurrant pœnas irregularitatis, & inhabilitatis ad beneficia non necessariò requiratur sententia iudicis declarantis, parentes fuisse hæreticos?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij, & nepotes vt incurrant pœnas irregularitatis, & inhabilitatis ad beneficia, non necessariò requiritur sententia iudicis declarantis, parentes fuisse hæreticos, sed satis est, si eos tales fuisse constet aut per euidentiam facti, aut per propriam parentum confessionem in iudicio, in iure enim ita expressum est.*

1 HAbetur quintò, quod ad hoc, vt filij, & nepotes hæreticorum incurrant pœnas irregularitatis, & inhabilitatis ad beneficia, non necessariò requiritur sententia iudicis declarantis, parentes fuisse hæreticos, sed satis est, si eosdem parentes fuisse hæreticos, vel fautores, defensores, vel receptatores hæreticorum, constet solùm etiam aut per euidentiam facti, aut per propriam parentum confessionem in iudicio; ita Doctores, quos sequitur Suarez *tom.5.dispt.43.sect.3.n.2.* & Saytus *de censur.lib.6.c.10.n.40.*

Ratio; quia *in c.statutum 2.de her.in 6.* dicitur, quod filij, & nepotes hæreticorum tunc incurrant prædictas pœnas, quando tales esse, vel tales etiam decessisse ipsorum parentes, probatur; at his verbis satis innuitur, quod tunc isti tales incurrant dictas pœnas, quando ipsorum parentes decessisse in hæresi, vel per sententiam iudicis, vel per propriam in iudicio confessionem, vel per facti euidentiam manifestum est; (cùm illud verbum *probatur* in aliis causis, & delictis talem sensum, & significationem habeat.) Ergo, &c.

COROLLARIVM VI.

An filij, & nepotes hæreticorum, cùm sint inhabiles ad beneficia consequenda, non possint beneficium (quod antequam inhabiles facti fuissent, habebant) permutare?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij, & nepotes cùm sint inhabiles ad beneficia consequenda, non possunt beneficium, quod antequam facti fuissent inhabiles, habebant, permutare, si enim id faciant, talis permutatio est inualida: nam si sunt inhabiles ad consequendum, sunt etiam inhabiles ad permutandum.*

2 *Beneficij permutatio facta ab excommunicato, cùm is sit incapax, & inhabilis ad acquirendum aliquod beneficium de nouo, est inualida.*

1 HAbetur sextò, quod filij, & nepotes hæreticorum, cùm sint inhabiles ad beneficia consequenda, non possunt beneficium (quod antequam facti fuissent inhabiles, habebant) permutare: adeò quod si permutent, talis permutatio sit inualida. Gloss. *in Clem.1.de pænis, verb.Obtinenda,* Cardinalis *ibid n.4 q.3.* & communiter alij Canonistæ.

Ratio; quia prædictæ personæ sunt inhabiles ad consequendum aliquod beneficium: ergo etiam ad permutandum: antecedens supponitur. Consequentia probatur; quia in permutatione acquiritur cum alterius resignatione de nouo aliquod beneficium.

2 Confirmatur; quia excommunicatus (cùm sit incapax, & inhabilis ad acquirendum aliquod beneficium de nouo) si permutet beneficium cum alio; talis permutatio est inualida; sic communiter Doctores, quos sequitur Couarruuias *in c. Alma mater p.1.§.7.n.2.* Ergo (cùm prædictæ personæ sint etiam similiter inhabiles, si similiter permutent beneficium cum alio, similiter etiam permutatio erit inualida.

COROLLARIVM VII.

An filij, & nepotes hæreticorum (sicut post parentum hæresim sunt inhabiles ad beneficia consequenda, & priuantur beneficiis consecutis, eo modo, quo suprà dicebam) pari ratione sint inhabiles ad pensiones, & eis, etiam consecutis, priuentur?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij, & nepotes, sicut per parentum hæresim sunt inhabiles ad beneficia consequenda, & priuantur beneficiis consecutis, ita sunt etiam inhabiles ad pensiones, & iis etiam consecutis priuantur; quia in tali casu nomine beneficiorum veniunt etiam pensiones.*

2 *Beneficiorum incapaces, sunt etiam incapaces pensionum.*

1 HAbetur septimò, quod sic Garzias *de benef.p.11.c.10. §.1.num.74.* Gygas *de pension.q.94.n.7* Rota *in vna Conchensi pensionis 6.Martij 1598. vers.quod si priuantur, & in vna Hispalensi pensionis apud Puteum decis.* 350.*lib.1.* & passim Doctores, quos sequitur Farinac. *de heresi q.191.§.2.n.60.*

Ratio; quia *in c.vt commissi de her.in 6.* dicitur, quod isti tales priuentur quibuscumque beneficiis; *& in c.2. §.heretici eod.tit.* habetur, quod iidem nullum possint habere beneficium; at, cùm iura de beneficiis ita loquuntur, nomine beneficiorum veniunt etiam pensiones. Gloss. *in Clem.2. verb.Quodcumque, de vita, & honestate Clericor. & in c.Quicumque, §.heretici verb.Beneficium lib.6.* Abbas *in c.ad audientiam 2. n.6. vers.Dicerem tamen de rescript.* Felin. *ibid.in princ. & in cap.Postulasti n.8.in eod.tit.* Caccialupus *de pension.q.30.n.3.* Mandos. *in Regul.Cancell.33. q.6.n.2.* Rebuff. *de pacific. possessor.n.114.* Gygas *de pension.q.28.n.11.* & alij communiter ex eo, quod verbum *Quodcumque ex c.solitæ benignitatis circa fin. de maiorit. & obed.* importet omnimodam generalitatem (in qua comprehenduntur etiam pensiones: quod etiam est verum in literis ad beneficia,

quæ

quæ tamen vt ambitiosæ strictam habent interpretationem.) Ergo, &c.

2 Confirmatur; quia incapaces beneficiorum sunt etiam incapaces pensionum. Nauarr. *consil.1. tit.a. de temporibus ordin.* Zerul. *in prax. Episc. p.1. verb. Irregularitas, §.8. & verb. Pensio, §.6.* Garzias *de benef. p.1. c.5. num. 121.* (qui subdit, quod hoc saltem sic verum secundùm Curiæ stylum, qui seruari debet. *c. Quamgrauis de crim. falsi.*) & alij communiter, quos sequitur Sanchez *de matrimonio lib.7. disp.44. n.9.*

COROLLARIVM VIII.

An filij hæreticorum pœnitentium, & ad fidem reuertentium, non priuetur beneficiis, nec reddantur inhabiles ad alia beneficia obtinenda; quamuis ipsorum parentes obierint ante peractam pœnitentiam, dummodo tamen essent parati ad illam recipiendam?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum pœnitentium, & ad fidem reuertentium filij non priuantur beneficiis, nec redduntur inhabiles ad alia beneficia obtinenda, quamuis ipsorum parentes obierint ante peractam pœnitentiam, dummodo tamen essent parati ad illam recipiendam ex ratione desumpta per Textum* in cap. statutum de hæreticis in 6. *& aliis iuribus.*

1 Habetur octauò, quod filij hæreticorum pœnitentium, & ad fidem reuertentium non priuantur beneficiis, nec redduntur inhabiles ad alia beneficia obtinenda; quamuis, &c.

Ratio desumitur *ex c. statutum de hær. in 6* Ibi: [Non autem illorum, quos emendatos esse constiterit, reincorporatos Ecclesiæ vnitati.] Et ex Constitutione Honorij IV. *Exhibita*, & ex altera Constitutione Alexandri IV. *Quod super* apud Peñam inter literas Apostolicas, Vbi idem etiam habetur: & docent Gloss. *in cit. cap. statutum verb. Reincorporatos, & verbo Parati*, Franchus *ibid. n.a.* Geminian. *in §. hoc sanè n.2.* & alij communiter Canonistæ, Royas *sing.66. n.3.* Surd. *consil.386. n. 14.* Butsat. *lib.1. consil.14. n.33.* Parisius *lib.4. consil.2. num.185.* Roland. *lib.3. consil.63. n.27.* Decian. *in tractat. crim. lib.5. c.45. n.5.* Carret. *tract. de hær. n.241.* Tolet. *lib.1. c.69. n.5.* Peña *in direct. Inquis. p.3. q.113 comment.162.* Gundisal. *de hær. q.23.* Cantera *in quæst. crim. rubr. de hær. c.1. n.11.* Ricciull. *lib.5. c.30. n.41.* & alij, quos sequitur Sanchez *lib.2. mor. c.27. n.26. & seqq.*

An autem neque priuentur beneficiis, neque alia s pœnas incurrant filij, & nepotes hæreticorum (si ipsorum parentes sint mortui quidem Catholici, fuerint tamen, tanquam relapsi in hæresim, combusti? Dicam *infrà dubit. seq. eiúsque Corollariis.*

COROLLARIVM IX.

An filij, & nepotes hæreticorum (si ipsorum parentes in hæresi decesserint) promoueri non possint ad sacros Ordines?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij, & nepotes si ipsorum parentes in hæresi decesserint, promoueri non possunt ad sacros Ordines, quia vel sunt infames, vel saltem ex alio capite sunt inhabiles ad officia, beneficia, & dignitates.*

2 *Idem dic de filiis, & nepotibus eorum, qui commiserunt crimen læsæ maiestatis humanæ.*

Habetur nonò, quod promoueri non possunt ad 1 Ordines sacros. Repertor. Inquisit. *verbo fily, vers. Item filij, & vers. Sed circa supradictos.* Surd. *consil.386. n.4.* Couarruu. *lib.2. var. c.8. n.6.* Maiolus *lib.5. de irregularit. c.46. n.5.* Royas *de hær. p.2. assert.42. n.337.* Salzedo *ad Diaz c.13. n.22.* & alij communiter.

Ratio; quia vel sunt infames (vt etiam tenet communis opinio) vel saltem ex alio capite sunt inhabiles ad officia, beneficia, & dignitates, vti dicebam *suprà in princ. dubit. præsentis.*

Idémque dicendum de filiis, & nepotibus eorum, qui 2 commiserunt crimen læsæ maiestatis humanæ; sic Doctores, quos sequitur Maiolus *vbi suprà c.47.* & Gygas *lib.3. tit. de pœnis*, quas filij incurrunt *q.12. n.1.*



DVBITATIO CLXXV.

An pœnis, quas dicebam *suprà Dubitatione* 173. & 174. afficiantur filij, & nepotes hæretici damnati in contumacia ob istam solam?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij in contumaciam damnatorum nullam pœnam illis propriam contrahunt, & proinde non sunt inhabiles ad beneficia, neque irregulares, neque infames, neque incapaces successionis; quia ficta confessio resultans ex contumacia non est delicti probatio vera, sed præscripta.*

2 *Criminis probatio orta ex contumacia non efficit probationem requisitam ad delictum praiudicans Tertio.*

3 *Sententia lata aduersùs aliquem præiudicat quidem heredi, si tamen non fuerit lata in contumaciam.*

4 *Sententia lata in contumaciam nunquam transit in rem iudicatam quoad pœnam corporalem.*

5 *Contumax, de quo loquimur, habetur pro hæretico, & condemnatur velut hæreticus; at non ideò sequitur, quòd filij dicti hæretici contumacis priuantur pœnis statutis contra filios veri hæretici, quia non est delicti probatio vera.*

6 *Doctrina prædicta procedit communiter in crimine læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ; non enim exceptio in contrarium reperitur in iure.*

7 *Confiscatio bonorum ob sententiam latam in contumaciam fit in præiudicium filiorum; ita tamen vt illa non sit pœna directè afficiens filios; sed indirectè cùm sit pœna propria ipsius contumacis.*

Respondetur, quod (quamuis affirment Decianus 1 *lib.7. c.41. n.33.* Peña *in direct. 3. p. q. 115 comment. 164. vers. Patre damnato*, Sanchez *lib.1. mor. c.27. n. 19.* & alij.) Probabiliùs tamen sit oppositum (quod docent Gygas *de crim. læsæ maiest. lib.3. tit. de pœnis* quas incurrunt filij *q.13. n.3.* Roland. *consil.19. n.31. lib.3.* & Farinacius *q.126. n. 180. & q 191 n.78.*) filios scilicet, & nepotes hæretici in contumaciam damnati nullam pœnâ

ipsa

ipsis propriam contrahere, ac proinde non esse inhabiles ad beneficia, neque irregulares, neque infames, neque incapaces successionis, etiam in sententia illorum, qui filios veri hæretici infames,& cuiuslibet successionis incapaces esse, contendunt.

Probatur; quia ficta confessio resultans ex contumacia non est delicti probatio vera,sed præsumpta:at delicti probatio præsumpta delinquenti solùm, non autem & hæredibus nocet; cùm nocumentum hæredibus ex delicto prædecessoris verò, non autem ficto prouenire debeat,sicuti constat ex Text.*in l.Eius qui delatorem,ff. de iur.fisc.*Ibi:[Eius,qui delatorem corrupit,ea conditio est,vt pro conuicto habeatur: sed enim hæc pœna magis,est, vt aduersùs ipsum locum habeat,qui delatorem redimit.Cæterùm aduersùs hæredem ipsum transire nõ debet.] Et tradunt Bart. *in l.cùm filiusfamilias num.4.de verb.oblig.*Felin.*in c.Cum Bertold.n.8.ff.de re iud.* Brun. *de statutis verb.Confessio, vers.An ficta confessio,* & Bossius *de delictis n.6.& tit.Banniti quid amittant n.19.*

2 Confirmatur; quia probatio criminis orta ex contumacia non efficit probationem requisitam ad delictum præiudicans tertio,ex text.*in l.finali C.de probat.& in l. sancimus C.de pœn.*& tradunt Bart.*in loc.suprà cit.*Dec. *consf.410.*& Natta *consf.540.n.29.vol 3.*

3 Confirmatur secundò; quia sententia lata aduersùs aliquem præiudicat quidem hæredi,si tamen non fuerit lata in contumaciam; quia tunc solùm contumaci, & nõ alteri præiudicat,vt habetur *in l.præses,C.de pignorib.* & tradunt Gygas *de crim.læs.maiest.tit.quomodo, & per quos q.1.n.35.* & complures alij, quos citat, & sequitur Farinac.*de delict.& pœn.lib.1.tit.3.q.24.n.176.*

4 Confirmatur 3. quia sententia lata in contumaciam nunquam transit in iudicatum, quoad pœnam corporalem;ita vt quandocumque hæreticus compareat,etiamsi eius statua combusta fuerit,audiri debeat,Gloss.*in c.excommunicamus 1.verb.condemnetur de hæret.* Simanch.*de Cathol.instit.lib.2.n.20.*Peña *3.p.direct comment.49.vers. Adueniente autem.* Sanchez ipse *lib.2.mor.c.27.n.18.* & alij passim; at iustum non est,vt innocentes puniantur ex sententia,quæ est in pendenti,& quæ potest reuocari: Ergo.

5 Obijcies ex Aduersariis: Contumax, de quo loquimur, habetur pro hæretico, & condemnatur velut hæreticus:*c.cum contumacia de hær.in 6.& c excommunicamus 1.§.qui autem de hær.*Item qui per annum in excõmunicatione perseuerat, pertinax præsumitur præsumptione iuris,& de iure,& damnatur,vt talis I.Andr.Geminian.& passim Canonistæ *in cit.c.cum contumacia*:ergo pœnæ,quæ ex hæretico in filios descendunt: in huius hæretici,de quo loquimur, damnatione in eiusdem filiis locum habent.

Respondetur: concedo Anteced. hæreticum scilicet condemnatũ ob solã contumaciam haberi pro confesso, & conuicto hæretico,& condemnari, tanquã pertinacẽ hæreticũ;at nego conseq.eius scilicet condemnationem alteri,præter ipsũ,præiudicare;quia non est delicti probatio vera,sed ficta,& potest reuocari,sicut *supr.*dicebã.

6 Instabis ex Sanchez *loc.supr.cit. n 19.* (cui fauere videntur Bart.*in l.2.§.his n.vnic.de bonis eor.*qui ante sententiam,Mascard.*de probat.conc.348.n.35.*& Royas *sing. 69.n.vnic.*)dicendo,doctrinam nostram communem nõ procedere in crimine læsæ maiestatis diuinæ,vel humanæ cũ tale crimẽ sit valde graue,& perniciosum:Ergo.

Respondetur:Nego Assumptum; quia talis exceptio nullo iure fundatur:& Bart.Mascard.& Royas loquuntur de bonorum amissionis pœna,quæ hæredi præiudicat non directè, sed indirectè; cùm hæc non sit pœna hæredis,sed contumacis,cui,cùm sublata sint bona, cessant transire ad hæredem.

7 Vrgebis:Bona huius hæretici,de quo loquimur,confiscantur in præiudicium filiorum:ergo & reliquæ pœnæ in eiusdem hæretici filiis locum habent.

Respondetur:Concedo Antecedens, confiscationem scilicet bonorum ob sententiam latam in contumaciam fieri in præiudicium filiorum; ita tamen vt illa non sit pœna directè afficiens filios, sed indirectè,cùm sit pœna propria ipsius contumacis; cui bona tolluntur, quibus sublatis, nihil est, quod transeat ad hæredes, sicuti *suprà* dicebam.

COROLLARIUM I.

Quidnam dicendum de filiis, & nepotibus hæreticorum, si ipsorum parentes sint quidem mortui Catholici,sed tamen,tanquam relapsi in hæresim, combusti fuerint?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij, & nepotes non priuantur beneficiis,neque incurrunt alias pœnas,si ipsorum parentes sint quidem mortui Catholici,sed tamen, tanquam relapsi in hæresim,combusti fuerint;quia dispositio* in c.2.§.hæretici de hær.in 6. *restringitur* in c.statutum suprà cit. *ad filios, & nepotes hæreticorum,qui non sunt emendati,neque sunt Ecclesiæ incorporati,contra plures oppositum sentientes.*

2 *Interpretatio benigna facienda est,cùm aliquis punitur propter aliorum delictum.*

3 *Hæretici,qui comburuntur eo quod relapsi fuerint in hæresim,etiamsi illam abiurent, præsumuntur decedere in hæresi, & illam abiurare solùm, ne viui comburantur, ex Auctoribus oppositæ sententiæ.*

4 *Hæretici tunc dicuntur incorporati Ecclesiæ, cùm per absolutionem solemnem,& iuridicam reincorporantur Ecclesiæ,& admittuntur ad pœnitentiam iuridicè adimplendam, & non traduntur brachio sæculari:quamuis enim isti relapsi sint ex sacramento Confessionis absoluti,talis tamen absolutio solùm facit,vt possint recipere sacramentum Eucharistiæ, & solùm prodest quoad forum internum.*

5 *Text.*in l.legem C. de nat.liber. *intelligi debet extra casum hæresis.*

6 *Sententia tamen superior negatiua, quod scilicet in tali casu non priuentur, auctori videtur probabilior.*

EX dictis sequitur primò,quod non priuentur beneficiis,neque incurrant alias pœnas filij, & nepotes hæreticorum, si ipsorum parentes sint quidem mortui Catholici;sed tamen,tanquam relapsi in hæresim,combusti fuerint; sicque quod tales filij, & nepotes hæreticorum relapsorum non incurrant pœnas impositas filiis hæreticorum. Dominicus *in c.statutum circa fin.de hær.in 6.* Geminian. *ibid.§.hoc sanè n.2.* Surd.*consf.346. n.24.* Alphonf Montal.*in l.Castellæ l.2.tit.26.p.7.versic. Est ergo conclusio.*Lupus *de hær.c.18.* Repertor.Inquisit. *verb.filij,§.nunc.* Henriq.*lib.14.de irregularit.c.5.num.4.* Tolet.*lib.1.c.69.n.4.* Cantera *in quæst.crim.* (Vbi subdit, quod ita decisum fuerit in Inquisitione Conchensi) Ricciull.*lib.5.c.30.n.30.*& alij(vt Nauarrus *c.27.n.205.* Valentia *tom.4 disp.7.q.19.punct.3. in 3.specie irregularitatis*) quatenus aiunt, quod tunc filij hæreticorum prædictas pœnas incurrant, quando ipsorum parentes in hæresi obierunt; quibus verbis innuere videntur, quod prædicti filij prædictas pœnas non incurrant, quando ipsorum parentes in hæresi non obierunt. 1

Ratio, quia (quamuis *in cap.2.§.hæretici de hæreticis in 6.* dicatur,quod filij,& nepotes hæreticorum afficiendi sint grauibus pœnis) tamen *in cap. statutum 2. de hæret.in 6.* restringitur id (quod *in dict.c 2.*decisum est)ad solos filios,& nepotes hæreticorum,qui non sunt emendati,neque sunt Ecclesiæ reincorporati; sed dicti parentes sunt iam emendati, & Ecclesiæ reincorporati.

Ergo pœnæ statutæ contra filios, & nepotes hæreticorum non extenduntur ad istos, quando ipsorum parentes in hæresim non decesserunt.

2 Confirmatur; quia *in l. legem Cod de natur. lib dicitur*, quod eum aliqui propter aliorum delictum puniuntur, facienda sit benigna interpretatio: ergò iuxta prædicta interpretanda erunt de filiis, & nepotibus hæreticorum in hæresi decedentium.

Quamuis contrarium, & quidem satis probabiliter, teneant Glossa *in c.2. statutum de haret.in 6.verb. Reincorporati*.Franchus *ibidem in fine*, Ioannes Andreas *circà finem*, Bursat *consil.289. n.16. & seqq.l 3.* (vbi subdit, quod ita decisum fuerit in Senatu Mantuano) Royas *tract.de heret. p.2. assert.42. n 338.* Locatus *in Iudicial. Inquis.verb. Filij n 6. & 7.* Paramus *de orig. S.Inquisit. l.3.q 9. n.209.* Suarez *tom.5.disput.43.sect.3.n.4.* Auila *de censur. pa.7. disput 4.dub.3.* Azor. *tom.1. l.8.c.13.q 8. in 8. heret. pœna, & tom.2.l.6. c.4.q.3.* Simanch *de Cathol. Institut. tit.29. n.17. & in Enchiridion tit.63. n.6.* 3 *& 7.* & alij moti ex eo; quia isti tales parentes præsumuntur decessisse in hæresi, & illam denegasse solùm, ne viui comburerentur: ergò, &

Ad rationem prioris contrariæ sententiæ respondent, negando consequentiam; quia dicti hæretici relapsi, & brachio sæculari traditi non sunt dicendi 4 (sicuti petit *dictum cap. statutum*) reincorporati Ecclesiæ; siquidem tunc hæretici dicuntur incorporati Ecclesiæ, cum per absolutionem solemnem, & iuridicam reincorporantur Ecclesiæ, & admittuntur ad pœnitentiam iuridicè adimplendam, & non traduntur brachio sæculari. Archidiaconus *in cap. Accusatus de heretic. num. 7.* Geminianus *in decimo capite statutum num 5.* & alij Canonistæ ibidem: At, quamuis isti relapsi sint in Sacramento Confessionis absoluti, talis tamen absolutio solùm facit, vt possint ij recipere Sacramentum Eucharistiæ; & solùm prodest quoad forum internum Glossa *in cap. super eo de heretic. in 6. verb.deneganda.* Io.Andreas *in d c. statutum circa finem.* Decian.*lib.5.c.56.n.7.* Param.*de orig.S.Inquisit.lib.5.q.9. n.159.* & alij, quos sequitur Azor. *tom.1.lib.8.c.14.q.7.*

5 Ad confirmationem verò respondent, quod dictum *in l.legem C. de natur. liber.* intelligendum sit, si simus extra casum hæresis: nam in casu hæresis fieri debet ea interpretatio, quæ fidei magis fauet. Gloss.*in c.Quicumque §.haretici verb.Beneficium de har.in 6.* Geminian. *ibid.n.2.* Abbas *in c.ad audientiam 2.de rescript.n.2.* Gygas *de pension.q.94.n 7.* & alij *ex l.omnes, § hareticorum C. de har.*

6 At adhuc tamen probabilius mihi videtur quod dicebam suprà; idque ob rationes dictas, ex quibus facilè respondetur ad rationes istas oppositas.

COROLLARIVM II.

Quidnam dicendum de filiis eorum, quorum statuæ combustæ sunt eo, quod vocati ab Inquisitoribus ad se defendendos de hæresi, de qua sunt suspecti non comparuerint?

SVMMARIVM.

1 *Filij eorum, quorum statua combusta sunt, eo quod vocati ab Inquisitoribus ad se defendendos de heresi, de qua sunt suspecti, non comparuerint, non incurrunt omnes pœnas, quas incurrunt filij hereticorum, qui propter veram heresim combusti sunt, si non pracedant plena, & concludentes probationes;*
2 *secùs autem, si pracedant: Pœna enim illius, qui pro conuicto habetur, transire non debet aduersùs haredem, contra plures oppositum sentientes ex te,*

quod Textus in l.eius qui de iur.fisc.*intelligatur, si simus extra casum criminis lasa maiestatis diuina, vel humana. Sed oppositum est probabilius.*

SEquitur secundò, quod neque tales filij incurrant omnes pœnas, quas incurrunt filij hæreticorum, qui propter veram hæresim combusti sunt. Gloss. *in cap.excommunicamus 1. §. Qui autem de har. verb.condemnetur*, 1
Archidiacon. *in c.statutum de her.in 6.n.1.* Io.Monach. *ibid.n.4.* Gygas *de crim.las maiest. lib 3.tit 1. de pœnis*, quas incurrunt filij *n 3.* (Vbi tamen subdit, id intelligendum esse, si non præcedant plenæ, & concludentes probationes, secùs verò, si præcedant plenæ, & concludentes probationes criminis.) Simancha *de Cathol. Institut.titul.2.num.10.& 21. & tit.14. circa finem.* Farinacius *de heres.q.191. §.2. num.68.* & alij, quos sequebar *suprà*.

Ratio; quia *in leg.Eius qui de iur.fisc.* dicitur, quod 2
pœna illius, qui pro conuicto habetur; transire non debeat aduersus ipsius hæredem: Estque iuxta doctrinam Bartoli *in l. Cùm filiusfamilias in principio, ff.de verb oblig.num.4.* Baldi *l.2.C.de edend.n.25.* & aliorum communiter.

Quamuis oppositum (& quidem etiam satis probabiliter) teneant Decianus *in tractat crimin. lib.7.c.41. num.35.* Peña *in director.Inquisit. part.3.comment. 64.* Molina *de iust. tom.3.part.1.disput.658. num.19.* & alij (quos referebam supra) moti ex eo, quia tales parentes reputantur tanquam de hæresis crimine conuicti, & tanquam hæretici pertinaces. Glossa *finalis in add.e. cap Cùm contumacia de hereticis in 6.* Geminian. *ibidem num.11.* Ioannes Andreas *in fin.* Franch.*n.2.* & alij Canonistæ. Et

Ad rationem prioris contrariæ sententiæ respondent, quod dictum *in l.eius qui de iur fisc.* intelligatur, si simus extra casum criminis læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ; quod & adnotauit (subdunt ipsi) idem Bart. *in l.2.§.si is n.vnic.ff.de bon.eor.* qui ante sententiam Royas *sing.69.n.vnic.* & Mascard.*de probat concl.348.n.35.*

At adhuc tamen probabilius etiam mihi videtur, quod dicebam *suprà*; idque ob rationes dictas, ex quibus etiam facile respondetur ad rationes oppositas.

DVBITATIO CLXXVI.

An beneficiorum, & officiorum priuatio, infamia, & reliquæ pœnæ filiorum propriæ (de quibus dixi *suprà Dubitatione 173. & 174.*) afficiant etiam filios natos, vel conceptos ante delictum parentum?

SVMMARIVM.

1 *Beneficiorum, & officiorum priuatio, infamia, & reliqua pœna filiorum propria prater confiscationem supradictam non afficiunt filios natos, vel conceptos ante delictum parentum; quia ij non dicuntur propriè, vel formaliter filij delinquentis contra plures Doctores contrarium sentientes, & contra Ceuall. qui sic sapè in Tribunalibus Hispania iudicatum esse testatur.*
2 *Filij patris deportati, quos ipse genuit ante deportationem, non dicuntur filij patris deportati, ita vt eius pœnas incurrant.*

3 *Filius*

3 *Filius Senatoris non dicitur is, cuius pater à Senatu amotus est antequam nasceretur.*

4 *Filij concepti ante seruitutem parentis, ob ipsius ingratitudinem contractam, non amittunt ius libertatis quæsitum.*

5 *Patres Concilij Toletani XIII. concedentes remissionem omnibus, qui in infidelitatem inciderant, ad eorum filios, qui post admissum scelus, nati esse produntur, priuilegium extenderunt, consequenter supposuere, filios natos ante dictum crimen remissione non indiguisse.*

6 *Delictum parentis quod non possit obesse filiis ante delictum genitis, probat S. Augustinus; quia filij iam in se ipsis sunt, & non in parente.*

7 *Filij ideò propter delictum parentis puniuntur; quia quodammodo sunt participes criminis parentis, & sunt eiusdem parentis audaciæ successores. Quæ ratio non verificatur nisi ex infecto parente nascantur.*

8 *Priuilegium nobilitatis parenti concessum, non extenditur ad filios ante priuilegij concessionem natos, sed solùm ad nascituros. Ergo multò magis id procedit in pœnalibus, in quibus non fit extensio, si fauores extendendi ad filios iam natos non extenduntur.*

9 *Filij, & nepotes Senatorum gaudent priuilegio, & dignitate parentum, si sint nati, vel concepti post adeptam dignitatem, non autem si ante.*

10 *Filiorum sub nomine absolute, & indistinctè pronunciatorum veniunt filij tam post delictum, quàm ante delictum nati, si non sit ratio in contrarium, secus si sit ratio in contrarium, vt est in casu nostro.*

11 *Leges fauorabiles, quæ sunt ampliandæ, non adaptantur in casu nostro; quia sumus in pœnalibus.*

12 *Filij parentum decedentium è vita, & consolationem ab hæreticis petentium, non admittuntur ad probandum, parentes in amentia fuisse, si ipsorum parentes priùs de hæresi diffamati fuerint; at non ideò filij nati ante delictum parentum pœnas incurrent; quia sumus in pœnalibus, vt dictum est.*

13 *Hæreticorum filij redduntur infames, quorum parentes tales esse, vel tales decessisse probatum fuerit; at non ita filij nati ante delictum parentum pœnas incurrent.*

14 *Filij reuelantes Inquisitoribus hæresim parentis, eique non consentientes, excusantur à pœnis; at non ideò filij nati ante delictum parentis pœnas incurrent.*

15 *Ratio quare pœna infamiæ priuationis beneficiorum, officiorum, &c. imponatur filiis, est in supplicium parentis, qui filiorum mala quam propria sentire consueuit; at ista ratio non est principalis.*

16 *Delinquentis punitio præcipuè attendi solet in imponendis pœnis primariis, quæ imponuntur ipsi delinquenti, non secundariis.*

17 *Filij quod puniantur propter patris delictum, ratio principalis licèt sit timor, ne ipsi mores parentis imitentur, & propterea ne ad hanc imitationem procedant, pœnis afficiantur: non tamen æquè principaliter id locum habet in filiis ante delictum natis.*

18 *Punitio delicti parentis est saltem vna ex rationibus filios puniendi; sed non magis principalis, siue primaria; sed minus principalis, & secundaria.*

19 *Lex quando pluribus rationibus in sua dispositione mouetur eius dispositio non cessat obligare, si illæ plures rationes sint æquè principales, & primariæ, non autem, si vna sit minus principalis, & secundaria.*

20 *Argumentum à pœnis statutis contra filios reorum læsæ maiestatis humanæ non extenduntur ad filios reorum læsæ maiestatis diuinæ; & nihilominus licèt nonnulli teneant indistinctè filios reorum læsæ maiestatis natos etiam ante delictum parentum contrahere pœnam infamiæ; attamen probabilius est etiam oppositum.*

21 *Text.* in c. Vergentis de hær. *probat solùm iustè puniri filios propter delictum parentum, non tamen exinde vult Legislator inferre, velle se filios etiam ante delictum parentum conceptos punire.*

22 *Pœnæ impositæ filiis hæreticorum non extenduntur ad filios conceptos ante delictum parentum, & ita ex supremis Principum Tribunalibus seruatur in praxi.*

Dixi, *& reliquæ pœnæ filiorum propriæ* vt excluderem ab hac dubitatione bonorum confiscationem, quæ (sicuti dubitatione præcedenti dicebam) non est pœna propria filiorum, sed parentum; vt proinde mirum non sit, in filios ante delictum parentum natos, vel conceptos huiusmodi pœnæ damnum resultare posse. Hoc supposito, 1

Respondetur, quod (quamuis satis probabiliter affirment Gabriel Quemada *q.* 24 *n.* 8. Claud. Aquensis *in l. si quis, ff. de iurisdict. omn. iudic. n.* 14. Bellapertica *in l. Nullus n. vnic. C. ad l. Iul. maiest.* Surd. *de alim. tit.* 1. *q.* 31. *circa fin.* Rota *in nouissimis volum.* 3. *lib.* 2. *p.* 3. *decis.* 114. Antonius Burgensis *in c. inter cæteras de rescript. n.* 7. *& seqq.* Decianus *in Practica lib.* 5. *c.* 45. *n.* 3. *vers. Amplia,* Castro *de leg. pœnal. lib.* 1. *c.* 7. *& lib.* 2. *de iust. hær. punit. c. vlt.* Gundisaluus *tract. de hær. q.* 23. *n.* 5. Gregorius Lopez *in l.* 2. *tit.* 2. *p.* 7. *verb. Sus hijos.* Garzias *de benef. c.* 10. *p.* 11. *n.* 78. Anton. Gomez *tom.* 3. *var. c.* 2. *n.* 16. Oralosa *de nobilit. p.* 4. *c.* 6. *n.* 8. Repertor. Inquisit. *verb filij vers. sed quæro.* Graffius *lib.* 2. *dec. c.* 11. Couarruu. *lib.* 2. *var. c.* 8. *n.* 5. Cantera *in quæst. crim. tit. de quæstionib. tangen. punit. delict. cap.* 1. *n.* 11. Menoch. *de præsumpt. lib.* 5. *præsumpt.* 33. *n.* 17. *& seqq.* Peña 3. *p. direct. comment.* 163. *vers. Omissi tamen,* Royas *de hær.* 2. *p. n.* 336. *& in sing.* 68. *n.* 3. Perez *lib.* 4. *ordin. tit.* 9. *l.* 3. qui sic testatur de praxi, Azor. *tom.* 1. *inst. mor. lib* 8. *c.* 13. *post quæst.* 8. Suarez *tom.* 5. *disp.* 43. *sect.* 3. *n.* 2. & Tolet. *lib.* 1. *c.* 69. *n.* 4.) Probabilius tamen negent Igneus *in l. finali, ff. ad Syllan. num.* 32. *& seqq.* Vgolinus *de irregularit. c.* 36. §. 1. *n.* 6. Clarus *in Practica crim.* §. *hæresis n.* 15. Simancha *de Cath. inst. tit.* 29. *n.* 22. *& seqq. & in Enchirid. tit.* 63. *n.* 10. *&* 11. Locat. *post iud. Inquisit. q.* 22. Rodriq. *in summ. tom.* 1. *c.* 129. *n.* 5. Patisius *lib.* 4. *consi.* 2. *n.* 183. Zauaglios *in commun. opinion. q.* 653. *n.* 14. Ananias *in c. Vergentis de hær. n.* 18. Tiraquellus *de iur. primogen. q.* 31. *n.* 4. Bursat. *vol.* 3. *cons.* 289. *n.* 8. Petrus Ledesma *tom.* 2. *summ. tract.* 1. *c.* 6. *concl.* 17. *difficult.* 1. Rora *dec.* 830. *n.* 8. *apud Seraphinum.* Bero. *in cap. Item cùm quis de restit. spol. n.* 43. Henriq. *lib.* 24. *cap.* 5. *n.* 4. Emmanuel Sà *verb. hæresis num.* 4. Nauarr. *cons.* 23. *de hær. lib.* 5. Calderin. *cons.* 3. *tit. de hær.* Molina *de iust. & iur. tom.* 3. 1. *p. disp.* 658. *n.* 22. Alter Molina *de primogen. lib.* 4. *c.* 11. *n.* 55. Ceuall. *in commun. opinion. q.* 653. *n.* 14. (Vbi ex Manuele 1. *tom. Summ. c.* 130. *n.* 5. Sic sæpè in Tribunalibus Hispaniæ iudicatum esse, testatur). & alij complures, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 2. *mor. c.* 27. *n.* 14.

Probatur; quia filij nati, vel concepti ante delictum parentis non dicuntur propriè, & formaliter filij delinquentis: ergo nec filij nati, vel concepti ante hæresim parentis dicentur propriè, & formaliter filij patris hæretici; ergo cùm pœnæ hæreticorum filiis impositæ sint ita graues, & afficiant innocentem, limitari debent ad filios, qui sint propriè, & formaliter filij delinquentis hæretici; non autem extendi ad illos, qui solùm sunt materialiter tales. Primum, & secundum consequens patent: antecedens probatur; quia filij patris deportati, quos ipse genuit ante deportationem, 2 non dicuntur filij patris deportati, vt eius filij eius pœnas incurrant, vt expressè habetur ex Textu *in l. ex facto, § ex facto, ff. ad Trebell.* Item non dicitur filius Senatoris, cuius pater à Senatu amotus est, antequam nasceretur (etiamsi simus in fauorabilibus, quæ ampliari debent) vt habetur ex Text. *in l. emancipatũ, ff. de Senatorib.* 3

quia (vt *ibid.* subditur) ad hanc denominationem tempus conceptionis spectari debet; & probatur cum Gloss. *in l. Imperialis, §. illud C. de nupt.* Tiraquell. *de primogen. q.* 31. *n.* 8. & alij passim. Ergo similiter & multò magis neque dici poterit propriè filius hæretici, cuius pater post illius generationem, vel conceptionem in hæresim incidit, cùm simus in pœnis, & odiosis, quæ restringi debent.

4 Secundò probatur, quia *in §. sed etsi instit. de ingenuis, in l. filium ff. de Senatorib. & in l. 2. C. de libert. & eor. liberis.* Filij concepti ante seruitutem parentis, ob ipsius ingratitudinem contractam, non amittunt ius libertatis quæsitum: ergo idem dicendum in casu nostro; cùm iam filiis hæreticorum ante delictum parentum natis, vel conceptis quæsitum similiter sit ius habilitatis ad officia, & beneficia.

5 Tertiò quia: cùm Patres Concilij Toletani XIII. c. 1. vellent omnibus, qui in infidelitatem inciderant, remissionem concedere, ad eorum filios priuilegium extendunt in his verbis: *Quod & de filiis eorum decernimus obseruandum, qui post admissum scelus nati esse produntur:* Ergo cùm nullam mentionem fecerint de filiis, qui ante delictum parentum nati essent, supponunt prædicti Patres illius Concilij, tales filios remissione non indigere, eo quod nullas pœnas incurrerint.

6 Quartò probatur; quia *in c. Non imputantur, & in c. iam itaque prima q. 4.* (quæ sunt Augustini) probat Augustinus, quod delictum parentis non possit obesse filiis ante delictum genitis, quia filij iam in se ipsis sunt, & non in parente: quæ ratio solùm comprehendit filios natos, & non nascituros.

7 Quintò probatur ex ratione decidendi Textus *in l. Quisquis C. ad l. Iul. maiest.* vbi redditur ratio puniendi filios propter delictum parentis; quia quodammodò sunt participes criminis parentis, & sunt eiusdem parentis audaciæ successores; at hæc ratio verificari non potest, nisi quatenus filij ab infecto parente originem trahunt: ergo solùm comprehendi possunt filij concepti post delictum, & non ante: quod est conforme ad id, quod docebat Augustinus *locis suprà cit.*

8 Sextò probatur; quia priuilegium nobilitatis parenti concessum non extenditur ad filios ante priuilegij concessionem natos, sed solùm ad filios nascituros: ergo idem à pari, quin à fortiori dici debebit in casu nostro. Consequentia patet; quia si filiis natis non communicatur priuilegium, & fauor Principis parenti concessum, multò minùs communicari debet pœna, qua idem parens punitur, cùm in pœnis facienda sit restrictio: in fauoribus autem ampliatio. Antecedens probatur; quia sic cauetur *in l. vlt. C. de decurionib. lib.* 10. Ibi: [Suæque posteritati, quam, postquam meruerit dignitatem, vel actum gesserit, ediderit, anterioribus filiis in conditione pristina remansuris.] Idémque cauetur *in l. si decurio eod. tit. & libro, & in l. filij vers. Senatores 9 c. ff. ad municipal.* Vbi expressè decernitur, filios, & nepotes Senatorum gaudere priuilegio, & dignitate parentum, si sint nati, vel concepti post adeptam dignitatem, non autem si ante. Et notant cum Gloss. *ibi*, Bart. *in l. 2. §. in filiis, ff. decurionib.* Couarruu. *lib. 2. var. cap.* 8. *n.* 5. *vers.* 3. & alij multi, quos citat, & sequitur Tiraquell. *tract. de nobilit. c.* 15. *n.* 9. *& in cit. tract. de iur. Primogen. q.* 1 r. *n.* 28.

Septimò probatur; quia *in § sed etsi inst. de ingenuis*, dicitur. [Si mater libera concepit, deinde facta ancilla pariat, placuit, eum, qui nascitur, liberum nasci, quia iam proli conceptæ erat acquisitum ius libertatis, quod non potest auferri per subsequentem matris calamitatem.] Ergo cùm etiam ante delictum parentum sit acquisitum ius proli, vt posset consequi officia, dignitates, & alia similia, non poterit tale ius illi auferri per sequentem patris calamitatem. Idem etiam colligitur *ex l. filiam de Senatoribus*. Ibi: [Nam quæsita dignitas laboris propter casum patris auferenda non est] & *ex l. Generali, ff. de rit. nupt.* Ibi: [Dignitas filiis quæsita propter crimen patris non est auferenda.] & *ex cap. non imputatur* 1. *q.* 4. Ibi: [Non imputantur filiis peccata parentum, quæ post eorum natiuitatem à parentibus committuntur.]

Confirmatur; quia filij ante parentum dignitatem concepti non gaudent honoribus parentum, *l. si decurio C. de decurionib. lib.* 10. Ergo multò minùs erunt puniendi propter delicta parentum post conceptionem filiorum commissa.

Confirmatur secundò; quia *in l. 2. C. de libertis, & eorum liber.* dicitur, quod liberti reduci possint in pristinam seruitutem ob ingratitudinem, & reduci possint etiam ipsorum filij: quod intelligit Textus de filiis natis post ingratitudinem. [Siquidem, inquit, illis delicta parentum non nocent, quos iam natos esse constiterit, dum libertate potirentur.

Confirmatur tertiò; quia *ex l. emancipatum, §. 1. ff. de Senatorib.* deducitur, quod filius non priuetur priuilegiis Senatoris filio concessis, si tempore conceptionis pater esset Senator, quamuis postea parens propter delictum amoueretur à dignitate Senatoris; & ratio est eadem, quam dicebam, quia scilicet, cùm iam filio esset acquisitum ius ad huiusmodi priuilegia, non est illis priuandus propter delictum parentis sequens: ergo pari ratione cùm iam similiter filio concepto ante delictum parentum acquisitum sit ius ad officia, dignitates, & alia similia, non debet propter delictum parentum sequens tali iure priuari.

Obiectiones.

Obiicies: *in c. Quicumque, §. Hæretici, c. statutum de hær. in 6. c. vergentis de hær. & in l. Quisquis, §. filij C. ad l. Iul. maiest.* cùm pœnæ imponuntur filiis hæreticorum, & reorum læsæ maiestatis humanæ, absolutè, & indistinctè pronunciantur filij; at sub nomine filiorum absolutè, & indistinctè pronunciatorum veniunt filij, tam post delictum, quam ante delictum nati (cùm vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debeamus, & cùm sermo indistinctè prolatus, indistinctè intelligendus sit, ex Textu *in l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præstandan l. de pretio, ff. de publican. in rem act. & in l. 3. ff. de offic. Præsid.*) Ergo. 10

Respondetur: Distinguo minorem, si non sit ratio in contrarium, concedo: si sit ratio in contrarium, vt est in casu nostro ex dictis, nego: vel alio modo distinguo minorem (sub nomine scilicet filiorum absolutè, & indistinctè pronunciatorum veniunt filij, tam post delictum, quàm ante delictum nati) impropriè, & materialiter, concedo: propriè, & formaliter (quod solùm in pœnis, & in odiosis, vtpote restringendis, attendi debet) nego.

Instabis: In multis iuribus, vt in citatis, & aliis, vniuersaliter absolutè, indistinctè, & indefinitè dicitur, quod hæreticorum filij puniendi sint pœnis iure statutis; at quando Canones & Leges indefinitè regulam tradunt, perinde est, ac si vniuersaliter aliquid præciperent, vel prohiberent. Gloss. *in c. vt circa verb. aliorum de elect. in 6.* Franch. *ibid. n.* 4. Decian. *n.* 4. & alij Canonistæ, & Couarruu. *lib.* 1 *var. c.* 13 *n.* 8. Et ratio est; quia lex fertur in omnes, & Legislator legem ferendo censetur eam velle ferre in omnes: ergo, cùm in iuribus citatis indefinitè imponantur pœnæ filiis hæreticorum, eæ intelligendæ sunt de omnibus filiis, etiam scilicet ante parentum delicta iam natis.

Respondetur iuxta ea, quæ suprà dicebam, pœnas statutas in iuribus contra filios hæreticorum intelligendas esse de iis filiis, qui sunt propriè, & formaliter filij hæreticorum; at filij ante hæresim paternam nati solùm sunt materialiter filij hæreticorum.

Respondetur secundò, etiam iuxta ea, quæ suprà dicebam, iura indistinctè loquentia regulariter intelligenda esse vniuersaliter; at id non est verum, quando iura indefinitè loquentia limitantur per alia iura, sicuti est in

casu

casu nostro; quia de facto pœnæ indefinitæ impositæ filiis hæreticorum sunt iam limitatæ per alia iura suprà relata, cùm alia iura suprà relata solùm intelligenda sint de filiis formaliter hæreticorum, vti dicebam.

11 Obiicies secundò: *in l. Senatoris filium, ff. de Senatoribus*, dicitur filius Senatoris, siue illum pater in dignitate senatoria susceperit, siue ante: & *in c. Inter cæteras de rescript.* dicitur filius Sacerdotis, etiamsi susceptus fuerit ante patris sacerdotium, ergo similiter dici poterit filius hæretici, etiam si susceptus fuerit ante patris hæresim, vt proinde comprehensus sit sub statuto puniente filios hæreticorum.

Respondetur: Transeat antecedens; at nego consequentiam; & disparitas est, quia ibi sumus in fauoribus, qui debent ampliari: in casu autem nostro sumus in pœnis, & odiis, quæ debent restringi. Vel distinguo antecedens (filius scilicet natus ante parentis dignitatem senatoriam, dicitur filius Senatoris, & filius natus ante parentis sacerdotium dicatur filius Sacerdotis) impropriè, & materialiter (quod in fauoribus, vtpote ampliandis locum habere potest) concedo: propriè, & formaliter (quod solùm in pœnis, & odiis, vtpote restringendis, locum habere debet propter rationes, quas suprà afferebam pro firmanda nostra sententia) nego.

12 Obiicies tertiò: *In c. filij de hær. in* 6. Filij parentum decedentium è vita, & consolationem ab hæreticis petentium, non admittuntur ad probandum, parentes in amentia fuisse, si priùs ipsorum parentes de hæresi diffamati fuerint: ergo etiam filij, nati ante delictum parernum, pœnas incurrunt; cùm Textus ibi non distinguat an nati sint ante delictum, vel post delictum parentis.

Respondetur: Nego consequentiam, & ad probationem Responsio patet ex dictis.

13 Obiicies quartò: *In cap. statutum eod. tit. in* 6. redduntur infames hæreticorum filij, quorum parentes tales esse, vel tales decessisse, probatum fuerit: ergo & iam filij nati ante delictum paternum pœnas incurrunt; consequentia probatur; quia si non comprehenderentur ibi in tali casu filij nati ante delictum parentis deberet Textus ad filios puniendos requirere, non solùm parentem notoriè hæreticum decessisse, sed etiam hæresim ante filiorum natiuitatem commisisse: quod tamen posteriùs Textus non requirit, sed solùm requirit priùs, parentem scilicet notoriè hæreticum decessisse.

Respondetur: Nego etiam consequentiam; & ad probationem (quod scilicet Textus non requirat illud posteriùs) respondeo distinguendo: non requirit implicitè (ob rationes scilicet suprà adductas pro firmanda nostra sententia) nego: non requirit explicitè (illud scilicet omittendo, tanquam quid explicatu non necessarium, ob easdem rationes iam *suprà* dictas) concedo.

Instabis: *In cap. statutum 2. vers. hoc sane de hær. in* 6. dicitur: [Hoc sanè de filiis, & nepotibus hæreticorum credentium, & aliorum huiusmodi, qui tales esse, vel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur.] At hoc non potest intelligi de filiis conceptis postea (cùm parentes post mortem non possint filios generare. Ergo intelligitur de filiis conceptis ante.

Respondetur: Nego consequentiam; quia solùm in eo capite statuitur, quod pœna ibi statuta non comprehendat filios hæreticorum, si parentes decidant reconciliati Ecclesiæ, comprehendat verò prædictos filios, si prædicti parentes non fuerint reconciliati Ecclesiæ: quapropter (cùm possent tempore mortis hæretici parentis superesse filij) ideò statuitur, quod tales filij, etiam concepti post delictum parentis non afficiantur pœnis in iure statutis, patre reconciliato Ecclesiæ, afficiantur tamen, illo non reconciliato.

14 Obiicies quintò: In Constitutione Frederici, quæ incipit *commissi, vers. nec quidem*, apud Peñam inter literas Apostolicas (quæ à variis Pontificibus, & præcipuè ab Innocentio IV. *in sua octaua Constitutione in ordine nona* est confirmata; & docent Peña *2. p. director. comment. 15. ad c. literas de præsumptionib. vers. hoc addiderim.* Royas *sing. 12. n. 5.* Simanch. *de cathol. instit. 29. n. 46.* Farinac. *q. 191. n. 37.* & Sanchez *lib. 2 mor. cap. 27. n. 30.*) Filij reuelantes Inquisitoribus hæresim parentis, eique non consentientes, excusantur à pœnis: ergo etiam filij nati ante delictum paternum pœnas incurrunt. Consequentia probatur; quia ad hanc reuelationem faciendam necessariò supponuntur filij nati. Ergo etiam & supponuntur nati ante delictum, vt sic delictum parentis possint dissimulare: quia filij non reuelantes, sed parentis hæresim dissimulantes hanc pœnam contrahunt; neque ibi excipiuntur, an nati fuerint ante delictum, vel post delictum.

Respondetur: Nego consequentiam; & ad probationem respondeo similiter negando consequentiam: non enim excipiuntur, an nati fuerint ante delictum, vel post delictum, sed id omittitur, vt quid explicatu non necessarium, sicuti *suprà* dicebam.

Instabis: Innocentius IV. *in dicta sua octaua Constitutione* vult, quod propter delictum parentum non reddantur inhabiles ad officia, & beneficia filij, qui delictum parentum reuelarunt: at hoc non potest intelligi, nisi de filiis natis ante delictum parentum: Ergo.

Respondetur: Nego minorem; quia rectè intelligi potest de filiis conceptis post hæresim parentum siquidem grandiores effecti poterunt illam agnoscere, & Inquisitoribus denunciare.

Obiicies sextò: Ratio, quare pœna infamiæ, priuationis beneficiorum, officiorum, &c. imponatur filiis, est in supplicium parentis (qui filiorum mala grauiùs, quàm propria, sentire consueuit) vt sic scilicet punitus à delicto magis auertatur. Gloss. *in Extrauag. unic. Ioannis XXII. §. filij eius de pœnis*, Menoch. *de præsumpt. lib. 5. præsumpt. 33. n.* 8. Castro *lib. 1. c. 7. de potestate legis pœnalis coroll. 1.* & alij, quos refert Sanchez *lib. 2. moral. c. 27. n.* 8. Sed hæc ratio procedit etiam in filiis natis ante delictum (cùm parens vtrosque æquè diligat, & illorum mala sentiat.) Ergo. 15

Respondetur: distinguo maiorem (Ratio scilicet, quare pœna infamiæ, &c. imponatur filiis, est in supplicium parentis) Ratio non principalis, concedo; Ratio principalis, nego: cùm ratio principalis sit, iuxta Text. *in cit. l. Quisquis, §. filij, ff. ad l. Iul. maiest.* Ne filij mores parentis imitentur. Ibi: [In quibus paterni, hoc est hæreditarij criminis exempla metuuntur.] Qui timor in filiis ante delictum conceptis, vtpote conceptis ex sanguine puro, & non infecto per delictum parentis, non videtur, saltem æquè principaliter, locum habere.

Instabis: Quod præcipuè attendi solet in pœnis imponendis est delinquentis punitio: Ergo dicendum est, quod parentis punitio sit ratio principalis. 16

Respondetur: distinguo antecedens: In imponendis pœnis primariis, quæ imponuntur ipsi delinquenti, concedo: In imponendis pœnis secundariis, quæ imponuntur filiis delinquentis, nego.

Reinstabis: Esto ratio principalis sit timor, ne filij mores parentis imitentur: & propterea filij ne ad hanc imitationem procedant, pœnis afficiantur; adhuc in filiis ante delictum natis id locum habet: ergo recurrit difficultas. Consequentia probatur; quia timor hic procedit ex naturali amore, quem filij habent erga parentem, quo amore ad eius imitationem trahuntur; sed hic naturalis amor locum habet in filiis, etiamsi ante parentis delictum fuerint nati: Ergo 17

Respondetur: distinguo antecedens, (quoad ly *adhuc in filiis* ante delictum natis locum habet) æquè principaliter, nego; non æquè principaliter, concedo: & ad probationem respondeo similiter, quod timor hic procedit quidem ex naturali amore, quem filij habent erga parentem, non tamen primariò, & principaliter, sed secundariò, & minùs principaliter; cum primariò, & principaliter procedat iuxtà *citatam l. quisquis* ex eo quod filij descendant non ex sanguine infecto per delictum parentis.

Vrgebis: punitio delicti parentis est saltem vna ex 18

rationibus filios puniendi; sed quando lex pluribus rationibus in sua dispositione mouetur, eius dispositio non cessat obligare, esto in aliquo casu cesset aliqua ratio ex illis pluribus, quibus lex prædicta mouetur, ergò neque in præsenti cessat dispositio pœnarum in filios, eo quod ante parentis delictum nati sint, etiamsi timor paterni delicti imitationis cesset; præcipue cum hæc ratio dici non possit cessare, sed ad summum non ita efficaciter procedere in filiis natis ante delictum, sicuti procedit in filiis natis post delictum.

Respondetur: distinguo maiorem (punitio scilicet delicti parentis est saltem vna ex rationibus filios puniendi) est saltèm vna magis principalij, seu primaria; nego est saltèm vna minùs principalis, seu secundaria, concedo; similiter distinguo minorem (sed quando scilicet lex pluribus rationibus in sua dispositione mouetur, eius dispositio non cessat obligare; esto, &c.) si illæ plures rationes sint æquè principales, & primariæ, concedo: si vna sit magis principalis, seu primaria, altera verò minùs principalis, seu secundaria; subdistinguo: si cesset ratio minùs principalis, seu secundaria, concedo minorem: si cesset ratio magis principalis, seu primaria (vt est in casu nostro de filiis antè delictum natis, & sic per consequentiam à puro sanguine, & non infecto per delictum parentis procedentibus) nego minorem.

20 Obiicies septimò, ergo idem dicendum esset de filiis committentium crimen læsæ maiestatis humanæ; quod scilicet & hi etiam filij pœnas non incurrant, si nati fuerint ante delictum parentis ob easdem rationes, quæ supra dicebantur.

Respondetur: transeat totum (*quod infra dubitatione* 178. clariùs apparebit, & concedunt complures ex Aduersariis ipsis) non solùm de iure communi, sed etiam de iure regio Castellæ *ob leg. 6. ad finem tit.* 27. *part.* 2. (quæ loquitur in omnibus rebus; vnde refellitur Gregorius Lopez, quatenus ibi ait, quod Textus loquatur de pœna exilij, non autem de pœna infamiæ, & incapacitatis successionis; cum re vera loquatur de omnibus pœnis, sicuti dicebam, & rectè notauit Molina *lib. 4 de primog cap.* 11. *num.* 56.) *& ob l. finalem tit.* 32 *part.* 7. *& ob l.* 3. *tit.* 9. *lib.* 4. *ordin.* quæ hodie est lex tertia *tit.* 8. *lib.* 9. quæ satis clare filios solùm natos post delictum paternum in pœnis ob crimen læsæ maiestatis humanæ comprehendunt.

Neque obstat *l.* 2. *tit.* 2. *part.* 6. vbi Gregorius Lopez, ex signo vniuersali, quo prædicta lex vtitur ait, omnes filios, tam natos, quam nascituros comprehendi; quia illa verba intelligi debent iuxta citatam *l.* 6. *tit.* 27. *p.* 2. vt scilicet comprehendat omnes filios, siue legitimos, siue illegitimos, siue existentes sub patria potestate, siue non existentes, sed emancipatus: dummodò tamen nati sint post delictum parentis, vti *supra* dicebam.

21 Obiicies octauò: *In cap. vergentis de hæretic.* affertur ratio, cur isti puniantur filij propter delictum parentum (quia scilicet secundum Iudicium diuinum filij propter parentes puniuntur, ad hæc vt sic homines magis deterreantur à delictis committendis) & ex alio capite interdùm à Deo puniuntur propter delictum parentum filij (etiam geniti ante tale delictum) ergo.

Respondetur: concedo priorem, & posteriorem partem antecedentis; at nego consequentiam; quia ratio, quæ ibi affertur, est solùm ad probandum, iustè puniri filios propter delictum parentum, non tamen exindè vult legislator inferre, velle se filios (etiam ante delictum parentum conceptos) punire similiter, sicut interdùm facit Deus; quia Deus, cùm sit Dominus absolutus, potest plus punire, quam Reipublicæ Princeps; quin & potest filios quoscumque propter delictum parentum etiam vita priuare: quod non potest Reipublicæ Princeps. Vt omittam, quod si id inferre vellet Legislator, sequeretur, quod propter delictum parentum filios, ante delictum parentum conceptos, non puniret interdùm, vt facit Deus, sed semper in omni casu; cum sic legem constituerit.

Obiicies nonò, praxis est, quod pœnæ impositæ filiis hæreticorum extendantur etiam ad filios conceptos ante delictum parentum, vti testatur Peña *part.* 3. *director. comment.* 163. & Royas *de hæretic. part.* 2. *num.* 356. sed praxis, & seu consuetudo est optima legis interpres *l. de interpretat. ff. de legib.* Ergò. 22

Respondetur: Nego maiorem; quia contrarium docent Doctores nostræ opinionis; vnde præter alios Rodriquez *tom.* 1. *summa cap.* 130. *n.* 5. testatur, quod sæpe sæpiùs in supremorum Principum Tribunalibus à iudicibus lata sententia sit iuxta nostram opinionem.

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1 *Hæreticorum filij non trahunt pœnas statutas contra ipsos, quamuis geniti sint post delictum parentum, si paternam hæresim reuelauerint Inquisitoribus.*

2 *Neque contrahunt prædictas pœnas, quando ipsorum parens non fuit condemnatus tanquam hæreticus, sed solùm tanquam de hæresi suspectus.*

3 *Neque quando ipsorum parens rediit ad fidem, & fuit Ecclesiæ reconciliatus.*

4 *Neque quando ipsorum parens est de locis, & in locis hæreticorum.*

5 *Iura punientia filios propter hæresim, vel aliquod aliud delictum parentum, intelligenda sunt de iis filiis, qui propriè, & formaliter sunt filij hæreticorum, vel aliorum delinquentium, & non de iis, qui sunt filij talium personarum solùm impropriè, & materialiter; quia sumus in odiosis, &c.*

6 *Hæreticorum filij, vel aliorum delinquentium ante parentum delictum conceptorum, quod non sint formaliter, sed solùm materialiter filij hæreticorum, vel aliorum delinquentium patet ex Iuribus.*

7 *Senatoris filius vt quis dicatur, spectandum est tempus conceptionis, itaue siquis fuerit conceptus eo tempore, quo ipsius pater erat Senator, dicatur filius Senatoris; secùs si conceptus fuerit alio tempore.*

8 *Filius genitus ante delictum parentis non dicitur propriè, & formaliter filius delinquentis, sed impropriè, & materialiter, scilicet filius hominis, qui postea delictum commisit.*

9 *Filij geniti priusquam ipsorum Pater ascenderet ad Ordinem Sacerdotalem, dicuntur filij Sacerdotis impropriè, & materialiter, non autem propriè, & formaliter. Neque est eadem ratio; quia nos loquimur in pœnalibus, & Textus, vocantes supradictos filios Sacerdotis, loquuntur tantum ad excludendos eos à beneficiis obtinendis in Ecclesiis, vbi sunt eorum Patres promoti.*

EX dictis habetur primò, quod pœnas statutas contra filios hæreticorum non contrahant filij (quamuis essent geniti post delictum parentum) si paternam hæresim reuelauerint Inquisitoribus: quod & patet etiam *ex c. vt Inquisitionis de hær. in* 8. *& ex Constitutione Frederici Imperatoris* (quæ incipit *Commissi*) apud Peñam inter literas Apostolicas; & probatur à Tabiena *verb. hæreticus n.* 6. ab Armilla *verb. hæresis n.* 5. ab Afflicto *in constitutionib. Regni ac hæreticis rubr.* 2. *n.* 51. à Simancha *de Cathol. instit. tit.* 29. *n.* 46. *& seqq.* à Castro *lib.* 2. *de iust. hær. pun. c.* 26. à Peña *in direct. Inquisit. p.* 2. *c.* 14. *comm.* 15. *& p.* 3. *comm.* 164. à Ioanne Royas *sing.* 12. *n.* 5. à Sanchez *lib.* 2. *mor. c.* 27. *n.* 50. & ab aliis passim. 1

Habetur

2 Habetur secundò, quod prædictas pœnas neque contrahant Filij, quando ipsorum parens non fuit condemnatus tanquam hæreticus, sed solùm tanquam de hæresi suspectus. Repertor. Inquisit. *verb. item in ipsos filios* Zanchinus *tract. de haret. c. 28. num. 3.* Decianus *in tractat. crim. lib. 5. cap. 31. numero* 802. & alij communiter.

3 Habetur tertiò; quod prædictas pœnas neque contrahant filij, quando ipsorum parens redit ad fidem, & fuit Ecclesiæ reconciliatus. Ostiensis *in summa Rubrica de haret. §. deprehendantur n. 3.* Nauarrus *consil. 23. de heretic. n. 4.* (subdens, id est verum, quamuis in articulo mortis redierit ad fidem) Azor. *in summa Rubrica de har. num. 5.* & alij complures *ex dicto cap. 2. statutum de haret. in 6.*

4 Habetur quartò, quod prædictas pœnas neque contrahant filij, quando ipsorum parens est de locis, & in locis hæreticorum. Henriquez *l. 14. c. 5. n. 4.* Emmanuel *Sà verb. haresis n. 4.* & alij quos sequitur Sanchez *lib. 2. moral. c. 27 num. 28.*

5 Habetur quintò, quod quando iura puniunt filios propter hæresim, vel aliquod aliud delictum parentum, intelligenda sint de iis filiis, qui propriè, & formaliter sunt filij hæreticorum, vel aliorum delinquentium, & non etiam de iis filiis, qui sunt filij talium personarum, solùm impropriè, & materialiter: Ratio; quia (sicuti supra dicebam, ista iura, cùm sint quammaximè rigida, debent (quatenus commodè fieri poterit) strictè intelligi, itavt de prædictis filiis propriè, & formaliter solùm intelligantur; sic Doctores, quos in principio dubitationis citabam; & videri præcipuè poterit Rolandus *volum. 3. consilio 74. n. 6.*

6 Quod verò filij hæreticorum, vel aliorum delinquentium, ante parentum delictum concepti, non sint formaliter, sed solùm materialiter filij hæreticorum, vel aliorum delinquentium, patet *ex l. emancipatum*
7 *ff. de Senatoribus*, vbi dicitur, quod ad hoc, vt quis dicatur filius Senatoris, sit spectandum tempus conceptionis; itavt si quis fuerit conceptus eo tempore, quo ipsius pater erat Senator, dicatur filius Senatoris; si verò post tempus, quo pater a Senatoris dignitate fuit amotus, non dicatur filius Senatoris: Ergò similiter ad hoc, vt quis dicatur formaliter, & propriè filius hominis hæretici, vel delinquentis, est spectandum tempus conceptionis; itavt si fuerit conceptus tempore quo ipsius pater erat hæreticus, vel delinquens, sit formaliter, & propriè filius hominis hæretici, vel delinquentis, si verò fuerit conceptus, priusquam fieret hæreticus, vel delinquens, dicatur solùm materialiter,
8 & impropriè filius hæretici, vel delinquentis, scilicet hominis, qui post conceptionem filij incidit in hæresim, vel in aliquod aliud delictum. Patet secundò *ex l. Ex facto ff. ad Trebellian.* Vbi dicitur, quod filius genitus ante delictum parentis non dicatur propriè, & formaliter filius delinquentis, sed impropriè, & materialiter, scilicet filius hominis, qui postea delictum commisit. Vide Doctores, quos in citato principio dubitationis citabam; & videri præcipuè poterit Bartolus *in l. Senator Cod. dignit. l. 12. num. 1.* qui in terminis nostræ distinctionis ait, quod filij concepti, priusquam ipsorum pater esset Senator, non dicantur propriè, & formaliter, sed solùm impropriè, & materialiter filij Senatoris: Ergò similiter filij concepti, priusquam ipsorum pater esset hæreticus, non dicentur propriè, & formaliter, sed solùm impropriè, & materialiter filij hæreticorum.

9 Non obstat, quod *in cap. inter cateras de rescript.* Filij geniti, priusquam ipsorum pater ascenderet ad Ordinem Sacerdotalem, dicantur filij Sacerdotis (quales etiam dicuntur *in cap. ad extirpandas de filij Presbiter.*) ergò similiter filij geniti, priusquam ipsorum pater commiserit delictum hæresis, dicentur filij hæreticorum.

Respondetur enim, quod *in dictis cap. inter cateras,* prædicti filij dicantur filij Sacerdotis impropriè, & materialiter, non autem propriè, & formaliter propter rationes iam dictas; illud verò, quod habetur *in decimo cap. ad extirpandas*, neque est contra nos; quia ibi non agitur de pœna aliqua inferenda filiis Sacerdotis (in quo casu pœna esset strictè interpretanda) sed solùm disponitur, ne beneficia in Ecclesia patri collata, conferantur filiis; itavt filij successione quadam viderentur eadem beneficia habere; sed in casu nostro (cum agatur de pœnis grauissimis in iure statutis contra filios hæreticorum, & aliorum delinquentium) prædicta iura, tanquam nimis rigida, & exorbitantia, strictè explicari debebunt, vti suprà dicebam. Vt omittam, quod *in eodem cap. ad extirpandas*, mentio fiat de filiis genitis ante, & post Sacerdotium patris; fit enim ibi prohibitio, quod beneficia nec genitis ante, nec genitis post filiis conferantur propter rationem iam dictam: Quapropter, si Textus non fecisset expressam mentionem de filiis genitis ante Sacerdotium patris, ex vi illius Textus filij concepti ante Sacerdotium patris non videbantur in illa prohibitione includi; sicque vt in eadem prohibitione includerentur, expresè Textus mentionem fecit de filiis etiam genitis ante Sacerdotium patris, & sic retorquetur potiùs argumentum contra Aduersarios.



DVBITATIO CLXXVII.

Quasnam pœnas incurrant filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ?

SVMMARIVM.

1 *Filij committentium crimen lasa maiestatis humana, non solùm primò priuantur hareditate, & successione parentum; sed etiam successione aliorum Consanguineorum, quin & Extraneorum.*

2 *Filij reorum lasa maiestatis plus puniuntur, quàm filij hareticorum: Mitiùs enim in puniendis delictis procedit Ecclesia, quàm Respublica secularis, cum filij hareticorum secundùm probabiliorem sententiam non priuentur successione ex testamento, vel abintestato Ascendentibus, Consanguineis, & Extraneis Catholicis.*

3 *Filius patris rei lasa maiestatis humana si tempore, quo crimen pater commisit, hareditas matris, vel auia sit filio delata, etiam si illius possessionem nondum apprehenderit, non est ea priuandus; quia habet ad illam ius quesitum.*

4 *Filia famina non priuantur legitima in bonis maternis; sed illam in illis bonis consequuntur, non secùs ac si pater delictum non commisisset.*

5 *Quarta pars bonorum olim erat legitima; quapropter si alicubi est maior, ea famina non priuantur; sicut v. g. in Regno Castella.*

6 *Filia faminea etiam de bonis parentis condemnati dotari debent.*

7 *Filia famina successione solùm Parentis condemnati priuantur eo quod bona illius sunt addicta fisco; non autem priuantur etiam successione aliorum Consanguineorum, vel Extraneorum.*

8 *Filij Reorum lasa maiestatis humana (& idem dic de filiis Reorum lasa maiestatis diuina) licet priuentur successione, non tamen priuantur donatione inter viuos.*

9 *Ratio, que exprimitur* in l. quisquis Cod. ad leg. Iuliam maiest. *quamuis militet in donatione inter viuos ac in successione, non tamen hinc sequitur,* vt

vt dispositio supradictæ legis ad donationem extendi debeat; quia cum sit lex summe pœnalis, & odiosa, non debet ex identitate rationis extendi de casu ad casum.

10 *Filij prædictorum Reorum quod non gaudeant donationibus prædictis non potest argui ex verbis Textus citati, (videlicet sint perpetuò pauperes & egentes) quia, cùm hoc non constet clarè, & sit sub dubio, non debemus in dubio quoad materiam pœnalem verba legis extendere.*

11 *Filij Reorum læsæ maiestatis licet non priuentur donatione inter viuos; Priuantur tamen donatione causa mortis, cùm hæc sapiat naturam vltimæ voluntatis.*

12 *Filij Reorum læsæ maiestatis humanæ secundò concurrunt in pœnam infamiæ, quam non incurrunt filij hæreticorum.*

13 *Infamia prædicta pœna vt in casu nostro locum habeat, requiritur delictum ita esse notorium, vt nulla tergiuersatione celari possit, quin ex probabili sententia aliorum sit notorium per sententiam iudicis.*

14 *Filij Reorum læsæ maiestatis humanæ non possunt ad sacros Ordines, nec ad Ecclesiasticas dignitates promoueri: non præcise ex lege ciuili, sed ex lege Ecclesiastica, quæ cuilibet homini infami imponit irregularitatem.*

15 *Filiæ fœminæ excusantur ab hac pœna infamiæ, quia in iure quoad hanc pœnam non exprimuntur.*

16 *Sub hac pœna infamiæ plures aliæ comprehenduntur.*

1 RESPONDETVR (vnde & patebit, quod in puniendis delictis minùs procedat Ecclesia, quàm Respublica sæcularis) prima est, quod tales filij non solùm priuantur successione parentum, sed etiam successione aliorum consanguineorum, quin & extraneorum etiam ex Textu *in l. quisquis, §. filij quod Cod. ad leg. Iul. maiest.* Ibi: [filij cuis, quibus vitam Imperatoria specialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est, hæreditatij criminis exempla metuuntur) à paterna, vel auita, omnium etiam proximorum hæreditate, ac successione habeantur alieni, & ex testamentis extraneorum nihil capiant; sint perpetuò egentes, & pauperes.] Ex verbis cuius Textus
2 satis constat; quod tales filij plus puniantur, quam filij hæreticorum; quod & notarunt Menoch *consil. 175. num. 2. lib. 3.* Decianus *tract. crim. l. 7. c. 31. num. 2.* Antonius Gomez *de delict. c. 2. n. 13.* Farinacius *de crim. læsæ maiest. q. 116 num 75.* & alij, quos sequitur Sanchez *l. 2. c. 19. n. 13.* cùm filij hæreticorum secundùm probabiliorem sententiam, quam suprà suo loco dicebam, non priuentur succedere ex testamento, vel ab intestato ascendentibus, consanguineis, & extraneis Catholicis.

3 Aduerte tamen, quod si tempore, quo pater crimen commisit, hæreditas matris, vel auiæ, sit filio delata (etiamsi illius possessionem nondum apprehenderit) non sit illa ille propter crimen parentis priuandus; quia habet ad illam ius quæsitum: At filius propter crimen parentis iure quæsito non priuatur. Grammatic. *decis. 6. n. 13.* & alij complures, quos citat, & sequitur Farinac. *de crim. læs. maiest. q. 116. num. 110.* ex Textu *in l. 2. ff. de interdict. & relegat.* Ergò.

4 Aduerte secundò, quod filiæ fœminæ non priuentur legitima in bonis maternis, sed illam in illis bonis consequantur, non secùs, ac si pater delictum non commisisset. Peregrin. *de Iur. fisc. l. 3 tit. 9. num 8.* Decianus *tract. crim. l. 7. c. 41. num. 15.* Gomez *tom. 3. var. c. 1. num. 13.* & alij complures, quos refert & sequitur Farinac. *q. 116. num 94.* & habetur expressè *in cit. l. quisquis, §. ad filios Cod. ad leg. Iul. maiest.* & redditur ibi ratio huius specialis fauoris; quia [filiæ propter sexus infirmitatem minùs ausuræ creduntur, quàm masculi.]

Dixi, quod *filiæ fœminæ non priuentur legitima in bonis maternis, sed illam in illis bonis consequantur*; quia licet *in dict. l. quisquis* solum quarta bonorum maternorum pars filiabus concedatur, illud est, quia sola illa quarta pars de iure communi erat legitima; quapropter, si alicubi legitima sit maior, legitima maior eis debetur; ita vt in Regno Castellæ, verbi gratia, (vbi deducta quinta parte bonorum, omnes aliæ quatuor partes sunt filiorum legitimæ) omnes hæ partes filiæ à matre debeantur, non secùs ac si parens crimen læsæ maiestatis non commisisset, sicuti supra dicebam, & notarunt Gregor. Lopes *l. 2. tit. 2. part. 7 gloss. penultim.* Molina *de Iust. & Iur. tom 3. disput. 658. n. 15.* & alij, quos sequitur Sanchez *l. 1. moral. c. 19. n. 10.* 5

His adde, quod filiæ fœminæ etiam ex bonis parentis condemnati dotari debeant, sic Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *part. 1. tit. de delict. & pœn. q. 24. num. 47.* 6

Adde secundò, quo successione solùm parentis condemnati priuentur, eo quod bona illius sint addicta Fisco, non autem priuentur etiam successione aliorum consanguineorum, vel extraneorum. Molin. & Sanchez *in locis supra citatis.* Clar. *pract. 8. læs. maiest. num. 10. vers. hæc autem pœna.* Decianus *tract. crim. l. 7. c. 41. n. 12.* Gygas *de crim. læs. maiest. q. 41.* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 116. n. 66.* Ratio, quia Textus *in dic. l. quisquis*, distinguit inter filios, & filias; & ait, filios hac successione priuari: ergò cum nihil disponat de filiabus, comprehendi filiæ non debent; cum sub nomine filiorum in odiosis, & pœnis, vtpote restringendis, filiæ venire non debeant. 7

Aduerte tertiò, quod filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ (idemque dico de filiis committentium crimen læsæ maiestatis diuinæ) licet priuentur successione, sicuti supra dicebam, non tamen priuentur donatione inter viuos (quidquid in contrarium dixerint quidam, quos sequitur Gygas *de crim. læs. maiest. tit. 3. rubr. de pœnis,* quas filij incurrunt *q. 2. circa finem*) quia *dic. l. quisquis* nihil loquitur de donatione, sed solùm de successione: At successio, siue testati, siue intestati, nihil commune habet cum donatione, ex Textu *in l. verba contraxerunt ff. de verb. signific.* Ergò ex incapacitate succedendi ex testamento, vel ab intestato non rectè infertur incapacitas acquirendi ex donatione, *l. inter stipulantem §. sacram, ff. de verb. obligat.* 8

Obiicies ex Aduersariis: ratio, quæ exprimitur *in dicta l. quisquis*, æquè militat in donatione, ac in successione (cum excludantur filij à successione matris, & aliorum, ad hoc, vt sint perpetuò pauperes, & egentes; ita quod mors sit illis solatium, & vita supplicium) quæ ratio omninò frustratoria redderetur, si prædicti filij restarent capaces recipiendi quidquam ex donatione: ergò. 9

Respondetur, quod quamuis militet eadem ratio in donatione inter viuos, ac in successione, non tamen hinc sequitur, vt dispositio supradictæ legis ad donationem extendi debeat; quia cum sit lex summè pœnalis, & odiosa, non debet ex identitate rationis extendi de casu successionis ad casum donationis.

Instabis: in præsenti non tam ex identitate rationis, quàm ex dispositione ipsius legis comprehenditur donatio, illis verbis: *sint perpetuò pauperes, & egentes, &c.* Quibus Legislator videtur velle, filios sic delinquentis in perpetua existere paupertate: ergò. 10

Respondetur: nego antecedens, & consequentiam; quia cum hoc non constet clarè, sed sit sub dubio, non debemus in dubio quoad materiam pœnalem verba legis extendere, sed potiùs illa iuxta superiorem dispositionem limitare; ita vt faciant hunc sensum: Tales filij sint perpetuò pauperes, & egentes respectu successionis: quod, quamuis ex priuatione successionis, satis

collegebatur

colligebatur; ad clariorem tamen declarationem addita sunt illa prædicta verba, Peregrin. *de iur. fisc. lib. 3. tit. 9. n. 11.* Farinacius *q. 116. n. 112.* Molina & Sanchez *in locis suprà citatis.*

11 Dixi, quod tales filij non priuentur donatione inter viuos, vt implicitè insinuarem, quod priuentur donatione causa mortis; cùm hæc sapiat naturam vltimæ voluntatis, & æquiualeat successioni ex testamento; *l. finali, C. de donat. caus. mort. & §. 1. instit. de donat.* & tradunt communiter DD. quos citat & sequitur Decian. *lib. 7. c. 41. n. 22.* Gygas *de crim. læs. maiest. lib. 3. rubr. de pœnis,* quas incurrunt filij *q. 3.* & Farinacius *citata quæst. 116. num. 114.*

12 Secunda pœna (quam prædicti filij incurrunt; & in qua filios hæreticorum excedunt) est infamia, ex Textu *in d. l. Quisquis, §. filij verò, C. ad l. Iul. maiest.* Ibi: [Infamia eos paterna semper comitetur, ad nullos prorsus honores, ad nulla sacramenta perueniant.] & tradunt cum Gloss. ibi communiter tam iuris ciuilis, quàm iuris canonici Doctores.

13 Aduerte tamen, quod, vt in casu nostro prædicta infamiæ pœna locum habeat, requiratur, delictum ita esse notorium, vt nulla tergiuersatione cælari possit; quin vt ex probabili sententia aliorum sit notorium per sententiam iudicis; ita vt donec sententia iudicis non accesserit, non videatur delictum ad hanc pœnam aliis à delinquente imponendam satis esse probatum.

14 Ex his sequitur, quod prædicti filij non possint ad sacros Ordines, nec ad Ecclesiasticas dignitates promoueri; quia licèt lex ciuilis non possit imponere pœnam irregularitatis; tamen quia hæc imposita est à lege Ecclesiastica cuilibet homini infami, sequitur, quod hac de causa & eam contrahant filij, de quibus loquebamur. Peregrinus *de iur. fisc. lib. 3. tit. 9. n. 1.* Gygas *de crim. læsæ maiest. lib. 3. rubr. de pœn.* quas filij incurrunt *q. 1. n. 6.* Decianus *tract. crim. lib. 7. c. 41. n. 50.* Antonius Gomez *tom. 3. var. c. 2. n. 13.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinacius *q. 116. n. 83.*

15 Aduerte secundò, quod ab hac pœna infamiæ excusentur filiæ fœminæ; quia *in supradicta l. Quisquis* quoad hanc pœnam non exprimuntur, sed exprimuntur solùm filij mares; & ex alio capite, sicuti suprà dicebam, in pœnis, & odiis, vtpore restringendis, nomine filiorum non veniunt filiæ fœminæ; sic DD. *in locis supr. cit.* præcipuè Decian. *n. 12.* Gygas *q. 14.* & Farinac. *n. 97.*

16 Aduerte tertiò, quod sub hac pœna infamiæ plures aliæ pœnæ comprehendantur; cùm plura infamibus commoda & beneficia denegentur.



DVBITATIO CLXXVIII.

Quinam nomine filiorum in pœnis statutis à *l. Quisquis* comprehendantur.

SVMMARIVM.

1 *Filiorum nomine in pœnis statutis à* leg. Quisquis Cod. ad leg. Iul. maiest. *comprehenduntur filij post delictum emancipati: secus si emancipati fuerint multo tempore priusquam fuerit commissum delictum.*

2 *Item comprehenduntur secundò, filij naturales, & spurij, si certò constet ipsorum parentem delinquentem fuisse, ne plus honoris, & prærogatiuæ detur luxuriæ, quàm castitati.*

3 *Item comprehenduntur tertiò, filij nati post delictum parentis, non tamen nati priùs, etsi contrarium non sit improbabile.*

4 *Clerici quartò tamen non comprehenduntur; quia ratione dignitatis videntur exempti; tum quia satis probabile est, quod à Clerico crimen læsæ maiestatis committi non possit.*

5 *Nepotes quintò, neque comprehenduntur; quia in dicta lege solùm fit mentio de filiis, & nomine filiorum in odiosis non veniunt nepotes, &c. contra nonnullos contrarium sentientes.*

6 *Filij mares neque comprehenduntur in dictis pœnis, si non pater, sed sola mater crimen læsæ maiestatis commiserit: quia in dicta lege nihil statuitur de filiis, si non pater, sed sola mater hoc crimen patrauerit.*

7 *Pœna statuta* in l. Quisquis *contra filios committentes crimen læsæ maiestatis humanæ ex consuetudine secundùm Boërium, & Gygantem, & alios sunt abrogata.*

8 *Pœnæ supradictæ casu quo ad filios committentis crimen læsæ maiestatis humanæ extendantur, crimen debet esse contra Imperatorem, vel Regem, vel eius lateri adsistentem: quia* l. Quisquis cit. *solùm loquitur de crimine læsæ maiestatis humanæ commisso aduersus Imperatorem, Consiliarios, & Senatores illius, eosque, qui ei militant.*

RESPONDETVR: Comprehenduntur filij post delictum emancipati; quia præsumuntur emancipati in fraudem: quapropter secùs dicendum erit, si emancipati fuerint multo tempore priusquam fuerit commissum delictum. Gygas *de crim. læs. maiest. rubr. de pœn.* quas filij incurrunt *q. 6.* Baiard. *ad Clarum, §. læs. maiest. num. 20.* & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *q. 116. n. 84.* & colligitur ex Textu *in l. Quisquis §. emancipationes, Cod. ad l. Iul. maiest.* & ex Gloss. *ibi, in verbo non valeat.* 1

Secundò, comprehenduntur filij naturales, & spurij (si certò constet, ipsorum parentem delinquentem fuisse) ne plus honoris, & prærogatiuæ detur luxuriæ, quàm castitati; sicut *alibi suprà* dicebam, & tradunt Clarus *Practic. §. læs. maiest. n. 11* Gygas *loc. suprà cit. q. 7.* Decianus *tract. crim. lib. 7. c. 41. n. 5.* & alij, quos sequitur Farinacius *cit. q. 116. n. 86.* 2

Tertiò, comprehenduntur filij nati post delictum parentis; non tamen nati priùs (etsi contrarium non sit improbabile) sicut patet ex iis, quæ dicebam *Dubit. 176.* Et tradunt Diaz *regul. 165. in 2. limit. vers. 2. sublimita,* Clar. *pract. §. læs. maiest. n. 12. vers. fuit etiam,* & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *vbi suprà n. 92.* 3

Quartò tamen non comprehenduntur Clerici; quia ratione dignitatis videntur exempti; tum quia satis probabile est, quod à Clerico in Principem sæcularem (cum ei subiectus non sit) crimen læsæ maiestatis committi non possit (vti tradunt complures, quos citat, & sequitur Farinacius *q. 112. n. 231.*) Ergo multo minus committi poterit prædictum crimen ab aliis in præiudicium filij Clerici non delinquentis. Videri poterunt Boërius *tract. de seditione q. 6. n. 3. & n. 23. circa fin.* Gygas *de crimine læs. maiest. lib. 3. rubr. de pœn.* quas incurrunt filij, *q. 9.* Videri etiam poterunt quæ nos dicebamus *tract. de immunit. & iurisdict. Eccles. c. 1. & c. 16.* 4

Quintò, neque comprehenduntur nepotes; quia *in cit. l. Quisquis* solùm fit mentio de filiis; at sub nomine filiorum in materia odiosa, vtpore restringenda, non veniunt nepotes. 5

Confirmatur; quia vt pœnæ in crimine hæresis descenderent ad nepotes via masculina, necessarium fuit, eos exprimi: ergo, cùm in præsenti non exprimantur nisi filij, solùm filij comprehendentur; ita DD. quos sequitur Decian. *tract. crim. lib. 7. c. 41. n. 7.*

Quamuis contrarium sentiant Peregrinus *de iur. fisc. lib. 5. tit. 9. num 5.* Clarus *pract. §. læsæ maiestatis num. 13. vers. Præterea quæro,* Ant. Gomez *de delict. tom. 3. cap. 2. num 15.* Farinacius *q. 116. n. 89.* & alij (vt fatear, communiter Doctores, qua enus filios committentium crimen læsæ

læsæ maiestatis humanæ æquiparant cum filiis hæreticorum, vt proinde (sicut pœnæ hæreticorum extenduntur ad filios, & nepotes descendentes via masculina, & ad solos filios descendentes via fœminina) idem similiter, & de his filiis dicendum arbitrentur.

At quod dixi, videntur tamen mihi probabilius obrationes dictas; præsertim cùm ipsi gratis, & sine vrgenti fundamento loquantur.

6 Sextò, neque comprehenduntur in his pœnis etiam filij mares, si non pater, sed sola mater crimen læsæ maiestatis commiserit; quia nihil *in dicta lege Quisquis* statuitur de filiis, si mater hoc crimen perpetrauerit; & meritò; cùm id ratò contingat; & casu quo contigerit, non videtur propter illud timendum, quod filiæ, & filij audaciam maternam imitari sint ausuri, Salycetus *in dicta lege Quisquis n. 9.* Albertinus *num. 4. vers. Quæris glossa.* Odufred. *n. 4. vers. Sed quæro,* & alij Iuristæ *ibid.* Gygas *de crim. læs. maiest lib. 3. rubr. de pœn.* quas filij incurrunt *q. 17. n. 5. & seqq.* & Decianus *tract. crim. lib. 7. c. 41. n. 14.* Quamuis alij plures, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 156. n. 98.* contrarium non improbabiliter sentiant.

7 Aduerte tamen, quod Boërius *tract. de seditione, q. 6. post n. 11. & 23.* Soccin. *cons. 275. n. 4. lib. 2.* Gygas *de crim. læs. maiest. lib. 3. rubr. de pœn.* quas filij incurrunt, *q. 23. n. 3.* Alciat. *cons. 467. n. 6.* Clar. *Practic. §. læs. maiestatis n. 15. versic. Vnum tamen,* & alij (quos citat, & sequitur Farinacius *q. 116. n. 144.*) putent pœnas prædictas contentas *in d. l. Quisquis* contra filios committentis crimen læsæ maiestatis humanæ consuetudine derogatas esse, ita vt in iudicando ab hac consuetudine recedendum non sit.

8 Aduerte secundò, quod casu quo supradictæ pœnæ ad filios committentis crimen læsæ maiestatis humanæ extendantur, crimen debeat esse contra Imperatorem, vel Regem, vel eius lateri adsistentem, sic DD. communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *loc. suprà cit. n. 125.* ex Text. *in l. cor. ff. ad l. Iul. maiest.* vbi expressè deciditur, quod bona damnatorum ex hoc crimine fisco applicentur, si damnati non habeant filios; secùs, si filios habeant: quæ decisio contraria est dispositioni Textus *in l. Quisquis, in l. 1. C. de bon. quæ liberis,* & *in l. 4. ff. de interdict.* vt proinde dicendum sit, has leges loqui de crimine læsæ maiestatis humanæ commisso contra Principem, & Text *in l. eorum* loqui in aliis casibus læsæ maiestatis humanæ expressis *in l. 1. 2. & 3. ad leg. Iul. maiest.* vt benè aduertunt DD. quos sequitur Clar *pract. §. læsæ maiestatis n. 15. vers. Vnum tamen.*

Confirmatur, quia *l. Quisquis* solùm loquitur de crimine læsæ maiestatis humanæ commisso aduersùs Imperatorem, Consiliarios, & Senatores illius, eósque, qui ei militant; at lex, præsertim pœnalis, extendi non debet ad alias personas, præter ibidem comprehensas: ergo neque extendi debet ad crimen læsæ maiestatis humanæ commissum aduersùs Rempublicam, vel Principem Imperatore inferiorem, etiamsi superiorem non recognoscant; sic Doctores, quos sequitur Fachin. *lib. 9. controuers. cap. 32.*

PETITIO I.

An filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ contra Principes sæculares priuentur beneficiis ante parentum delictum acquisitis?

SVMMARIVM.

1 *Filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ contra Principes sæculares non priuantur beneficiis ante parentum delictum acquisitis: quia nullo iure habetur, quod ij in tali casu dicta pœna afficiantur.*

2 *Lex imperialis licet declaret infames filios eorum, qui commiserunt crimen læsæ maiestatis humanæ, non propterea ij priuantur beneficiis ante parentum delictum acquisitis; quia talis lex, vtpote ciuilis, non obligat Clericos, & ideò non potest eos priuare beneficiis, & reddere eos inhabiles ad alia in posterum obtinenda.*

3 *Secùs autem dic, si crimen læsæ maiestatis humanæ fuerit commissum in Romanum Pontificem, vel in Cardinalem: quia tunc filij, & nepotes committentium tale crimen priuantur beneficiis etiam ante parentum delictum acquisitis, & inhabilitantur ad alia in posterum obtinenda.*

4 *Filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ etiam in Principes temporales, si tempore delicti paterni nondum erant Clerici, redduntur inhabiles ad beneficia in posterum consequenda.*

5 *Lex ciuilis punire non potest delinquentium filios pœna spirituali, hoc est inhabilitate ad beneficia consequenda directè, & primò per se, secùs indirectè, & consequenter.*

6 *Infamis is qui efficitur de iure ciuili, de iure canonico est irregularis.*

Respondetur negatiuè: Ananias *in cap. Vergentis de hæret. n. 12.* Cardinalis, & alij Canonistæ *ibid.* Repertorium Inquisit. *verb. filij, vers. Nota quod si filius,* & alij communiter DD. quos sequitur Gygas *tr. de crim. læs. maiest. lib. 3. tit. 1. de pœnis,* quas incurrunt filij *q. 9.* 1

Probatur; quia nullo iure habetur, quod isti filij in tali casu hac pœna afficiantur: ergo sine Textu expresso dicta pœna afficiendi non erunt.

Non obstat, si dicas: *In l. Quisquis, §. filij verò C. ad l. Iul. maiest.* isti filij efficiuntur infames: ergo propter infamiam hoc ipso priuantur beneficiis ante parentum delictum acquisitis. 2

Respondetur enim: Nego consequentiam; quia talis lex, cùm sit ciuilis, non obligat Clericos, atque adeò non obligat istos filios, qui (cùm beneficium non conferatur, nisi Clericis) iam erant actu Clerici; non enim lex ciuilis potest, præsertim in pœnis obligare Clericos & propter hanc eamdem rationem etiam isti filij non redduntur inhabiles ad alia in posterum beneficia consequenda; quia ista inhabilitas oritur ex infamia *in d. l. Quisquis* iure statuta, quæ infamia non afficit dictos filios, tanquam iam actu Clericos; sicque isti filij non redduntur inhabiles ad alia in posterum beneficia consequenda, sicuti suprà dicebam.

Aduerte tamen, quod (si crimen læsæ maiestatis humanæ fuerit commissum in Rom. Pont. vel in Cardinalem) tunc filij, & nepotes committentium tale crimen priuentur beneficiis, etiam ante parentum delictum acquisitis: & prætereà sunt etiam inhabiles ad alia in posterum beneficia consequenda *c. felicis, §. quod si quis de pœn. in 6.* Et præter alios notauit Turrecremata *in c. si quis 6. q. 1. n. 7.* propter contrariam scilicet rationem, quam dicebam. 3

Aduerte secundò, quod filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ etiam in Principes temporales, si tempore delicti paterni nondum erant Clerici, redduntur inhabiles ad beneficia in posterum consequenda; sic DD. quos sequitur Dec. *in tract. crim. lib. 6. c. 41. n. 11.* quia dicti filij sunt infames, *l. Quisquis, §. filij verò C. ad l. Iul. maiest.* Ergo sunt inhabiles ad beneficia in posterum consequenda. Consequentia probatur, quia [Notatis, & infamibus portæ dignitatum patere non debent.] *l. vnic. C. de infamib. lib. 10. & l. 2. C. de dignitatib. lib. 12. c. Inter delictos de excessib. Prælator. & c. infames 6. q. 1.* Vbi dignitas accipitur pro quolibet beneficio; Canonistæ communiter *in c. Querelam de iureiur.* & Abb. *in c. super eo de elect. n. 2. & seqq.* Couarr. *lib. 3. var. c. 3. n. 3.* & Lambert. *de iurepatron. p. 1. lib. 2. q. 7. a. 16. n. 3.* 4

Non

5 Non ubstat, si dicas: lex ciuilis non potest punire delinquentium filios pœna spirituali, v.g. excommunicatione, suspensione, vel interdicto, &c. Ergo neque inhabilitate ad beneficia consequenda.

Respondetur enim: concedo antecedens; at distinguo consequens: non potest punire inhabilitate ad beneficia consequenda, directè, & primò per se, concedo: indirectè, & consequenter (quatenus scilicet Lex ciuilis potest aliquem propter delictum infamia afficere) nego; quia hoc ipso, quod quis etiam iure ciuili est infamis, habetur ex iure canonico, quod sit irregularis, *cit. c. Infames*. Et propterea regulariter infames secundùm Leges ciuiles, sunt etiam infames, secundùm canones, seu Leges canonicas: *c. omnes verò 7. q. 1.* Et docent Felin. *in c. Testimonium de testibus n. 15.* Armilla *verb. Infamia*, Maiolus *de irregularit. lib. 3. c. 1. n. 3.* Suarez *tom. 5. disp. 48. sect. 1. n. 4. & 5.* Azor. *tom. 2 lib. 6. c. 7. q. 3.* & Auila *de censur. p. 7. disp. 4. dub. 5. concl. 1.*

PETITIO II.

An pœnæ latæ in Constitutione Federici Imperatoris contra crimen læsæ maiestatis humanæ, vel diuinæ (quæ postea restrictæ sunt modo, quo dicebam *Dubitatione 174. per caput statutum 2. de hæreticis in 6.*) restrictæ sint in vtroque crimine læsæ maiestatis, tam scilicet humanæ, quàm diuinæ.

SVMMARIVM.

1 *Pœna lata in Constitutione Federici Imperatoris contra crimen læsæ maiestatis humanæ, vel diuinæ restrictæ sunt in vtroque crimine læsæ maiestatis, humanæ scilicet & diuinæ vsque ad secundum gradum lineæ paternæ, & primum lineæ maternæ*, in cap. statutum 2. de hæreticis in 6.

2 *Crimen læsæ maiestatis diuinæ cùm pertineat ad forum Ecclesiasticum, potest ius canonicum pœnas à Principe sæculari statutas contra dictum crimen restringere, & limitare.*

3 *Ius canonicum* in cap. statutum 2. de hæreticis in 6. *sicut restrinxit pœnas statutas contra filios committentium crimen læsæ maiestatis diuinæ, ita restrinxit pœnas latas contra filios committentium crimen læsæ maiestatis humanæ; quia si de quo magis, ergo etiam de quo minus.*

1 Respondetur affirmatiuè, ita vt (quamuis in Constitutione Federici Imperatoris omnes filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ, vel diuinæ afficiantur infamia, & reddantur inhabiles ad omnia officia publica, & dignitates, & sub nomine filiorum comprehendantur omnes descendentes) tales tamen pœnæ sint restrictæ modo, quo dicebam per *c. statutum 2. de hær. in 6.* in vtroque crimine læsæ maiestatis (tam scilicet humanæ, quàm diuinæ) vsque ad secundum gradum lineæ paternæ, & primum lineæ maternæ.

2 Et quidem (quatenus spectat ad crimen læsæ maiestatis diuinæ) nulla est difficultas; quia, cùm tale crimen pertineat ad forum Ecclesiasticum, poterit ius canonicum pœnas à Principe sæculari contra dictum crimen statutas restringere, & limitare, modo quocumque voluerit.

Quatenus verò spectat ad crimen læsæ maiestatis humanæ: probatur, quia (quamuis *in dict. cap. statutum* non fiat mentio de filiis committentium crimen læsæ maiestatis humanæ) debet tamen ibi facta ad pœnas statutas restrictio habere locum etiam in crimine læsæ maiestatis humanæ; quia (cùm crimen læsæ maiestatis diuinæ sit grauius, quàm crimen læsæ maiestatis humanæ) hoc ipso, quod ius canonicum restrinxit pœnas statutas contra crimen læsæ maiestatis diuinæ, restrinxit etiam (quantum est ex se) pœnas statutas contra crimen læsæ maiestatis humanæ; sicuti rectè præter alios obseruauit Gomez *tom. 3. var. c. 2. n. 35.*

PETITIO III.

An filij, si ipsorum parentes committant crimen læsæ maiestatis humanæ, vel diuinæ, nobilitate priuentur.

SVMMARIVM.

1 *Filij non priuantur nobilitate si ipsorum parentes committant crimen læsæ maiestatis humanæ, vel diuinæ, quia nullo iure id habetur, nec Leges pœnales extendi, sed potius restringi debent.*

2 *Filij hanc nobilitatem habent non à parentibus, qui talia delicta commiserunt, sed ab antiquis eorum prædecessoribus.*

3 *Naturalia, & iura sanguinis sunt immutabilia.*

4 *Filij ob delicta parentum amittunt quidem bona paterna; non tamen amittunt ea, quæ non à patre, sed à genere, à ciuitate, vel rerum natura acceperunt.*

5 *Filius potest retinere emphyteusim, quæ ex genere est, & repudiare hereditatem patris.*

6 *Filius non potest à patre priuari regno, cùm illud non à patre, sed à genere habeat.*

7 *Princeps è contra quando priuilegium nobilitatis concedit alicui, qui postea vnum ex prædictis delictis committit, absque dubio nobilitatem amittit; quia cùm huiusmodi nobilitas non sit naturalis, sed tantùm ex priuilegio, statim ac vnum ex dictis delictis committit, illam amittit.*

8 *Nobilitatis prædictæ priuatio extenditur non solùm ad filios, & nepotes illius, sed etiam ad omnes ex illo descendentes.*

9 *Filius si priuilegium nobilitatis, vel alterius honoris à Principe propter benemerita propria, non autem parentis obtinuerit, illud propter sequens delictum parentis non amittit; quia independenter à parente obtinuit.*

10 *Filius si priuilegium nobilitatis, vel alterius honoris à Principe obtinuerit post delictum parentis, & hoc parentis delictum tacuerit siue ex ignorantia, siue ex malitia, siue ex simplicitate, priuilegium vim non habet: quia quotiescumque conceditur alicui priuilegium, fauor, vel gratia: non habetur ratio de culpa vel simplicitate eius, cui conceditur.*

11 *Filij propter delictum parentis vel sunt infames, vel sunt minùs habiles ad priuilegia consequenda.*

12 *Literæ sunt subreptitiæ, quotiescumque impetratur à Principe gratia, suppressa veritate, vel expressa falsitate, qua tacita, vel expressa, non fuisset concessa.*

Respondetur negatiuè; sic DD. communiter, quos sequitur Tiraq. *de nobilit. c. 35. n. 4.* & Simanch. *de Cathol. instit. tit. 29. n. 18.* 1

Probatur, quia nullo iure habetur, quod filij in hoc casu nobilitate priuentur; nec leges pœnales extendi, sed potiùs restringi debent: Ergo.

Confirmatur; quia filij hanc nobilitatem habent, non à parentibus, qui talia delicta commiserunt, sed ab antiquis eorum prædecessoribus: Ergo propter delicta parentum filij non debent nobilitate iam acquisita priuari. 2

3 Confirmatur secundò; quia *in §. sed naturalia Instit.de iur.nat. & in Reg.iura sanguinis, ff. de Regulis* dicitur, quod naturalia, & iura sanguinis sunt immutabilia: ergo cùm nobilitas sanguinis numeretur inter naturalia, & iura sanguinis ob delictum aliorum amitti non debet.

4 Confirmatur tertiò; quia *in l.Eum qui 3.ff.de interdict.& relegat.* dicitur [Eum, qui ciuitatem amisit, nihil aliud iuris adimere liberis, nisi quod ab ipso peruenturum esset ad eos, si intestatus in ciuitate moreretur; (id est, hæreditatem eius, & libertas, & siquid aliud in hoc genere reperiri potest:) Quæ verò non à patre, sed à genere, à ciuitate, à rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolumia; sicque & fratres fratribus fore legitimos hæredes, & agnatorum tutelas, & hæreditates habituros: non enim hæc patrem, sed Maiores eius ei dedisse.] Quæ verba aperte significant, filios ob delicta parentum amittere quidem bona paterna, non tamen amittere ea, quæ non à patre, sed à genere, à ciuitate, vel rerum natura acceperunt: ergo, cùm filij nobilitatem non à parente, qui prædicta delicta commisit, sed à suis antiquis prædecessoribus acceperint, illam non amittent propter delictum paternum.

5 Confirmatur quartò; quia argomento *prædictæ legis Eum qui 3.* Tiraquellus *loc.suprà cit.n.4.* ex Baldo *in authent. siquas ruinas col.2. & seqq.Cod.de sacrosanct. Eccles.* ait, filium posse retinere Emphyteusim, quæ ex
6 genere est, & repudiare hæreditatem patris: & Abbas *in princ.digestorum, §. discipulis col.2* inquit, non posse filium à patre regno priuari, cùm illud filius non a patre, sed à genere habeat.

7 Aduerte tamen, quod è contra, quandò Princeps priuilegium nobilitatis concedit alicui, qui postea vnum ex prædictis delictis committit, absque dubio nobilitatem amittat; quia, cùm è contra huiusmodi nobilitas non sit naturalis; sed tantùm ex priuilegio, statim, ac vnum ex dictis delictis commiserit, illam amittit: nam propter huiusmodi delicta omnibus officiis, dignitatibus, priuilegiis, & fauoribus ipso facto priuatur. Decius *cons.118.* Otaloza *de nobilit.p.4.c.9.n.2.& seqq.* Ioannes Lupus *de regno Nauarr.p.5 §.6.* Simancha *loc.suprà cit.* & alij, quos sequitur Menoch. *vol.9.cons.805.n.8.*

8 Aduerte secundò, quod prædicta priuatio nobilitatis extendatur non solùm ad filios, & nepotes illius, sed etiam ad omnes ex illo descendentes; sic Doctores quos citat, & sequitur Tiraquell. *de nobilitate cap.35. num.4.*

9 Aduerte tertiò, quod, si filius priuilegium nobilitatis, vel alterius honoris à Principe propter benemerita propria, non autem parentis, obtinuerit, illud propter sequens delictum parentis non amittat; quia, cùm dictum priuilegium propter propria benemerita a Principe obtinuerit, independenter a parente obtinuit. Otaloza *citato cap.9. num.9.* & alij, quos sequitur Menochius *vbi suprà, & cons.808.n.25.*

10 Aduerte quartò; quod, si filius priuilegium nobilitatis, vel alterius honoris à Principe obtinuerit post delictum parentis, & hoc delictum parentis tacuerit, siue ex ignorantia, siue ex malitia, siue ex simplicitate, priuilegium vim non habeat quia, quotiescumque conceditur alicui priuilegium, fauor, vel gratia, non habetur ratio de culpa, vel simplicitate eius, cui conceditur gratia, sed de intentione concedentis, à qua desumit gratia totam vim suam. *cap. super literis de rescriptis.* Quandoquidem, si Princeps cognouisset delictum parentis, filio tale priuilegium non concessisset: ergo tale priuilegium, cùm deficiat intentio concedentis, vigorem non habebit.

11 Confirmatur, quia propter delictum parentis filij vel sunt infames, vel sunt minùs habiles ad priuilegia consequenda: ergo, si in rescripto Principis ab hac infamia, vel inhabilitate non liberantur, priuilegium à Principe ipsis concessum non valebit; cùm in rescripto non exprimatur, quod deberet exprimi, & cum, si fuisset expressum, Princeps priuilegium non concessisset.

Confirmatur secundò; quia (sicuti ex communi 12 docent Franch. *in c.si eo tempore de rescript.in 6.num 4.* Felin. *in c.Super literis n.6.de rescript.& in c.ad audientiam 2.n.22.eod.tit.* & Tiraquellus *tract.Cessant.caus.in princ.n.116.*) quotiescumque impetrantur à Principe literæ, suppressa veritate, vel expressa falsitate, qua tacita, vel expressa, literæ non fuissent concessæ, literæ sunt subreptitiæ (ita vt licèt ignorantia liberet quidem impetrantem à culpa, non tamen liberet literas à vitio subreptionis.) Ergo gratiæ, & priuilegia vi talium literarum concessa vim non habent.

PETITIO IV.

Cur in delictis enormibus filij puniantur propter delictum parentis?

SVMMARIVM.

1 *Filij puniuntur propter delictum parentis in delictis enormibus: quia sunt quid parentis, & sic is punitur in re sua, tum quia vt sic in bonum commune intelligant omnes, quàm grauia sint quædam delicta; tum quia vt sic in bonum commune deterreantur omnes ab huiusmodi enormibus delictis committendis.*

2 *Amor parentum in filios talis, ac tantus est, vt maiorem dolorem percipiant ex pœna filiorum, quàm ex propria; idque probatur auctoritate Legum, & etiam SS. Patrum.*

3 *Filij parentum, qui de Republica benemeriti sunt, diuitiis, honoribus, dignitatibus, aliisque priuilegiis decorantur.*

4 *Deus Optimus Maximus propter delicta parentum punit filios etiam pœna mortis; consequenter Princeps Reipublicæ propter delicta parentum poterit etiam punire filios saltem pœna graduum, dignitatum, bonorum, & beneficiorum.*

5 *Filij quod parentum mores imitaturi sint, rationabiliter timetur.*

6 *Filij regulariter esse solent tales, quales fuerunt eorum parentes; quia sicut ad bonam, vel malam complexionem futuram filiorum quamplurimum valet, qualemnam complexionem habuerint parentes tempore conceptionis eorum, sic ad bonos, vel malos mores futuros filiorum. Quamplurimùm etiam valebit qualesnam mores habuerint parentes tempore conceptionis eorumdem: Plerumque enim filij parentum virtutes, & vitia imitantur.*

Respondetur ex communi sententia Doctorum; 1 quia filij sunt quid parentis, & sic parens punitur in re sua; tum quia vt sic in bonum commune intelligunt omnes, quàm grauia sint quædam delicta; tum quia vt sic etiam in bonum commune deterreantur omnes ab huiusmodi enormibus delictis committendis. Glossa *in Extrauagant. 22. verbo Quomodolibet de pœnis.* Abbas *in cap. Vergentis de hæreticis Numero 3.* Couaruuias *libro 2. capite 8. numero 220.* & Menochius *consilio 99. numero 220. volumine primo.* Nam amor parentum in filios talis, & tantus est, vt 2 maiorem dolorem percipiant ex pœna filiorum, quàm ex propria; sicuti patet *ex leg. Isti quidem ff.de eo quod met. caus.* Quapropter Ostiensis *in dicto cap. Vergentis* ait, quod parens magis terretur videns, posse affligi filios suos, quam ipsummet; sicut etiam adnotauit Rota *in vna Conchen. Ann. 1598. vers. hæreticorum*; & Sanctus Chrysostomus *in Genesi cap.9.* in illa verba [Maledictus

ledictus Canaam filius, inquit: parentes ex malis filiorum non minorem pœnam, & cruciatum habent, quàm ipsimet filij; adeò quod sæpe parentes orant, vt filiorum pœnas ipsi potiùs patiantur; & grauiùs ferunt, videre filios supplicio affici, quàm si ipsi afficerentur;] & Sanctus Ambrosius *ibidem* asserit: [qua ratione cum Cham peccauerit, non ipsum, sed filium eius seruituti addixerit; forasse ideo, quia plus afficitur iniuria filij sui, & vehementiùs contristatur, sui peccati damnationem a filio persolutam; qui non tam suo, quàm patris merito puniretur.] Et S. Gregorius *lib. 5. moral. cap. 51.* scribit [percutitur pater in filiis, vt pater acriùs vratur;] neque obstat, quod filij sint innocentes, quia cum id fiat (sicuti dicebam) in bonum commune, bono communi cedere debet bonum priuatum, etiamsi attingat incommodum personæ priuatæ.

3 Confirmatur; quia filij parentum, qui de Republica bemeriti sunt, diuitiis, honoribus, dignitatibus, aliisque priuilegiis decorantur (ita vt filij participes sint honoris, gloriæ, famæ, & prosperitatis parentum) ergò sic è contra.

4 Confirmatur secundò, quia Deus Optimus Maximos propter delicta parentum punit filios, etiam pœna mortis: (quandoquidem *Genesi 19* propter delicta parentum igne consumpti fuerunt filij Sodomæ; & *Regum 2. cap. 12.* propter delictum parentis filius Dauidis decessit è vita; & *num. 17.* propter delicta parentum terra degluriuit filios cum Dathan, & Abiron; & *Exod. 20.* Deus dicit: [Ego sum Dominus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.] Ergò & Princeps Reipublicæ propter delicta parentum poterit etiam punire filios, saltem pœna graduum, dignitatum, bonorum, & beneficiorum.

5 Confirmatur tertiò, quia rationabiliter timetur, quod filij parentum mores imitaturi sint; vti patet *ex l. quisquis, §. fily Cod. ad leg. Iul. maiest.* (quatenùs ibi dicitur: Paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, scilicet hæreditarij, criminis exempla metuuntur) *& ex l. quod si nolit, §. qui mancipia ff. de edil. edict.* (quatenus ibi statuitur, quod debeat is, qui seruum vendit, exprimere, ex qua Natione, scilicet ex quibus parentibus, vt explicat ibi Glossa *verb. Natio-*
6 *nem*, natus sit) & *ex cap. si gens Anglorum dist. 56. iuncta glossa ibidem verbo non infamata* (quatenus ait, quod filij soleant regulariter esse tales, quales fuerunt ipsorum parentes,) & ratio est; quia, sicut ad bonam, vel malam complexionem futuram filiorum quamplurimùm valet, qualemnam complexionem habuerint parentes tempore conceptionis filiorum, sic ad bonos, vel malos mores futuros filiorum quamplurimùm etiam valebit, qualesnam mores habuerint parentes tempore conceptionis eiusdem filiorum. Bald. *in l. Gallus, §. quidam rectè ff. de liber. & Posth. num. 2.* (quatenus ait. *Vitium, quod est in radice naturali, transit ad Posteros*) Cuman. *in l. siquis cum totum ff de expect. rei indic. num. 4.* (quatenus inquit [ea quæ procedunt à radice iam vitiata, sequuntur eius naturam,] Faber *Inst. de nupt. rubr. 2.* quatenus asserit: [vt plurimùm non solùm labes sanguinis, sed etiam morum ad Posteros traducitur] Fulgos. *consil. 159. num. 1.* quatenus scribit: [cum pater qui est radix, sit corruptus, non potest bonus filius à corrupta radice descendere] & fauet Textus *in l. quod si nolit, §. qui mancipia ff. de edil. edict.* quatenus ibi dicitur: plerumque filij parentum virtutes, & vitia imitantur.

OBIECTIONES.

SVMMARIVM.

1 *Filij quidam non sunt Rei peccatorum parentum sunt tamen Rei pœna ex dispositione legum canonicarum, & ciuilium filij concepti ex sanguine, infecto parentum ob delictum à parentibus commissum.*

2 *Parentes post delictum commissum de nouo acquirunt aliquas qualitates, quibus priùs infecti, filij postea eorum inficiuntur; quia propter maximam connexionem, & sympathiam animæ cum corpore ex anima malè infecta inficitur etiam corpus, itavt ordinariè parentes mali transfundant in filios eamdem malam procliuitatem, & inclinationem.*

3 *Idque procedit propter dictam maximam connexionem, & Sympathiam animæ cum corpore etiam in vitiis, & delictis spiritualibus; redundat enim ex anima in corpus procliuitas, & inclinatio.*

4 *Proles inficiatur ex infectione sanguinis vtriusque parentis, in ordine tamen ad eamdem prolem infectio patris est efficacior, quàm infectio matris; quia semen virile ad generationem prolis concurrit efficaciùs, quàm semen fœminile, & in omni casu concursus seminis virilis est magis actiuus.*

5 *Peccatum originale cum transfundendum esset in omnes posteros, meritò pactum initum fuit non cum Eua, sed solùm cum Adamo, tanquam cum capite totius posteritatis humanæ: at cum pœna iure humano non statuantur propter delictum parentum in omnes posteros, sed solùm vsque ad primum, vel secundum gradum, & ex alio capite descendentes participent de vtroque sanguine, iustè legislatores statuerunt, quod fily propter delictum vtriusque parentis punirentur.*

6 *Committentes delictum ex iure sunt puniendi, & vltra non progreditur in delictis scilicet ordinariis, & communibus; secùs in extraordinariis, & enormibus; neque enim puniuntur ipsi fily per se, & in se, sed solùm per accidens, & in parentibus; nulla enim est iniustitia, quod ex priuatione bonorum parentum, fily reddantur pauperes.*

7 *Leges, quibus fily ob delictum parentum puniuntur aliquibus pœnis sunt iustæ.*

8 *Crimen attentatum, & non secutum, non punitur, quod fallit in crimine læsæ maiestatis propter eius grauitatem.*

OBiicies: vitia parentum non sunt, quasi peccatum originale, vt in posteros transfundantur: ergò ratio infligendi pœnas filiis propter delicta parentum non est, quia filij procedunt ex sanguine parentum infecto. 1

Respondetur: distinguo antecedens; non sunt, quasi peccatum originale, in sensu quo filij sint quasi Rei peccatorum parentum, concedo: non sunt, quasi peccatum originale in sensu quo (sicut ob pactum à Deo initum cum Adamo omnes descendentes ex infecto sanguine Adami propter peccatum originale incurrunt pœnas ob illius delictum) ita etiam ob dispositionem legum canonicarum, & ciuilium filij concepti ex sanguine infecto parentum ob delictum à parentibus commissum incurrunt pœnas à talibus legibus inflictas, nego.

Instabis: parentes post delictum, quod commiserunt, de nouo non acquirunt aliquas qualitates, vel 2
humores, quibus ipsi parentes priùs inficiantur, & quibus postea in filios transfusis, filij etiam postea inficiantur: ergo falsum est, quod filij puniantur, tanquam descendentes, ex sanguine parentum infecto.

Respondetur: nego Antecedens; quia propter maximam connexionem, & sympathiam animæ cum corpore ex anima malè infecta inficitur etiam corpus, itavt ordinariè parentes mali transfundant in fi-

lios eamdem malam procliuitatem, & inclinationem; quapropter Cassaneus *in Cathol. glor. mund. part. 2. consider. 24.* recte dixit, plerasque esse animi vites, quæ simul cum corpore à parentibus transfundantur in filios; cum, sicut motus corporis penetrat in animam, sic & motus animæ penetret etiam in corpus. Et Tiraquellus *in lib de nobilitate cap. 22. num. 293.* ex pluribus doctoribus probat, multum valere ad animi affectiones corporis temperamentum.

3 Reinstabis: si ex sanguine Parentum infecto oriretur procliuitas ad eadem vitia in filiis, id ad summum posset esse, quoad vitia corporalia, v.g. gulæ, luxuriæ, &c. non autem quoad superbiam, vel aliquid aliud vitium spirituale, quod nihil commune habet cum carne: Ergo ratio, cur istæ pœnæ inferantur filiis propter delicta parentum, non est, quia filij nascuntur ex sanguine infecto parentum.

Respondetur: nego sequelam antecedentis, atque adeò & consequentiam: quia propter dictam maximam connexionem, & simpathiam animæ cum corpore etiam in vitiis, & delictis spiritualibus redundat ex anima in corpus procliuitas, & inclinatio; quapropter rectè Castro *l. 2. de Iust. hær. punit.* inquit: [qui à parentibus bonis genitus est, naturalem quamdam inclinationem ad bonum vt plurimum ab ipsis parentibus suscipit: quoniam ab illis corporis complexionem deducit; quæ si bona est, non parum est ad virtutem adiutorium, & incitamentum;] Macrobius *l. 5 satur. c.* 11. ait; [valet ad fingendas, atque animi similitudines formandas vis, & natura seminis;] & Ouidius *l. 4. Metamorph.* cecinit.

Et patrum in filios abeunt cum semine mores.

4 Vrgebis: filij propter delictum patris puniuntur vsque ad secundum gradum, & propter delictum matris puniuntur solùm vsque ad primum gradum, ergò signum est, quod ratio inferendi has pœnas in filios propter delicta parentum non sit, quia filij procedunt ex sanguine infecto parentum. Consequentia probatur; quia si hoc esset, filij (cum quoad ea, quæ attinent ad corpus, & sanguinem plus participent de matre, quàm de patre) plus puniri deberent propter delictum matris, quàm propter delictum patris.

Respondetur: nego consequentiam, & probationem consequentiæ; quia, licet ex infectione sanguinis vtriusque parentis inficiatur proles, in ordine tamen ad eamdem prolem infectio patris est efficacior, quàm infectio matris, quia semen virile ad generationem prolis concurrit efficacius, quam semen fœminile; cum semen virile concurrat, tanquam causa efficiens, & tanquam agens principale; semen verò fœminile concurrat solùm tanquam causa materialis; adeò quod Aristoteles *l. 1. de generat. animal. c.* 2. Auicenna *lib. 9. animal. c.* 1. Galenus *l.* 1. *de sanitat. tuend. c.* 1. & S. Thomas *p.* 3. *q.* 31. *art* 5 *ad* 3. putent, semen fœminile non esse necessarium ad prolis generationem, sed tantum ad pulchritudinem, & formositatem: at dato, & concesso, quod ad prolis generationem semen fœminile sit etiam necessarium, & concurrat etiam effectiuè, sicut & semen virile (quemadmodum ex probabiliori sententia docent alij, quos sequitur Caietan. 2. 2. *q.* 154. *art.* 2. Abulens. *Paradox.* 1. *c* 48. Ioan. Andr. *l. 8. Metaphys. q.* 2. & Suarez *p. 3. q. 32. art. 1. disput.* 10. *sect.* 1.) concursus tamen seminis fœminilis est minùs actiuus, quàm concursus seminis virilis: Ob quam eamdem causam, cum in legibus canonicis, & ciuilibus puniuntur filij propter delicta parentum vsque ad certum gradum, intelligi debet talis dispositio, & pœna de sola linea paterna, & non item in linea materna, nisi etiam de linea materna fiat expressa mentio, Ostiens. *in c. vergentis de hæretic. n.* 4. Decian. *in pract. criminal. l. 7. c* 41. *n.* 14. & Zanchin. *tract. de hæret. c.* 28. *num.* 9. quia (sicuti dicebam) ad prolis generationem principalis agens est pater; vt propterea filij magis assimilentur patri, quàm matri (sicuti præter alios annotauit Salycetus *in l. quisquis Cod. ad l. Iul. Maiest. §. filij n.* 9) & propterea etiam filij vt plurimùm sequantur magis mores patris, quam matris, vt præter alios adnotauit S. Chrysostomus *to.* 2. *in c.* 23. *Matthæi.*

Revrgebis: si ratio, cur inferantur pœnæ filiis propter delicta parentum, esset infectio sanguinis, sequeretur, quod propter solum delictum matris filij nulla afficiendi essent pœna; quandoquidem, si solùm peccasset Eua, posteri nullam culpam, aut pœnam contraxissent propter delictum Euæ. 5

Respondetur: nego sequelam antecedentis; & ad probationem respondeo, quod (cum peccatum originale transfundendum esset in omnes posteros) meritò pactum initum fuit non cum Eua, sed solùm cum Adamo, tanquàm cum capite totius posteritatis humanæ: At (cum pœnæ iure humano non statuantur propter delictum paternum in omnes posteros, sed solùm vsque ad primum, vel secundum gradum, & ex alio capite descendentes participem sanguinem tam de patre, quàm de matre) iustè legislatores statuerunt, quod filij propter delictum vtriusque parentis puniantur; quia tamen concursus patris est efficacior, quàm concursus matris, ideò filij maiori pœna afficiantur propter delictum patris, quam propter delictum matris.

Obijcies secundò, *In l. sancimus Cod. de pœnis statuitur*, quod committentes delictum sint puniendi, & vltra non progrediatur: ergò. 6

Respondetur: in delictis ordinariis, & communibus, concedo: in delictis extraordinariis, & enormibus (vt læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ) nego. Vt omittam, quod (quando propter delictum *læsæ* maiestatis diuinæ, vel humanæ bona parentum confiscantur, & propterea eorum filij egestate premantur) non puniantur ipsi filij per se, & in se, sed solùm per accidens, & in parentibus; quia (cum bona sint parentum, & leges decernant, quod committentes crimen læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ suis bonis priuentur) nulla est iniustitia, quod ex ista priuatione bonorum parentum reddantur filij pauperes, & egeni. Vt omittam secundò, quod leges imponant quasdam pœnas filiis hæreticorum, vel aliorum delinquentium propter bonum commune, at maior ratio habenda est boni communis, quam incommodi (quod interdùm potest pati persona aliqua innocens) vti supra dicebam in principio petitionis præsentis. Vt omittam tertio quod & Deus optimus maximus (in quo non est iniquitas) puniat propter delicta parentum filios innocentes etiam in vita? vti supra etiam dicebam confirmatione secunda.

Ex dictis sequitur, quod leges, (vt *l. quisquis, § filij Cod. ad leg. Iul. maiest. c. vergentis de hær. c. 2. § hær. & c. 2. statutum de hæret. in 6.*) quibus propter delictum parentum filij puniuntur aliquibus pœnis, sint iustæ, & eas tanquam iustas (quamuis *dictam l. quisquis*, tanquam iniquam, improbent, eamque propterea per consuetudinem esse abrogatam, teneant Menoch. *cons. 99. n.* 118. Roland. *vol. 3. cons. 74. n.* 20. Franc. Decius *cons. 8. num.* 19. Ceuall. *q. 693. n.* 38. & Farinac. *q. 24. n.* 150.) approbent Felin. *in d. c. vergentis n.* 3. Repertor. Inquisit. *verb. filij hæret. vers. item quæritur.* Guttiert. *l. 2. quæst. canonic. c.* 30. Clarus *in §. finali q.* 86. Couarruuias *l. 2. var. c. 8. num.* 1. *& seq.* Simanch. *de Cathol. Inst. tit. 19. n. 1. & seqq.* Crau. *de antiq. p. 4. §. Transeo nunc n.* 157. Royas *singul.* 66. Menoch. *cons. 99. n.* 220. *& cons.* 226. & *l. 5. de præsumpt. præsumpt.* 53. Gygas *de crim. læs. maiest. lib. 3. tit. de pœn. quas filij incurr. q.* 1. & alij communiter. 7

Ratio; quia ex dictis tanta est grauitas, & enormitas criminis læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, vt propterea meritò legislatores statuerint, vt pro huiusmodi crimine puniantur etiam filij.

Quemadmodum, licet regulariter non puniatur crimen attentatum, effectu non sequuto (sicuti præter alios docent Antonius Gabriel *lib. 7. commun. opin. tit.*

tit. de crim. concl. 12. *n.* 19. Menochius *de arbitr. casu* 360. & Farinacius *in tract. crim. p.* 1. *q.* 17. *n.* 49. & constat *ex c. Cogitationis pœna de pœnitentia dist.* 1.) Fallit tamen propter dictam grauitatem, & enormitatem in dicto crimine læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, vt propterea puniatur, etiamsi fuerit solùm attentatum, & effectus non fuerit secutus. Angel. *in l. finali, § finali, ff. quod quisque iuris*. Pighius *lib. de Eccles. Hierarch. c.* 16. Castro *de potest. leg pœnal. cap.* 15. Couarruuias *in Clem.* 1. *p.* 2. *n.* 7. Gygas *de crim. læs. maiest. lib* 3. *tit. qualiter, & à quibus crimen læs. maiest. committ. q* 66. Antonius Gabriel *loc. suprà cit. num.* 20. Menochius *vbi suprà*, Cantera *in quæst. crim. tit. de crim. læs. maiest. n.* 10. Clarus *in §. læsæ maiest. num.* 15. Tiraquellus *de pœnis temporal. caus.* 38. *num.* 10. & alij passim.

PETITIO V.

An in delictis enormibus filij puniantur propter delictum parentis, etiam pœna sensus, vt coniectionis in carceres, tormentorum, vel capitis?

SVMMARIVM.

1 *Filij propter delictum parentis in delictis omnibus non puniuntur pœna sensus, vt coniectionis in carceres, tormentorum, vel capitis; quod vt quid iniquum, & impium, detestantur tum Philosophi, tum Theologi, & ipsæ leges.*

2 *Præcepit Iosue 7. quod Acham cum filiis, & filiabus occideretur, quamuis non essent conscij delicti paterni: non tamen sequitur, quod Princeps possit idem præcipere ob delicta parentum; Iosue enim id fecit ex peculiari instinctu, & reuelatione Dei.*

3 *Pontifex* in cap. vergentis de hæretic. *dicens, quod ex misericordia concedatur vita filiis eorum, qui crimen læsæ maiestatis commiserunt, non loquitur assertiuè, & approbatiuè, sed recitatiuè, seu relatiuè.*

4 *Deus licet ob delicta parentum aliquando puniat filios pœna sensus, tormentorum, & etiam mortis, non tamen id licet Principibus; Deus enim est Dominus vitæ humanæ, & propterea poterit, prout voluerit, illam dare, vel auferre, quale dominium non reperitur apud Principes sæculares.*

5 *Hieremiæ 31. & Ezechielis* lib. 18. *vbi dicitur, patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, sed vnusquisque in iniquitate sua morietur, intelligitur non de pœna temporali, sed spirituali.*

1 Respondetur negatiuè: quod, vt quid iniquum, & impium detestantur. Plato *de leg lib* 9. Demosthenes *epist.* 3. & alij, quos sequuntur S. Thomas 2. 2. *q.* 108. *art.* 4. *ad* 2. Durand. *in* 2. *dist.* 33. *q.* 1. Alens. *part.* 3. *q.* 41. *membr.* 4. *art.* 1. Clar. *l.* 5. *§. finali. q.* 86 *n.* 4. Medina *Cod. de satisfact. q.* 5. *vers. Hinc tamen Hyppolitus singul.* 361. *& in l. Infans ff. ad leg. cornel. de sicariis nu.* 16 Menoch. *vol.* 1. *consil.* 99. Anton. Gutierez *in l.* 40. *Tauri n.* 91. Decian. *l.* 7. *c.* 41. *n.* 18. Couarruuias *l* 1. *var. c.* 8. *num.* 7. Simanch *de Cathol. Institut. tit* 29. *num.* 6. Farinac. *q.* 24. *n.* 189. & alij passim, & patet, quia expressè id prohibetur *Deuteron.* 14. *vers.* 16. Ibi: [non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur;] & *Ezechiel.* 18. *vers.* 4. *& infra vers.* 20. [Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris.]

2 Obiicies: Iosuë 7. præcepit, quod Acham cum filiis, & filiabus occideretur, quamuis non essent conscij delicti paterni: ergò & Reipublicæ Princeps poterit propter delicta parentum punire filios, etiam pœna sensus, vt coniectionis in carcerem, tormentorum, vel capitis.

Respondetur (vt omittam, nonnullos sentire, quod filij Acham non fuerint occisi; cum id ex sacris literis non colligatur) concedo antecedens (scilicet filios Acham fuisse occisos, vt ex probabiliori sententia docent S. Augustinus *l.* 6. *quæst. veter. testament. c.* 8. & Lyranus *in decimo capite* 7. *Iosue*) At id fecit Iosuë ex peculiari instinctu, & reuelatione Dei.

Obiicies secundò: *In cap. vergentis de hæretic.* ait Pontifex, quod ex misericordia concedatur vita filiis eorum, qui crimen læsæ maiestatis commiserunt: ergò supponit Pontifex, quod Principes possint mortis supplicio punire filios propter delicta parentum. 3

Respondetur: distinguo antecedens; ait id Pontifex assertiuè, & approbatiuè, scilicet asserendo, & approbando, nego: recitatiuè, seu relatiuè, scilicet recitando, seu referendo, concedo; refert igitur solùm ibi Pontifex, quod Principes suis legibus sic statuerint contra filios parentum committentium crimen læsæ maiestatis, non propterea tamen eorum leges, & sententias approbat; quod scilicet Principes possint ex iustitia punire filios morte propter tale crimen parentum, & solùm ex misericordia id non exequantur.

Obiicies tertiò: Deus propter delicta parentum de facto punit aliquando filios pœna sensus tormentorum, & etiam mortis vti supra dicebam petitione præcedenti confirmatione secunda, & innuit etiam *Hieremias* 31. *& Ezechiel* 18 Ibi: [Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt:] ergò & Principes id facere poterunt imitando scilicet exemplum Dei. 4

Respondetur (vt omittam, Sanctum Augustinum *libro contra Adimentum Manichæum cap.* 7. Gregorium *l.* 5. *moral. c.* 31. Hieronymum *in c.* 31. *Hieremiæ* Lyranum *in c.* 10. *Exod* & S. Thomam 2. 2. *q.* 108. *art.* 4. *ad primum*, sentire, quod Deus puniat prædictis pœnis temporalibus filios propter peccata parentum, si tamen filij parentum mores, & viuendi modum imitentur) concedo antecedens, scilicet, quod Deus puniat prædictis pœnis filios propter delicta parentum, etiamsi filij parentum mores, & viuendi modum non imitentur (vt ex probabiliori sententia docent idem Augustinus *lib.* 6. *quæst. veter. testam. c.* 8. idem S. Thomas *p* 2. *q.* 87. *art.* 8. *in corpore, & ad primum*, Alensis *p.* 1. *q.* 59. *membr.* 5. *art.* 4. Castr. *l.* 2. *de iust hær. punit. c.* 7 & alij passim;) at nego consequentiam; & disparitas est, quia Deus est Dominus vitæ humanæ, & propterea poterit, prout voluerit illam dare, vel auferre: quod simile dominium non reperitur apud Principes sæculares.

Cum verò *Hieremias* 31. *& Ezechiel* 18. aiunt:] In diebus illis non dicent vltra, patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt, sed vnusquisque in iniquitate sua morietur, dicendum est,] quod ibi non sit sermo de pœna corporali; (non enim ibi dicitur, quod filij puniendi non sint pœnis temporalibus propter delicta parentum, quia & contrarium probatur *supra citata petitione præcedenti confirm.* & insinuatur etiam *Exod.* 34. *vers.* 7. Ibi: [qui reddis iniquitatem patrum filiis, ac nepotibus in tertiam, & quartam progeniem] sed est sermo de pœna spirituali, & æterno: in quo sensu etiam nonnulli Doctores explicant illud *Deuter.* 24. *vers.* 16. Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, sed vnusquisque pro peccato suo morietur; & illud *Ezech.* 18. *vers.* 4. *& infra vers.* 20. Anima, quæ peccauerit, ipsa morietur, & filius non portabit iniquitatem patris. 5

PETITIO

PETITIO VI.

An filij committentium crimen læsæ maiestatis humanæ priuentur maioratu, saltem si maioratus habeat iurisdictionem, & dignitatem, (vt Comitatus, Marchionatus, vel Ducatus, &c.) annexam?

Respondetur: De hac re vide *suprà Dubitatione* 173. *corollar*.7.

Dixi de pœnis filiorum, & nepotum tam diuinæ, quàm humanæ læsæ maiestatis crimen hominis committentis (de quibus vide etiam *infrà dubit*.195.*sect*.52.) Dicam nunc,



De modo procedendi in causis Fidei, tam contra hæreticos, quàm contra quoscumque alios quomodocumque de hæresi suspectos?

DVBITATIO CLXXIX.

An in crimine hæresis procedi possit summarie, simpliciter, & de plano, sine Aduocatorum, & Iudiciorum strepitu, & figura?

SVMMARIVM.

1 *In crimine hæresis procedi potest summariè, simpliciter & de plano, sine Aduocatorum, & Iudiciorum strepitu; & figura; quia sic expresse habetur in iure.*

2 *Priuilegium de quo suprà citata iura loquuntur, Inquisitoribus concessum, licèt intelligi videatur quoad leuia, & non multum præiudicantia, quale est crimen hæresis; nihilominus ne Textui contradicatur expressè sine vlla limitatione affirmanti quod in negotio hæreticæ prauitatis procedi possit simpliciter, absque vlla limitatione intelligi debet.*

3 *Inquisitores licèt in causis decidendis hoc priuilegio vti possint, non tamen obligantur, seu coguntur, &c.*



1 Respondetur affirmatiuè; quia sic expressè habetur *in c. statuta de hær. in* 6. *in Constitutione Alexandri IV.* quæ incipit *Capientes Inquisitionis negotium. Et in Constitutione Vrbani IV.* quæ incipit *Licet ex omnibus* apud Peñam inter literas Apostolicas; & docent communiter Doctores. Royas *singul*.145.*n*.1. Scacc. *de iudic c*.52. *n*.2. & 3. (Vbi ait, quod in crimine hæresis non sunt necessariæ solemnitates legis libellorũ, *ff de accus.*) Patam. *de orig Inquis. lib*.3.*q* 9.*n* 93.& 94. (Vbi inquit, quod in accusatione porrecta contra hæreticũ per Procur. Fiscalem non debeat apponi locus loci, & tempus præcisum commissi criminis, sed tantùm mensis, & annus, oppidum, vel ciuitas) Simanch. *de Cathol. inst tit*.4.*n*.9. & 10.*tit*.43.*n*.21. & *tit*.44.*n*.30. Carrer *de hær. n* 93. 103. & 109. Gundisaluus *de hær q*.12.*n*.2. Zanchin *de hær. cap*.9. *n*.1. Eymeric. *in direct. Inquis. p*.3.*q*.54. & *ibi* Peña *comment*.103. Repertorium Inquisitor. *verb. Ordo vers. Sed quoad talem iudiciariam*, & Farinac. *q*.185.*n*.13. Quidquid in contrarium dixerint quidam, quos sequitur Decianus *tract. crim. lib*.5 *c*.34 *n*.9.

Obicies ex Deciano *loc. suprà cit.* Priuilegium (de 2 quo suprà citata iura loquuntur) Inquisitoribus concessum intelligi debet quoad leuia, & non multùm præiudicantia, non autem quoad ea, quæ multum præiudicant; cùm crimen hæresis valde graue sit, & multùm infamet, vt proinde Inquisitoris arbitrio remitti non debeat, quod sic ille quoad tale crimen procedere possit; Præsertim cùm *in c. vt officium*, §.1. *de hær. in* 6. dicatur, quod in dicto crimine procedendum sit iuxta canonicas sanctiones, & *in* §. *si verò dicatur*, quod procedendum sit iuxta formam Ecclesiæ.

Respondetur: nego antecedens; quia expressè contradicit Textui sine vlla limitatione affirmanti, quod in Inquisitionis hæreticæ prauitatis negotio procedi possit simpliciter, de plano, &c. atque sic sine vlla scilicet limitatione tradunt Doctores suprà citati, *vbi suprà*, præsertim Peña, Seaccia, Royas, Repertorium Inquisitorum, & Farinacius: neque obstat Textus *in cit. cap. vt officium*, quia iuxta canonicas sanctiones, & iuxta formam Ecclesiæ proceditur, cùm proceditur summariè, simpliciter, de plano, & sine figura iudicij ex priuilegio, & Constitutione Sedis Apostolicæ.

Aduerte tamen, quod licèt Inquisitores in causis fi- 3 dei decidendis hoc priuilegio vti possint, non tamen obligentur, seu cogantur; quia *in d. c. statutum*, dicitur, *concedimus*, (quod in Inquisitionis hæreticæ prauitatis negotio procedi possit simpliciter, de plano, &c.) quod verbum non indicat obligationem, sed licentiam dumtaxat. Seacc. *de iud c*.52.*n* 2. Zanchin. *tract. de hær. c*.9. *in princ.* Vmbertus Locatus *iudic. Inquisit. verbo Inquisitor, n*.18. Albertin. *tract. de agnoscend. assertion. cathol. & hær. q*.54. *num*.30. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *q* 185.*n*.19.



DVBITATIO CLXXX.

An, & quid importet clausula illa, quod scilicet in causis fidei decidendis procedi possit summariè, simpliciter, & de plano, sine Aduocatorum, & Iudiciorum strepitu, & figura?

SVMMARIVM.

1 *Clausula illa, quod scilicet in causis fidei decidendis procedi possit summariè, simpliciter, & de plano sine Aduocatorum, & Iudiciorum strepitu, & figura, importat, vt videlicet iudex, cui taliter causa committitur, necessariò libellum non exigat, licèt contestationem non postulet, &c. quæ per longum recensentur, non tamen sic Iudex litem abbreuiet, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur, iuxta ea, quæ statuuntur* in Clement. sæpè contingit de verborum significatione.

2 *Clausula prædicta summariè, &c. non tollit ea, quæ sunt iuris naturalis; cùm probationes necessariæ ad veritatem indagandam, omitti non debeant, & citatio partium, illarúmque defensio legitimè concedatur.*

3 *Petitio in actis scribenda omitti non potest, quia pronunciatio sequi debet iuxta petitionis formam.*

4 *Litis contestatio omitti non potest.*

5 *Textus* in cap. Cùm contumacia de hæret. *non obstat: quia ex illo solùm sequitur, quod reus citari debeat.*

6 *Iudicis arbitrio concedenda etiam sunt deliberatoriæ aliquæ, quæ in defensionem ipsius rei visa fuerint necessaria.*

7 *Causa prædicta commissa cum clausula summariè, &c. potest agitari, & sententiari etiam in ferijs ob hominum necessitatem indultis.*

8 *Item etiam in ferijs institutis ad honorem Dei, contra Glossam negantem, & aliquos Doctores.*

9 *Clausula prædicta summariè amputat dilationum materiam, litem abbreuiat, exceptiones, & appellationes frustratorias repellit, iurgia resecat, testium multitudinem refrænat.*

10 *Item quamuis requiratur citatio, sufficit tamen vnica, cum alias in principio causæ trina, vel peremptoria requiratur.*

11 *Item requiritur iuramentum calumniæ, veritatis, & malitiæ; quamuis si tacitè omittantur, non videatur propterea processus vitiari.*

12 *Item conceduntur reo defensiones legitimæ, & tempus ad illas faciendas necessarium.*

13 *Item admitti debet appellatio ab interlocutoria, aliàs contra ius proceditur.*

14 *Item citantur partes ad audiendam sententiam: quamuis in hac non citentur peremptoriè: quia non concluditur causa, sed datur locus nouis probationibus, & defensionibus.*

15 *Denique sententia semper ferri debet in scriptis.*

1 RΕspondetur: Ex Clementina sæpè contingit *de verb. sign.* importat: [Vt videlicet iudex, cui taliter causa committitur, necessariò libellum non exigat, licèt contestationem non postulet, tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum à iure, procedere valeat, amputet dilationum materiam, litem, quantum poterit, faciat breuiorem, appellationes dilatorias, & frustratorias repellendo, partium, Aduocatorum, & Procuratorum contentiones, & iurgia, testiúmque superfluam multitudinem refrænando; non tamen sic iudex litem abbreuiet, quin probationes necessariæ, & defensiones legitimæ admittantur; citationem verò, ac præstationem iuramenti de calumnia, vel malitia, siue de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi intelligimus non excludi. Verùm quia iuxta petitionis formam pronunciatio sequi debet, pro parte agentis, & etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio facienda, siue scriptis, siue verbis, actis tamen continuò (vt super quibus petitiones, & articuli formam debeant, possit haberi plenior certitudo, & vt fiat definitio clarior) inserenda. Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium propter partium confessiones, & articulos ad clariorem probationem vsus longæuus in causis admisit, nos vsum huiusmodi obseruare volentes, statuimus, vt iudex sic deputatus à nobis (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul vtrosque terminum dare possit, & ad exhibendum omnia acta, & munimenta, quibus partes vti volunt in causa post dationem articulorum, diem certum, quandocumque sibi videbitur, valeat assignare, eo saluo, quod vbi remissionem fieri contingeret, pro testibus producendis possint etiam instrumenta produci, assignatione huiusmodi non obstante: interrogabit etiã partes, siue ad earum instantiam, siue ex officio, vbicumque hoc æquitas suadebit; sententiam verò diffinitiuam, citatis ad id, licèt non peremptoriè, partibus in scriptis, & prout magis sibi placuerit, stans, vel sedens proferat, etiam (si ei videbitur) conclusione non facta, prout ex petitione, & probatione, & alijs actitatis in causa fuerit facienda: quæ omnia etiam in illis casibus, in quibus per aliam Constitutionem nostram, vel aliàs procedi potest, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij volumus obseruari. Si tamen in præmissis casibus solemnis ordo iudicialis in toto, vel in parte non contradicentibus partibus obseruetur, non erit processus propter hoc irritus, neque etiam irritandus.] Hucvsque Pontifex Clemens V. *in citata Clementina.*

Ex qua Clementina constat, quod integra remaneant quæ sunt iuris naturalis, & iuris gentium; cùm necessaria, ac substantialia causæ, illa scilicet, sine quibus nec iustè, nec rectè, nec commodè negotium tractari potest, sublata non sint (vt propterea in causis hæreticalibus requiratur etiam legitimatio personarum, aliàs processus redderetur nullus.) Et cùm probationes necessariæ ad veritatem indagandam omitti non debeant, & citatio partium, illarúmque defensio legitimè concedantur: solùm enim sublatæ censentur solemnitates, quæ de iure positiuo requirebantur. Pena *3. p. direct. q. 55. comment. 104. in fin.* Albertin. *tract. de agnoscend. assertion. Catholic. q. 34 n. 51.* Param. *de orig. S. Inquis. lib. 3. q 4. rubr. de forma, & ordine iudiciario, n. 45.* Vmbert Locat. *in iudicio Inquisitor. verb. de plano*, & alij, quos citat & sequitur Farinac. *q 185. n. 14. & seqq.* Marta *de clausul p. 1. clausul. 180. n. 5.* & Barbos. *tract. de clausul clausul. 176.* 2

Petes, quænam solemnitates admittantur, & quænam omitti possint?

Respondetur: Omitti non potest petitio in actis scribenda, quia pronunciatio sequi debet iuxta petitionis formam; sic DD communiter cum Gloss. *in supradicta Clem. verb. Necessariò, & in verb. Pronunciatio.* 3

Secundò, omitti non potest litis contestatio. Menochius *de arbitr. lib. 1. q. 18.* Pena *2. p. direct. comment. 19.* Decian. *tract crim. lib. 5 c. 28. n. 11.* Seacc. *tract. de iudiciis c. 103. n. 10.* & alij, quos refert, & sequitur Farinac. *de haresi q 185. n. 17.* 4

Obiicies, Textum *in c. Cùm contumacia de hæret. in 6.* Vbi inquisitus citari debet, vt de fide respondeat, per quem Textum affirmant nonnulli, (quos sequitur Carrerius *tract. de hær. n. 111.*) requiri litis contestationem, si delinquens præsens sit. 5

Respondetur Textum hunc non obstare; quia ex illo solùm sequitur, quod reus citari debeat, inserendo causam in citatione.

An autem ex eo, quod in iis causis litis contestatio possit omitti, possint etiam negari deliberatoriæ à reo petitæ; cùm in alijs causis (in quibus figura iudicij seruatur) si petantur, concedi debeant, vti tradunt DD. *ex c. cùm accusatus 5. q 3.* 6

Respondetur ex probabiliori sententia Doctorum, quod arbitrio iudicis concedi debeant deliberatoriæ aliquæ, quæ in defensionem ipsius rei visæ fuerint necessariæ; quia cùm ipse reus possit iudicem, si suspectus fuerit, recusare, possitque actorem reconuenire, sequitur, quod ad hos, & alios effectus deliberatoriæ necessariò debeant.

Tertio, potest hæc causa agitari, & sententiam in ferijs ob hominum necessitatem inductis (quales sunt vindemiarum, & messium) idque, etiamsi partes recusent (quod in aliis causis fieri non potest) ex textu *in supracit. Clement.* & ex Glossa *ibid. verb. Ob necessitates,* quam sequuntur communiter Doctores. 7

An autem idem in feriis, ad honorem Dei, & Sanctorum, & ob coronationem Principis repentinè inductis, fieri possit? 8

Respondetur, quod (quamuis Glossa neget) probabilius sit oppositum, ex Textu *in c. finali de feriis*, vbi sententia in feriis prolata inualida est, nisi vrgeat necessitas, vel suadeat pietas: at suadet pietas, seu Religio, quod causa fidei abbreuietur: Ergo ex hac parte in omnibus feriis huiusmodi causa prædicta tractari poterit.

Quartò dilationum materiam amputat, litem abbreuiat, exceptiones, & appellationes frustratorias repellit, iurgia resecat, testium multitudinem refrænat: quæ omnia, licèt in omni causa, in qua iudicis figura seruatur 9

feru atur, obseruari debeant, non tamen similiter obseruantur in causa, de qua loquimur;cùm in ea summariè, simpliciter, & de plano procedatur; sic Doctores cum glossa *loc.suprà cit. verb.Exceptiones.*

10 Quintò; quamuis requiratur citatio, sufficit tamen vnica;cùm alia in principio causæ trioa,vel peremptoria requiratur,ex textu in *c.de illicita 24. q.3. & in cap. Quoniam, §.Porrò vt lite non contestata.*

11 Sextò, requiritur iuramentum calumniæ,veritatis,& malitiæ;quamuis si tacitè omittantur, non videtur propterea processus viciari, *e.t.de iuramento calumnia in 6.* & tradunt cum Glossa *in cit.Clementina, verbo non excludi*, communiter Doctores.

12 Septimò, conceduntur reo legitimæ defensiones, & tempus ad illas faciendas necessarium; sic Doctores, quos sequitur Peña *3. p. direct.comment.*103.

13 Octauò admitti debet appellatio ab interlocutoria, aliàs contra ius proceditur; sic Doctores, quos sequitur Peña *loc.suprà cit.*

14 Nonò, citantur partes ad audiendam sententiam(sicuti in aliis causis)quamuis in hac non citentur peremptoriè; quia non concluditur causa,sed datur locus nouis probationibus , & defensionibus; sic Doctores cum Glossa *ibid.verb.conclusione.*

15 Decimò sententia semper ferri debet in scriptis(aliàs nullius assit valoris) sicuti in aliis causis ordinem iudiciarium seruantibus; idque in eo,ne veritas occultetur; sic Doctores cum Glossa *vbi suprà.*



DVBITATIO CLXXXI.

An, & quomodo procedatur in crimine hæresis via accusationis?

Suppositum.

SVMMARIVM.

1 *Iudex tribus modis iuridicè procedit aduersus crimina via scilicet accusationis, denunciationis,& inquisitionis.*

2 *Iudex procedit via accusationis quando est quis actor, & assumit in se onus probandi quæcumque contra reum obiecerit.*

3 *Iudex procedit via denunciationis, quando quis defert crimen tantum, & non vult assumere in se onus probandi.*

4 *Denunciatio duplex est;vna Euangelica, quæ spectat emendationem fratris, & fit superiori tanquam patri: Altera iudicialis,quæ spectat vel criminum punitionem, & fit superiori tanquam iudici.*

5 *Iudex procedit via inquisitionis, quando ex officio procedit ad locum aliquem suæ iurisdictioni subiectum purgandum.*

6 *Iudex non potest condemnare quempiam sine accusatore, vel formali, vel virtuali. Virtualis enim accusator dicitur id, quod supplet vicem accusatoris, quam supplet in criminibus contra bonum publicum simplex denunciatio: in priuatis verò si sint notoria ipsa facti euidentia,quæ supplet etiam in omnibus criminibus vicem accusatoris,& etiam testis, &c.*

7 *Reus quando proceditur per denunciationem Euangelicam puniri non potest ante contumaciam, & non requiritur accusator: secus post contumaciam.*

8 *Iudex si procedat per Inquisitionem, supplet infamia, & indicia.*

9 *Duo modi ex Doctoribus tantùm ponuntur procedendi contra delinquentes: vnus ex officio, alter ad instantiam partis,ex eo quia denunciatio non est per se aliqua distincta via procedendi.*

10 *Iudex ex officio procedit, quando præcedente aliqua infamia,vel denunciatione capit informationes,& format inquisitionem contra reum.*

11 *Iudex procedit ad instantiam partis; quando pars offensa,vel alter, ad quem id de iure spectare potest, accusationem porrigit, & iudex ea admissa procedit secundum eius probationes.*

12 *Iudex procedit per Inquisitionem,quando agit ex officio.*

13 *Modus procedendi ex officio,seu per inquisitionem ex dispositione iuris canonici extendit se ad omnia crimina: quia in omni genere criminum potest index procedere per inquisitionem.*

14 *Idem etiam ex consuetudine seruatur in foro ciuili.*

15 *Via inquisitionis est ordinaria in quibusdam Regnis, paucis exceptis procedentibus per accusationem.*

16 *In Regno Neapoli nemo nisi suam, vel suorum iniuriam exequatur, admittitur ad accusandum.*

17 *In Regno Galliæ omnis ad vindictam publicam tendens accusatio prohibetur, & solùm pro interesse ciuili permittitur.*

SVPPONO, quod iudex iuridicè procedat aduersus crimina tribus modis. Primò,via accusationis, Secundò,via denunciationis. Tertiò,via inquisitionis. Habetur *in c.Qualiter,& quando 2.de accusat.* & tradunt communiter Doctores. 1

Procedit via accusationis, quando est quis actor, & assumit in se onus probandi quæcumque contra reum obiecerit. 2

Procedit via denunciationis,quando quis defert crimen tantùm,& non vult assumere in se onus probandi: 3 quapropter differunt accusator, & denunciator in hoc, quod accusatori incumbit onus probandi; non autem incumbit denunciatori. Est autem denunciatio duplex: vna Euangelica, quæ spectat emendationem fratris, & 4 fit superiori,tanquam patri:non ad processum formandum, sed ad emendationem, seu correctionem fratris: altera iudicialis,quæ spectat, vel criminum punitionem ob bonum commune, vel mali, aut damni impeditionem, & fit superiori, tanquam iudici, ad formandum processum,& puniendum delinquentem Suar.*vbi infrà c.8.* & Thomas de IESV *tract.1 de visit. Regular.c.4.*

Procedit via inquisitionis,quando iudex,vel superior 5 ex officio,& non ad instantiam alicuius procedit ad locum aliquem suæ iurisdictioni subiectum purgandum, vel reformandum, aut ad commissi criminis authorem inuestigandum;vnde iste tertius modus procedendi solet reuocari ex officio,& duo priores ad instantiam partis. Suarez *tom.4.de Relig.lib.10.de regimin.societ.c.11.& 12.* & Aldrete *de relig.disciplin.lib.1.c.4.5.7.*

Non obstat,si dicas:ex S.Thoma 2.2.q.67.a.3. com- 6 muniter recepto quòd iudex non possit condemnare quempiam sine accusatore: ergo tantùm procedere potest via accusationis.

Respondetur enim,distinguo antecedens: Iudex non potest condemnare quempiam sine accusatore; ita vt semper requiratur accusator formalis, nego;ita vt semper requiratur accusator,vel formalis,vel virtualis,concedo, Iudex igitur non potest condemnare quempiam sine accusatore generatim sumpto;quia semper requiritur accusator vel formalis, vel virtualis, vti dicebam. Virtualis accusator dicitur id, quod supplet vicem accusatoris;vicem autem accusatoris supplet in criminalibus contra bonum publicum simplex denunciatio:in priuatis,si sint notoria,supplet ipsa facti euidentia,qui imo hæc facti euidentia supplet in omnibus criminib. non solù vicem accusatoris,sed etiã testis, & totius pro- 7 cessus iuridici,si etiã iudici cõ hac euidentia sit ipsa persona euidens, seu notoria. Caiet *cit.q.67.a.3.* Si autem non sint notoria, & procedatur per denunciationem Euangelicam,

Euangelicam, tunc ante contumaciam Reus puniri non potest: vnde non requiritur accusator; post contumaciam autem potest quidem contra illum procedi, & tunc ipsa contumacia iudici, & alius quibus-
8 dam euidens, supplet vicem accusatoris; si verò procedatur per inquisitionem, tunc supplet infamia, vel supplent indicia. Vide Sotum *de secreto membr.* 2. *quæst.*6.

9 Cæterùm ex aliis Doctoribus sic commodiùs duo tantùm ponuntur modi procedendi contra delinquentes; vnus ex officio: alter ad instantiam partis ex eo, quia denunciatio (inquiunt ipsi) non est per se aliqua distincta via procedendi, sed (vt præter alios dixit Clarus *lib.5 Practicæ criminalis q.* 3.) est solùm quiddam præuium, vt iudex procedat ex officio.

10 Procedit igitur iudex, iuxta hunc modum dicendi, ex officio; quando, præcedente aliqua infamia, vel denunciatione, capit informationes, & format inquisitionem contra eum, vt sic ad plenam probationem, & sententiam perueniat; procedit autem ad instantiam
11 partis; quando pars offensa, vel alter (ad quem id de iure spectare potest) accusationem porrigit, & iudex, ea admissa, procedit secundùm eius probationes.

12 Procedit & igitur iudex iuxta hunc dictum modum dicendi per Inquisitionem, quando agit ex officio: procedit autem per accusationem, quando agit ad instantiam partis (scilicet accusantis) quia, si ageret ad instantiam partis (quamuis iuridicè denunciantis) adhuc ageret ex officio propter rationem iam dictam ex Claro, & aliis *suprà*.

Dixi, *si ageret ad instantiam partis (quamuis iuridicè denunciantis)*: quia si ageret ad instantiam partis Euangelicè denunciantis (cùm tunc denunciatio facta sit ipsi, non vt iudici ad puniendum delinquentem, sed vt patri ad corrigendum fratrem) non poterit vllo modo ea vti ad iudicium, vel ad formandum processum.

13 Modus iste procedendi ex officio, seu per Inquisitionem ex dispositione iuris canonici extendit se ad omnia crimina. Archidiacon. *in c.felicis, §.vlt.de pœnis in* 6. & alij passim; quia in omni genere criminum
14 potest iudex procedere per Inquisitionem. Idem etiam
15 ex consuetudine seruatur in foro ciuili: quapropter in quibusdam Regnis via inquisitionis adeò est ordinaria, vt altera, nempe accusationis, non nisi in paucis cau-
16 sis admittatur. In Regno enim Neapolis nemo, nisi suam, vel suorum iniuriam exequatur, admittitur ad
17 accusandum. Et in Regno Galliæ omnis ad vindictam publicam tendens accusatio prohibetur, & solùm pro interesse ciuili permittitur: quapropter in omnibus causis criminalibus per viam inquisitionis proceditur. Gulielmus de Benedictis, & alij, quos citat, & sequitur Clarus *loco suprà citato num.* 6. Vide, quæ dicam *infrà Positione* 9. & quæ dicam *Dubitatione* 184. His suppositis, sit

---

Dubitationis Resolutio.

SVMMARIVM.

1 *Accusationis via modus procedendi non est ampliùs in vsu in crimine hæresis: sed per consuetudinem iam abrogatus; quia in hoc Tribunali constitutus est minister publicus scilicet Fiscalis, qui personam accusatoris subit, & reos accusat, & ad pœnam talionis, vel ad alias pœnas, quibus falsus accusator subijcitur, se non subscribit: quia necessitate officij ob bonum publicum accusat.*

2 *Accusatoris officium, hoc non obstante, si quis velit subire, & velit pœnis subijci, Inquisitor debet acceptare; ita tamen vt accusatio proponatur in scriptis: quæ scriptura sufficit, si fiat à Notario, proposita querela ab accusatore coram iudice.*

3 *Accusator prædictus non tenetur se subscribere ad pœnam talionis: quia hæc pœna sublata iam est in cæteris delictis, ne accusatores deterreantur, & delicta ob id non puniantur: tum quia in hoc delicto non requiritur subscriptionem facere, cùm in eo procedatur summariè, simpliciter, & de plano.*

4 *Accusator prædictus licet ad pœnam talionis se non subscribat, ac proinde tali pœna non subijciatur, nihilominus si in probatione defecerit, grauiter arbitrio Inquisitorum puniri debet: quia habetur vt calumniator, sicque vt calumniator puniri debet.*

Respondetur: Modus procedendi in crimine hære- 1
sis via accusationis non est ampliùs in vsu, sed per consuetudinem est iam abrogatus. Decian. *tract.crim. lib.*15.*c.*28.*n.*8. Paramus *de orig.S.Inquis.lib.*3. *q.*9.*n.*15. *& seqq.* Scacc. *de indiciis c.*5 a *n.*6.*&* 7. Peña 3 *p. direct. comment.*14.*n.*57.*versic sed eam hodie*, & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinac.*q.*165.*n.*40. Idque ex eo, quia in hoc Tribunali S. Inquisitionis constitutus est minister publicus, scilicet Fiscalis, qui personam accusatoris subit, & reos accusat, & ad talionis pœnam, vel ad alias pœnas, quibus falsus accusator subijcitur, se non subscribit; ita Doctores, quos *suprà in locis citatis* referebam: ratio autem quare ad pœnas accusatoris non probantis minister fiscalis se non subscribat, neque subiiciatur, est; quia necessitate officij ob bonum publicum accusat; & quia nunquam accusat, nisi testes habeat: quapropter iurat, quod accuset non ex malitia, sed ex officij necessitate, qua ad id faciendum compellitur.

Aduerte tamen, quod si quis, hoc non obstante, 2
officium accusatoris instet, & velit pœnis subijci, Inquisitor debeat acceptare; ita tamen vt accusatio proponatur in scriptis, iuxta Textum *in cap.*1.a. *quæst.*8. Ibi: *Accusatorum persona nunquam recipiantur sine scripto.* Quæ scriptura sufficit, si fiat à Notario, proposita querela ab accusatore coram iudice (cùm in hoc crimine, sicuti dicebam, procedi possit summariè, simpliciter, & de plano, sine figura, & strepitu iudicij) *cap.finali de hæret.in* 6. & tradunt Doctores, quos sequitur Paramus *de orig.Inquisit. lib.*3. *q.*9. *n.*10. Peña *cit.comment.*14.*vers.Vbi autem*, & Farinacius *vbi suprà num.*42.

Aduerte secundò, quod prædictus accusator non te- 3
neatur se subscribere ad pœnam talionis: tum quia hæc pœna talionis in cæteris delictis, ne delicta, si è Republica tollantur accusatores (sicuti reuera tolluntur ex parte, si timent, quod deficientes in probatione huic pœnæ subiiciantur) sublata iam est: tum quia in hoc delicto non requiritur, subscriptionem facere, cùm in eo (sicuti suprà dicebam) procedatur summariè, simpliciter, & de plano, sine strepitu, & figura iudicij, ex cuius concessione hæc subscriptio sublata est, Paramus *de orig. sanctæ Inquisitionis lib.*3. *quæst.*4.*rubr.de forma, & ordine iudiciario num.*16. Peña 3.*part.directorij q.*55. *comment.*104.*vers.Itaque*, & alij, quos refert, & sequitur Farinac. *q.*185.*num.*33.

Aduerte tertiò, quod (licèt prædictus accusator ad 4
pœnam talionis se non subscribat, ac proinde tali pœnæ non subiiciatur.) Nihilominus, si in probatione defecerit, grauiter arbitrio Inquisitorum puniri debeat; quia habetur, vt calumniator, sicque vt calumniator puniri debet. Royas *loco suprà citato singul.* 8. Peña *vbi suprà commentario* 14. *versu Ex his*; & alij, quos sequitur Farinacius *quæst* 185. *num* 57. præsertim, quia non omninò improbabile est, quod pœna talionis ponendus sit casu, quo probatum fuerit, quod ipse

ex malitia innocentem falsò accusauerit, iuxta Constitutionem Pij V. (quæ est eius quinta in Bullario) vbi decernit Pontifex, quod denuncians per calumniam ad pœnam talionis subiiciatur; quod multò magis de accusatore dicendum esse videtur; qua de re Farinacius *loc. suprà cit. n. 39.*

PETITIO I.

Quid dicendum, si accusator ad pœnam talionis se subscripserit, & in probatione defecerit, an saltem in tali casu pœna talionis puniri debeat; cùm ipsemet eam sibi imponi voluerit?

SVMMARIVM.

1 *Accusator si ad pœnam talionis se subscripserit, & in probatione defecerit, non pœna talionis, sed pœna mitiori debet, non quia ea pœna dignus non sit: sed quia Ecclesia vult cum illo misericordiam, & non rigorosam iustitiam exercere.*

2 *Testis falsus etiam nunquam punitur pœna talionis, sed pœna mitiori, quam subiret testificatus, si verum esset crimen, quod ipsi obijciebatur.*

3 *Id etiam procedit casu, quo accusator vnum testem produxerit, vel saltem si se à fide dignis id audiuisse probauerit; quia tunc cùm saltem ex parte delictum probet, non potest dici integre in probatione deficere.*

1 RESpondetur, quod accusator adhuc in tali casu non pœna talionis, sed pœna mitiori puniri debet, Pena *cit. comment. 14. vers. Sed quid*, & alij, quos sequitur Farinacius *vbi suprà n. 37.* Non quia dignus tali pœna non est, sed quia Ecclesia vult cum illo misericordiam & non rigorosam iustitiam exercere, iuxta Text. *in cap. super his de accusat.* Ibi: [Ad extraordinariam pœnam secundùm arbitrium iudicis discreti, citra vinculum inscriptionis est excipiens adstringendus, si defecerit in probando]

2 Confirmatur; quia testis falsus etiam nunquam punitur pœna talionis, sed pœna mitiori, quam subiret testificatus (si verum esset crimen, quod ipsi obiiciebatur.) Ergo idem dicendum erit de accusatore; cùm minùs obiit accusator, quàm testis in dicto casu.

3 Cæterùm quod suprà dixi, saltem dicendum omninò videtur in casu, quo accusator vnum testem produxerit, vel saltem si se à fide dignis id audiuisse, probauerit; quia tunc (cùm saltem ex parte delictum probet, non potest dici, integrè in probatione deficere: sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Peña *loc. supra cit.*

PETITIO II.

Quinam sit modus instituendi hanc accusationem?

SVMMARIVM.

1 *In accusatione prædicta instituenda non est necessarium exprimi locum loci, scilicet specialem locum, verbi gratia, domum, Ecclesiam, talis ciuitatis, & tempus præcisum commissi criminis, sed tantùm mensem, & annum, ciuitatem, &c. Tum ne accusatus in notitiam testium, antequam producantur, deueniat: tum quia in hoc crimine solemnitates libellorum non necessariò obseruantur.*

2 *In accusationis libello licet non exprimatur locus, & dies præcisus criminis commissi; nihilominus in capitulis ad delicti probationem productis exprimi debent.*

RESpondetur: de hac re videri poterit Eymeric. *3 p. directl. n. 67.* & ibi Peña *n. 71. Rubrica de modo continuandi processum.* & Paramus *de orig. sanctæ Inquisitionis lib. 3. q. 9. n. 17.* Vbi *n. 93.* rectè subdit, quod necessarium non sit, exprimi in accusatione locum loci (quemadmodum loquuntur Canonistæ) scilicet specialem locum, v. g. domum, Ecclesiam, talis ciuitatis, & tempus præcisum criminis commissi, sed tantùm mensem, & annum, ciuitatem, &c. Tum ne accusatus in notitiam testium, antequam producantur, deueniat; tum quia solemnitates *l. libellorum, ff. de accusat.* non necessariò in hoc crimine obseruari debent; *cap. final. de hæreticis in 6.* 1

Aduerte tamen, quod (licèt in accusationis libello non exprimatur locus, & dies præcisus criminis commissi) nihilominus in capitulis ad delicti probationem productis apponi debeant: sic Decianus *tract. crim. lib. 5. c. 28. n. 10.* & alij, quos sequitur Farinacius *q. 185. n. 30.* 2

Sed (vt modus procedendi via accusationis in quolibet alio crimine sciatur) sint, præter duas prædictas, aliæ sequentes Petitiones.

PETITIO III.

Quidnam sit accusatio? Vbi etiam, In quo differat accusator ab actore?

SVMMARIVM.

1 *Actor, qui dicitur in causis ciuilibus, dicitur accusator in causis criminalibus.*

2 *Accusatio propriè est delatio Rei de crimine ad vindictam publicam per libellum facta: quia finis accusationis est vindicta publica ad exemplum aliorum.*

SVppono, quod qui in causis ciuilibus dicitur actor, *l. qui prior, ff. de iud.* Is in causis criminalibus dicitur accusator, *ff. de accusat. & inscript.* Hoc supposito. 1

Respondetur: Accusatio propriè est delatio Rei de crimine ad vindictam publicam per libellum facta: sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Syluester *verbo Accusatio.* Et 2

Probatur; quia finis accusationis est vindicta publica ad exemplum aliorum, vt scilicet alij sic à criminibus exterreantur.

PETITIO IV.

Quidnam ad accusationem de iure communi requiratur?

SVMMARIVM.

1 *Ad accusationem de iure communi requiritur, quod ea fiat in scriptis, vt constet quid præcisè accusator debeat probare: tum vt nequeat quidquam mutare: quamuis de consuetudine Accusatio verbalis in scriptis per Notarium redigatur.*

2 *Ad accusationem requiritur secundò, quod exprimatur dies, & annus, quo intentatur: quamuis hodie non sit necessarium.*

3 Requiritur

3 *Requiritur tertiò, quod exprimatur nomen accusatoris, & accusati.*

4 *Requiritur quartò, quod exprimatur species delicti: quia super hoc intentio Accusatoris fundatur,*

5 *Item quintò locus, & tempus, scilicet Annus, & mensis, quo delictum commissum est; adeò quod si in accusatione criminali omittantur, ipsa accusatio sit nulla; quia alioquin accusatio redderetur incerta.*

6 *Accusator non tamen tenetur in libello exprimere diem commissi delicti, sed solum mensem; quia alioquin potestas accusandi, & probandi nimis restringeretur.*

7 *Reus si petat exprimi diem, & horam criminis, vt probet se eo die fuisse absentem, probabilius cogendus est accusator, vt supprimat; quia alioquin tolleretur Reo defensio.*

8 *Textus* in l. libellorum *non intelligitur casu quo Reus velit exprimi diem, & horam delicti, sed tantum per se.*

9 *Neque præsumendum est, tam facile testes subornari, cum exinde magnum periculum isti sibi timere possint.*

10 *Accusator, si non recordetur diem, neque horam, potest iurare se non recordari, et si recordetur, & diem dicat, non tamen tenetur probare; quia ad hoc se non adstrinxit.*

11 *Accusator si spontè diem, & horam posuerit, & postea probare non possit, crimen esse commissum in illo tempore, sed in alio, poterit adhuc sequi condemnatio Rei, sicque seruatur in praxi.*

12 *Delictum si probatum est per testes omni exceptione maiores esse commissum tali tempore, & loco, nihil refert, quod erratum est in die, hora, & loco particulari.*

13 *Circumstantia, vel qualitas aliqua delicti tantum scilicet aggrauans delictum, & illius pœnam in libello proposita sit, quamuis non possit probari, si tamen ipsum delictum simpliciter fuerit probatum, condemnatio Rei sequi debet.*

14 *Requiritur sextò, Accusatoris subscriptio, qua Accusator se obstringat ad pœnam talionis; quamuis hodie non sit in vsu in foro sæculari, secùs tamen in foro Ecclesiastico, subintelligitur etiam non adiuncta ex legis dispositione in foro sæculari.*

15 *Accusator non punitur pari pœna, sed minore, pro arbitrio Iudicis.*

16 *Libellus sine dictis requisitis conceptus abolétur, vtpotè reddens nullum processum, &c.*

5 RESpondetur: ex communi etiam sententia Doctorum, & *ex l. libellorum ff. de Accusation.*

Primò requiritur, quod Accusatio fiat in scriptis, vt constet, quid præcisè accusator debeat probare; tum vt nequeat (si fortè videret, se probare non posse) quidquam mutare; quamuis hodie consuetudine receptum sit, vt accusatio Rei (modò Notarius eam statim in scriptum redigat) fieri possit verbaliter: sic Doctores, quos sequitur Clar. *q. 12. num. 7.*

2 Secundò requiritur, quod exprimatur dies, & annus, quo intentatur: quamuis hoc hodie (sicuti communiter testantur Doctores) non sit necessarium; & meritò, quia parum ad rem referre videtur.

3 Tertiò requiritur, quod exprimatur nomen accusatoris, & accusati: quia constare debet, quinam sit accusator, & quinam sit accusatus; quamuis si accusati nomen ignoretur, possit ex habitu, officio, vel ex aliis circumstantiis describi, & designari.

4 Quartò requiritur, quod exprimatur species delicti, quia super hoc intentio accusatoris fundatur.

5 Quintò requiritur, quod exprimatur locus, & tempus (scilicet annus, & mensis, quod delictum commissum est) adeò, quod si in accusatione criminali omittantur, ipsa accusatio sit nulla; sicuti colligitur ex *citata l. libellorum*; & tradunt communiter Doctores *in l. edicta Cod. de edend.* & ratio est; quia alioquin accusatio redderetur incerta, & tolleretur Reo facultas se defendendi, probando scilicet negatiuam, & conuincendo testes de falso.

Non tamen tenetur accusator exprimere in libello etiam diem commissi delicti, sed solùm mensem (vt expressè habetur *ex eadem l. libellorum*) quia alioquin potestas accusandi, & probandi nimis restringeretur, cum facilè fieri possit, vt quis diem, vel etiam hebdomadam non recordetur: Quandoquidem hæc non ita cadunt sub sensum, sicuti cadit locus. 6

An autem (si Reus petat exprimi diem, & horam criminis, vt probet, se eo die fuisse absentem) cogendus sit accusator, vt exprimat? 7

Respondetur, quod (quamuis negent nonnulli, quos sequitur Gomez *cap. 11. num. 4.*) Probabiliùs tamen affirment alij, quos sequitur Clarus *vbi supra num. 13.* quia alioquin tolleretur Reo defensio: cum non aliter possit probare, se non fecisse, nisi ostendendo, se eo tempore, facere non potuisse, eo quod scilicet esset alibi, vel infirmitate, aut alio impedimento detentus.

Non obstat, si dicas cum aduersariis: *In l. libellorum* habetur: *Nec diem autem, nec horam inuitus comprehendes.* 8

Respondetur enim, quod per hæc verba ibi tantùm significetur, non esse per se necessarium, vt exprimatur dies, & hora, sicuti necessarium est, vt exprimatur mensis, & locus; hinc tamen non sequitur, quod non sit necessarium, si Reus velit.

Neque obstat, si infers: alioquin Reus facilè posset eludere accusationem, subornando scilicet testes, qui deponerent, ipsum eo die, & hora alibi fuisse, vel infirmitate, aut alio impedimento detentum. 9

Respondetur enim, quod sit præsumendum, tam facile testes subornari: cum exindè magnum periculum isti sibi timere possint.

Cæterùm, si accusator non recordatur diem, neque horam potest iurare, se non recordari; Doctores, quos sequitur Clarus *loc. supra cit.* 10

Quin, si recordetur, & diem dicat, non tamen tenetur probare; quia ad hoc se non obligauit.

Quin etiam, si spontè diem, & horam posuerit, & postea probare non possit, crimen esse commissum in illo tempore, sed in alio, poterit adhuc (quidquid negent alij moti ex eo, quia non est probatum id, quod est positum in libello) sequi condemnatio Rei; sicque seruatur in praxi; sic Doctores, quos sequitur Clarus *vbi supra n. 14.* & Gomez *n. 6.* & 11

Probatur; quia si per testes omni exceptione maiores probatum est, delictum esse commissum tali tempore & loco, nihil refert, quod erratum sit in die, hora, vel loco particulari: cum non puniendum sit delictum ex eo, quia hoc, vel illo die, in hoc vel illo loco commissum est, sed ex eo, quia verè commissum est, & verè commissum esse constat; nisi ratio delicti pendeat ex circumstantia temporis, aut loci; (vt siquis in tempore, vel in loco prohibito venatus, piscatus, vel pastus fuerit) quia tunc tempus, & locus catenùs debent in libello exprimi, & in progressu probari, quatenùs spectant ad substantiam delicti. 12

Simili modo, si circumstantia, vel qualitas aliqua delicti (tantùm scilicet aggrauans delictum, & pœnam delicti, v. g. si Reus accusatus fuerit, quod occiderit proditoriè, vel pluries, &c.) in libello proposita sit, quamuis circumstantia, vel qualitas illa non possit probari, tamen, si ipsum delictum simpliciter fuerit probatum, potest, & debet similiter sequi condemnatio Rei; quia interest boni publici, vt tale delictum (etiam absque tali circumstantia, vel conditione, etiam semel tantùm commissum) puniatur, si plenè in iudicio fuerit probatum; quia parum refert, quod accusator non potuerit probare circumstantiam, vel qualita- 13

tem illam delicti, quando probauit substantiam delicti, sic Doctores, quos sequitur Gomez *loc. supra cit. num.* 7.

Adde, quod in libellis apponi consueuerit Clausula, qua accusator testatur, (non nisi ad probandum id, quod est necessarium, & principale) velle obligari.

14 Sextò requiritur accusatoris subscriptio, qua accusator se obstringit ad pœnam talionis; quamuis hodie talis subscriptio in foro sæculari non sit necessaria, neque etiam sit in vsu; tum quia sic homines amouerentur ab accusando (pauci enim sunt, qui velint in se suscipere sub tanto periculo onus probandi) tum quia potest Iudex (si accusator defecerit) procedere ex officio. Accedit, quod, etiamsi dicta accusatoris subscriptio in foro sæculari non adiungatur, tamen tacitè subintelligitur ex legis dispositione (præsertim, si accusator depræhensus fuerit, per calumniam accusasse) sicuti patet *ex l. mulier, & ex l. quæsitum ff. ad senat. consult. Turpilian.*

15 Dixi, quod accusatoris subscriptio, qua accusator se obstringit ad pœnam talionis, hodie in foro sæculari non sit necessaria; quia in foro Ecclesiastico (vbi seruatur ius canonicum) in alio crimine (præterquam in crimine hæresis iuxta ea, quæ supra dicebam) videtur necessaria *ex cap qualiter & quando 2. de Accusat.*

Consuetudo tamen habet, vt prædictus accusator (ne homines amoueantur ab accusando) non puniatur pari pœna, sed minore pro arbitrio Iudicis, vti dicebam, & docet præter alios Couarruu. *lib... var. cap. 9. num.* 1.

16 Cæterum sex ad accusationem Rei requisita, quæ dicebantur, habentur *ex d. l. libellorum ff. de Accusat.* vbi in formula ea ponuntur; & postea subditur: [quod si libelli inscriptionum legitimè ordinati non fuerint, Rei nomen aboletur, & ex integro repetendi Reum potestas erit:] Quibus verbis Legislator vult, quod ea, ita pertineant ad formam accusationis, quod, si omissa fuerint, totus processus sit irritus, & accusator (quamuis ius habeat rursùs de nouo suam accusationem instituendi) damnatus sit ad expensas.

Vide etiam, quæ dicam *infra petit. dec.*

ADVERTENDA.

SVMMARIVM.

1 *Iudex cum officium suum Actori non impertiatur, nisi imploratus potest instante Reo citato ipsum Actorem non comparentem condemnare in expensis, quas Reus citatus in comparando facere debuit.*

2 *Idque locum habet in Accusatore, quin etiam & in Reo, si peremptoriè citatus contumaciter non compareat.*

3 *Item cætera omnia emergentia damna siue Actor, siue Reus contumax parti aduersariæ præstare cogitur. Neque ad alteram citationem deueniri oportet nisi contumax sufficienter caueat de iudicio sisti.*

4 *Reus si ad trinam, & peremptoriam citationem nec per se, nec per Procuratorem nulla legitima causa impeditus, compareat, per Iudicem in bona illius missio fieri potest, alioquin excommunicatio inferri.*

5 *Actor si contumaciter non compareat Reo præsente possunt testes recipi, potestque ad sententiam diffinitiuam etiam lite non contestata procedi.*

6 *Citatio, per quam Reo præsenti datur copia se defendendi, & ad obiecta respondendi adeò iure naturali necessaria est, vt sine ea processus iudicij, & lata sententia nulla, & irrita censeatur.*

7 *Excipe, si notarium sit, quod nulla Rei defensio competere possit.*

8 *Actor etiam postquam Reus citatus comparuit, debet libellum intentionis suæ ante omnia offerre Iudici, & per Iudicem ipsi Reo, vt deliberare possit, vtrum cedere velit, an potius contendere, seu litigare.*

9 *Actor si agat actione personali in libello exprimere debet causam obligationis, v.g. peto centum, quæ mihi debes ex contractu mutui, vel venditionis: si verò agat actione reali, exprimere debet dominium rei, quam petit, v. gr. Peto hanc rem, quia mea est, quod si Reus excipiendo dicat, rem sibi v.g. fuisse donatam, tunc onus probandi reiicitur in ipsum Reum.*

10 *Iudex postquam libellum Actoris Reo connento porrexit, si Reus non cedere, sed contendere voluerit, deuenitur ad litis contestationem; cum hæc sit basis, siue fundamentum iudicij ordinarij.*

11 *Litis contestatio fit per petitionem Actoris in iudicio, & per responsionem Rei animo non cedendi, sed contendendi, seu litigandi.*

12 *Litis contestatio dicitur, eo quod Actor ius sibi esse testatur, Reus autem contrarium contestatur. Quod tamen non requiritur in summariis iudicio.*

13 *Libellus alter datur, qui vocatur famosus, seu infamatorius cuius vigore Iudex inquirere non debet contra infamatum, sed potiùs veniæ puniendus infamator. Procedere tamen potest, & debet in duobus casibus. Primò, si infamia criminis publica præcesserit. Secundò, si crimen perniciosum in futurum sit: tunc enim occultè, & cautè inquisitionem facere debet.*

ADuerte tamen, quod (cum Iudex officium suum 1
Actori non impertiatur, nisi imploratus) fit, quod, si actor Reum ad certum tempus citari faciens, tempore constituto non compareat, Reus præsens potest instare, vt Iudex, causa cognita, Actorem condemnet ad expensas, quas Reus citatus in comparando facere debuit *l. cum quem ff. de Iudic.* & Doctores communiter.

Idque locum habet in accusatore, quin etiam & in 2
Reo, si peremptoriè citatus contumaciter non compareat; quod scilicet & hic simpliciter ad expensas Actori condemnari debeat; *cap. ex literis de dolo & contumac.*

Quin cætera omnia emergentia damna siue Actor 3
siue Reus contumax parti aduersariæ præstare cogitur *l. sancimus Cod. de Iudic.* neque ad alteram citationem deueniri oportet, nisi contumax sufficienter caueat in iudicio sisti; *c. 1. circa finem de dolo, & contumacia.* Denique) si Reus ad trinam, & peremptoriam citationem nec per se, nec per Procuratorem, nulla legitima causa 4
impeditus, compareat, per iudicem in illius bona missio potest fieri, alioquin excommunicatio inferri; *cap. tuæ vt lit. non contest*, & docet Glossa *recepta in cap. 2. de Procurator. verb. rationabili causa*; sin verò Actor contumaciter non compareat Reo præsente, possunt 5
testes recipi, potestque ad diffinitiuam sententiam, etiam lite non contestata, procedi; *cap. Causam quæ*, iuncta glossa; *de dol. & contumac. verb. ad domum*; & Abbas *ibidem n.* 15. vbi rectè subdunt, quod contumacia Actoris sit intolerabilior, quam illa Rei.

Aduerte secundò, quod citatio, per quam Reo præ- 6
senti datur copia se defendendi, & ad obiecta respondendi, adeò iure naturali, & iure gentium necessaria est, vt sine ea processus iudicij, & lata sententia nulla, & irrita censeatur.

Excipe, si notorium sit, quod nulla Reo defensio 7
competere possit. Abbas *in c. dilecti de indic. numero* 6. Missinger. *centur. 2. obseruat.* 9. Gayll. *l. 1. obseruat.* 48. *& 49.* Nauarr. *l. 2. cons. 5. num. 3. de appellat. edict. 2. &*

in

in summa c.25.num.10. & Petr. Nauarr. *de restit. l.2.c 3. num. 192.* Quateuùs aiunt, quod, si Reum de atroci crimine, nulla ei legitima exceptione, vel defensione competente, iuridice conuinci posse, certum sit; at verò ad euitandum graue malum iuridico processu necessario supersedendum esse, existimetur, tunc absque eo ad condemnatoriam sententiam, eiusque executionem Princeps interdùm procedere possit.

8 Aduerte tertiò, quod Actor etiam, postquam Reus citatus compatuit, debet libellum intentionis suæ ante omnia offerre Iudici, & per iudicem ipsi Reo, ad hoc vt reus deliberare possit, vtrum cedere velit, an potiùs contendere, seu litigare: Authent. offeratur *Cod. de lit. contest. l.3. Cod. de edend. & c.1. de libell. oblation.* vbi Glossa *verb. libellum reclamationis*, & alij Canonistæ passim.

9 Ita vt, si Actor agat ratione personali, in libello exprimere debeat causam obligationis, v.g. peto centum, quæ mihi debes ex contractu mutui, vel venditionis, &c. sin autem agat actione reali, in libello exprimere debeat dominium rei, quam petit, v g. peto banc rem, quia mea est: sic Doctores communiter, quos sequitur Gayll. *lib.1. obseruat. 61.* in quo casu Actor probare debet suam intentionem; scilicet quod res a Reo empta sit, eique tradita, quia onus probandi incumbit affirmanti, *l.1. ff. de probat.* sin verò reus contra intentionem Actoris excipiat dicendo, v.g sibi pretium rei, quam emit, postea fuisse donatum, tunc onus probandi reiicitur in ipsum reum, *l. in exceptionib. ff de probat.*. vbi glossa rectè adnotauit, quod sicut Actor intentionem suam, ita reus exceptionem suam probare debet.

10 Aduerte tertiò, quod postquam Iudex libellorum Actoris reo conuento porrexit, si reus non cedere, sed contendere voluerit, deuenitur ad litis contestationem, cùm hæc sit basis, siue fundamentum iudicij ordina-
11 rij, sicuti patet *ex tit. Decretal. vt lit. non contest.* non procedatur ad testium receptionem, aut sententiam diffinitiuam, & notat ibi cum aliis Canonistis Glossa *c.t. verb. ad diffinitiuam*; fit autem litis contestatio per petitionem Actoris in iudicio, & per responsionem Rei
12 animo non cedendi, sed contendendi, seu litigandi; *cap dudum § licet de election. & c.1 de lit. contestat.* vnde litis contestatio dicitur, eo quod Actor ius sibi esse testetur; Reus autem contrarium contestetur, quamuis in summario, seu extraordinario iudicio contestatio litis non requiratur.

13 Aduerte quartò, quod datur alter libellus, qui famosus, seu infamationis vocatur *in cap. Inquis. §. tertia de Accusation.* vt siquis v. g. per schedulam publico, vel priuato loco impositam, aut affixam, iudicem, non ascripto suo denuntiatoris nomine, moneat, vt de tali crimine inquirat. In quo casu iudex, licet in dicta schedula indicia, vel etiam testes inserantur, inquirere non potest, neque debet; *cit. §. tertia* (adeò quod potiùs talis infamator plerumque puniendus sit; *c. quidam 5.q.1. & l. vnica Cod de famos libell.*) quamuis procedere possit, & debeat in duobus casibus. Primò si infamia criminis publica præcesserit: Secundò, si crimen perniciosum in futurum sit: tunc enim Iudex occultè, & cautè inquisitionem, aliaque facere debebit.

PETITIO V.

An Accusator, priusquam accuset, debeat præmittere monitionem secretam?

SUMMARIUM.

1 *Accusator, quotiescumque crimen in iudicio probari potest, non tenetur ex iustitia pramittere monitionem secretam, quod v. g. criminosus desistat à crimine, vel quod alteri prastet satisfactionem debitam, sed potest absque iniuria contra criminosum accusationem instituere, quia tunc propter bonum publicum concessa est accusatio, seu saltèm iuridica denunciatio.*

2 *Denunciator Euangelicus tenetur priùs monere denunciantem secundùm multos ex iustitia, non sic qui iudicialiter denunciat, vel accusat: Euangelica enim denunciatio non instituitur ad punitionem, sed ad fratris emendationem: at iudicialis ad punitionem propter bonum publicum.*

3 *Denunciator iudicialis tenetur quandoque ex lege Charitatis monere Proximum secretè, vt desistat à crimine, vel debitam prastet satisfactionem, si scilicet delictum sit occultum, & speretur proximus priuata monitione esse emendandus. Secùs*
4 *si crimen sit contra bonum publicum; quia tunc etiam si priuata monitione sit emendandus attendi non debet.*

5 *Idem prasertim dic in delicto haresis, seu sollicitationis in confessione; quia hac sunt denuncianda, maxime stante decreto Alexandri VII. secùs est de aliis criminibus.*

RESpondetur: quotiescumque crimen in iudicio probari potest, non tenetur accusator ex iustitia præmittere monitionem secretam, quod v.g. criminosus desistat à crimine, vel quod alteri præstet satisfactionem debitam, sed potest absque iniuria contra criminosum accusationem instituere; sic Doctores communiter, & 1

Probatur, quia tunc propter bonum publicum concessa est accusatio, vel saltèm iudicialis, seu iuridica denunciatio, ad hoc, vt scilicet crimina in exemplum aliorum puniantur, sicque omnes à malo se abstineant, & compescant (ita vt delinquens non possit queri de iniuria sibi facta, quod priusquam fuerit accusatus, vel iudicialiter denunciatus, monitionem secretam non habuerit;) ergò.

Non obstat, si dicas: qui denunciaturus est denunciatione euangelica, tenetur priùs delinquentem, si putet cum emendandum, secretè monere (idque ex iustitia, sicuti multi tenent) ergo etiam qui denunciat denunciatione iudiciali, seu iuridica, vel etiam qui accusat. 2

Respondetur enim: transeat antecedens; at nego consequentiam; & disparitas est, quia qui denunciaturus est denunciatione euangelica, nullam (si proximus putetur priuatim emendandus) causam habet cum denunciandi: Euangelica enim denunciatio non instituitur ad punitionem, sed ad exemplum publicum (cum ex eo nemo possit puniri) sed solùm ad fratris emendationem (quæ cùm absque illius infamatione obtineri possit) nullum ius habet ad eius famam violandam; at qui iudicialiter, seu iuridicè denunciat, vel accusat, spectat punitionem ob bonum publicum; sicque, etiamsi proximus esset priuatim emendandus, adhuc subest iusta ratio illum accusandi, vt scilicet sic per eius punitionem alij deterreantur, & à malo se compescant.

Dixi, quod [quotiescumque crimen in iudicio probari potest, non tenetur accusator ex iustitia præmittere secretam monitionem;] quia fieri sæpè potest, quod priusquam iudicialiter denunciet, vel accuset, teneatur lege charitatis proximum secretè monere, vt desistat à crimine, vel debitam præstet satisfactionem; si scilicet delictum sit occultum, & speretur proximus priuata monitione esse emendandus, vel ad debitam satisfactionem inducendus, præsertim, si dictus proximus sit homo honestus; quia tunc contrà charitatem esset, tantum malum illi irrogare. Nauarr. *in summa c.18.n.30.* & alij communiter, quæ sequitur Aldrete *l.1. de disciplina religiosa c.3.n.6.* 3

Quamuis

Quamuis, si crimen sit contra bonum publicum, & adhuc pendeat, vel in futurum continuandum putetur, charitas ordinariè non postulet, quod monitio secreta denunciationem iuridicam, vel accusationem præcedat, sed debet statim delinquens iudici deferri, vt iudex malo statim etiam occurrat; vt si v.g. quis occultè in hæresim incidat, cum hoste occultè tractet, principis consilia detegat, vel falsam monetam cudat, &c. Ratio; quia tunc periculum, quod imminet, est maioris momenti, quàm infamia, & damnum, quod delinquens ex accusatione huiusmodi incurrere potest.

4 Et hoc adeò verum est, vt tunc attendi minimè debeat, an fortè delinquens priuata monitione sit emendandus, quia in re tanti momenti eligi debet quod est tutius; cùm bonum publicum præferri debeat priuato: & præterea cum facilè possit talis, priuatim monitus, simulare emendationem, ac interea occultè exequi, quæ destinauerat.

5 In huiusmodi igitur, nisi certò constet, periculum priuata monitione caueri posse (quod neque in crimine hæresis propter decretum Alexandri VII. sicuti dicebam *Dubit. 17. & 18.* & dicebam *Dubit. vltima de confessario sollicitante*, locum habet) adhibenda non est. Secùs dicas in aliis omnibus, ex quibus non imminet incommodum, nisi ipsi delinquenti, vel alteri personæ priuatæ. Vide S. Thomam 2. 2. *q.* 68. *art.* 1. vide etiam, quæ dicebam *cit. dubit.* 17. & 18 & quæ dicebam *dubit* 184. *petit.* 2. *& cit. dubit vltima de Confessario sollicitante, seu ad Venerem excitante.*

PETITIO VI.

An, & quando Accusator possit desistere ab accusatione incepta?

SVMMARIVM.

1 *Accusator potest, & debet desistere ab accusatione incepta, si deprehendat se errasse, cum putauit hunc deliquisse, vel si incipiat dubitare, & post diligentem inquisitionem dubitare perseueret: tunc enim persistere esset calumniari.*

2 *Accusator posse desistere, si Iudex accusationem non admittat, vel si eam admissam rescindat. Quod quidem potest facere si videat libellum habere aliquem defectum substantialem.*

3 *Item iudex, seu Princeps supremus rescindere potest libellum accusationis, si accusetur aliquis, qui non possit sine magna Reipublicæ perturbatione puniri, quia licet cauere damnum publicum, etiam cum iniuria priuatorum.*

4 *Iudex inferior ob eamdem causam (non tamen ordinario iure, & potestate, sed ex tacita quadam Principis præsumpta volontate, seu ex Epicheia) potest accusationem ab initio non admittere, admissam autem non potest auctoritate propria abolere, sed tantum suspendere, & interim totum negotium ad Principem deferre.*

5 *Iudex accusationem ad se delatam admittere tenetur; quia ad eius officium pertinet, vt siue proprij, siue publici boni causa partibus postulantibus iustitiam administret. Excepto, si libellus habeat defectum aliquem substantialem, vel si bonum publicum postulet, vt ipse à iudiciario processu, & condemnatione se abstineat in aliquibus casibus recensitis.*

6 *Actor potest desistere in causa ciuili, siue per gratiam, siue per transactionem; at si actio sit famosa, qualis est actio furti, non potest in ea transigere post contestationem litis sine autoritate Iudicis, alioquin notaretur infamia.*

7 *Actor potest desistere etiam in causa criminali per gratiam ante litem inchoatam: quod intellige casu quo non teneatur accusare, vel iuridice denunciare, post litem autem inchoatam non potest sine autoritate Iudicis, neque sine consensu Rei, si is fuerit tormentis subiectus, vel ex accusatione infamatus.*

8 *Crimen publicum dicitur, cuius accusatio concessa est cuilibet; quia ad vtilitatem publicam quammaximè pertinet illud puniri: quale est crimen, quod directè fit contra Deum, vel contra res diuinas.*

9 *Item si fiat contra maiestatem Principis, vel Reipublicæ.*

10 *Item si fiat etiam contra priuatam personam, si lege statutum sit, vt habeatur pro publico, vt Homicidium, Parricidium, Peculatus, crimen falsi adulterij, vis publica, vel priuata, ambitus, vel annona.*

11 *Crimen priuatum dicitur, cuius accusatio solùm concessa est ei, qui iniuriam, vel damnum passus est, vt v.g. furti, stellionatus, vel iniuriarum.*

12 *Transigere licitum etiam est in crimine publico capitali, præter quàm in crimine adulterij; quia in tali casu turpis est transactio, secus si crimen sit publicum, non capitale; quia tunc non est licitum, nisi in crimine falsi.*

13 *Transactio generaliter est licita in criminibus priuatis ante accusationem; quin post accusationem fieri non potest sine auctoritate Iudicis.*

14 *Leges, & consuetudines peculiares Prouinciarum in his attendi debent.*

15 *Accusator si aliter, quàm conueniens sit, desinat, potest Iudex procedere per Inquisitionem.*

R.Espondetur: potest, & etiam debet desistere, si 1 deprehendat, se errasse (cùm putauit, hunc deliquisse) vel si incipiat dubitare, & post diligentem inquisitionem dubitare perseueret, vel si videat, se non posse probare; quia tunc in accusatione persistere, esset calumniari.

Secundò potest desistere, si iudex accusationem non 2 admittat, vel si eam admissam rescindat.

Quod iudex potest facere, si videt, libellum habere 3 aliquem defectum substantialem; item, si accusator aliquis, qui non possit sine magna Reipublicæ perturbatione puniri; quia tunc supremus iudex, seu princeps (etiamsi accusator priuata causa, vt scilicet suas iniurias persequatur, accuset) potest accusationem inchoatam abolere, siquidem principis est, primariò gerere curam boni communis (ad quod refertur bonum priuatorum) sicque cauere damnum publicum, etiam cum incommodo priuatorum: Iudex autem inferior 4 ob eamdem causam (non tamen ordinario iure, & potestate, sed ex tacita quadam Principis præsumpta voluntate, seu ex Epicheia) potest accusationem ab initio non admittere; admissam autem non potest ex authoritate propria abolere, sed potest suspendere, & interim totum negotium ad Principem deferre. Item, si accusatus bono publico censeatur necessarius, vel valde vtilis iuxta illud, quod excellens in arte non debeat mori; quia tunc etiam supremus Princeps potest similiter accusationem abolere; inferior autem Iudex, si non agatur de iniuria partis, potest eam non admittere, & admissam ex Epicheia impedire, si autem agatur de iniuria partis, non potest, quia ad ipsum non spectat principaliter boni publici promotio, sed officij iniuncti administratio: tenetur igitur inferior iudex in hoc casu parti ius dicere, nec potest prætextu maioris boni publici se à negotio eximere; quia sic sæpè posset liberare, quos vellet; potest tamen Principem monere, quid iudicet expedire, & interim sententiam suspendere, donec à Principe de tali re resolutionem habeat.

Quapropter

5 Quapropter breuiter ex dictis iudex accusationem ad se delatam admittere tenetur; quia ad iudicis officium pertinet, vt (siue proprij, siue publici boni causa) partibus postulantibus iustitiam administret. Excepto, si libellus habeat defectum aliquem substantialem, vel si bonum publicum postulet, vt iudex a iudiciario processu, & condemnatione se abstineat, eo quod v.g. Reus Reipublicæ valde vtilis sit, vel eo quod ex accusatione, vel condemnatione Rei grauis tumultus populi timeatur: In his enim casibus iudex debet ab initio accusationem repellere, vel si iam incboata sit causa, eam suspendere, & transmittere ad superiorem iudicem, ad quem denique pertinebit, si sic ipse Reipublicæ expedire putauerit, accusationis causam omninò abolere, S. Thomas 2.2.*q.60.art.3.ad vltimum.* Caietanus *ibid.* §. *sed occurrit*, & Sotus *memb.2. q.5 conclus.5. circa finem*; quamuis si agatur de iniuria, vel damno partis læsæ, curandum est, quod pars læsa in tali casu, quantùm fieri potest, satisfactionem obtineat.

6 Tertiò potest Actor desistere in causa ciuili, siue per gratiam, siue per transactionem: at si actio sit famosa (qualis est actio furti) non potest in ea transigere post contestationem litis sine auctoritate iudicis: alioquin notaretur infamia *ex l.furti §.pactus ff.de his qui notant infam.* & ex Glossa *in c.1.de collusion.detegenda.*

7 Quartò potest desistere, etiam in causa criminali, per gratiam ante litem inchoatam (quod intellige casu quo non tenetur accusare, vel iuridicè denunciare) post litem autem inchoatam non potest, sine auctoritate Iudicis, neque etiam sine consensu Rei, si Reus fuerit tormentis subiectus, vel ex accusatione infamatus; quod si aliter destiterit, incurrit pœnam Senatusconsulti Turpiliani, qua (si quidem erat crimen publicum, quod accusauerat) punitur infamia, & quinque libris auri *ex l.1.Cod.ad Turpilian.* si autem erat priuatum, punitur pœna extraordinaria, arbitrio Iudicis, *ex l. si quis ff. Cod.tit.* & ex Doctoribus, quos sequitur Syluest. *verb. Accusatio num.* 8.

8 Cæterùm dicitur crimen publicum, cuius accusatio concessa est cuilibet; quia ad vtilitatem publicam quam maximè pertinet, illud puniri, *l.1.& 2. ff. de public. Iudic.* Tale est omne crimen, quod directè fit con-

9 tra Deum, vel contra res diuinas; quia hoc in omnium iniuriam communem fieri censetur: quapropter meritò quilibet illud accusare potest (vt est v.g. hæresis, Templorum, & Imaginum euersio, blasphemia, & simile sacrilegium *ex l.4 Cod.de hær.*) item tale est omne crimen, quod fit contra maiestatem Principis, vel

10 Reipublicæ (vt est omne crimen læsæ maiestatis humanæ) item tale est omne crimen, quod fit etiam contra priuatam personam, si lege statutum sit, vt habeatur pro publico, (& vt est v.g. crimen homicidij, parricidij, peculatus, falsi, adulterij, vis publicæ, ambitus, vel annonæ, &c. *ex dicta l.1.ff.de public. Iudic.*

11 Dicitur priuatum crimen, cuius accusatio solùm concessa est ei, qui iniuriam, vel damnum passus est (vt est v.g. crimen furti, stellionatus, vel iniuriarum, &c. *ex l. finali ff.de priuat.delict & ex l.si quis ff. ad Turpilian.*)

12 Cæterùm licitum etiam est, transigere in crimine publico capitali (quod scilicet pœna capitis punitur) præterquàm in crimine adulterij; *l.Transigere Cod.de transact.* quia in tali casu turpis est transactio; si autem est crimen publicum non capitale, non est similiter licitum

13 transigere, nisi in crimine falsi, *cit. l transigere.* In criminibus priuatis generatim transactio est licita. Glossa *in c.1. de collus. insinuat.* quam sequuntur communiter Doctores.

Aduerte tamen hic, quod hæc intelligenda sint ante accusationem; quia post accusationem non potest fieri sine authoritate Iudicis.

Aduerte secundò, quod in his videndæ sint leges, &

14 consuetudines Prouinciarum peculiares; quia hæc, quæ ex iure communi dicta sunt, supponunt, accusationem fieri cum inscriptione (sicuti patet *ex ff. & Cod. ad Turpilian.*) quæ tamen hodie vix est in vsu, sicuti dicebam.

Aduerte tertiò, quod si accusator aliter, quàm conueniens est, desistat, possit iudex procedere per Inquisitionem ex communi sententia Doctorum. 15

PETITIO VII.

In quo differat Accusator, seu Actor in criminalibus à denunciatione?

SVMMARIVM.

1 *Accusator differt à denunciatione; quia ille habet onus probandi crimen, ita vt si in probatione deficiat, & calumniator appareat, plectatur pœna talionis, seu, quia hac recessit ab Aula, ad arbitrium Iudicis. Denunciator autem non habet tale onus, sed solum aperiendi indicia, quibus Iudex ex officio ad Inquisitionem vlteriorem moueri possit.*

Respondetur: differt in eo, quod accusator habet onus probandi crimen, ita vt (si in probatione deficiat, & calumniator appareat) plectatur pœna talionis, id est, pœna tali, qualem ipse alteri per calumniam inferre intendebat, iuxta Textum *in l.vlt.Cod.de Accus. & inscript. in l. ab Imperatore ff.de præuaricator. & in l. vlt. Cod.de calumniat.* & docet S.Thomas 2.2.*q.68.art.4.* quem sequuntur communiter Doctores (quamuis pœna talionis, sicut & inscriptio accusatoris, hodie vix in vsu sit, sed arbitraria imponi consueuerit; si scilicet Iudex videat, quod ille calumniandi animo, non autem errore probabili ductus ad accusandum accesserit iuxta Textum *in l.1.ff.ad Turpilian. & in cap. super his de Accusat.* & docent præter alios Couarruu. *resol.c.9. num.1.* & Gregorius Tolozanus *l.31. Syntagmat.c.30.*) Denunciator autem non habet onus probandi crimen, sed solùm habet onus aperiendi indicia, quibus Iudex ex officio ad inquisitionem vlteriorem moueri possit, sic DD. quos sequitur Clarus *l.5.sententiar.§. finali q.7* 1

PETITIO IX.

In quo differat denunciatio iudicialis (quæ sola huc spectat) à denunciatione charitatiua, canonica, & regulari?

SVMMARIVM.

1 *Denunciatio iudicialis differt primò; quia ea est, vt satisfiat communitati læsæ, cùm tendat in quamdam iniuriam communitatis, si eius membra delinquant: at finis denunciationis charitatiuæ est emendatio fratris, vel vt tertia persona, vel vt bono communitatis prouideatur.*

2 *Denuncians denunciatione charitatiua non tenetur probare; secùs denunciatione iudiciale, quia alias diceretur infamare.*

3 *Denuncians denunciatione iudiciali debet nomen suum saltèm de iure communi inscribere, & postea vocatus coram iudice ad publicam testimonij dispositionem, & Rei conuictionem comparere; secùs, qui denunciat denunciatione charitatiuâ.*

4 *In denunciatione iudiciali directè tenditur, vt Reus per testes conuictus, vel confessus in publicam notitiam deducatur; at si in charitatiua Prælatus non debet crimen occultum aliis manifestare, si solus ille emendare potuerit; secùs si solus non potuerit: quia tunc manifestare debebit alteri, quamuis denunciati superior fuerit. &c.*

5 *Prælatus licet crimen occultum sibi charitatiuè denunciatum non manifestare, sed secretum tenere debeat; nihilominus eius notitia in gubernatione, circa tamen secreti violationem, & denunciati infamiam, plurimùm prodesse potest: non autem sic, si notitia orta fuerit ex sigillo confessionis.*

1 RESpondetur: differt primò, quod denunciatio iudicialis est, vt satisfaciat communitati læsæ (cùm tendat in quamdam iniuriam communitatis, si eius membra delinquant) quapropter hæc denunciatio per se, ac directè procedit ex motiuo iustitiæ vindicatiuæ ad superiorem, tanquam ad iudicem, at finis denunciationis charitatiuæ est emendatio fratris, vel vt tertiæ personæ, aut bono communitatis prouideatur: quapropter hæc denunciatio per se, ac directè procedit ex motiuo charitatis ad superiorem, tanquam ad patrem.

2 Secundò, quod, licet denuncians denunciatione charitatiua crimen nec probare, nec sufficientibus indiciis ostendere possit (eo quod solus vidit, vel solus audiuit, scilicet à viris fide dignis) tamen, si putet, quod ipsi fides habenda sit, denunciare Prælato potest; at denuncians denunciatione iudiciali, frustrà, quin perperam denunciaret; quia tunc solummodò infamaret; cùm Prælatus sine fama, & sine criminis indiciis ad eius punitionem procedere non possit.

3 Tertiò quod, qui denunciat denunciatione iudiciali, debet nomen suum (saltèm de iure communi) inscribere, & postea vocatus coram iudice ad publicam testimonij dispositionem, & Rei conuictionem comparere; at, qui denunciat denunciatione charitatiua, non tenetur nomen suum inscribere, quinimmò sic denunciantem Prælatus non potest manifestare, nisi necessitas postulet ad finem correctionis obtinendum: tunc enim sic denuncians tenebitur (si sine suo magno incommodo potest) suum consensum præstare, ita vt, si noluerit, etiam inuitus possit manifestari.

4 Quartò quod in denunciatione iudiciali directè tenditur, vt Reus, per testes conuictus, vel confessus, in publicam notitiam deducatur; at in denunciatione charitatiua Prælatus non debet crimen occultum aliis manifestare, si solus illud emendare potuerit. Secùs, si solus non potuerit; quia tunc manifestare debebit alteri (quamuis denunciati superior fuerit) qui idoneus ad remedium adhibendum sit. Quinimmò si vnus non sufficiat, manifestare poterit duobus, vel pluribus, quatenùs sic necesse fuerit ad criminis illius emendationem; vel vt tertiæ personæ, aut bono communi prouideatur.

5 Cæterùm, licet Prælatus crimen occultum sibi charitatiuè denunciatum non manifestare, sed secretum tenere debeat, nihilominùs eius notitia in gubernatione (citrà tamen secreti violationem, & citrà denunciati infamiam, & scilicet inuigilando, vel eum in alium locum mittendo, aut eum sub aliqua apparente ratione ab officio remouendo) vti potest: non autem sic, si notitia orta fuerit ex sigillo Confessionis sacramentalis, nè Confessio sacramentalis otiosa reddatur.

PETITIO IX.

An aliquis accusare teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Quisque tenetur accusare, si crimen fuerit perniciosum, cuius damnum alia ratione impediri potest, licèt plerumque sufficiat denunciare iuridicè vel canonicè.*

2 *Subiectus etiam iudicialiter denunciare tenebitur, vt Reus per Testes, vel indicia conuincatur, & malum emendetur, dummodò tamen denunciator putet se effecturum, quod ipsi fides habeatur; alioquin enim frustrà laboraret.*

3 *Accusare quis non tenetur, si crimen non sit perniciosum in futurum.*

4 *Accusare quilibet in iudicio potest, nisi iure prohibeatur.*

RESpondetur ex S. Thoma 2.2.q 68. *art.* 1. Syluestro *verb. Accus.* q. 2. & aliis communiter distinguo: si crimen fuerit perniciosum (cuius damnum alia ratione impediri non potest) accusare tenetur; licet plerumque sufficiat denunciare iuridicè, vel canonicè. 1

Dixi *plerumque*; quia interdùm contingere potest, quod bono communi, vel personæ priuatæ non satis prouideatur, nisi contra Reum processus iudicialis instituatur. Quo casu subditus iudicialiter denunciare tenebitur, vt Reus per testes, vel indicia conuincatur, & malum emendetur; dummodò tamen denunciator putet, se effecturum, quod ipsi fides habeatur: alioquin enim frustrà laboraret, quin etiam & calumniæ suspicionem imprudenter subiret. 2

Si verò crimen non sit perniciosum in futurum accusare non tenetur ex Textu *in l. vnica Cod. vt nemo inuitus agere, &c.* Quinimmò (quatenùs spectat ad crimina priuata) præstat, quod læsus ei, qui læsit, iniuriam acceptam condonet sic Doctores communiter, quos sequitur Sotus, *membr.* 2. *q.* 5. *concl.* 2. 3

Cæterùm quilibet in iudicio potest accusare, seu esse accusator, nisi iure prohibeatur. Gloss. *in rubr. Cod. qui accusare non possunt*, quam glossam communiter sequuntur Doctores; quinam autem ab accusando repellantur, vide Glossam *loc. cit.* Clarum *cit.* §. *final. q.* 14. & 15. & Iacobum Nouellum *tract. de defens. c.* 2. vide etiam, quæ dicebam supra *Dubit.* 182. *in princip.* 4

PETITIO X.

An, & qualis sit praxis accusationis, præsertim inter Regulares?

SVMMARIVM.

1 *Accusatio regulariter non habet locum inter Regulares, quia eorum paci, & tranquillitati repugnare videtur, & proindè in aliquibus regnis non admittitur, præsertim ex eo, quia per denunciationem iuridicam suppleri potest.*

2 *Accusatio aliquando locum habet, & admittitur etiam inter regulares; quia ea fieri potest sine peccato contra iustitiam, vt agens contra se iniuriantem, ad iustam vindictam, & fieri etiam potest sine peccato contra Charitatem, vt si non ex odio, sed vel ex affectu Religionis, vel ex affectu resarciendi iustum honorem, &c.*

3 *Praxis accusationis, præsertim inter regulares, quæ sit, vide ibi per extensum.*

4 *Accusator non tenetur exprimere in libello diem commissi delicti, sed tantùm annum, & mensem; nam alioquin potestas accusandi, & probandi nimis restringeretur.*

5 *Accusantis inscriptio in libello est exprimenda.*

6 *Accusator probabiliter potest deferre crimen etiam occultum, & non tenetur ex iustitia præmittere secretam monitionem, sed sufficit, quod possit probare delictum quod defert, quia hoc discrimen est inter accusationem, & denunciationem: licet aliquando id facere non præmissa admonitione sit contra charitatem.*

7 *Accusator tenetur probare delictum, quod defert; quia propter hoc fieri debet accusatio in scriptis.*

8 *Accusator non potest esse testis in causa, in qua est accusator.*

9 *Accusator solet iurare de calumnia, nempè quod non deferat*

deferat delictum animo calumniandi : vnde si repertus fuerit calumniator punitur pœna talionis.

10 *Accusator vt dicatur probasse delictum, & calumniator non esse, sufficit si probauerit semiplenè, scilicet per famam, vel per vnum testem integrum, vel per alia indicia iis æquipollentia; quia tunc Reus debet delictum confiteri, & puniri.*

11 *Accusator de consuetudine etiam quando non semiplene probat delictum, non punitur pœna talionis, sed solùm pœna minori pro arbitrio iudicis; quia alioquin homines retraherentur ab accusando.*

12 *Accusator neque etiam hac pœna minori punitur, si probet se accusasse, eo quod habuerit iustam aliquam causam arbitrandi, commissum fuisse delictum, vel etiam se non accusare ex malitia.*

13 *Fœminæ, pupilli, serui, infames, & inimici capitales ab accusando repelluntur, si non agitur de proprio ipsorum interesse, etsi iudici videbitur.*

14 *Laici non possunt accusare Clericum, nisi similiter suam, vel suorum iniuriam prosequantur.*

15 *Accusatione facta, & à iudice regulari acceptata, procedendum est in causa vsque ad sententiam diffinitiuam.*

16 *Religiosorum in causis ex priuilegio Bonifacij VIII. non est procedendum apicibus iuris seruatis, sed secundùm consuetudines approbatas, & generalia Religionis instituta facta, vel facienda.*

17 *Iudex præsertim regularis in ordine ad pœnas infligendas inclinare debet in partem benigniorem, ita vt si benignior sit pars opinio negatiua de non infligenda pœna, in eam inclinare debeat, nam etiam in dubio standum est pro Reo.*

1 SVppono, quod accusatio regulariter non habeat locum inter regulares; quia regularium paci, & tranquillitati repugnare videtur (vt proindè in aliquibus regnis non permittatur; præsertim ex eo, quia per denunciationem iuridicam suppleri potest; sic Doctores, quos sequitur Thomas à Iesu *de Visit. Regul. tract. 1. c. 4. num. 6.*) aliquando tamen (quia ea fieri potest sine pec-
2 cato contra iustitiam, vt si qui iniuriam passus est, aduersùs iniuriantem agat ad iustam vindictam, & fieri etiam potest sine peccato contra charitatem, vt si non ex odio, sed vel ex affectu Religionis, nè similes iniuriæ in eam introducantur, vel ex affectu resarciendi iustum honorem, vel bonum nomen amissum. Suarez *tom. 4 de Relig. l. 10 c. 12. n. 45.*) de facto locum habet, & admittitur. Hoc supposito.

3 Respondetur : Praxis accusationis, præsertim inter regulares, est hæc

Primò, vt accusatio fiat in scriptis.

Secundò, vt exprimatur dies, & annus, quo intentatur.

Tertiò, vt exprimatur nomen accusantis, & accusati.

Quartò, vt exprimatur species delicti.

Quintò, vt exprimatur locus, & tempus, scilicet annus, & mensis, quo delictum commissum est.

4 Dixi : *Annus, & mensis*; quia non tenetur etiam accusator exprimere in libello diem commissi delicti *ex l. libellorum infrà citanda.* Nam alioquin potestas accusandi, & probandi nimis restringeretur; cùm facilè fieri possit, vt quis diei, vel etiam hebdomadæ (cùm non ita cadant sub sensum) oblitus sit; DD. communiter, quos sequitur Franc. Aretinus *in Pract. crim. de accusat. c. 6.*

Sextò, vt exprimatur inscriptio accusantis.

5 Hæc omnia colliguntur *ex l. libellorum ff. de Accusat.* & ea intelligi debent iuxtà quæ dicebam *suprà pet. 4.* videantur præter alios Aretin. *loc. cit.* & Aldrete. *de discipl. relig. l. 6. c. 4.* & quæ dicebam *eadem petit. 4.*

6 Aduerte, quod accusator probabiliter possit deferre crimen etiam occultum, & non tenetur ex iustitia præmittere secretam monitionem, sed sufficiat, quod possit probare delictum, quod defert; quia hoc discrimen est inter accusationem, & denunciationem, *ex cap. qualiter, & quando de Accusat.* quamuis quidem aliquandò sit contra charitatem, accusare delinquentem, nulla præmissa monitione, Nauarr. *in summa c. 18. n. 30.* & alij, quos sequitur Aldret. *de relig. discipl. c. 3. num. 6.* Vide *infrà Dubit. 184. Petit. 1.*

Aduerte secundò, quod accusator teneatur probare delictum, quod defert, quia propterea fieri debet accusatio in scriptis, vt scilicet constet, quod ipsi probandum sit. Francisc. Aretin. *in Pract. crim. de Accusat ca. 5,* & Thomas à Iesu *de Visit. Regular. tract. 1. c. 4.* Vide *supr. Petit. 7.* 7

Aduerte tertiò, quod accusator non possit esse testis in causa, in qua est accusator; & in hoc differat à denunciatore; *cap In omni negocio de Testib.* & docent Sotus *de tegend. secret membr. 2. q. 4. & 5.* Nauarr. *in rubr. de Indic. n. 19.* & alij passim. 8

Aduerte quartò, quod accusator soleat iurare de calumnia, nempe quod non deferat delictum animo calumniandi: sic Doctores, quos sequitur Aldret. *de relig. discipl. l. 1. c. 4. n. 13.* vnde si repertus fuerit calumniator, (quod scilicet falsum crimen detulerit) punitur pœna talionis, id est, eadem pœna, qua puniendus esset accusatus, si verè delictum commisisset, S. Thomas 2. 2. *q. 68. art. 4.* quem cum Soto *de iust. l. 5 q. 5. art. 4.* sequuntur alij passim. 9

Aduerte quintò, quod, vt accusator dicatur delictum probasse, & calumniator non esse, sufficiat, si prædictum delictum probauerit semiplenè, scilicet per famam, vel per vnum testem integrum, vel per alia indicia iis æquipollentia; quia tunc Reus interrogatus à iudice (si ipsi talis semiplena probatio intimata fuerit) debet delictum confiteri, & puniri. Nauarr. *in summa c. 25. n. 35. & seqq.* & alij, quos sequitur Francisc. Aretin. *in Pract. crim. de Accusat. n. 6 c. 5.* 10

Aduerte sextò, quod accusator de consuetudine (etiam quando non semiplenè probat delictum) non puniatur pœna talionis, sed solùm pœna minori pro arbitrio iudicis: quia alioquin homines retraherentur ab accusando, Francisc. Aretin, *vbi suprà* & Aldret *l. a. de Relig. discipl. c. 13. n. 5.* 11

Aduerte septimò, quod accusator neque etiam hac pœna minori puniatur, si probet, se accusasse, eo quod habuerit iustam aliquam causam arbitrandi, commissum fuisse delictum : vel etiam se non accusasse ex malitia; quia verè calumniator solùm est, quando scienter falsum crimen imponit. Aretinus *loc cit. c. 7.* & Aldret. *vbi supra num. 9.* 12

Aduerte octauò, quod ab accusando repellantur fœminæ, pupilli, serui, infames, & inimici capitales; excepto quando agitur de proprio ipsorum interesse? etsi iudici videbitur *l. quia accusarem ff. de accus. & c. prohibentur eod tit.* & tradunt Nauarr. *l. 5. consil. tit. de accus. cons. 3. num. 2.* & alij præsertim, quos sequitur Aldret. *loc. supra cit. c 4. num. 7.* 13

Aduerte nonò, quod neque Laïci possint accusare Clericum, nisi similiter suam, vel suorum iniuriam prosequantur; Confert. *in compend. Bull. Leonis X. & tit. 6. c. 1.* & Aldret. *vbi suprà*, qui etiam *num. 9.* subdit, qualiter iudex regularis se gerere debeat quotiescumque aliquis externus aliquem Religiosum ex suis accusare voluerit *& n. 13.* refert excommunicationem latæ sententiæ à Leone X. in fauorem Ordinis Prædicatorum prolatam contra Religiosos, qui alios eiusdem Ordinis ex quauis causa conueniant coram iudice externo, & etiam prolatam contra ipsum iudicem, si talem conuentionem admiserit. 14

Aduerte decimò; quod facta accusatione, & à iudice regulari, (si acceptari debuerit) acceptata, procedendum sit in causa, vsque ad sententiam diffinitiuam eodem ferè modo, quo dicam *infra de denunciatione, & Inquisitione speciali.* Suarez *tom. 4. de Religion. lib. 10. capite 12. numero 45.* & alij communiter. 15

16 Aduerte vndecimò, quod ex priuilegio Bonifacij VIII. non sit in causis Religiosorum procedendum apicibus iuris seruatis, sed secundùm consuetudines approbatas, & generalis Religionis instituta facta, vel facienda, Ibi: [Quod licet Prælati omnes ad apices iuris ex supradicta constitutione non teneantur (vt sunt citationum interualla, dilationes, interlocutoriæ, & cætera huiusmodi, quæ non sunt de essentia iuris) non tamen possunt in actis iudicialibus pro eorum arbitrio procedere, sed iure diuino, ac naturali ad substantialem iuris ordinem tenentur.] in quo etiam sensu quidam alij Pontifices in suis decretis similibus apposuerunt particulas, *simpliciter, summariè, de plano, & sola veritate facti inspecta.* Videantur præter alios Cardinalis de Lugo *t.2.de Iust. & Iur. disput.35. sect.14 n.162.* & Thomas à Iesu de Visit. *Regular. tract.3. ca. penult.* videantur etiam, quæ dicam *infra diffusius dubit.235. sect.70.*

17 Aduerte duodecimò, quod in ordine ad pœnas infligendas iudex (præsertim regularis) inclinare debeat in partem benigniorem; adeò quod (si in aliquo casu sit opinio, quod Reo infligenda sit aliqua pœna, si autem è contra altera opinio negans) debeat potiùs hanc, tanquam benigniorem, & Reo fauorabiliorem, amplecti. Sayrus *in clau. reg. l.1.c.13. num.22. in addition.* Portell. *in respons. moral. tom.2.c.40.* & alij communiter, præsertim, de Reo (etiam in communi) passim iura clamant, quod fauorabiliores sint partes Rei: quod in dubio standum sit pro Reo: quod Actore non probante, dimittendus sit Reus; & similia.



DVBITATIO CLXXXII.

Cuinam in crimine hæresis competat accusatio?

SVMMARIVM.

1 *Accusatio in crimine hæresis cuilibet competit indifferenter, quia cum tale crimen in Religionem diuinam committatur, est crimen publicum, & cedens in iniuriam omnium communem.*

2 *Laici contra Clericum admittantur in tali crimine: Item infames, pupilli, & minores, non tamen sine auctoritate Tutoris, & Curatoris, bene tamen filij familias sine consensu Genitoris*

3 *Excommunicati excommunicatione maiori, licet si sint denunciati, vel publici percussores Clerici, repellantur à iudicijs: ipsisque ius petentibus denegetur: tamen in crimine hæresis admittuntur in defectum aliorum, nè crimen huiusmodi maneat impunitum, præsertim cum non petant resarcire ius proprium læsum; sed reparationem iuris publici,*

4 *Inimicus capitalis licet secundùm aliquos non admittatur ad accusandum in decimo crimine hæresis, quia non præsumitur zelo iustitiæ, sed amore vindictæ procedere, & in quolibet crimine quantumuis graui repellitur à testimonio dicendo: Probabilius tamen est oppositum, nempè dictum inimicum admitti posse, cautè tamen, & vt suspectum, quia hoc crimen cedit in iniuriam omnium communem.*

5 *Accusator non probat; sed probationem exhibet.*

1 ESPONDETVR cuilibet indifferenter; quia, cum tale crimen in Religionem diuinam committatur, est (vt habetur *in l. Manichæos §. 1. Cod. de hæret.*) crimen publicum, & in communem omnium iniuriam cedens, ergò cuiuslibet indifferenter competit accusatio. Repert. Inquisit. *verb. accusat. vers. Nota quod.* Carter. *tract. de hæret. num.107.* & alij passim.

Hinc sequitur, quod in tali crimine admittantur infames, pupilli, & minores (non tamen sine auctoritate Tutoris, vel Curatoris) item filij familias (etiam sine consensu parentis.) item & Laici contra Clericos: sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farin. *de hær. q.185. num.23.* 2

Petes: an admittantur etiam excommunicati excommunicatione maiori. 3

Respondetur: (licet complures, quæ sequi videtur Iulius Clarus, *Pract. q.14. vers. quære nunquid excommunicat.* putent, quod si tales excommunicati sint denunciati, vel publici percussores Clerici, dum in excommunicatione perseuerent, non admitti, sed repelli debeant; quia in iudicio esse non possunt, ipsisque ius petentibus denegatur, ex Textu *in c. Intelligimus de iudiciis, in c.1. eodem tit. in 6. & in c. Decernimus de sent. excomm.*) Probabilius tamen est oppositum (quod docent alij) scilicet & prædictos etiam in defectum aliorum admitti posse

Probatur ex Textu *in c. In fidei fauorem de hær. in 6.* Vbi in fauorem fidei, nè crimen hæresis maneat impunitum, excommunicati admittuntur in Testes: ergò si admittuntur in testes, admitti etiam poterunt in accusatores; præsertim cùm non petant resarcire ius proprium læsum (quod illis esset denegandum) sed petant reparationem iuris publici, & Religionis.

Atque hinc patet ad fundamentum aduersariorum in contrarium.

Petes secundò, an admittatur etiam inimicus capitalis? 4

Respondetur, quod (licet Eymer. *3.p. direct. q.67. vers. Respondemus,* & *ibi* Pegna *comm.116. in fine.* Campeg. *in addition. ad Zanch. tract. de hær. lit. D. in verba, Omnis,* Carter. *tract. de hær. num.107.* & alij negent; quia, cùm inimicus non præsumatur zelo iustitiæ, sed amore vindictæ procedere, præsumitur calumniator; tùm quia in quolibet crimine, quantumuis graui, inimicus repellitur à testimonio dicendo, *l.3. ff. de testibus, l.1. §. præterea ff. de quæst.* & Authent. *si Testis productus Cod. de Testibus.* At qui repellitur à testimonio dicendo, repellitur etiam ab accusatione, *cap Testes 2. q 7. cap. sanè 15. q.3. & cap. super prudentia 12. q.2.* & tradunt communiter Doctores, quos citat Decian. *tract. criminal. l.3. c.25. & c.26. n.1. & seqq.* & videri poterunt, quæ dicam *infra dubit.198. sect.2.* Probabilius tamen sit etiam oppositum (quod docent Clar *Practic. q.14. vers. vlteriùs dixi,* Gygas *de crim. læsæ maiest. l.2. rubr. qui accusare possunt q.6. n.13.* Parif. *cons.1. n.54. l.4.* Ferdinand. de Castr. *in oper. moral. tom.1. tract.4. disp 8. punct.2. n.7.* Arelatan. *notabil. dec.* & alij quos citat, & sequitur Farinac. *q.185. n.29.* scilicet & inimicum capitalem etiam in casu, de quo loquimur, admitti posse, cautè tamen, & vt suspectum.

Probatur; quia hoc crimen (vti *supra* dicebam, & expressè habetur etiam *in l. Manichæos Cod. de hær.*) cedit in iniuriam omnium communem; ergò talis criminis vindictam prosequens censetur, iniuriam omnium communem (vtpote principalem) non autem propriam, & particularem prosequi; sicque non est, cur in tali casu non admittatur ad accusandum præsertim cùm de iure inimicus capitalis admittatur ad accusandum, etiam si prosequatur iniuriam suam, vel suorum.

Secundò; quia accusator non probat, sed probationẽ exhibet; ergò, licet inimicus capitalis non admittatur in testem, vt probationem, seu fidem faciat per seipsum, non est ratio efficax, cur non admittatur in accusatorẽ, vt probationem, seu fidem exhibeat per alios, præsertim cùm ex illius admissione possit damno omnium commun præcaueri; & cum si ad tale crimen accusandum inimicus non admittitur, difficilè reperiatur, qui accuset. 5

Atque hinc patet ad rationes aduersariorum in contrarium.

DVBITA

DVBITATIO CLXXXIII.

An, & quomodo procedatur in crimine hæresis via denunciationis?

SVMMARIVM.

1 *Denunciationis modus in crimine hæresis est satis vsitatus, cùm non sit ita periculosus denuncianti, vtpote qui in consuetudine iamdiu recepta non subit onus probandi: sed iudici hanc obligationem remittit.*

2 *Denunciator licèt non teneatur probare; nihilominus si conuincatur falsum denunciasse, arbitrio Inquisitoris tanquam calumniator puniri debet; quia denunciator cùm non suam, nec suorum, sed communem Religionis iniuriam prosequatur, ex generali consuetudine Inquisitionis assumitur in testem.*

3 *Denunciator, si falsum deponat sola ipsa denunciatione grauissimè lædit delatum: consequenter meritò tanquam calumniator est puniendus.*

4 *Pœna talionis punitur qui per calumniam probatur denunciasse ex Constitutione tamen Pij V. quæ modò non est in vsu.*

5 *Denunciatio fieri debet in scriptis, vel saltem verbis, quæ à Notario redigantur.*

6 *Denunciator debet iurare denunciationem suam.*

7 *Denunciatio ex conuenientia recipi debet præsentibus honestis personis: quamuis ex consuetudine id non sit in vsu.*

8 *Inquisitor facta denunciatione procedit non ad instantiam partis, sed ex officio, examinando scilicet testes, quos denunciator allegauit, &c.*

9 *Denunciator si testes non alleget, sed ipse solus de visu deponat, Inquisitor non debet statim ad Inquisitionem specialem procedere, si denunciatus sit vir nobilis, religiosus, vel aliàs non suspectus, ob grauem infamiam inde secuturam.*

10 *Ad denunciandum in hoc crimine hæresis quilibet admittitur etiamsi fuerit absens, dummodò proprio nomine, & iuramento denunciationem firmet.*

11 *Denunciator si proprio nomine literas non subscripserit, ipsius denunciatio repelli debet, tanquam nullius momenti; quia præsumitur falsa: & quia alias daretur improbis occasio probos viros infamandi.*

12 *Limitant aliqui, vt id intelligatur, quando in illis literis non sint nominati testes, secus quando testes nominati sunt: at hæc limitatio non probatur; quia nominatio illa testium cùm procedat à persona incognita non est authentica, sed potiùs suspecta.*

13 *Denunciationis forma, & stylus, quem Inquisitores in recipiendis denunciationibus seruare debent, poterit videri penès Eymericum, & Peñam.*

1 SVPPONO, quod hic modus in tali crimine procedendi sit satis vsitatus, cùm non sit ita periculosus denuncianti vtpote qui ex consuetudine iam diu recepta non subit onus probandi, sed iudici hanc obligationem remittit, Eymericus 3.*p.direct.rubr. de secundo modo procedendi in causa fidei per denunciationem num.*68.& ibi Peña *commentar.*15.*vers.His perfectis*, Scaccia *de ind.c.*72.*n.*4. Paramus *de orig.Inquisit. lib.*3.*q.*8.*n.*21.*& seqq.* & alij, quos sequitur Farinacius *de hæres.q.*185.*n.*71.

Suppono secundò, quod licèt denunciator non teneatur probare: nihilominus, si conuincatur, falsò denunciasse, arbitrio Inquisitoris, tanquam calumniator, puniri debeat; quia denunciator, cùm non suam, nec suorum, sed communem Religionis iniuriam prosequatur, ex generali consuetudine Inquisitionis assumitur in testem (sicut notarunt Repertor. Inquisit. *verb. Accusatio, & verb. Testis.* Simancha *de Cathol.inst.tit.*19.*rubr.de denunciation. n.* 17. & alij.) Ergo tanquam testis falsus puniri debet.

Confirmatur; quia ex sola ipsa denunciatione (si falsum deponat) grauissimè lædit delatum (cùm aperiat viam iudici ad inquisitionem specialem aduersùs delatum faciendam.) Ergo meritò, tanquam calumniator, puniri debet: sic DD. quos sequitur Peña 3.*p.direct.rubr. de duodecimo modo terminandi processum* 4. *commentar. vers. Ad hoc.* 3

Confirmatur secundò, quia ex Constitutione Pij V. (quæ est eius quinta in Bullario) *vers. Monemus præterea*, pœna talionis punitur, qui per calumniam probatur denunciasse; quamuis (vt fateor) hæc Pij V. Constitutio obseruari non videatur. His suppositis. 4

Respondetur: Denunciatio fieri debet in scriptis, vel saltem verbis, quæ à Notario in scriptis statim redigantur Doctores, quos *suprà* citabam, & confirmat vsus quotidianus. 5

Secundò, debet denunciator denunciationem factam iurare. 6

Tertiò, ex conuenientia saltem denunciatio recipi debet, præsentibus honestis personis iuxta Textum *in c.Vt officium de hær.in* 6. Quamuis ex consuetudine necque obseruari videatur. 7

Aduerte tamen, quod facta denunciatione, Inquisitor non debeat procedere ad instantiam partis, sed ex officio, examinando scilicet testes, quos denunciator allegauit, vel alios, ex quibus veritas haberi possit. 8

Aduerte secundò, quod, si denunciator testes non alleget, sed ipse solus de visu deponat, Inquisitor non debeat statim ad Inquisitionem specialem procedere; si denunciatus sit vir nobilis, Religiosus, vel aliàs non suspectus, ob grauem infamiam inde secuturam; sed debeat matura deliberatione denunciantis dicta considerare. 9

Aduerte tertiò, quod in hoc crimine hæresis ad denunciandum quilibet admittitur, etiamsi fuerit absens; dummodò proprio nomine, & iuramento denunciationem firmet. Zanchin. *in summ.tom.*1. *tit.de fide cap.*11 *num.*12. Simancha *de Cathol.instit.tract* 43.*rubr.de ordine procedendi n.*10.*& in Enchiridion tit.*22.*n.*8. & alij, quos sequitur Farinacius *q.*185.*n.*66. 10

Aduerte quartò, quod, si denunciator proprio nomine literas non subscripserit, ipsius denunciatio repelli debeat, tanquam nullius momenti; quia præsumitur falsa; & quia aliàs daretur improbis occasio probos viros infamandi Paramus *de orig.inquisit.lib.*3.*q.*6.*n.*95. Simancha *in Enchirid.violata Religionis tit.*22.*rubr.de Inquisitionis ordine n.*8.& alij, quos sequitur Farinacius *loc.suprà cit.n.*68. 11

Limitant tamen aliqui, quos sequitur Paramus *vbi supra*, vt quod dixi, intelligatur, quando in illis literis nulli sint nominati testes; si enim aliqui nominati fuerint putant prædicti Doctores, quod possit Inquisitor ad illorum examinationem procedere. Et id probari posset ad hominem; quia Inquisitor (vt admittunt Farinacius & Ferdinandus à Castro *in locis infrà citandis*) potest procedere ad examinationem testium, quos defert inimicus capitalis; ergo poterit multò magis procedere ad examinationem testium, quos defert persona suspecta, qualis est denunciator incognitus, & occultus. 12

At minùs probatur mihi hæc limitatio saltem propter praxim in contrarium; quia nominatio illa testium, cùm procedat à persona incognita, non est authentica, sed potiùs suspecta; ergo non debet sola iudici sufficere, quod ex illa ipse specialem faciat inquisitionem, quæ de se infamationem prærequirit, sic Doctores communiter,

niter, quos sequitur Farinacius *q.185. n.68.* (qui sic testatur seruari Romæ in Tribunali sanctæ generalis Inquisitionis) & Ferdinandus à Castro *tom. 1. tract at. 4. disp. 8. punct. 4. n. 4.*

13 Cæterùm, quænam sit forma denunciationis, & stylus, quem Inquisitores in recipiendis denunciationibus seruare debent, poterit præter ea, quæ dixi, videri Eymericus *3. p direct. n. 68.* & *ibi* Peña *comment. 15.*

An autem, qui denunciat, debet præmittere correctionem fraternam. Vide, quæ dicebam *suprà dubitat. 181. petitione 5.*

PETITIO.

An, & qualis in aliis delictis sit praxis denunciationis iuridicæ, præsertim inter regulares?

SVMMARIVM.

1 *Denunciator ex praxi, etiam inter Regulares, delictum defert ad superiorem; quia denunciatio iuridica est delatio delicti apud iudicem competentem ad delinquenti pœnam, vel correctionem inferendam.*

2 *Denunciator debet priùs (si spes sit emenda) fraternè correxisse delinquentem iuxta modum a Christo Domino præscriptum: quapropter si post fraternam correctionem, seu monitionem, emendatio fratris sit secuta, non debet denunciari; quia iam cessat finis denunciationis.*

3 *Quia nec tunc, nec vnquam delinquens denunciari debet ad superiorem, vt iudicem, si speretur, quod superior remedium illi adhibere possit vt pater; quia cum charitate procedendum est, vt scilicet cum detrimento quàm minimo subueniatur fratri.*

4 *Delinquens quotiescumque eius delictum est notorium, non est necesse, quod priùs fraternè moneatur, iuxta illud* Apostoli 1. Timoth. 5. *Peccatores coram omnibus argue.*

5 *Denunciator vt iuridicè, seu iudicialiter alium denunciet non est necesse, quod præcedat infamia: quia is sustinet vicem accusatoris, quamuis si præcedat infamia, multò magis debeat denunciare.*

6 *Denunciator licèt non teneatur denunciare delictum, quod per testes fide dignos probare non potest: tamen si velit, potest denunciare, & non tenetur probare delictum, quod denunciat; quia alioquin multa delicta remanerent impunita.*

7 *Denunciator differt ab accusatore; quia accusator tenetur probare, non sic denunciator: quare si is non probet, non erit puniendus, cùm non suscipiat suprà se onus probandi.*

8 *Denunciator si impedimentum aliunde non habeat, potest etiam esse testis; quia non procurat delinquentis vindictam, sed solùm eius correctionem. Secùs tamen est in accusatore, qui cùm è contra procuret vindictam, neque ipse, neque ipsius cognati, vel domestici possunt esse testes.*

9 *Iudex facta denunciatione præsertim inter Regulares, debet diligenter perpendere personam, qualitatésque denunciatoris, & denunciati: quia si denunciator sit improbus, & pacis perturbator, denunciatus autem sit vir probus, & per plures annos probatus, non debet admittere denunciationem, ne det improbis occasionem calumniandi viros probos, nisi forsan velit subire munus accusatoris, & pœnam talionis.*

10 *Item debet iudex diligenter perpendere, an delinquens fuerit fraternè correctus, necne: quia tunc debet saltem inter Regulares, tantùm paternè corrigere, secretam aliquam pœnitentiam eidem imponendo: quia regulariter inter Regulares denunciatio iuridica non debet admitti.*

11 *Item debet iudex diligenter perpendere, an delictum sit publicum, vel occultum; quia si sit occultum, nec delinquens laboret infamia, non est contra ipsum iuridicè procedendum; sed vel occultè puniendus, si emendationem præmittat, vel dimittendus, si delictum non fateatur. Secùs si delictum sit publicum, & præcedat infamia.*

RESpondetur: Est hæc
Primò, denunciator delictum defert ad supe- 1
riorem; quia denunciatio iuridica est delatio delicti
apud iudicem competentem ad delinquenti pœnam,
vel correctionem inferendam. Nauarr. *in c. nouit. de iud.*
notabil. 5. n. 2. & alij, quos sequitur Thomas à IESV *de*
visit. Regul. tract 3 c. 2, §. 3.

Vbi aduerte, quod denunciator debeat priùs (si spes 2
sit emendæ) fraternè correxisse delinquentem iuxta
modum à Christo Domino *Matthæi* 18. præscriptum
(qui est conformis legi charitatis, ne scilicet fama proximi
lædatur, eius delictum priùs publicando, quàm
fuerit correctus, seu monitus.) Suarez *4. tom. de Relig.*
lib. 10 c. 12. num. 36. & alij, quos sequitur Aldret *lib. 1. de*
Relig. disciplin. c. 5. §. 4. Quapropter, si post fraternam
correctionem, seu monitionem emendatio fratris sit
secuta, non debet denunciari; quia iam cessat finis denunciationis.
Suarez *vbi supra num 37.* Quin nec tunc, 3
nec vnquam delinquens denunciari debet ad superiorem,
vt iudicem; si speretur, quod superior remedium
illi adhibere possit, vt pater; quia cum charitate procedendum
est, vt scilicet cum detrimento quàm minimo
subueniatur fratri. S. Thomas *in loc. infrà citando*, & alij
communiter.

Aduerte secundò, quod, quotiescumque delictum 4
est notorium, non est necesse, quod delinquens priùs
fraternè moneatur, iuxta illud Apostoli 1. Timoth. 5.
Peccantes coram omnibus argue. & docent S. Thomas 2. 2.
q. 33. a 7. Nauarr. *de restit. lib. 2. c. 4. n. 64* & alij passim.

Aduerte tertiò, quod (vt quis denunciet alium iu- 5
ridicè, seu iudicialiter) necesse non sit, quod præcedat
infamia, *c. Inquisit. & c. Qualiter, & quando de accusat.*
quia ideò in via inquisitionis requiritur infamia, &
(cùm in ipsa non adsit accusator) ipsa suppleat vicem
accusatoris; at denunciator sustinet vicem accusatoris.
Ergo; Suarez *loc. suprà cit. n. 35.* Quamuis, si præcedat
infamia, multò magis debeat denunciari: sic Doctores
quos sequitur Thomas à Iesu *de visit. regular. tract. 1*
cap. 15.

Aduerte quartò, quod denunciator (licèt non te- 6
neatur denunciare delictum, quod per testes fide dignos
probare non potest) tamen, si velit, possit denunciare,
& non teneatur probare delictum, quod denunciat;
quia alioquin multa delicta remanerent impunita
ex eo, quod nemo auderet illa denunciare, cùm non
possit probare; tum quia in hoc differt denunciator ab 7
accusatore, quod accusator tenetur probare, non sic denunciator;
vnde si denunciator non probet, non erit
(sicut accusator) puniendus; cùm non suscipiat suprà
se, (sicut accusator) onus probandi, sed tantum præparet
viam iudici, vt ipse inquirat, & probet. Sotus *de*
inst. & iur. lib. 5. q. 4. a. 3. & q. 5. a. 4. Bañez *2. 2. q. 33. art. 8.*
dub 3. & alij communiter, quos sequitur Thomas à Iesu
de visit. regul. tract. 1. c. 16. n. 13.

Aduerte quintò, quod denunciator (si impedimen- 8
tum aliunde non habeat) possit etiam esse testis; quia
non procurat delinquentis vindictam, sed eius solùm
correctionem. Sotus *vbi suprà q. 6. a. 2.* & Nauarrus *in*
summ. c. 25. n. 33. Secùs est in accusatore, (cùm enim è
contra procuret delinquentis vindictam) neque ipse,
neque ipsius cognati, vel domestici possunt esse testes.
c. 12. 4. q. 4. & tradunt Doctores, quos sequitur Aldret.
lib. 2. de disciplin. c. 3. n. 19.

Secundò

9 Secundò post hæc, facta denunciatione, debet iudex diligenter perpendere personam, qualitatésque denunciatoris, & denunciati; quia si denunciator sit improbus, & pacis perturbator, denunciatus autem sit vir probus, & per plures annos probatus, non debet iudex (saltem inter Regulares) admittere denunciationem, ne det improbis occasionem calumniandi viros probos: sic Doctores, quos sequitur Thomas à Iesu *loc. supr. cap.* 17. *n.* 1.

Nisi forsan ipse denunciator velit tunc subire munus accusatoris, & subire pœnam talionis; sic Doctores, quos sequitur Roderic. *tom.* 2. *quæst. Regular. qu.* 6. *art.* 8.

10 Item debet iudex diligenter perpendere, an delinquens fuerit fraternè correctus, necne; quia, si non fuerit fraternè correctus, vel esto, fuerit fraternè correctus, facilè tamen per paternam correctionem emendandus putatur, debet ipse iudex (saltem inter Regulares) illum tantùm corrigere, secretam aliquam pœnitentiam eidem imponendo; quia regulariter inter Regulares denunciatio iuridica non debet admitti, si per aliquod aliud emenda fratris speratur; sic Doctores, quos sequitur idem Thomas à Iesu *vbi suprà n.* 5. *&* 6.

11 Item debet iudex diligenter perpendere, an delictum sit publicum, vel occultum; quia (si delictum non sit publicum, sed occultum, nec delinquens laboret infamia) non est contra ipsum iuridicè procedendum, sed vel occultè puniendus, si emendationem promittat, vel dimittendus, si delictum non fateatur. Sotus *de tegend. secret. membr.* 2. *q.* 4. & Suarez *tom.* 4 *de Religion. lib.* 10. *c.* 12. *num.* 37. *&* 38. At (si verò delictum sit publicum, vel delinquens laboret infamia, aut contra ipsum sit semiplena probatio, vel indicia sufficientia) admitti debet denunciatio, & iuridicè contra ipsum procedi modo, quo dicam *infrà Dubitatione sequenti de Inquisitione speciali.*



DVBITATIO CLXXXIV.

An, & quomodo in crimine hæresis procedatur via Inquisitionis?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitionis via, qua in crimine hæresis Inquisitores procedunt, est tertia, & vltima.*

2 *Inquisitio est duplex, vna generalis, altera specialis: generalis est, quando contra nullum delinquentem Inquisitor expressè procedit, sed solùm in genere proponit, si qui sint occulti rei, vt manifestentur: specialis verò est, quando aduersùs aliquem specialem, & nominatim Inquisitor procedit.*

3 *Inquisitio generalis non exigit, quod infamia præcedat, sicut requirit Inquisitio specialis; quia generalis nulla est iniuriosa, sed potiùs instituta ad præcauenda mala, & ad coërcendos delinquentes; secùs autem specialis.*

4 *Infamia ad faciendam Inquisitionem specialem requiritur, quæ ex grauibus indiciis oriatur, quia ex indiciis leuibus non debet iudex moueri ad suspicandum de homine Christiano crimen tam graue.*

5 *Indicia leuia, quæ delicto graui annexa non sunt, licet aperiant viam iudici ad Inquisitionem specialem faciendam, non tamen ex illis potest ad rei capturam moueri; quia cùm captura sit valde iniuriosa necessariò requiritur, vel quod sit plenè probatum delictum, vel quod saltem de illo sint probata indicia vehementia.*

6 *Reus si sit vir nobilis, Religiosus, vel honestus, non debent Inquisitores absque consilio supremi Senatus ad capturam procedere.*

SVPPONO, quod hæc sit tertia, & vltima via, satisque etiam vsitata, qua Inquisitores in causis fidei procedunt. 1

Suppono secundò, quod Inquisitio sit duplex, vna generalis, altera specialis. Generalis est, quando contra nullum delinquentem Inquisitor expressè procedit, sed solùm in genere proponit, si qui sint occulti rei, vt manifestentur. Specialis verò Inquisitio est, quando aduersùs aliquem specialem, & nominatum Inquisitor procedit, tam eum interrogando, quàm testes examinando. His suppositis. 2

Respondetur: Non est necessarium, quod infamia præcedat ad faciendam Inquisitionem generalem; est tamen necessarium, quod infamia præcedat ad faciendam Inquisitionem specialem. 3

Prior pars probatur; quia Inquisitio generalis nulli est iniuriosa, sed potiùs instituta ad præcauenda mala Reipublicæ, & ad coërcendos delinquentes: quapropter Inquisitores sæpiùs in anno hanc Inquisitionem generalem (prout de facto suis Edictis exercent) exercere debent, iuxta Textum *in c. Excommunicamus* 1. §. *Adiicimus, &* §. *vltimo de hær.*

Posterior pars patet ex opposita ratione, & ex Textu *in c. Qualiter & quando de accusat.* & tradunt communiter Doctores, quos sequitur Simancha *de Cathol. inst. tit.* 44. *num.* 8.

Quænam autem infamia ad faciendam Inquisitionem specialem requiratur? 4

Respondetur: Requiri infamiam, quæ ex grauibus indiciis oriatur; quia ex indiciis leuibus, quæ delicto graui annexa non sunt, non debet moueri iudex ad suspicandum de homine Christiano crimen tam graue, sicut de pœnis, quas hæresis suspecti incurrunt, dicebam *Dubit.* 167. 168. *&* 169.

At quidquid sit de hoc, illud saltem dicendum omninò est, quod etiamsi leuia indicia, quæ delicto graui annexa non sunt, aperiant viam iudici ad Inquisitionem specialem faciendam, non tamen ex illis possit iudex ad rei capturam moueri; quia, cùm captura sit valde iniuriosa, necessariò requirit, quod vel sit plenè probatum delictum, vel quod saltem de illo sint probata indicia vehementia: Quinimò, si reus sit vir nobilis, Religiosus, vel honestus, non debent Inquisitores absque consilio supremi Senatus (nisi fortè fuga timeatur) ad capturam procedere. Eymericus 3. *p. direct. rubr. de forma examinationis testium n.* 57. & ibi Peña *comment.* 17. *vers. Ergo in hoc articulo.* Scacc. *tract. de iud. cap.* 44. *per totum.* Paramus *de orig. S. Inquisit. lib.* 3. *q.* 4. *rubr. de forma, & ordine iudiciario S. Officij n.* 50. Simancha *de cathol. instit. tit.* 16. *rubr. de custodia reorum n.* 1. *&* 2. *& tract. de hæret. p.* 2. *assert.* 1. *n.* 1. *& seqq.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *de hær. q.* 185. *n.* 7. 5 6

Sed (vt modus procedendi via Inquisitionis in quolibet alio crimine sciatur) sint Petitiones sequentes.

PETITIO I.

An, vt iudex in quolibet alio crimine via Inquisitionis generalis procedat, præcedere debeat infamia personæ, vel criminis?

SVMMARIVM.

1 *Personæ, quæ interueniunt in iudicio, aliæ sunt principales, scilicet iudex, actor, & reus, aliæ sunt accessoriæ, videlicet testes, Aduocatus, vel Procurator,*

tor, Accessor, Tabellio.

2 *Iudex, est Minister publicus constitutus, vt secundùm legum præscriptum, aut loci consuetudinem ius populo dicat.*

3 *Iudex vnus est ordinarius, qui tanquam ex officio præest vniuersitati causarum, vel proprio iure si sit supremus iudex, vel beneficio Principis, si sit subordinatus. Alter verò est iudex delegatus, cui vices suas Ordinarius commisit vel ad omnes, vel ad specialem solummodò causam.*

4 *Pubes in quacumque ætate à Principe tam iudex ordinarius, quàm delegatus potest constitui; non item ab alio inferiore delegari, nisi vigesimum ætatis annum compleuerit, præterquam si partes scienter consentiant in eum, qui annum saltem decimum octauum transcendit.*

5 *Arbiter constitui non potest (neque ex consensu partium) nisi annum ætatis vigesimum expleuerit.*

6 *Demum ad officia, quibus Reipublicæ administratio continetur, nemo ante 25. annum saltem inchoatum, adhiberi debet.*

7 *Iudex in causis ciuilibus procedere non solet, nisi postulatus: quia & tunc operam dare debet, vt si fieri possit, partes ad concordiam reuocentur.*

8 *Iudex in causis criminalibus dupliciter procedere potest, vel ad petitionem partis, seu instantiam accusatoris, vel ex officio per viam Inquisitionis.*

9 *Modus procedendi per denunciationem, non videtur distingui à secundo, cùm denunciator non agat aliud, quàm iudici afferre indicia.*

10 *Inquisitio datur omninò generalis, qua inquiritur in genere; an in communitate sit aliquis criminosus, vel legum transgressor, subditi an seruent leges, & statuta, an non committant crimina, &c. qua Inquisitione generali vtuntur Prælati, & Superiores in visitando Prouinciam, vel alios locos sibi subiectos, quamuis nulla præcedat hominis infamia, vel commissi criminis indicium.*

11 *Inquisitio alia est omninò specialis, qua inquiritur de certa persona, vel de certo crimine.*

12 *Inquisitio tandem est etiam mixta, quando scilicet vel solum crimen est speciale, vel sola persona, de qua fit inquisitio.*

13 *Iudex vt in quolibet alio crimine procedat via Inquisitionis omninò generalis, non est necesse, quod aliqua infamia præcedat: quia in iure præcipitur Prælatis Ecclesiasticis, vt suo tempore faciant visitationes, & inquisitiones generales.*

14 *Iudex per inquisitionem generalem nemini facit iniuriam, cùm de nomine in particulari fiat inquisitio, &c.*

15 *Subditus in tali casu non debet aperire criminosos occultos, qui nulla talis criminis infamia laborant: iudicis enim potestas non se extendit ad elicienda crimina occulta.*

16 *Amplia etiam, si iudex præcipiat sub pœna excommunicationis, vel sub iuramento.*

17 *Reuelantes in tali casu crimen occultum ex probabiliori peccant mortaliter, si non præcedat infamia hominis, seu fama delicti.*

18 *Praxis in contrarium non obstat: quia complures in hac re, vel errant per ignorantiam, vel non tam intendunt rei punitionem, quam eius emendationem.*

19 *Reuelare crimen occultum, est peccatum mortale contra iustitiam, si probari non possit.*

20 *Excipe, si sit necessarium ad criminosi correctionem;*
21 *& quando malum spirituale, vel temporale alteri imminet.*

22 *Superior si ex Inquisitione, vel visitatione generali nouerit crimen aliquod à subdito fuisse commissum, tunc potest contra illum via Inquisitionis specialis procedere, & præuio iuramento testes interrogare, quia iudex non potest non iuridicè contra delinquentem sic infamatum procedere, & inquirere.*

23 *Idque etiam in casu, quo tale crimen iniustè fuerit ipsi superiori notificatum, quia siue benè, siue malè deductum fuerit ad notitiam iudicis, tenetur contra illud procedere, & inquirere.*

24 *Superior non potest tamen deuenire ad Inquisitionem specialem ex sola notitia per Epistolas, vel libellos sine auctore habita etiam si in iis notificentur testes: quia huiusmodi libelli nullam inducunt infamiam.*

25 *Superior potest ex dictis libellis deuenire ad Inquisitionem generalem; quia per eam nulli fit iniuria.*

SVppono, quod personæ, quæ interueniunt in iudicio, 1
aliæ sint principales, scilicet iudex, actor, & reus, *cap. forus de verb. sign.* Aliæ verò sint accessoriæ, scilicet testes, Aduocatus, vel Procurator, Assessor, Tabellio, &c.

Iudex est Minister publicus, constitutus, vt secundùm 2
legum præscriptum, aut loci consuetudinem ius populo dicat, *cit. cap. forus.* Et iudex, vnus est Ordinarius, qui 3
tanquam ex officio præest vniuersitati causarum, vel proprio iure, si sit supremus iudex, vel ex beneficio Principis, si sit subordinatus; alter verò est iudex delegatus, cui vices suas Ordinarius commisit, vel ad omnem, vel ad specialem solummodò causam, *leg. solet, & seqq. ff. de iurisdict. omn. iud.* Porrò qui iudex merè delegatus est, alteri causam, nisi sit delegatus supremi Principis, subdelegare non potest; *c. Pastoralis de offic. iudic. delegat. c. cùm causam, §. vlt. de appellat. & l. à iudice C. de iudiciis.* Differunt etiam in eo, quod pubes in qua- 4
cumque ætate à Principe iudex tam ordinarius, quàm delegatus potest constitui, non item ab alio inferiore delegari, nisi vigesimum ætatis annum compleuerit; præter quàm si partes scienter consentiant in eum, qui annum saltem decimum-octauum transcendit, *cap. cum 20. de offic. iud. deleg. & l. Quidam consulebat, ff. de sent. & re iud.* Arbiter verò constitui non potest, ne quidem 5
ex consensu partium, nisi annum ætatis vigesimum expleuerit; *l. cum lege, ff. de arbitr.* Demùm ad officia, qui- 6
bus Reipublicæ administratio continetur nemo ante vigesimum-quintum annum, saltem inchoatum, adhiberi debet; *l. ad Rempublicam, ff. de munerib. & honorib.* & docent *in cit. c. Cùm vigesimum* Glossa, Abbas *n. 4.* & cæteri Canonistæ.

Iudex in causis ciuilibus procedere non solet, nisi po- 7
stulatus quia & tunc operam dare debet, vt si fieri possit, partes ad concordiam reuocentur, *c. 1. de mutuis petitionibus.* [quia ad ipsius officium pertinet, lites diminuere.] *l. Quidam, ff. de reb. cred.* In causis autem cri- 8
minalibus dupliciter iudex procedere potest, vel ad petitionem partis, seu instantiam accusatoris; vel ex officio per viam Inquisitionis, sicuti dicebam *suprà dubit. 181.* & tradit præter alios Clarus *lib. 5. sentent. §. final. q. 3.* Addunt alij tertium modum procedendi, nempe per 9
denunciationem; at modus iste non videtur distingui à secundo, cùm denunciator non agat aliud, quàm iudici aperire indicia, quibus ex officio ad inquirendum moueatur, sicuti dicebam *cit. dubit. 181.* & tradit idem Clarus *q. 7. n. 1.*

Suppono secundò, quod detur Inquisitio omninò 10
generalis (quia scilicet inquiritur in genere, an in communitate sit aliquis criminosus, vel legum transgressor; an subditi seruent Regulam, Leges, & statuta; an committant crimina; an de vllo sit fama, vel suspicio criminis, &c. hac inquisitione omninò generali vtuntur Prælati, & Superiores in visitando Prouinciam, vel alios locos sibi subiectos, quamuis nulla præcedat hominis infamia, clamorosa insinuatio, denunciatio, accusatio, vel commissi criminis indicium, vti colligitur *ex c. Romana de censib. in 6. & ex c. 1. de offic. ordinar.* Vbi id notat Abbas *n. 5.* Sotus *de secret. tegend. membr. 2. q. 6. conclusione 2.* Nauarrus *in rubr. de iudiciis n. 53. & consil. 1. de offic. ordin. edit. 2.* Farinacius *in Practic. crim. q. 1. n. 10.*

Suarez

Suarez *tom 4. de Religion. lib.* 10. *c.* 11. Aldrete *de Relig. disciplin. lib.* 1. *c.* 1. *n.* 3. & Thomas de Iesu *tractat.* 1. *de visit. Regul. cap.* 4.

11 Item quod detur inquisitio omninò specialis (qua scilicet inquiritur de certa persona, & de certo crimine, v. g. An Titius commiserit hoc furtum, vel hoc homicidium, &c.

12 Item quod detur tandem Inquisitio mixta, quando scilicet, vel soluto crimen est speciale, vel sola persona (de qua fit inquisitio) vt verbi gratiâ; an quis fecerit hoc furtum, vel hoc homicidium, &c. Aut an Titius seruet regulam, leges, statuta, vel ordinationes synodales, &c. Videatur præter alios Franciscus Aretinus *in Praxi crim. cap.* 10. & Aldret. *de relig. disciplin. lib.* 1. *cap.* 7. His suppositis.

13 Respondetur: vt iudex in quolibet alio crimine procedat via inquisitionis omninò generalis, non est necesse, quod aliqua hominis infamia, clamorosa insinuatio, denunciatio, accusatio, vel commissi criminis indicium præcedat. Est communis sententia Doctorum, & patet ex dictis *suprà*, &

Probatur primò authoritate; quia in iure præcipitur Prælatis Ecclesiasticis, vt suo tempore faciant visitationes, & inquisitiones generales; *cap. Perniciosum de offic. iud. ordinar.* Ibi: [Habeant Episcopi singularium vrbium in suis diœcesibus liberam potestatem, vt possint scilicet adulteria, & scelera inquirere, vlcisci, & iudicare] (& quamuis Glossa putet, quod hic agatur de inquisitione speciali, quæ fit præcedente infamia; alij tamen, & satis rectè, intelligunt etiam de generali) *& cap. Romana*, §. *sanè de censibus* in 6. Ibi: [Proposito verbo Dei quærat de vita, & conuersatione ministrantium in Ecclesiis;] vbi clare satis agitur de inquisitione generali.

14 Probatur secundò ratione; quia (vti dicebam) per dictam inquisitionem generalem nemini fiat iniuria; cùm de nemine in particulari fiat inquisitio; neque obstat, quod sic detegantur occulti criminosi; quia id est per accidens, & præter intentionem inquirentis; & aliàs huic incommodo priuato præferri debet bonum commune; quia talis inquisitio generalis est necessaria ad Rempublicam purgandam, & ad mores hominum reformandos; & prætereà, si non fieret, multa crimina (quæ, ne criminosi inualescant, puniri, omninò expedit) remanerent impunita; quia nemo ea sponte deferret.

15 Vbi tamen aduerte, quod si tu, etiam cùm sis subditus interrogeris, non debeas aperire criminosos occultos, qui nulla criminis infamia laborant. Sanctus Thomas 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 2. Caietanus *ibidem.* Nauarr. *in cap. Inter verba concl.* 6. *n.* 21. *& in rubr. de iud. num.* 87. Sotus *de tegend. & retinend. secret. membro* 2. *quæst.* 6. & alij communiter. Et colligitur *ex c. Qualiter & quando* 2. *de accusat.* Et ratio est; quia id, de quo nulla adhuc est fama, censetur (dum via inquisitionis proceditur) occultum, sed iudicis potestas non se extendit ad elicienda crimina occulta (maxima enim exinde incommoda Reipublicæ sequerentur.) Ergo

16 Quapropter, etiamsi sub pœna excommunicationis, vel sub iuramento iudex in tali casu præcipiat, vt dicas quidquid nosti, dicere tamen non teneris, sed cum restrictione mentali dicere potes, te quidquam non nosse, intelligendo scilicet tacitè, te quidquam non nosse, ita vt ei dicas, vel ita vt ei dicere tenearis.

An autem in dicto casu ita non debeas occultos criminosos aperire, vt si aperias, pecces mortaliter.

17 Respondetur, quod (quamuis nonnulli, quos sequitur Clauis *quæst.* 7. probabiliter negent, se saltem, quando crimen in iudicio testibus, sufficientibus indiciis probari potest, peccare mortaliter; quia in tali casu habes ius accusandi, vel denunciandi iudicialiter auctorem criminis: expedit enim bono publico, quod cuilibet hæc potestas concedatur: generatim enim loquendo, infamia, & punitio, quæ priuatæ personæ inferatur, exemplo publico, & timore, qui sic aliis inijcitur, vt se à delinquendo compescant, satis superque compensatur.) Probabilius tamen sit oppositum, te scilicet in dicto casu peccare etiam contra iustitiam mortaliter; quia debet præcedere infamia, vel quid æquiualens, sicuti colligitur ex dicto *capite Qualiter & quando*

Non obstat, si dicas cum Aduersariis: praxis totius 18
Orbis est, quod occulti criminosi iudici aperiantur, non solùm quando fit inquisitio generalis, & subditi interrogantur, sed etiam, quando non interrogantur; ita vt & aperiant sponte, & a nullo rogati.

Respondetur enim, prædictam praxim non obstare, quia complures in hac re vel errant per ignorantiam, vel non, tam intendunt rei punitionem, quàm eius emendationem, vel mali impendentis impeditionem: quo casu clarum est, quod denunciatio, tametsi non præcesserit infamia, vel quid æquiualens, licita sit, vt mox *infrà* patebit.

At (quidquid sit de hoc) illud saltem omninò di- 19
cendum est, quod (quando crimen in iudicio nullo modo probari potest) si illud iudici aperias, contra iustitiam pecces mortaliter; quia tunc crimen aperiendi ius nullum habes; cùm enim in iudicio non possit probari, puniri minimè potest, ac proinde ex eius reuelatione nihil aliud, quàm infamia proximi sequi poterit; sicque tua criminis denunciatio non nisi ad iniustam infamationem tenderet.

Excipe, quando id putatur esse necessarium ad ipsius 20
occulti criminosi correctionem, & emendationem; quia tunc aperiendum est superiori, non tanquam iudici, sed tanquam patri, vt sua authoritate, & prudentia criminosum illum corrigat, & emendet.

Excipe secundò, quando malum aliquod spirituale, 21
vel temporale (quod commodè, nisi authoritate superioris, auerti non potest) alteri imminet; quia tunc non debet haberi ratio famæ, sed debet potius Innocens præferri nocenti. Vide, quæ dicebam *suprà dubitatione* 181 *petitione* 5.

Ex dictis sequitur, quod (si ex inquisitione, vel visita- 22
tione generali superior nouerit, crimen aliquod à subdito fuisse commissum) tunc possit contra illum via inquisitionis specialis procedere, & præuio iuramento testes interrogare; quia iudex (cùm crimen ipsi notificatum sit) non potest non iuridicè contra delinquentem sic infamatum, procedere, & inquirere. Nauarr. *de iud. n.* 87. & Aldret. *lib.* 1. *de Relig. disciplin. c.* 7. *n.* 6.

Idque etiam in casu, quo tale crimen iniustè fuerit 23
ipsi superiori notificatum; quia hoc ipso, quod crimen (siue benè, siue malè) deductum est in notitiam iudicis, tenetur iudex contra illud procedere, & inquirere, sic Doctores Communiter, quos sequitur Thomas à Iesu *de visit. Regular. tract.* 1. *c.* 4. *n.* 7.

Quamuis non possit superior similiter deuenire ad 24
Inquisitionem specialem ex sola notitia per Epistolas, vel libellos sine authore habita: tametsi in huiusmodi epistolis, vel libellis sine authore notificarentur testes, qui possint crimen testificari; quia huiusmodi epistolæ, vel libelli sine authore (cùm eis propterea fides haberi non debeat) nullam inducunt infamiam; *cap. Inquisitionis extra de accusat.* sic Doctores communiter, quos sequitur Thomas à Iesu *vbi suprà c.* 3. *n.* 9.

Poterit tamen superior ex dictis Epistolis, & libellis 25
sine authore deuenire ad Inquisitionem generalem; quia (cùm per inquisitionem generalem nulli fiat iniuria) non requiritur infamia, sicuti dicebam *suprà dubit.* 184. *petitione* 1. & docet præter alios Aldret. *de disciplin. Regular. lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 35.

ADVERTENDA.

Circa Inquisitionem hanc generalem, præsertim in ordine ad Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Inquisitio, seu visitatio generalis non requirit, vt præcedat aliqua infamia, clamorosa insinuatio, denunciatio, accusatio, vel criminis aliquod indicium; quia in hac superior procedit ex officio propter bonum commune.*

2 *Inquisitio generalis non exigit iuramenti petitionem à subditis, saltem de iure communi. Quidquid sit de statutis particularibus alicuius Religionis; quia hæc Inquisitio, seu Visitatio generalis, non est perfectum iudicium, sed quid præparatorium ad Inquisitionem specialem.*

3 *Superior quando generaliter inquirit, non potest petere sibi à subdito aperiri crimen, si illud sit occultum, sed solùm tunc, quando de illo præcedit aliqua infamia, vel aliquid æquiualens.*

4 *Excipe, nisi velit subditus illud aperire superiori, tanquam patri, & secretò, ad correctionem fratris: quamuis semper, si sit spes emendæ, & opportunitas correctionis, præmitti debeat correctio fraterna.*

5 *Excipe Religiosos è societate Iesu, quia cedunt iuri suo de tali correctione recipienda propter suæ Religionis statutum.*

6 *Visitatores in huiusmodi inquisitione, seu visitatione generali tenentur monere subditos, ne reuelent delicta aliorum occulta, de quibus scilicet non sit aliqua infamia, vel aliquid æquiualens: at hoc procedit, si subditi sint indocti.*

7 *Subditus in prædicta inquisitione, seu visitatione generali etiam ad præceptum superioris, non tenetur denunciare delicta, quæ constat fuisse iam emenda-*
8 *ta; quia tunc cessat finis denunciationis. Secus dic de Prælato, cuius munus est procurare, ne delicta, etiam emendata, impunita remàneant.*

9 *Item neque tenetur denunciare delicta, quæ nouit in sacramento Confessionis, quia ea non nouit vt homo, sed tantùm vt Deus.*

10 *Item neque tenetur denunciare delicta, quæ nouit sub secreto consilij, vel auxilij petendi gratia; quia huiusmodi secretum tendit in bonum commune.*

11 *Item neque tenetur denunciare, si ex denunciatione timeat sibi aliquod malum.*

12 *Excipe, nisi delictum tendat in graue damnum communitatis.*

13 *Item neque tenetur denunciare, quæ audiuit ab homine minus fide digno, vel parùm beneuolo, vel parum benè affecto; secùs si à viro fide digno, qui tamen non denunciat, neque denunciabit.*

14 *Subditus è contra tenetur in huiusmodi inquisitione, seu visitatione generali denunciare paternè Prælato, correctione fraterna præmissa, omnes defectus aliorum subditorum: quia tenetur quilibet eo modo, quo potest, procurare proximi salutem spiritualem.*

15 *Subditus denunciare tenetur iuridicè ad Prælatum illum, qui per fraternam correctionem correctus non est, dummodò tamen possit per testes idoneos delictum probare; idque etiam si Prælatus oppositum præcipiat.*

16 *Prælatus si in dicta Inquisitione, vel visitatione generali solùm admonitus sit tanquam pater, non potest illum punire, sed tantùm monere, vel minis terrere, vt imposterum cautiùs agat.*

1 ADuerte hîc ex dictis, quod ad inquisitionem, seu visitationem hanc generalem non requiratur, vt præcedat aliqua infamia, clamorosa insinuatio, denūciatio, accusatio, vel criminis aliquod indicium; quia in hac inquisitione, seu visitatione generali superior (vti dicebam) procedit ex officio propter bonum commune, & ex alia parte sic procedendo nulli infert iniuriam; sic Doctores communiter, quos sequitur Aldretus *de Religios. disciplin. libro 1. cap. 1. num. 3.* & Thomas de Iesu *tractatu primo de Visitatione Regularium, cap. 4.*

Aduerte secundò, quod neque in dicta inquisitione 2
generali requiratur petitio iuramenti è subditis, saltem de iure communi (quidquid sit de statutis particularibus alicuius Religionis, in qua à visitatoribus petatur tale iuramentum, vel imponatur præceptum obedientiæ, quod quidem vim habet iuramenti) quia hæc inquisitio, seu visitatio generalis non est perfectum iudicium, sed quid præparatorium ad inquisitionem specialem, quæ quidem est perfectum iudicium. Aldretus *vbi suprà num. 4.* & Grass. *2. part. decis. lib. 3. cap. 28. num. 3.*

Aduerte tertiò, quod neque in eadem inquisitione 3
generali sit à superiore petendum, aut à subdito aperiendum crimen, si illud sit occultum, sed solùm tunc, quando de illo præcedit aliqua infamia, vel aliquid æquiualens; quia (si de crimine aliqua infamia, vel aliquid æquiualens non præcedit) iudex (cùm tunc non habeat de crimine plenam, vel semiplenam probationem) non interrogat iuridicè; & per consequens neque subditus (etiamsi a superiore sub pœna excommunicationis, vel sub iuramento interrogatus sit) aperit licitè criminosum occultum, ob eamdem, quam dicebam, rationem; sic Doctores communiter, quos sequitur Suarez *tom. 4. de Religione lib. 10. cap. 11. n. 7.*

Excipe, nisi velit subditus illud aperire superiori, 4
tanquam patri, & secretò ad correctionem fratris; quia tunc (etiamsi non præcedit aliqua infamia, vel aliquid æquiualens; cùm tunc superior non procedat, vt iudex & sic ex scientia publica, sed vt pater, & sic ex scientia priuata, & cùm tunc non sit id in vindictam cum infamia, sed in emendationem fratris sine infamia, & sic prorsus in bonum, & vtilitatem spiritualem fratris) licitè poterit crimen occultum sic aperire superiori: sic Doctores etiam communiter, quos sequitur Suarez *vbi suprà num. 8.*

Quamuis semper (si sit spes emendæ, & opportunitas correctionis) præmitti debeat correctio fraterna; quia *ex Matthæi* 18. est de iure diuino, & salus proximi procuranda est cum quàm minimo detrimento illius Rodriq. *tom. 2. q. 8. a. 2.* & Peyrin. *tom. 1. de subdito q. 1. de obedientia c. 16. post conclusionem tertiam.*

Excipiendi tamen sunt Religiosi è societate Iesu; 5
quia cedunt hi iuri suo de tali correctione recipienda propter suæ Religionis statutum (quod habent) præcipiens, vt scilicet ad maiorem cautelam boni communis quicumque nouerit crimen alterius, immediatè denunciet illud superiori, non præmissa correctione fraterna. Suarez *de fide disp. 8. sect. 6.* & alij passim.

Aduerte quartò, quod nonnulli cum Nauarro *in cap.* 6
Inter verba n. 179. velint, vt in huiusmodi inquisitione, seu visitatione generali teneantur visitatores monere subditos, ne reuelent delicta aliorum occulta (de quibus scilicet non sit aliqua infamia, vel aliquid æquiualens;) at hoc tantum necessarium videtur, si subditi sint indocti, vel non possint consulere doctos, qui rectè norunt, quod superior nihil possit præcipere contra ius diuinum, vel naturale. Suarez *vbi suprà*, & alij, quos sequitur Thomas de Iesu *de visitation. Regular. tract. 1. cap. 1. num. 5.*

Aduerte quintò, quod in prædicta inquisitione, seu 7
visitatione generali non teneatur subditus (etiam ad præceptum superioris) denunciare delicta, quæ constat, quod iam fuerint emendata; quia (cùm iam fuerint emendata) cessat finis denunciationis, quæ est emendatio fratris. Nauarr. *c. 25. n. 46.* & Rodriq. *tom. 2. q. 6. a. 2.*

8 Quamuis, secùs dicendum sit de Prælato, cuius munus est procurare, ne delicta, etiam emendata, impunita remaneant. Rodriquez, & Peytinus *in locis supra citatis.*

9 Item neque teneatur denunciare delicta, quæ nouit in sacramento Confessionis; quia ea non nouit, vt homo, sed tantùm vt Deus, & quia sigillum confessionis (cùm tendat in beneficium vniuersalis Ecclesiæ, sitque in ordine superiori ad omnia; ad omnia etiam ad vitam ipsam præferri debet.

10 Item neque teneatur denunciare delicta, quæ nouit sub secreto, consilij, vel auxilij petendi gratia: quia (cùm huiusmodi secretum tendat etiam in bonum commune, ne scilicet impediatur inter homines consultatio) obligat etiam magis, quam præceptum in contrarium superioris. Nauarr. *in summ. c. 25. n. 46.* & alij communiter: quamuis secùs dicendum sit, si id, quod ipse accepit sub tali secreto, cedant in damnum (siue corporale, siue spirituale) communitatis, vel etiam alicuius personæ particularis, quia innocens præferri debet nocenti; præsertim cùm ille malitia sua intendat inferre damnum innocenti. Valentia *tom. 3. disp. 5. q. 14 punct. 1.* & alij etiam communiter.

11 12 Item neque teneatur denunciare, si ex denunciatione timeat sibi aliquod malum; excipe, nisi delictum tendat in graue damnum communitatis, quia bonum commune præferri debet priuato; cùm sic postulet ordo charitatis; sic Doctores communiter, quos sequitur Rodriquez *tom 2. quæst. regul. est. q. 6. art. 3.* & Peytinus *tom. 1. de subdito q. 1. de obedientia c. 16. § 3. concl. 7.*

13 Item neque teneatur denunciare, quæ audiuit ab homine fide minùs digno, vel parum beneuolo, vel parum benè affecto; quia tunc ei credendum non est; secùs, si audiuerit a viro fide digno (qui tamen non denunciat, neque denunciabit, quia, si is denunciat, vel denunciabit; cùm tunc ipse denunciando, nihil addat de nouo, actum inutilem præstabit, ad quem, vtpote talem, nemo obligatur) & Prælatus præcipiat, vt dicat quidquid nouerit & ipse credit, id in se esse verum; Rodriq. *vbi supra art. 7.* & Peytin. etiam *vbi supra concl. 4.*

14 Aduerte sextò, quod è contra teneatur subditus in huiusmodi inquisitione, seu visitatione generali denunciare paternè Prælato, correctione fraterna (si fieri debeat iuxta ea, quæ supra dicebam) præmissa, defectus omnes aliorum subditorum; quia tenetur quilibet omni meliori modo, quo potest, procurare proximi salutem spiritualem. S. Thomas *2. 2. q. 33. a. 8.* Graff. *1. part. decis. lib. 2. cap. 69. num. 1.* & alij communiter.

15 Quod adeò verum est (vt si per fraternam correctionem vel paternam denunciationem, ille correctus non sit, neque corrigendus speretur) teneatur etiam quilibet illum iuridicè ad Prælatum, vt ad iudicem ob eamdem rationem iam dictam denunciare: dummodò tamen possit per testes idoneos delictum probare; quia nemo tenetur, ne calumniator videatur iuridicè denunciare, quod non potest probare, *c. Plerumque 2. q. 7.* Nauarr. *in cit. c. Inter verba concl. 6* Graffius *1. p. decis. lib. 1. c. 69. n. 15.* & alij passim.

Idque etiam, si Prælatus oppositum præciperet, quia tunc Prælati præceptum contineret errorem intolerabilem. Angelus *verb. Excommunicatio 3.* & alij quos sequitur Nauarr. *vbi supra.*

Quapropter, si habeat quis testes tantùm leues (cùm tunc non habeat testes idoneos ad probandum, sicque non possit [illegible] probare) ob eamdem rationem iam dictam neque [illegible] denunciare.

Acced[illegible] non possit iuridicè denunciat[illegible] condemnari, exercet, ipse iurid[illegible] ad iudicem, denunciando actum in[illegible] vtilitate proximum infamaret: [illegible] sequitur Peytin. *tom. 1. de sub lito quæst. [illegible] de ob[illegible] cap. 16. ante quartam conclusionem.*

Aduerte septimò, quod (si in dicta inquisitione, vel visitatione generali Prælatus solùm admonitus sit tanquam pater, denunciatione paterna) non possit tunc ipse vllo modo (cùm tunc tantùm sit aditus, & admonitus tanquam pater, & non tanquam iudex) punire denunciatum, sed tantum monere, vel minis terrere illum, quod in posterum cautiùs agat; videri poterit præter alios Angles *in floribus p. 2. q. de correctione fraterna art. 1. difficult. 7.* 16

PETITIO II.

An, quando crimen est publicum, sed author criminis est occultus, iudex inquirere possit, quisnam illud perpetrauerit?

SVMMARIVM.

1 *Iudex, quando crimen est publicum, sed author criminis est occultus, potest inquirere in genere, quisnam illud perpetrauerit, non autem in particulari, an Titius, vel Caius, nisi de eo sint aliqua indicia, vel sit aliqua fama, quod perpetrauerint contra nonnullos id simpliciter negantes; quia in tali casu nemo potest queri, quod sibi facta sit iniuria per hanc generalem inquisitionem.*

2 *Canones prohibentes procedi per inquisitionem nisi de auctore criminis sint aliqua indicia, non loquuntur de inquisitione generali, sed loquuntur de speciali.*

5 *Inquisitio generalis non prebet per se, & ex natura sua contra ordinem charitatis, & iustitiæ occasionem aperiendi crimina occulta, sed per accidens, & ex ignorantia eorum, qui interrogantur; hi enim ignorantes putant se teneri occulta crimina aperire, quod non est sufficiens, vt mittatur dicta generalis inquisitio.*

4 *Iudex inquisitionem generalem faciens neque instruere tenetur ignorantes quod criminis auctorem, si nulla infamia laboret, non aperiant: id enim generaret populo scandalum, & redderet iudicem suspectum de corruptela, vel fauore erga criminosos.*

5 *Iudex contra auctorem criminis sic detectum per generalem inquisitionem, potest procedere, nec ei imputandum est damnum, quod detecto euenit, quia vtitur iure suo: hoc ipso enim, quo criminis auctor est publicè detectus (etiamsi id ab altero inique factum fuerit) potest contra eum informationem recipere, specialem inquisitionem facere, & conuictum punire, modò per iniuriam non sit causa illius detectionis.*

6 *Reus neque ob id tenetur se ipsum prodere, si à Iudice per generalem inquisitionem interrogetur, nisi præcesserit infamia, vel semiplena probatio.*

7 *Iudex, vel superior, vt satisfaciat officio suo, potest sub pœna excommunicationis, vel sub iuramento à subditis inquirere in genere quisnam crimen perpetrauerit; subditi tamen criminosum, si nulla infamia laboret, & nullum malum in posterum immineat, aperire non tenentur.*

8 *Sanctus Gregorius quemdam, qui libellum famosum sparserat, sacra communione priuauit, nisi se proderet: Infamator enim ille tenetur proximi famam reparare, vel certè quæ in libello famoso sparserat, omninò probare: quorum neutrum sine sui detectione fieri poterat.*

9 *Interrogatus generali Inquisitione potest, quin etiam & debet criminosum, etiam occultum, aperire, si crimen adhuc esset perpetrandum, aut continuandum, vel si ex eo graue damnum, quod alia ratione commodè auerti non posset, alteri immineret.*

10 *Superior si sub pœna excommunicationis, vel sub iuramento interroget, & interrogatus quidquid nouerit aperire iurauerit, non tenetur aperire, nisi quod sine iuramento aperire licitè posset.*

1 RESpondetur, quod (quamuis Caietanus 2.2.q.69.a.1. & 2. Sotus *de secreto membr. 2. q. 6. dub. 4.* & complures alij simpliciter negent) tamen dicendum sit, quod iudex inquirere possit in genere, quisnam illud perpetrauerit, non autem in particulari, an Titius, vel Caius (nisi de eo sint aliqua indicia, vel sit aliqua fama) perpetrauerit, Abbas *in c. Bonæ 1. de elect. num. 5.* Imola *ibid.* & Innocentius (quatenus ait: [Item nota, quod sic seruat totus mundus, quod, contingente maleficio notorio, statim inquirit iudex generaliter, non contra certam personam, & facta inquisitione, vocat nominatos in Inquisitione de maleficio, vt se defendant, & quod longam interpretationem recipit ex iteratione factorum, mutari non debet.] Syluester *verb. Correctio n. 6.* Nauarrus *in c. Inter verba conclus. 6. n. 15.* & in Enchirid. *c. 18. n. 40.* & alij communiter quos sequitur Farinacius *in pract. crim. q. 1.* Et patet ex dictis; & vlterius

Probatur; quia in tali casu nemo potest queri, quod sibi facta sit iniuria per hanc Inquisitionem generalem; quinimò potiùs hæc prædicta Inquisitio generalis à tota Republica desideratur; quia, si non fieret, & populus (videns, iudicem non inquirere auctorem publici criminis) grauiter scandalizaretur, putarétque iudicem criminosis fauere; & præterea criminosi spe impunitatis inualescerent in detrimentum, & perniciem eiusdem Reipublicæ.

2 Obiicies: Canones prohibent, quod procedatur per Inquisitionem, nisi de auctore criminis sint aliqua indicia, vel sit aliqua fama; *c. Inquisitionis, c. Qualiter & quando 2. & c. Cùm oporteat de accusationib.* Ibi: [Nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noueritis, ad Inquisitionem illorum non subitò procedatis.]

Respondetur: Canones istos non obstare; quia non loquuntur de Inquisitione generali, qua inquiritur, quisnam crimen publicum perpetrauerit, sed loquuntur de Inquisitione speciali, qua inquiritur, an dictum crimen Titius, vel Caius perpetrauerit.

3 Instabis: Inquisitio generalis (qua iudex inquirit in genere, quisnam crimen publicum perpetrauerit) non minùs contra ordinem Charitatis, & Iustitiæ præbet occasionem aperiendi crimina occulta, quàm præbeat Inquisitio specialis (qua inquirit in specie, an Titius, vel Caius illud perpetrauerit.) Ergo adhuc Inquisitio generalis est iniusta, & iniqua, sicut est Inquisitio specialis.

Respondetur: distinguo antecedens: (non minùs præbet occasionem, &c.) per se (ex natura scilicet sua, nego: per accidens (ex ignorantia scilicet eorum, qui interrogantur; qui ius ignorantes putant, se teneri occulta crimina aperire) concedo; at propter tale incommodum, per accidens proueniens, omitti non debet prædicta Inquisitio generalis, adeò bono publico necessaria; & secundùm se talis, vt nemini iniuriam inferat, vti dicebam.

4 Neque iudex Inquisitionem generalem faciens instruere tenetur ignorantes, quod criminis auctorem, si nulla infamia laboret, non aperiant) id enim generaret populo scandalum, & redderet iudicem suspectum de corruptela, vel de fauore erga criminosos) sed potest

5 simpliciter, sicut bono publico expedire videt, Inquisitionem facere; & adeò, quod si sic occultus auctor aperiatur, possit contra illum procedere; nec damnum, quod sequitur, ipsi imputetur; quia vtitur iure suo: hoc ipso enim quo criminis auctor est publicè detectus (etiamsi id ab altero iniquè factum fuerit) potest iudex contra eum informationem recipere, & specialem inquisitionem facere, & conuictum punire: modò tamen ipse iudex per iniuriam causa non sit illius detectionis; sicut reuera non est, quia propter bonum commune potest talem inquisitionem facere, nec tenetur cum scandalo, & offensione populi cauere, ne interrogati occultum auctorem aperiant; sed potest illud permittere; cùm bonum commune præponderet priuato, præsertim hominis improbi, & supplicio digni; ita vt propterea talis iniusta criminis occulti detectio, nec directè, nec indirectè censeatur iudici voluntaria; ac proinde possit procedere contra talem criminosum sic iniustè detectum, sicut & potest procedere contra eum, cuius crimen, cùm antea esset occultum, iniustè per aliquem in publicum est deductum; nisi forsan per reuelationem confessionis id factum esset; quia tunc iudex nullo modo inquirere posset propter bonum commune superioris ordinis, scilicet sigilli confessionis. Videatur Nauarrus *in rubric. de iudiciis num. 87.* & Sotus *de secreto membr. 3. q. 1.*

Obiicies secundò: Si iudex inquirere posset in generali, sequeretur, quod ipse criminosus, si forsan interrogaretur, teneretur se ipsum prodere: quod nemo dixerit: Ergo. 6

Respondetur: nego sequelam antecedentis; quia ex dictis, licèt iudex possit interrogare, non tamen inde sequitur, quod reus, si fortè interrogetur, teneatur, (quin multò minùs) se ipsum patefacere; sicuti quidem (vt dicam Petitione sequenti) potest iudex in crimine læsæ maiestatis inquirere, & interrogare; non tamen reus ante infamiam, vel semiplenam probationem tenetur se ipsum prodere. Videatur Syluester *verbo Correctio num. 6* vbi subdit, quod (licet Sanctus Thomas Parisiis in Capitulo generali putauerit, occultum criminis auctorem, quando crimen est notorium, teneri se ad præceptum Prælati prodere) id nihil obstet: quia tunc S. Thomas solùm erat Baccalaureus, & cæteri Magistri ei contradixerunt.

Ex dictis sequitur, quod (licet iudex, vel superior, 7 vt satisfaciat officio suo, possit sub pœna excommunicationis, vel sub iuramento à subditis inquirere in genere, quisnam crimen perpetrauerit; subditi tamen criminosum, si nulla infamia laboret, & nullum malum inposterum immineat, aperire non teneantur, quia iudex, vel superior non potest obligare subditos, quod reuelent occultum criminosum, sed solùm quod reuelent eum criminosum, qui infamia aliqua laborat; & multò minùs tenebitur se detegere, seu prodere ipsemet occultus criminosus, vti dicebam; licèt igitur iudex de commisso crimine, verbi gratiâ, furti, vel homicidij, cuius notitiam, vel indicia habuit, generatim inquirere possit, quisnam illud perpetrauerit; interrogati tamen denunciare non debent delinquentem occultum, cùm iudex ius non habeat de eo inquirendi, nisi de eodem infamia, vel sufficientia indicia præcessissent; Syluester *verbo Correctio 1. quæst. 8. & verbo Inquisitio 1. n. 7.* Armilla *eodem verb. num.* 10. & Petrus Nauarr. *de restitut. libro 2. capite 4. numero* 167. Si tamen aliquis in hoc casu criminis generatim notorij, seu publici auctorem occultum nouerit, & testimonium suum sufficiens fore putauerit, vt iudex moueri possit ex officio ad delinquentem capiendum, quin & torquendum, tunc denunciare non prohibetur boni publici causa, sicuti dicebam; & præter alios docet Azor, *tom. 3. lib. 13. c. 16. circa finem.*

Non obstat, si dicas; Sanctus Gregorius (sicut habetur *5. q. 1. cap. Quidam maligni*) quemdam, qui libellum famosum sparserat, sacra communione priuauit, nisi se proderet, & eumdem excommunicauit, si se non prodens ad sacram Communionem accederet; Ergo. 8

Respondetur

Respondetur enim, id non obstare; quia infamator ille tenebatur proximi famam reparare, vel certè, quæ in libello famoso sparserat, omninò probare: quorum neutrum sine sui detectione fieri poterat: potest enim quis ad se detegendum, vel prodendum (quando id ad falsam infamiam, iniustè proximo irrogatam, abstergendam est necessarium, obligari; quamuis non sit necessarium, quod dictam detectionem coram Iudice faciat.

9 Sequitur secundò, quod si crimen adhuc esset perpetrandum, aut continuandum, vel si ex eo graue damnum, quod alia ratione commode auerti non posset, alteri immineret, interrogatus possit, quin etiam & debeat, criminosum, quamuis occultus sit, & nulla infamia laboret, aperire; possitque Iudex opportuna remedia adhibere, iuxta ea, quæ dicebam *supra Dubit.* 181. *Petit.* 5.

10 Sequitur tertiò, quod si superior sub pœna excommunicationis, vel sub iuramento interroget, & tu sine vlla restrictione, quidquid noueris, aperire iuraueris, non tenearis aperire, nisi quod sine iuramento aperire licitè posses: quapropter aperire non teneris, si criminosus penitùs occultus sit, & per occultam monitionem corrigi possit. Secùs, si de illo sit rumor, vel si aliter non potest emendandus, vel si alteri damnum immineat; quia tunc absque pœna excommunicationis, & absque præcepto superioris aperire teneris, iuxta eadem, quæ dicebam *citata Dubitatione* 181. *Petitione quinta.*

PETITIO III.

An, vt Iudex inquirat per inquisitionem specialem de persona, requiratur, quod de criminoso infamia præcedat?

SVMMARIVM.

1 *Iudex, vt requirat per inquisitionem specialem de persona requiritur, quod de criminoso infamia præcedat, si requisitio specialis tendat ad puniendum; secus si tendat ad auertendum, seu impediendum aliquod malum; quia tunc non requiritur infamia, sed absque ea licitum erit inquirere, similiter in conferendis Officiis, & Beneficiis: debent tamen in tali casu crimin[a] sub literum superioribus aperire secretò, & cum modica famæ læsione.*

2 *Iudex cum procedendo ad punitionem criminum procedat ex publica potestate, debet etiam procedere ex publica scientia proportionata tali potestati.*

3 *Quilibet meritò queri posset sibi iniuriam fieri, si in ipsum, cuius fama alioquin est integra, iuridicè inquiratur.*

4 *Inquisitio vt rectè instituatur, requiritur quammaximè, vt præcedat infamia personæ, de qua inquiritur, ita vt licet Iudex crimen delinquentis oculis propriis viderit, adhuc non possit contra eum procedere nisi priùs de indiciis, & de infamia informationem acceperit.*

5 *Idem non potest esse Iudex, & Accusator.*

6 *Iudex si ad puniendum crimen ex officio procedat boni publici causa, Accusatoris vicem supplere tunc debet publica infamia, quæ ex Sancto Thoma clamorosa populi insinuatio vocatur; & ideò in hoc casu coram Notorio de infamia ante omnia iuridicam informationem capere debet, & etiam inuestigare, à quibusnam personis exorta fuerit: si ab improbis, non curanda; secùs, si à probis.*

7 *Sola fama crimen sufficienter non probat; quia facilè dictum vnius sequitur multitudo credula.*

8 *Iudex vt procedat ex præcedente infamia, debet ea esse tanta, vt per maiorem partem Collegij, Vicinia, vel Vniuersitatis, in qua commoratur, sparsa fuerit.*

9 *Purgatio saltèm indici debet in dubio, à quibusnam Auctoribus vox, vel infamia orta fuerit propter scandalum.*

10 *Iudex multò magis si præcedat Notorium iuris, vel facti, cùm sit quid plus, quàm infamia, poterit inquirere per inquisitionem specialem.*

11 *Primò, si quis confessus sit crimen occultum in iudicio etiam coram paucis, vt coram solo Iudice, & Notario. Secundo, si confessus sit idem crimen ibidem etiam incidenter. Tertiò, si non sit circumstantia criminis, de quo agitur, sed distinctum crimen.*

12 *Excipe primò, si confessio facta sit extra iudicium etiam coram multis, nisi ex ea orta sit infamia. Secundo, si facta sit coram Prælato incogitanter. Tertiò, si facta sit in iudicio, sed tamen metu tormentorum.*

13 *Excipe secundò, si Iudici per inquisitionem generalem procedenti patefactus sit criminosus in iudicio.*

14 *Iudex, ex quo crimen deductum est in publicam eius notitiam, siue benè, siue male, puta etiam si non præcesserit infamia, tenetur contra illud etiam per inquisitionem specialem procedere.*

15 *Iudex tamen potest, si non præcesserit notorium iuris, vel facti neque infamia, inquirere etiam per inquisitionem specialem in quibusdam casibus. Primò, si quis crimen committat in iudicio. Secundò, si sit crimen hæresis, vel Apostasiæ. Tertiò, si sit crimen læsæ maiestatis humanæ. Quartò, si inquiratur de morte Domini contra seruos.*

Loquor de inquisitione speciali tendente ad puniendum, quia (si loquamur de inquisitione speciali tendente ad auertendum, seu impediendum aliquod malum, v. g. ad impedienda homicidia, adulteria, stupra, sacrilegia, furta, hæreses, & similia, vel ad tollendas eorum occasiones) tunc non requiritur semiplena probatio, indicium, vel infamia, sed absque eo, quod rumor vllus sit sparsus, licitum erit de iis inquirere. Similiter (si agatur de Prælatura, de Ordinibus, de inhabilitate, vel habilitate subditi ad quodcumque aliud officium, gradum, dignitatem, suffragium ferendum, vel habendum de beneficiis, aut officiis conferendis, vel de matrimoniis contrahendis, &c.) quia & tunc etiam de delictis personarum particularium, & de impedimentis, licet similiter rumor nullus sit sparsus, licitum erit similiter de iisdem inquirere; quia non potest aliter Prælatus satisfacere muneri suo, & bono communi, nec quæ sic procedendo via, scilicet inquisitionis specialis ex motiuo procurandi bonum commune, iniuriam alicui infert; debent tamen tunc crimina superioribus aperiri secretò; & cum proximi famæ læsione quam minima fieri potest. Videri poterit præter alios Suarez *tomo 4. de Relig. l.* 10. *c.* 12. *n.* 17. Franciscus Aretinus *in Pract. crim. c.* 14. Abbas *in c.* 1. *n.* 6. *de Offic. ordin. & in c. qualiter* 2. *n.* 11. *de Accusat.* & Nauarrus *in rubr. de Iudic. n.* 92. hoc supposito. 1

Respondetur affirmatiuè, etiamsi quæratur de crimine generatim, v. g. an Titius seruet statuta, an sit criminosus, &c. Est communis sententia Doctorum, & patet ex dictis, & vlteriùs.

Probatur primò auctoritate *ex cap. Inquis.* §. 3. *de Accusat.* Ibi: [ad hæc respondemus, nullam esse pro crimine, super quo non laboret infamia, seu clamorosa insinuatio non præcesserit, puniendum, quinimmò super hoc dispositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodò super illis, de quibus clamores aliqui præcesserint,] *& ex cap. qualiter* 2. *eodem tit.* Ibi: [sicut accusationem legitima de-

bet præcedente inscriptio, sic & denuntiationem charitatiua monitio, & inquisitionem clamorosa insinuatio præuenire;] idque probatur ibidem exemplo Villici Euangelici *Luc* 16 qui primò infamatus est apud Dominum suum, deinde dicitur ei; *Quid hoc autem audio de te? redde rationem villicationis tuæ*: Et exemplo Sodomorum *Genes.* 18. de quibus Dominus inquit. *Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint.*

2 Secundò probatur ratione; quia Iudex (cùm, quandò ad punitionem criminum procedit, procedat ex publica potestate) debet etiam procedere ex publica sententia proportionata tali potestati; sed publica sententia non est, nisi vel per facti euidentiam in conspectu Iudicis, & aliorum, vel per accusationem, & confessionem Rei in iudicio, vel tandem per infamiam: ergò.

3 Confirmatur; quia meritò quilibet queri posset, sibi iniuriam fieri, si in ipsum, cuius fama alioquin est integra, iuridicè inquiratur; cum per talem inquisitionem de crimine suspectus reddatur.

4 Ad hanc igitur inquisitionem specialē instituendam quammaximè requiritur, quod præcedat infamia personæ, de qua inquiritur, *cap. Inquis. & cap. qualiter & quandò 2. de Accus.* Adeò quidem, vt licet Iudex crimen delinquentis oculis propriis viderit, adhuc non possit contra eum procedere: nisi priùs de indiciis, & de infamia informationem acceperit. Clar. *q.8. num.5.* Petr. Nauarr. *de restit. l.2. c.3.* & alij communiter, quos sequitur Farinac. *in Pract. crim. c.1.*

Ratio; quia saltèm æquitas postulat, vt in omni iudicio præter Iudicem duæ partes adsint, vna scilicet Rei, altera Actoris, seu Accusatoris; & quia (vt habe-
5 tur *in cap. Multi 2. q 1.*) idem non potest esse Iudex, & accusator; cum alioquin, si ex notitia Iudicis priuata contra Reum procedi posset, iudicia publica sæpè peruerterentur; & ideò Actorum 25. Apostolus Paulus ait: Non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat: quæ verba in hanc rem allegat S. Thomas *2.2. q.67. art.3.* Videatur Nauarrus *in rubr de Iudiciis n.53. & 75.*

6 Quapropter, si iudex ad puniendum crimen ex officio procedat boni publici causa, accusatoris vicem supplere tunc debet publica infamia (quæ ex S. Thoma *cit. art.3. ad 2. clamorosa populi insinuatio vocatur*) & ideò in hoc casu Iudex ante omnia iuridicam informationem coram Notario, &c. de infamia debet capere, atque etiam inuestigare, à quibusnam personis criminis infamia exorta fuerit; quia si nouerit, eam exortam fuisse ab improbis, eam minùs intrare debebit, *cap. Mensuram, §. non tibi dico distinct. 1. de Pœnit. n.20 & cap. qualiter 2. iuncta glossa verbo Malevolis de Accusat.* & videri poterit etiam Nauarrus *l 5. cons 76. n.4. de Simonia edit. 2.* Simanch. *de Cathol. Institut. tit. 55. n.7.* Myssingerius *centur 5 obseruat. 45.* & Caietanus *2.2. q.69. art.1* vbi ait, quod [infamia vocatur non frequens vox discolorum, sed frequens vox talis, vt apud probos, & prouidos viros reddatur persona de crimine rationabiliter suspecta.]

7 Cæterùm sola fama crimen sufficienter non probat. Gloss. *in cit. cap. qualiter verb. & famam*; quia facilè dictum vnius sequitur multitudo credula, & in malum quam maximè prona, *cap. Cum in Iuuentute iuncta glossa verb. sequitur de purgat. canonic.* sed criminis tale, & tantum indicium præbet Iudici, vt vlteriorem processum, v. g. Rei citationem, & custodiam, donec veritas cognoscatur, instituere queat.

Quantamnam autem debeat esse infamia, vt Iudex procedere possit ad inquisitionem specialem de persona?

8 Respondetur: debet esse tanta, vt non sufficiat, quod duo, vel plures, etiam iurati deponant, se vidisse Reum crimen committentem, sicut expressè habetur *in cap. Inquis.* & docent communiter Doctores, & probatur; quia adhuc res est occulta: ergò adhuc non est procedenda per publicam inquisitionem.

Requiritur igitur, quod rumor de Reo per maiorem partem Collegij, Viciniæ, vel Vniuersitatis, in qua commoratur, sparsus fuerit, vt dicatur ibidem infamia laborare; sic Doctores, quos citat, & sequitur Sotus *de secreto membr. 2. q.6. §. tertium dubium*, & Caietanus *2.2. q.69. art.2.* quatenùs requirit, quod si vox publica, & frequens, per quam apud viros probos, & prudentes (si enim à maleuolis, & maledicis vocem illam ortam esse, constaret, non sufficeret, sicuti patet *ex d.c. Inquis.*) meritò de crimine Reus suspectus reddatur.

In dubio tamen, à quibusnam auctoribus vox, vel infamia orta fuerit, debet saltem propter scandalum indici purgatio; Glossa, & alij Canonistæ communiter *in eodem cit. cap. Inquisit.* 9

Dixi, [vt Iudex inquirat per inquisitionem specialem de persona requiri, quod de criminoso præcedat infamia,] scilicet *ad minus*; quia si præcedat notorium iuris, vel facti (cum notorium iuris, vel facti sit quid plus, quàm infamia) multò magis tunc Iudex poterit inquirere per inquisitionem specialem, quam *supra* dicebam; vt verbi gratia. 10

Primò, si quis confessus sit crimen occultum in iudicio, etiam coram paucis, vt coram solo Iudice, & Notario, *c.1. de Accusat. in 6.* & docent Sotus *de detegend. secret membr. 2. q.6.* & Thomas à Iesu *de Visit. Regular. tract. 2. c.4.* quia talis confessio inducit notorium iuris. Item secundò propter eamdem rationem, si confessus sit idem crimen ibidem, etiam incidenter; Bartol. cum aliis iuristis *in l. 2. §. si publica ff. ad leg. Iul. de adulteriis.* Item tertiò propter eamdem rationem etiam, si quod sic confessus est, non sit circumstantia criminis (de quo agitur) sed sit distinctum crimen; sic Doctores, quos sequitur Nauarr. *in rubr. de Iudic. n.86.* quidquid in contrarium dixerint alij, quos sequitur Sotus *loco supra citato.* 11

Secùs, propter contrariam rationem, si confessio facta sit extra iudicium, etiamsi facta sit coram multis (nisi ex ea orta sit infamia) sic Doctores, quos sequitur idem Nauar. *vbi supra*: quamuis alij contrarium sentiant, & forsan sic seruetur in praxi. Item secundò secùs propter eamdem contrariam rationem, si confessio facta sit coram Prælato incogitanter, vel in aliqua epistola secreta, quam Prælatus aperuit; ita Doctores, quos sequitur idem Nauarrus *loco supra citato*, & Sotus *de secreto membr. 2. q.6.* Item tertiò etiam si confessio facta sit in iudicio, sed tamen metu tormentorum, quæ postea, tanquam metu facta, reuocetur. 12

Secundò, si per eamdem rationem, quam suprà dicebam, Iudici per inquisitionem generalem procedenti patefactus sit criminosus in iudicio, Nauarrus *vbi supra n. 87.* & tradunt communiter Iuristæ *in l. 2. §. si publico ff. de Adulter.* (quamuis contrarium teneant alij, quos sequitur Sotus *loc. supra cit.* 13

Non obstat, si fortè testis (eo quod nulla esset infamia) reuelando peccauerit; quia, ex quo crimen (siue benè, siue malè deductum est in publicam Iudicis notitiam) tenetur Iudex contra illud, etiam per inquisitionem specialem, procedere, & punire, sicuti dicebam *supra petit. præced.* & docent Doctores, quos sequitur Nauarrus *cit. n.87.* 14

Confirmatur ad hominem, quia si quis priuatus crimen alterius per iniuriam exorsisset extra iudicium, & postea illud deduceret in publicum, vel in iudicium, Iudex deberet contra tale crimen, etiam per inquisitionem specialem, procedere (sicuti fatetur præter alios Sotus *membr. 3. q 1.*) ergò idem dicendum, si idem priuatus crimen per iniuriam detegerit in ipso iudicio, cùm vtrobique locum habeat eadem ratio.

Cæterùm potest Iudex, tametsi non præcesserit notorium iuris, vel facti, neque præcesserit infamia, inquirere etiam per inquisitionem specialem in quibusdam 15

casibus

casibus propter rationem quamdam specialem.

Primò, si quis crimen committat in iudicio, vt si v.g. Testis falsum deponat in iudicio, vel si accusator calumnietur, præuaricetur, aut tergiuersetur in iudiciu, &c. ita Doctores communiter, quos sequitur Nauarrus *vbi supra num* 88. Sotus *de detegendo secreto membr.* 2 *q.* 6. & Thomas à Iesu *de Visit. Regul. tract.* 2. *c.* 4. quia hæc crimina (eo quod iustitiam iudicium publicorum impediant, vel euertant) valde noxia bono publico censentur; requiritur tamen aliqua suspicio orta ex indiciis non leuibus, seu non exigui momenti.

Secundò propter eamdem rationem, si sit crimen hæresis, vel Apostasiæ; quia propterea, & in istis criminibus etiam sine accusatore vero, vel ficto, (scilicet, qui vicem accusatoris suppleat) sine infamia Iudex etiam per inquisitionem specialem, inquirere potest; sic Doctores passim, quos sequitur idem Nauarrus *vbi supra n.* 93. & colligitur *ex cap. excommunicamus, §. adiicimus de hær. & ex l. Apostatarum Cod. de Apostat.* Requiritur tamen similiter aliqua suspicio orta ex indiciis non omninò leuibus, seu non omninò exigui momenti, sicuti dicebam.

Tertiò propter eamdem rationem etiam, si sit crimen læsæ maiestatis humanæ; & constat *per extrauag.* Friderici Imperatoris (quæ incipit *ad reprimendum*, & habetur post librum feudorum) super quam extrauagantem Bartolus *verb. Inquis.* ait: [non poterat priùs procedi sine notorietate, vel infamia; post eam autem potest;] & sensus est: non poterat ante dictam extrauagantem procedi ad inquisitionem, seu informationem specialem tendentem ad punitionem talis criminis iam perpetrati, nisi Reus de illo crimine esset manifestus, vel infamatus; post autem illam potest, etiam ex suspicione; vt si vnus, vel plures suspicentur de aliquo, & id Iudici denuncient. Videatur præter alios Nauarrus *vbi supra n.* 94.

Quartò si inquiratur de morte Domini contra seruos, casu, quo Dominus reperiatur interfectus, & nesciatur Auctor, iuxta Textum *in l.* 1. *ff. ad Senatusconsult. Syllan.* vel si inquiratur contra Nautas nauis submersæ, iuxta Textum *in l. quoties Cod. de naufrag.* quia tamen si nulla fama sit contra tales seruos, vel Nautas, tamen est quædam de illis populi suscipio; itemque dicas, quotiescumque similiter de aliquo est populi, vel communitatis suspicio; quia talis suspicio supplet vicem infamiæ; ita Doctores, quos citat, & sequitur Nauarrus *loc. supra cit. n.* 95.

PETITIO IV.

An extra hos quatuor casus possit Iudex etiam in aliis casibus inquirere per inquisitionem specialem, tametsi non præcedat infamia de criminoso; iuxta praxim Iudicum sæcularium. qui solùm ex denunciatione publici officialis ad tale munus deputati, vel alicuius priuati, vel ad querelam partis offensæ (quæ tamen onus probandi in se suscipere non vult) procedunt ad capiendas informationes, & indicia, quibus habitis contra criminosum formant libellum inquisitionis.

SVMMARIVM.

1 *Iudex etiam extra alios quatuor casus supra recensitos, in aliis casibus licitè potest inquirere per Inquisitionem specialem, etiamsi non præcedat infamia de criminoso, dummodo tamen inquirat circumspectè, & secundùm leges, & consuetudines in locis receptas. Idque in grauibus criminibus, vt in rapinis, furtis, homicidiis, sacrilegiis, stupris, adulteriis, incestibus, & similibus; sic enim est praxis Iudicum secularium.*

2 *Inquisitio quod non fiat sine infamia criminosi præcedente non est de Iure diuino, vel naturali, sed solùm de iure positiuo humano, quod Principe permittente potest aboleri.*

3 *Criminosi si essent frequentissimi, à quibus Respublica grauiter perturbaretur, posset fieri lex, quod quotiescumque fuerint duo, vel tres testes contra aliquem, puniretur pœna legis absque alio Accusatore vero, vel ficto; consequenter etiam si non præcedat infamia, potest inquirere testes & instituere fiscalem, qui accusat.*

4 *Inquisitio etiam si non fiat absque præuia infamia, esset de iure diuino, vel naturali, nisi Respublica, vel ipse inquirendus cesserit iuri suo.*

5 *Præter infamiam alia possunt esse indicia, ex quibus Iudices præsertim sæculares boni publici causa, nè crimina, si impunita remaneant, maiorem aliis præbeant licentiam delinquendi, moueri solent ad specialem vlteriorem inquisitionem, & processum; v.g. querela partis offensæ, denunciatio Officialis, vel alterius Personæ.*

Respondetur, quod (quamuis negandum videatur ex doctrina communi Theologorum, & Canonistarum, qui ex multis Canonibus ducent, quod sine præuia infamia, vel æquipollente licitè procedi ad inquisitionem specialem non possit) contrarium tamen non sit omninò improbabile; nempè, quod & extra dictos quatuor casus Iudex, scilicet sæcularis, etiam in aliis casibus licitè inquirere per inquisitionem specialem possit, tametsi non præcedat infamia de criminoso; dummodò tamen inquirat circumspectè, & secundùm leges, vel consuetudines in locis receptas, idque in grauibus criminibus (vt in rapinis, furtis, homicidiis, sacrilegiis, stupris, adulteriis, incestibus, & similibus, quæ quamplurimum perturbant Rempublicam) & dummodò prætetea illa probari possint in iudicio; & ipse Iudex non inquirat ad nudam punitionem criminum, sed quia sic censetur necessarium ad bonum Reipublicæ, & ad euitationem, seu compressionem mali. 1

Probatur; quia ita sentiunt Bartol. *in l.* 5. *§. si publico ff. ad leg. Iul. de adult.* Angel. *in l. si vacantia Cod. de bon. vacantib.* Alciat. *in c.* 1. *de offic. Iudic. Ordin.* & alij complures, & grauis notæ Doctores; & præterea (sicuti testatur Clarus *q.* 3.) sic est praxis Iudicum sæcularium, qui sunt timoratæ conscientiæ; & propter talem praxim a Summo Pontifice, vel Episcopis non repræhenduntur, neque in statu malo esse, censentur; ergò.

Secundò, quia, quod non fiat inquisitio sine infamia criminosi præcedente, non est de iure diuino, vel naturali, sed solùm de iure positiuo humano; sed ius positiuum humanum potest contraria consuetudine legitimè præscripta (vel etiam absque præscriptione, Principe sciente, & non contradicente, sed tolerante) aboleri; ergò hoc ius canonicum positiuum (si tamen vnquàm in iudiciis sæcularibus fuit receptum) potest videri esse in illis abolitum: minor patet; maior (vt omittam, quod ex aduersariis præpter alios fatetur Sotus *de secreto membro* 2 *q.* 6. *dub* 2. vnde infertur, Papam in Ecclesia, & Principem in suo foro posse ex causa rationabili in eo dispensare) probatur; quia si essent frequentissimi criminosi, à quibus Respublica grauiter perturbaretur; posset fieri lex, quod quotiescumque fuerint duo, vel tres testes contra aliquem, puniretur pœna legis absque aliu accusatore vero, vel ficto (sicuti præter alios docet Sotus *vbi supra*, & Nauarrus *in rubrica de Iudic. num.* 89. cum ait, Papam, & Imperatorem 2 3

maiorem ex iusta causa posse inducere nouus casus, in quibus possit specialiter inquiri siue accusatore vero, vel ficto) ergò similiter potest lege, vel consuetudine statui, quod Iudex, etiamsi non sit præuia infamia, possit inquirere testes, & instituere fiscalem, qui accuset; cùm vtrobique absque infamia procedatur, sicque vtrobique eadem ratio locum habeat.

4 Tertiò, quia etiamsi, quod non fiat inquisitio absque præuia infamia, esset de iure diuino, vel naturali, id tamen intelligi deberet, nisi Respublica, vel ipse inquirendus cesserit iuri suo; sed Respublica videtur tam cessisse iuri suo; ergò, probatur maior; quia, quod illud sit illicitum, id prouenit ex iure, quod quilibet habet ad famam suam; ergò si cesserit non erit ampliùs illicitum. Probatur minor; quia Respublica tam tales inquisitiones approbat, easque fieri cupit; ergò non sunt illicitæ; & quidem meritò Respublica tales inquisitiones approbat, easque fieri cupit; quia hic modus procedendi videtur necessarius ad coërcendos improbos, & defendendos viros probos; cum enim rari sint, qui velint accusare, & sæpè sæpiùs ex crimine non sequatur infamia, absque metu improbi viris probis, simplicibus, & Religiosis damna, & iniurias inferent: quapropter in aliquibus locis constituuntur publici officiales, qui denuncient Iudici ea (quæ viderunt, vel audiuerunt) & indicent ei, à quibusnam pleniorem informationem habere possit: quod quammaximè coërcet improbos, quia, tametsi sibi persuadeant, quod ij (qui iniuria facti sunt, vel alij, qui interfuerunt) non accusabunt: nihilominùs multum timent, nè per hos Officiales res deferatur ad Iudicem, qui deindè pleniorem informationem accipiat ab illis, qui fuerunt præsentes; sicque ipsi improbi grauiter puniantur.

5 Præter infamiam igitur alia possunt esse indicia, ex quibus Iudices, præsertim sæculares (boni publici causâ, ne crimina, si impunita remaneant, maiorem aliis præbeant licentiam delinquendi) moueri solent ad vlteriorem specialem inquisitionem, & processum, v. g. querela partis offensæ, denunciatio officialis, vel alterius personæ non suspectæ (tametsi crimen occultum denunciando mortaliter peccauerit, vti *supra* dicebam, & docet præter alios Nauarrus *in rubr. de iudiciis num.* 87.) item fuga hominis, & extraiudicialis confessio criminis S. Thomas 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. *in corpore*, Caietanus *ibidem*, Sotus *de secret. tegend. membr.* 2. *q.* 6. *conclus.* 1 *dub.* 3. Azor *tom* 3. *l.* 13. *dub* 1. Sa *verb. Iudex de modo procedendi*, & Clarus *q.* 5. 7. 20. & 21. contra alios communiter, præsertim contra Nauarrum *c.* 18. *num.* 38. & *l.* 5. *consil.* 4. & 5. *de Accusat. edit.* 2. in quibus locis damnat Iudices, qui specialiter inquirunt, & procedunt contra aliquem, qui de infamia criminis non laboret, licet de illo alia sint indicia, vel etiam testes idonei, per quos crimen (denunciante v. g. officiali, vel alia persona, satis probari possit, cuius Authoris sententia ex dictis spectato communi iure canonico est multò probabilior, Argumento *c. Qualiter* 2. & *c. Inquis.* 9 *tertia de Accusat.* consuetudine tamen præsertim fori ciuilis (vti videre est apud Petrum Nauarrum *de restitut. l.* 2. *c.* 4. *num* 61. & apud Clarum *locis supra citatis*, præcipuè *quæst.* 21. *num.* 2. vbi ait, quod vnius testimonium facit Iudici indicium ad inquirendum, seu ad speciales informationes capiendum contra aliquem) hodie non obseruetur.

OBIECTIONES.

SVMMARIVM.

1 *Canones quamplures statuunt, quod Iudex non debeat procedere ad inquisitionem absque præuia infamia, &c. non loquuntur tamen de Iudice sæculari, sed de Ecclesiastico, præsertim contra personas Ecclesiasticas, &c.*

2 *Scandalizatio Proximi est publicatio criminis occulti, si sit ita occultum, vt sufficienter probari non possit, secùs si sit ita occultum, vt sufficienter probari possit.*

3 *Idem repetit etiam ad posteriorem instantiam.*

Obiicies: complures canones (vt *in c. Cum oporteat, in cap. Inquis. & in cap. qualiter de Accusat. &c.*) statuunt, quod Iudex non debeat procedere ad inquisitionem absque præuia infamia, & clamorosa insinuatione, qua non tantum semel, sed sæpiùs ad aures ipsius res deferatur: ergò. 1

Respondetur, canones istos non loqui de Iudice sæculari, sed de Ecclesiastico, præsertim contra personas Ecclesiasticas; tum quia sæculares plùs scandalizat personarum Ecclesiasticarum infamia, quàm edificet earumdem personarum castigatio; tum quia personæ Ecclesiasticæ faciliùs per correctionem fraternam emendari consueuerunt; tum quia Prælatorum potiùs est, in spiritu lenitatis subditos quoscumque (etiam sæculares) corripere, quàm asperitate pœnarum insequi: quapropter iidem canones iubent, vt Iudex non ad primam famæ insinuationem inquirat, sed tunc demùm, quando sæpiùs ipsius aures pulsauerit: quod tamen necessarium non videtur in Iudice sæculari: item iubent (sicuti habetur *in decimo capite Inquis.*) vt depositiones contra eum, qui infamis non laborat (etiamsi tres, vel plures iurati deponant, se vidisse, illum crimen committere) non recipiantur: quod etiam locum non habet in Iudice sæculari, qui statim per suum fiscalem (etiamsi tantùm sint duo testes iurati) debet causam prosequi, alioquin à Principe punietur. Item tandem iubent, vt accusationem præcedat legitima inscriptio, & inquisitionem præcedat clamorosa insinuatio: quod si in foro externo seruaretur, raro possent crimina puniri; quia rari sunt, qui se velint inscribere, scilicet sub pœna talionis onus probandi suscipere; quinimmò in multis Regnis non permittitur, nisi in suis, & suorum iniuriis (sic in Regno Neapolis) vel nisi in causa ciuili (sic in Regno Franciæ) sicuti suprà *Dubitatione* 181. *in principio* dicebam.

Respondetur secundò, quod (dato, prædictos canones loqui etiam de Iudice sæculari) intelligantur non in casu, de quo loquimur, sed quando inquisitio solùm tendit ad iuridam punitionem criminis; tunc enim, quod etiam præuia infamia requiratur, vltro concedo. Vt omittam, quod nonnulli Doctores sentiant, dictos canones in iudiciis sæcularibus vel nunquam vsu fuisse receptos, vel, si quando vsu recepti fuerint, esse nunc per contrariam consuetudinem abrogatos.

Obiicies secundò, de iure naturali, & diuino prohibemur inordinatè infamare proximum, vel dare causam infamandi proximum; ergò doctrina nostra non subsistit.

Respondetur: Nego consequentiam; prohibemur enim quidem de iure naturali & diuino inordinatè infamare proximum, vel dare causam illam infamandi; sed nego, quod in casu, de quo loquimur, Iudex sæcularis inordinatè id faciat; quia, sicut qui accusat aliquem de crimine occulto (quod testibus, vel sufficientibus indiciis probare potest) non infamat illum inordinate: sic neque infamat Iudex, qui ex denunciatione informationes recipit; cùm habeat vterque iustam causam id faciendi (saltem in casu nostro) id faciendi scilicet, vt non inualescant improbi, defendantur viri probi, & quilibet in Republica securè, & tranquillè viuere possit.

Debet tamen Iudex, vti dicebam, procedere circumspectè, & habere rationem personarum, & (donec videat, an res probari possit) capere informationes ita, vt quammaximè proximi fama lædatur: quapropter si viderit Iudex, rem probari non posse; debet desistere,

alioqui

alioquin grauiter peccabit; idemque dico de fiscali, & de quocumque priuato, quod tam fiscalis, quam quicumque priuatus grauiter peccabit, si susceperit accusationem, vel denunciationem, quam putat, quod non poterit probare.

2 Instabis: de iure naturali, & diuino prohibemur scandalizare proximum; at scandalizatio proximi est publicatio criminis occulti: ergò.

Respondetur: distinguo minorem; scandalizatio proximi est publicatio criminis occulti: si sit ita occultum, vt sufficienter probari non possit, concedo: si sit ita occultum, vt sufficienter probari possit, subdistinguo: si non sequatur punitio, concedo; si sequatur punitio (præsertim si sic exigat bonum publicum, vti dicebam, & sit punitio personæ sæcularis) nego, quia tunc cedit toti populo in exemplum. Vnde crimina consueuerunt in loco publico publicari, & castigari.

3 Vrgebis: licet regulariter expediat Reipublicæ criminum punitio, id tamen verum non est, quando crimina sunt occulta, & non est accusator verus, vel fictus (cum tunc magis expediat Reipublicæ quieta conseruatio famæ, & honoris subditorum, quam punitio, qua turbatur Respublica, & illi priuantur bonis suis, fama, & honore;) ergò.

Respondetur: distinguo eodem modo (vt supra) antecedens quo ad illam partem: *Id tamen verum non est, quando crimina sunt occulta*: Si sint occulta ita, vt non possint sufficienter probari, concedo; si sint ita occulta, vt possint sufficienter probari, subdistinguo: si non sequatur punitio, concedo: si sequatur punitio (præsertim, si sic exigat bonum publicum, & sit punitio personæ sæcularis) nego: vt omittam, quod neque hic deest accusator fictus; quia denunciator iuridicè denuncians, vel illud, quod iudici viam aperit ad inquisitionem, vicem accusatoris habet.

ADVERTENDA.

SVMMARIVM.

1 *Iudex nunquam potest incipere inquisitionem ex se ipso, sed semper debet præcedere aliquid, quod ipsi ad inquisitionem viam aperiat, & quod quodammodò ipsum cogat, vt ex officio procedat, alioquin totus processus est iure nullus, & inualidus.*

2 *Iudex non potest procedere ex delatione facta sibi non tanquam Iudici, sed tanquam priuato. Neque potest procedere, etiamsi in schedula nominentur testes, qui nossent factum, incerto authore, vel supposito nomine.*

3 *Textus* in cap. Postquam de Accusat. in 6. *non obstat; quia delegatus ille non processerat ad causam ex se ipso, sed fuerat ad eam deputatus: quapropter necesse est, quod ibi præcesserint indicia.*

4 *Iudex priusquam priuatas informationes capiende inquirat de persona, debet aliquo modo nosse de crimine, an sit illud commissum; quapropter si crimen relinquat vestigium, puta incendium vel homicidium, &c. debet, prout fert rei conditio, id priùs inspicere.*

5 *Iudex vbi constiterit de crimine commisso, si nihil sciatur de Auctore, potest de eo in generali inquirere, & habito aliquo indicio vocare illum ad se defendendum.*

6 *Non obstat prædictis doctrina Theologorum, & Canonistarum docentium, quod non sit procedendum ad inquisitionem particularem, nisi præcesserit infamia; quia id intelligi debet de nuda criminis punitione, &c.*

7 *Iudex Ecclesiasticus, seu Regularis regulariter loquendo non potest iuridicè procedere contra quempiam per inquisitionem specialem, nisi præcedat infamia, scilicet rumor, non à maleuolis, sed à probis, & honestis viris inter multos exortus, vel clamorosa insinuatio, vel indicia manifesta, vel semiplena probatio; quia non potest contra quempiam procedere via inquisitionis specialis, quando nullus adest accusator formalis, vel virtualis, cum iudicium essentialiter constet accusatore, reo, & Iudice.*

8 *Indicia vt sufficiant ad procedendum contra quempiam via inquisitionis specialis, non debent esse leuia, sed grauia, eaque publica multis, vel in delicto publico.*

9 *Iudex ad hoc vt possit contra quempiam procedere via inquisitionis specialis ex semiplena probatione, si delinquens sit occultus, requiritur, quod delictum saltem sit notorium.*

10 *Excipe, nisi delictum vergat in damnum Reipublicæ aut communitatis, v.g. hæresis, Apostasia à fide, crimen læsæ maiestatis, conspirationis in Principem, falsificationis monetæ, &c. quia posita qualitate & notorietate talis delicti, sufficit, quod præcedant aliqua indicia saltèm non omninò leuia.*

ADuerte tamen hîc, quod Iudex nunquam possit incipere inquisitionem ex se ipso, sed semper debeat præcedere aliquid, quod ipsi ad inquisitionem viam aperiat, & quod quodammodò ipsum cogat, vt ex officio procedat; v.g. notitia publica, infamia, suspicio communis, denunciatio officialis, vel alterius personæ, querela partis, aut quid simile, &c. Alioquin (vti rectè præter alios dixit Clarus *q.5.n.4.*) totus processus est iure nullus, & inualidus. 1

Hinc Iudex (vti rectè etiam dixit idem Clarus *loco citato*) non potest procedere ex delatione facta sibi, non tanquam Iudici, sed tanquam priuato; neque potest procedere (etiam si in schedula nominentur testes, qui nossent factum) incerto authore, vel suppresso nomine; idque etiam ex eo, nè possit Iudex pro arbitrio suo vexare, quoscumque voluerit; & quia præterea tunc idem esset accusator, & Iudex: quod iure gentium reprobatur. 2

Obiicies: *In c. Postquam de Accus. in 6.* dicitur, quod puniendus sit reus ex confessione coram delegato facta; tametsi dicat, se infamatum non fuisse: ergò. 3

Respondetur, id non obstare; quia delegatus ille non processerat ad causam ex se ipso, sed fuerat ad eam deputatus: quapropter necesse est quod ibi præcesserint indicia. Accedit, quod ille liberè censebatur confessus coram suo Iudice; quia nihil erat, quod (cùm possit excipere) ipsum cogeret, ex libera autem confessione damnari quis potest.

Aduerte secundò, quod Iudex (priusquam priuatas informationes capiendo inquirat de persona) debeat aliquo modo nosse de crimine, an sit illud commissum: quapropter, si crimen (vt v.g. incendium, vel homicidium, &c.) relinquat vestigium, debet (prout fert rei conditio) id priùs inspicere, vel inspici curare; si verò non relinquat vestigium, sufficit tunc ad informationem de Reo capiendam solùm denunciatio, vel querela partis. 4

Aduerte 3. quod (vbi iam constiterit de crimine commisso) si nihil sciatur de authore, possit Iudex de eo in generali inquirere, & habito aliquo indicio, vocare illum ad se defendendũ, instituturus contra ipsum inquisitionem particularem: sic DD. quos sequitur Clar. *cit. q.5.* 5

Neque prædictis obstat communis doctrina Theologorum, & Canonistarum, qui docent, quod non sit procedendum ad inquisitionem particularem, nisi præcesserit infamia; quia id, vti supra dicebam, intelligi debet, quando solùm intenditur nuda punitio criminis, neque inquisitio putatur necessaria ad bonum Reipublicæ, & ad impeditionem, seu compressionem mali; & in hunc modum istæ duæ sententiæ, inter se prima facie contrariæ, conciliari poterunt. 6

7 Ex dictis igitur, regulariter loquendo, non poteſt Iudex (præſertim Eccleſiaſticus, & multò magis præſertim regularis) iuridice procedere contra quempiam per inquiſitionem ſpecialem (niſi præcedat infamia, ſcilicet rumor, non à malevolis, ſed à probis, & honeſtis viris inter multos exortus, vel clamoroſa inſinuatio, ſcilicet vox totius populi, vel publicus rumor inter multos ſubortus, vel indicia manifeſta, ſcilicet circumſtantiæ, ex quibus poſſit aliquo modo colligi, quiſnam fuerit Author delicti, vel ſemiplena probatio, ſcilicet vnius teſtis oculati, iurati, & omni exceptione maioris teſtimonium, vel quid aliud æquiualens) quia ſine aliquo iſtorum delictum reputatur occultum iudicio humano. S.Thomas 2.2.*q.69. art.2. & 3.* Nauarr. *c.25. num.1.* Suarez *tom.4. de Relig. l.10.c.12.num.4. & ſeqq.* Aldrete *l.1. de diſcipl. Regul. c.7. num.14. & ſeqq.* Franciſc. Aretin. *in pract. crim. c.14.* & alij, quos ſequitur Thomas à Ieſu *de Viſit. Regula. tract.* 2.c.2. & habetur *ex c. Qualiter, & quando, ex c. Inquiſ. de Accuſat. & ex c. licet de Simonia.*

Et ratio vlteriùs à priori eſt; quia ex S. Thoma *loc. ſuprà cit. q. 67. art. 3.* non poteſt Iudex contra quempiam procedere via inquiſitionis (ſcilicet ſpecialis, quando nullus adeſt Accuſator formalis, vel virtualis (cùm iudicium, qualis eſt inquiſitio iſta ſpecialis, eſſentialiter conſtet ex Accuſatore, Reo, & Iudice) ergò, (cùm in via inquiſitionis, de qua nunc loquimur, nullus ſit accuſator, vel denunciator formalis; quia in hoc diſtinguitur hæc via inquiſitionis à via denunciationis, & accuſationis) debet neceſſariò ſaltèm eſſe aliquis denunciator, vel accuſator virtualis; cuius munus præſtare non poteſt, niſi vnum ex prædictis.

8 Immò ad hoc, vt indicia ſufficiant ad procedendum contra quempiam via inquiſitionis ſpecialis non debent eſſe leuia, ſed grauia, eaque publica multis, vel in delicto publico; quia (cum in iure expreſsè caueatur, quod ad inquiſitionem ſpecialem præcedere debeat infamia; *c. Cùm oportet, c. Inquiſ. & c. Qualiter & quando de Accuſat.*) ſatis ſic indicatur, quod indicia debeant eſſe grauia, eaque publica multis, vel in delicto publico (cum ſi non ſint indicia grauia, eaque publica multis, vel in delicto publico) non æquiualeant infamiæ, quæ ex prædictis iuribus procedere poſſit via inquiſitionis ſpeciali; ſic Doctores, quos ſequitur Suarez *vbi ſupra num.12.*

9 Similiter ad hoc, vt Iudex poſſit contra quempiam procedere via inquiſitionis ſpecialis ex ſemiplena probatione, requiritur etiam (ſi delinquens ſit occultus) quod delictum ſaltèm ſit notorium; quia ſi tunc delictum non eſt notorium, neque tunc ſemiplena probatio æquiualet infamiæ, quæ (ſicuti dicebam) ex dictis iuribus prærequiritur, ad hoc, vt Iudex poſſit procedere contra quempiam via inquiſitionis ſpecialis. Nauarrus, & alij *vbi ſupra.*

10 Quamuis (ſi delictum vergat in commune damnum Reipublicæ, aut communitatis; v. g. ſit crimen hæreſis, vel Apoſtaſiæ à fide, crimen læſæ maieſtatis, conſpirationis in Principem, falſificationis monetæ, furta, homicidia, &c. vel ex eo immineat damnum etiam alicui perſonæ particulari) dicendum ſit, quod (licet quando delictum, etiam talis rationis, eſt omninò occultum, ex eo, quod in ſe eſt tale, vel ex eo, quod de illo non eſt infamia, ſemiplena probatio, vel indicia, ſaltèm non omninò leuia, Iudex non poſſit procedere via inquiſitionis ſpecialis; quia, ſicuti dicebam, ad inquiſitionem ſpecialem, cum ſit ipſa quoddam iudicium, requiritur neceſſariò aliquid, quod habeat vim accuſatoris, & moueat ſuperiorem ad dictam inquiſitionem ſpecialem; vt proindè, ſi aliquod ex prædictis non adſit, Iudex procedere non poſſit ad ipſam inquiſitionem ſpecialem. Suarez *cit. c. 12. n. 4.* & alij, quos *ſupra* citabam (nihilominus, poſita qualitate, & notorietate talis delicti (quod ſcilicet vergat in commune damnum Reipublicæ, aut communitatis, vel ex eo immineat damnum, etiam alicui perſonæ particulari) ſufficiat, quod præcedant aliqua indicia (ſaltèm non omninò leuia) ad hoc, vt Iudex procedere poſſit ad huiuſmodi inquiſitionem ſpecialem; quia, poſitis talibus circumſtantiis, hic & nunc inuenit Iudex ſufficiens motiuum ad inquiſitionem ſpecialem; cum tunc ratio boni communis obſtringat, quod cura, & prouidentia ipſius habeatur, & delictum publicum prouocet ad inquiſitionem generalem, & indicia delinquentis (ſaltèm non omninò leuia) prouocent ad inquiſitionem ſpecialem; ſic Doctores, quos ſequitur Suarez *loc. ſupra cit. num.13.* In aliis verò delictis (quæ ſcilicet non ſunt contra bonum commune, neque ex iis imminet damnum tertiæ perſonæ particulari) non poteſt Iudex; ſicuti dicebam, procedere ad inquiſitionem ſpecialem; niſi præcedat infamia, clamoroſa inſinuatio, ſemiplena probatio, vel indicia grauia, eaque publica multis, vel in delicto publico, adeò quod ſi procederet, iniuriam inferret proximo, eum infamando; ſic Doctores iidem, quos ſequitur Suarez *vbi ſupra numero 6.*

COROLLARIVM.

An teneatur Iudex in criminibus exceptis (vt ſunt hæreſis, crimen læſæ maieſtatis, vel proditio ciuitatis, &c.) priuſquam interroget Reos manifeſtare illis ſtatum cauſæ, ſeu proceſſus, v. g. infamiam, indicia, vel ſemiplenam probationem, &c. exſtare contra ipſos, vt intelligant, quod legitimè interrogentur, ſicque teneantur reſpondere ad mentem Iudicis interrogantis, atque adeò dicere veritatem?

Reſpondetur, de hac re dicam *infra Dubitat. 217. Petitione ſecunda circa finem.*

PETITIO V.

An, & quibus modis aperiatur via ad inquiſitionem ſpecialem.

SVMMARIVM.

1 *Iudici præſertim ſæculari via aperitur ad inquiſitionem; Primò, ſi crimen ſit commiſſum in iudicio, vel ſi Reus, aut teſtis etiam incidenter confeſſus ſit in iudicio.*

2 *Secundò, ſi Auctor ſit notorius, & aliquid eſſe notorium probatur per duos Teſtes.*

3 *Tertiò, ſi crimen ſit notorium, & Auctor occultus; quamuis tunc ſolùm poſſit inquiri generatim.*

4 *Quartò, ſi quis intendat actionem ciuilem, vt ſibi ex crimine damnum ſecutum ſarciatur.*

5 *Quintò, ſi ſit fama de auctore criminis: at in hoc caſu, & in ſecundo Iudex debet capere informationes, an re vera ſit fama de auctore criminis, & quomodò id faciendum ſit.*

6 *Iudex habita poſtea informatione de infamia, debet ſi infamatus ſit præſens, illum de crimine interrogare vt ſi fateatur, illum puniat, ſin minùs, vt contra illum inquiſitionem faciat; ſi verò ſit abſens, debet illum citare, &c.*

7 *Iudex ſi abſque informatione de infamia ad inquiſitionem ſpecialem proceſſerit, valet proceſſus, &*

acta sunt valida, potestque Reus condemnari, secus si statim exceperit, & Iudice prosequi volente, appellauerit.

8 *Sextò, si de aliquo sint indicia iudicialiter probata.*

9 *Septimò, si sit semiplena probatio, vt si crimen sit notorium, & accedat vnus testis omni exceptione maior, contra Sotum, & Nauarrum.*

10 *Octauò, si sit communis suspicio de Auctore criminis.*

11 *Nonò, si publicus officialis, vel quis priuatus iudicialiter denunciet, & testes, vel indicia Iudici insinuet, quamuis tam publicus officialis, quàm homo priuatus sub mortali iudicialiter denunciare non debeat, si bona fide non iudicet, quod per testes, vel per indicia sufficienter possit crimen probare.*

12 *Decimò, si pars offensa querelam offerat, & indicia, vel testes Iudici, à quibus informari possit, insinuet; quia tunc Index potest ab illis de plano, & absque strepitu recipere informationes.*

13 *Vndecimò, quotiescumque pars testi crimen impingit, vt contra illum excipiat, & crimen, licet non omninò plenè, aliquo modo probat; quia tunc Iudex de illo, si ad ipsius iurisdictionem pertineat, inquirere potest.*

1 REspondetur ex dictis.

Primò, si crimen sit commissum in iudicio, vel si Reus, aut testis, etiam incidenter crimen confessus sit in iudicio; sicuti dicebam *supra Petit.* 3. & tradunt communiter Doctores, quos sequitur Iulius Clarus *quæst.* 19.

2 Secundò, si Actor sit notorius sicuti dicebam ibidem. Probatur autem, aliquid esse notorium per duos testes. Glossa *in c. Deus Omnipotens* 2.*q.*1. communiter recepta.

3 Tertiò, si crimen sit notorium, & author occultus; quamuis Iudex tunc solùm possit inquirere generatim, quisnam illud perpetrauerit, sicuti dicebam *supra Pet.*2. & ratió desumitur ex communi vsu Reipublicæ Christianæ, & Iudicum, etiam timoratæ conscientiæ, qui propter bonum publicum (quando constat de crimine) quærunt speciali inquisitione contra criminosum. Nauarrus *c. Inter verba concl.*6.*num.*124. Salonius *de Iust. & Iur. controu.*7. *circa quæst.*79. *art.*2. & S. Thomas a Iesu *de Visit. Regul. tract.* 2. *c.* 5. *num.* 6. *& seqq.* Vbi rectè subdunt, quod in hoc casu Iudex non debet, sicuti dicebam, facere inquisitionem de persona in particulari; v. g. An Petrus hoc furtum, vel homicidium fecerit; (quia, cùm nulla de Petro præcedat infamia, iniquè Petrum infamaret) sed solùm generatim in communi, seu in vniuersali, quisnam illud fecerit.

4 Quartò, si quis intendat actionem ciuilem, vt sibi ex crimine (v. g. ex incendio, homicidio, vel furto, &c.) damnum secutum sarciatur; in quo casu etiam potest Iudex contra crimen illud procedere, cùm iam factum sit illud quasi notorium: sic Doctores, quos sequitur idem Iulius Clarus *cit.q.*19.

5 Quintò, si sit fama de auctore criminis; in hoc tamen, & in secundo casu Iudex priùs debet capere informationes, an reuera sit fama de authore criminis, vel reuera sit notorius author criminis. Ad probandam famam autem ex communi Doctorum sententia satis sunt duo testes, qui tamen (quidquid dixerit Glossa *in l.* 3. §. *eiusdem ff. de Probation.*) non debent testari, se audiuisse à maiore parte oppidi, vel viciniæ; cum vix sit, qui cum maiori parte oppidi, vel viciniæ locutus fuerit, sed satis est (sicuti cum aliis ait Bald. *in c. Literas de præsumpt num* 2.) quod testentur, ita passim dici, vel ita se publicè audiuisse sicque (sicuti testatur Clarus *quæst* 6.) seruatur in Praxi; debent tamen dicere, à quibusnam audiuerint, vt sciatur, quod fama originem habuerit à probis viris, quodque testes non fingant, neque decipiant; vnde, si non dicerent, à quibusnam audiuerint, non probarent; quia in criminalibus probationes clariores requiruntur.

Habita posteà informatione de infamia, debet Iudex, si infamatus sit præsens, illum de crimine interrogare, vt si fateatur, illum puniat; sin minus, vt contra illum inquisitionem faciat; si verò sit absens, debet illum citare, & significare, quod contra ipsum de tali crimine, de quo est infamatus, facere inquisitionem intendat. 6

Si Iudex absque informatione de infamia ad inquisitionem specialem processerit, valet processus, & acta sunt valida, potestque reus, si (cùm sit præsens, non exceperit) condemnari, sicuti colligitur *ex ca.*1. *&* 2. *de Accusat in* 6. & docet præter alios Nauarrus *in Rubrica de indiciis num.*91. Quod, si statim exceperit, & Iudice prosequi volente, appellauerit, non valet processus, & acta sunt nulla, atque inualida; quia per appellationem, quam reus interponit, Iudicis potestas suspenditur. 7

Sextò, si de aliquo sint indicia iudicialiter probata; quia (cum hæc quamdam iuris notorietatem pariant) pro infamia, & pro ficto accusatore habentur: sic Doctores, quos sequitur Nauarrus *vbi supra numero* 78. *&* 96. 8

Septimò, si sit semiplena probatio; vt si crimen sit notorium, & accedat vnus testis, omni exceptione maior, qui deponat de authore criminis; quia semiplena probatio non minùs inducit authorem criminis in publicam notitiam, quam inducat infamia, vel inducant indicia iudicialiter probata; est enim semiplena probatio plusquam infamia; cum fama, sicuti dici solet, non probet, sed tantùm accuset. Accedit, quod si Iudex, habita semiplena probatione, testes inquirere non posset, crimina ex maiori parte (cùm testes non se spontè offerant) impunita remanerent. 9

Octauò, si sit communis suspicio de authore criminis, iuxta ea, quæ dicebam; *supra citata Petitione tertia.* 10

Nonò, si publicus officialis, vel quis priuatus iudicialiter denunciet, & testes, vel indicia Iudici insinuet; sic Doctores, quos sequitur Clarus *quæst.* 7. Quamuis tam publicus Officialis, quàm homo priuatus sub mortali iudicialiter denunciare non debeat, si bona fide non iudicet, quod per testes, vel per indicia sufficienter possit crimen probare; quia tunc (cùm reus non possit condemnari) illum iudicialiter denunciare, non esset, nisi illum infamare, iuxta ea, quæ dicebam *supra Dubit.*181. *Petit.*5. 11

Decimò, si pars offensa querelam offerat, & indicia, vel testes Iudici, à quibus infamari possit, insinuet; quia tunc Index potest ab illis de plano, & absque strepitu recipere informationes, quibus postquam satis instructus fuerit poterit criminosum citare, & contra illum inquisitionis libellum formare; sic Doctores, quos sequitur Claros *q.*10. 12

Vndecimò, quotiescumque pars testi crimen impingit, vt contra illum excipiat; & crimen, licet non omninò plenè, aliquo modo probat; quia tunc Index de illo, si ad ipsius iurisdictionem pertineat, inquirere potest; cum hoc sit necessarium ad causæ progressum; & alias illa probatio efficiat illum publicè suspectum: vnde est instar infamiæ; sic Doctores, quos sequitur idem Clarus *quæst.* 19. 13

ADVERTENDA.

SVMMARIVM.

1 *Iudex in omni casu, in quo potest procedere ex officio,*

ficio, potest constituere fiscalem, qui partes accusatoris accipiat.

2 *Libellus inquisitionis non potest formari contra criminosum, nisi præcesserint legitima indicia, quæ, si præsens esset, sufficerent ad ipsum interrogandum. Et è contra dum præsens est, non potest iuridicè interrogari, nisi adsint indicia.*

3 *Indicia vocantur omnia ea, ex quibus colligi potest quisnam sit criminis Author.*

4 *Indicia dicuntur esse in primo gradu, quando sunt leuia probabilia tamen, quæ probabilem suspicionem de criminis Authore faciunt. In secundo gradu quando sunt leuia probabiliora, quæ faciant suspicionem valdè probabiliorem. In tertio gradu, 4.& 5. vide ibi qualia dicuntur.*

5 *Indicia, quæ dicuntur esse in primo,& secundo gradu, sufficiunt ad capiendas informationes,& etiam ad capturam spectata conditione personæ,& causæ,& spectatis cæteris circumstantiis. Huiusmodi sunt grauis inimicitia præcedens,&c.*

6 *Indicia, seu coniectura alia sunt, quæ solùm mouent dubitationem; alia verò, quæ mouent suspicionem, seu opinionem leuem; alia, quæ mouent suspicionem grauem, quæ & præsumptio, seu credulitas dicitur, eaque interdum est vehemens,& violenta, vt propè moralem certitudinem inducat.*

7 *Præsumptio vna est hominis, altera iuris. Præsumptio hominis est, quam vir prudens, verbi gratia, Iudex ex apparentibus coniecturis, tanquam ex signis veritatis prudenter deducit. Præsumptio autem iuris est, quam iuris auctoritas, seu decretum constituit v. g. vt si quis inter Christianos natus, & educatus sit, pro baptizato haberi debeat.*

8 *Præsumptio iuris quandoque dicitur iuris,& de iure, contra quam non admittitur probatio. Secùs, si de veritate in contrarium constet.*

9 *Indicia grauiora ex vna parte ad inquirendum de persona requiruntur, quantò illa est dignior, præsertim si sit persona Ecclesiastica.*

10 *Prælati quasi signum sunt ad sagittam positi; quia non possunt omnibus placere; cum ex officio teneantur arguere, & frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur.*

11 *Indicia tantò grauiora requiruntur quantò maius est crimen, & quantò maior tenetur hominis infamatio, si de illo inquiratur, ex altera verò parte tantò leuiora indicia ad inquirendum sufficiunt, quantò perniciosius est crimen.*

12 *Indicia leuiora cæteris paribus sufficere possunt ad vlteriorem informationem capiendam, & interdum ad Reum citandum, arrestandum, & incarcerandum. Grauiora verò requiruntur ad Reum de crimine examinandum, & torquendum. Grauissima seu vrgentissima, & quæ apertam præsumptionem faciant interdum sufficiunt ad ferendam sententiam diffinitiuam in causis ciuilibus, quin etiam in criminalibus saltèm quoad pœnam extraordinariam.*

13 *Iudex si videat crimen probari non posse, debet quamplurimùm desistere, nè frustrà forsan hominem infamet.*

14 *Indicia licet interdùm seorsùm sumpta non sufficiant, iuncta tamen cum aliis, quibus adiuuantur, sufficere possunt ad inducendam probationem semiplenam, contra verò licet indicia, quæ vocantur indubitata, sed præsumptiones violentæ interdùm per se sufficere possint ad sententiam diffinitiuam, & condemnatio cum ferendam, præsertim in criminibus sua natura occultis, considerata tamen cum aliis contrariis indiciis, aut præsumptionibus, quibus illa debilitantur, & quasi eneruantur, sufficere non debent, &c.*

ADuerte tamen hîc, quod in omni casu, in quo potest Iudex procedere ex officio, potest constituere fiscalem, qui partes accusatoris accipiat; sic Doctores, quos sequitur Gomez *tom. 3. cap. 1. num. 10.* Quod intellige, si Aduocatus Fiscalis ordinarius constitutus non fuerit. 1

Aduerte secundò, quod non potest formari libellus 2
Inquisitionis contra criminosum, nisi præcesserint legitima indicia, quæ, si præsens esset, sufficerent ad ipsum iuridicè interrogandum; & è contra, dum præsens est, non potest iuridicè interrogari, nisi adsint indicia, quæ sufficiant ad inquisitionem contra absentem faciendam, quia ad inquisitionem formandam procedi non debet, nisi quando reus, vt respondeat, citatus, vel negat, vel non comparet; sic Doctores, quos sequitur Clarus *q. 20. num. 3.*

Aduerte tertiò, quod indicia vocantur omnia ea, ex 3
quibus aliquo modo colligi potest, quisnam sit criminis author; vt confessio rei, testimonium vnius, vel plurium, fama, suspicio publica, & similia.

Indicia dicuntur esse in primo gradu, quando sunt le- 4
uia, probabilia tamen, quæ probabilem suspicionem de criminis authore faciunt. Dicuntur esse in secundo gradu, quando sunt leuia probabiliora, quæ faciunt præsumptionem, scilicet suspicionem valde probabilem. Dicuntur esse in tertio gradu, quando sunt indicia grauia, quæ & legitima, & iudicia iuris vocantur. Dicuntur esse in quarto gradu, quando est semiplena probatio; quia semiplena probatio est quid amplius, quàm indicium legitimum. Dicuntur esse in quinto gradu, quando sunt indicia grauissima, quæ & indubitata vocantur.

Item indicia, quæ dicuntur esse in primo, & secundo 5
gradu, sufficiunt ad capiendas informationes, & etiam ad capturam, spectata conditione personæ, & causæ, & spectatis cæteris circumstantiis. Huiusmodi sunt grauis inimicitia præcedens, assertio socij, qui locum criminis detegit, assertio vulnerati morientis, vt si dicat, se à Titio vulneratum fuisse, & similia. Hæc tamen indicia non sufficiunt ad formandum contra Reum inquisitionis libellum, neque ad infligendam ei torturam; quia ad hæc, præsertim ad torturam (quæ est graue malum, quod sine graui causa inferri non potest) indicia grauia requiruntur.

Indicia igitur, seu coniecturæ, aliæ sunt, quæ solùm 6
mouent dubitationem; aliæ verò, quæ mouent suspicionem, seu opinionem leuem; aliæ, quæ mouent suspicionem grauem, quæ & præsumptio, seu credulitas dicitur; eaque interdùm est vehemens, & violenta, vt moralem propè certitudinem inducat; sic Doctores communiter, inter quos Abbas *in ca. Quosdam de præsumptionibus.* Deinde præsumptio vna est hominis, altera iuris: præsumptio hominis est, quam vir prudens, 7
v. g. Iudex, ex apparentibus coniecturis, tanquam ex signis veritatis prudenter deducit. Præsumptio iuris est, quam iuris auctoritas, seu decretum consistit, v. g. quod, si quis inter Christianos natus, & educatus sit, pro baptizato haberi debeat, iuxta Textum *in c. vlt. de Presbytero non baptizat.* Et inter præsumptiones iuris, quædam præsumptiones sunt iuris, ac de iure, quarum ea conditio est, vt contra ipsas ob iuris dispositionem 8
probatio in contrarium admitti non debeat, iuxta Textum *in l. Antiquæ Cod. ad Senat. Consult.* Velleian. *& in c. Is, qui fidem de sponsalib.* quamuis etiam in eis, si de veritate in contrarium constet, præsumptio locum non habeat, vti colligitur *ex c. Quia veri mile de præsumpt.* iuxta regulam generalem, quod præsumptio cedere debeat semper veritati.

Aduerte secundò, quod ex vna parte tanto grauiora 9
indicia ad inquirendum de persona requirantur, quantò illa est dignior, præsertim si sit persona Ecclesiastica, iuxta Textum *in causa 2. q. 5 & in causa 2. q. 7. & in ca. c. Qualiter 2.* vbi dicitur, quod [Prælati, quasi signum 10
sunt ad sagittam positi; quia non possunt omnibus placere;

cere; cùm ex officio teneantur arguere, &c. Et frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur.]

11 Tantò grauiora item indicia requiruntur, quantò maius est crimen, & quantò maior timetur hominis infamatio, si de illo inquiratur: ex altera verò parte tantò leniora indicia ad inquirendum sufficiunt, quantò perniciosius est crimen, præsertim si exinde etiam in futurum mala timeantur, verbi gratiâ, hæreses, proditiones, publica latrocinia, & similia, quæ ideò etiam crimina excepta dicuntur, quia in ipsorum inquisitione, &c. ordinarium iuris processum obseruari, non est necesse: vnde si contingat, has duas rationes inter se pugnare (verbi gratiâ, si crimen, de quo grauis persona est suspecta, sit ingens, & perniciosum) magnam tunc iudex adhibere debebit prudentiam, vt intelligat, quænam ex eis duabus rationibus præponderare potiùs debeat. Videatur Nauarr. *lib. 4. cons. 3. de accusationib. in fin.*

12 Aduerte quintò, quod cæteris paribus, leuiora indicia sufficere possunt ad vlteriorem informationem capiendam, & interdum ad reum citandum, arrestandum, & incarcerandum; grauiora verò requiruntur ad reum de crimine iudicialiter examinandum, & torquendum. Grauissima, seu vrgentissima, & quæ apertam præsumptionem faciant, interdum sufficiunt ad ferendam sententiam diffinitiuam in causis ciuilibus, quin etiam in criminalibus, saltem quoad pœnam extraordinariam; quinimò etiam quandoque ordinariam, verbi gratiâ, in criminibus suapte natura occultis, vt plenior probatio haberi non possit, argumento *c. Maritus de adulteriis*, vbi Abbas *num. 1.* & alij Canonistæ: Quapropter *in l. 3. §. eiusdem. ff. de testibus* dicitur, non posse simpliciter definiri, quæ ad probationem sufficiant; sed iudicem ex animi sui sententia æstimare oportere, quid credat, aut quid non satis probatum opinetur, sicuti præter

13 alios adnotauit Abbas *in cap. 3. de probation. circa finem.* Semper tamen, vti dicebam, iudex, si videat, crimen probari non posse, debet quamprimum desistere ne frustrà forsan hominem infamet. Videatur Molina *de iustitia tractat. 4. disput. 15. num. 13.* & Missingerius *centur. 5. obseruat. 4.*

14 Aduerte sextò, quod (licèt indicia interdum seorsim sumpta non sufficiant) innexa tamen cum aliis, quibus adiuuantur, sufficere possunt ad inducendam, verbi gratiâ, probationem semiplenam; contra verò (licèt indicia, quæ vocantur indubitata, seu præsumptiones violentæ, interdum per se sufficere possint ad sententiam diffinitiuam, & condemnatoriam ferendam, præsertim in criminibus sua natura occultis; sic Doctores, quos sequitur Farinacius *in Practic. q. 86. num. 33.*) considerata tamen cum aliis contrariis indiciis, aut præsumptionibus, quibus illa debilitantur, & quasi eneruantur, sufficere non debent, vt, si verbi gratiâ, proximi consanguinei nudi in eodem lecto reperiantur, proxima consanguinitas tunc non permittit, quod de eis turpe crimen existimetur; *l. eum qui C. de Episc. & Cler.* Vnde Glossa ridiculè dixit, quod si Presbyter mulierem osculatur, præsumitur eam benedicere; quia scelus non præsumitur in Presbitero propter statum.

PETITIO VI.

An, & qualis sit Praxis Inquisitionis specialis, præsertim inter Regulares?

SVMMARIVM.

1 *Supposita infamia personæ, vel delicti, præsertim inter Regulares de praxi inquisitionis specialis continendum est à Iudice Notarius, seu Secretarius, qui omnes inquisitionis actus fideliter scribat eosque cum ipso iudice subscribat.*

2 *Item formatis articulis pro interrogatione testium, sunt secundùm illos interrogandi testes clarè, & distinctè.*

3 *Infamia, vel clamorosa insinuatio quando præcedit contra delinquentem, necnon quando præcedit semiplena probatio, vel indicia grauia, licet non sit necessarium in interrogatorio de illa inquiri, est tamen expediens ad magis conuincendum reum.*

4 *Testes interrogandi sunt sub iuramento saltem de iure communi, nisi legitima consuetudo obtinuerit, quod interrogentur solùm sub præcepto obedientia, vel excommunicationis.*

5 *Testes interrogandi etiam sunt de nomine, & cognomine ipsorum.*

6 *Testes sic interrogati tenentur sub mortali respondere ad mentem iudicis, & fateri veritatem; quia obstringuntur iusto præcepto superioris, si iuridicè interrogentur; secùs enim non tenentur sub mortali ad mentem iudicis respondere: quamuis neque in hoc casu possint mentiri, vtpote ab intrinseco malum, sed possunt æquiuocare, &c.*

7 *Testes non tenentur testificari ea, quæ norunt in confessione sacramentali, neque quæ norunt sub secreto consilij, vel auxilij petendi gratia.*

8 *Neque tenentur testificari ea, quæ audierunt ab homine fide parum digno, vel maleuolo, aut parum benè affecto; secus è contra.*

9 *Neque si exinde damnum aliquod notabile siue spirituale, siue temporale sibi probabiliter timeant.*

10 *Testes nullo modo cogendi sunt à iudice, vt dicant quod nesciunt, sed liberrimè permittendi sunt dicere veritatem, adeò vt si fuerint indocti, monendi sint ab ipso iudice de modo testificandi, vel dandum sit illis tempus ad consilium accipiendum à viris doctis.*

11 *Testes quando deferunt suum testimonium, debent interrogari de causa scientiæ, seu quomodo sciant quod deferunt.*

12 *Reus post formationem processus, seu informationis, si nullus sit testis, qui reum conuincat de delicto, potest, si non præcessisset infamia, clamorosa insinuatio, semiplena probatio, vel indicia, absolui.*

13 *Citandus nunquam quis est, vt tanquam reus interrogetur, nisi delictum vel ex testibus, vel ex indiciis, vel ex probata infamia sit semiplenè probatum. Secùs, si vnum ex istis præcesserit.*

14 *Comparens citatus coniici non debet in carcerem, nisi fuga timeatur, vel delicti grauitas sic requirat: aliàs iudex grauiter etiam peccaret.*

15 *Iudex debet reo sic citato siue in carcere existenti sine extra omnia testium tacitis nominibus testimonia, omnésque probationes simul cum delicto manifestare, concedendo eidem aliquod tempus etiam sub iuramento, vt respondeat.*

16 *Reus iuridicè interrogatus tenetur sub mortali, ita vt alioquin absolui non debeat à Confessario, respondere ad mentem iudicis, & ei confiteri veritatem.*

17 *Amplia etiam, si ipsi immineat exinde periculum vitæ, mutilationis, triremis, perpetui carceris, aut exilij, amissionis omnium, aut maioris partis bonorum, &c. contra nonnullos non improbabiliter oppositum tenentes; quia tunc præceptum superioris non est conforme fragilitati humanæ.*

18 *Reus si à iudice non interrogetur iuridicè, vel quia non est competens, vel quia non præcesserint infamia, clamorosa insinuatio, semiplena probatio, vel indicia sufficientia, non tenetur respondere ad mentem iudicis; tum quia iniustè præciperetur, vt reuelet crimen, cùm sit occultum, quinimò reuelando peccaret mortaliter; quia iniustè se infamaret.*

19 *Iudex ob dictam rationem non potest reum de vno crimine conuictum de aliis criminibus, aut de sociis interrogare, nisi de iis etiam præcedat infamia,*

clamorosa insinuatio, semiplena probatio, vel indicia sufficientia.

20 *Reus si fatetur delictum, potest in rigore per sententiam diffinitiuam condemnari, mitius tamen adhuc cum illo iudex procedere debet, terminum scilicet illi concedendo, vt si quam habeat de delicto excusationem, qua saltem illud diminuat, eam afferat.*

21 *Reus interrogatus si neget delictum, iudex ad illum conuincendum vlterius debet procedere, ratificando testes, & alios de nouo desumendo.*

22 *Reus etiam inter Regulares si defendere se velit, poterit sibi Procuratorem designare, qui suo nomine, presertim si in carcere coniectus fuerit, defensionem suam suscipiat.*

23 *Reo, si velit producere aliquos testes in sui defensionem; terminus ad hoc necessarius debet concedi, & prædicti testes ab ipso producti debent examinari.*

24 *Reus si propria defensionis causa petierit copiam probationum contra ipsum, debet etiam ipsi talis copia concedi; quinimò si nomina testificantium postulauerit, licèt regulariter loquendo id concedi non debeat, in causa tamen grauis criminis, ex qua graue damnum eidem immineret, etiam hoc concedi debet. Quamuis ob timorem grauis damni testis, vel eius consanguinei, seu amici possint illi occultari.*

25 *Iudex probationibus completis debet diligenter perpendere, an reus verè se defenderit. & testes ab ipso producti certò probent, quod ille crimen sibi impositum non commiserit, ita vt credi possit esse innocens, tunc debet illum absoluere. Secùs è contra si videat crimen esse plenè probatum; quia tunc debet ipsum pro qualitate criminis condemnare,*

26 *Tortura non est necessaria, quando delictum est plenè probatum; quia tunc cessat torturæ finis, qui est, vt sit in subsidium, seu suppleat defectum plenæ probationis.*

27 *Delictum intelligitur plenè probatum, quando ad minimum per duos testes oculares contestes, & omni exceptione maiores testificatum est.*

28 *Testes oculares sunt qui oculis (idémque dicas de auditu) delictum perceperunt.*

29 *Testes contestes sunt, qui de eodem facto, loco, tempore, personis, aliisque circumstantiis ad facti substantiam pertinentibus, deponunt.*

30 *Testes omni exceptione maiores sunt, quibus nulla potest opponi exceptio, per quam ipsorum fides diminuatur: quapropter testes de auditu (nisi etiam illi, a quibus audisse dicunt, idem deponant, sintque similiter omni exceptione maiores) non faciunt plenam probationem.*

31 *Item & testes singulares, qui scilicet de distinctis numero factis, vel de distinctis temporibus, aut locis deponunt, neque etiam plenè probant.*

32 *Testes non omni exceptione maiores, seu qui exceptionem patiuntur, & per consequens non plenè probant, sunt inimici inimicitia non leui, sed capitali, quales rarò reperiuntur, & præsumuntur inter Regulares.*

33 *Item minores natu viginti annis.*

34 *Item homines viles, infames, vel qui grauia delicta commiserunt, nisi forsitan fuerint emendati.*

35 *Item furiosi, & amentes.*

36 *Item conspirantes, qui scilicet ex pacto conuenerunt, vt vnus accuset, vel denunciet, alij autem testificentur.*

37 *Item qui in testificando sunt varij, vel inconstantes.*

38 *Item mulieres, quamuis inter Regulares admittantur Moniales, cùm probæ præsumantur, præsertim in delictis, quæ in monasteriis committuntur.*

39 *Delictum si non sit plenè probatum, & reus illud neget, vel tale delictum non est ex atrocibus, quæ scilicet pœna corporali mortis, mutilationis, vel triremis, &c. puniri debent, reus tunc puniri debet pœna graui, tametsi minori, quàm si delictum probatum plene esset.*

40 *Delictum si sit ex atrocibus, & indicia sint magna, quæ iudici suadeant, reum delictum, quod negat, commisisse, ita vt semiplenè illud probatum sit, reus subijci potest torturæ ad finem, vt crimen fateatur; quod si adhuc in tortura delictum neget, est absoluendus: quia per torturam indicia purgauit.*

41 *Confessio facta in tormentis de delicto non valet, nisi sit ratificata extra tormentum; quia confessio facta in tortura fragilis est, & incerta.*

42 *Iudex debet rectè perpendere, an reus sit plenè conuictus, ita vt certò constet, quod delictum commiserit. Item an indicia sint leuia, vel grauia. An delictum sit in damnum commune, vel tertiæ personæ, vel solùm ipsiusmet delinquentis. An sit Prælatus delinquens, &c.*

43 *Prælatio maior requiritur contra Prælatum; eo quod multorum calumniis sit expositus, quàm contra alios.*

44 *Item debet rectè perpendere probationes, qualitates testium, defensiones, excusationes, exceptionésque rei, &c. & postea ferre diffinitiuam sententiam contra reum in scriptis, vel etiam saltem inter Regulares viua voce; dummodò tamen ad illam audiendam reus citetur.*

REspondetur (supposita scilicet infamia personæ, vel delicti, iuxta ea, quæ dicebam *suprà petit. 1. 2. & 3.*)

Primò, constituendus est à iudice Notarius, seu Secretarius, qui omnes inquisitiones actus fideliter scribat, eósque cum ipso iudice subscribat; sic Doctores, quos sequitur Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 10. c. 12. n. 29.* 1

Secundò, formatis articulis pro interrogatorio testium, sunt secundùm illos interrogandi testes clarè, & distinctè sic Doctores iidem, qous sequitur Suarez *loc. suprà cit.* 2

Vbi aduerte, quod (licèt quando præcedit infamia, vel clamorosa insinuatio contra delinquentem, idémque dico, quando præcedit semiplena probatio vel præcedunt indicia grauia iuxta ea, quæ dicebam *suprà petitione 3.*) non sit necessarium in interrogatorio de illa inquiri, sit tamen ad magis conuincendum reum expediens, quod de illa inquiratur. 3

Aduerte secundò, quod testes interrogandi sint sub iuramento, saltem de iure communi, iuxta Textum *in c. Cùm delicti de accusat.* nisi legitima consuetudo (sicuti contingit in quibusdam Religionibus) obtinuerit, quod interrogentur solùm sub præcepto obedientiæ, vel excommunicationis. Suarez *ibid.* 4

Aduerte tertiò, quod sint etiam testes interrogandi de nomine, & cognomine ipsorum iuxta Textum *in c. Olim de accusat.* Thomas à Iesu *de visit. Regular. tract. 3. cap. 7.* 5

Aduerte quartò, quod testes, sic interrogati, teneantur sub mortali respondere ad mentem iudicis, & fateri veritatem; quia obstringuntur iusto præcepto superioris. Nauarr. *c. Inter verba concl. 6* & alij communiter. 6

Quod intellige, quando interrogantur iuridicè (prout semper præsupponi debet, si iudex sit probus, & certo non constet de contrario) id est, interrogentur à iudice competente, & præcedente infamia, clamorosa insinuatione, semiplena probatione, seu notitia criminis iuxta ea, quæ dicebam *suprà petit. 1.* in Aduertendis; quia ad mentem iudicis respondere, & veritatem fateri è contra non tenentur, quando iuridicè, seu legitimè modo quo suprà dicebam, non interrogarentur. Syluester *verbo Testis, quæst. 8.* & alij passim: quamuis neque in hoc casu possint mentiri (cùm mentiri sit ab intrinseco malum, ita vt etiam ad saluandum vniuersum mentiri

mentiri, nemini liceat) sed debeant æquiuocare, verbi
gratià, dicere, se nescire, vel non vidisse, mente sub-
intelligendo, vt manifestent in tali iudicio. Nauarr. *in
summ.c.12.n.9.& c.18.n.61.*

7 Item non tenentur testificari ea, quæ norunt in con-
fessione sacramentali; neque quæ norunt sub secreto,
consilij, vel auxilij petendi gratia iuxta ea, quæ dicebam
suprà cit. petit.1. 10 Aduertendis.

8 Item neque tenentur testificari ea, quæ audierunt ab
homine fide digno, vel maleuolo, aut parum benè affe-
cto; secùs, si audierint à viro fide digno, & iudex præci-
piat, vt referant etiam ea, quæ norunt ex audito iuxta
ea, quæ dicebam *ibid.*

9 Item neque etiam tenentur testificari, si exinde dam-
num aliquod notabile (siue spirituale, siue temporale)
sibi probabiliter timeant, iuxta ea quæ dicebam suprà
etiam *ibid.*

10 Aduerte quintò, quod testes nullo modo cogendi
sint à iudice, vt dicant, quod nesciunt, sed libertime per-
mittendi sint dicere veritatem; adeò quod, si fuerint in-
docti, monendi sint ab ipso iudice de modo testifican-
di, vel dandum sit illis tempus ad consilium accipien-
dum à viris doctis: sic Doctores quos sequitur Thomas
à Iesu *de Visit. Regular. tract.3.c.6.*

11 Aduerte sextò, quod debeant etiam testes, quando
deferunt sua testimonia, interrogari de causa scientiæ,
seu quomodo sciant; quod deferunt, iuxta Textum *in c.
causam de testib.* & docent iidem Doctores, quos sequi-
tur Thomas à Iesu, *vbi suprà c.7.*

12 Tertiò, post formationem processus, seu informatio-
nis, si nullus sit testis, qui reum conuincat de delicto,
posset reus (si prædictum processum, seu informationem
non præcessisset infamia, clamorosa insinuatio, semiple-
na probatio, vel indicia sufficientia delicti) absolui, quia
nulla tunc esset causa, quare vlteriùs contra ipsum
13 procedi possit. Quinimò nonquam quis est citandus,
vt tanquam reus, interrogetur, nisi delictum vel ex te-
stibus, vel ex iudiciis, vel ex probata infamia sit semi-
plenè probatum; sic Doctores, quos sequitur Fran-
ciscus Aretinus *in Practic. crimin. de 3. substant. iudic.
cap.1.*

At si vnum ex prædictis præcesserit, & multò magis
si per testes, vel etiam per vnum solum testem omni ex-
ceptione maiorem conster de reo delinquente, debet
iste ante omnia citari; quia si non citatus condemna-
retur, iudex eum condemnans non solùm mortaliter
peccaret, sed etiam nulliter condemnaret. Nauarr. *in sum.
c.25.n.13.* & alij communiter.

14 Non tamen comparens conijci debet in carcerem;
nisi fuga timeatur, vel delicti grauitas ita requirat; alias
iudex grauiter a[rim] peccaret. Nauarrus *de indic.n.51.* &
Francisc. Aretin. *loc. supra cit.*

15 Cui reo citato, & comparenti (siue in carcerem in-
cluso, siue extra carcerem adhuc existenti) debet iudex
omninò testium, tacitis nominibus, testimonia, omnés-
que probationes simul cum delicto (quod ei imponitur)
manifestare, concedendo eidem aliquod tempus etiam
sub iuramento, vt respondeat. Suarez *tom.4. de Religion.
lib.10.c.12.* & alij, quos sequitur Thomas à Iesu *de Vi-
sit. Regular. tract.3. cap.9.*

16 Reus, iuridicè interrogatus, tenetur sub mortali
(ita vt alioquin absolui non debeat à Confessario.
Thomas à Iesu *vbi suprà c.10.n.8.*) respondere ad men-
tem iudicis, & ei confiteri veritatem, manifestando de-
licta, de quibus interrogatur; quia tenetur obedire su-
periori, iusta præcipienti. S. Thomas *2.2.q.69. art.1.& 2.*
& Nauarr. *de pœnit. dist.5. §. Non dico tibi, n.19. & in
summ.c.18.n.57.*

17 Idque etiam, si ipsi immineat exinde periculum vitæ,
mutilationis, triremis, perpetui carceris, aut exilij, amis-
sionis omnium, aut maioris partis bonorum, &c. ob
eamdem rationem iam dictam. Sotus *de tegend. secret.
membr.2. & lib.5. de iust. & iur. q.6.a.2.* Corduba *lib.5.
q.43. dub.3.* & alij passim; quamuis quidam non omninò
improbabiliter in iis, & similibus causis grauibus op-
positum teneant; quia tunc ius, & præceptum superio-
ris non est accommodatum, seu conforme fragilitati
humanæ; cùm vix ex mille vnus illud esset obseruatu-
rus, iuxta ea, quæ dicam infrà de reo in communi,
petitione 3.

At (quidquid sit de hoc) illud tamen est verum inter 18
Doctores, quod, si reus à iudice non interrogetur iuridi-
cè (eo quod scilicet vel iudex non esset competens, vel
non esset infamia, clamorosa insinuatio, semiplena pro-
batio, vel indicia sufficientia, &c.) non teneatur respon-
dere ad mentem iudicis, eique veritatem confiteri, quia
tunc iniustè præciperetur reus, vt reuelet crimen, cùm
sit occultum, iuxta ea, quæ dicebam *suprà de testibus*; &
videri poterit præter alios Nauarrus *dist.5. de pœnit.
§. non dico tibi*, Rodriquez *tom.2. quæstion. Regular.
q.5.a.4.* & Thomas à Iesu *cit. tract.3.c.3.* Quinimò reue-
lando, peccaret mortaliter; quia iniustè se infamaret.
Nauarr. *in summ. c.18.n.57.* & alij, quos sequitur Tho-
mas à Iesu *citato cap.10. num 7.* quorum opinio est satis
probabilis.

Non tamen in hoc casu licitè posset mentiri; quia
mentiri est intrinsecè malum, ac propterea ob nullam
causam, quamuis grauissimam, cuipiam licitum, sed pos-
set æquiuocando cælare veritatem; dicendo, v. g. Nihil
scio, nihil feci, mente subintelligendo, vt dicam tibi,
iuxta ea, quæ dicebam etiam *suprà de testibus.*

Iudex ob dictam rationem (quod scilicet legitimè 19
non interroget de crimine occulto) non potest reum de
vno crimine conuictum de aliis criminibus, aut de so-
ciis interrogare; nisi de iis etiam præcedat infamia, cla-
morosa insinuatio, semiplena probatio, vel indicia suffi-
cientia, &c. sic Doctores communiter, quos sequitur
Thomas à Iesu *vbi suprà c.6.n.5.& 6.*

Quartò, si reus fatetur delictum, posset in rigore 20
per sententiam diffinitiuam condemnari, mitiùs tamen
adhuc cum illo iudex procedere debet, terminum scili-
cet illi concedendo, vt si quam habeat de delicto excu-
sationem, quæ saltem illud diminuat, eam afferat; sic
Doctores, quos sequitur Suarez *4. tom. de Relig. lib.10.* 21
c.12. n.31. Si verò interrogatus neget delictum, iudex
ad illum conuincendum vlteriùs debet procedere: pri-
mò, ratificando testes (licèt hoc non sit necessarium,
præsertim inter Religiosos, quando de fide testium mo-
raliter constat;) secundò, alios de nouo desumendo, si
necessarium id videbitur ad veritatis consuetudinem
moralem eruendam.

Quintò, si reus (etiam inter Regulares) defendere se 22
velit, poterit sibi Procuratorem designare, qui suo no-
mine (præsertim si in carcerem coniectus fuerit) defen-
sionem suam suscipiat. Clement. Religiosus *de Procura-
torib.* & Doctores communiter apud Aldrete *de discipl.
Regul. lib.1.c.11.n.15.*

Similiter, si velit producere aliquos testes in sui de- 23
fensionem, terminus ad hoc necessarius debet ipsi con-
cedi, & prædicti testes ab ipso producti debent iuxta
ordinem suprà præscriptum examinari; sic Doctores,
quos sequitur Thomas à Iesu *vbi suprà c.9. n.6.*

Similiter etiam, si reus propriæ defensionis causa pe- 24
tierit copiam probationum contra ipsum, debet etiam
ipsi talis copia concedi: quinimò, si nomina testifican-
tium postulauerit (licèt regulariter loquendo, id con-
cedi non debeat iuxta ea, quæ suprà dicebam.) In causa
tamen grauis criminis, ex qua graue damnum ipsi im-
mineret, etiam hoc ipsi concedi debet. Rodriq. *tom.2.
quæst. reg. q.16.a.1.* & Thomas à Iesu *loc. suprà cit.*

Quamuis, si timeat iudex, quod rei consanguinei,
amici, vel partiales graue damnum testi, vel testibus re-
uelatis illaturi sint, possit illos occultare; sic DD. quos
sequitur Aldret. *de Relig. discipl. lib.1.c.14.n.10.*

Sextò, probationibus completis, debet iudex dili- 25
genter perpendere, an reus verè se defenderit, & testes
ab ipso producti certò probent, quod ille crimen sibi
impositum non commiserit (ita vt credi possit esse in-
nocens)

nocens)tunc debet illum absoluere;sic Doctores communiter,quos sequitur Aldrer.*vbi suprà c.16.n.2.* Si autem è contra videat, quod crimen sit plenè probatum, & defensiones pro reo productæ parum, vel nihil iuuent,tunc debet illum pro qualitate criminis condemnare. Aldrer. *ibid. n.3.*

26 In quo casu non est necessaria, nec iustè adhibetur tortura; quia tunc cessat torturæ finis,qui est,vt sit in subsidium, seu suppleat defectum plenæ probationis. Nauarr. *in summ.c.18.n.59.* & alij, quos sequitur Suar. *4.tom.de Relig.lib.10.c.12.n.33.*

27 Delictum autem intelligitur plenè probatum,quando ad minimum per duos testes oculares, contestes, & omni exceptione maiores (inquit enim Christus Dominus: *In ore duorum,vel trium stet omne verbum*)testificatum est. Suarez *ibid.*

28 Testes oculares sunt, qui oculis (idémque dicas de auditu,quando delictum,vt blasphemia,auditu percipitur)delictum perceperunt.Franc. Aretin. *in Pract.criminal.c.2.de numero testium.*

29 Testes contestes sunt,qui de eodem facto,loco tempore, personis, aliisque circumstantiis ad facti substantiam pertinentibus deponunt. Thomas a Iesu *vbi suprà c.7.n.11.*

30 Testes omni exceptione maiores sunt, quibus nulla potest opponi exceptio, per quam ipsorum fides diminuatur:quapropter testes de audito(nisi etiam illi,à quibus audisse dicunt,idem deponant,sintque similiter omni exceptione maiores) non faciunt plenam probatio-
31 nem;Item,& testes singulares (qui scilicet de distinctis numero factis,vel de distinctis temporibus,aut locis deponunt) neque etiam plenè probant; licet, quando de eadem delicti specie deponunt, tametsi varient in circumstantiis temporis, aut loci plusquam semiplenam probationem faciant,seu plusquam semiplenè probent.

32 Testes non omni exceptione maiores, seu qui exceptionem patiuntur, & per consequens non plenè probant,sunt inimici inimicitia non leui, sed capitali (quales rarò reperiuntur, & præsumuntur inter Regulares; ita Doctores, quos sequitur Postell. *in respons. moral.*
33 *cas.16.q.1.*) Item minores natu viginti annis. Item ho-
34 mines viles, infames, vel qui grauia delicta commise-
35 runt;nisi forsan fuerint emendati.Item furiosi,& amen-
36 tes. Item conspirantes (qui scilicet ex pacto conuenerunt,vt vnus accuset,vel denunciet,alij autem testificen-
37 tur.Item qui in testificando sunt varij,vel inconstantes.
38 Item mulieres; quamuis inter Regulares admittantur moniales,cùm probæ præsumantur) præsertim in delictis, quæ in monasteriis committuntur; de quibus omnibus,quæ modò dicebam,videri poterunt,præter alios, S.Thomas 2.2 *q.70.a.2.ad 2.* Sotus *de iust. & iur.lib.5. q.7.a.2.* Nauarrus,Suarez,Aldrete,Franc. Aretinus,& Thomas à Iesu *in locis suprà citatis.*

39 Septimò (si delictum non sit plenè probatum, & reus illud neget) vel tale delictum non est ex atrocibus (quæ scilicet pœna corporali mortis, mutilationis, vel triremis,&c. puniri debent) & tunc reus puniri debet pœna graui,tametsi minori,quam si delictum plenè esset probatum; quia sic æquitas iustitiæ, & rigor obseruantiæ (præsertim regularis) requirit, ne sub spe probationis infirmæ reddantur faciles homines, vel etiam regulares,ad delicta perpetranda.Suarez *tom.4.de Relig.lib.10.c.12.n.35.* qui rectè subdit, quod in hac via inquisitionis quoad pœnam reo imponendam mitiùs agendum sit,quàm in via accusationis criminalis.

40 Si verò delictum sit ex atrocioribus (quæ scilicet pœna mortis, mutilationis, vel triremis, &c. in sæculo puniuntur) & indicia sint magna, quæ iudici suadeant, reum delictum,quod negat, commisisse (ita vt semiplenè illud probatum sit) & tunc reus subiici potest torturæ, ad finem, vt crimen fateatur.Suarez *vbi suprà*, & Aldrer. *lib.1.de discipl.Relig c.17.*

Quod,si reus subiectus torturæ,adhuc in tortura delictum neget,absolui debet; quia per torturam indicia purgauit.Suarez,& Aldrer.*vbi suprà.* Si verò delictum 41
fateatur, adhuc requiritur, quod delicti confessionem extra torturam ratificet; quia, confessio facta in tormentis fragilis est,& incerta;ita Doctores,quos sequitur Franciscus Aretin. *in pract.crim cap.12.de confess.per tortur.* Vide etiam,quæ dicam *infrà dubit.193* vbi etiam reperies, post quantum temporis dicta ratificatio facienda sit, & quoties tortura sit repetenda, si noluerit reus ratificare, quod in illa confessus est.

Octauò, debet iudex rectè perpendere, an reus sit 42
plenè conuictus (ita vt certò constet, quod delictum commiserit.)Item,an indicia sint leuia,vel grauia. Item, an delictum sit in damnum commune, an solum in damnum tertiæ personæ particularis, vel solùm *ipsius* solius delinquentis. Item, an delinquens sit Prælatus 43
(cùm contra Prælatum, eo quod multorum calumniis est expositus, maior probatio requiratur, quàm contra alios.) Item debet rectè perpendere probationes,quali- 44
tates testium,defensiones,excusationes, exceptionésque rei,& alia huiusmodi: & postea(cùm hæc omnia rectè perpenderit)debet ferre definitiuam sententiam contra reum in scriptis,vel etiam (saltem inter Regulares)viua voce (dummodò tamen ad illam audiendam reus citetur) & imponere illi pœnam tam iure communi,quàm iure particulari designatam. Videantur Doctores *suprà* citati,præcipuè Aldret.*lib.1.de Relig.discipl.c.18.& lib.2.c.1.*& Thomas a Iesu *de visit.reg.tract.3.c.14.*

PETITIO VII.

An iudex, si (postquam præter ordinem iuris crimen deprehendit, vel extorsit) reum condemnet, hæredibus rei ad restitutionem teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Iudex absque dubio tenetur, si condemnet reum non subditum,vel reum in crimine exempto:quia tunc manifestam ei iniuriam infert, ex qua nascitur obligatio restituendi.*

2 *Iudex ad restitutionem etiam tenetur, licèt condemnet reum subditum, vel reum in crimine non exempto si eum condemnet ex priuata scientia, vel ex cognitione per iniuriam extorta;quia quando condemnat ex scientia priuata infert iniuriam reo,tanquam iudex non competens.*

3 *Iudex quod crimen extorqueat per iniuriam multis modis contingere potest, sicque quod confessio sit nulla. Primò, si nulla præcedente infamia, vel denunciatione iuridica à se ipso inquisitionem incipiat.*

4 *Secundò, si reum à loco immuni contra ius extraxerit; quia tunc non poterit, nisi priùs reum in dictum locum restituat,contra illum progredi.*

5 *Tertiò, si tormentis,vel tormentorum metu à reo confessionem eliceuerit.*

6 *Quartò, si extantibus quidem indiciis ad torturam, tamen reus non potuerit iuridicè torqueri ob dignitatem, vel ætatem grauem, &c.*

7 *Quintò, si dolo, v. g. Impunitatem promittendo, induxerit reum ad confessionem; quia dolus æque ac metus iniuriam infert.*

8 *Reus tamen in his, & similibus casibus non tenetur ad restitutionem Primò,si poterat ex aliis rationibus reum iuridicè condemnare, &c.*

9 *Secundò, si iudex solùm contra iuris ordinem deliquerit in aliquo puncto, in quo Princeps supremus, si de causa illa cognouisset, sic potuisset procedere.*

10 *Iudex quotiescumque contra iuris ordinem procedendo facit,*

facit, quod reus crimen confiteatur, curare debet, ne reo exinde damnum sequatur.

11 *Princeps supremus, si detecto iam crimine iubeat, reum condemnari, potest iudex inferior obedire; quia crimine iuridicè detecto, potest id Princeps supremus ad publicum bonum.*

12 *Priuatus si per iniuriam extorsisset ab aliquo confessionem criminis occulti, & illud patefaceret, posset iudex contra talem procedere.*

13 *Iudex inferior ad restitutionem non tenetur ex eo, quia reum condemnat mandato Principis, tenetur tamen si huic necessitati condemnandi causam dederit per iniuriam.*

14 *Inferior iudex non tenetur ad restitutionem, quamuis condemnet reum non subditum, vel reum in crimine exempto, si proprius iudex, qui legitimè poterat condemnare, ratum habeat, seu approbet factum ipsius.*

15 *Habens potestatem confiscandi, & auferendi omnia bona rei ob crimen à reo commissum, potest veluti compensando liberare ab omni obligatione restitutionis eum, qui bona illa per iniuriam abstulerit, vel vastauerit.*

16 *Limita prædicta, in casu quo iudex proprius poterat reum condemnare; quia si non poterat, neque potest obligationem damni condonare.*

1 SVppono, quod absque dubio teneatur, si condemnet reum non subditum, vel si condemnet reum in crimine exempto; quia tunc iudex (cùm reum, licèt reus morte dignus sit, puniendi potestatem non habeat) manifestam ei iniuriam infert; at ex iniuria, si ex ea damnum sequatur, nascitur obligatio restituendi; ergo, &c. Hoc supposito,

2 Respondetur, quod ad restitutionem etiam teneatur, licèt condemnet reum subditum, vel reum in crimine non exempto, si eum condemnet ex priuata scientia, vel ex cognitione per iniuriam extorta. Sotus *de secreto membr. 3. q. 1 concl. 5.* Nauarr. *c. 18. n. 59.* & alij communiter.

Probatur; quia quando condemnat ex scientia priuata infert iniuriam reo, tanquam iudex non competens: nam, cùm tunc non procedat ex publica scientia, non potest in eum exercere publicam iudicis authoritatem, iuxta ea, quæ dicam *infrà dubitat. 198. sect. 10. corollar. 3.* Quando autem extorquet crimen per iniuriam, dat iniustè causam damni: ergo tenetur ad reparationem damni, quod sequitur ex illa cognitione extortam per iniuriam; quemadmodum, si quis per iniuriam occultum crimen alterius detegeret (vnde contingeret illum condemnari) teneretur ad reparationem damni; quia per iniuriam dedit causam damni.

3 Cæterùm multis modis contingere potest, quod iudex extorqueat crimen per iniuriam; sicque confessio rei sit nulla, illiúsque condemnatio non possit sequi.

Primò, si iudex, nulla præcedente infamia, vel denunciatione iuridica, quæ viam inquisitionis aperiat, à se ipso inquisitionem incipiat, iuxta ea, quæ dicebam *suprà petit. 3. & petit. 4. in primo Aduertendo.*

4 Secundò, si reum è loco immuni contra ius extraxerit; quia tunc non potest iudex, nisi priùs reum in dictum locum restituat, vlteriùs contra illum progredi, adeò, quod si progrediatur, acta sint nulla; quo tamen priuilegio non fruuntur hæretici, committentes crimen læsæ maiestatis in personam Principis, assassini, proditoriè occidentes, latrones publici, agrorum populatores nocturni, qui in Ecclesia, vel in cæmeterio occidunt, vel mutilant, &c. iuxta illa, quæ dicebam *in tract. de immunit. & iurisd. Eccles. c. 16.*

5 Tertiò, si tormentis, vel tormentorum metu (cùm tamen non essent indicia ad torquendum sufficientia) à reo confessionem elicuerit. Non obstat, quod confessio postea, etiam diebus sequentibus, ratificata fuerit; quia & hæc ratificatio est ex causa iniuriosa præcedente, ac proinde est inualida, & nulla, iuxta Textum *in l. penult. ff. de quæstionib. & in l. Non dubium, Cod. de legibus.*

6 Quartò, si fuerint quidem indicia ad torturam, tamen reus non poterit iuridicè torqueri ob dignitatem, vel ætatem grandæuam, &c. quia & in hoc casu etiam iudex extorquet crimen occultum per iniuriam; sic DD. communiter, quos sequitur Gomez *c. 13. n. 4.*

7 Quintò, si dolo (v.g. impunitatem promittendo) induxerit reum ad confessionem; quia & dolus æquè ac metus iniuriam infert. Gomez *c. 12. n. 6.* & Clarus *q. 55. virb. circa secundum.* & alij passim.

8 In his tamen, & similibus casibus iudex non tenetur ad restitutionem.

Primò, si poterat ex aliis rationibus reum iuridicè condemnare; quia tunc iudex (cùm idem damnum reo alia ratione iustè inferre potuisset, solùm infert iniuriam quoad modum inferendi damnum: ergo non tenetur quoad substantiam damni.

Confirmatur; quia si illi iudex restitueret, quidquid abstulit, eidem posset alia ratione illud ipsum auferre; ergo restitutio nullius momenti esset.

9 Secundò, si iudex solùm contra iuris ordinem deliquerit in aliquo puncto, in quo Princeps supremus poterat dispensare (ita vt ipsemet Princeps supremus, si de causa illa cognouisset, sic potuisset procedere, vt si, v. g. tortus fuerit vir in dignitate constitutus, miles, vel quis alius ætate grandæuus) quia tunc Princeps supremus (cùm possit eius factum approbare) poterit iudici, veluti compensando, restitutionem remittere, seu condonare.

10 Quotiescumque igitur iudex, contra iuris ordinem procedendo, facit, quod reus crimen confiteatur, curare debet, ne reo exinde damnum sequatur; alioquin (nisi ratione supradicta aliqua excusetur) ad restitutionem tenebitur.

11 An autem, si Princeps supremus, detecto iam crimine, iubeat reum condemnari, possit iudex inferior obedire?

Respondetur affirmatiuè; quia hoc ipso, quod crimen in iudicio detectum est absque iniuria (quæ à Principe processerit, & excepto casu reuelatæ confessionis) habet Princeps (præsertim si bonum publicum ita postulet; vt si crimen sit atrox) ius iuridice procedendi contra criminosum confessum (cùm, etsi ex tali confessione non posset reus, eo quod non videatur satis constare de crimine, immediate condemnari, tamen sit, si Princeps voluerit, indicium ad inquirendum.) Ergo, &c.

12 Confirmatur; quia si priuatus per iniuriam extorsisset ab aliquo confessionem criminis occulti, & illud patefaceret, posset iudex contra talem procedere (licèt enim per iniuriam crimen patefactum sit, id tamen factum non est per ipsum iudicem, neque ipsius consensu) Ergo similiter si iudex inferior per iniuriam extorsisset contra iuris ordinem confessionem criminis in iudicio, posset Princeps (qui in hanc iniuriam non consensit) contra talem procedere; sicque si potest ipse Princeps, procedere, potest etiam alteri (ac proinde etiam illi ipsi iudici, per quem patefactum est crimen) causæ cognitionem committere; in quo tamen casu iudex, qui crimen per iniuriam extorsit (nisi vel alia ratione potuisset iustè contra reum procedere sine ratione illius extortæ confessionis, vel Princeps supremus possit, veluti compensando, condonare, & condonet) ad restitutionem tenebitur.

13 Non obstat, si dicas: Potest iudex inferior reum condemnare mandato Principis: ergo ad restitutionem non tenetur.

Respondetur enim: distinguo consequens: ad restitutionem non tenetur ex eo, quia reum condemnat mandato Principis, concedo: Ad restitutionem non tenetur ex eo, quia huic necessitati condemnandi causam

dedit per iniuriam, nego. Quemadmodum, si ipse solus inferior iudex crimen sciens diuulgaret, peccaret contra iustitiam infamando occultum criminosum, crimine tamen diuulgatu, posset ex officio, tanquam iudex, contra illum procedere; nihilominus ad restitutionem teneretur de damno inde secuto (cui per iniuriam causam dedit) sicut & teneretur quicumque alius, qui idem fecerit.

14 Ex dictis sequitur, quod ad restitutionem non teneatur inferior iudex (quamuis condemnet reum non subditum, vel reum in crimine exempto) si proprius iudex, qui legitimè poterat reum condemnare, ratum habeat, seu approbet factum ipsius; quia hoc ipso, quod iudex proprius ratum habet, seu approbat iudicium alterius, vult illud ex hoc tempore, tanquam à se factum, censeri: ergo liberat illum ab omni obligatione restitutionis: sicut enim proprius iudex poterat reum, si ad ipsum missus fuisset, per se condemnare, sic poterat etiam alteri causæ cognitionem permittere, & factum alterius, quoad substantiam operis, ratum habere, seu approbare; & consequenter restitutionis obligationem ex defectu debitæ potestatis ortam, veluti compensando, condonare.

15 Confirmatur: quia qui habet potestatem confiscandi, & auferendi omnia bona rei ob crimen à reo commissum, potest, veluti compensando, liberare ab omni obligatione restitutionis eum, qui bona illa per iniuriam abstulerit, vel vastauerit: ergo sic & in casu nostro.

16 Hæc tamen, quæ dixi, intellige in casu, quo iudex proprius poterat reum condemnare, quia si non poterat, non potest etiam obligationem damni faciendi (quod ab altero per iniquam condemnationem est illatum) veluti compensando, condonare; quia tunc iudex proprius cùm in reum non habeat ius puniendi, neque in reum habebit, vel per se, vel per alterum ius vllum compensandi.

COROLLARIVM I.

An rata debeat esse rei confessio, quam iudex per fictam immunitatis promissionem, vel aliam simulationem extorsit, ita vt secundùm talem confessionem reus damnari possit?

SVMMARIVM.

1 *Reus confessus per fictam immunitatis promissionem, vel aliam simulationem, quamuis si intellecta fraude, confessionem non retractet, sed vltrò in ea persistat, sciens etiam habere se ius eam reuocandi, condemnari non potest, si res aliter se habeat: quia si examinatio iudicis iusta, & legitima non est, neque confessio rei rata, & iuridica erit.*

2 *Promissiones callidæ, vel fictæ, seu æquiuocationes si extra iudicium non tolerantur in mutuis hominum commerciis, ac pactis, eo quod tolleretur commercium, ac fides humana, multò minùs tolerabuntur in iudicio, vbi nihil nisi sanctum, iustum, &, sincerum esse debet.*

3 *Reus postea re comperta, iustum, ac probabilem errorem allegare, atque priorem confessionem retractare posset.*

4 *Iudex non potuit Legibus, & Republicæ præiudicare, si commissum crimen secundùm ordinem iuris, seu modo legitimo cognitum fuerit. Secùs si è contra.*

Respondetur (quamuis, si reus, intellecta fraude, 1
confessionem non retractet, sed vltrò in ea persistat, sciens etiam, habere se ius eam reuocandi, secundùm talem confessionem damnari possit, ex Claro §. *finali, q. 55.* Couarr. 1. *resol. cap. 2. n. 16* Menochius *de arbitrar. quæst. cas. 367.* Martinus del Rio *lib. 5. disquisit. sect. 10. concl. 2. & 3.* Binsfeld. *de confess. malef. membr. 2. concl. 7. dub. 5.* & aliis.) Secùs tamen dicendum est, si res aliter se habeat. Andreas Facchinæus *lib. 9 controuers. cap. 61.* Clarus, Couarruuias, Menochius, & Binsfeldius *in locis suprà cit.* contra Cynum *in l. Præsenti, Cod. de his qui ad Eccles. confug.* Felinum *in cap. Afferte de præsumpt.* & alios.

Probatur; quia si examinatio iudicis iusta, & legitima non est, neque confessio rei rata, & iuridica erit, ita vt per eam reus condemnari possit, at examinatio iudicis facta per mendacium, dolum, vel simulationem iusta, & legitima non est: ergo, &c. Maior patet. Minor probatur; quia iudex ius per mendacium, dolum, vel simulationem à reo confessionem extorquendi non habet: si enim huiusmodi callidæ, vel fictæ promissiones, 2
seu æquiuocationes extra iudicium non tolerantur in mutuis hominum commerciis, ac pactis eo quod tolleretur commercium, & fides humana; multò minùs tolerabuntur in iudicio, vbi nihil, nisi sanctum, iustum, & sincerum esse debet.

Accedit, quòd meritò reus, postea, re comperta, iu- 3
stum, ac probabilem errorem allegare, atque priorem confessionem retractare posset, asserendo, quod crimen confessus sit, non omninò spontè, neque quod verè illud commiserit, sed eo quod confessionem illam, per quam tunc à molestiis, & vexationibus iudicis liberaretur vtilem sibi fore, arbitratus fuerit.

Non obstat, si cum Aduersariis dicas: iudex per pro- 4
missionem immunitatis, seu fictè, seu ex animo factam non potuit Legibus, & Reipublicæ præiudicare: Ergo.

Respondetur enim cum Couarruuia *loco suprà cit.* id verum esse, si commissum crimen secundùm ordinem iuris, seu modo legitimo cognitum fuerit: secùs, si contra ordinem iuris, & modo illegitimo; quia tunc cùm eiusmodi non iuridicæ cognitionis nulla ratio habeatur, nihil iuri publico prorsus adimitur.

COROLLARIVM II.

An, & quam immunitatem reo præstet saluus conductus, seu publica fides, & securitas eundi ad certum locum, & exinde redeundi?

SVMMARIVM.

5 *Saluus conductus dupliciter dari potest, Primò in forma iuris communis, ita vt reus solus contra omnem vim iniustam defendatur, saluâ tamen iustitia, vel iuris executione.*

2 *Secundò in forma iuris specialis, seu cum derogatione etiam iuris communis, ita vt promittatur alicui securitas contra omnem vim etiam alioquin iustam, saltem in illa causa, de qua agitur.*

Respondetur: de hac re vide, quæ dicebam *suprà dubit. 154. sect. 4.* vbi aduertebam, quod saluus conductus dupliciter dari possit.

Primò, in forma iuris communis, ita vt reus solùm 1
contra omnem vim iniustam defendatur, saluâ tamen iustitiâ, seu iuris executione, quæ, non obstante illo saluo conductu, fieri possit; quomodo Patres Concilij Constantiensis *sess. 6.* saluum conductum concesserunt Hieronymo Pragensi.

Secundò,

2 Secundò, in forma iuris ;specialis, seu cum derogatione etiam iuris communis, ita vt promittatur alicui securitas contra omnem vim, etiam alioquin iustam, saltem in illa causa, de qua agitur : quomodo Patres Concilij Tridentini post sessionem xv. saluum conductum promiserunt Germanis omnibus, etiam hæreticis. Videantur, quæ dicebam *suprà Dubit.* Videantur etiam Myssingerius *lib. 1. obseru. 72.* Gregorius de Magalottis *tom. 11. tract. iur. part. 1. col. 231.* Becanus *tom. 2. c. 16. q. 6.* & Farinacius *in pract. crim. q. 29.*

PETITIO. VIII.

An iudex teneatur ferre sententiam secundùm probationes publicas; quamuis ipse priuata scientia, veritatem in contrarium esse certò nouerit?

SVMMARIVM.

1 *Iudex tenetur ferre sententiam secundùm probationes publicas, quamuis ipse priuata scientia veritatem esse in contrarium certò nouerit: ita vt non possit absoluere innocentem, quamdiu ille secundùm probationes publicas nocens apparet.*

2 *Iudex bonus nihil ex arbitrio suo facit, & domestica proposito voluntatis, sed iuxta leges, & iura pronunciat.*

3 *Iudici iure gentium iudicandi potestas tali conditione collata est, vt ea non nisi secundùm publicas probationes vtatur.*

4 *Excipe, si reus sit notorius, quia in notoriis iuris ordo plerumque non requiritur.*

5 *Excipe secundò, si Princeps supremus in aliquo casu de medio tollat criminosum, cuius crimen præsertim atrox certò nouit commissum esse, vel plenè probari posse quamuis ob aliquam causam rationabilem probatum non sit.*

4 *Iudex etiam in causis ciuilibus, & minoribus criminalibus debet secundùm probationes publicas ferre sententiam, & condemnare accusatum: quia Respublica ex graui, seu rationabili causa potest disponere de bonis subditorum.*

7 *Condemnatus per sententiam ita materialiter iniustam, reipsa, & in conscientia non priuatur dominio propriorum bonorum, ideoque ius habet ea recuperandi à possessore.*

8 *Iudex in nullo casu potest hominem secundùm probationes publicas conuictum ad mortem condemnare, si priuata scientia innocentiam illius certò nouerit: quamuis sententia aliorum communis est in contrarium.*

9 *Occidere hominem innocentem, nisi Deus, qui dominus est vniuersorum sic iubeat, est per se, & intrinsecè malum sicut fornicari, ita Communitas, vel ius Gentium neque valt, neque potest iudici dare potestatem, vt hominem, quem certò nouit esse innocentem, ad mortem condemnet.*

10 *Non obstat, quod Ecclesia, & quæuis Communitas velit, vt iudex in publicis iudiciis, etiam grauioribus seu criminalibus secundùm probationes publicas procedat: quia sic vult, quatenus aitantur veritati.*

11 *Non obstat, quod Ecclesia, & quæuis Communitas velit, vt iudex in aliis publicis iudiciis inferioribus secundùm probationes publicas procedat, non ex præsumptione, sed sine præsumptione, sicque simpliciter, & absolutè: quia de bonis subditorum ad communem vtilitatem disponere potest, non sic de vita.*

12 *Minister iustitiæ, seu carnifex neque potest mortis sententiam exequi in reum condemnatum, quem priuatim nouit esse innocentem; non tamen reus innocens licitè potest ad se defendendum potestati publicæ resistere.*

Respondetur affirmatiuè; ita vt non possit absoluere innocentem, quamdiu ille secundùm probationes publicas nocens apparet; neque possit condemnare reum, priusquam vel per legitimas probationes conuictus, vel sponte in iudicio crimen suum confessus fuerit; quamuis iudex priuata scientia, illum nocentem esse certò sciuerit. S. Thomas 2. 2. q. 67. a. 2. Caietan. *ibid.* Nauarrus *in summ. c. 25. n. 9.* Couarruuias *lib. 1. resolut. c. 1.* & alij passim 1

Probatur auctoritate ex Textu *in l. illicitas, §. veritas ff. de offic. Præsid. & in c. iudicet 3. q. 7.* Ibi: [Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed iuxta leges, & iura pronunciat.] 2

Probatur secundò, ratione; quia iure gentium iudicandi potestas tali conditione iudici collata est, vt ea non nisi secundùm probationes publicas vtatur; cùm sic quammaximè Reipublicæ intersit, ne alioquin, prætextu priuatæ scientiæ, publica iudicia ab improbis iudicibus peruertantur. 3

Excipe, si reus sit notorius; quia in notoriis iuris ordo plerumque non requiritur: vnde fures, & latrones in flagranti crimine deprehensi, sine alio processu iudiciali, statim damnati solent. 4

Excipe secundò, si Princeps supremus in aliquo casu de medio tollat criminosum, cuius crimen, præsertim atrox, certò nouit commissum esse, vel plenè probari posse; quamuis ob aliquam causam rationabilem (præsertim si malum à criminoso in futurum etiam timeatur) publicè probatum non fuerit: expedit tamen, vt Princeps in hoc casu ad impediendam populi querelam, ipsi populo, exposita causa sufficientis notitiæ suæ particularis satisfaciat aliquo modo. Videatur Couarruu. *cit. c. 1. n. 7. circa fin.* & Guttier. *lib. 2. canonic. quæst. c. 29. num. 17.* 5

Et, quod dixi, adeò verum est, vt etiam in causis ciuilibus, & minoribus criminalibus (in quibus de pœna pecuniaria tractatur) debeat iudex secundùm probationes publicas ferre sententiam, & condemnare accusatum, quem ipse priuata scientia certò scit, innocentem esse; si innocentiam illius non possit demonstrare, sic Doctores communiter, & 6

Probatur; quia Respublica ex graui, seu rationabili causa potest disponere de bonis subditorum, ea ab vno ad alterum transferendo, v. g. per vsucapionem, vel præscriptionem (cùm plurimùm intersit Reipublicæ, quod lites non multiplicentur.) Ergo à pari sic & in casu nostro, (cùm plurimum etiam Reipublicæ intersit, quod secundùm approbationes, seu allegationes publicas iudicia terminentur ob rationem, quam iam *suprà* dicebam.)

Quamuis satis probabiliter Sotus *de iust. lib. 5. qu. 4. a. 5.* Aragonius 2. 2. *q. 60. a. 5.* & alij teneant, quod condemnatus per sententiam ita materialiter iniustam, reipsa, & in conscientia non priuetur dominio propriorum bonorum: ideoque ius habeat (si scandalum absit) ea recuperandi à possessore; cùm non videatur mens Reipublicæ esse, quod per sententiam (quæ falsis probationibus nititur) rerum suarum dominio priuetur; quandoquidem sic absque necessitate calumniatoribus fauorem præstaret: quapropter subdit Sotus *loc. suprà cit.* quod sententia iniusta materialiter ius neque aufert, neque confert; ideoque si ille, cui solutio facta est, vel illius hæres postea errorem, qui interfuit, cognoscat, in conscientia teneatur ad restitutionem; quia sententia iudicis fundata erat in falsa præsumptione; Præsumptio autem debet semper cedere veritati. 7

8 Cæterùm in nullo casu iudex potest hominem, secundùm probationes publicas conuictum, ad mortem condemnare, si priuata scientia innocentiam illius certò nouerit. Lytanus *in c.23.Exodi.* Adrianus *quodlib.6. a.3.* Angelus *verbo iudicare num.7.* Rosella *verbo Iudex n.16.* Sà *eodem verbo n.13.* Abbas *in c.Super quæstionum, §.quia verò de offic.delegat.* & Petrus Nauarra *de restit. lib.2.c.3.n.161.* (quamuis, vt fatear, sententia communis aliorum sit in contrarium.

9 Probatur; quia hominem innocentem occidere (nisi Deus, qui dominus est vniuersorum, sic iubeat) est per se, & intrinsecè malum, sicut fornicari; ergo (quemadmodum iudex matrimonium, quod secundùm allegationes, seu probationes publicas validum apparet, ipse verò illud inualidum esse priuatim certò nouit, nullo modo potest præcipere, vel suadere homini, vt coniugi putatiuo carnaliter adhæreat; cùm hæc sit copula intrinsecè mala, cuius potestatem Ecclesia nemini vult, aut potest dare) ita a pari communitas, vel ius gentium neque vult, neque potest iudici dare potestatem, vt hominem, quem certò nouit esse innocentem, ad mortem condemnet.

10 Non obstat, quod Ecclesia, & quæuis communitas velit, vt iudex in publicis iudiciis (etiam grauioribus, seu criminalibus) secundùm probationes publicas procedat; quia sic vult ex præsumptione, quod prædictæ probationes publicæ sint veræ; sed si contrarium iudex certò nouerit, locus non potest esse præsumptioni.

11 Neque obstat, quod Ecclesia, & quæuis Communitas velit, vt iudex in aliis publicis iudiciis inferioribus secundùm probationes publicas procedat, non ex præsumptione, sed sine præsumptione, sicque simpliciter, & absolutè; quia ex dictis Respublica de aliis bonis ad vitam, & corpus hominis inferioribus ob bonum publicum ex causa rationabili disponere potest, non sic de vita, & corpore hominis; & præterea non est per se, & intrinsecè malum, hominem bonis ad vitam, & corpus inferioribus priuare, sicut est per se, & intrinsecè malum, hominem vita (nisi Deus iubeat) spoliare.

12 Hinc sequitur, quod neque Minister iustitiæ, seu carnifex possit mortis sententiam exequi in reum condemnatum, quem priuatim certò nouit esse innocentem; non tamen hinc inferas, quod ipse etiam reus innocens, secundùm probationes publicas condemnatus, licitè possit ad se defendendum publicæ potestati resistere; quia id, si ipsius innocentia publicè nota non sit, sine scandalo, præstare vix, ac ne vix quidem potest. Couarruuias *lib.1.resol.c.2.n.13.* Suarez *de legib.lib.5.c.10.n.30.* & alij communiter.

PETITIO IX.

An sententia in causa, siue ciuili, siue criminali, per errorem facti lata, postea rescindi debeat?

SVMMARIVM.

1 *Sententia in causa siue ciuili, siue criminali per errorem facti lata, postea rescindi debet.*

2 *Restitutio contra sententiam latam ordinariè fieri non potest, si postquam transit in rem iudicatam, noua testimonia, vel instrumenta reperiantur.*

3 *Excipe si causa sit publica, quia tunc concedi solet reuisio ob testimonia, vel ob instrumenta de nouo iam reperta, ac restitutio illius in integrum.*

4 *Idem dic, si causa ad minorem natu, vel ad Ecclesiam pertineat.*

1 RESpondetur affirmatiuè; ita vt (si reperiatur, quod ob falsas testium probationes, vel iuramentorum productiones sententia lata sit) condemnatus, sententia rescissa, in integrum restitui debeat: *l.1. C.si ex falsis instrumentis, & l.Diuus, ff.de re ind.* & docent communiter Doctores.

2 At (si post latam sententiam, quæ transiit in rem iudicatam noua testimonia, vel instrumenta reperiantur) ordinariè fieri non potest restitutio contra sententiam latam: *l. Imperatores, ff. de re iudic.* Recurri tamen poterit ad Principem, qui causæ circumstantiis inspectis, iubere potest, quod ea iterum in iudicium deducatur, &, si consistent, quod ob ignorantiam facti lata fuerit, per restitutionem in integrum rescindatur: sic Doctores, quos sequitur Molina *de iust.tom.2.disp.568.*

3 Dixi, quod ordinariè fieri non potest restitutio contra sententiam latam (in casu scilicet, de quo suprà dicebam) quia excipitur, si causa sit publica, verbi gratiâ, ad fiscum pertinens; tunc enim ob testimonia, vel ob instrumenta de nouo iam reperta concedi solet reuisio, ac restitutio illius in integrum, *citata lege Imperatores*, vbi cum Glossa communiter 4 Doctores idem sentiunt, si causa ad minorem natu, vel ad Ecclesiam pertineat.

PETITIO X.

Ad quid iudex, si malè contra leges publicas sententiam tulit, teneatur?

SVMMARIVM.

1 *Iudex si per dolum, v. g. pecunia corruptus, malè contra leges publicas sententiam tulerit, tenetur parti læsæ de omni damno.*

2 *Iudex si sine dolo per imperitiam malè contra leges publicas sententiam tulerit, tenetur parti læsæ etiam ex quasi delicto de damno: quapropter imperitè iudicando dicitur, litem suam facere.*

3 *Idque locum habet in arbitro, quia arbitria ad iudiciorum formam redacta sunt.*

4 *Iudex si alioquin non impeditus, sed ad tale munus idoneus, eam, quam moraliter debet, diligentiam adhibeat, si ex humana fragilitate, vel obliuione inter iudicandum erret, de damno non tenetur; quia iniuriam formalem non intulit; debet tamen sententiam, si commodè potest, & sine graui suo damno retractare.*

5 *Id tamen locum non habet si sententia ipso iure sit nulla.*

1 RESpondetur: si iudex per dolum, verbi gratiâ, pecunia corruptus, malè contra leges publicas sententiam tulit, tenetur parti læsæ de omni damno: *l.filiusfamilias, ff.de iudic.* & præterea amissâ dignitate, efficitur infamis: *l. vlt.Cod.de pœn. iud.* qui malè iudicauit.

2 Si verò iudex sine dolo, per imperitiam, malè contra leges publicas iudicauit, tenetur etiam ex quasi delicto parti læsæ de damno; sicuti vir prudens, causæ qualitate inspecta, diiudicans, arbitratus fuerit: quapropter iudex, imperitè iudicando, dicitur litem suam facere, scilicet damnum læsæ partis in se transferre: *l.vlt.ff.de var. & extraordin.cognit. l.ex maleficiis, §.si iudex, ff.de action.& oblig.& inst.de oblig.ex quasi delicto in princ.*

3 Idque locum habet in arbitro; quia arbitria ad iudiciorum formam redacta sunt: *lege prima, ff.de arbitr.* Item locum etiam habet in Tabellione, si scilicet malè,

malè, instrumenta confecerit, vel si malè testium probationes exceperit; quia ex regula iuris 174. *ff.* Imperitia culpæ comparatur, præsertim in iis, qui acceptando officium, hoc ipso se talis officij peritos profitentur.

At, si Iudex, alioquin non imperitus, sed ad tale
4 munus idoneus, eam quam moraliter debet, diligentiam adhibeat, tamen ex humana fragilitate, vel obliuione inter iudicandum erret, de damno non tenetur; quia iniuriam formalem non intulit, neque, vt suppono, aliquid commodi ex tali sententia à parte læsa recepit: ergò ex neutro capite tenetur; nec scilicet ratione rei acceptæ, nec etiam ratione iniustæ acceptionis, seu læsionis.

Cæterùm, quia tamen Iudex causa fuit, vt damnum, saltèm materialiter iniustum, parti læsæ inferretur, debet sententiam, si sine graui suo incommodo possit, retractare; suadendo v.g. parti læsæ, quod postulet reuisionem causæ; quin & ipsemet Iudex, si fuerit ordinarius, poterit sententiam suam, quam malè contra leges publicas tulit, tanquam irritam, reuocare, *Argumento l. si præses Cod. quomodo & quando Iudex, &c. & l. si Accusatoribus Cod. de Accusat.* iuncta glossa *verb. eumdem*, & tradunt etiam Innocentius *in c. 1. de re iudicata.* Abbas *in c. Qualiter 1. de Accusation. num. 6. & in c. fraternitatis de frigid. num.* 18. vbi ait, quod (licet sententia iniuste lata, nisi ab ea appelle-
5 tur, transeat in rem iudicatam, eique, pro quo iudicatum fuit, acquiratur actio in factum, iuxta Textum *in l. Cum prolatis ff. de re iudic.*) id locum tamen non habeat, si sententia ipso iure sit nulla, scilicet manifestè contra leges publicas lata, sicuti constat *ex l. si cum inter Cod. quand prouoc. non est necess.*

PETITIO XI.

An quis possit esse Iudex in propria causa?

SVMMARIVM.

1 *Nemo potest esse Iudex in propria causa; quia Iudex debet esse medius, & veluti diremptor inter Partes.*

2 *Excipe, nisi sit Princeps, seu Iudex supremus in ordine ad subditos suos; quia tunc potest cum Consiliariis suis agnoscere, & definire litem, seu causam, nisi aliud in constitutionibus Regni receptum fuerit.*

3 *Excipe secundò, nisi Iudex notoriè ratione publici officij sui iniuriam passus fuerit; quia tunc potest sine alio iuris processu reum in continenti punire, ad hoc vt iurisdictio, & potestas sua defensa permaneat.*

4 *Excipe tertiò, quod Iudex à parte requisitus, si dubitetur an cognoscendi, & iudicandi potestatem habeat; id ipsum antè omnia discernere potest.*

5 *Quod intellige, si dubium sit rationale; secùs si constet quod quis à iurisdictione citantis exemptus sit.*

6 *Excipe quartò, quod Prælatus esse potest Iudex in causa suæ Ecclesiæ Cathedralis; sicut Parochus potest esse testis in causa suæ Ecclesiæ Parochialis, & Religiosus in causa sui Monasterij.*

7 *Quod nemo in propria causa Iudex esse debeat intelligendum est, nè id directè fiat in propriam vtilitatem ferendo sententiam: quamuis Iudex Ordinarius possit id ipsum cognoscere, eoque dubio affirmatiuè resoluto, ad causæ principalis determinationem procedere.*

8 *Episcopus, qui in sui electione capitulo iurauit, potest post electionem cognoscere de valore sui iuramenti cum consilio prudentum, & declarare quousque eius ius se extendat.*

9 *Iudex si à parte contendente tanquam suspectus recusetur, iustitiam huius recusationis cognoscere non potest, sed à causa supersedere debet.*

RESpondetur negatiuè: est communis sententia Doctorum *ex l. vnica Cod. nequis in sua causa iudicet*; & 1

Probatur; quia Iudex (prætterquàm quod sic esset suspectus) debet esse medius, ac veluti diremptor inter Partes contendentes: sic Doctores communiter *ex c. 1. caus. 4. quæst* 4.

Excipe tamen primò, nisi sit Princeps, seu Iudex su- 2
premus in ordine ad subditos suos, qui (nisi aliud constitutionibus Regni receptum fuerit) potest cum Consiliariis suis agnoscere, ac definire litem, seu causam; *l. vnica Cod. si quis Imperatori maledixerit, & l. Proximè ff* de his, quæ in testamento delentur, & meritò: tum propter plenitudinem potestatis, secundùm quam à subditis cogi non potest, vt alterius arbitrio se subiiciat; tum quia supremus Princeps, tanquam Fons legum, ac iustitiæ, atque Consiliariis optimis munitus, nihil, nisi iustum ergà subditos suos pronunciare posse præsumitur.

Excipe secundò, nisi Iudex notoriè ratione publici 3
officij sui iniuriam passus fuerit; quia tunc potest sine alio iuris processu reum in continenti punire, ad hoc vt iurisdictio, & potestas publica sua defensa permaneat; sic Doctores, quos sequitur Andreas Gaillus *l. 1. obseruat.* 39. vbi affert exemplum de quodam, qui literas iniuriarum plenas ad Senatum scripserat; ob quod scelus ille à Senatu rectè in carcerem coniectus, atque punitus fuit.

Excipe tertiò, quod Iudex à parte requisitus, si du- 4
bitetur, an cognoscendi, & iudicandi potestatem habeat, id ipsum ante omnia discernere potest, *l. Signis ex aliena ff. de iudiciis*, Ibi: [Prætoris est æstimare, an sua sit iurisdictio;] & *l 2. ff. siquis in ius vocatus*, Ibi: [Ex quacumque causa ad Prætorem, vel alios, qui iurisdictioni præsunt, in ius vocatus venire debet, vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictio eius sit]

Quod intellige, si dubium sit rationabile; secùs si 5
constet, quod quis à iurisdictione citantis exemptus sit; quia tunc citatus comparare non tenetur; vt si v.g. Clericus à Iudice Laïco citatus fuerit. Glossa *in c. Veniens verb. propter contumaciam de Accus.* Abbas *in c. ex parte de rescript.* Innocent. *in c. Præterea de dilection.* Match. *de Iurisdict. p. 2. c. 4.* & alij passim.

Excipe quartò, quod Prælatus esse potest Iudex in 6
causa suæ Ecclesiæ Episcopalis (sicut Parochus potest esse testis in causa suæ Ecclesiæ Parochialis, & Religiosus potest esse testis in causa sui Monasterij, seu Conuentus) Glossa *in c. Si erga verb. Priuetur 2. quæst. 7.* Abbas *in c. Ad audientiam num. 8. de appellat.* & alij communiter, quia in eiusmodi casibus quidquid fit, non fit directè in propriam vtilitatem.

Dictum igitur illud: *Nemo in propria causa Iudex* 7
esse debet, intelligendum est, ne id directè fiat in propriam vtilitatem, ferendo sententiam. Gloss. *in citata l. Siquis ex aliena verb. æstimare.*

Quamuis Iudex ordinarius possit (suborto dubio, vtrum causa aliqua, quæ ad ipsum defertur suæ iurisdictioni subiecta sit) id ipsum cognoscere, eoque dubio affirmatiuè resoluto, ad causæ principalis determinationem procedere: *Argumento cap. Apostolicam de Simonia*, vbi præter alios Abbas *num.* 3. ait, quod Episcopus non solùm sibi vendicet iurisdictionem compellendi Laïcos ad obseruandas Ecclesiarum consuetodines laudabiles, sed etiam (exorto dubio, nùm consuetudo sit laudabilis) id ipsum determinare possit; quia tunc non nisi indirectè iudicat in causa propria, quatenùs scilicet id necessarium est, vt officio suo iudicandi ordinario satisfaciat.

Hinc sequitur, quod etiam Episcopus (qui in sui 8

electione proposita sibi capitulatione intra alia capitolo iurauit, quod in tali rerum genere nihil immutare velit) si post sui informationem diœcesani ius sibi ab ipso (qui à tali priùs facto iuramento impediri videtur, quominùs in tali causa procedere possit) pronunciari, postulent, possit cum consilio prudentum de dicti iuramenti viribus (quousque scilicet tale iuramentum se extendat) cognoscere, vt deinde appareat, vtrum in causa principali ad instantiam partis progrediendi ius habeat, an non. Ratio; quia alioquin Episcopus (si exortam controuersiam circa fundamentum suæ iurisdictionis dirimere non posset, ad gubernandam diœcesim in Consistorio suo sufficiens sibi non esset; quod foret quammaximum absurdum.

9 Quamuis, si Iudex à parte contendente, tanquam suspectus reuiseretur, iustitiam huius recusationis cognoscere non possit, sed à causa supersedere debeat; quia exceptio suspicionis (nisi notoriè friuola sit) sicuti reddit Iudicem inhabilem, quominùs possit cognoscere super principali, sic & multò magis super incidenti; cum per talem exceptionem ad indignationem prouocetur. Abbas *in c. Requiris de appellat. num. 15.* & alij, quos sequitur Gaillus *lib. obseruat. 34. num. 6.*

PETITIO XII.

An, & qui Iudex (originis scilicet, domicilij, vel delicti) debeat criminis Reum iudicare, & punire?

SVMMARIVM.

1 *Iudex delicti ordinariè debet reum criminis iudicare, & punire; Reus enim comprehensus ordinariè puniri debet in loco, vbi deliquit.*

2 *Reus, si delinquat in loco vno, & fugiat ad alium, remitti debet ad Iudicem delicti.*

3 *Limitu, si ambo Iudices sint sub eodem Principe, quia tunc vnus Iudex alterum Iudicem iuuare debet secus, si sint sub diuersis Principibus, nisi Princeps domicily requisitus vltrò reum concedat.*

4 *Rei in Germania, etiamsi deliquerint alibi, puniuntur, ac si delictum fuisset commissum in Territorio Imperatoris.*

5 *Idque in quibusdam aliis locis seruatur in praxi.*

6 *Reus si alibi deliquerit, postea reperiatur, & capiatur in loco originis, ibidem iudicari, & puniri potest.*

7 *Iudex solius originis iurisdictionem non habet in originarios, qui alibi domicilium habent.*

1 Respondetur ordinariè Iudex delicti: ita vt ordinariè reus comprehensus possit, & debeat puniri in loco, vbi deliquit. Sic habetur *ex l. si cui, §. penult. ff. de Accusat. & ex Authent. vt nulli iudicum, §. si quis verò comprehensorum*, & docent Clar. *5. Pract. criminal. quæst. 38. num. 19.* Couarruuias *c. 11. num. 5.* & alij communiter.

2 Hinc sequitur, quod si reus delinquat in vno loco, & fugiat ad alium, & capiatur ibi, remitti debeat ad Iudicem delicti.

3 Quod tamen intellige, si ambo Iudices sint sub eodem Principe; quia tunc vnus Iudex (nè crimina in Regno impunita remaneant, & maior delinquentibus licentia tribuatur) alterum Iudicem iuuare debebit; si verò Iudices sint sub diuersis Principibus, tunc Iudex loci, in quo reus moratur, cogi non potest ad reum capiendum, vel captum transmittendum, sicque reus securè ibi morabitur; nisi Iudex loci quæsitus à Iudice delicti, vltrò huius petitioni acquiescere velit. Videantur Clarus, & Couarruuias *in loc. supra cit.*

4 Dixi: *ordinariè*; quia in quibusdam locis (vt in Germania ex consuetudine ab Imperatore permissa, & tacitè approbata) aliter obseruatur; ita vt nulla remissio fiat ad Iudicem delicti; sed reus, ob delictum alibi in Imperio commissum, iudicium sortiatur, & puniatur in loco captiuitatis: præterquàm si Iudex captiuitatis ob ius amicitiæ, vel vrbanitatis sponte reum remittere velit ad Iudicem delicti, vel domicilij. Videatur Gaillus *libro primo de Pac. public. capite 16. numero 30.*

5 Secundò, quia in quibusdam aliis locis obseruatur in praxi opinio Bartoli *in l. si Dominum ff. de furtis*, vt si scilicet fur cum rebus subtractis, & alio delatis deprehendatur, inibi capi, & puniri posset; quia non furtiuam detinens continuè delinquere censetur. Videatur Clarus *vbi supra n. 16.*

6 Tertiò, quia si Reus, qui alibi deliquit, postea reperiatur, & capiatur in loco originis, vel domicilij, ibidem iudicari, & puniri potest *ex l. 1. Cod. vbi de crimine agi oportet.* Videatur Couarruuias *cit. c. 11. num. 6.* Farinac. *l. 1. tit. de Inquis. quæst. 7. num. 19. & 24.* Fachin. *l. 9. controu. Iur. c. 20. & 21.* & Andreas Gaillus *l. 2. obseru. 36. num. 6. & seqq.* vbi subdit, quod saltem considerata Germaniæ consuetudine, discrimen sit inter Iudicem solius originis, & inter Iudicem domicilij, quod scilicet potentius sit ius domicilij, quàm ius solius originis: ideoque iudex domicilij etiam in absentes ciues, 7 seu incolas iurisdictionem habeat, eosque citare possit; at verò iudex solius originis iurisdictionem non habeat in originarios, qui alibi domicilium obtinent, nisi dum in loco suæ originis commorantur: in quo iudex solius originis æquiparatur iudici delicti, & iudici contractus; cùm neque hi iurisdictionem habeant in reum, nisi inibi reperiatur, *c. 1. §. contrahentes iuncta glossa de for. competen. in 6.*



DVBITATIO CLXXXV.

An, & quomodò Reus citari debeat?

SVMMARIVM.

1 *Reus, quomodocumque contra eum procedatur, siue via accusationis, siue denunciationis, siue tandem inquisitionis, semper citari debet verbaliter; quia cum eius bona, honor, & vita periclitentur, habere debet, quod possit se defendere.*

2 *Inquisitus si in hac citatione verbali comparet, nec de ille fuga timetur, citari debet absque causæ expressione, & solùm nè captiundi fugam occasio detur, sub genere proponendo, quod inquisitores velint ab ipso aliquid scire.*

3 *Inquisitus, si facta hac verbali citatione non comparet, capi debet, si potest, sin minùs citari cum causæ expressione, scilicet vt de fide respondeat.*

4 *Citatio vnica sufficit, si de rigore loquamur, quæ tribus æquiualeat signato termino competenti, & peremptorie ad comparendum; quia nullibi expressè habetur, quod in hoc casu trina monitio requiratur, præsertim cum in hoc crimine iudex non arctetur solemnitatibus à iure requisitis.*

5 *Forma seruanda in hac citatione videri potest apud Pegnam.*

6 *Citatio necessaria est, non solùm ad litem contestandam, & processum firmandum, sed etiam & multò magis ad sententiam pronunciandam; quia validè sententia proferri non potest, quin priùs reus ad*

ad illam audiendam expressè citetur.

1 RE spondetur, quod, quomodocumque contra reum procedatur, siue scilicet via accusationis, siue via denunciationis; siue tandem via inquisitionis, semper reus citari debeat verbaliter; quia, cum eius bona, honor, & vita periclitentur, habere debet, quod possit se defendere; *c. Quisquis Episcopus 4. quæst. 5.* & *c. Venerabilis de dolo & contumacia*, & tradunt Pegna *3. par. director. commentar. 17. vers. rursùs.* Paramus *de origine Inquis. l. 3. quæst 4. num. 62.* Decianus *tract. crim. l. 5. c. 32. num. 1.* & alij passim, quos citat, & sequitur Farin. *q. 185. num. 154.*

2 Aduerte tamen, quod (si in hac citatione verbali inquisitus comparet, nec de illo fuga timetur) citari debeat absque causæ expressione; & solùm (ne capiendi fugam occasio detur) in genere proponendo, quod inquisitores velint ab ipso aliquid scire. Pegna *loco supra cit. comment. 33. num. 131.* Paramus *cit. quæst. 4. rubr. de forma & ordine iudiciario num. 34.* & Simanca *de Cathol. instit. tit. 43 rubr. de modo procedendi num. 12.* Quod si ex hac sola citatione generali forte fuga timeatur, reus capi debet, omissa verbali citatione, ex Textu *in l. Nullus Cod. de exhibend. Reis*, & *in l. finali Cod. de custodia Reorum*, & tradunt Doctores, quos sequitur Pegna *vbi supra commentar. 17. numero 73. vers. rursùs.*

3 Aduerte secundò, quod si, facta hac verbali, & generali citatione, inquisitus non comparet, capi, si potest, debet; sin minùs citari cum causæ expressione; (scilicet, vt de fide respondeat, seu quid de fide sentiat,) iuxta Textum *in c. Cum contumacia de hæret. in 6.* & docent Pegna *loco supra cit. commentar. 33. num. 131. vers. sit tamen.* Scacc. *de iudic. l. 1. c. 43. num. 9.* & alij, quos sequitur Farinac. *quæst. 185. num. 114.*

4 Aduerte tertiò, quod hæc citatio, si de rigore loquamur, sufficiat (quidquid in contrarium dixerint quidam afferentes pro sua sententia Pegnam *in direct. p. 3. comment. 40.* Paramum *in loco infra citando.* Decianum *in tract. crim. l. 5. c. 98.* & instructionem Hispalensem Anno 1484. *num. 19.*) vnica tantum, quæ tribus æquiualet, signato termino competenti, & peremptorio ad comparendum, quia nulli expressè habetur, quod in hoc casu trina monitio requiratur; præsertim cum in hoc crimine iudex non arctetur solemnitatibus à iure alias requisitis: quamuis ex consuetudine iam recepta aduersùs absentem contumacem trina citatio fieri consueuerit, signato in qualibet illarum termino competenti, vt sic processus, & sententia magis iustificentur. Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 14 rubr. de contumac. num. 6. & in Enchiridion n 3. & 4.* Paramus *de orig. Inquis. l. 3. q. 4. num. 65.* Royas *singul. 29 n. 2.* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 185. n. 117. & 157.* Quamuis ad minùs duas esse necessarias, tradat Carrer. *de hær. n. 128.* Vmbert. Locat. *in Prax. Inquis. verb. sententia n. 25.* & Decianus *in Tract. crim l. 5. tract. 39. n. 9. & 27.*

5 Cæterùm quænam forma in hac citatione seruari debeat, videri poterit Pegna *3. p. directory commene. 33. numero 130.*

6 Aduerte quartò, quod citatio necessaria sit, non solùm ad litem contestandam, & processum firmandum, sed etiam, & multò magis ad sententiam pronunciandam: quia validè sententia proferri non potest, quin priùs reus ad illam audiendam expressè citetur, *ex Clement. sæpe de verb. signif. circa finem*, ibi: [sententiam diffinitiuam (citatis ad id, licet non peremptoriè partibus) proferat] Et docent Decian. *tract. crim. l 5. c. 38. n. 27.* Paramus *de orig. Inquis. l. 3 q. 4. rubr. de expedit. processus n. 19.* Pegna *loc. supra cit. comm. 40. n. 168. vers. rursùs*, & alij, quos citat, & sequitur Farin *q. 185. n. 155.* Vide etiam, quæ dicam *infra dubit. 203. & 211.*



DVBITATIO CLXXXVI.

An Reo, priusquam condemnetur, vel absoluatur, concedi debeant defensiones?

SVMMARIVM.

1 *Reo priusquam condemnetur, vel absoluatur, concedi debent defensiones, & exceptiones legitimæ, & tempus ad illas probandas; quia id est de iure naturæ.*

2 *Amplia, id verum esse, vt supradictæ defensiones reo dari debeant ex officio Iudicis, etiamsi ipse non petierit.*

RESPONDETVR affirmatiuè, itavt & defensiones, & exceptiones legitimæ, & tempus ad illas probandas aptum, & sufficiens omninò dari debeant; quia id est de iure naturæ, & colligitur *ex Clement. Pastoralis, §. cæterum de sent. & re iudic. ex cit. Clement. sæpè de verb. signific. & ex l. vt vim ff. de Iust. & Iur.* & traditur communiter à Doctoribus, vt videre est apud Calderin *tract. de hæret rubr. de materia processuum n 5.* Simancham *de Cathol. Instit. tit. 17. num. 53.* Pegnam *3. p. direct. comment. 28. vers. Ac defensiones iuris*, & Farinac. *q. 185. num. 210.* 1

Et quod dixi, adeò verum est, vt supradictæ defensiones reo dari debeant (etiamsi ipse non petierit) ex officio Iudicis iuxta Textum *in l. etsi non defendantur ff. de pœnis, & in Auth. qui semel Cod. quomodò, & quando iudex.* Et meritò; quia iudex tenetur ex officio Rei defensiones quærere (cum ex officio teneatur veritatem inuestigare, & nulla alia via ad veritatem inuestiganda aptior sit, quàm concessio defensionum iure debitarum) ergò Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 185. n. 211. & lib. 1. praxis tit. 5. q. 39. num. 97. & seqq.* 2



DVBITATIO CLXXXVII.

An prædictæ defensiones concedi debeant Reo, etiamsi confessus, vel conuictus fuerit?

SVMMARIVM.

1 *Reo confesso, & conuicto secundùm aliquos non sunt concedendæ prædictæ defensiones; quia eæ conceduntur, cùm delictum defendi potest, quod non procedit, si reus conuictus est per propriam confessionem, vel testium probationem; at probabilius est oppositum primò ex conuenientia quadam, nè reus vllo tempore conqueri possit non solùm aduersùs testium probationem, sed aduersùs propriam confessionem, cum dici possit timore factam esse.*

2 *Amplia, prædicta locum habere non solùm ante sententiam, sed etiam post sententiam; quia sententia hæc non transit in iudicatum, sed reuocari potest.*

3 *Reo indiciorum, & aduersariorum tacitis eorum nominibus, probationum copia dari debet; quia aliàs*

is

is defendere se non poterit; cùm pracipua Rei defensio consistat in contrariis indiciis purgandis, & aduersariorum depositionibus infirmandis.

4 *Reo dari debet aduocatus vnus, vel alter vir vtriusque iuris peritus, & fidei zelator, & nullatenùs de fide suspectus, cum non debeat esse hareticus.*

5 *Aduocatus hic dari debet non confessis, & conuictis, sed inquisitis solùm de haresi, sicut vsus probat, & ratio suadet.*

6 *Aduocati huius officium, qui in prasentia inquisitorum reo patrocinari debet, est persuadere reo, vt haresim si fortè commiserit, fateatur, & pœnitentiam petat, & quid reus responderit fiscali manifestare.*

7 *Textus* in cap. finali de hæreticis intelligi debet, *quod possint videlicet inquisitores, sine Aduocatis procedere casu, quo Aduocatorum officium Rei defensioni necessarium non reputetur: quapropter Aduocatus non datur inquisitis de haresi, quousque ter moniti ab inquisitoribus de veritate dicenda, negant crimen obiectum, &c.*

8 *Dicta de Aduocato, dici etiam debent de Procuratore, si ad Rei defensionem necessarius iudicetur; quamuis rarò, vel ferè nunquam re vera necessarius sit, quia Aduocatus Procuratoris vices supplet; & quia ipsimet inquisitores reum, si capax est defensionis, defendere procurant.*

9 *Qua, reo prasente, referuntur ab Aduocato, perindè habentur, ac si ab eodem Reo prolata fuerint; nisi forsan Aduocatus errauerit, & Reus intra triduum contradixerit.*

10 *Inquisitores possunt censuris compellere Aduocatum sacularem, vt alicuius Rei patrocinium suscipiat.*

11 *Reo inquisito, si sit minor 25. annis dari debet Curator, vt Curatoris auctoritate accusationi respondeat, alias responsio minoris sine hac solemnitate nullius valoris erit; vt proinde minor ex illa neque absolui, neque condemnari possit.*

12 *Curatoris huiusmodi officium est, sua auctoritate, & prasentia personam inquisiti ad respondendum legitimare: Quapropter Curator suam auctoritatem interponet super articulo, an scilicet inquisitus interrogandus sit. Item an de veritate dicenda iuramentum prastare debeat; non tamen est necessarium, quando inquisitus interrogatur super facto proprio, quod Curator prasens sit.*

13 *Minor predictus inquisitus si patrem habet, ad patrem specialiter non pertinet huiusmodi officium; quia pater in filij litibus, & causis criminalibus non est Administrator.*

14 *Pater non potest ab inquisitoribus, spectato iuris rigore, nominari in Curatorem filij contra nonnullos.*

1 NEgant Campegius *in Addit. ad Zanch. tract. de haret. c. 9. vers. iudiciorum verò copiam.* Vmbertus Locat. *in iudicial. inquis. verb. defensiones num. 1.* Caterr. *tract. de haret. num. 131.* Eymer. *3. p. direct. num. 117. in principio*; quia defensiones; inquiunt ipsi, conceduntur, cum delictum defendi potest: at si reus per propriam confessionem, vel per testium probationem de delicto conuictus est, delictum defendi non potest: ergò illi defensiones concedi non debent: tum quia in notoriis, & manifestis non dantur defensiones: at nihil est magis notorium, vel manifestum quàm id, quod propria Rei confessione, vel testium probatione in iudicio probatum est: ergò. Tum quia in crimine hæresis ex sola Rei confessione (cùm crimen hæresis in animo sit existens, ac proinde sola Rei confessione sufficienter probatum. Baldus, Felinus, & alij communiter, quos citat, & sequitur Pegna *3. p. directorii comment. 28. num. 117.* Quod secùs est in aliis criminibus, in quibus non sufficit sola Rei confessio, nisi constet etiam de corpore delicti ex Textu *in l. 1. §. item illud ff. ad Senat. Consult. Syllan.*) potest Iudex ad condemnationem procedere: ergò Reo confitenti delictum superflua est omnis defensio; præsertim cum nulla defensio reperiri possit, quæ validam hanc probationem infirmare queat. His tamen non obstantibus,

Respondetur, probabilius esse oppositum (quod docent Doctores, quos citat, & sequitur Pegna *cit. 3. p. direct. comment. 28. vers. Ex his ergò*, & Farinac. *q. 185. num. 213.*) Reo scilicet dari debere defensiones, siue delictum per propriam eius confessionem, siue per testium probationem in iudicio probatum fuerit: Primò ex conuenientia quadam, nè Reus scilicet vllo tempore conqueri possit, quod iniustè damnatus fuerit: Secundò, quia multa opponi possunt, non solùm aduersùs propriam Rei confessionem (cùm dici possit, quod timore illa facta fuerit) ergò, non obstante testium probatione, vel propria Rei confessione, dari debent Reo defensiones; atque hinc patet ad rationes aduersariorum.

Et quod dixi, locum habet, non solùm ante sententiam, sed etiam post sententiam; quia sententia hæc non transit in iudicatum, sed reuocari potest; ergò ex hac parte procedi debet, ac si sententia data non fuisset. 2

Ex his sequitur, quod reo indiciorum, & aduersariorum (tacitis eorum nominibus) probationum copia dari debeat, quia alias reus defendere se non poterit cùm præcipua Rei defensio consistat in contrariis indiciis purgandis, & aduersariorum depositionibus infirmandis. Pegna *3. p. direct. comment. 110. circa finem.* Simaneh. *in Enchyridion tit. 35. rubr. de testibus num. 3.* Zanch. *tract. de haret. c. 9. n. 6.* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 59. n. 154. & q. 185. n. 215.* 3

Sequitur secundò, quod reo dari debeat Aduocatus, vnus vel alter, vir vtriusque iuris peritus, & fidei zelator, & nullatenùs de fide suspectus, cùm non debeat esse hæreticus, nec de hæresi diffamatus, ex Textu *in c. excommunicamus 1. de haret. § credentes*: Quinimmò potius debeat esse talis, qui ab originariis Christianis descendat, nè ob infectum sanguinem infideliter officium exequatur. 4

Aduerte tamen, quod hic aduocatus dari debeat, non confessis, & conuictis, sed inquisitis solùm de hæresi, sicuti vsus probat, & ratio suadet; cum sæpè reus vel ob imperitiam, vel ob carceris afflictionem modum se defendendi non sciat. 5

Aduerte secundò, quod officium huius Aduocati, qui in præsentia inquisitorum reo patrocinari debet, *sit* persuadere reo, vt hæresim (si fortè commisit) fateatur & pœnitentiam petat; & quidquid reus responderit, manifestare fiscali. Vmbert. Locat. *verb. Aduocatus n. 1.* Simanch. *de Cathol. Inst. tit. 5. rubr. de Aduocatis num. 3. & 4.* Pegna *3. p. direct. num. 117. comment. 28. vers. & sic conceditur.* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *q. 197. num. 78.* 6

Obiicies: *in cap finali de haret. in 6.* conceditur inquisitoribus, vt in causa fidei sine Aduocatorum, & iudiciorum strepitu, ac figura procedere possint: ergò. 7

Respondetur, Textum intelligi, quod possint inquisitores sinè Aduocatis procedere, casu quo Aduocatorum officium Rei defensioni necessarium non reputetur. Quapropter Aduocatus non datur inquisitis de hæresi, quousque ter moniti ab inquisitoribus de veritate dicenda negant crimen obiectum; tunc enim propter dubium ex negatione proueniens, quod crimen obiectum verum non sit, datur illis Aduocatus; vnde, si manifestè constet, quod aliquis inquisitus hæreticus sit, nullus Aduocatus illi patrocinari potest: quia esset hæreticorum fautor, & defensor, atque adeò perpetuæ infamiæ subiaceret ex Textu *in c. si aduersùs de haret.* & tradunt communiter Doctores, quos citat, & sequitur Farinac. *loco supra cit. n. 72.*

Aduerte tertiò, quod idem (quod dixi de Aduocato) 8

dici

Dici debeat de Procuratore, si ad Rei defensionem necessarius iudicetur: quamuis rarò, vel ferè nunquam re vera necessarius sit; quia aduocatus procuratoris vices supplet; & quia ipsimet inquisitores reum, si capax est defensionis, defendere procurant; sic Doctores, quos sequitur Pegna *in cit comm.* 128. *vers. & Procurator*, vbi notat ex Matriditana quadam instructione, quod, procuratorem his Reis assignari, non sit in vsu, nisi in aliquo casu vrgentis necessitatis arbitrio inquisitorum.

Si igitur reus petat aduocatum, & procuratorem, debebunt inquisitores eos ipsi concedere, iuxta ea tamen, quæ dicebam supra, & dicebam *Dubit.* 26. *in Petit. per totam.* Et fauet instructio Hispalensis anno 1448. *n.* 16.

Quamuis Simancha *de Cathol. Inst. tit.* 1. *num.* 2. & 3. Paramus *de orig. Inquis. l.* 3. *q.* 4. *n.* 48. Royas *singul.* 53. & Pegna *in eodem comment.* 128. (ex eo, quia dicta instructio Hispalensis quoad procuratorem reuocata fuit per aliam instructionem Toletanam Anno 1561. *n.* 39) putent, quod hæretico reo non dari debeat procurator, sed tantùm aduocatus.

9 Aduerte quartò, quod ea, quæ, reo præsente, referuntur ab aduocato, petit de habenda sint, ac si ab eodem reo probata fuerint: nisi forsan aduocatus erraucrit, & reus intra triduum contradixerit; quia in causa hæresis, etiamsi post triduum de errore, vel de imprudentia aduocati constiterit, reo nocere non debet, cum in hoc iudicio sanctæ Inquisitionis simpliciter, & cum summa æquitate, reiecto iuris rigore, procedatur; sic Doctores, quos sequitur Simanch. *loco supra cit. num.* 8.

10 Aduerte quintò, quod possit ab inquisitoribus compelli censitis sæcularis aduocatus, vt Rei alicuius patrocinium suscipiat. Decianus, Bobadilla, & alij, quos citat, & sequitur Narbona *in recopilat. lib.* 4. *tit.* 1. *leg.* 10. *Glossa* 22. *num.* 63.

Vide omninò, quæ dicebam *supra cit. Dubit.* 26. *in Petit. per totam.*

11 Sequitur tertiò, quod reo inquisito (si sit minor 25. annis) dari debeat Curator, vt Curatoris authoritate accusationi respondeat, ex Textu *in l. Clarum Cod. de Authorit præstand.* & *ibi* Glossa, quam sequuntur communiter Doctores; alias responsio minoris sine hac solemnitate (etiam in crimine hæresis) facta, nullius valoris erit; vt proinde minor, ex illa neque absolui, neque condemnari possit. Anton. Gomez *to.* 3. *var. c.* 1. *de delict.* Alexander *cons.* 115. & alij, quos sequitur Pegna 3. *p. direct. commente.* 28. *n.* 111. *vers. hoc tamen non omittam.*

12 Aduerte tamen, quod officium talis Curatoris sit, sua authoritate, & præsentia personam inquisiti ad respondendum legitimare; quapropter Curator suam authoritatem interponet super articulo, an scilicet inquisitus interrogandus sit; item, an de veritate dicenda iuramentum præstare debeat, non quàm necessarium, quinimmò nec conueniens est, quod curator, quando inquisitus super facto proprio respondet, præsens sit, cum inquisitus secundùm propriam notitiam, & non ab alio subministratam respondere debeat; sic Doctores, quos sequitur Anton. Gomez. *loco supra cit. n* 65.

13 Aduerte secundò, quod si prædictus minor inquisitus patrem habeat, ad patrem specialiter non pertineat huiusmodi officium; quia pater in filij litibus, & causis criminalibus non est administrator, Bartol. *in l. finali* §. *Pupillus ff. de verb. obligat.* Bald. *in l. cum oportet.* §. *cum tacitus Cod. de bonis qua liberis*, & alij, quos citat, & sequitur Anton. Gomez *cit. c.* 1. *num.* 64.

14 An autem possit ab inquisitoribus, spectato iuris rigore, nominari pater in filij curatorem?

Respondetur, quod (quamuis affirmet Gomez *vbi supra*) probabilius tamen sit, nominari non posse; quia regulariter pater propter affectum paternum suspectus est, vt potiùs filij, quàm fidei & Religionis fautor existat; & ita videtur, quod seruetur in Praxi.



DVBITATIO CLXXXVIII.

An, & quando in crimine hæresis appellatio interponi, & admitti possit?

SVMMARIVM.

1 *Appellatio generaliter denegatur hæreticis, & eorum fautoribus, receptatoribus, defensoribus, & credentibus.*

2 *Appellatio vt hæretico denegetur, debet ipse vt talis ab Ecclesia reputari, quod esse non potest quousque sententia criminis declaratoria pronunciata fuerit; qua tamen pronunciata, iam est manifestus hæreticus.*

3 *Sententia diffinitiua pronunciata aduersus hæreticum potest statim executioni mandari, neque opus est expectare terminum decem dierum.*

4 *Idem dicendum non est, si hæreticus declaretur talis non ob propriam confessionem, vel testium probationem, sed ob iuris præsumptionem eo quod in contumacia damnatus sit, sed potest in tali casu ab hæredibus interponi appellatio, & debet superior illi deferre.*

5 *Hæreticus sic condemnatus licet secundùm aliquos non possit superiorem Principem adire, vt sententiam datam, quam iniustam is esse prætendit, reuocet, & annullet via querelæ, & supplicationis, quia indignus est beneficio Ecclesiastico, qui iam ab Ecclesia inimicus est declaratus: Probabilius tamen est oppositum, quia interdicta appellatione, non censetur interdictus recursus ad Principem in causis, quæ sunt grauis præiudicij.*

6 *Iudex superior non prohibetur de prætensa iniusta sententia recognoscere, & eam, si sic iudicauerit, reuocare.*

7 *Iudex met superior supplicari potest à sententia ab ipso lata, vt iterùm eam recognoscat, & si iniustam inuenerit, reuocet.*

Respondetvr, quod generaliter hæreticis, & eorum fautoribus, receptatoribus, defensoribus, & credentibus appellatio denegetur, ex Textu *in c. vt Inquisit. de heret. in* 6. Ibi: [cum tam secundùm ordinationem prædecessorum nostrorum, quàm secundùm legem imperialem, appellationis, & proclamationis beneficium expressè sit hæreticis, & credentibus, ac eorum receptatoribus, fautoribus, & defensoribus interdictum,] & docent Decian. *in tract. crim. l.* 5. *c.* 20. *n.* 26. & *c.* 38. *n.* 1. Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 6. *n.* 2. Royas *singul.* 19. *n.* 1. & *singul.* 179. *n.* 2. Paramus. *de orig. Inquisit. l.* 3. *q.* 4. *n.* 38. Pegna *in direct. Inquis. p.* 3. *comm.* 31. Zanch. *de heret. c.* 20. *n.* 1. Carter. *de heret. n.* 129. Farinac. *de heres. quæst.* 185. § 15 *n.* 227. & 230. & Barbos. *in collect. tom.* 3. *l.* 5. *tit.* 2. *c.* 18. *n.* 6. & meritò, quia appellatio introducta est, nè innocens grauetur; *c. ad nostram de heret.* at hæreticus in causa hæresis non innocens, sed potiùs toti Ecclesiæ nocens est: ergò non debet ipsi appellatio concedi. 1

Ex his sequitur, quod idem dicendum sit quoad hæretici hæredes, qui similiter ob eamdem rationem appellare non possunt à sententia contra hæreticum, vel eius fautores, receptatores, defensores, credentes lata Simanch. Farinac. & Barbos. *in loco supra cit.* 2

Sequitur 2. quod vt appellatio hæretico denegetur, debeat ipse, vt talis ab Ecclesia reputari; quod esse non potest, quousq; sententia criminis declaratoria pronunciata fuerit

fuerit; quia tamen pronunciata, iam est manifestus hæreticus, cui Ecclesia ne vel leuem det suspicionem, quod fauere velit, denegat, postquam sic est declaratus, beneficium appellationis. Paramus *de orig. inquis. l. 3. q. 4. rubr. de expeditione processus in causis fidei n. 58.* Vmbert. Locat. *in iudic. inquis. verb. Appellare, & verb. sententia n. 31.* Royas *singul. 179. n. 2.* Decian. *tract. crim. l. 5. c. 20. n. 26.* & alij passim.

3 Sequitur secundò, quod pronunciata sententia diffinitiua aduersùs hæreticum possit statim executioni mandari; nec opus sit expectare terminum decem dierum à iure communi ad appellandum concessum, cùm appellatio tunc locum non habeat; sic Doctores iidem *in locis supra cit.* præcipuè Royas *in singul. 179. n. 2.*

4 Peres: an si hæreticus declaretur talis (non ob propriam confessionem, vel testium probationem, sed ob iuris præsumptionem, eo quod scilicet in contumacia damnatus sit, vel eo quod se ipsum ante causam finitam occiderit, vel alia via, ex qua ius delictum præsumit) idem dicendum sit?

Respondetur negatiuè, sed posse in tali casu ex causa rationabili interponi ab hæredibus appellatiu, & debet superior illi deferre; quia tunc dubium aliquod est; an hæreticus sit Quapropter locus esse potest defensioni. Decian. *tract. crim. l. 5. c. 58. n. 4* Simanch. *de cathol. inst. tit. 6. n. 7.* & alij, quos sequitur Farinac. *q. 185. n. 230.*

5 Peres secundò, an hæreticus, sic condemnatus, possit superiorem Principem (vt sententiam datam, quam reus iniustam esse prætendit, Princeps reuocet, & annullet) non via appellationis, sed via querelæ, & supplicationis adire?

Respondetur, quod (quamuis Simanch. *de Cathol. Inst. tit. 6. rubr. de appellat. n. 2.* Carterius *tract. de haret. n. 130.* & alij negent; quia indignus est, inquiunt ipsi, beneficio Ecclesiastico, qui iam ab Ecclesia inimicus est declaratus; præsertim quia in sententia de crimine lata non admittitur supplicatio ad demonstrandum errorem, sed solùm ad gratiam, & remissionem à Principe impetrandam; præsertim etiam quia neque hæc supplicatio admittitur in crimine læsæ maiestatis humanæ, sicut colligi videtur *ex l. quisquis, §. denique ibi: sine venia, Cod. ad leg. Iul. maiest.* & tradont Doctores, quos sequitur Rebuff. *comment. ad constitutiones Regias Gallia tom. 1. tract. de supplicatione in præfatione n. 71.*) probabilius tamen sit oppositum (quod docent Felin. *in c. ad abolendam n. 3. de haret. in 6.* Decian. *tract. crim. lib 5. c 58. n. 5.* Royas *singul. 19. n. 5.* & al j, quos citat & sequitur Farinac. *de haret. q. 185. n. 233.* posse scilicet reum in prædicto casu superiorem Principem non via appellationis, sed via querelæ, & supplicationis adire.

Probatur; quia, interdicta appellatione, non censetur interdictus recursus ad Principem in causis, quæ sunt grauis præiudicij Glossa *in c. ex lit. de in integr. restitut. verb. supplicauit.* Decian. *cons. 533. n. 2.* Paris. *l. 4 cons 164. n. 18.* Hippol. Marsil. *singul. 88.* Menoch. *de arbit. q. 70. n. 18.* Roland. *cons. 94 n. 1.* & alij.

6 Confirmatur; quia Iudex superior non prohibetur de prætensa iniusta sententia recognoscere, & eam, si sic iudicabit, reuocare: (cùm id rectæ gubernationi conueniat) ergò, neque reus prohibetur eum pro tali cognitione, & reuocatione via querelæ, & supplicationis adire.

7 Confirmatur secundò, quia ipsemet Iudex superior supplicari potest à sententia ab ipso lata, vt iterùm eam recognoscat, &, si iniustam inuenerit, reuocet, & annullet: ergò idem à fortiori fieri poterit in sententia lata a Iudice inferiori.



DVBITATIO CLXXXIX.

An saltèm appellari possit ab actibus, & sententiis interlocutoriis, atque adeò à grauamine illato ante sententiam diffinitiuam?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus licet denegetur appellatio à sententia declaratoria hæresis, conceditur tamen appellatio ab actibus, & sententiis interlocutoriis; quia huiusmodi actus sunt ad inuestigandam veritatem.*

2 *Appellationis causa inferi debet in appellatione, aliàs appellatio non subsistet.*

3 *Appellatio dari potest à sententia, vel decreto torturæ, cùm sit actus interlocutorius ad veritatem inuestigandam.*

4 *Iudex regulariter per appellationem à sententia interlocutoria non prohibetur, sed potest in causa procedere quousque à iudice superior prohibeatur; quod tamen fallit in decreto torturæ.*

5 *Excipe casum, quo euidenter constet, appellationi friuolam causam allegari, quia tunc appellatio debet omninò reijci, & ad torturam procedi.*

6 *Iudex, ad quem licet debeat, quando dubium est, an subsistat appellatio, cognoscere, an legitimè sit appellatum, in causa tamen manifesta friuola appellationes cognoscere debet iudex a quo.*

7 *Iudex à quo in casu dubio siue iuris, siue facti suspendere debet, & quid iudex ad quem pronunciet expectare, ne periculo grauandi iniustè innocentem in iis, quæ irreparabilia sunt, se exponat.*

8 *In causa appellationis debent inquisitores admittere oppositiones Testium.*

RESPONDETVR affirmatiuè: ita vt licet hæreti- 1
cis denegetur appellatio à sententia declaratoria hæreticis, concedatur tamen appellatio ab actibus, & sententiis interlocutoriis. Eymer. *3. p. direct. rubr. de appell. n. 121.* & ibi Pegna *comment. 31. vers. ab interlocutoriis.* Royas *singul. 179. n. 2.* Paramus *de origin. Inquis. l. 3. q 4 n. 60.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 6. rubr. de appellat. n. 3.* Calderin. *tract. de haret. c. 19. n. 2.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinac. *de heretic. q. 185. n. 232.* & Barbos. *in collectan. tom. 3. l. 5. tit. 2. c. 18. num. 6.*

Probatur; quia huiusmodi actus, & sententiæ interlocutoriæ sunt ad inuestigandam veritatem (an reus reuera commiserit hæresim) ergò dum id certum non est, sed aliqua tergiuersatione cælari potest, appellationis beneficium reo denegari non debet.

Aduerte tamen, quod in appellatione inseri debeat 2
causa appellationis; aliàs appellatio non subsistet, ex Textu *in c. vt debitus, in c. Cum remissam, & in c. Cum sit Romana de appellat.* & docent Pegna *3. p. director. comment 31. vers. Num autem*, & alij passim, quos citat, & sequitur Farinacius *de heretic quæstion. 185. numero 232.*

Ex his sequitur, quod in sententia, seu decreto 3
torturæ dari possit appellatio (cùm sit actus interlocutorius ad veritatem inuestigandam) ex Textu *in l. 2. Cod. de appellat. recipiend.* Ibi: [Ante sententiam appellari potest, si quæstionem in ciuili negotio habendam iudex interlocutus sit; vel in criminali, si contra leges iudex hoc faciat:] & tradunt Glossa *in*

Clement.

Clement. 1. *verb. ipso iure de haret.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit.* 52. *num.* 11. & *tit.* 65. *num.* 1. Calderin. *tract. de haret. c.* 29. *num.* 1. Clarus *Pract.* §. *finali quaest.* 64. *vers. sed quid agendum.* Pegna *loco supra cit.* & alij quos citat, & sequitur Farinacius *de haresi quaest.* 185. *n.* 139. Videri etiam poterit instructio Toletana Anno 1561. *num.* 50.

4 Vbi aduerte, quod licet iudex regulariter per appellationem à sententia interlocutoria non prohibeatur, sed possit in causa procedere, quousque à iudice superiore inhibeatur, hoc tamen fallit in decreto torturæ eo quod tortura continet damnum irreparabile; sic Doctores, quos sequitur Farinacius *de haret. q.* 38. *num.* 12.

5 Excipe casum, quo euidenter constet, appellationis friuolam causam allegari; quia tunc appellatio debet omninò reiici, & ad torturam procedi. Pegna 3. *p. direct. comment.* 31. *vers. quadam autem sunt,* (vbi ad hanc sententiam firmandam affert instructionem Madrilianam) Toller. *Pract. crim. verb si confitebuntur* 3. *p. n.* 50. & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *de haeres. q.* 185. *n.* 235. ex Textu *in c. Cum appellationib. de appellat. in* 6. Appellationibus friuolis nec iura deferunt, & ex Textu *in l.* 1. *ff. de appellat. recipiend.* Argumento à contrario sensu à verbis legis (quod in iure est efficax) cùm enim lex dicat, recipiendam esse appellationem, si iudex faciat contra legem, sequitur reiiciendam esse illam, si iudex iustè & debitè procedat.

6 Confirmatur; quia licet iudex ad quem debeat (quando dubium est, an subsistat appellatio) cognoscere, an legitimè sit appellatum: in causa tamen manifesta friuolæ appellationis cognoscere debet iudex à quo; alias numquam esset verum, quod iudex à quo possit reiicere appellationem, & in sententiæ interlocutoriæ executione procedere; sic Doctores, quos refert, & sequitur Farinacius *lib.* 1. *Praxis tit.* 5. *quaest.* 38. *numero* 29.

7 Dixi, *in causa manifesta friuola appellationis;* quia in casu dubio (siue iuris, siue facti) Iudex à quo supersedere debet, & quid iudex ad quem pronunciet expectare, nè periculo grauandi iniustè innocentem in iis, quæ irreparabilia sunt, se exponat. Pegna 3. *p. direct. comment.* 3. *vers. quadam autem,* & alij, quos sequitur Farinac. *q.* 38. *n.* 30.

8 An autem in causa appellationis debeant inquisitores admittere oppositiones testium?

Respondetur, (quamuis nonnulli negent ex auctoritate Andreæ Isterniæ, & Guidonis Papæ *decis.* 500. quatenùs simpliciter asserunt, quod in causa appellationis de iure non admittantur oppositiones testium) melius tamen (quidquid sit in aliis causis) in causa hæresis, in qua proceditur de plano, & sine iudicij strepitu affirmant alij, quos sequitur Cantera *in q. crim. de probat. per testes* §. *de plena probatione num.* 58. quatenus ait, quod reus admitti debeat ad opponendas, & probandas oppositiones contra testes primæ instantiæ, etiam in causa appellationis (vbi locum habuerit appellatio) & etiam in quacumque parte (quamuis fuerit post appellationem vsque ad sententiam) cum non assignetur terminus ad opponendum contra testes. Quod si esset post conclusionem in causa, ex rigore iuris appellatio non admitteretur, sed adhuc ex clementia, & misericordia à iudice ex officio admitti posset, quia iudex in hoc iudicio inquirere debet defensionem Rei; cum in dicto iudicio, sicuti dicebam, procedatur de plano, & sine iudicij strepitu. Videatur instructio Madriliana Anno 1561. *num.* 38. vbi huic sententiæ quamplurimùm fauet.

DVBITATIO CXC.

Ad quemnam appellandum sit in actibus & sententiis interlocutoriis?

SVMMARIVM.

1 *Appellatio in actibus, & sententiis interlocutoriis in Italia fit ad Senatum sacrosancta Romana Inquisitionis, & in Hispania ad inquisitionem generalem, qui visis actis, & processu in Senatu inquisitionis, appellationem vt illegitimam repellit, vel illam admittendam decernit.*

2 *Appellatio in supradictis sententiis interlocutoriis in aliis partibus fit ad Pontificem, seu sedem Apostolicam. Quod certum est, si sententia lata sit à solo inquisitore.*

3 *Appellatio, si sententia interlocutoria lata sit ab Episcopo, & inquisitore simul, cum tunc procedant vt delegati sedis Apostolica, fieri etiam debet ad sedem Apostolicam.*

4 *Appellatio fieri potest omisso medio, nempè Metropolitano, à sententia interlocutoria Episcopi, ad sedem Apostolicam; etiamsi processerit iure ordinario aduersùs hareticos non exemptos.*

5 *Textus* in cap. Maiores cit. non obstat, *vbi deciditur, causas graues, non nisi sedis Apostolica, seu Pontificis auctoritate determinandas esse; quia iudicare de legitimitate appellationis, & de causa, ob quam appellatur, non est ita graue, vt sedis Apostolica, seu Pontificis auctoritatem requirat; aliàs neque in prima instantia ab Episcopo iudicari, & determinari posset.*

6 *Inquisitor aduersùs appellantem, interposita, quin & admissa appellatione, adhuc procedere potest, si ex alia causa, scilicet ex alia noua haresi fuerit appellans denunciatus.*

7 *Excipe, nisi causa appellationis fuerit suspicio iudicis; quia tunc, cum aequaliter in omnibus causis locum habeat, non poterit iudex compellere reum in aliis causis, nisi illa fuerint adeò graues, & manifesta, vt ipsamet rerum grauitate, & manifestatione Reus condemnatus existat.*

RESPONDETVR, quod (quamuis in Italia appelletur ad Senatum sacrosanctæ Romanæ Inquisitionis, & in Hispania ex priuilegio Apostolico ad inquisitionem generalem, 1
qui, visis actis, & processu in senatu inquisitionis, appellationem, vt illegitimam repellit, vel illam admittendam determinat) in aliis autem partibus appellandum sit ad Pontificem, seu sedem Apostolicam: quod certum est, si sententia lata sit à solo inquisitore; cum inquisitor sit sedis Apostolicæ delegatus, & à delegato debeat ad delegantem appellatio fieri ex Textu *in c. super quaest.* §. *Porro de offic. delegat. in l. Imperatores ff. de appellationibus, & in l. Pracipimus,* §. *huic Cod eodem.* 2

Si verò sententia lata sit ab Episcopo, & inquisitore simul (cum tunc procedant, vt delegati sedis Apostolicæ) ad sedem Apostolicam etiam appellari debet, & idem propter eamdem rationem dicendum est, cum Episcopus procedit aduersùs exemptos, quia in causis exemptorum quoad hæreses Episcopus procedit similiter non tanquam iudex ordinarius, sed tanquam delegatus; ideòque tunc ad eamdem sedem Apostolicam etiam appellari debebit. Videatur Textus *in c. ad abolendam* §. *si quis verò de haret. in* 6. videantur etiam Simancha *de Cathol. inst. tit.* 25. *n.* 6. Decian. *in tract. crim. l.* 5 *c.* 21. *n.* 4. Gundisal. *de her. q.* 7. *n.* 34. Carrer. *de her. n.* 65. & Zanch. *de her. c.* 8. *n.* 3. expresè docéntes, quod Episcopus in causa hæresis exemptorum procedat, tanquam iudex delegatus, non autem tanquam ordinarius; quidquid in contrarium dixerint Ostiensis *in dec. c. ad abolendam n.* 13. Ananias *num.* 24. & quidam alij. 3

4 At, si Episcopus procedat ratione Officij, & ex iure ordinario aduersus hæreticos non exemptos (quamuis Peña *cit comment*.31.& Farinacius *q*.185.*n*.240. putent ex textu *in c. Maiores de Baptismo*, tunc appellandum esse ad Sedem Apostolicam etiam; cùm Sedis Apostolicæ sit determinare causas graues, qualis est causa, quæ fidem spectat) improbabile tamen non sit, appellari posse vel ad Sedem Apostolicam, seu Pontificem, omisso Metropolitano, vel ad Metropolitanum, sicut in aliis causis, iuxta Textum *in c. si duobus de appellat. in c. Quoties, & in c. Ad Romanam 2. q.6.*

5 Neque obstat Textus *in supradicto c. Maiores*, vbi deciditur, causas graues non nisi Sedis Apostolicæ, seu Pontificis authoritate, determinandas esse, quia iudicare de legitimitate appellationis, & de causa, ob quam appellatur, non est ita grauis, quæ Sedis Apostolicæ, seu Pontificis authoritatem requirat; alias neque in prima instantia ab Episcopo iudicari & determinari posset, quod est falsum: quapropter dici poterit, quod si controuersia esset, an hoc, vel illud sit de fide, huius quæstionis determinatio vtpote summa Ecclesiæ necessaria, ad Sedem Apostolicam, seu Pontificem spectaret: at, si controuersia sit, an aduersùs fidem necne quis deliquerit (quæ potiùs est quæstio de facto, quàm de iure) determinatio talis quæstionis, cùm non sit Ecclesiæ ita necessaria non est, cur non possit ab aliis, præter Sedem Apostolicam, seu Pontificem determinari.

6 Aduerte tamen, quod, interposita, quin & admissa appellatione, possit Inquisitor aduersùs appellantem adhuc procedere, si ex alia causa, scilicet ex alia noua hæresi, fuerit appellans denunciatus; quia appellatio solùm suspendit iurisdictionis exercitium in illa causa, in qua interposita est appellatio; non item in aliis causis ab illa distinctis.

7 Excipe, nisi causa appellationis fuerit suspicio iudicis; quia tunc, cùm æqualiter in omnibus causis locum habeat, non poterit iudex compellere reum ad respondendum in aliis causis, nisi illæ fuerint adeò graues, & manifestæ, vt ipsamet illarum causarum grauitate, & manifestatione reus condemnatus existat, ex Textu *in c. Proposuit de appellation.* Ibi: [Iudex tamen, à quo appellatur (quia illi omninò suspectus est) eum non debet ad respondendum super aliis compellere, nisi pro crimine adeò graui, & manifesto, quo ipso actu memò sit damnandus.]



DVBITATIO CXCI.

An Inquisitor à reo recusari possit, vt suspectus?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitor licèt secundùm aliquos recusari non possit à reo; quia est iudex delegatus ad vniuersitatem causarum, qui Ordinario comparatur, qui recusari non potest: de consuetudine tamen probabilius est oppositum, ita vt & eius recusatio fieri possit, & admitti consueuerit.*

2 *Recusatio prædicta vt fiat, grauis causa requiritur; quia cùm Inquisitoris officium non nisi viris magnæ prudentiæ, & doctrina concedatur, in causa leui suspectus præsumi non debet.*

3 *Causa, facta recusatione, quamuis de rigore iuris eligi deberent arbitri, vnus ex parte iudicis recusati: alter ex parte rei recusantis: decentius tamen est, vt remittatur ad supremum Senatum, qui summariè cognita causa recusatione, eam aut admittat, aut repellat.*

4 *Inquisitor recusatus interim procedere non debet: sed si habet Collegam, is procedat; sin minùs, causa quiescat.*

5 *Prædicta locum habent, si dubium sit, causam recusationis esse legitimam: at secus, si iudicio Prudentum manifestè constet, quod illa sit friuola.*



1 RESPONDETVR, quod (quamuis Menochius *de arbitrar. q.*37. *num.*4. *lib.*1. Royas *sing.*100. & Scaccia *tractat. de iud. c.*67.*n.*7. negent, eo quod Inquisitor sit ad vniuersitatem causarum delegatus, qui Ordinario comparatur, in quem recusatio cadere non potest.) Probabiliùs tamen, saltem de consuetudine, affirment Eymer. 3.*part. direct. n.*120.& *ibi* Peña *comment.*30. (Vbi subdit, quod in tali casu recusationis non sint eligendi arbitri, sed sit ad supremum Senatum remittenda causa recusationis, vt ibi summatim re cognita, determinetur postea, an Inquisitor recusatus sit suspectus re vera. Simanch. *de Cathol. instit. tit.*17. *rubr. de defensione reorum n.*51. Tabiena *verb. Inquisitio* 4.*n.*5. Comensis *in lucern. Inquisit. verb. recusatio Inquisitoris n.*1. Paramus *de orig. Inquisit. lib.*3.*q.*4. *n.*54. & Farinacius *de hæresi q.*185.*n.*236. Ita vt Inquisitoris recusatio, & fieri possit, & admitti consueuerit. Vide etiam Instructionem Toletanam anno 1561. *num.*52.

2 Aduerte tamen, quod ad hanc recusationem faciendam grauis causa requiratur; quia, cùm Inquisitoris officium non, nisi viris magnæ prudentiæ, & doctrinæ concedatur, in causa leui Inquisitor suspectus præsumi non debet. Eymericus, Peña, Simancha, & Farinacius *in locis suprà citatis*. Causam autem grauem hi Doctores arbitrantur esse inimicitiam capitalem, aut saltem non leuis momenti.

3 Aduerte secundò, quod facta recusatione (quamuis de rigore iuris eligi deberent arbitri, vnus ex parte iudicis recusati, alter ex parte rei recusantis, qui de causa allegata in recusatione cognoscerent) decentius tamen sit, (ne iudicium illudatur, vel ne negotium Catholicæ Religionis differatur; vel ne passim sine causa Inquisitor recusetur) quod causa remittatur ad supremum Senatum, qui summariè cognita causa recusationis, eam aut admittat, aut repellat; prout in Hispania ex Matritana Instructione quadam seruari, testantur Peña *citato commentario* 30. & Farinacius *vbi suprà numero* 239.

4 Aduerte tertiò, quod interim Inquisitor recusatus procedere non debeat, sed si habet Collegam, Collega procedat; sin minùs, causa quiescat.

5 Aduerte quartò, quod omnia, quæ dixi locum habeant, si dubium sit, causam recusationis esse legitimam; at secùs, si iudicio prudentum manifestè constet, quod illa sit friuola, & solùm ad iudicium subterfugiendum, vel causam detinendam, apposita.



DVBITATIO CXCII.

De Tortura inferenda in crimine hæresis?

VT autem hæc Dubitatio meliùs intelligatur, sit,

SECTIO

S E C T I O I.

An in crimine hæresis inferri possit tortura?

SVMMARIVM.

1 *Tortura inferri potest in crimine hæresis ex communi sententia Doctorum, quando alia via veritas haberi non potest: nam priùs tentari debent omnia alia remedia, in quorum tamen defectum solùm tortura iure conceditur.*

2 *Torturam inferendi modus videri potest apud Eymericum, & alios.*

1 RΕspondetur ex communi sententia Doctorum (quos sequitur Antonius Gomez *tom. 3. var. c.13. n.20.* Director. Inquisit. *p.3. n.151.* & *ibi* Peña *comment. 39. n.151.* Idem Director. *eadem part. 3. q. 61. num. 1.* & *ibi* Peña *comment. 110. vers. Iam tota,* & Simanch. *in Enchiridion tit. 52. n. 1.*) affirmatiuè; quando alia via veritas haberi non potest: nam priùs tentari debent omnia alia remedia, in quorum tamen defectum solùm tortura iure conceditur, quapropter conuicto, & confesso tortura inferri non debet; quia tunc iam de delicto constat; & tortura, vt occulta veritas inuestigetur, & delictum probetur, iure conceditur, vti *supra* dicebam; & deciditur *in l. Edictum vers. si de quæstionibus, in l. Diuus Pius, & in l. vlt. C. de quæstionib.* ibi: [Et ex his ea, quæ occulta sunt, reuelari]

2 Cæterùm modos inferendi torturam, & anteriores diligentias, vt veritas inuestigetur, adhibendi, videre poteris apud Eymericum *3. p. direct. rubr. de tertio modo terminandi processum n.151. & seqq.* & *ibi* Peñam *in addit. comment. 39.* & Gomez *tom. 3. var. c.13. n.23.*

S E C T I O II.

An Inquisitores debeant esse proniores ad torquendum reum?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores debent secundùm probabiliorem sententiam esse proniores ad torquendum reum: quia crimen hæresis est occultum, & difficilis probationis, & alioquin confessio ipsius ipsimet reo quam plurimùm prodest.*

2 *Inquisitores, quando reus non est plenè conuictus, sed tantum indiciatus, habent tria processum terminandi remedia, per purgationem scilicet, per abiurationem, & per torturam. Et hoc vltimum videtur cæteris accommodatius, & cur?*

3 *Eymericus in directorio Inquisitionis minùs rectè dixit, non esse deueniendum ad torturam, si adsint indicia sufficientia ad abiurationem.*

4 *Purgatio canonica licèt secundùm aliquos possit indici ab Inquisitoribus, etiamsi adsint indicia ad torturam; probabilius tamen est oppositum, non esse scilicet indicendam, si adsint indicia.*

5 *Remedium purgationis est periculosum.*

6 *Quando, & quomodo subscriptio abiurationis est necessaria.*

7 *Quando, & quomodo tortura remittitur arbitrio Inquisitorum.*

8 *Crimen, quando alia via probari potest, tunc ad torturam deueniendum non est; quia tortura est remedium quoddam subsidiarium, & vltimum in defectum testium remedium.*

RΕspondetur (quamuis negent nonnulli, quos sequitur Turreblanca *de magia lib. 3. c.19. n.3. & seqq.*) Probabiliùs tamen affirment Simancha *in Enchiridion, t.52. n.26. & de Cathol. Instit. tit. 65. n.51.* Royas *de hær. p. 2. n. 295. & 296.* Martinus del Rio *in disquisit. magic. appendic. 2. lib. 5. q. 22.* & Freytas *in addit. ad tractat. de Confess. sollic. q. 4. num. 29.* quia crimen hæresis est occultum, & difficilis probationis, cùm illud probandi facultas deesse soleat; tum quia confessio rei in casu, de quo loquimur, non solùm Reipublicæ; sed etiam ipsimet hæretico quamplurimum prodest. 1

Hinc sequitur, quod, cùm Inquisitores (quando reus non est plenè conuictus, sed tantùm indiciatus, habeant tria processum terminandi remedia, vnum scilicet per purgationem, aliud per abiurationem, & aliud per torturam, hoc vltimum per torturam videtur cæteris ad veritatem eruendam accommodatius; quia purgatio, & abiuratio potiùs inuentæ sunt ad suspicionem, & infamiam hæresis excludendam, quàm ad veritatem eruendam, sic Doctores, quos sequitur Peña *in direct. Inquisit. part. 3. comment. 39.* & habetur in quadam Instructione Toletana ann. 1561. *n.46. & seqq.* 2

Quamuis contrarium sentiat Eymericus *in d. direct. Inquisit. loc. suprà cit. n.51.* quatenus ait, quod quotiescumque adsunt indicia sufficientia ad abiurationem, non sit deueniendum ad torturam; at quod dicebam suprà, est multò probabilius. 3

Sequitur secundò, quod (licèt secundùm dictam Instructionem, & Doctores, quos sequitur Barbosa *in collectan. tom. 2. lib. 5 tit. 34. c. 10. n. 5.* possit purgatio canonica, etiamsi adsint indicia ad torturam, ab Inquisitoribus indici.) Probabilius tamen sit oppositum; non esse scilicet, si adsint indicia ad torturam, deueniendum ad purgationem canonicam: sic Doctores, quos sequitur Genuensis *in praxi Archiepiscop. c.31.* 4

Vbi aduerte circa purgationem, purgationis remedium esse periculosum. Peña *in direct. Inquisit. p. 2 comment. 14.* & alij, quos sequitur Farinacius *de hæres. q. 194. n.64* Quatenùs ait: purgationis remedium est periculosissimum, fragile, fallax, & incertum, cùm ab aliorum opinione, & voluntate dependeat; vt propterea illo non sit vtendum, nisi rarò, & cum magna cautela, vtiliusque, & salubrius sit, alias pœnas arbitrarias imponere, & ad alia remedia confugere: quapropter in supremo vrbis, totiúsque Christianæ Reipublicæ sanctæ Inquisitionis Tribunali remedium purgatioois ab aula ferè recessit, & non nisi rarò induci consueuit. 5

Aduerte secundò, circa subscriptionem abiurationis nonnullos Doctores sentire, necessariam esse abiurantis subscriptionem abiurationis, alios verò sentire contrarium, probabilius tamen esse abiurantis subscriptionem requiri, quando reus pœnitens nouit scribere: si verò non nouerit scribere, satis esse, quod se subscribant Inquisitores, & Notarius; sic Doctores, quos sequitur Peña *in direct. Inquisit. p.3. comment. 40.* Idque etiam tutissimum, ait Decianus *in tract. crim. lib. 5. c.47. num. 6. & seqq.* Videri etiam poterit Simancha *de Cathol. institut. tit. 1. n. 9. & 10.* Campeg. *in addit. ad Zanchin. c. 2. lit. B,* Gundisaluus *de hær. q. 20. n. 7.* Royas *sing. 1. n. 7.* & Martinus del Rio *in disquisit. magic lib. 5. sect. 12.* 6

Aduerte tertiò, circa torturam, dum dicitur, quod in tali casu, quando sit danda, remittatur arbitrio Inquisitorum, non intelligi quodcumque. Campeg. *vbi suprà, tract. de hær. c. 9. lit. E. vers. Nunquid.* Decianus *in tract. crim. lib. 5. c. 35. n. 20.* Peña *in direct. Inquisit. p. 3. comment. 39. & 110.* Farinac. *tit. de indic. & tortur. q. 37. n. 192. & 193.* & Binsfeldius *de confess. malef. membr. 2. post quintam conclusionem, §. Exempli gratia, vers. licet quispiam,* Vbi rectè explicant, qualenam in tali casu debeat esse arbitrium Inquisitorum. 7

8 Cæterùm, quando crimen alia via probari potest, tunc ad torturam deueniendum non est; quia tortura est remedium quoddam subsidiarium, & vltimum in defectum testium remedium: ergo ad ipsum, non nisi deficientibus aliis modis probandi deueniendum erit. Zaoardus *in direct. Theolog. part. 3. c. 82.* Portell. *in dub. Reg. verb. Tortura n. 4.* Ambrosinus *de processu informatiuo lib. 4. c. 1. n. 8.* Binsfeldius *in comment. de malefic. leg. 7. q. 1. concl. 3.* Guazzin. *tom. 2. lib. 1. defens. 30. c. 2. n. 5.*

SECTIO III.

An, quando crimen est vehementer indiciatum, sit in arbitrio Inquisitorum procedere ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores, quando crimen est vehementer indiciatum, non possunt ad libitum procedere ad pœnam extraordinariam, vel ad torturam secundùm probabiliorem; si enim reus sit persona, quæ possit torqueri, de iure debet seruatis omnibus ad torturam requisitis torqueri, vt reperta veritate pœna ordinaria damnetur, vel absoluatur.*

2 *Quod maximè attendi debet in causis fidei, in quibus non solùm intenditur reorum pœna, sed etiam emendatio, & ad eorum salutem veritatis indagatio.*

1 RESpondetur (quamuis probabiliter affirment Clarus *q. 21. n. 40.* Menochius *de præsumpt. lib. 1. q. 91. n. 3.* & Cantera *in quæst. crimin. cap. 2. de probatione per testes q. 1. num. 31.*) Probabiliùs tamen negent Gomez *tom. 3. var. c. 12. n. 26.* Lopez *p. 7. tit. 1. l. 26.* Simancha *in Enchiridion c. 52. n. 4.* & Sanchez *in opuscul. tom. 1. lib. 3. cap. vnic. dub. 12. n. 4.* Quatenus simpliciter ait, quod, quando iudex habet indicia vrgentia contra aliquem in criminalibus, & ille negat delictum, non sit in arbitrio iudicis procedere ad pœnam aliquam extraordinariam, vel ad torturam, sed si reus sit persona (quæ potest torqueri) de iure debeat, seruatis omnibus ad torturam requisitis, torqueri, vt reperta veritate, pœna ordinaria damnetur, vel absoluatur; cùm tale remedium iure statutum sit ad extorquendam veritatem, *leg. Edictum, ff. de quæstion.*

2 Quod saltem locum habere debet in fidei causis, in quibus non solùm intenditur reorum pœna, sed etiam emendatio, & ad eorum salutem veritatis indagatio (quæ per solam torturam haberi potest) vt sic rei errores suos confitendo conuertantur, & viuant.

SECTIO IV.

An ad reum torquendum sufficiant indicia leuiora in crimine hæresis, quàm in aliis criminibus.

SVMMARIVM.

1 *Reus vt torqueatur in crimine hæresis, sufficiunt indicia leuiora, quàm in aliis criminibus secundùm aliquos; quia crimen hæresis est occultum difficilisque probationis.*

2 *Reus, vt torqueatur in crimine hæresis, debent esse indicia magna, & vehementer vrgentia secundùm alios: ita vt sola rei confessio deesse videatur.*

3 *Reus in crimine hæresis vt torqueatur propter indicia quæcumque extantia, standum est Inquisitorum arbitrio, attentis rationibus vtriusque sententiæ, qui habita ratione qualitatis personæ, delicti, suspicionum, cæterarùmque circumstantiarum iudicent, vtrum ad reum torquendum indicia sint sufficientia, necne.*

4 *Quod tamen intellige de arbitrio non soluto, sed limitato.*

5 *Reus si legitimis indiciis non præcedentibus torqueatur, & crimen confiteatur, talis confessio vtpote indebitè, seque iniustè extorta, non est valida, nec præiudicat reo confitenti, neque redditur valida, seu legitimatur, quamuis postea superuenerint indicia legitima; quia quod ab initio non valet, non potest tractu temporis conualescere.*

6 *Idémque dic, si superuenerit nouum indicium confessionis extraiudicialis.*

7 *Reus de iure potest appellare à dicta tortura indebitè, sicque iniquè ei delata.*

8 *Inquisitores si contra reum vehementem opinionem habeant, quamuis extra processum, possunt etiam non præcedentibus indiciis legitimis eum, si non sit homo timidus, comminando: quin & ostendendo etiam torturam verbaliter terrere.*

9 *Inquisitores non possunt reum torquere, quamuis adsint pro fisco sufficientia indicia ad torturam, si dicta indicia fuerint elisa per alia indicia pro reo: minùs tamen rectè loquuti sunt Riminaldus Iunior, & Grammaticus, asserentes, vnum indicium pro reo tollere indicia pro fisco.*

10 *Iudex non potest ad libitum reum torquere super qualecumque indicium voluerit, sed debet cumulatis omnibus indiciis eum torturæ subiicere. Quidquid in contrarium dixerit Baiardus.*

AFfirmant Campegius *in addition. ad Zanchinum, tractatu de hæreticis cap. 9. lit. E. in principio, vers. Rursus obserua,* Carrerius *in tractatu de hæreticis n. 116. & 126.* & alij, quos sequitur Martinus del Rio *in disquis. magic. Appendic. 1. lib. 5. quæst. 22.* quia (sicuti *suprà sect. 2.* dicebam) crimen hæresis est occultum, difficilisque probationis; & in tali casu confessio rei non solùm Reipublicæ, sed etiam ipsimet hæretico quamplurimùm prodest; Ergo. 1

Negant verò Simancha *in Enchiridion tit. 52. n. 5.* Sousa *in Aphorism. inquisit. libro 2. cap. 39. numer. 9.* & Peña *in direct. inquisit. parte 3. commentario 110.* quatenus aiunt; quod indicia ad torturam in crimine hæresis debeant esse magna, & vehementer vrgentia; ita vt sola rei confessio deesse videatur, moti *ex lege prima in principio, ff. de quæstion.* Ibi: [Ita vt sola reorum confessio deesse videatur.] *Ex lege Milites, §. oportet, & ex lege cùm conditionaliter, Codice eodem titulo.* His tamen non obstantibus (cùm certa regula dari non possit in cognoscendis indiciis ad reum torquendum sufficientibus.) 2

Respondetur, totum hoc (attentis scilicet rationibus sententiæ prioris, & attenta etiam ratione sententiæ posterioris, nempe prædicta dispositione iuris) remittendum esse arbitrio Inquisitorum, qui, habita ratione qualitatis personæ, delicti, suspicionum, cæterarúmque circumstantiarum, iudicent, vtrùm ad reum torquendum indicia sint sufficientia, necne. Simancha *de Catholicis institut. tit. 65. num. 22.* Royas *de hæret. parte 2. num. 191.* Peña *in director. part. 3. comment. 39. num. 6.* Miranda *de ordin. iudic. tom. 2. quæst. 261. artic. 4. conclus. 6.* Guazzin. *tom. 2. lib. 1. defens. 30. cap. 4. num. 10.* Sanchez *in opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. num. 6.* Sousa *in Aphorism. Inquisit. libro 2. cap. 39. num. 6.* Caballus *in resolution. crim. centur. 3. casu 251. num. 14.* & alij communiter. 3

Totum

4 Totum hoc, inquam, remittendum esse arbitrio inquisitorum, non quidem absoluto, sed limitato, quemadmodum mox *supra* dicebam. Zanard. *in direct. Theolog. p.* 3. *c.* 88. Ambrosin. *de Process. informat. lib.* 4. *ca.* 1. Guazzin. *cit. ca.* 4. *num.* 4. Baiard. *in Addition. ad Iul.* Clarus *quæst.* 64. *num.* 56. Peguera *in Praxi c.* 12. §. 9. *n.* 5. & alij passim.

5 Hinc sequitur, quod si reus, legitimis indiciis non præcedentibus, torqueatur, & crimen confiteatur, talis confessio, vtpotè indebitè, sicque iniustè exorta, non sit valida, nec præiudicet reo confitenti, nec etiam reddatur valida, seu legitimetur, quamuis postea superuenerint indicia legitima; quia, quod ab initio non valuit, ex post facto conualescere non potest; sic Doctores communiter, quos sequitur Miranda *loco supra cit. quæst.* 26. *art.* 17. *conclus.* 1. & Binsfeld. *in com-*

6 *ment. de malefic. & math. leg.* 7. *quæst.* 2 *conclus.* 2. & patet *ex l.* 1. §. *Diuus Seuerus ff. de quæst.* Idemque (quidquid in contrarium dixerit Marsil. *in l. Quæstionis de quæst. num.* 63. & Baiardus *vbi supra quæst.* 55. *num.* 40.) dicendum erit, si superuenerit nouum incidium confessionis extraiudicialis (per quam appareat, quod reus reuera fuerit hæreticus) propter eandem rationem; sic Doctores, quos sequitur Farinacius *quæst.* 83. *c.* 1. *num.* 5. & Antonius Queued. *de Iudic. & Tortur. p.* 2. *c.* 4. *n.* 11.

7 Sequitur secundò, quod à dicta tortura indebitè, sicque iniquè reo delata, possit reus de iure appellare; sicut *infra* dicam, & docet præter alios Abbas *in c.* 1. *n.* 2. *de confess.*

8 Aduerte tamen, quod si inquisitores contra reum vehementem (quamuis extra processum opinionem habeant, possint etiam non præcedentibus indiciis legitimis, eum (si non sit homo timidus) comminando, quin & ostendendo etiam torturam, verbaliter terrere; quia hoc non est torquere. Thusc. *lit. T, conclus.* 325. *n.* 9. Clarus *quæst.* 64. *num.* 33. Sousa *in Aphorism. Inquis. l.* 2. *c.* 39. *num.* 4. Guazzin. *tom.* 2. *l.* 1. *defens.* 30. *c.* 5. *n.* 3. & Francisc. Personalis *Tract. de indic. n.* 78. Qui subdunt, quod, quando adsunt indicia ad terrendum (vt si v. g. Iudex contra reum habeat vnicum testem non integrum, vel duos testes deponentes de indiciis remotis singulares, possit reum spoliare in loco torturæ, vel funi alligare, vel etiam à terra aliquantulùm eleuare, sicque eleuatum per aliquod temporis spatium interrogare (idemque tenere videtur Peregrin. *cons.* 2. *num.* 104. quatenus ait, vnum indicium remotum sufficere ad reo torturam leuem inferendam) quod mihi minùs probatur ex iis, quæ dicebam *infra* post sectionem vltimam *Petition.* 2. *circa finem.*

9 Aduerte secundò, quod inquisitores non possint reum torquere, quamuis adsint pro fisco sufficientia indicia ad torturam, si dicta indicia fuerint elisa per alia indicia pro reo; sic Doctores communiter, quos sequitur Guazzin. *tom.* 2. *l.* 1. *defens.* 30. *c.* 4. *n.* 25.

Adeò quod Riminaldus Iunior *l.* 6. *cons.* 704. *num.* 33. Grammatic. *Vot.* 3. *num.* 20 & Honded. *l.* 2. *cons.* 93. *n.* 83. velint, vnum indicium pro reo tollere indicia pro fisco, sicque reum non posse torqueri; quod etiam mihi minùs probatur, nisi indicium, quod est pro reo, proportionem aliquam habeat cum indiciis, quæ sunt pro fisco.

10 Aduerte tertiò, quod (quidquid in contrarium dixerit Baiardus *in Addit. ad Iul. Clar. q.* 64. *n.* 98. & Ioan. Antonius de Nigris *super capitul. Regn. c. frequens n.* 34.) non sit in arbitrio Iudicis, super qualecumque indicium Iudex voluerit, reum torquere, sed debeat Iudex cumulatis omnibus indiciis, eum torturæ subiicere; Grammatic. *cons.* 45. *n.* 34. Caualcan. *de Brach. Reg. p.* 3. *n.* 134. Bertazzol. *cons.* 144. *n.* 10. *vol.* 1. & alij passim.

SECTIO V.

Quandonam in crimine hæresis inferri possit tortura, quando verò non?

SVMMARIVM.

1 *Tortura in crimine hæresis, sicut in quolibet alio delicto, non potest inferri, nisi criminis indicia sufficientia, & legitima præcedant: quia tortura datur in subsidium probationum ad veritatem inuestigandam.*

2 *Indicia predicta præcedentia vt torturam sufficienter inferant, debent esse probata per duos, vel plures testes: si enim probata non fuerint, reum torturæ subycere non possunt.*

3 *Testis vnus, etiamsi fuerit omni exceptione maior, non probat indicium remotum: indicia enim ad torturam probari debent per duos testes.*

4 *Reus per vnum testem dicitur conuictus saltem semiplenè, sicque torqueri potest, explicando quod si vnus testis de ipsomet delicto deponat, tunc talis testis faciat indicium ad torturam; secùs si non deponat de ipsomet delicto, sed de aliquo actu remoto, vel proximo ad delictum; quia tunc requiruntur duo testes.*

5 *Indicium sufficiens est, si vnus testis deponat non de delicto, sed de corpore delicti: sed de indiciis delicti, v. g. de confessione rei extraiudiciali, de fama, de fuga, vel simili, vt reus subyciatur torturæ.*

6 *Quod procedit etiam si adesset alius testis deponens de alio indicio: ita vt essent duo testes singulares, quilibet de suo indicio deponens: quia adhuc hi duo testes singulares non constituerent indicium sufficiens ad torturam.*

7 *Torturæ reus subyci potest, si testes singulares plures, quàm duo, concurrant ad probationem indiciorum faciendam, & tales testes essent omni exceptione maiores.*

8 *Testis singularis cuiuslibet depositio licet non probet concludenter indicium, aliquam tamen licèt leuem præsumptionem facit: quia ad torturam inferendam regulariter sufficit vnum indicium, si sit proximum, seu delicti vehementer illatiuum, & benè probatum.*

9 *Indicia ad torturam deberi esse probata per duos testes secundùm probabiliorem sententiam intelligi debet, si testes sint idonei, seu omni exceptione maiores, quales non sunt Minores, Fœminæ, Excommunicati, criminis socij, vel infames, quamuis etiam, si testes non sint idonei, non omninò improbabiliter secundùm aliquos sufficiant.*

Respondetur ex dictis, quod in crimine hæresis (sicut & in omni alio crimine) non possit inferri tortura; nisi criminis indicia, iuxta id, quod *sectione præcedenti* dicebatur, sufficientia, & legitima præcesserint: sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Menochius *de arbitr. lib.* 1. *q.* 84. *n.* 1. *& seqq.* Marsilius *cons.* 49. *num.* 9. Caballus *in resol. crimin. cent.* 3. *casu* 251. *num.* 14. Simancha *de Cathol. instit. tit.* 65. *num.* 22 Peña *in direct. part.* 3. *commentar.* 170. Guazin. *tom.* 2. *lib.* 1. *defens.* 30. *cap.* 4. *num.* 10. Royas *de hær. part.* 2. *num.* 291. Miranda *de ordin. indic. tom.* 2. *quæst.* 61 *art.* 4. *conclus.* 6. Sanchez *in Opuscul. to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *num.* 6. Et ratio est; quia tortura solùm in subsidium aliarum probationum deficientium, ad veritatem inuestigandam iure conceditur, vti *suprà* dicebam; tum quia à tortura, cùm sit damnum irreparabile, inchoari non debet, *l.* 1. *ff. de quæst.* 1

Aduerte

2 Aduerte tamen, quod hæc indicia præcedentia torturam, vt torturam inflictam inferant, debeant esse probata; si enim probata non fuerint, reum torturæ subiicere non possunt: quapropter, vt quodlibet indicium de se ad torturam inferendam sufficiens sit, debet esse duobus, vel pluribus testibus probatum: alias vtpote non plenè probatum, sufficiens non erit ad torturam inferendam. Menochius *loco suprà citato, libro 2. casu 170. numero 23.* Gomez *variar. tom. 3. capite 3. rubric. de tortura reorum numero* 18. Peña *in directorio, parte 3. commentario* 1 0. *numero* 289. Royas *de hæreticis, parte 2. numero* 289. Canrera *in quæstion. criminal. capite 2. de probation. per testes, quæstione 1. numero* 24. Martinus del Rio *in disquisit. magic. libro 5. sectione* 3. Locatus *in Praxi inquisit. quæstione* 33. Simancha *in Enchiridion, capite* 52. *numero* 6. Farina-
3 cius *quæstione* 37. *numero* 14. (Vbi ait, quod hæc opinio sit ita vera, vt vnus testis, etiam si fuerit omni exceptione maior, non probet indicium remotum.) Mascardus *de probation. libro 1. conclusione* 462. *numero* 16. & 19. Brunus *tractatu de indic. parte 1. quæstione 1. numero* 7. Guazzin. *tom. 2. libro 1. defens. 50. capite 31. numero 1.* Clarus *in Praxi, libro 5. §. finali, quæstione* 22. *numero* 1. (vbi concordat Glossam *in lege finali, verb. vel indicus, Codice famil. erciscund.* asserentem, quod indicia ad torturam probandam debeant per duos testes, & alteram Glossam *in lege si quis, verbo*
4 *Conuictus, Codice ad legem Iulia maiestatis*, volentem, quod per vnum testem reus dicatur conuictus saltem semiplenè, sicque torqueri possit; explicando, quod si vnus testis de ipsomet delicto deponat, tunc talis testis faciat indicium ad torturam, vt *infra* dicemt, & & sic procedat Glossa *in dicta lege si quis*; at si testis non deponat de ipsomet delicto, sed de aliquo actu remoto, vel proximo ad delictum, tunc talis testis non faciat indicium ad torturam, sed requirantur duo testes ad probandum ipsum indicium, & sic procedat altera Glossa *in dicta lege finali.*) Alciatus *consilio* 445. *numero* 1. (vbi inquit, quod talis distinctio sit canonizata in iudiciis, & in scholis.) Suarez de Paz *in praxi tom. 1. parte 5. capite 3. §. 12. numer* 41. Miranda *in ordin. iudiciar. tomo 1. quæstione 26. artic. 4. conclusione* 3. Bernardinus *in Addition. ad Ambrosinum de process. inferm. libro 4. capite 1. numero* 16. Caballus *in resolution. crimin. centur. 2. casu* 193. *numero* 1. & alij communiter.

5 Hinc sequitur, quod si vnus testis deponat (non de delicto, seu de corpore delicti) sed de indiciis delicti, verbi gratiâ, de confessione rei extraiudiciali, de fama, de fuga, vel simili, insufficiens indicium constituat, vt reus subiiciatur torturæ. Menochius, Clarus, Gomez, Farinacius *in locis suprà citatis*, Royas *tractatu de hæreticis parte 2. numero* 289. Peña 3. *parte directorij quæstione* 61. *commentario* 100. *versu, Iam indicia*, & Mascardus *de probation. libro 1. conclusione* 462. *num.* 18.

6 Quod procedit, etiamsi adesset alius testis deponens de alio indicio, ita vt essent duo testes singulares, quilibet de suo indicio deponens; quia adhuc hi duo testes singulares non constituerent indicium sufficiens ad torturam; cùm vtraque illorum depositio non æquiualeat probationi concludenti factæ à testibus contestibus; sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinacius *q.* 37. *n.* 38.

7 Quamuis, si testes singulares, plures, quàm duo, concurrerent ad probationem indiciorum faciendam, & tales testes essent omni exceptione maiores, sufficienter ex eorum depositionibus reus torturæ subiici posset; quia verisimile non est, quod tot, & tales testes aduersùs reum talia deponant, nisi reus culpabilis esset.

8 Confirmatur: quia cuiuslibet singularis testis depositio, licèt non probet concludenter indicium, aliquam tamen, licèt leuem, præsumptionem facit: ergo, multiplicatis his depositionibus, resultare ex iis potest præsumptio maior, quàm resultet ex probatione concludenti vnius tantùm testis. Clarus *pract. quæstione 21. versu Sed pone quod vnus.* Albertinus *tractatu de agnoscend. assertion. Catholic. & hæretic. quæst. 15. numero* 10. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *loco suprà citato numero* 38. Præsertim, quia ad torturam inferendam regulariter sufficit vnum indicium, si sit proximum, seu delicti vehementer illatiuum, & bene probatum, sicuti *infrà* dicetur: & docent Menochius *de præsumpt. libro 1. quæstione 89. numero* 14. Gygas *de crimine læsæ maiestatis, quæstione 1. numero* 16. Gomez *tomo 3. variarum capite 13. numero* 8 Farinacius *quæstione 37. numero* 47. Carrerius *in Practic. crim. leg. obseruare curabis numero* 109. Peña *in directorio, parte 3. commentario* 110. Miranda *in ordin. iudic. tom. 2. quæstione 26. articulo 6. conclusione* 2. Peguer. *in praxi capite 12. §. 9. numero* 8. & Marsilius *in Practica, §. diligenter numero* 177.

An autem supradicta doctrina (quam *numero* 1. 3. & 4. dicebam) nempe, quod indicia ad torturam debeant esse probata per duos testes, procedat, etiamsi testes non sint idonei, seu omni exceptione maiores, vt Minores, fœminæ, excommunicati, criminis socij, vel infames, &c.

Respondetur, quod (quamuis iuxta ea, quæ *suprà numero* 5. dicebantur, & *infrà post sectionem vltimam, petitione* 12. dicentur, probabiliùs negent Gomez *tomo 3. variarum, capite 13. numero* 18. Miranda *in ordin. iudic. tomo 2. quæstione 26. articulo 4. conclusione* 5. Menochius *de præsumpt. libro 1. quæstione 91. num.* 5. Suarez de Paz *in praxi tomo 1. parte 5. capite 3. §. 12. numero* 41. Farinacius *quæstione 37. numero* 28. Zanardus *in directorio Theologico, parte 3. capite* 88. Mascardus *conclusione 895. numero 3. volumine* 1. Gomez *consilio 59. numero 34. volumine* 1. & alij) Non omninò tamen improbabiliter affirment Royas *de hæreticis parte 2. numero* 289. Brunus *tractatu de indic. & tortura, part. 1. quæstione 2. numero* 7. Rolandus à Valle *libro 1. cons. 24. numero* 25. Antonius de Ballis *in tractatu variarum, lib. 1. quæstione 5. numero* 15. & 16. (qui citat Baldum, Soccinum, & Crauettam.) Bertazzol. *cons. 341. n. 10. vol. 1.* Honded *consil. 87. n. 137. vol. 1.* & Hyppol. de Marsiliis *pract. crim. §. diligenter num.* 8. Quia (cùm dari tortura possit ex testificatione vnius testis testificantis de ipso delicto) non est mirum, quod testis vnicus, qui de delicto deponit, debeat esse omni exceptione maior: ergo (cùm è contra dari tortura non possit ex indiciis remotis, nisi pluribus, saltem duobus) neque è contra mirum erit, quod non debeant esse similiter omni exceptione maiores; quia (cùm sic sint veluti quatuor testes) verisimile non est, quod omnes fallant, vel fallantur.

SECTIO VI.

COROLLARIVM I.

An ad torquendum reum indistinctè sufficiat vnum tantùm indicium, per duos tamen testes probatum?

SVMMARIVM.

1 *Reus vt torqueatur, non sufficit tantùm vnum indicium per duos etiam testes probatum contra aliquos; requiruntur enim saltem duo indicia, licèt leuia, & in iure non expressa, dummodò*

sint

dè sint per duos testes probata, & verisimilia.

2 *Excipe, nisi indicium sit proximum, & delicti vehementer illatiuum: quia tunc etiam vnum indicium ad torturam sufficiet, si tamen benè per duos scilicet testes probatum fuerit.*

1 RESpondetur, quod (quamuis affirment nonnulli, quos citat, & sequitur Clarus *in practic. libro 5. quæst.64.num.14.* sic testans etiam de consuetudine. Petrus Caballus *in resolution. criminal. centur.2. casu 193. num. 5.* & alij, quos citat Guazzin. *tomo 2. libro 1. defens.30.cap.30.numer.7.*) Probabilius tamen iuxta ea, quæ dicebam *sectione præcedenti num.5.* & dicam *infrà post sectionem vltimam petitione 12.* negent Farinacius *quæst.37.num.43.* Freytas *in addit.ad tractatum de Confessor. sollicitant. quæst.4. num.25.* (qui citat Bartolum, & Menochium) & Pequer. *in prax. cap.12.§.9. num.8.* (quatenùs expressè aiunt, ad torturam non sufficere vnum indicium) Miranda *de ordin. iudic. tom. 2. quæstione 26. articulo 4. conclusione 4.* Guazzin. *tom 2.lib.1. defensione 30.cap.4.num.12.* & Bossius *in titul.de indic. 71.* (quatenùs inquiunt ad torturam requiri saltem duo indicia, eáque probata.) Bertazol. *consil.215. num. 8.* Syluester *verbo Indicium, quæst. 2.* Tabiena *numero 1.* Sanchez *in opuscul. tom.1. lib.6. cap.3.dubio 15. num.11.* Martinus del Rio *in append.2. libro 5.quæst.2.* & Baiardus *in addition. ad Iulium Clarum quæst.64. numer. 60.* (quatenùs docent, ad torturam sufficere duo indicia; etiam leuia, & in iure non expressa, dummodò sint per duos testes probata, & verisimilia.

Patet ex iis quæ dicebam, & ex iis, quæ dicam *in locis supradictis.*

2 Excipe, nisi indicium sit prozimum, & delicti vehementer illatiuum; quia tunc etiam vnum indicium ad torturam sufficiet, si tamen benè, per duos scilicet testes probatum fuerit, vt ibidem videre est.

SECTIO VII.

COROLLARIVM II.

An ad torquendum reum sufficiant plura indicia, per testes tamen singulares probata?

SVMMARIVM.

1 *Reus torqueri potest, si adsint plura indicia etiam per testes singulares probata: quia, licèt quodlibet indicium, vt sit sufficiens ad torturam debeat esse probatum duobus testibus, tamen si plura sint indicia, sufficiet quod probata fuerint testibus singularibus.*

2 *Limita, si tamen dicti testes singulares de pluribus indiciis deponentes, sint testes idonei, contra aliquos asserentes id etiam de testibus copulatis, & minùs idoneis.*

1 RESpondetur, quod (quamuis negare videantur Peña *in directorio parte 3. commentario 110.* Royas *de hæreticis, parte 2. numero 286.* Simancha *de Catholicis institut.tit.65. num.14.* Menochius *de probat. libro 1. quæst.9.num.6.* Franciscus Personal. *in tractatu de indic. & tortur num.63. verbo Nec obstat,* Antonius Gomez *tom.3. variarum, cap.13.num.18.* Quatenùs aiunt, quod indicia, ex quibus reus torqueri potest, debeant esse probata.) Probabilius tamen, iuxta ea, quæ *sectione 5. numero 5.* dicebantur, affirment Vmbertus Locatus *post praxim inquisit. quæst.35.* (qui citat Fulgosium, & Soccinum.) Sousa *in Aphorismis inquis. libro 2.cap.39. num.19.* Albertin. *de agnoscend.assertion.cathol.quæst.25. num.20.* Freytas *in addit.ad tractatum de Confess.sollicit. quæst.22.num.20.* Franciscus Brunus *tractat.de indic. & tortur p. 1 q.2.n.5.*

Probatur; quia (licèt, vti dicebam *citata sectione 5.* quodlibet indicium, vt sit sufficiens ad torturam, debeat esse probatum duobus testibus, tamen si plura sint indicia, sufficiet, quod probata fuerint testibus singularibus; cùm negari non possit ex dictis ibidem, quod vnus testis faciat aliquam præsumptionem; sicque plures testes, singulariter de pluribus indiciis deponentes, faciant plures præsumptiones, quæ constituant vnum indicium sufficiens ad torturam.

Et hoc saltem dicendum erit, quotiescumque te- 2
stes singulariter, de indiciis singulis deponentes, sunt testes idonei: sic Doctores, quos sequitur Giurb. *consil.87. num.30.* Guazzin. *tom.2.libro 1.defensione 30. cap.4. num. 13.* & Queued. *lib.de indic. & tortur.cap.7. num.1. & 2.*

Dixi, & [hoc saltem dicendum erit, quotiescumque testes singulariter de indiciis singulis deponentes sunt testes idonei:] quia, & hoc idem dicendum esse (etiam quando prædicti testes essent minùs idonei, & repulsati) non improbabiliter iuxta ea, quæ dicebantur *suprà sect.5. circa finem,* tenent Sousa *in Aphorismis inquisit.libro 2.cap.39. num.20.* Bertazzol. *cons.214. num.8.vol.1.& ibidem in Addit.lit. C,* Caballus *in resolut.crimin.centur.2.cap.193. num.6.* & alij complures: Videri etiam poterit Martinus del Rio *in disquis.magic. Appendic.2. lib.5. quæst.10. per totam,* & Guazzin. *vbi suprà, cap.32.*

SECTIO. VIII.

An ad torquendum reum, alioquin bonæ famæ, in crimine veneficij sufficiat denunciatio complurium sagarum, absque vllis aliis indiciis?

SVMMARIVM.

1 *Reus non potest torqueri, si alioquin sit bonæ famæ, in crimine veneficij per denunciationem complicum sagarum absque vllis aliis indiciis contra Martinum del Rio; tum quia doctrina Martini in hoc non est in vsu in Tribunali supremæ Inquisitionis Romæ: tum quia sagarum depositio etiam de visu, vtpote per dæmonis illusionem potest esse falsa, & alioquin indicia ad torturam debent esse certa, & non dubia.*

2 *Reus ex depositione præcisa complicum in hoc delicto, neque etiam capi debet, sed requiruntur actus exteriores comprobati.*

RESpondetur, quod (quamuis affirment Martinus 1
del Rio *in disquisit. magic. lib.5. sectione 3. & in Appendic.2.eiusdem lib.quæst.2.* Valentia *tomo 3. disputatione 6. quæst.13.punct.4.§.2. & 3.* & à fortiori alij, vt Cynus, Abbas, Imola, & Gomez, quatenùs aiunt, quod in criminibus exceptis etiam vnius complicis denunciatio indicium sufficiens sit ad torturam.) Probabiliùs tamen negent Tannet. *in Theolog. schol. tom.3. disput.4. quæst.5. dub.2.per totum,* & Farinacius *de hæres.quæst.185 §.8. num.151.* Quatenùs ait, veram non esse, nec in sancto, & generali vrbis, vniuersalique Reipublicæ Christianæ Inquisitionis Tribunali seruati doctrinam Martini del Rio docentis, sufficiens indicium ad torturam esse dictum duarum sagarum, seu lamiarum deponentium, se reum in Conuentu, &

Congregatione aliarum sagarum vidisse; quia (cùm sagæ plurie à non corporaliter, sed per dæmonis illusionem in hoc Conuentu adesse opinentur, sicque earum de visu depositio possit esse falsa) absurdum est dici, quod sagæ, seu lamiæ prædictæ, sic de visu deponentes, indicium sufficiens faciant ad torturam cum indicia ad torturam non dubia, sed certa esse debeant: quapropter etiam si dictum duorum sociorum criminis in causis fidei faciat indicium ad torturam sufficiens (vt præter alios docet Peña *in direct.Inquis.p.3.com.110.in append.*) Non tamen idem dicendum erit de dicto duarum, vel etiam plurium sagarum, seu lamiarum; cùm in eis adsit particularis difficultas, vti dicebam. Vide, quæ dicam *infrà dubitatione* 205.*per totam*, & quæ dicam post *dubitationem* 216. *Petitione* 11. *vsque ad* 15. Vide etiam Binsfeldium *de confess.sagar.membr.*2.*concl.* 6. Queuedum *lib.de indic. & tortur.part.*2. *cap.*5.*n.*91. & alios, qui propterea subdunt, quod reus ex depo-
2 sitione præcisa complicum in hoc delicto neque etiam capi debeat, sed actus exteriores comprobari requirantur.

S E C T I O I X.

An reus à tortura indiciis legitimis non præcedentibus, sicque indebitè, seu iniustè sibi delata possit appellare?

S V M M A R I V M.

1 *Reus potest appellare à tortura indiciis legitimis non præcedentibus, sicque indebitè, seu iniustè sibi delata.*

2 *Excipe, nisi appellatio foret friuola, & calumniosa: quia tunc index poterit illam reiicere.*

3 *Appellatio quando sit friuola, & calumniosa remittitur arbitrio iudicis.*

4 *Iudex appellationem tunc friuolam, & calumniosam arbitrabitur, quando videbit, quod in processu appareant legitima indicia ad reum torquendum, eáque purgata non fuerint in termino concesso ad defendendum.*

5 *Quæ procedunt, quando clarè constat de calumnia appellationis; secus autem quotiescumque sumus in dubio tam iuris, quàm facti: quia tunc iudex supersedere debet in tortura, & expectare, quid super appellatione pronunciet iudex ad quem.*

6 *Appellatio ab interlocutoria, seu à grauamine, quo reus se grauari prætendit, duo præcipuè continere debet, primum est grauamen, à quo appellatur secundum causam grauaminis.*

7 *Post appellationem, si aliud crimen deferatur, potest iudex, ipsa appellatione non obstante, circa illud contra appellantem procedere, etiamsi causa non fuerit grauissima.*

8 *Excipe, nisi causa appellationis fuerit suspicio iudicis.*

9 *Inquisitor si appellationem admittat, transmittere debet reum cum processu, & idoneis custodibus, ne fugam arripiat: vel potiùs mittere debet summariam informationem ad summum Pontificem.*

10 *In Inquisitione Hispana in tali casu obseruatur, quod habetur in Toletana Instructione.*

1. RESpondetur affirmatiuè iuxta ea, quæ tradit Abbas *in c.1.n.2. de confess.* & iuxta Textum *in l.2. C.de appellat.recipien. & in l.pen. Cod.Quorum appellation.non recipiuntur.*

2 Excipe, nisi appellatio foret friuola, & calumniosa; quia tunc iudex poterit illam reiicere, &, illa non obstante, absque attentatorum vitio, ad vlteriora procedere.

Quando verò appellatio sit friuola, & calumnio- 3
sa, remittitur arbitrio iudicis. Simancha *in Enchirid. tit.*52.*n.*11. & *in instit.Cathol.tit.*65.*num.*1. Queuedus *de indiciis, & tortur.c.*13. *numero* 6. Villadieg. *in politic. c.*3.*num.*324. Menochius *de arbitr.libro* 2.*casu* 197. *n.*2. Sousa *in Aphorism.libro* 2.*c.*35.*num.*6. Miranda *de ord. iudic.tom.*2. *quæst.*26. *art.*15. Sanchez *in opuscul. tom.*2. *libro* 6. *c.*3. *dubio* 15 .*numer.*4. Suarez de Paz *in Praxi tomo* 1. *parte* 5. *cap.* 3. §.12.*numero* 81. Guazzinus *de defens.reor.tom.*2. *libro* 1.*defens.*30.*c.*2. *num.*11. & Farinacius *quæst.*38. *numero* 27. & 28. Vbi subdit, quod 4
tunc appellationem friuolam, & calumniosam arbitrabitur iudex, quando videbit, quod in processu appareant ad torquendum reum legitima indicia, eáque tamen purgata non fuerint in termino concesso ad defendendum.

Hæc tamen omnia procedunt, quotiescumque clarè 5
constat de calumnia Appellationis; secùs autem, quotiescumque sumus in dubio tam iuris, quàm facti; quia tunc iudex supersedere debet in tortura, & expectare, quid super appellatione pronunciet iudex ad quem. Guazzin. & Farinac. *in locis suprà cit.* Peña *in direct. inquis.p.*3.*comment.*31 *num.*111.Scacc.*de iud.tom.*2.*lib.*1. *c.*97.*n.*85. & Carauita *in Ritu Magn.Cur.*159. *num.*10. Quod idem habetur etiam in quadam Instructione Toletana ann.1561 *num.*50.

Aduerte tamen, quod appellatio ab interlocutoria 6
seu à grauamine, quo reus se grauari prætendit, duo præcipuè continere debeat. Primum, est grauamen, à quo appellatur, *cap. cùm sit Romana extra de appellat.* Secundum, est causa grauaminis, quæ non sufficit, si dicatur in genere, sed explicari debebit in specie; aliter appellatio non valebit: sic Doctores, quos sequitur Peña *loco suprà cit.*

Aduerte secundò, quod, si post appellationem aliud 7
crimen deferatur, possit tunc iudex, ipsa appellatione non obstante, circa illud contra appellantem procedere (tametsi causa non fuerit grauissima, tutius sit, non procedere, sed Superioris responsum expectare. Peña, & alij, quos citat, & sequitur Sousa *in Aphor.libro* 2. *cap.*35.*num* 11.

Excipe, nisi causa appellationis fuerit suspicio iudi- 8
cis; quia tunc (cùm æqualiter in omnibus causis procedat) non poterit iudex reum ad respondendum compellere, nisi forsan delictum sit adeò graue, & manifestum, vt ipsamet grauitate, & manifestatione delicti reus condemnatus existat.

Aduerte tertiò, quod in casu, quo Inquisitor ap- 9
pellationem admittit, transmittere debeat reum cum processu, & idoneis custodibus, ne fugam arripiat; vel potiùs mittere debeat summariam informationem ad summum Pontificem; sic Doctores, quos sequitur Paramus *de orig.S.Inquisit.lib.*3. *q.*4.*num.*100. & Sousa *in Aphorism.lib.*2.*c.*35.*n.*9.

Quamuis in Inquisitione Hispanica in tali casu ob- 10
seruetur, quod habetur *in supradicta Instructione Toletana anno* 1561. *num.*51. quam in dicto casu videre poteris.

S E C T I O X.

Quænam sint indicia, quorum quodlibet probatum sufficiens sit ad torturam inferendam?

S V M M A R I V M.

1 *Indicia, quorum quodlibet probatum sufficiens est ad torturam*

torturam inferendam, sunt. Primum, si testis omni exceptione maior deponat de delicto, seu de corpore delicti, vt, v. gr. deponat, reum hæresim prædicasse, Idolum adorasse, vel quid simile contra nonnullos.

2 *Ad torturam inferendam, cùm sit pœna grauissima, non videtur sufficere, nisi delictum sit plusquam semiplenè probatum.*

3 *Testes duo tam in ciuilibus, quàm in criminalibus omni exceptione maiores plenè probant, & in vtrisque vnus testis omni exceptione maior semiplenè probabit.*

4 *Testis si non sit omni exceptione maior; sed aliquem defectum patiatur, tunc cùm talis testis non probet semiplenè, se ipso solo non constituit indicium sufficiens ad torturam inferendam.*

5 *Neque vnus testis omni exceptione maior sufficit ad torturam inferendam, si reus denunciatus sit bonæ famæ; quia cùm rei bona fama constituat præsumptionem in contrarium, dictum testis reddit infirmum.*

6 *Socius criminis si deponat de delicto, non præstat sufficientem probationem, seu sufficiens indicium ad torturam inferendam; quia licet in hoc crimine hæresis in fauorem fidei admittatur testis aliàs inhabilis, non tamen admittitur tanquam omni exceptione maior.*

7 *Socij criminis dictum si alio adminiculo adiuuetur, tunc sufficiens indicium præbebit ad torturam inferendam, seu vt reus tortura subiici possit.*

8 *Indicium sufficiens ad torturam vt resultet qualenam adminiculum esse debeat, remittitur iudicis arbitrio: desumi verò debet huiusmodi arbitrium non ex proprio Marte, sed ex scientia Doctorum.*

9 *Verbi gratiâ, si cum nominatione socij criminis concurrant testes de auditu; quia, licèt testes de auditu non probent, neque constituant indicium sufficiens ad torturam inferendam: nihilominus aliqualem præsumptionem faciunt, quæ iuncta cum depositione socij criminis æquiualet depositioni testis omni exceptione maioris.*

10 *Item secundò: si cum prædicto socio criminis concurrat fama contra nominatum ob rationem prædictam; quia fama similiter supplet defectum testis deponentis.*

11 *Item tertiò: si cum supradicta depositione concurrat fuga nominati ob eamdem rationem.*

12 *Item quartò, si concurrat stricta familiaritas nominati cum nominante: quia cum impiis habere familiaritatem est malum: quinimò in crimine hæresis cum hæreticis familiaritatem habere, est speciale delictum.*

13 *Item quintò, si depositione vnius socij criminis, altera alterius socij criminis depositio coniungatur, ita vt duo socij criminis deponant de delicto.*

14 *Socij criminis depositio vt aliis indiciis adiuta constituat sufficiens indicium ad torturam inferendam, seu vt reus tortura subiici possit, debet iudex satis perpendere, qualitatem personæ nominatæ & nominantis, & modum depositionis.*

15 *Indicium secundum ad torturam inferendam sufficiens, seu vt reus tortura subiici possit, est ipsius rei confessio extraiudicialis: quia talis confessio est indicium satis proximum, & illatiuum delicti; cùm nemo præsumi possit sibi falsò crimen imponere.*

16 *Indicium tertium sufficiens ad torturam inferendam, seu vt reus tortura subiici possit, est ex opinione nonnullorum fama, si oriatur à viris fide dignis, & sit ritè probata.*

17 *Fama indicium non est sufficiens quomodocumque oriatur, nisi aliis indiciis adiuuetur: quia fama in se est indicium remotum, & fallaciæ valdè subiectum.*

18 *Fama vt indicium sufficiens ad torturam præbeat, seu vt reus tortura subiici possit, debet esse ita vehemens, scilicet ex tali fundamento firmo orta, vt meritò ipsum fundamentum, seu causa reddat ipsam famam verisimilem; vel saltem debet alio adminiculo fulciri.*

19 *Indicium quartum sufficiens ad torturam inferendam, seu vt reus tortura subiici possit, est ex opinione aliquorum variatio, seu vacillatio in respondendo quoad delictum, & circumstantias illud comitantes; at probabilius est oppositum, scilicet variationem, seu vacillationem prædictam seu in tormentis, seu extra non esse indicium sufficiens ad torturam inferendam, quia non est signum proximum, & concludens, sed signum remotum delicti.*

20 *Non obstat, quod testis varius ob variationem torqueri debeat,* ex leg. quifalsa, vel varia, ff. de testibus, *quia ibi torquetur talis testis, eo quod ipsius dictum, nisi tormentis firmetur, non valet.*

21 *Neque obstat, quod reus confitens crimen in tormentis, si ductus ad locum, in quo ratificare debet, confessionem factam reuocet, torqueri iterum possit; quia in hoc casu non tam ob variationem, quàm vt primo dicto valorem, & firmitatem tribuat, tortura subiicitur.*

22 *Tormentum repeti non debet vltra tertiam vicem: imò neque ex sola non ratificatione, etiamsi in tormento positus iterum crimen fateatur, & postea neget vltrà secundam: quia secunda confessio eadem est cum prima in tormentis facta, ac proinde non constituit nouum indicium ad torturam inferendam.*

RESpondetur: Primum est, si testis, omni exceptione maior, deponat de delicto, seu de corpore delicti, vt si, v. g deponat reum hæresim prædicasse, Idolum adorasse, vel quid simile hæreticale perpetrasse. 1

Atque ita contra Marsil. *cons.* 102. *n.* 10. Nouel. *pract. in rubr. de testib. in materia criminali n.* 49. Albertinum *tract. de agnosc assert. q.* 34. *n.* 39. Viuian. *commun. opin. verbo Testis vnius de visu num.* 2. *& seqq* & quosdam alios (quatenus aiunt, id non sufficere, nisi simul cum depositione vnius testis de corpore delicti, omni exceptione maioris, concurrat aliud indicium, seu præsumptio, ex eo, quia, inquiunt ipsi, dictum vnius testis omni exceptione maioris, licèt semiplenè probet in ciuilibus, non tamen semiplenè probat in criminalibus; tum quia ad torturam inferendam, cùm sit pœna grauissima, non videtur sufficere, nisi delictum sit plusquam semiplenè probatum, sic docent communiter Doctores. Eymer. 3. *p. direct. q.* 61. *n.* 3. *vers.* 2. *Regula, & n.* 8. *vers.* 7. *Regula, & ibi* Peña *commentar.* 110. *vers.* 1. *& seqq.* Simaneh *de Cathol. inst. tit.* 65. *rubr. de tormen. n.* 23. Zanch. *tract. de hær. c.* 9. & *ibi* Campeg. *in addit. lit. E, vers. Nunquid poterit torqueri.* Gomez *tom.* 3. *var. c.* 12. *n.* 2. Menoch. *de præsumpt. lib.* 1 *q.* 89. *n.* 7. Villadiego *in politic. c.* 3. *n.* 367. Royas *de hær. p.* 2. *in direct. p.* 3. *q.* 61. Bernardin. *in addit. ad Ambrosinum, de process. inform. lib.* 4. *c.* 1. *num.* 16. Peguer. *in praxi c.* 12. *§.* 9. *n.* 7. Filiucius *tom.* 2. *tract.* 40. *c* 7. *n.* 126. Suarez de Paz *in prax. tom.* 1. *p.* 5. *c.* 3. *§.* 17. *n.* 39. Miranda, *in ord. iud tom.* 2. *q.* 16. *a.* 6. *concl.* 1. Sousa *in Aphor. inquis. lib.* 2. *c.* 39. *n.* 17. Farinacius *q.* 36. *n.* 229. *& q.* 37. *n.* 36. *&* 61. & alij passim. 2

Probatur, quia, cùm tam in ciuilibus, quàm in criminalibus duo testes omni exceptione maiores plenè probent, vnus testis omni exceptione maior in vtrisque semiplenè probabit; atque adeò non est ratio, cur non sufficiat ad torturam inferendam, vt veritas, si aliunde haberi non potest, eruatur; præsertim in delicto hæresis, in fauorem fidei, & Ecclesiæ. 3

4 Dixi: si testis sit omni exceptione maior; quia si testis non sit talis, sed aliquem defectum patiatur, tunc cùm talis testis non probet semiplenè, se ipso solo non constituet indicium sufficiens ad torturam inferendam. Peña *citato comment.* 130. *versu 1 Regula*, Gabriel. *cons.* 368.*n.*6.*lib.*1.Carterius *tractatu de hæreticis, num.*118. & Farinacius *q.*37. *n* 56. Excipe tamen iuxta ea, quæ dicam *infrà sect.*13.

5 Adde, quod neque vnus testis, omni exceptione maior sufficiat ad torturam inferendam, si reus denunciatus sit bonæ famæ; quia rei bona fama, cùm constituat præsumptionem in contrarium, dictum testis reddit infirmum. Peña 3.*part. directory q.*61. *comment.* 110. *versu Non dubito tamen*, Decianus *tractat.crimin. lib.*5.*c.*36.*n.*6. Simancha *in Enchirid.tit.*52.*num.*13. & *de Cathol.instit.tit.*65 *num.*23. Sanchez *in opuscul.tomo* 2.*lib* 6.*cap.* 3 *dub* 15. *num.*3. Sousa *in Aphor.inquis.lib.* 2 *cap* 39. *num.*27. Zanardus *in direct.Theol.part.*3.*c.*95. Ioseph de sancta Maria *in Tribun.Relig. tract* 5.*cap.*2. §. 5. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *de hæres. q.*185.*n.*152.

6 Hinc sequitur contra nonnullos Doctores *infrà sectione* 16. citandos, quod, si socius criminis deponat de delicto, non præstet sufficientem probationem, seu sufficiens indicium ad torturam inferendam. Peña 3.*part.direct. q* 61.*comment.*110. *versu An autem socius criminis.* Simancha *de Cathol. institut. tit.*65 *rubric. de tormentis num.*26. Sylvester, Armilla, Angelus, Tabiena, Cantera, Martinus del Rio, Marsilius, Bossius, Aldrete, Becanus, Sousa, Sanchez, Quevedus, Narbona *in recopil* Ioseph de sancta Maria *infrà dicta sect.citandi*, & alij complures, quos citat, & sequitur Farinacius *q* 43. *num.*75. & in crimine hæresis *q.*185.*n.*151. Quia licet in hoc crimine hæresis in fauorem fidei admittatur testis aliàs inhabilis, non tamen admittitur, tanquam omni exceptione maior, & sic semiplenè probans. Antonius Gomez *tom.*3. *var. rubr. de probat. delict. num.*23. Grammaticus *cons.*59.*num.*1. Marsilius *cons.*109.*num.*15. *volum.*2. Riminaldus *consil. crimin.diuers.cons.*84 *num* 9. & alij passim, quæ semiplena probatio ad minus requiritur ad torturam inferendam, seu, vt reus torturæ subijci possit: sic Doctores *in locis suprà citatis*, & Nos *suprà* dicebamus.

7 Adverte tamen, quod si dictum socij criminis alio adminiculo iuuetur, tunc sufficiens indicium præbebit ad torturam inferendam, seu vt reus torturæ subiici possit; sic Doctores communiter quos *supra* citabam; quia ratione adminiculi adiuncti suppletur testis defectus.

8 Quod autem adminiculum esse debeat, vt ex illo, & ex depositione testis, defectum patientis, integrum indicium ad torturam inferendam resultet, arbitrio prudentis iudicis remittitur. Menochius *de arbitr.lib* 2. *casu* 474.*n.*47.Mascardus *concl.* 1311.*n.*53.Peguera *decis. crim.tom.*5 *n.*33. Sousa *in Aphorism inquis.lib* 2.*cap.*25. *n.*24. Grammatic. *cons* 6.*n.*3. Binsfeldius *in comment. de malef.* & Math.*l.*9.*de indicijs*,§.1.& Antonius de Ballis *var.tract.lib* 1.*q* 26.*n.*9. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *q.*43.*n.*162. qui rectè subdit, quod huiusmodi arbitrium tamen desumi debeat, non ex proprio Marte, sed ex sententia Doctorum.

9 Verbi gratiâ (sicut exemplificant præter alios Peña 3.*part direct.qu* 61.*comment* 110.*circa fin. vers. Si tamen duo socij*, & idem Farinacius *q*.185. *n.*152.) Si cum nominatione socij criminis concurrant testes de auditu; quia (licèt testes de auditu non probent, nec constituant indicium sufficiens ad torturam inferendam, *l. testimonium ff de testib.* & *l. arbiter ff. de probat.* & *c. licet ex quadam de testibus.*) Nihilominus aliqualem præsumptionem faciunt, quæ iuncta cum depositione socij criminis æquiualet depositioni testis, omni exceptione maioris.

Item secundò, si cum prædicto socio criminis concurrat fama contra nominatum, ob rationem prædictam; quia fama supplet similiter defectum testis deponentis. 10

Item tertiò, si cum supradicta depositione concurrat fuga nominati, ob eamdem rationem. 11

Item quartò, si concurrat stricta familiaritas nominati cum nominante; quia cum impijs habere familiaritatem est malum; quinimò in crimine hæresis cum hæreticis habere familiaritatem, est speciale delictum; quapropter contra nominatum aliquam præsumptionem facit, vt propterea supplere possit defectum testis nominantis, in ordine ad torturam inferendam, seu vt nominatus torturæ subijci possit. 11

Item quintò, si depositioni vnius socij criminis altera alterius socij criminis depositio coniungatur; ita vt duo socij criminis deponant de delicto; quia tunc duplex illa depositio integri testis depositioni æquiualere videtur. 13

Adverte secundò, quod vt socij criminis depositio alijs indicijs adiuta constituat sufficiens indicium ad torturam inferendam, seu vt reus torturæ subijci possit, debeat iudex satis perpendere qualitatem personæ nominatæ, & nominantis, & modum depositionis, ita vt ex illis ipse valde verisimiliter credat, depositionem esse veram, & nominatum reuerà esse delinquentem, ex Textu *in cap. In fidei fauorem de hæreticis in* 6. Vbi postquam dictum fuerat, ob fidei fauorem testes inhabiles admitti, subditur, si ex verisimilibus coniecturis, & ex numero testium, aut personarum, tam deponentium, quàm eorum, contra quos deponitur, qualitate, ac alijs circumstantijs, sic testificantes falsa non dicere, præsumantur: & tradunt Glossa *ibi, verbo Excommunicati.* Geminianus *num.*1. Armilla *verb. hæresis num.*10. Rosella *verb hæreticus n.*31. Roland.*cons.*73. *n.*25.Mascardus *de probat.lib.*1.*concl.*158.*n.*3. Martinus del Rio *in disquisit.magic. Append.*2 *lib.*5.*q.*1.*concl.vlt.* Hippolyt. de Marsilijs *cons.*74.*n.*13. Menoch. *de arbitr. lib.*2.*cas.*474.*n* 58. & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *q.*47.*n.*157. 14

Secundum indicium sufficiens ad torturam inferendam, seu vt reus torturæ subijci possit, est ipsius rei confessio extraiudicialis; quia talis confessio est indicium satis proximum, & illatiuum delicti; cùm nemo præsumi possit, falsò sibi crimen imponere. Glossa *in lege capite quinto, ff de Adulterijs.* Bartolus, Baldus, & alij (quos citat, & sequitur Antonius Gomez *tom.*3.*variarum c.*13.*num* 8. Felinus *in c.olim de rescript. num.* 5. Sylvester *verbo indicium quæst.* 2. Angelus *eodem verbo n.*2. Tabiena *num.*1. Hippolytus de Marsilijs *in practica*, §. *diligenter num.*76. Rodriquez *in summa tom.*2.*cap.*168.*num.*2. Simancha *in Enchiridion, tit.*56. *num.*14. Ioseph Aldrete *de disciplin.mend.lib.*2.*c.*8.*n.*5. Sanchez *in opuscul.tom* 2.*lib.*6 *c.*3.*dub.*15.*num.*8. Binsfeldius *in comment. de malef.* & *math.leg.*9. *de indicijs*, §.9. Miranda *in ordin.iudic.tom.*2.*quæst.*26.*art.*7.*concl.*1. Zanardus *in director.Theolog. part.*3. *cap.*95. Sousa *in Aphorism.Inquisit. lib.*2.*cap.*39.*num.*91. Ioseph de sancta Maria *in Tribun.Relig.tractat.*5.*cap.*2.§.8.Carterius *in practic. leg.obseruare num.*121. Clarus *pract.* §.*finali q.*21. *vers. Confessio extraiudicialis.* Menochius *de præsumpt. lib.*1.*q.*89.*n.*14.& *seqq.* Peña 3.*p direct.comment.* 110.*circa fin.vers. Ergo præter memorata indicia*, & Farinacius *q* 37.*n.*47. 15

Tertium indicium sufficiens ad torturam inferendam, seu vt reus torturæ subijci possit, est, ex opinione nonnullorum fama, si oriatur à viris fide dignis & sit rite (scilicet per duos testes ad minus, illósque idoneos, & omni exceptione maiores: sic Doctores communiter, quos citat, & sequitur Farinacius *q.*47.*n.*159.& Miranda *de ordin iud.tom* 2.*q.*26. *art.*5.*concl.*2.) etiam probata; eo quod tunc, inquiunt ipsi, talis fama semiplenè probat. 16

At

17 At mihi non placet; nisi prædicta fama aliis indiciis adiuuetur; quia fama in se est indicium temotum, & fallaciæ valde subiectum; ac proinde sola talis prædicta fama semiplenam probationem non constituit, neque consequenter indicium sufficiens ad subiiciendum infamatum tam graui pœnæ, qualis est illa torturæ, sufficienter præbet.

18 Quapropter (vt fama indicium sufficiens ad torturam, seu vt reus torturæ subiici possit, sufficienter præbeat) debet esse ita vehemens, scilicet ex tali fundamento firmo orta, vt meritò ipsum fundamentum, seu causa reddat ipsam famam verisimilem; vel saltèm debet alio adminiculo fulciri; quia tunc semiplenè probabit delictum, & constituet sufficiens indicium ad torturam inferendam; Sylu. *verb. Indicium quæst.* 4. Angel. *eodem verbo num* 4. Tabiena *num.* 3. Armilla *num.* 5. Sanchez *in opuscul. tom.* 2. *l.* 6 *ca.* 3. *Dub.* 15 *n.* 19. Miranda *de ordin. iudic. tom.* 2. *quæst.* 16. *art.* 5. *conclus.* 1. *&* 2. Sousa *in Aphor. Inquis. l.* 2. *c.* 39. *num* 59. Queued. *l. de indic. & tortur. c.* 6. *n.* 3. Pegna 3. *p. direct. comm.* 110. *vers. tertia regula.* Menoch. *l.* 1. *præsumpt. quæst.* 89 *n.* 28. Clar. *Pract.* §. *finali quæst.* 21. *vers. fama sola*; Scacc. *de indic. c.* 95. *num.* 1 *vers. si summus*, & Farinacius *quæst.* 41. *numero* 4. *& numero* 17. Vide quæ dicam *infra sectiom.* 21.

19 Quartum indicium sufficiens ad torturam inferendam seu vt reus torturæ subiici possit, est ex opinione aliquorum mendacium, variatio, vel vacillatio in respondendo, quo ad delictum scilicet, vel circumstantias ipsum inferentes.

At probabilius mihi videtur oppositum (quod docent Clarus *in Practica*, §. *finali quæst.* 21. Zanardus *in direct. Theolog. p.* 3. *c.* 93. Becanus *in* 2. 2. *Sancti Thomæ quæst.* 10. *num.* 15. Carterius *in Pract. criminal. leg. obseruare num.* 119. Ciarius *in defens. Reorum discept.* 35. *n.* 8. Sousa *in Aphor Inquisit. l.* 2. *c.* 39. *num.* 80. Cacheranus *decis. Pedem.* 79. *num.* 17. Petrus Caball. *resolut. crim. centur.* 2. *cas.* 200. *num.* 137. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *quæst.* 52. *num.* 22. *&* 19.) mendacium scilicet variationem, vel vacillationem prædictam (siue quoad circumstantias, & qualitates delicti, siue quoad ipsum delictum; item siue in terminis, siue extra tormenta, nisi alio adminiculo adiuuetur) non esse indicium sufficiens ad torturam inferendam; quia mendacium, variatio, vel vacillatio in cōfessione de se non est signum proximum, & concludens, sed signum remotum delicti; cum tamen ad torturam inferendam requiratur indicium proximum, vehemens, vrgens, & luce clarius, vti supra dicebam.

20 Neque obstat iis, quæ dicebam, quod testis varius ob variationem torqueri debeat; *l. Qui falsa, vel varia ff de Testibus*, & *l. Ex libero de quæstionibus*, quia ibi talis testis varius torquetur, eo quod ipsius dictum, nisi tormentis firmetur, non valeat; quandoquidem conueniens non erat, vt aduersùs tertium dictum testis mutabilis valeret; atque cum cuiuscumque dictum aduersùs se ipsum valeat; *l. de ætate*; §. 1. *ff. de interrogat. action.* non est opus, quod tormentis firmetur.

21 Neque etiam obstat, quod reus confitens crimen in tormentis, si ductus ad locum, in quo ratificare debet, confessionem factam reuocet, torqueri iterum possit (vti docent communiter Doctores, quos citat, & sequitur Marsil. *Pract. crim.* §. *quoniam vers.* 3. ex eo, quod aliàs nunquam reus confessionem factam ratificaret, sciens, quod ex non ratificata confessione, neque damnari, neque torturæ subiici possit; & sic delicta impunita remanerent) non, inquam, obstat, vt exinde dicatur, reus ex sola variatione torturæ subiiciendus esse; quia in hoc casu non tam ob variationem, quàm vt primo dicto valorem, & firmitatem tribuat, torturæ subiicitur; cum enim dicta in tormentis, nisi ratificata fuerint, non valeant, cogitur tormentis ea ratificare. Accedit, quod non ob variationem, seu vacillationem, sed ob nouum indicium, ex confessione facta in tormentis ortum, torquetur.

Aduerte tamen, quod tormentum repeti non debeat vltra tertiam vicem, immò neque ex sola non ratificatione (etiamsi in tormento positus iterùm crimen fateatur, & postea neget) vltra secundam; quia secunda confessio eadem est cum prima facta in tormentis, ac proinde non constituit nouum indicium ad torturam inferendam; ita Doctores, quos citat, & sequitur Farinacius *quæst.* 38. *num.* 99. quia pluriès reum tormentis subiicere, non humanum, sed inhumanum, & credule nimis est. At de hac re vide, quæ dicam *infra post Sectionem vltimam, Petitione* 13. 22

SECTIO XI.

COROLLARIVM I.

An ad torquendum Reum sufficiat dictum vnius testis, immediatè deponentis de delicto?

SVMMARIVM.

1 *Reus vt torqueatur, sufficit dictum vnius testis immediatè deponentis de delicto, si scilicet sit omni exceptione maior.*

2 *Testis omni exceptione maior est, qui nulla exceptione repelli potest, seu nullam maculam, aut defectum habet: Qualibet enim macula etiam minima impedit, ne testis sit omni exceptione minor.*

Respondetur ex dictis præcedenti *Sect.* 10. affirmatiuè; si scilicet talis testis vnius sit omni exceptione maior. 1

Testis autem omni exceptione maior est, qui nulla exceptione repelli potest, seu nullam maculam, aut defectum habet (vti rectè dixit Glossa *in capite primo de Affin. & Consang. verb. Maiores*, quam communiter sequuntur Doctores) adeò, quod quælibet macula, etiam minima, seu quilibet defectus; etiam minimus, impediat testem, ne sit omni exceptione maior, sicque non præbeat indicium sufficiens ad torturam. Bursat. *lib.* 1. *conf.* 37. Roland. à Valle *conf.* 1. *num.* 38. Maceratensis *variar. resol. lib.* 3. *resol.* 44. *cas.* 4. & alij passim. 2

SECTIO XII.

COROLLARIVM II.

An idem dicendum sit, si Reus sit bonæ famæ?

SVMMARIVM.

1 *Reus, si sit bonæ famæ, non sufficit dictum vnius testis, quamuis sit omni exceptione maior contra aliquos affirmantes sufficere; quia bona fama probatio tollit indicium ad torturam proueniens ex fama, non autem indicium proueniens ex aliis indiciis.*

2 *Sanctus Ludouicus Rex Galliarum decreuit, quod nullus vir honestus, vel integræ famæ, quamuis pauper, & vilis, ad vnius testis depositionem torqueri possit.*

3 *Iudex, etiamsi quilibet deprauata vita habeat pro se plures testes, facilè cognoscere poterit, an reuerà reus sit bonæ famæ, & integræ vitæ.*

1 REspondetur ex dictis *eadem sect.* 10. (quamuis affirment nonnulli, quos sequitur Caball. *in resol. crimin. centur.* 1. *cas.* 84. *num.* 15. quatenus ait, quod bonæ famæ probatio tollat indicium ad torturam proueniens ex fama, non autem indicium proueniens ex aliis indiciis, eo quod aliàs vix potest vnquam quis ex quibusvis vrgentibus indiciis torturæ subiici, cùm nemo sit tam deprauatæ vitæ, qui non facilè hodie reperire possit testes, qui ipsius bonam famam, & integram vitam probent) negatiuè; ita vt in dicto casu ad torquendum reum non sufficiat vnicus testis, etiamsi fuerit omni exceptione maior modò, quo *suprà* dicebam, sed præterea requirantur alia indicia. Vide quæ dicam *infrà dubit.* 198. *de testib. sect.* 20.

2 Confirmatur; quia (sicut adnotauit Boër. *dec.* 103. *n.* 2. Aldret. *de disciplina tuenda lib.* 1. *c.* 17. *n.* 11. & Grammaticus *cons.* 47. *n.* 18.) similiter decreuit Sanctus Ludouicus Rex Galliarum, quod scilicet nullus vir honestus, vel integræ famæ (quamuis pauper & vilis) ad vnius testis depositionem torqueri possit.

3 Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quod facilè iudex poterit cognoscere, an reuerà reus sit bonæ famæ, & integræ vitæ.

SECTIO XIII.

COROLLARIVM III.

Quidnam dicendum, si reus sit malæ famæ?

SVMMARIVM.

1 *Reus malæ famæ vt torqueatur, sufficit dictum vnius testis immediatè deponentis de delicto, quamuis talis testis non fuerit omni exceptione maior.*

1 REspondetur ex dictis *eadem sect.* 10. quod è contra in tali casu ad torquendum reum sufficiat dictum vnius testis immediatè deponentis de delicto, quamuis talis testis non fuerit omni exceptione maior modo, quo *suprà* dicebam. Menochius *de præsumpt. lib.* 1. *q.* 89. *n.* 6. Carrerius *in praxi crim. leg obseruare curabis n.* 110. Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. q.* 21. *num.* 15. & alij, quos sequitur Farinacius *q.* 37. *n.* 65. Quatenùs expressè ait, quod si reus sit malæ vitæ (non quidem simpliciter vilis, vel pauper) sed aliàs criminosus, & malæ famæ, torqueri possit ex dicto vnius testis, quamuis talis testis non sit omni exceptione maior, non sit tamen ipso iure inhabilis, vel plures defectus patiens.

SECTIO XIV.

COROLLARIVM IV.

An ad torquendum Confessarium sollicitantem sufficiat dictum, seu delatio vnius fœminæ bonæ famæ?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius sollicitans in confessione, vt possit torqueri, non sufficit dictum, seu delatio vnius fœminæ bonæ famæ; quia ad torquendum reum requiritur testis immediatè deponens de delicto, qui sit integer, & omni exceptione maior, qualis non est fœmina propter sexus fragilitatem, contra aliquos asserentes oppositum, si fœmina non sit de mendacio, & inimicitiis suspecta cum dicto Confessario.*

2 *Confessarius sollicitans ex dicto, seu denunciatione vnius fœminæ, quantumuis honestæ, non intruditur in carcerem, consequenter neque torquebitur.*

3 *Confessarius sollicitans vt torqueri possit, quantus numerus testium, vel fœminarum denunciantium sufficiat, remittitur arbitrio Inquisitorum.*

4 *Confessarius sollicitans apud inquisitionem Hispanicam nunquam torquetur, quin neque incarceratur; nisi duobus, vel tribus testibus denunciatus fuerit.*

REspondetur ex dictis *eadem sect.* 10. (quamuis affirment nonnulli, quos sequitur Zanardus *in director. Theolog. p.* 3. *c.* 88. dummodò præterea prædicta fœmina non sit de mendacio, vel de inimicitiis cum dicto Confessario suspecta; ex eo, quod huiusmodi delictum sit occultum, & difficilis probationis) negatiuè; quia ad torquendum reum requiritur testis, immediatè deponens de delicto, qui sit integer, & omni exceptione maior, qualis non est fœmina propter sexus fragilitatem, sicut ex communi sententia Doctorum dicam *infrà dubitatione* 198. *in materia de testibus, sectione* 20 *corollar.* 2. 1

Confirmatur; quia (sicuti rectè contra Canteram aduertunt Doctores, quos sequitur Sousa *de Confessario sollicitante tract.* 1. *c.* 21 *n.* 6.) ex dicto, seu denunciatione vnius fœminæ, quantumuis honestæ, Confessarius sollicitans non intruditur in carcerem: ergo multò minùs torquebitur. 2

Quantumuis igitur numerus testium, vel fœminarum denunciantium in tali casu sufficiat ad torquendum Confessarium sollicitantem, remittitur arbitrio Inquisitorum, qui inspectis circumstantiis, qualitate reorum, & testium, hoc negotium prudenter determinabunt. 3

Vbi aduerte, quod in tali casu apud inquisitionem Hispanicam prædictus Confessarius nunquam torqueatur, quin neque recludatur in carcere, nisi duobus, vel tribus testibus denunciatus fuerit; sic Doctores, quos sequitur Sousa *loc. supra cit. num.* 7. 4

SECTIO XV.

COROLLARIVM V.

An ad torquendum reum sufficiat dictum vnius testis minoris viginti annis, immediatè similiter deponentis de delicto?

SVMMARIVM.

1 *Reus vt possit torqueri, non sufficit dictum vnius testis minoris viginti annis immediatè similiter deponentis de delicto, contra nonnullos, quia ad torquendum reum requiritur testis immediatè deponens de delicto, qui sit omni exceptione maior, qualis non est minor viginti annis.*

2 *Indicium sufficiens ad torturam constituitur, si ad dictum vnius testis minoris viginti annis accedat alter testis similiter minor viginti annis.*

1 Respondetur ex dictis *eadem sect.* 10. (quamuis affirment nonnulli, qui citant Bartolum *in l. de Minoribus de quaest. in principio*) etiam negatiuè propter eamdem rationem supradictam *sect. praecedenti*; quod scilicet ad torquendum reum requiritur testis immediatè deponens de delicto, qui sit omni exceptione maior, qualis similiter propter ætatis imperfectionem (sicut etiam ex communi sententia Doctorum dicam *infra dicta dub.* 198. *sect.* 10. *coroll.* 2.) non est minor viginti annis; cum non habeat ætatem requisitam *in l. testimonium ff. de testibus*, & docent cum Glossa *ibidem* communiter Doctores, quos sequitur Canrera *in quaest. crim. cap.* 2. *de probat. per testes quaest.* 1. *num.* 31. Attestans sic etiam de consuetudine, quamuis & præsumptio stet contra reum, eo quod iste sit ex genere Maurorum, vel Hæreticorum; cum ex malis parentibus præsumptio stet contra filios; *cap. Quia verisimile de praesumptione.*

2 An autem, si ad dictum vnius testis minoris viginti annis accedat alter testis similiter minor viginti annis constituatur indicium sufficiens ad torturam?

Respondetur affirmatiuè cum communi sententia Doctorum, quos sequitur Martinus del Rio *in disquis. magic. Append.* 2. *l.* 5. *quaest.* 15. *lit. F.*

SECTIO XVI.

COROLLARIVM VI.

An ad torquendum Reum sufficiat dictum vnius socij criminis?

SVMMARIVM.

1 *Reus vt possit torqueri, non sufficit dictum vnius socij criminis, contra nonnullos oppositum affirmantes in crimine heresis non omninò improbabiliter: de iure enim torqueri non potest Reus, nisi saltem contra ipsum adsit semiplena probatio.*

2 *Excipe tamen, si cum dicto vnius socij criminis concurrat alia praesumptio, adminiculum, seu indicium; quia tunc dictum vnius socij criminis sic adminiculatum efficiet indicium sufficiens.*

3 *Praesumptio, adminiculum, seu indicium, qualia debent esse remittitur arbitrio prudenti Inquisitorum (cum id non reperiatur determinatum in iure) puta si concurrat testis de auditu, vel fama, &c.*

4 *Reus vt possit torqueri, sufficit simpliciter, & absolutè dictum duorum sociorum criminis: quamuis aliqui exigant etiam ad hoc vt sufficiat aliquam praesumptionem, adminiculum, seu indicium.*

5 *Tortus sit fuerit negatiuus ex dicto vnius socij criminis adminiculato, si postea duo alij socij criminis de eodem delicto contra illum deponentes accesserint, torqueri iterum poterit.*

6 *Reus vt possit torqueri, sufficit dictum duorum sociorum criminis, etiamsi non sint contestes, sed singulares.*

7 *Reus vt torqueatur, tunc sufficit dictum vnius socij criminis, vel dictum duorum sociorum, quando ex verisimilibus coniecturis, ex numero testium, & ex Personarum qualitate, & ex alijs circumstantijs testificantur, ita vt falsa dicere praesumantur.*

8 *Reus vt torqueatur, sufficit dictum vnius socij criminis adminiculatum, vbi dictum duorum sociorum, si Reus inculpatus sit mala fama, vitae, conditionis, & conuersationis, secus si bona; quia per bonam famam, vitam, conditionem, & conuersationem elisam intelligitur illud indicium, quod exinde contra eum resultabat.*

9 *Limita, nisi cum dicto vnius socij criminis adminiculato, vel cum dicta duorum sociorum tot praesumptiones, adminicula, seu iudicia concurrant, vt superent bonam famam Rei inculpati.*

10 *Reus vt possit torqueri licet absque difficultate sufficiat saltem dictum trium sociorum criminis; Id tamen limitandum sit, nisi reus inculpatus, praesertim in ordine, & comparatione ad personas inculpantes, sit valde bona fama.*

11 *Reprobatur sententia dicentium, quod ad torquendum Reum, tunc sufficiat dictum vnius socij criminis adminiculatum, vel dictum duorum sociorum, quando qui testificatur, testificatur interrogatus à Iudice, secus si testificetur vltrò, seu spontè quia socius criminis in hoc casu non vltro, seu spontè se offert examini, sed coactus.*

Respondetur ex dictis *eadem sectione decima*, (quamuis non omninò improbabiliter, vtpote in crimine hæresis, vel in omni alio crimine excepto, affirment Cynus, Butrius, Imola, Abbas *in cap.* 1. *de confessor.* Gomez *var. resol. tomo* 3. *cap.* 12. *num.* 18. Blanc. *in Tract. de indic. ad leg. final. de quaest. num.* 378. *& seqq.* Guido de Susaria *Tract. de indic. num.* 4. & alij, quos sequitur Caballus *Cent.* 1. *cas.* 84. *num.* 7. & Pirgian. *in Pract. crim. part.* 2. *cap* 1 §.7. Socius criminis) multò probabilius negant Syluest. *verb. Indicium num.* 5. Armilla *num.* 6. Angel. *num.* 5. Tabiena *num.* 4. Canrera *in quaest. crim. c.* 2. *de probat. per testes quaest.* 1. *num.* 57. Martinus del Rio *in disquisit. magic. Append.* 2. *lib.* 5. *quaest.* 1. Marsil. *cons.* 28. *num.* 17. Bossius *Tit. de indic. ante torturam num.* 160. Aldrer. *de discipl. eccl. lib.* 2. *ca.* 8. *num.* 27. Becanus *tomo* 3. *part.* 2. *de Iust. & Iur. quaest.* 10. *conclus.* 2. *num.* 10. Sousa *in Aphor. Inquisit. l.* 2. *c.* 39. *num.* 51. Sanchez *in opuscul. tom.* 2. *l.* 6. *c.* 3. *Dubitat* 15. *num.* 7. Queuedo *de indic. & tortur. pa.* 2. *c.* 5. *num.* 16. Narbon. *in recopil. pa.* 2. *leg.* 1. *gloss.* 4. *num.* 5. Ioseph de Sancta Maria *in Tribun. Relig. tract.* 5. *c.* 2. §.2. & alij, quos *supra sect.* 10. *num.* 6. citabam. 1

Probatur, quia de iure torqueri non potest reus, nisi saltem contra reum ac sit semiplena probatio (quam efficit dictum vnius testis omni exceptione maioris) sed socius criminis non est testis omni exceptione maior vt per se patet, ergò, &c.

Excipe tamen, si cum dicto vnius socij criminis concurrat alia præsumptio, adminiculum, seu indicium, quia tunc dictum vnius socij criminis sic adminiculatum efficiet indicium sufficiens ad torturam; sic Doctores iidem, quos supra dicebam. 2

Quænam autem præsumptio, adminiculum, seu indicium hoc debeat esse: 3

Respondetur ex Menoch. *de Arbitr. l.* 2. *cas.* 474. *numero* 47. Peguera *in decis. crim. decis.* 5. *numero* 33. & aliis (cum id non reperiatur in iure determinatum) remittendum esse arbitrio prudenti inquisitorum, verbi gratia; (sicuti exemplificant Menochius, & Farinacius, Sousa *in Aphor. Inquisit. l.* 2. *cap.* 25. *num.* 24. & Queuedo *l. de indic. & tortur. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 5.) si simul cum prædicto socio criminis concurrant testes de auditu, vel concurrat fama, vel fuga, vel inter socium, & nominatum specialis, & stricta amicitia, vel secreta allocutio, & conuersatio. Quæ de re videri etiam poterit Grammatic. *cons.* 6. *numero* 5. *volum.* 6 Binsfeld. *in comment. de malefic. & Mar. leg.* 9. *de indit.* §. 5. & Antonius de Ballis *var. tractat libro* 1. *quaestion.* 26. *numero* 9. & videri etiam poterunt, quæ dicebam *supra dicta sect.* 10. *n.* 8. *& seqq.*

Aduerte

4 Aduerte tamen, quod ad torquendom reum sufficiat simpliciter & absolutè dictum duorum sociorum criminis. Clarus *in Pract. crim.* §. *finali quæst.*21. Menoch. *de præsumpt. libro primo quæst.*91. *num.*5. Ioseph Aldrete *de disciplin. tuend. libro* 2. *cap.*8. *num.*27. Penna *in direct. Inquisit. part.*3. *comment.* 110. *in Appendice.* Becanus *in* 2.2. *de Iust. quæst.*10. *num.*10. Queuedo *de indic. c.*2. *num.*20. & Filliuc. *tomo* 2. *tract.*40. *ca.*7. *num.* 37.

Quamuis nonnulli (qoos sequitur Zanard. *in direct. Theolog. p.*3. *ca.*94.) teneant, quod tunc solùm sufficiat, quando præterea ad idem dictum duorum sociorum criminis accesserit aliqua præsumptio, adminiculum, vel indicium, vti *supra* de dicto vnius socij criminis dicebatur. Hinc

5 Aduerte secundò, quod, siquis fuerit tortus, fueritque negatiuus ex dicto vnius socij criminis adminiculato, postea verò duo alij socij criminis,, qui contra illum de eodem delicto deponant, accesserint, possit ille iterùm torqueri; sic Doctores, quos sequitur Marius Giurba *in consil. crim. cons.* 50. *num.*41.

6 Aduerte tertiò, quod ad torquendum reum sufficiat (vti dicebam) dictum duorum sociorum criminis, etiamsi hi non sint contestes, sed sint testes singulares. Clarus *in Praxi* §. *fin. q.*21. Farinacius *q.*43. *num.*37. *& seqq.* & alij, quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquisit. l.*2. *q.*39. *num.*55.

7 Aduerte qoartò, quod ad torquendum reum tunc sufficiat (vti etiam dicebam) dictum vnius socij criminis, vel dictum duorum sociorum, quando iuxta Textum *in c. In fidei fauorem de heret. in* 6. ex verisimilibus coniecturis, ex numero testium, vel ex personarum tam deponentium, quàm earum (contra quas deponitur) qualitate, & ex aliis circumstantiis testificantur, ita vt falsa dicere oon præsumantur. Hippol. de Marsil. *cons.* 74. *num.* 13. Menoch. *de Arbitr. libro* 2. *cas.*474. *num.*58. Mascard. *de probat. lib.* 1. *conclus.*158. *num.*3. Martinus del Rio *in disquis. magic. Append.* 2. *l.*5. *q.* 1. *conclus. vltima*, & alij communiter, quos suprà *sect.*10. *num.*14. dicebam.

8 Aduerte quintò, quod ad torquendum reum sufficiat (vti & etiam dicebam) dictum voius socij criminis adininiculatum, vel dictum duorum sociorum, si reus inculpatus sit malæ famæ, vitæ, conditionis, & conuersationis; secùs, si bonæ; quia per bonam famam, vitam, conditionem, & conuersatiooem elisum intelligitur illud indicium, quod exinde contra reum inculpatum resultabat; cum merita vitæ bonæ præcedentis quamplurimùm valeant; *l.*3. §. *sed si ex improuiso*, & *l. non omnes*, §. *à Barbaris ff. de re milit.* Parisius *l.*4. *cons.*151. *num.*13. Peguera *decis. crim.* 5. *num.*31. Roland. à Valle *consil.*16. *num.*14. *&* 25. *volum.*1. Monticell. *in Prax. crim. reg.*4. *num.*46. & Bertazol. *lib.*1. *cons.*61. *num.*19.

9 Quod tamen intellige, nisi cum dicto vnius socij criminis adminiculato, vel cum dicto duorum sociorum tot præsumptiones, adminicula, seu indicia concurrant, vt superent bonam famam rei inculpati; quia tunc reus inculpatus, quamuis sit bonæ famæ, torqueri debebit; sic Doctores, quos sequitur Farinac. *q.*37. *n.*188. Hinc

10 Adoerte sextò, quod (licet ad torquendum reum absque difficultate sufficiat dictum saltem trium sociorum criminis) id tamen limitandum sit, nisi reus inculpatus (præsertim in ordine, & comparatiuè ad personas inculpantes) sit valdè bonæ famæ; sic Doctores, quos sequitur del Rio *in disquis. magic. Append.* 2. *l.*5. *quæstion.*6.

11 Aduerte septimò, quod (licet nonnulli, quos sequitur Mascard. *de Probat. conclus.*1318. *num.*43. teneat, quod ad torquendum reum tunc sufficiat dictum vnius socij criminis adminiculatum, vel dictum duorum sociorum quando, qui testificatur, testificatur interrogatus à Iudice; secùs, si testificetur vltrò, seu spontè; moti ex eo, quia suspectus à iure reputatur testis vltrò se offerens examinari; ergò similiter suspecta reputari debet nominatio socij criminis vltrò, seu spontè facta) contrarium tamen cum Iulio Claro *in Practica lib.*5. *quæst.*21. Farinacio *quæst.*37. *num.*189. Queuedo *de indic. part.* 2. *cap.*5. *numer.*17. & alij dicendum sit; quia socius criminis in casu nostro non vltrò, seu spontè se offert examini, sed coactus; cum (qootiescunque à Iudice ad dicendam veritatem super facto iuramentum accipit) implicitè de sociis interrogator, an socij interuenerint. Vt omittam, quod in [Tribunali sanctæ Inquisitionis dictum socij criminis semper habetur ex interrogatorio Iudicis, saltim implicitè, & obligatione scilicet edicti, & metu censurarum.

SECTIO XVII.

COROLLARIVM VII.

An ad torquendum Reum sufficiat dictum vnius socij criminis adminiculatum, vel dictum duorum sociorum, si qui testificatur, alias exceptiones, seu defectus patiatur.

SVMMARIVM.

1 *Reus vt possit torqueri, non sufficit dictum vnius socij criminis adminiculatum, vel dictum duorum sociorum, siquis testificatur alias exceptiones, seu defectus patiatur, v.g. sit fœmina, minor, infamis, criminosus, periurus, excommunicatus, vel aliàs testis inhabilis.*

2 *Socius criminis licet in crimine heresis in testem admittatur, id tamen locum tantùm habet in socio criminis, aliàs ex aliis delictis non infamato.*

3 *Socius criminis vt faciat indicium ad torturam, requiritur, quod non patiatur nisi hunc vnum defectum, quia si plures, etiamsi tantùm duos patiatur, v.g. non tantùm sit infamis, vel criminosus, sed etiam sit vilis, abiectus, vel alias inhabilis, tunc neque in exceptis criminibus indicium facit ad inquisitionem specialem, nedùm ad torturam, etiamsi in tortura suam nominationem confirmasset.*

4 *Reus si prius examinatus delictum, atque etiam complices negauerit, vel confessus de se delictum, interrogatus de complicibus, illos reticuerit, postea verò tortus, &c. à priori depositione variando socios nominauerit, talis nominatio defectu periurij contra nominatum non facit indicium, nisi forsan concurrerent grauia adminicula.*

5 *Socius criminis licet ad testificandum admittatur in crimine heresis, id tamen tantùm procedit, quando talis socius non est ex alio delicto infamatus, sicque non detur contra ipsum duplex exceptio, seu defectus.*

6 *Socius criminis quod in crimine heresis admitti possit ad testificandum, etiamsi patiatur alios defectus, non est omninò improbabile: quamuis cum minori fide, vt scilicet leuius indicium faciat contra reum nominatum; quia lex admittens criminosum ad testificandum in criminibus exceptis, non distinguit de vno, vel pluribus delictis.*

7 *Item, quia aliàs nullus socius criminis esset idoneus testis.*

Negant

1 Negant (vt fatear) communiter Doctores (si scilicet qui testificatur, sit fœmina, minor, infamis, criminosus, periurus, excommunicatus, vel aliàs testis inhabilis.) Mascardus *de probat. tom. 3. concl.* 1311. *num.* 13. *& seqq.* Gygas *de crim. læs. maiest. lib.* 5. *q.* 7. *n.* 7. Menochius *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 474. *n.* 54. Narbona *in recopil. part.* 2. *leg.* 2. *gloss.* 4. *n.* 10. *&* 11. Bursatos *consil.* 275. *n.* 19. Boëtius
2 *decis.* 319. *n.* 3. Royas *sing.* 188. *n.* 5. (Vbi ait, quod, licèt in crimine hæresis socius criminis in testem admittatur id tamen locum tantùm habeat in socio criminis, aliàs ex aliis delictis non infamato.) Sousa *in Aphor. inquis. lib.* 2. *c.* 29. *n.* 53. *& cap.* 25. *num.* 25. Martinus del Rio *in*
3 *disquis. magic. lib.* 5. *sect.* 3. (Vbi inquit, quod socius criminis, vt faciat indicium ad torturam, requiratur, quod non patiatur, nisi hunc vnum defectum; quia si plures, etiamsi tantùm duos, patiatur; verbi gratiâ, non tantùm sit infamis, vel criminosus, sed etiam sit vilis, abiectus, vel alias inhabilis, &c. Tunc neque in exceptis quidem criminibus indicium faciat ad inquisitionem specialem, nedum ad torturam, etiamsi in tortura suam nominationem confirmasset.) Farinacius *q.* 62.
4 *num.* 385. *& seqq. & quæst.* 43. *num.* 86. (Vbi infert, quod, si reus priùs examinatus, delictum, atque etiam complices negauerit, vel confessus de se delictum, interrogatus de complicibus, illos reticuerit; postea verò iterum de hoc interrogatus, aut tortus, sponte, vel per torturam, à priori dispositione variando, socios nominauerit, tunc talis nominatio defectu periurij contra nominatum reum indicium non faciet; nisi forsan cum dicto socij criminis periuro concurrerent adminicula, & illa non qualiacumque, sed grauia.) Ioseph Sesse *tomo quarto decision. Regn. Aragon.* 477.
5 *numero* 32. (vbi asserit, quod, licèt in crimine hæresis admittatur socius criminis, id tamen tantùm procedat, quando talis socius non sit ex alio delicto infamatus: sicque non detur contra ipsum socium duplex exceptio, seu defectus; quia, sicut plura adminicula probationem probant, sic plures defectus eam destruunt) Auendanus *responsione* 31. *numero* 7. Antonius Queuedus *de indiciis & tortur. p.* 2. *c.* 5. *num.* 18. & alij passim.

Quod in istorum sententia Doctorum (& quidem communi sicut dicebam) est valdè notandum; cum socij criminis in Tribunali sanctæ Inquisitionis ferè semper alias exceptiones, seu defectus patiantur. His tamen non obstantibus,

6 Respondetur, non esse omninò improbabile contrarium (quod docent Ludouicus Bossius, & Baiardus, quos citat, & non improbat Martinus del Rio *loco suprà citato Append.* 2. *quæst.* 17.) Nempe socium criminis (etiamsi alios defectus patiatur) in crimine hæresis, vel in alio quocumque excepto admittendum esse, quamuis cum minori fide, vt scilicet leuius indicium faciat contra reum nominatum.

Probatur; quia lex criminosum, & infamem ad testimonium in criminibus exceptis ferendum admittens, non distinguit inter eum, qui vno, vel pluribus criminibus sit innodatus, seu inter eum, qui ratione criminum semel, vel pluries infamiâ sit notatus; ergo nec nos distinguere debemus.

7 Confirmatur; quia (cùm, verbi gratiâ, malefici plurimis, iisque horrendis criminibus vt plurimùm sint inuoluti) si maleficos testes aliis criminibus carere necesse foret, nullus vnquam esset testis idoneus contra reum, de quo loquimur: quod quammaximè vergeret in detrimentum Fidei, Religionis, & Reipublicæ: cùm è contra priùs bonum publicum præferri debeat priuato.

SECTIO XVIII.

COROLLARIVM VIII.

An vt socij criminis fidem faciant contra nominatum, sufficiat, quod tantùm iurent, & non torqueantur? Vbi etiam an idem in eodem casu dicendum sit de aliis testibus inhabilibus?

REspondetuR: de hac re satis dixi *suprà dubitatione* 197. *de testibus, sectione* 5. vbi etiam dixi de quibusdam aliis talium testium, vt fidem faciant, de iure requisitis.

SECTIO XIX.

COROLLARIVM IX.

Quisnam ex complicibus, si plures torquendi fuerint, priùs torqueri debeat? Vbi etiam, an idem in eodem casu (si scilicet plures testes similiter torquendi sint) dici debeat de testibus?

SVMMARIVM.

1 *Torturæ subiiciendus est priùs complex, qui est aliis complicibus suspectior, deterior, vel qui faciliùs vtpote timidior, vel debilior, veritatem dicturus præsumitur: quamuis nonnulli id remittant arbitrio iudicis: sed arbitrium regulatum esse debet à recta ratione.*

2 *Limita secundùm alios, & non improbabiliter, si cætera sint paria, id est contra quemlibet ex torquendis vrgeant indicia æqualia.*

REspondetur (quamuis Afflictus, & quidam alij, quos 1
sequitur Baiardus *in addit. ad Iulium Clar. in practic. lib.* 5. *§. finali q* 64. *num.* 93. putent, id remitti arbitrio iudicis (dicendum nihilominus est, quod priùs torqueri debeat complex) idémque in eodem caso dicas de teste; sic Doctores, quos sequitur Marsilius *in practica crimin. §. expedita num.* 49.) qui est aliis complicibus suspectior, deterior, vel qui faciliùs (vtpote timidior, vel debilior) veritatem dicturus præsumitur; quia arbitrium regulatum esse debet à recta ratione Clarus *in pract. cit. lib.* 5 *§. final. q.* 64. *n.* 29. Catharinus. *de interrogat. reorum lib.* 4. *c.* 1. *n.* 208. Ambrosinus *de processu informat. lib.* 4. *c.* 7. *n.* 1. Pegueta *in prax. crim. cap.* 12. *§.* 11. *n.* 5. Villagut. *in prax. lib.* 7. *c.* 9. *concl. vnic.* Binsfeldius *in comment. de malef. & math. lib.* 7. *q.* 1. *concl.* 9. Zanardus *in direct. Theol. part.* 3. *c.* 91. Vmbertus Locatus *in prax. inquis. verb. Tortura, §. & nota etiam.* Suarez de Paz *in prax. tom.* 1. *p.* 5. *c.* 3. *§.* 12. *n.* 85. Paulin. Berr *in prax. crim. tit.* 22. *c.* 1. *n.* 1. Damaudetus *in prax. c.* 37. *n.* 14. Guazzinus *loc. infrà citando.* Madius *tract. de sacr. ord. cap.* 36. *n.* 12. Villadieg *in polit. c. n.* 326. & alij passim.

Quamuis nonnulli (quos sequitur Guazzin. *tom.* 2. 2
lib. 1. *defens.* 30. *c.* 19. *n.* 4.) limitent, quod dixi, & non improbabiliter, si cætera sint paria, id est contra quemlibet ex torquendis vrgeant indicia æqualia; secùs, si contra aliquem vrgeant indicia plura, vel maiora; quia tunc hic priùs torquendus erit.

SECTIO XX.

COROLLARIUM X.

An ad torquendum reum sufficiat confessio extraiudicialis?

SUMMARIUM.

1 *Reus vt possit torqueri, sufficit confessio extraiudicialis.*

2 *Confessio extraiudicialis, propter quam reus potest torqueri, debet esse verisimilis, scilicet habeat causam præexistentem.*

3 *Confessio prædicta requiritur, vt facta fuerit seriò non autem iocosè.*

4 *Confessio prædicta requiritur, quod non sit generalis sed specialis quoad locum, & tempus.*

5 *Confessio prædicta extraiudicialis requiritur etiam, quod probata fuerit testimonio duorum testium.*

6 *Item requiritur, quod reus non reuocauerit confessionem suam extraiudicialem, adeò quod si reuocauerit illam, torquendus non sit: at contrarium est probabilius: nemo enim credendus est, sibi falsò crimen imponere.*

7 *Excipe casu quo reus confessionem suam extraiudicialem reuocando, errorem probauerit; quia tunc quidem prædicta confessio extraiudicialis meritò non faciet indicium ad torturam.*

8 *Confessio extraiudicialis ita valet ad torturam secundùm aliquos Doctores, vt si reus idem, quod priùs extraiudicialiter confessus fuerat, confiteatur in tortura, possit tamen si postea non ratificet dictam confessionem extraiudicialem, ad pœnam condemnari, & probabilius secundùm alios ad pœnam ordinariam: Confessio enim in tormentis, indiciis præcedentibus facta, semper vt sit alicuius momenti, perseuerantiam, & ratificationem requirit.*

9 *Confessio extraiudicialis non probatur per testes singulares quorum singularitas est adminiculatiua, contra nonnullos.*

10 *Dicta de confessione extraiudiciali, dicenda etiam sunt de confessione emanata coram iudice incompetente.*

1 REspondetur, ex dictis *suprà eadem sectione decima, numero* 15. affirmatiuè: & patet ex iisdem *ibid.*

Vt autem ad torquendum reum sufficiat confessio extraiudicialis (quemadmodum adnotant Foller. *in pract. p.* 2. *n.* 204. Menochius *de præsumpt. lib.* 1 *q.* 89. *n.* 16. *&* 17. Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. q.* 21. *n.* 112. Villadiego *in polit. c.* 3. *n.* 311. Ioseph de sancta Maria *in Tribun. relig. tract.* 5. *c.* 2. §. 8. Giuthba *consil.* 87. *n.* 20. Brunus *de indiciis q* 3. *num.* 16. Carrerius *in pract. leg. obseruare n.* 121. Farinacius *q.* 82. *n.* 29. Antonius Quercedus *lib. de indic. & tortur. c.* 7. *n.* 3. Mascardus *lib.* 1. *concl.* 310. *n.* 1. Bossius *in tit. de confess. n.* 45. & Antonius de Ballis *in tract. variar. lib.* 1. *q.* 13.)

2 Requiritur primò, quod dicta confessio extraiudicialis sit verisimilis, scilicet habeat causam præexistentem, ita vt si nulla subsit causa, qua sic factum dici possit, indicium non faciat ad torturam.

3 Requiritur secundò, quod dicta Confessio fuerit facta seriò; non autem iocosè, vel calore iracundiæ.

4 Requiritur tertiò, quod non sit confessio generalis, sed specialis, quoad locum scilicet, & tempus. Menochius, Brunus, Carrerius, Farinacius, Antonius, Quercedus, & Mascardus *in locis suprà citatis*: quamuis dissentiant (& satis probabiliter) Bossius, & Antonius de Ballis, *vbi suprà*; quia verisimile non est, quod quis velit extra iudicium narrare integrum factum cum circumstantiis.

Requiritur quartò, quod dicta confessio fuerit probata testimonio duorum testium; ita vt (etsi tale requisitum commune sit cum aliis indiciis remotis) specialiter tamen locũ habeat in casu nostro; cùm id in casu nostro testes testificari debeant cum maiori quadam diligentia. Follerius, Menochius, Villadiego, Ioseph de S. Maria, & Giutba *in locis suprà citatis.* 5

Requiritur quintò ex Menochio *vbi suprà num.* 25. Carretio *cit. n.* 121. Mastrilio *singul.* 310. Bertazzolio *lib.* 2. *cons.* 166. *n.* 22. Cacherano *in decis. Pedem.* 79. *n.* 125. Albertino *de agnoscend. q.* 25. *n.* 22. Sanchez *in opuscul. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 3. *dub.* 15. *n.* 8. & aliis, quod reus non reuocauerit confessionem suam extraiudicialem; adeò quod si reuocauerit illam, torquendus non sit, cùm sit confessio nudi facti. 6

At contrarium, tanquam probabilius, docent Clarus, *vbi supra*, & alij, quos sequitur Petrus Caballus *resol. crim. centur.* 1. *cas.* 81. *n.* 4. (eoque propter rationem, quam *suprà* dicebam, quod scilicet nemo credendus sit, sibi falsò crimen imponere) excepto, si reus confessionem suam extraiudicialem reuocando, errorem probauerit; quia tunc quidem prædicta confessio extraiudicialis meritò non faciet indicium ad torturam. Clarus, & Caballus (qui ita testatur de praxi. Item Farinacius *q.* 82. *n.* 30. Bossius *tit. de confess. n.* 55. Binsfeldius *in comment. ad tit. C. de malef. & math. leg.* 9. *de indiciis*, § 9. Miranda *in ord. iud. tom.* 2. *quæst.* 26 *art.* 7. *conclus.* 1. & alij passim. 7

Vbi tamen aduerte, quod (licet nonnulli Doctores, quos citat, & sequitur Villagut. *in praxi lib.* 7. *c.* 14. *conclus.* 3. & Mascardus *de probat. lib.* 1. *conclus.* 353. *num.* 24. teneant, confessionem extraiudicialem ita valere ad torturam, vt si reus idem, quod priùs extraiudicialiter confessus fuerat, confiteatur in tortura, possit, tametsi postea non ratificet dictam confessionem extraiudicialem, ad pœnam condemnari.) Probabilius tamen, loquendo de condemnatione ad pœnam ordinariam, doceant Peña *in direct. p.* 3. *comment.* 110. Cachar. *de interrogat. reorum. lib.* 4. *c.* 1. *n.* 153. Antonius Gomez *tom.* 3. *var. c.* 13. *n.* 8. Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. q.* 64. *num.* 136. Guazzinus *in tom.* 2. *l.* 1. *defens.* 30. *dub.* 35. *num.* 6. Simancas *de Cathol. instit. tit.* 65. *n.* 70. Miranda *in ord. iudic. tom.* 2. *q.* 26. *art.* 7. *conclus.* 1. Becanus *in* 2. 2. *q.* 1. *concl.* 1. *n.* 9. Petrus Caballus *loco suprà citato n.* 6. & Suarez de Paz *tom.* 1. *p.* 5. *c.* 3. §. 12. *n.* 26. quia confessio in tormentis, indiciis præcedentibus, facta, semper vt sit alicuius momenti (cùm semper censeatur vi tormentorum extorta) perseuerantiam, & ratificationem requirit. Vide, quæ dicam *infrà post sect. vlt. petit.* 4. 8

Aduerte secundò, quod (licet nonnulli teneant, confessionem extraiudicialem probari per testes singulares; ita Sousa citans Mascardum, *in Aphor. inquis. lib.* 2. *c.* 21. *n.* 1. quibus addit: confessio extraiudicialis sufficienter probatur testibus singularibus, quorum singularitas est adminiculatiua; & Albertin. *de agnoscend. q.* 25. *n.* 20. quatenus inquit: si darentur plures extraiudiciales confessiones rei, & vnus testis deponeret de vna confessione, & alter de altera, sicque testes essent singulares, quamuis vnusquisque per se non faceret indicium ad torturam, facerent tamen hæ duæ attestationes simul iunctæ) adhuc non omninò improbabiliter contrarium doceant Menochius, & alij, quos sequitur Farinacius *q.* 64. *n.* 145. & *q.* 82. *n.* 45. Videri poterunt, quæ dicam *infrà post sectionem vltimam, citata petitione quarta.* 9

Aduerte tertiò, quod omnia (quæ vsque adhuc dixi de confessione extraiudiciali) dicenda etiam sint de confessione emanata coram iudice incompetente; quod scilicet, sicut indicium ad torturam facit confessio illa, sic 10

sic etiam faciat confessio ista, modò sit spontanea, & & libera; sic Doctores, quos sequitur Miranda *de ordin. indic. tom. 2. quæst. 26. art. 7. concl. 1.* Videri poterunt etiam Peña *in direct. inquisit. part. 3. commentar.* 118. *in appendice*, & Genuensis *in praxi Archiepiscop. cap.* 8. *num.* 3. Videri & poterunt etiam, quæ dicam *infrà post sectionem vltimam eadem petitione* 4.

SECTIO. XXI.

COROLLARIVM XI.

An ad torquendum reum sufficiat fama?

SVMMARIVM.

1 *Reus vt torqueri possit, non sufficit fama, nisi aliis indiciis, seu præsumptionibus adiuuetur.*

2 *Reus vt torqueri possit, non sufficit secundùm aliquos fama vehemens, secundum alios verò sufficit sine aliis adminiculis.*

3 *Fama vehemens quæ dicatur, relinquitur arbitrio iudicis.*

4 *Fama vehemens non dicitur, quando ortum habet ab hominibus inhonestis, & fide non dignis, & quando numerus testium non supplet inhabilitatem illorum in probatione famæ, & quando non magis attenditur causa originis famæ, quàm numerus personarum.*

5 *Reus vt possit torqueri stante fama, requiritur, quod testes deponentes de prædicta fama, sint non solùm ad minus duo, sed etiam vlteriùs spectatæ vitæ, & omni exceptione maiores, contra asserentes, sufficere etiam, si testes deponentes de dicta fama non sint ita honesti, & ita fide digni.*

6 *Testes deponentes de fama non sufficiunt ad torquendum reum, si dicant publicè ita dici audiuisse, nisi adducant causas, præsumptiones, seu coniecturas verisimiles, ex quibus fama exorta fuerit.*

1 Respondetur ex dictis *eadem sectione* 10. *num.* 17. *& seqq.* negatiuè, nisi aliis indiciis, seu præsumptionibus adiuuetur; & patet ex iisdem dictis *ibid.*

2 An autem sufficiat, si fama fuerit vehemens?

Negant, & in hoc casu etiam Binsfeldius *in comment. de malef. & math. leg. 9. de* indic. §. 6. & Petrus Caballus *in resolut. crim. centur.* 1. *cas.* 89. *n.* 14. quatenùs expressè aiunt, quod non sufficiat fama de se sola, quamuis illa & vehemens sit.

Affirmant autem Menochius *consil.* 788. *n.* 27. *& de præsumpt. lib.* 1. *q.* 89. *num.* 51. *&* 52. Vbi (postquam dixerat, quod ad torquendum reum non sufficiat fama) excipit, si fama sit vehemens: fama enim vehemens sola (subdit ipse) sine aliis adminiculis sufficit ad tor-

3 turam; quæ verò dicatur fama vehemens, relinquitur arbitrio iudicis; affirmant etiam Peña *in direct. part.* 3. *commentar.* 110. Aldorinus *consil.* 26. *n.* 2. Peguera *decis.* 17. *n.* 16. Miranda *de ordin. indic. tom.* 2. *q.* 26. *art.* 5. *concl.* 1. Cantera *in quæst. crim. cap.* 2. *de probat. per testes q.* 1. *n.* 8. Bertazzol. *consil.* 213. *n.* 3. *vol.* 1. Pitigianus *in pract. crimin. part.* 3. *cap.* 7. *in addit. lit. B*, Zanardus *in director. inquisit. p.* 3. *c.* 95. & Farinac. *q.* 47. *n.* 18.

4 Qui tamen omnes volunt, quod fama vehemens non sit, quando ortum habet ab hominibus inhonestis, & fide non dignis, & quando numerus testium non supplet inhabilitatem illorum in probatione famæ, & quando non magis attenditur causa originis famæ, quàm numerus personarum, ità vt (si fama ortum habuerit à sexcentis personis, non tamen appareat causa, vnde talis fama orta fuerit) non debeat haberi in consideratione, atque adeò non facere indicium ad torturam.

At his stantibus (cùm in posteriori sententia fama non dicatur vehemens, nisi fuerit adminiculata) prædictæ duæ sententiæ non videntur inter se discordes, sed potiùs quammaximè concordes, & vniformes, quod scilicet ad torquendum reum fama non sufficiat, nisi fuerit cum aliis indiciis, præsumptionibus, seu coniecturis modo, quo dicebam *suprà sectione* 10. *n.* 17. *& seqq.*

Aduerte tamen, quod (licet nonnulli velint, ad torquendum reum sufficere famam, si ortum habuerit ab aliqua verisimili causa, præsumptione, seu coniectura: quamuis testes de tali fama non sint ita honesti, neque ita fide digni) contrarium tamen dicendum sit cum Farinacio *quæst.* 47. *num.* 159. Miranda *de ordin. indic. tom.* 2. *q.* 26. *art.* 5. *concl.* 2. & aliis passim, requiri scilicet ad torquendum reum, quod testes deponentes de prædicta fama sint non solùm ad minus duo, sed etiam vlteriùs spectatæ vitæ, & omni exceptione maiores iuxta ea, quæ dicebam *supra cit. sect.* 10. *n.* 17. *& seqq.* 5

Aduerte secundò, quod (licèt Bursatus *lib.* 1. *conclusione* 90. *num.* 6. Peguera *decis.* 17. *num.* 25. Paulus Granat. *theoremat.* 22. *n.* 6. & quidam alij velint, ad torquendum reum sufficere, si testes dicant, se ita publicè dici audiuisse; seu ita esse publicam vocem, & famam) contrarium tamen dicendum sit cum Bart. *in l. de minore, §. plurium num.* 12. Marsilio *ibid. num.* 54. *de quæstion.* Nauarro *in tract. de fam. & infamia, cap. Non sunt audiendi* 2. *q.* 3. *num.* 13. *&* 14. Mascardo *de probat. lib.* 2. *concl.* 149. *n.* 11. *& seqq. & lib.* 3. *concl.* 1369. *num* 8. & Miranda *de ordin. indic. tom.* 2. *q.* 26. *art* 5. *concl.* 2. Requiri scilicet ad torquendum reum, quod præterea testes adducant causas, præsumptiones, seu coniecturas verisimiles, ex quibus fama exorta fuerit: ita vt, si tantùm dicerent, se ita publicè dici, audiuisse, seu ita esse publicam vocem, & famam, & præterea non reddunt rationem, qua id necessariò concludunt, indicium non faciant ad torturam, iuxta ea, quæ etiam dicebam *suprà eadem sect.* 10. *n.* 17. *& seqq.* 6

Quoad alia requisita, vt probetur eadem fama, de qua loquimur, videri poterit Farinacius *quæst.* 57. *per totam.*

SECTIO XXII.

COROLLARIVM XII.

An ad torquendum reum sufficiat mendacium, variatio, vel vacillatio in respondendo?

SVMMARIVM.

1 *Reus vt torqueri possit, non sufficit mendacium, variatio, vel vacillatio in respondendo, nisi præterea adiungatur aliud indicium, adminiculum, coniectura, seu præsumptio.*

2 *Reus in causa hæresis ex sola vacillatione, nisi adsint alia indicia de delicto, non ponitur ad torturam.*

3 *Mendacium solum non sufficit ad torturam, quamuis aliqui putent sufficere, si sit super facto principali.*

4 *Variatio, vel vacillatio non sufficit ad torturam, vt docent præter Canteram plures Doctores.*

5 *Titubatio, trepidatio, vultúsque mutatio, sine alio adminiculo, non sufficiunt ad torturam.*

1 Respondetur ex dictis *eadem sectione 10. num. 19. & seqq.* negatiuè; nisi præterea adiungatur aliquod aliud indicium, adminiculum, coniectura, seu præsumptio; & patet ex iisdem dictis *ibidem.* Quapropter Cantera *in quæst. crimin. cap. de probat. per testes quæst. 1. num. 20.* rectè inquit, quod minùs rectè faciant iudices (qui captum aliquem propter delictum, sine aliquo indicio, propter vacillationem, vel trepidationem solam ponunt ad torturam) quodque ex hoc viderit ipse, quemdam iudicem fuisse punitum, & condem-
2 natum in Cancellaria Granatensi: Quodque etiam propterea in causa hæresis ex sola vacillatione nunquam reus, nisi adsint alia indicia de delicto, ponatur ad torturam.

3 Et quidem de mendacio, quod solum non sufficiat ad torturam, in specie docent Doctores, quos citat, & sequitur Miranda *in ord. ind. tom. 2. quæst. 26. art. 12. conclusione* 1. Quamuis alij, si mendacium sit super facto principali, putent, per se solum sufficere; sic Doctores, quos citat, & sequitur Giurb. *in consilio criminal. consilio* 87. *numero* 27. qui subdunt, quod quando plura adsunt mendacia, vnum ab alio adminiculetur ad torturam.

4 Et de variatione, vel vacillatione, in specie, præter Canteram *vbi suprà*, docent Clarus, Zanardus, Becanus, Ciazius, Sousa, Carerius, Cacheranus, Petrus Caballus, & Farinacius, quos *suprà citata sectione 10. num. 19.* referebam.

5 Et de titubatione tandem, trepidatione, vultúsque mutatione, idem (quod scilicet sola quæcumque ex ipsis sine alio adminiculo non sufficiat ad torturam, in specie docent Menochius *de præsumpt. lib. 1. quæst.* 89. *n.* 71. Marsil. *in pract. crim. §. diligenter n.* 74. Carerius *in prax. crim. l. Cbseruare n.* 120. & Sousa *in Aphorism. inquisit. lib. 2. c. 39. num.* 81.

SECTIO XXIII.

COROLLARIVM XIII.

An ad torquendum reum sufficiat fuga, vel simile aliquod indicium?

Respondetur: de hac re vide, quæ dicam *infrà post sectionem vltimam petitione 6. & seqq.*

SECTIO XXIV.

COROLLARIVM XIV.

An reus pluriès possit torqueri?

Respondetur: de hac re vide, quæ dicebam *suprà sect. 10. n. 21.* & quæ fusiùs dicam *infrà sect. vltima, petit. 13. per totam.*

SECTIO. XXV.

COROLLARIVM XV.

An, & quomodo reus in tortura debeat interrogari?

SVMMARIVM.

1 *Reus in tortura debet cautè interrogari, ne ipsi detur occasio mentiendi contra se, & contra alios: quapropter interrogari debebit generaliter, nempe quod veritatem dicat de omnibus, de quibus est accusatus, & nullo modo falsum aliquod dicat contra se, vel contra alios, quia si particulariter interrogaretur, potiùs ad falsum incitaretur, quàm inquireretur.*

Respondetur: cautè, ne ipsi occasio mentiendi contra se, & contra alios detur: quapropter interrogari debebit generaliter, (nempe, quod veritatem dicat de omnibus, de quibus est accusatus, & nullo modo falsum aliquod dicat contra se, vel contra alios, quia si particulariter de aliqua re, vel nominatim de aliqua persona interrogaretur, potiùs ad falsum incitaretur, quàm inquireretur. Ioannes Royas *de heret. p. 2. n.* 295, Miranda *in ord. ind. tom. 2. quæst. 26. art. 15. conclus. 7.* Simancha *de Cathol. instit. tit. 65. num. 17. & seqq.* Suarez de Paz *in praxi tom. 1. p. 5. c. 3. §. 12. n* 92. & alij communiter, & habetur *in quadam instructione Toletana anno* 1561. *num.* 49. 1

SECTIO XXVI.

COROLLARIVM XVI.

An, & quo tempore debeat fieri, quod reus ratificet confessionem in tormentis factam?

SVMMARIVM.

1 *Reus vt condemnari possit post erutam confessionem in tormentis emanatam, requiritur, quod eam extra locum tormentorum ratificet.*

2 *Ratificationis dictæ tempus à tormentis passis incipiens quantum esse debeat, in iure definitum non est, & secundum aliquos remittitur arbitrio iudicis, putant tamen alij esse vnius diei naturalis, seu vigintiquinque horarum.*

3 *Ratificatio prædicta fieri debet benigniùs post duos, vel tres dies ex tempore, quo inflicta fuit tortura, ne adhuc tormentorum dolor, & vehemens animi perturbatio durare videatur.*

4 *Idem etiam dic de confessione, quam reus fecerit ex reali tormenti comminatione propinqua; quamuis verbalis terrefactio remota dictam ratificationem similiter non requirat.*

5 *Reus ad fugiendam suggestionem non lecta sibi confessione, moneri debet ad repetendum in substantia quid in sua confessione per torturam, vel per quid aliud simile erutа realiter, & in effectu dixerit. Vide, quomodo ordinatim sit procedendum.*

6 *Confessio facta in tortura, si reus eam reuocauerit, & post reuocationem fuerit iterum confessus, valet, & subsistit, vt is ad pœnam ordinariam possit condonari.*

7 *Confessio in tortura, & postea extra torturam legitime ratificata ex interuallo, potest ex erroris allegatione, & ex erroris probationis oblatione reuocari, contra nonnullos id negantes, casu quo præcesserint indicia vrgentia.*

8 *Error si probatus non fuerit, tunc non iterum ad torturam, sed ad condemnationem definitiuam deueniendum erit.*

9 *Ratificatio*

9 *Ratificatio confessionis in tortura, &c. si Reus sit minor, facienda est præsente Curatore.*

1 SVppono, quod post inflicta tormenta, & post confessionem in eis erutam, vt virtute talis confessionis reus possit condemnari, requiratur, quod eam extra locum tormentorum ratificet. Glossa *in l. 2. verb. aliquid Cod. quarum appellat. non recip. & in l. seruos Cod. ad leg. Iul. de vi publica.* Simanch. *de Cathol. Inst. titulo 65. numero 67.* Suarez de Paz *in Praxi tomo 1. part. 5. capite 3. §. 12. numero 23. & 24.* & alij communiter.

2 At (quia quantum temporis in hoc casu transire debeat, de iure definitum est) nonnulli cum Bartolo *in l. 1. §. Diuus Seuerus ff. de quæst.* putant, quod relinquendum id sit arbitrio Iudicis.

Alij verò (vt Antonius Gomez *tom. 3. var. cap. 13. num. 24.*) putant, quod transire debeat spatium vnius diei naturalis, seu viginti quatuor horarum; Idemq; tenent Peña *in direct. p. 3. comm. 39. num. 158* & Sousa *in Aphor. Inquis.* (qui rectè subdunt, benignius esse, quod hæc ratificatio post duos, vel tres dies ex tempore, quo inflicta fuit tortura, fieri curetur, ne adhuc tormentorum dolor, & vehemens animi perturbatio

3 durare videatur) idemque etiam tenent Simanch. *de Cathol. Inst. tit. 65. num. 71.* & Miranda *in ord. Iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 17. concl. 5.* qui rectè etiam aduertunt, propterea inquisitores in tertium diem (quod illis etiam permittit instructio quædam Hispalensis *Anno 1484. num. 15.*) Rei ratificationem differre consueuisse: quamuis hodie (vt ait Cantera *in quæst. crim. c. 2. de probat. per testes quæst. 1. num. 67.*) ex instructione quadam alia Toletana *Anno 1561. num. 53.* post transactas viginti quatuor horas à Reo ratificationem regulariter exposcant; at, quod priùs dicebatur, est & benignius, & in praxi magis seruandum.

4 Suppono secundò, quod (quemadmodum, vt Reus virtute confessionis possit condemnari, requiratur, quod eam extra locum tormentorum ratificet) idem etiam dicendum sit de confessione, quam reus fecerit ex reali tormenti comminatione propinqua; quamuis verbalis terrefactio remota dictam ratificationem similiter non requirat. Peña *in direct. p. 3. comm. 39. num. 150.* & alij, quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquis. l. 2. c. 39. n. 42.* His suppositis.

5 Respondetur: modus habendi à reo hanc ratificationem (quamuis ab aliis modi alij assignentur) ex Farinacio *de hæres. quæst. 185. § 8. num. 150.* (prout hodie seruatur) est, quod reus ad effugiendam suggestionē, non lecta sibi confessione, moneatur ad repetendum in substantia, quod in sua confessione per torturam, vel per quid aliud simile eruta realiter, & in effectu dixerit; sicque per ipsum repetita dicta confessione in substantia, legatur postea eadem confessio per extensum, & exposcatur ab ipso, an ea, quæ ipsi lecta fuerint, sint illa eadem, quæ confessus sit per torturam, vel per quid aliud simile, & an ea, tanquam vera, confirmare, seu ratificare velit, & intendat.

6 Aduerte tamen hic, quod, si reus tortus confessus fuerit in tortura, vel in aliquo alio simili, & postea confessionem reuocauerit, at post reuocationem spontè fuerit iterum confessus (dicendo scilicet, quæ dixit in tortura, vel in aliquo alio simili, realiter, & in effectu vera esse) tunc confessio facta in tortura, vel in aliquo alio simili (cum per confessionem spontaneam spontè postea corroborata sit) valeat, & subsistat, vt reus ad pœnam ordinariam possit condemnari, sic Doctores, quos sequitur Cantera *loco supra cit.* subdens sic per consilium supremum inquisitionis determinatum fuisse.

7 Aduerte secundò, quod confessio in tortura, vel in aliquo alio simili facta, & postea extra torturam, vel extra aliquod aliud simile ex interuallo legitimè ratificata, possit ex erroris allegatione, & ex erroris probationis oblatione reuocari. Clarus, Bossius, & alij, quos citat, & sequitur Caballus *in resol. crim. cent. 2. cas. 186. num. 4.*

8 Quamuis nonnulli velint, hoc non procedere, quando indicia vrgentia (v.g. confessio extraiudicialis, &c.) torturam præcesserint, sed minùs rectè; quia probato errore, contrarium omninò dicendum est; quod si error probatus non fuerit, tunc non iterùm ad torturam, sed ad condemnationem definitiuam deueniendum erit.

9 Aduerte tertiò, quod ratificatio confessionis in tortura, vel in aliquo alio simili facta, si reus sit minor, facienda sit præsente Curatore; alias non valebit, vt per eam reus ad pœnam (saltem ordinariam) condemnari possit; sic Doctores, quos sequitur Villadiego *in Politica c. 1. n. 3. o.* & Paul. Garzias *in ord. procedendi in S. Officio mihi fol. 30. pag. 2.*

SECTIO XXVII.

An personæ, quæ in aliis criminibus sunt exemptæ à tortura, in crimine hæresis torqueri possint?

SVMMARIVM.

1 *Variæ sunt personæ, quæ in aliis criminibus à tortura exemptæ sunt, tùm ratione officij, & dignitatis: tum ratione periculi vitæ propriæ, vel alienæ.*

2 *Personæ à tortura in aliis criminibus exemptæ ratione officij, & dignitatis; in crimine hæresis, cùm tale crimen sit valde graue, & Reipublicæ perniciosum, torqueri possunt.*

3 *Personæ prædictæ ratione officij, & dignitatis secundùm aliquos Doctores mitiùs torqueri debent; quia, cùm in iure dispensatur, Clerico torturam inferendam esse per Religiosum tortorem, tacitè insinuatur, inferendum esse cum pietate, & Religione, & non cum rigore, & crudelitate.*

4 *Personæ prædictæ secundùm alios non mitiùs torqueri debent ex eo, quod iura solùm disponant, clericum esse torquendum per tortorem Religiosum, seu Ecclesiasticum, & non per Laicum; quod iam vsu, & consuetudine est abrogatum.*

5 *Personæ prædictæ ratione officij, & dignitatis à tortura exemptæ in aliis criminibus, secundùm auctoris sententiam in crimine hæresis mitiùs torquendi sunt; & cur?*

6 *Non obstat, quod prædictæ personæ, vtpote digniores, grauius delinquant: quia si hæc ratio quid probaret; probaret etiam in cæteris criminibus præter hæresim, eos non esse mitiùs torquendos. Quod est falsum.*

7 *Personæ in aliis criminibus à tortura exemptæ propter periculum vitæ propriæ, vel alienæ, licèt aliqui putent, quod neque in crimine hæresis torqueri possint, ex eo, quod exemptio harum personarum à tortura conceditur propter periculum vitæ propriæ, vel alienæ, ex probabiliori tamen sententia in dicto crimine hæresis torqueri poterunt excepta muliere prægnante.*

8 *Exceptio à tortura non datur testi in crimine læsæ maiestatis humanæ, ergò neque in crimine læsæ maiestatis diuinæ ipsi Reo.*

9 *Neque obstat dispositio l. 1. §. Impuberi ff. ad Syllanum, vbi decernitur, impuberes posse terreri, & habena, vel ferula cedi; quia hic terror, & hæc casu etiam extra crimina excepta conceditur.*

GGgg 3 *Mulier*

10 *Mulier pragnans propter periculum partus non solùm eximitur à tortura, sed etiam à terrore illius, eo quod ex terrore etiam abortus sequi potest, quemadmodum ex ipsa tortura.*

1 SVppono, quod diuersæ sunt personæ, quæ in aliis criminibus sunt exemptæ a tortura; vel scilicet ratione officij, aut dignitatis (quales sunt Clerici, Religiosi, Nobiles, Milites, & Decuriones) vel ratione periculi vitæ propriæ, aut alienæ (quales sunt minores annorum 14. senes, valetudinarij, & mulieres prægnantes) hoc supposito.

2 Respondetur, & dico primò: personæ in aliis criminibus exemptæ à tortura ratione officij, aut dignitatis, in crimine hæresis (cum tale crimen sit valdè graue, & Reipublicæ perniciosum) torqueri possunt: sic Doctores communiter, quos sequitur Decianus *tract. crim. l.5.c.20. num.22. & c.30. n.18.* Royas *singul.*208. *n.5.* Penna 3.*p. direct. comm.*39. *n.*156. *vers. Scio quæstitum esse.* Simaoch. *de Cathol. Inst. tit.*65. *rubr. de tormentis num.*44. *& seqq.* Antonius Gomez *tom.*3. *var. c.*13. *rubr. de tortura Reorum num.*3. Cantera *in quæst. crim. ca.*2. *de probat. per testes quæst.*1. *num.*71. Narbona *in recopil p.*1. *leg.*61. *gloss.*1. *nu.*14. Mirand. *in ord. iudic. tom.*2. *quæst.*26. *art.*13. *concl.*6. Guazzin. *tom.*2. *l.*1. *defens.*30. *c.*9. Suarez de Paz *in Praxi tom.* 1. *p.*5. *ca.*3. §.12. *n.*50. Sanchez *in opuscul. tom.*2. *l.*6. *c.*3 *dub.*15. *num.*12. & Farinac. *de hæresi q.*185. *n.*125. *& de indiciis & tortura q.*41. *n.*100. & patet ex Textu *in l. de minore ff. de quæst. in l. etsi excepta Cod. de malefic. & mat. & in l. siquis alicui Cod. ad leg. Iul. maiest.*

3 An autem tales personæ debeant mitiùs, quàm aliæ torqueri?

Affirmant Clarus *practic. §.finali, q.*64. *versu, Sed an Clerici.* Martinus del Rio *in append.*2. *lib.*5. *q.*23. Peña *in direct. p.*3. *comment.* 110. Chartar. *de interrogat. reor. lib.*4. *c.*1. *num.*112. Salzed. *practic. cap.*125. *num.*6. *lit. D,* Gygas *de crim læs. maiest. lib.*2 *q.*28. *num.*3. & Simanch. *de hær. tit.*65. *num.* 49. *&* 62. tum ex Textu *in cap. illi qui* 5. *q.* 5. quia ibi dicatur, Clerico torturam inferendam esse per tortorem Religiosum, tacitè insinuatur, inferendam esse cum pietate, & religione, & non cum rigore, & crudelitate; tum etiam ex ratione, quia dignitati aliquid deferendum est: ergo si propter atrocitatem criminis hæresis tales non eximuntur à tortura, conuenit, quod saltem eximantur à rigore illius.

4 Negant autem Follet. *pract. crim. c.*31. *vers. Tormentis mox subiiciatur num.*7. Franciscus Cason. *tract. de tormentis, c.*11. *rubr. de non torquendo Clerico num.*5. & alij, quos citat, & sequitur Farinacius *de indic. & tortur. q.*41. *n.*12. *& de hæres. q.*185. *n.*125. ex eo, quia supradictus Textus *in cap. illi, qui* solùm indicat, Clericum torquendum esse per tortorem Religiosum, seu Ecclesiasticum, & non per laicum (vti dixit Glossa *ibi*, quam sequuntur Doctores) quod iam vsu, & consuetudine est abrogatum; sic Doctores, quos citat, & sequitur Clarus *praxi finali, q.*64. *versu, Sed hic quæro,* Scaccia *de indic. lib.*1. *cap.*10. *num.*41. & Farinacius *citat. quæst.*41. *num.*15. sed nullo modo ex prædicto Textu deducitur, quod Clerici, Religiosi, Nobiles, & quilibet alij ratione officij, & dignitatis à tortura exempti mitiùs in hoc crimine torquendi sint; præsertim cùm tales, vtpote digniores, grauiùs delinquant, quàm cæteri; & propterea tortura, quæ iuxta grauitatem criminis est mensuranda, grauiori torqueri debeant.

5 At, hoc non obstante, magis mihi probatur sententia prior affirmantium; quod scilicet prædictæ personæ in aliis criminibus ratione officij, & dignitatis à tortura exemptæ, in crimine hæresis mitiùs torquendæ sint, quia cùm supradictus Textus *in cap. Illi qui,* indicet, Clericum torquendum esse per tortorem Religiosum, seu Ecclesiasticum, & non per laïcum, hoc ipso simul insinuat, & mitius torquendum esse; cùm Religiosi, seu Ecclesiastici ad instar Ecclesiæ mitiores esse soleant, vel saltem debeant.

6 Neque obstat, quod obiiciebatur, scilicet quod prædictæ personæ, vtpote digniores, grauiùs delinquant; quia si hæc ratio quid probaret, probaret etiam, quod in aliis criminibus, in quibus à tortura non eximuntur cæteri, neque ipsi, quin & multò minùs ipsi eximi deberent; & tamen, licèt cæteri non eximantur, ipsi tamen de facto eximuntur (forsan ex eo, quia personæ digniores, delicatiores esse consueuerunt.) Ergo omninò (sicuti prior sententia aiebat) aliquid dignitati deferendum est; ita vt personæ digniores, licèt in crimine hæresis, propter eius atrocitatem, in totum à tortura non eximantur, eximantur tamen à rigore illius.

7 Dico secundò: Personæ in aliis criminibus à tortura exemptæ propter periculum vitæ propriæ, vel alienæ (quamuis Gomez *tom.*3. *var. cap.*13. *num.*3. *versu, Quod tamen intelligo.* Simancha *de Cathol. instit. tit* 65. *n.*45. Martinus del Rio *in disquis. magic. lib.*5. *sect.*9. *§. quoad personas.* Miranda *in ordine iudic. tom.*2. *quæst.*26. *art.*13. *concl.* 7. & alij putent quod neque in crimine hæresis torqueri possint, ex eo, quod exemptio harum personarum à tortura conceditur propter periculum vitæ propriæ, vel alienæ, quod periculum æque in omni crimine procedit.) Ex probabiliori tamen sententia aliorum (quam tenent Ioseph Sesse *in decis. Regn. Aragon. tom.*4. *decis.*476. *n.*20. Villadiego *in polit. c.*3. *n.*322. *& seqq.* Guazzinus *tom.*2. *lib.*1. *defens.*30. *c.*9. *&* 18. Eymericus à Rosbach *in tract. crim. tit.*5. *c.*21. *numero* 10. Queuodus *de indic. & tortur. c.*12. *num.*9. Peña *p.*3. *directorij comment.*39. *numer.*156. *versu Scio quæsitum esse,* Carrerius *in pract. crim. in tractat.*2. *de indic. & tortur. §. circa testium quæ personæ torqueri possunt n.*37. *versu Fallit in criminibus exceptis,* & Farinacius *de indic. q.*1. *num.*103. *& de hæresi q.*42. *num.*102. *&* 133 *& q.*185. *num.* 125.) in dicto crimine hæresis torqueri poterunt (exceptâ muliere prægnante) si tortura cum ea cautela, & moderatione adhibeatur, vt secundùm Medicorum consilium, inde nullum mortis periculum immineat.

8 Probatur ex Textu *in leg. de minore, ff. de quæstionibus.* vbi exempto minore quatuordecim annorum a tortura, subditur, [non procedere exemptionem in crimine læsæ maiestatis, in quo omnes omninò, si ad testimonium prouocentur, cùm res exegerit, torqueantur.] Ergo si torqueri possunt pro testimonio dicendo in crimine excepto, à fortiori torqueri poterunt ob suspicionem talis criminis commissi.

9 Neque obstat, si dicas, hos torquendos esse tortura telata *in leg.* 1. *§. Impuberi, ff. ad Syllanum,* vbi decernitur, impuberes posse terreri, & habena, vel ferula cædi.

Respondetur enim, id non obstare; tum quia, hic terror, & hæc cæsio, etiam extra crimina excepta conceditur; tum quia Textus *in l. cit. de minore* absolutè dicit, torquendos esse; at terror, & ferulæ cæsio non reputatur tortura *ex supradicta l.* 1. (cùm Textus ibi habeat: [Impuberi autem verùm in supplicio parcimus; an verò etiam in quæstione: & magis est, vt de impubere nec quæstio habeatur; aliàs solet hoc in vsu obseruari, vt impuberes non torqueantur; terreri tamen solent, & habena, vel ferula cædi.] Ergo terror, & ferulæ cæsio tortura non reputantur.

10 Dixi: exceptâ muliere prægnante: quia hæc propter periculum partus non solùm eximitur à tortura, sed etiam à terrore illius, eo quod ex terrore etiam abortus sequi potest, quemadmodum ex ipsa tortura: quapropter prohibita tortura, & hic terror etiam prohibetur; quia est eadem ratio; tum quia prohibito fine, prohibentur etiam & media, *l. cùm lex, ff. de fideiussor, l. cùm delictum, ff. de pactis, & l. Oratio, ff. de sponsal.* & expressè tradunt Peña 3. *p. direct. commentar.*34. *versu, Si*

quis

quis autem. Antonius Gomez *tom.3. variarum cap.13. de tortur. reor. num 4. versu & ita debet procedere.* Sousa in *Aphor. Inquis. l.2. c.59. num.52.* Binsfeld. *in comment. de malef. leg 7. q.2. concl.7* & alij, quos sequitur Farinac. *de Indic. & tortur. q.41. n.84.* quidquid in contrarium dixerit Zanard. *in direct. Theolog. p.3. c.88.* vbi tenet, quod mulier prægnans possit terreri; sed minùs rectè propter rationes iam dictas.

ADVERTENDA

Pro Praxi.

SVMMARIVM.

1 *Personas priuilegiatas ratione ætatis, si sint minores annorum 14. non esse torquendas, minùs probabiliter dixit in crimine hæresis Martinus del Rio.*

2 *Pœnam ratione ætatis in minoribus non minorari, minùs etiam probabiliter dixit Ioseph de Sesse.*

3 *Priuilegiatos omnes in Tribunali S. Inquisitionis posse torqueri, exceptis minoribus 14 ann. & exceptis senibus, minùs probabiliter senserunt aliqui Doctores, quamuis rectè subdant, exceptis mulieribus prægnantibus; quia hæ solùm reuera neque possunt terreri.*

4 *Mulieres post partum non possunt torqueri, nisi post dies 40. quamuis alij velint, eas torqueri posse recuperatis viribus post partum arbitrio Iudicis.*

5 *Doctores docentes, senes non esse torquendos, per senes intelligunt homines annorum 70. vel etiam annorum 60. si sint infirmæ salutis, vel debilis complexionis, quamuis id remittendum sit arbitrio prudentum.*

6 *Senes prædicti quando ob aliquod periculum non possunt torqueri, possunt tamen terreri ducendo eos sub aculeo, absque tamen ligatura.*

7 *Febre quartana laborantes torqueri non possunt, nisi leniter, & sine squassata, vel strappata; quamuis alij id relinquant arbitrio Inquisitorum.*

8 *Morbo gallico laborantes simpliciter neque torqueri possunt, si brachium debilitatum habeant, & venæ crudationem, vel anhelitus difficultatem patiantur.*

1 EX dictis igitur aduerte, quod minùs probabiliter ait Martinus del Rio *in disquis. magic. l.5. sect.9. §. quoad personas.* priuilegiatos ratione ætatis (si sint minores annorum 14.) in crimine hæresis non esse torquendos, sed tantùm terrendos; etiam terrore mali (vt nudando, ligando, & ad aculeum adducendo, non tamen imponendo,) quamuis rectè subdat, eosdem (si sint minores 25. annorum, & ingressi saltem annos 14.) esse etiam torquendos, mitiùs tamen, quàm maiores.

2 Aduerte secundò, quod minùs etiam probabiliter ait Ioseph Sesse *in decis. Regn. Aragon. tom.4. decis.476. num* 20. pœnam ratione ætatis in minoribus non minorari; minùs etiam probabiliter (inquam) ait Ioseph Sesse; quia minores ratione ætatis imperfectæ, quam habent, minùs delinquunt, suntque delicatiores, & timidiores, hinc expressè docent Simancha, Decianus, & alij (quos sequitur Sousa *in Aphor. Inquis. l.3. c.32. numero* 18.) minores annis 25. regulariter (tametsi postea facti fuerint maiores; cum non tam attendatur tempus punitionis quàm delicti) puniri mitiùs, etiam in crimine hæresis; præsertim si ipsos rectè pænituerit.

3 Aduerte tertiò, quod & minùs etiam probabiliter putent Cantera *in quæst. crim. c.2. de probat. per testes q.1. n.71.* Royas *singul* 108 *n.5.* Narbona *in recopil. p.r. leg. 61. gloss.1. n.14.* Suarez de Paz *in Praxi tom.1. p.5. cap.3. §.12. num.50.* Miranda *in ordin. Iudic. tomo 1. q.16. art.13. concl.6.* & Sanchez *in opusc. tom.2. l.6. c.3. dub.15. num.16.* In tribunali sanctæ Inquisitionis priuilegiatos omnes posse torqueri, exceptis minoribus annorum 14. & exceptis senibus; quamuis rectè subdant, *Exceptis mulieribus prægnantibus*; quia hæ solæ reuera neque possunt etiam terreri: quidquid in contrarium dixerit Zanard. *in direct. Theolog. p.3. c.88. mihi fol.*499. sicuti supra dicebam.

Aduerte quartò, quod mulieres post partum non possint torqueri, nisi post dies 40. Tuscus *lit. T. concl.*328. *n.*21. Cantera *in quæst. crim. q.10. de Reo n.1.* Paul. Ghirland. *de quæst. l 4. q.6. num.7.* Brunus *de indiciis p.2. q.4. num.2.* & Queuedo *de Indic. & Tortur. c.11. n.9.* adeò quod si infra dies 40. torquerentur, & faterentur delictum, confessio esset nulla. Baiardus *in addit. ad Iul. Clar. q.64. n.67.* & alij, quos sequitur Eymeric. à Rosbach. *in Prax. crim. tit.5. c.21. n.6.* quamuis alij, (quos sequitur Antonius Gomez *tom.3. var. c.13 n.3.*) velint, quando nam mulieres post partum torqueri possint (recuperatis scilicet viribus) relinquendum esse arbitrio Iudicis. 4

Aduerte quintò, quod Doctores, qui docent, senes non esse torquendos, per senes intelligant senes annorum 70. vel etiam annorum 60. si sint infirmæ salutis, vel debilis complexionis; quinimmò nonnulli ex ipsis (quos sequitur Villagut. *in pract. crim. l.7. c.4. conclus.4.*) absolutè volunt, absolutè senes sexagenarios non esse torquendos; quamuis alij Doctores velint, id esse remittendum arbitrio prudentum, attenta valetudine, robore, & qualitate delinquentis simul, & qualitate delicti. Guazzin. *tom.2. l.1. defens.30. c.12. n.2.* & Eymer. à Rosbach. *cit. c.21. n.12.* 5

Aduerte sextò, quod quando prædicti senes, vel absolutè (scilicet in sententia aduersariorum) vel secundùm quid ratione periculi vitæ (scilicet in sententia nostra) non possunt torqueri, possint tamen terreri, ducendos eos sub aculeo, absque tamen ligatura. Caualcan. *de Brach. Reg. p.3. n.126. ver. est tamen,* Gomez *tom.3. var. c.13. n.3. & 4.* Paul. Ghirland. *de quæst. & torment. c.6. n.8. & seqq.* & Francisc. Personal. *tract. de indic. n.15.* quidquid dubitare videatur Guazzin. *tom.2. l.1. defens.30. c.12. n.3.* 6

Aduerte septimò, quod torqueri tamen non possint (nisi leuiter, & sine squassata, seu strappata, & nisi extra diem febris) ij, qui laborant febre quartana; sic Doctores, quos sequitur Queuedo *l. de indic. p.2. c.12. num.13.* Francisc. Marc. *decis.790.* Baiardus *in Addit. ad Iulium Clar. q.64. num.13.* & Caualcan. *de Brach. Reg. p.3. n.117.* quamuis alij id relinquant arbitrio Inquisitorum, adhibito iudicio Medicorum. 7

Aduerte octauò, quod simpliciter neque torqueri possint ij, qui laborant morbo gallico, si brachium debilitatum habeant, & venæ crudationem, vel anhelitus difficultatem patiantur. Decianus *Respons.93.* Grammaticus *consil. 40.* Laderch *consil. 184.* & alij, quos sequitur Guazzin. *citat. defension. 30. cap16. n.1.* 8

SECTIO XXVIII.

An, & quid dicendum de Reo confitente, vel negante in tormentis?

SVMMARIVM.

1 *Confessio facta in tormentis ratificari debet, aliàs ex illa Reus condemnari non poterit.*

2 *Reus vt ad ratificationem inducatur, Inquisitor cautè procedere debet, primò interrogãdo eum in genere an confessionem*

confessionem factam approbet, deinde eam in particulari proponendo.

3 *Reus si in tormentis confessionem, scilicet post 24. horas ratificauerit, & pœnitens absolutionem petierit, debet suos errores abiurare, & pœnitentia iniuncta ab excommunicatione incursa publicè absolui, nisi forsan fuerit relapsus; quia tunc Curiæ sæculari tradendus est.*

4 *Ratificans confessionem, si in suo errore persistere velit, & ab illo recedere nolit, variis modis, præsertim mediis Doctoribus, vt conuincatur, tentari debet; quod si se conuictum esse non protestetur, sed pertinax perstiterit, Curiæ sæculari puniendus tradi debebit.*

5 *Reus, si accedente tempore ratificationis, confessionem factam reuocauerit, iterùm torqueri debet, non solùm quia reuocauit; sed etiam quia ex confessione priùs facta nouum indicium commissi criminis dedit; quamuis nunquam torqueri debeat vltra tertiam vicem.*

6 *Reus si tamen in tortura negauit, iterum torqueri non potest, nisi fuerint noua indicia criminis vrgentia, & à primis diuersa; quia tunc non tam repetitur, quàm de nouo tortura continuatur.*

7 *Reus iterùm torqueri potest, si torturam sustinere possit absque vitæ, vel membrorum periculo; Nam si adeò debilis sit, vt etiamsi leuiter tortus fuerit, nouam torturam absque prædicto probabili periculo sustinere non valeat, torqueri non debebit.*

8 *Reus si tandem tortus in negatiua semper perstiterit, si insufficienter tortus fuerit ob debilitatem scilicet, vel ob aliam causam, & indicia criminis commissi sint vrgentia, ac vehementia, debet abiurare; sed si sufficienter tortus fuerit, debet liber dimitti, & sententiam absolutoriam, si petierit, obtinere, & cur.*

2 SVppono, quod confessio facta in tormentis, ratificari debeat, iuxta ea, quæ dicebam *sect.* 26. aliàs ex illa reus condemnari non poterit. Gloss. *in l. 2. ver. aliqm Cod. quorum appellat. non recip. & in l. ferant Cod. ad leg. Iul. de vi public.* Eymeric. 3. *part. directorij rubr. de tertio modo terminandi processum numero* 157. *vers. si autem in quæstionibus*, & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinacius *de heres. quæst.* 185. *numero* 130.

Suppono tertiò, quod vt reus ad ratificationem inducatur inquisitor cautè, iuxta ea, quæ dicebam *sect* 25. procedere debeat: primò interrogando eum in genere, an confessionem factam approbet; deindè eam in particulari proponendo, & per extensum legendo, & perquirendo, an quæ lecta sunt, sint ea, quæ ipse fassus est. His suppositis.

3 Respondetur, & dico primò: si, hoc facto, reus in tormentis confessionem suo tempore (forsan scilicet post 24. horas, iuxta ea, quæ dicebam *cit. sect.* 26.) ratificauerit, & pœnitens absolutionem petierit, debet suos errores abiurare, & pœnitentia iniuncta, ab excommunicatione incursa publicè absolui (nisi forsan fuerit relapsus; quia tunc Curiæ sæculari tradendus est, iuxta ea, quæ *supra* dicebam) si verò ratificans confessionem in suo errore persistere velit, & ab illo recedere nolit,

4 variis modis (mediis præsertim Doctoribus, qui cum ipso disputent) vt conuincatur, tentari debet; quod si se conuictum esse non protestetur, sed pertinax perstiterit, Curiæ sæculari puniendus tradi debebit.

5 Dico secundò: si accedente tempore ratificationis reus confessionem factam reuocauerit, iterùm torqueri debet, non solùm quia reuocauit; sed etiam quia ex confessione priùs facta nouū indiciū commissi criminis dedit; quamuis nunquam, sicuti supra dicebam, torqueri debeat vltrà tertiam vicem; præsertim, si prima vice sustinuit tormenta, quatenùs indicia requirebant; sic Doctores, quos citat & sequitur Farinac. *q.* 38. *n.* 97. & ego iterùm dicam *infra post Section. vltimam Petit.* 13. *per totam.*

Dico tertiò: si tamen reus in tortura negauit, iterùm torqueri non potest, nisi fuerint noua indicia criminis vrgentia, & à primis diuersa iuxta ea, quæ dicebam *loc. cit.* & iuxta Textum *in l. vnius* §. 1. *ff. de quæst.* Ibi: [reus euidentioribus argumentis oppressus repeti in quæstionibus potest, vel nisi priùs iuxta qualitatem indiciorum, & grauitatem delicti tortus non fuerit;] quia tunc non tam repetitur, quàm de nouo tortura continuatur: qualibet enim ex his causis existente, torqueri potest: At, illis cessantibus torqueri non debet; sic Doctores, quo citat, & sequitur Menoch. *de arbitr. lib.* 2. *cas.* 272 *numero* 5. *& seqq.* & Farinacius *de Indic. q.* 38. *n.* 72. *&* 83. 6

Cæterùm, cum dixi, *Reum iterùm torqueri posse*, intelligi debet, si torturam sustinere possit absque vitæ, vel membrorum periculo, nam si adeò debilis sit, vt etiam si leuiter tortus fuerit, nouam torturam absque prædicto probabili periculo sustinere non valeat, torqueri non debebit, iuxta Textum *in l. quæstionis modum ff. de quæst.* & clarè colligitur ex Textu *in l. vnius* §. 1. *ff. de quæst.* Ibi: [maximè si in tormentis animus corpusque durauerit;] qua de re videri poterunt Pegna 3. *part. direct. comment.* 39. *num.* 156. *vers. vnum tamen*, & alij quos citat & sequitur Farinac. *q.* 38. *num.* 82. videri etiam poterunt, quæ dicam *citata petit.* 13. *per totam.* 7

Dico quartò: si tandem reus tortus in negatiua semper perstitit, distinguendum tunc sic est: si insufficienter tortus fuit, ob debilitatem scilicet, vel ob aliam causam, & indicia criminis commissi sunt vrgentia, ac vehementia, abiurare debet, sed si sufficienter tortus fuit, debet liber dimitti, & sententiam absolutoriam, si petierit, obtinere. Pegna 3. *part. direct. comment.* 39. *num.* 156. *vers. etsi omninò requirmtur.* Royas *tract. de heret.* 2. *part. num.* 306. Simancha *de Cathol. Instit. tit.* 56. *rubrica de purgatione canonica num.* 17. & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *quæstion.* 185. *num.* 128. 8

Prior pars probatur; quia per aliquam viam debent indicia commissi criminis illa purgari, quæ cùm per torturam purgata non sint, par est, vt per abiurationem purgentur.

Posterior pars patet; quia quandò tortura indiciis correspondet, per illam indicia plenè purgantur, quibus purgatis, reus absoluendus est, ex vulgari Axiomate, Actore non probante, reus absolui debet; *l. Actor Cod. de probat. & l. Qui accusare Cod. de edend.* Vide omninò, quæ dicam *post sectionem vltimam dicta petit.* 13. *per totam.*

SECTIO XXIX.

An Reus conuictus, & confessus, pro habendis complicibus, torqueri possit ab Inquisitoribus?

SVMMARIVM.

1 *Reus conuictus, & confessus pro habendis complicibus torqueri potest, si semiplenè probatum fuerit, quod ipse complices habuerit; quia non reuelare complices est delictum fautoria; semper autem super delicto semiplenè probato Reus torqueri potest, secùs si delictum semiplenè probatum non fuerit.*

2 Reus

2 *Reus si est confessus, & non negatiuus, quod non possit torqueri pro habendis complicibus, seu in caput alienum, minus rectè docent nonnulli, si sufficientia indicia adsint, quod maxime procedit in crimine hæresis.*

3 *Decretum Pij Quinti die 28. Iulij 1569. id permittens contra conuictos, & confessos de hæresi, refertur.*

4 *Decretum Pij Quinti loquitur sine vlla limitatione de indicio complicum, & ita etiam seruatur in Praxi Romæ in supremo Tribunali Sanctæ Inquisitionis.*

5 *Reus de hæresi, quotiescumque disputatur, an torquendus sit, assistere semper debeat eius Aduocatus, vt possit ipse reum, si indicia esse insufficientia viderit, à tortura defendere.*

6 *Reus depositionem, quam fecerit de socio criminis in tortura, ad hoc vt valeat, ratificare debet extra torturam, sicut depositionem, quam fecerit de se ipso similiter in tortura.*

7 *Tortura in caput alienum, seu super complicibus debet esse moderata.*

8 *Tortura in tali casu per mediam horam inflictam dicitur moderata.*

1 RESpondetur cum Cantera *quæst. crim. rubr. de hær. c. 1. n. 57. & de probat. per Testes c. 2. q. 1. n. 52.* Simancha *de Cathol. Inst. tit. 43. n. 17. & tit. 65. n. 60. & in Enchyrid tit. 52. n. 31.* Farinacius *de hæres. q. 185. n. 133. & 183.* Peguera *in Prax. c. 12. §. 5. n. 19. & seqq.* Villagut. *in Pract. l. 7. c. 7. concl. 4.* Binsfeld *in comment. de malefic. leg. 7. q. 1. concl. 13.* Pitigianus *in Pract. p. 2. c. 5. §. alter est*, & aliis communiter, (qui adducunt quamdam instructionem Toletanam *Anno 1561. num. 45*) affirmatiue, si semiplene probatum fuerit, quod reus complices habuerit, quia non reuelare complices (quando tenetur, & de illis interrogatur) est delictum fautoriæ: semper autem super delicto semipleoè probato reus torqueri potest: ergo. At, si semiplenè probatum non fuerit, quod reus complices habuerit, seu si nulla sociorum probatio præcesserit, ob illos reuelandos torqueri non poterit; cum nulla tunc detur præsumptio, quod delictum commiserit; sic Doctores iidem communiter, quos supra citabam.

Obiicies: contrarium (quod scilicet, si reus est confessus & non negatiuus, non possit torqueri pro habendis complicibus, seu in caput alienum) ex dicta instructione Toletana *Anno 1561. num. 45.* (quæ sic à contrario sensu innuere videtur) docent nonnulli, quos sequitur Royas *de hær. p. 2. n. 243.* ergò.

Respondetur: concedo antecedens; at minùs rectè, si scilicet (vti dicebam) sufficientia indicia adsint, quod reus complices habuerit; ratio, quia sic suadeat ratio; tum quia sic habet expressè Glossa *cum Textu in l. non ideò minus Cod. de Accusat.* vt præter alios adnotauit Cantera *cit. c. 2. de probat. per testes q. 1. n. 52.* (qui sic etiam testatur de praxi supremi Consilij inquisitionis) Seraphin. Freytas *in addit. ad tract. de confessar. sollicit. q. 22. n. 28.* & Farinac. *de hæresi q. 185. n. 135.* qui ait probabilius esse, quod (quando adsunt indicia contra hæreticum, habuisse scilicet illum socios in crimine) tunc vt illos reuelat, torqueri possit, siuè de se ipso negauerit, siue confessus fuerit, cum multi reperiantur, qui magis curant tegere complices, quam se ipsos.

3 Accedit decretum Pij Quinti die 28. Iulij anno 1569 in his verbis: [Pontifex inhærendo decretis factis per fel. record. Pauli PP. IV. sanctissimus D. N. Pius Quintus decreuit, omnes, & quoscumque reos conuictos, & confessos de hæresi, pro vlteriori veritate habenda, & super complicibus fore torquendos arbitrio Iudicum.]

4 Quapropter (licet Doctores communiter, vt supra dicebam, teneant, hæreticum non esse torquendum pro habendis complicibus, nisi adsit semiplena probatio, quod criminis socios habuerit) nunc tamen quia supradictum decretum Pij V. loquitur sine tali limitatione, fit, quod in Praxi Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis, etiam sine vllo indicio complicum, inferatur tortura super habendis complicibus; & meritò, quia (sicuti præter alios obseruauit Vmbert. Locat. *in Praxi Inquis. verb. hæreticus, §. hæreticus conuictus*) hæresis, prætetquam quod est crimen immediatè contra Deum, & valdè Reipublicæ perniciosum; est etiam tale, quod communiter sine sociis, seu compluribus committi non consueuit.

Vbi tamen aduerte tam pro his, quæ *sectione præsenti*, quam pro his, quæ *sectionibus præcedentibus*, dicebam, quod quotiescumque disputatur, an Reus torquendus sit, semper assistere debeat eius Aduocatus, vt possit ipse reum, si indicia esse insufficientia viderit, à tortura defendere; quia, cum tortura reo graue præiudicium inferat, contra rationem, & æquitatem esset, si indefensus illam subire cogeretur. Pegna *3. part. directory comment. 110. vers. postremò videndum.* Repertor. Inquisit. *verb. Aduocatus, §. sed an Aduocatus, & verbo tortura, §. An Aduocatus*, & alij passim. 5

Aduerte secundò, quod reus depositionem, quam fecerit de socio criminis in tortura (ad hoc vt valeat) ratificare illam debeat extra torturam, sicut depositionem, quam fecerit de se ipso similiter in Tortura; sic Doctores, quos sequitur Farinacius *quæst. 43. num. 13.* & Scacc. *de indic. & tortur. l. 1. c. 81. n. 9. vers. quintò dubitatur*; quamuis contrarium teneant alij, quos sequitur Petrus Caballus *in resol. crim. centur. cas. 32. num 3. & seqq.* subdens, vt ipse tenet, seruari potiùs in Praxi. 6

Aduerte tertiò, quod tortura in caput alienum, siue super complicibus debeat esse moderata, maior tamen, vel minor pro qualitate causæ, & indiciorum. Clarus *quæst. 64.* Tusc. *lit. T, concl. 234. num. 2.* Becanus *in 2. 2. Sancti Thomæ part. 2. tom. 3. de Inst. & Iur. quæst. 10. num. 5.* & alij, quos sequitur Miranda *in ord. Iudic. tom. 2. quæst. 27. art 20. circa finem.* Sousa *in Aphor. Inquis. l. 2. c. 16. n. 5.* Francisc. Personal. *de indic. n. 9. & seqq.* Guazzin. *tom. 1. l. 1. defens. 30. c. 9. num. 3. & seqq.* & Maur. Borg. *tract. de mod. procedend. ex abrupte centur. 1. quæst. 41. num. 19.* subdens, quod, si tortura in caput alienum, seu super complicibus non sit moderata, sed excessiua, dicatur purgare indicia negocij principalis. 7

Aduerte quartò, quod tortura in tali casu per mediam horam inflicta, dicatur moderata; sic Doctores, quos sequitur Guazzin. *loco supra citato*; & videri poterit etiam Clarus *vbi supra*, & Farinacius *quæst. 4. numero 27.* 8

SECTIO XXX.

An Reus torqueri possit ab Inquisitoribus, absque eo, quod ipsi detur copia indiciorum? Vbi etiam an & torqueri possit ab iisdem, absque eo, quod ipsi publicentur nomina Testium, & Accusatorum?

SVMMARIVM.

1 *Reus torqueri non potest ab Inquisitoribus, absque eo, quod ipsi detur copia indiciorum.*

2 *Nomina Testium, & Accusatorum in causa hæresis ob eius enormitatem, & ob fauorem fidei, nè alioquin homines detineantur à testificando, vel ab accusando, non publicantur.*

3 *Idem dic de quibusdam aliis circumstantiis non publicandis,*

blicandis, & quibus posset ille deuenire in cognitionem Testium, & Accusatorum.

4 *Circumstantia, ex quibus posset Reus deuenire in cognitionem testium, seu accusatorum, quenam sint, remittuntur arbitrio Inquisitorum.*

1 Respondetur quoad primum negatiuè. Iul. Clar. *in Praxi §. final. q.49.* Martin. del Rio *in disquis. magic. append.2. l.5. q.37.* Miranda *in ordin. Iudic. tom.2. q.26. art.14. concl.1.* Simanch. *in Enchirid. tit.52. n.8.* Genuens. *in Prax. Archiepisc. c.68. n.5.* Villadiego *in Politic. c.3. n.312.* Paramus *de orig. S.Inquis. l.2. c.39. n.22.* videri poterit etiam Nauarrus *tom.2. lib.5. consil. tit. de accusat. cons.8. & instructione Toletana Ann.1561. num.32.* & probatur; quia ratio etiam naturalis suadet, quod reo detur copia indiciorum, & cum dilatione temporis ad ea diluenda.

2 Nomina verò testium, & accusatorum (licet *in cap. Qualiter, & quando extra de accusat.* statuatur, quod non solùm dicta, sed etiam prædicta nomina testium, & accusatorum reo publicentur) in causa tamen hæresis ob eius enormitatem, & ob fauorem fidei (ne scilicet alioquin homines detineantur à testificando, vel ab accusando) non publicantur, vti diffusè dicam *infra dubit.198. de Testibus sect.12.*

3 Et quod dixi de non publicandis Reo nominibus Testium, & Accusatorum, idem dicas de non publicandis eidem quibusdam aliis circumstantiis, ex quibus posset ille deuenire in cognitionem testium, vel accusatorum. Pegna *in Annotat. ad Lucernam Inquisit. verb. nomina accusatorum*, & alij, quos sequitur Genuensis *in Prax. Archiepisc. cap.68. num 5.* videri poterit *cit. dubit.198. sect.12.* & videri poterit etiam instructio Hispalensis Anno 1484. *num.16.* & instructio Toletana Anno 1561. *num.31.*

4 Quænam autem sint circumstantiæ, ex quibus posset Reus deuenire, vel non deuenire in cognitionem testium, vel accusatorum, & sic quænam sint circumstantiæ, quæ non sint reo publicandæ, vel publicandæ, remittitur prudenti arbitrio Inquisitorum.

SECTIO XXXI.

An Reus, si fuerit minor, torqueri possit ab Inquisitoribus, absque eo, quod ipsi detur Curator? Vbi etiam an torqueri possit ab iisdem, vel confessionem (quam fecit in tortura) ratificare extra torturam, absque eo, quod sit præsens ipsius Curatoris?

SVMMARIVM.

1 *Reus si fuerit minor, torqueri non potest ab Inquisitoribus, absque eo, quod ipsi detur Curator, aliàs processus esset nullus, & licet minor confiteretur etiam spontè, sine Curatore, talis confessio ipsi non noceret.*

2 *Amplia etiam si talis confessio facta fuerit cum iuramento; quia nec in tali casu præiudicium infert minori, quamuis in aliquibus locis consuetudo sit in contrarium.*

3 *Minor torqueri neque potest absque præsentia sui Curatoris, aliàs posset petere restitutionem in integrum, & tentare nullitatem.*

4 *In Tribunali S. Inquisitionis in Hispania consuetudo est in contrarium, quod Auctori non improbatur; quia nullatenùs in tortura minoris requiritur Curator, sed tantùm in decisione articuli, vtrùm minor debeat torqueri, necne, &c.*

5 *Minor in iudicio S. Inquisitionis à Iudice cogi non potest, vt sibi nominet in Curatorem aliquem de officialibus inquisitionis, quia eius zelus præiudicare posset minori.*

6 *Minor in tali casu neque potest sibi nominare in Curatorem proprium parentem; quia iste propter nimium affectum paternum præsumitur futurus parùm sincerus.*

7 *Ratificatio minoris extra torturam vt valida sit, fieri debet præsente eius curatore.*

Respondetur quoad primum negatiuè, itavt si reus 1
fuerit minor, debeat ipsi dari Curator, aliàs processus esset nullus; &, si minor confiteretur, etiam sponte, sine Curatore, talis confessio ipsi non noceret, immò si diceret Iudici sine Curatore, [non me torqueri facias, quia omnia confiteor, & me non contrauenturum, iuramentum tibi præsto:] Talis confessio 2
sic facta, etiam cum huiusmodi iuramento, ipsi minori præiudicium non inferret. Royas *de heret. p.2. n.318.* Vmbert. Locat. *in Prax. Inquis. verb. Curator.* Pegna *in direct. Inquis. p.3. comm.28.* Guazzin. *tom.2. l.1. defens.30. cap.4. num.21.* & alij, quos sequitur Monticell. *in Prax. crim. regul.10. num.17.*

Quamuis in aliquibus locis consuetudo sit in contrarium, quæ (quidquid dubitare videatur Eymericus à Rosbach. *in Pract. crim. tit.5. c.21. n.3.* mihi non probatur, quia videtur esse contra ius, etiam naturale.

Et quod supra dixi, adeò verum est, vt minor tor- 3
queri, neque debeat, absque eo quod sit præsens ipsius Curator; aliàs posset minor petere restitutionem in integrum, & tentare nullitatem; sic Doctores, quos sequitur Roland. *lib.1. cons.3. num.8. & l. Clarum Cod. de Auctorit. præstand.*

Quamuis in Tribunali inquisitionis Hispaniæ (sicu- 4
ti testantur Antonius de Ballis *tract. var. l.2. q.16. n.17.* Villadiego *in Politic. c.3. n.325.* Chariar. *de interrogat. Reor. lib.4. cap.1. num.43.* & Paulus Garzias *in ord. processan. sancti Officij fol. mihi 29.*) consuetudo sit in contrarium, quæ mihi non improbatur; quia nullatenùs in tortura minoris requiritur Curator, sed tantùm in decisione articuli, vtrùm minor debeat torqueri, necnè; tum quia nullatenùs in tortura minoris necessaria est authoritas Curatoris; cum adsit præsentia Iudicis, ad quem pertinet officium torquendi; tum denique quia nullatenùs (quando reus interrogatus de delicto respondet) conueniens est, quod adsit Curator; cum reus ex scientia propria, & non ab aliis subministrata debeat respondere.

Vbi tamen aduerte, quod minor in iudicio Sanctæ 5
Inquisitionis à Iudice cogi non possit, vt sibi nominet in Curatorem aliquem de Officialibus Inquisitionis; quia zelus talis Officialis præiudicare posset minori; sic Doctores communiter, qui & citant instructionem Toletanam Anno 1561 *num.25.*

Quidquid in contrarium dixerit Caotera *in quæst. crim. q.6. de Reo num.3.* & testetur de praxi in Tribunali Inquisitionis Hispaniæ; quia talis praxis repugnaret prædictæ Instructioni Toletanæ.

Aduerte secundò, quod minor neque possit sibi nominare in Curatorem proprium parentum; quia iste propter nimium affectum paternum præsumitur futurus parùm sincerus; & sic seruatur in praxi.

Quidquid in contrarium dixerit Anton. Gomez *l.3. var. c.1. n.64.* quod possit sibi nominare.

Aduerte tertiò; quod (quando minor ratificat extra 7
torturam confessionem, quam fecit in tortura) ad hoc vt talis ratificatio valeat contra ipsum, necesse sit, quod ratificet præsente ipsius Curatore, iuxta ea, quæ dicebam *supra sectione vigesima sexta circa finem.*

SECTIO

SECTIO XXXII.

An (quando Reus est conuictus, at torquetur super intentione, vel super complicibus) torqueri tunc debeat ab Inquisitoribus cum clausula, *Citra praiudicium probatorum?*

SVMMARIVM.

1 *Reus quando est conuictus, & torquetur super intentione, vel super complicibus, torqueri debet ab Inquisitoribus cum clausula* citra præiudicium probatorum, *quia tunc per prædictam protestationem redditur Fisco ius suum saluum.*

2 *Reus conuictus non eripitur per torturam, quam sustinet negatiuus à punitione ordinaria, si Iudex eum torqueat cum protestatione prædicta, scilicet sine praiudicio probatorum; quia talis protestatio non est contraria facto.*

3 *Reus suspectus de hæresi non obstante tortura, eo quod ea ipsi dicta fuerit cum protestatione prædicta, adhuc si vehementer super intentione, vel complicibus tortus in negatiua persistat, compellitur abiurare de vehementi, & pro facto hæreticali condemnari solet ad triremes.*

4 *Reus si torqueatur stantibus legitimis probationibus, negetque delictum, & Iudex non fecerit dictam protestationem citra praiudicium probatorum, elidet per torturam legitimas contra se omnes probationes contra nonnullos Doctores.*

1 RESpondetur affirmatiuè; itaut reus, si sit tortus sine tali clausula, quin etiam, si sit tortus cum dicta clausula, sed interrogetur in tortura super delicto principali (cùm tunc protestatio sit contraria facto, sicque nihil operetur) persistens tunc in negatiua purget per torturam omnes contra se probationes; secùs, si torqueatur ab inquisitoribus cum prædicta clausula, & in tortura nihil de probato delicto interrogetur; quia tunc reus sic tortus, etiam quod tunc in negatiua persistat, damnandus erit ad pœnam ordinariam; cùm tunc per prædictam protestationem reddatur fisco ius suum saluum, & illæsum. Bursat. *consil.* 346. *n.* 20. Decianus *consil.* 93. *num.* 20. *volum.* 1. Peregrinus *decis* 163. *num.* 13. Zanard. *in director. Theolog. p.* 3. *cap.* 89. Martin. del Rio *in disquis. magic. l.* 5. *sect.* 9. §. *caterum si Reus.* Villagut. *in Pract. l.* 7. *c.* 2. *concl.* 4. Bossius *tit. de Indic. ante torturam n.* 130. Pitigian. *in pract. crim. p.* 3. *c.* 6. *in Addit. lit. P*, Binsfeldius *in comment. de malefic. & Mat. leg.* 7. *quæst.* 1. *conclus.* 3. Sousa *in Aphorism. Inquisit. libro* 2. *cap.* 39 *numero* 44. & 45. Queuedo *de indicio & tortura capite* 1. *numero* 8. Chartar. *de interrogat. Reorum libro* 4. *capite* 1. *numero* 96. & alij passim.

2 Ex dictis igitur reus conuictus non eripitur per torturam (quam sustinet negatiuus) à punitione ordinaria; si Iudex eum torqueat cum protestatione prædicta (scilicet sine præiudicio probatorum) & reuera talis protestatio non sit contraria facto, sicuti esset, si reus interrogaretur (etiam oretenus, & non scribente Notario) super delicto principali, neque etiam eripitur à punitione ordinaria, si non torqueatur super delicto, de quo fuit confessus, vel conuictus, sed solùm ad habendam notitiam aliorum delictorum, vel solùm ad habendam vlteriorem veritatem circumstantiarum delictum aggrauantium.

3 Secundò reus suspectus de hæresi, non obstante tortura (eo quod illa ipsi data fuerit cum protestatione prædicta) adhuc, si vehementer super intentione, vel complicibus tortus in negatiua persistat, compellitur abiurare de vehementi, & pro facto hæreticali condemnari solet ad triremes. Pegna *in director. Inquisit. part.* 3. *comment.* 67. Martinus del Rio *in disquis. magic. lib.* 5. *sect.* 15. §. *dico tertiò*; Zanard. *in director. Inquis. part.* 3. *cap* 64. & Genuensis *in Prax. Archiepisc. cap.* 68. *num.* 8.

Tertiò, si reus torqueatur stantibus legitimis probationibus, negetque delictum, & Iudex priùs prædictam protestationem (scilicet citrà præiudicium probatorum) non fecerit, elidit per torturam legitimas contra se omnes probationes; quidquid in contrarium dixerint Couarruuias *Pract. quæst. cap.* 23. *num.* 5 Gomez *tomo* 3. *variar. c.* 13. *num.* 20 & Suarez de Paz *in Praxi tom.* 1. *p.* 5. *c.* 3. §. 12. *num.* 10. 4

SECTIO XXXIII.

An Reus tortus, sed negatiuus, puniri possit ab Inquisitoribus pœna aliqua saltem extraordinaria?

SVMMARIVM.

1 *Reus tortus, sed negatiuus, si tortura fuit sufficiens ad purganda omnia indicia secundùm qualitatem delicti, & indiciorum, puniri non poterit pœna aliqua, neque extraordinaria, sed debebit absolui. Si verò non fuerit sufficiens, puniri poterit pœna aliqua extraordinaria arbitrio Iudicis, sicque propter qualitatem criminis seruatur in hæresi.*

2 *Reus tortus, sed negatiuus, qui sic indicia euacuauerit, si post torturam iterùm extra torturam de delicto interrogetur, & reperiatur varius, iterùm torquerò non potest.*

RESpondetur distinguendo: si tortura fuit sufficiens ad purganda omnia indicia secundùm qualitatem delicti, & indiciorum, puniri non poterit pœna aliqua, neque extraordinaria, sed debebit absolui; si verò non fuit sufficiens, puniri poterit pœna aliqua extraordinaria arbitrio Iudicis; sicque propter qualitatem criminis seruatur in hæresi; vt scilicet indicia, quando in tali crimine fuerunt grauia, & valde vrgentia, licet purgentur per torturam quoad pœnam ordinariam, non tamen purgentur etiam quoad pœnam extraordinariam; nisi forsan acris aliqua tortura censeretur euacuasse satis illa omnia indicia, quæ fuerant contra Reum. Cantera *in quæst. crimin. cap.* 2. *de probation. per Testes quæst.* 1. *num.* 65. & *in quæst.* 22. *de Reo num.* 12. Riccius *par.* 1. *decis.* 73. *num.* 8. Binsfeldius *de malefic. & Mat. leg.* 7. *quæst.* 1. *conclus.* 16. Bossius *titulo de Inquisitor. numero* 30. Paramus *de origin. Inquisit. lib.* 3. *quæst* 4. *num.* 6. Baiardus *in Addit. ad Iul.* Clarus *quæst.* 64. *num.* 115. Simancha *de Cathol. Institut. titulo* 65. *numero* 74. Soarez de Paz *in Praxi tomo* 1. *part.* 5. *capite* 3. §. 12. *numero* 22. & Iulius Clarus *quæstion.* 64. *numero* 38. (quatenùs ait: [Apud nos autem quandoque etiam post grauem torturam, & Rei perseuerentiam in negatione, vbi indicia sunt valdè vrgentia, solet Senatus Reos condemnare, non quidem ad pœnam ordinariam, sed extraordinariam, scilicet triremium ad tempus.] Quod præcipuè procedere debet in crimine hæresis propter eius enormitatem, vt dicebam. 1

Cæterùm reus totius, sed negatiuus, qui sic indicia euacuauit, si post torturam iterùm extra torturam de delicto interrogetur, & reperiatur varius, iterùm torqueri non potest; quia (cum alia indicia, quæ contra ipsum præcessetant, per torturam purgata fuerint) dicta variatio non erit sufficiens, vt reus iterùm torqueatur quin neque etiam ampliùs interrogandus erit; sic Doctores, quos sequitur Anton. de Ballis *in tract. var. l. 2. quæst. 17. num. 12. & seqq.* quidquid in contrarium dixerint alij, quos sequitur Manil. *in Pract. crim. §. quoniam numero 26.*

SECTIO XXXIV.

An Reus torqueri possit ab Inquisitoribus, si respondere recuset ad interrogata?

SVMMARIVM.

1 *Reus torqueri potest ab Inquisitoribus, si respondere recuset ad interrogata: Talis enim tortura non datur ad eruendam veritatem; quia ad hoc requireretur, quod precederent indicia ad torturam sufficientia, sed datur ad eruendam responsionem.*

1 Respondetur affirmatiuè; ita vt reus in tali casu meritò possit poni ad torturam, & compelli, quod respondeat affirmatiuè, vel negatiuè ad interrogata; sic ex Baldo *in l. Accusationem post num. 11. Cod. qui accus. non poss.* (vbi ait, quod reo talis tortura non detur ad eruendam veritatem; quia ad hoc requireretur, quod præcederent indicia ad torturam sufficientia, sed detur ad eruendam responsionem) docent Clar. *l. 5. §. final. q. 45. n. 6.* Mascard. *de probat. l. 3. concl. 1385. n. 15.* Vmbert. Locat. *in Praxi Inquis. verb. tortura. §. & scias etiam*, Capucius *decis. 145.* Carauita *Rit. 259. num. 14.* Gomez *3. var. c. 12. n. 5.* Mirond. *in ord. Iudic. tom 2. quæst. 26. art 4. concl. 5.* Sousa *in Aphor. Inquisit. l. 2. c. 39. num 48.* Peguera *in Praxi c. 12. §. 5. num 26.* Chartat. *de interrogat. Reorum lib. 3. cap. 2. num. 3.* & alij passim.

SECTIO XXXV.

Per quodnam tormentum reus torqueri debeat ab Inquisitoribus?

SVMMARIVM.

1 *Reus regulariter per tormentum funis torqueri debet ab Inquisitoribus; quia huiusmodi tormentum est à consuetudine, & iure communi satis probatum.*

2 *Iudices considerare debent qualitatem personarum, criminum, & indiciorum; siquidem aliter torquendi sunt serui, ac liberi: fortes, ac timidi: iuuenes, ac senes: robusti, ac debiles: humiles, ac honesti: ignobiles, ac nobiles; cum hi clementiùs, illi verò duriùs torquendi sint.*

3 *Rei omnes torqueri non debent æqualiter, sed magis, vel minùs, secundùm qualitatem personarum, delicti, & indiciorum, nec in torquendi modo, & tempore debent torqueri immoderate, sed ad summum per horam, nec debent regulariter adhiberi plures, quàm tres ictus, seu quassationes.*

4 *Rei si quando ob delictum non possunt torqueri solent puniri pœna extraordinaria.*

Respondetur: regulariter torqueri debet per tormentum funis, quia huiusmodi tormentum est a consuetudine, & iure communi satis probatum *in l. Nullus Cod. ad leg. Iul. Maiest.* vbi Glossa, & alij communiter expositores. Item Gomez *tom. 3 var. c. 13. n. 5.* Martin del Rio *in disquis. magic. Append. 2. l. 5. q. 24.* Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 65. num. 62.*) qui subdit, quod Iudices considerare debeant qualitatem personarum, criminum, & indiciorum; siquidem aliter torquendi serui, ac liberi: fortes, ac timidi: iuuenes, ac senes: robusti, ac debiles: humiles, ac honesti: ignobiles, ac nobiles; cum hi clementiùs, illi verò duriùs torquendi sint) Sousa *in Aphor. Inquis. l. 2. c. 39. n. 25. & seqq.* (qui similiter subdit, quod non debeant omnes rei torqueri æqualiter, sed magis, vel minùs secundùm qualitatem personarum, delicti, & indiciorum, nec in torquendi modo, & tempore debeant torqueri immediatè, sed ad summum per horam, nec debeant regulariter adhiberi plores, quàm tres ictus, seu quæstiones) Suarez de Paz *in Praxi tom. 1. p. 5. c. 3. §. 12. n. 65.* Villagut. *in Pract. canonic. l. 7. c. 3. concl. 1. & 2.* Miranda *in ord. Iudic. tom 2. q. 26. art. 15. concl. 3.* Guazzin. *tom. 2. l. 1. defens. 30. c. 20. per totum*, & alij, quos sequitur Sanchez. *in opusc. tomo 2. lib. 6. capite 3. dubit. 15. numero 2.* 1 2 3

Cæterùm, si quando rei ex aliquo impedimento non possunt torqueri, solent puniri pœna extraordinaria, prout delicti qualitas, & probationes expostulauerint. 4

SECTIO XXXVI.

An Ecclesiastici non infamati, sed tantùm indiciati, torqueri debeant ab Inquisitoribus?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiastici non infamati, sed tantùm indiciati, torqueri debent ab Inquisitoribus secundùm probabiliorem sententiam contra probabilem plurium Doctorum oppositum asserentium; quia licet Ecclesiasticus ordinariè torqueri non possit, nisi de crimine diffamatus; in crimine tamen heresis ad eum torquendum sufficiunt indicia legitima.*

2 *Infamia sufficiens ad torquendum Ecclesiasticum, sufficiens oritur ex semiplena probatione.*

3 *Ecclesiastici in casu, quod sint torquendi, mitiùs torqueri debent, quàm laici contra nonnullos.*

4 *Ecclesiastici vt torqueantur per alios Ecclesiasticos, licet aliqui velint, id tamen in praxi non seruatur.*

5 *Ecclesiastici quando sunt ad torturam indiciis satis grauatis, non debent ad canonicam purgationem admitti, sed torqueri; quamuis ad torquendos eos non sufficiant Indicia ordinaria, quæ sufficiunt in Laico, sed requiruntur Indicia grauiora propter præsumptionem bonitatis.*

Respondetur (quamuis probabilis, pia, & statui Ecclesiastico fauens sit sententia negatiua Canteræ *in quæst. crim quæst. 11. de Reo num. 1.* Deciani *respons. 124. numero 38. volum 4.* Bossij *titulo de Indic. numero 15.* Bernadi Diaz *in practic. crimin. capite 125.* Guazzin. *tomo 2. libro 1. defens. 30. capite . numero 7.* Mauratensis *variar. resolut. libro 3. resolut. 44. cas. 4. numer. 4.* Damoderi *in practic criminal. capite 37. numero 15.* Eugenij *consil. 76. numero 103.* Marsilij *in Practic. crimin. §. Nunc videndum numero 51.* 1

&

& singul. 55. Ioann. Gratiani *in Regular. & fallent. regula* 226. *numero* 91. Rosbach. *in Practic. criminal. titul.* 5. *cap.* 22. *num.* 1. & aliorum, quatenùs aiunt, quod etiamsi contra Clericum sint sexcenta indicia, non tamen ille sit de crimine diffamatus, non possit torqueri) Probabilior tamen, præsertim in casu hæresis, est sententia affirmatiua, quam tenent Simancha *de Catholicis institutionibus titulo* 65. *num.* 48. Peña *in director. inquisit. part.* 3. *comment.* 110. *litera F*, Salzedo *in pract. crimin. Bernardi Diaz citato capite* 125. *litera A*, Miranda *in ordin. iudic. tom.* 2. *quæstion.* 16. *numer.* 12. *conclusione* 1. Zanardus *in director. inquisit. parte* 3. *capite* 95. & Petrus Caballus *centuria* 2. *casu* 84. *numero* 20.

Probatur, quia (licet Ecclesiasticus ordinariè torqueri non possit, nisi de crimine sit diffamatus) in crimine tamen hæresis ad eum torquendum sufficiunt indicia legitima, quia crimen hæresis est exceptum, & facilius Ecclesiastici, Doctoresque possunt alios ad falsam doctrinam trahere, quam possint laici; sicque maius periculum est in iis, quàm in istis.

Confirmatur, quia esto ad Ecclesiasticum torquendum necessaria sit infamia, hæc tamen sufficiens oritur ex semiplena probatione, aliisque indiciis, quæ eum suspectum, & infamatum reddunt: ergo, &c.

3 Vbi aduerte, quod casu, quo Ecclesiastici sint torquendi, hi cæteris paribus, stante scilicet eadem qualitate delicti, & indiciorum, vt præter alios obseruauit Zanardus *in director. Theolog. part.* 3. *cap.* 94. & Sousa *in Aphorism. inquisit. libro* 2. *cap.* 39. *num.* 32.) mitiùs torqueri debeant, ac torquentur laici: quamuis contrarium teneant alij (quos sequitur Queuedus *de indiciis parte* 1. *cap.* 12. *num.* 17. Et videri poterit etiam Caballus *centuria* 1. *casu* 84. *num.* 18.) Forsan ex eo, quia Ecclesiastici grauiùs delinquunt, quàm laici.

4 Aduerte secundò, quod (licèt nonnulli Doctores velint Ecclesiasticos, quando torquendi sunt, torqueri debeant per alios Ecclesiasticos) id tamen in praxi non obseruetur (vt præter alios notauit Cantera *in quæstion. crimin. quæst.* 11. *de reo num.* 1.) forsan ex eo, quia non facilè reperiuntur Ecclesiastici, qui rectè torquere noscant.

5 Aduerte tertiò, quod iuxta probabiliorem opinionem, quàm *suprà* dicebam (quando Ecclesiastici sunt ad torturam indiciis satis grauati) non debeant ad canonicam purgationem admitti, sed torqueri; sic Doctores, quos sequitur Guazzinus *tom.* 2. *lib.* 1. *defens.* 30. *cap.* 10. *num* 6. Quamuis ad torquendum Ecclesiasticum non sufficiant indicia ordinaria, quæ sufficiunt ad torquendum laicum, sed requirantur indicia grauiora, propter præsumptionem illam bonitatis, quam ratione status habent Ecclesiastici; sic Doctores iidem, quos sequitur Guazzinus *vbi supra*, Farinacius *q.* 41. *n.* 9. & Miranda *in ordin. indicior. tom.* 2. *q.* 26 *a.* 13. *conclus.* 2.

SECTIO XXXVII.

An, & quid facere debeant Inquisitores, si timeant, quod reus ex maleficiis, & incantationibus in tortura veritatem dicturus non sit?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores si timeant, quod reus ex maleficiis, & incantationibus in tortura veritatem dicturus non sit, curare debent, vt ei, quando torquendus est, detrahantur omnes vestes, & abradantur omnes pili, &c.*

2 *Item curare debent, quod reo inspiciantur os, foramina narium, & aurium, pudenda tam anteriores, quàm posteriores, &c.*

3 *Item curare debent, quod adhibeantur remedia quædam Ecclesiastica, de quibus Martinus del Rio.*

4 *Index in causa de sagis potest à tortura desistere, si timeat, quod ea non fateantur veritatem ob maleficium, & post aliquot alios dies eam repetere: cùm dæmon non semper eis assistat, sed aliquando spontè, vel Dei iussu desistat.*

Respondetur: Curare debent, quod reo, quando torquendus est, detrahantur omnes vestes, & abradantur omnes pili, ne fortè in vestibus, vel in pilis maleficium, vel facturam aliquam ad hunc finem inuolutam habeat. 1

Item curare debent propter eamdem rationem, quod reo inspiciantur os, foramina narium, & aurium, pudendæ, tam anteriores, quàm posteriores, & etiam si qua plaga, cantherium, vel incisio sit in corpore illius. 2

Item curare debent, quod adhibeantur remedia quædam Ecclesiastica (de quibus Martinus del Rio *in disquisit magic. appendic* 2. *lib.* 5. *q.* 25. *& q* 29. Vbi de sagis 3
loquens habet, quod in tali casu possit iudex à tortura desistere, & post aliquot dies alios eam repetere; cùm dæmon non semper eis assistat, sed aliquando spontè, vel Dei iussu desistat) Malleum malefic. *tom.* 1. *p.* 3. *q.* 15. *per totam*, Martinus del Rio *locis suprà cit.* Binsfeldius *in comm. malef. & math. l.* 7. *q.* 1. *conclus.* 5. Damanderus *in pract. crim. c.* 37. *n.* 21. Ambrosinus *de process. informatiu. lib.* 4. *c.* 7. *n.* 13. Chartar. *de interrog reor. lib.* 4. *c* 1. *n.* 210. *& seqq.* Marsilius *in pract. crim.* §. *nunc videndum n.* 52. Peña *in direct. inquis. p.* 3. *comm.* 39. *lit. F*, & Antonius Queuedus *lib. de indic. & tortur. p.* 2. *c.* 6. *per totum.* 4

SECTIO XXXVIII.

An Inquisitores, si torqueant reum ex opinione probabili, relicta probabiliori, puniri debeant à suis Visitatoribus?

Vt in genere, seu in vniuersali difficultas soluatur, sint sequentia

Supposita.

SVMMARIVM.

1 *Conscientia est dictamen rationis indicans, aliquid esse fugiendum, vel sequendum; quapropter est actus intellectus non quicumque, sed indicatiuus, quo intellectus indicat, quid voluntas debeat fugere, quid autem sequi, vel amplecti.*

2 *Conscientia partim se extendit ad opera præterita, vel accusando ea, tanquam malefacta, & dicitur remorsus conscientiæ, vel commendando ea, tanquam benefacta, & dicitur testimonium conscientiæ nostræ: partim ad opera præsentia, vel futura, & dicitur iudicium practicum.*

3 *Conscientia vna est consulens, seu suadens, aliquid esse agendum, vel non agendum, seu omittendum, non tanquam quid necessarium, sed tanquam quid magis conueniens ad morum honestatem, & animæ salutem.*

4 *Dictamen hoc rationis, iudicium, seu conscientia est multiplex, certa, errans, opinatiua, dubia, scrupulosa.*

5 *Conscientia certa est iudicium certum saltem moraliter, de quo prudenter dubitari non potest, vel ab intrinseco, si nitatur rationi; vel ab extrinseco*

seco, si nitatur auctoritati; videlicet, si auctoritate Dei, dicatur fides diuina: si humana, fides humana.

6 *Conscientia errans est, quæ proponit esse agendum, quod non est agendum; vel non esse agendum quod est agendum.*

7 *Conscientia opinatiua est iudicium infirmum, seu non certum vnius scilicet partis, cum formidine partis aduersæ, seu oppositæ.*

8 *Conscientia dubia est, quando intellectus, cùm non habeat motiuum aliquod assentiendi, non valet se in alteram partem inclinare, sed est anceps, & pendulus, quod si non assentiatur si in vnam partem se magis inflectat, dicitur suspicio.*

9 *Conscientia scrupulosa est ex leuibus rationibus orta apprehensio, quæ iudicium certum, vel iudicium opinatiuum partis aduersæ non excludit.*

10 *Conscientia dubia, & scrupulosa, non est propriè conscientia; quia vtraque non est dictamen rationis, seu iudicium, sed est dispositio ad illud.*

11 *Conscientia, seu iudicium, vel est in genere, seu in vniuersali, vel est in specie, vel in particulari.* Vide ibi plura exempla de vtraque.

12 *Iudicium in specie, seu in particulari non est contrarium priori illi iudicio in genere, seu in vniuersali; quia iudicium illud prius in generali nunquam se extendit ad casum hunc particularem.*

13 *Iudicium in particulari est, quod precipuè regulat actiones morales, & quod præcipuè in agendo sequi tenetur agens morale.*

14 *Conscientia distinguitur à synderesi; quia synderesis non est iudicium, seu dictamen rationis, sed est habitus principiorum practicorum, quæ sunt vniuersales, ac per se nota actionum moralium regulæ, & quasi quædam lumina virtutum vera, & incommutabilia.*

15 *Error nunquam contingit circa synderesim, cùm ea versetur circa vniuersalissima principia agendorum.*

16 *Conscientia est actus elicitus à virtute prudentiæ circa particularia: synderesis autem continet vniuersalissima principia prudentiæ. Et inter synderesim, atque virtutem prudentiæ media est scientia moralis, & iurisprudentia.*

17 *Conscientia certa, recta, seu vera est, quæ ex practicis principiis secundùm omnes circumstantias rectè applicatis colligitur de agendo, vel de non agendo. Applicatio verò illa principiorum interdum est recta, & vera veritate tam speculatiua, quàm practica, & tunc emergit conscientia omnimodè certa, recta, seu vera. Interdum autem non est vera veritate speculatiua, sed solùm vera veritate practica, seu in ordine ad particularem conclusionem, & conscientiam rectè formandam.* Vide exempla diuersa harum.

18 *Conscientia, quæ est falsa speculatinè, quod sit practicè vera, & proxima regula moralis operationis honestæ, cognosci potest, si ex duobus practicis principiis indubiè veris per reflexionem intellectus colligi possit hic & nunc, aliquid honestum esse.*

19 *Iudicium huiusmodi, seu ratiocinationis conclusio, licet sit falsa secundùm quid, est tamen absolutè loquendo certa, vera, & recta conscientia.*

20 *Opinio probabilis est, vel ab intrinseco propter rationem, vel ab extrinseco propter auctoritatem Doctorum.*

21 *Opinio probabilis ab intrinseco propter rationem est, quæ certitudinem non habet, nititur tamen firmæ rationi, & contra se rationem conuincentem non habet; nam si contra se rationem conuincentem haberet, non esset opinio, sed error.*

22 *Opinio non ideò amittit probabilitatem ex eo, quod alicui videatur habere rationem aliquam in contrarium conuincentem; quia, si v. g. tu non potes rationem illam conuincentem soluere, poterit forsan alius.*

23 *Opinio aliqua poterit esse probabilior, & tibi, v. g. non sic videatur, vel quia eius rationes, & auctores non noueris, vel quia contrariæ rationes probabiliores videntur.*

24 *Ad actiones humanas regulandas non tam attendi debet, qualis opinio in se sit, sed qualis operanti videatur: fieri enim potest, vt opinio sit in se vera, & tu tamen secundùm illam rectè agere non possis, quia eam apprehendis vt falsam: & è contra vt opinio sit in re falsa, & tu tamen è contra secundùm eam rectè agere possis, quia apprehendis vt veram.*

25 *Opinio probabilis innititur firmæ rationi, videlicet in ordine ad virum professionis peritum, qui rationes opinionis contrariæ, licèt alioquin communis perspexerit, & dissoluerit.*

26 *Limina, nisi viri docti singularem opinionem alij postea discutientes tanquam improbabilem, & erroneam condemnauerint; quia tunc ei non potest sua opinio non valdè suspecta de falsitate reddi.*

27 *Opinio probabilis ab extrinseco est, quæ nititur graui auctoritati: auctoritas autem grauis censetur, quæ est saltem vnius viri probi, & docti, qui talem doctrinam non temerè, & inconsideratè, sed post perpensas, & solutas rationes oppositas, amplexus est, &c.*

28 *Opinio probabilior est, primò ea, cui lex eo loci recepta assistit; quia iudex in mandatis habet, vt iudicet secundum leges.*

29 *Iudex si à litigantibus, eorúmque Procuratoribus, & Aduocatis quid minus dictum, vel quid omissum fuerit, potest supplere, & proferre quod nouit legibus, & iuri publico conuenire, licet ea, quæ pertinent ad factum proferre non debent, nisi quorum publicam notitiam ex actis, vel instrumentis acceperit.*

30 *Opinio probabilior secundò dicitur ea, cui loci consuetudo fauet; quia in dubio consuetudo est optima legum interpres.*

31 *Opinio probabilior tertiò dicitur ea, quam Doctores in eo genere periti, communiter sequuntur. Probabiliora enim sunt secundùm Aristotelem, quæ videantur omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, & iis, vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, & illustribus.*

32 *Opinio communis iudicanda est non ex numero opinantium, sed ex firmis rationibus Doctorum, qui ex professo quæstionem tractantes eam stabilierunt.*

33 *Opinionem communem plures Doctores sequi asserunt, quo casu non facilè ea cognosci potest, nisi libri euoluantur, & deprehendatur multò plures, & doctiores stare pro vna, quàm pro alia: quod si cognosci non possit, quænam sit communis, iudex adhærere poterit, cui magis voluerit, nec tenebitur in syndicatu.*

34 *Opinio probabilior quartò dicitur ea, quam rationes firmiores stabiliunt: quod adeò verum est, vt si ratio efficax opinionem minùs communem stabiliat, communiori præferri debeat.*

35 *Dictum vnius grauis Doctoris ad constituendam opinionem probabilem tam sibi, quàm aliis aduersùs communem, sufficit, non solùm casu quo res, pro qua est opinio agitata, non sit ab auctoribus, vel à paucis, sed etiam casu quo agitata sit à multis, & ex professo,*

professo, & perpensis omnibus ex vtraque parte rationibus si firma nitatur rationi, quæ ab aliis sufficienter soluta non est.

36 Singularis Doctor vt plurimum in hoc casu debet timere ne decipiatur, & potius credere quod erret, quam quod iudicio aliorum communi præferri debeat.

37 Propositiones repertæ in libro alicuius Doctoris neoterici, contra communem non debent iudicari improbabiles, sed potiùs probabiles, donec non innotescat à Sede Apostolica eas improbabiles esse iudicatas.

38 Opinio Doctoris antiqui contra communem licet suo tempore probabilis fuerit, dubitari potest, an nunc antiquata, & à Sede Apostolica reprobata sit.

39 Opinio Doctoris alicuius singularis aduersùs communem, vt probabilis censeatur, requiritur, quod resolutoriè doceatur, non autem sufficit contra Sancium, quod incidenter, & occasione alicuius argumenti dicta sit.

40 Item nec sufficit contra eumdem Sancium etiamsi cum assignatione rationis dicta sit.

41 Item nec sufficit ad opinionem aliquam probabilem constituendam factum vnius Doctoris etiam Religiosi, & pij; quia sæpè is ad tale factum moueri potest ex dispensatione, vel ex passione, vel inaduertentia aliqua.

42 Opinio benignior præferenda est, si cætera sint paria, v. g. quæ fauet promissori, vt scilicet in casu dubio non adstringatur ad dandum.

43 Opinio, quæ fauet reo, præferri debet, si partium iura sint obscura.

44 Item opinio singularis etiamsi sit contra communem præferri debet, quæ fauet fidei, Religioni, saluti animæ, vel cuicumque alteri causæ piæ, testamento, libertati, doti, vel simili.

45 Item quæ defendit valorem matrimonij, & in vniuersum quæ defendit valorem actus, etiamsi sit contra reum in fauorem actoris.

46 Conscientia falsa, errens, seu erronea est, quæ ex falso, seu erroneo practico principio colligitur.

47 Conscientia falsa, errans, seu erronea subdiuiditur in inuincibilem, & vincibilem. Inuincibilis est, cuius error moraliter non potest vitari; vincibilis è contra.

48 Actus voluntatis, quæ ob errorem inuincibilem religionis causa vult mentiri, est aliquo modo moraliter bonus, & honestus, scilicet secundùm affectum, & intentionem finis honesti, quamuis non sit talis secundùm applicationem medij; quia mentiri cùm sit ab intrinseco malum, non est medium idoneum ad bonitatem, & honestatem moralem Religionis: qui tamen defectus, cùm sit incognitus, & inuoluntarius, ad culpam non imputatur.

49 Conscientia certa, recta, seu vera præcipiendo, vel prohibendo obligat voluntatem, ita vt si voluntas in operando talem conscientiam non sequatur, peccet, quia voluntas in operando peccat, si suam proximam regulam non sequatur.

50 Conscientia prædicta, ducta scilicet ex synderesi est regula proxima voluntatis, sicque & actionum moralium: quia regula remota, & quidem prima, & principalis, est lex æterna, & diuina.

51 Doctores quidam distinguunt de iudice supremo, & de iudice inferiori, & asserunt, iudicem supremum debere semper iudicare iuxta id, quod ipsi probabilius videtur; at si iudex sit inferior, & videat suam opinionem non esse ita receptam, timeátque fore illam à iudice supremo reuocandam, affirmant, posse tunc iudicem iuxta opinionem aliorum probabilem, relicta opinione propria, quæ videtur ipsi probabilior sententiam ferre.

52 Inquisitores si torqueant reum ex opinione probabili, relicta probabiliori, puniri non debent à suis visitatoribus, eo quod in vniuersali loquendo, stantibus diuersis opinionibus de iure partium, potest iudex siue supremus, siue inferior, relicta opinione, quæ videtur ipsi probabilior, ferre sententiam secundùm opinionem aliorum probabilem, quæ ab illis iudicatur probabilior.

53 Iudex operans ex opinione probabili, licèt minùs probabili, & minùs tuta, relicta opinione, quæ videtur ipsi probabilior, non operatur ex capite suo temerè, non fundatè, siue sine fundamento, & sic imprudenter, sed operatur ex ratione probabili, vel ex probabili opinione.

54 Opinio aliorum, cum sit forsan reuera probabilior, quin & forsan vera, non est, cur iudex siue supremus, siue inferior non possit secundùm opinionem illam, relicta opinione propria, ferre sententiam.

55 Quilibet Doctor interrogatus respondere potest ex aliorum opinione, si responsum ipsius faueat interroganti.

56 Iudex siue supremus, siue inferior, cessante scandalo potest modò secundùm vnam, modò secundùm alteram opinionem, etsi contraria sit probabilior, iudicare: quod si forsitan adesset scandalum, tunc quidem peccaret peccato scandali.

57 Res committitur iudicanda arbitrio iudicis, sed non secundùm opinionem, quæ ipsi iudici, sed secundùm opinionem, quæ aliis viris doctis probabilior videtur; sic enim multò magis expedit partibus litigantibus, & etiam ipsi Principi Rempublicam gubernanti.

58 Opinio iudicis si ab omnibus probabilior, seu in se speculatiuè verior iudicetur, quod ferè impossibile moraliter est, tunc iudex secundùm illam iudicare debet; quia tunc pro illa est ius non solùm probabilius, seu firmius, sed etiam ferè certum, secus si sit ius firmius solum ex opinione ipsius iudicis.

59 Iudex casu quo sit arbiter, & à litigantibus sub conditione, quod iudicet iuxta suum iudicium eligatur, tunc non poterit iuxta opinionem aliorum iudicare, nisi in casu, quo vtramque opinionem æquè, vel ferè æquè probabilem opinetur.

60 Iudex in pluribus casibus recensitis dubiis potest modò secundùm affirmatiuam, modò secundùm negatiuam opinionem licèt minùs probabilem, contra probabiliorem, & communiorem iudicare, absque eo, quod subijci debeat syndicatui.

61 Iudex in vtroque foro secundùm Martinum del Rio sequi debet sententiam communem de non danda tortura ex solo dicto socij criminis, sine aliquo alio adminiculo, quod si tamen aliorum Doctorum sententiam sequatur, syndicatui non subiacet: quia dici non potest ex capite suo, vel temerè processisse.

62 Iudex secundùm Sancium non subiacet syndicatui, eo quod iuxta probabilem opinionem, relicta probabiliori, & communiori, sententiam ferat: quia iam prudenter agit.

63 Theologis plus fidendum in principiis moralibus, quàm Iurisperitis: cum magis ea attingant illi, quàm isti.

64 Recensentur plures difficultates, quas author resoluit in tractatu suo de conscientia probabili, seu opinante, ad quem remittitur Lector.

Suppono

1 SVpponi ex iis, quæ dicebam de conscientia errante *dubitatione* 1. quod conscientia sit dictamen rationis iudicans, aliquid esse fugiendum, vel sequendum: quapropter conscientia est actus intellectus non quicunque, sed iudicatiuus, quo intellectus iudicat, quid voluntas debeat fugere, quid autem sequi, vel amplecti. Sanctus Thomas 1. *part. quæst.* 79. *art.* 13.
2 quem sequuntur communiter Doctores; quæ conscientia partim se extendit ad opera præterita, vel accusando ea, tanquam malefacta, & dicitur *Remorsus conscientiæ*, vel commendando ea, tanquam benefacta, & dicitur ab Apostolo 2. ad Corinth. 1. & ad Romanos 2. *Testimonium conscientiæ nostræ*: partim verò se extendit ad opera præsentia, vel futura, dictando, quænam sint agenda, tanquam honesta, quænam autem sint fugienda, tanquam turpia; atque sic conscientia est propriè iudicium practicum circa agenda; sicque conscientia, quatenùs iudicat practice de agendis, est propriè ad rem nostram.

3 Suppono secundò, quod conscientia, vna sit consulens, seu suadens, aliquid esse agendum, vel non agendum, seu omittendum, non tanquam quid necessarium, sed tanquam quid magis conueniens ad morum honestatem, & animæ saluti; (v. gr. virginitatem esse seruandam, Religionem capessendam, & similia) altera verò sit præcipiens, aliquid esse agendum, vel non agendum, seu omittendum, tanquam quid necessarium ad morum honestatem, & animæ salutem prædictam, v. g. non esse furandum, non esse detrahendum, non esse occidendum, & similia. Prior conscientia differt à posteriori conscientia in hoc, quod illa prior hominem non ligat, & obligat, ligat autem, & obligat ista posterior.

4 Suppono tertiò, quod hoc dictamen rationis, iudicium, seu conscientia sit multiplex: certa, errans, opinatiua, dubia, scrupulosa.

5 Certa est iudicium certum, saltem moraliter (de quo prudenter dubitari non potest) vel ab intrinseco, si nitatur rationi; vel ab extrinseco, si nitatur auctoritati; & quidem si nitatur auctoritati Dei, est summæ certitudinis, & dicitur fides diuina: si verò nitatur authoritati humanæ, est aliqualis certitudinis, maioris, vel minoris, iuxta varium dicentium testimonium, & dicitur fides humana.

6 Errans est, quæ proponit, esse agendum, quod non est agendum; vel proponit non esse agendum, quod est agendum.

7 Opinatiua est iudicium infirmum, seu non certum vnius scilicet partis cum formidine partis oppositæ.

8 Dubia est, quando intellectus (cùm non habeat motiuum aliquod assentiendi) non valet, se in alteram partem inclinare, sed est anceps, & pendulus; quod si in vnam partem se magis inflectit; dummodò ei non assentiatur, dicitur suspicio.

9 Scrupulosa est ex leuibus rationibus orta apprehensio, quæ iudicium certum, vel iudicium opinatiuum
10 partis oppositæ non excludit. Cæterùm conscientia dubia, & scrupulosa non est propriè conscientia; quia vtraque non est dictamen rationis, seu iudicium; sed est dispositio ad illud; cùm apprehensio, & inuestigatio rationum disponat ad iudicium, in quo iudicio consistit propriè conscientia: quapropter, vti dicebam, conscientia dubia, & scrupulosa non est propriè conscientia, sed vmbra, & similitudo conscientiæ; quia ex dictis conscientia est propriè iudicium, seu assensus rationis; at neque qui dubitat, neque qui scrupulosus est, iudicat, seu assentitur, aliquid esse agendum, vel non agendum, sed is ambiguus, seu pendulus hæret; & hic tantùm angitur, & veretur (vt *loco suprà cit.* diffusè dicebam) Ergo, &c.

11 Suppono quartò, quod conscientia, seu iudicium, vel sit in genere, seu in vniuersali (vt quando dictat, aliquid esse agendum, vel non agendum in genere, vel in vniuersali, verbi gratiá, rem alienam esse restituendam, hominem non esse occidendum, die festo non esse laborandum in genere, seu in vniuersali) vel sit in specie, seu in particulari (vt quando dictat, aliquid esse agendum, vel non agendum, hîc & nunc in specie, seu in particulari; & quidem cum iudicio certo de aliqua veritate in generali stare potest, quin de facto sæpiùs stat iudicium oppositum in particulari, verbi gratiá, in exemplis allatis stare potest, quin de facto stat iudicium hoc in particulari; posse scilicet rem alienam non restitui hîc & nunc propter compensationem faciendam; posse hominem occidi hîc, & nunc pro- 12
pter defensionem naturalem; posse in die festo laborare hîc, & nunc propter aliquam necessitatem, &c. quapropter hoc iudicium in specie, seu in particulari non est contrarium priori illi iudicio in genere, seu in vniuersali; quia iudicium illud priùs in generali nunquam se extendit ad casum hunc particularem, seu specialem: nunquam enim verè (& siquidem in vniuersali, seu in generali) iudicatum est, rem alienam esse restituendam, hominem non esse occidendum, & die festo non esse laborandum in omni casu particulari, seu speciali, sed potiùs iudicari debet oppositum, posse scilicet rem alienam retineri, posse hominem occidi, posse die festo laborari, &c. in casu aliquo particulari, seu speciali, sicuti iam *suprà* dicebam.

At quidquid sit de contrarietate, vel conformitate 13
iudicij huius in particulari cum iudicio illo in generali, iudicium in particulari est, quod præcipuè regulat actiones morales, & quod præcipuè in agendo sequi tenetur agens morale; sic Doctores communiter apud Sanchez *de matrim. lib.* 1. *disp.* 41. *n.* 8.

Hinc sequitur, quod conscientia distinguatur à syn- 14
deresi; quia synderesis non est iudicium, seu dictamen rationis, sed est, teste S.Thoma *part.* 1. *quæst.* 79. *art.* 12. habitus principiorum practicorum, quæ, teste Augustino *lib.* 2. *de liber. arbitr. cap.* 10. sunt vniuersales, ac per se notæ actionum moralium Regulæ, & quasi quædam lumina virtutum vera, & incommutabilia [qualia sunt, verbi gratiá, bonum esse complectendum, malum autem fugiendum; ius suum cuique reddendum; non plus, minúsve, quàm oportet, comedendum, irascendum, &c.] Quapropter rectè dixit S.Thomas, *vbi suprà*, quod sicut nobis naturaliter indita sunt principia speculabilium, ita & indita sint principia agibilium; licet principia speculabilium (verbi gratiâ, omne totum est maius sua parte: de quolibet dici valet, esse, vel non esse: quidquid est, vel est per se, vel in alio, &c.) spectent ad habitum, qui ab Aristotele 6. *Ethic. cap.* 6. dicitur Intellectus; principia verò agibilium spectent ad habitum, qui dicitur synderesis; qua de re idem Sanctus Thomas *in quæstionibus disputat.* 9. *quæst.* 16. *art.* 2. Scotus *in* 2. *distinct.* 39. §. *Ad quæstiones*,
& Durandus *ibidem quæst.* 5. *art.* 1. Vbi rectè subdunt, 15
quod circa synderesim nunquam contingat error, cùm synderesis ex dictis versetur circa vniuersalissima principia agendorum, quæ non minùs per se nota sunt, ac sunt per se nota principia vniuersalissima speculabilium.

Sequitur secundò, quod conscientia sit actus elicitus 16
à virtute prudentiæ circa particularia; synderesis autem contineat vniuersalissima principia prudentiæ; & inter synderesim, atque virtutem prudentiæ media sit scientia moralis, & iurisprudentia, quippe cuius axiomata (verbi gratia, in malis promissis fides non est seruanda: omne iuramentum, quod sine dispendio salutis æternæ potest seruari est seruandum, &c.) comparata ad synderesim locum habent conclusionum, comparata autem ad prudentiam sunt & ipsa quoque moralia quædam axiomata, & regulæ rectè viuendi. Durandus *vbi suprà*, & alij communiter.

Sequitur

17 Sequitur tertiò, quod conscientia certa, recta, seu vera sit, quæ ex practicis principiis secundùm omnes circumstantias rectè applicatas colligitur de agendo vel de non agendo. Applicatio verò illa principiorum interdum est recta, & vera, veritate tàm speculatiua, quàm practica, & tunc emergit conscientia omninodè certa, recta, seu vera; verbi gratia, honestum est (si scilicet loci temporis, & cæteræ omnes circumstantiæ congruentes adsint) accedere ad vxorem propriam, (cùm honestum sit vnicuique, & sic vxori propriæ, vt sic vxori propriæ, quæ ius habet ad actum coniugij, ius suum tribuere) sed hæc est vxor propria (sicuti probè, & verè perspicuum habeo:) Ergò honestum est accedere ad eam. Interdum autem applicatio illa principij practici non est vera, veritate speculatiua (scilicet ratione obiecti particularis absolutè spectati) sed solùm vera, veritate practica, seu in ordine ad practicam conclusionem, & conscientiam rectè formandam, vt cùm Patriarcha Iacob bona fide, sicque conscientia recta, accessit ad Liam, *Genes.* 29. ità secum discurrens, honestum est accedere ad vxorem propriam, sed hæc (vt prudenter arbitror) est vxor propria: Ergò honestum est, accedere ad illam. Vbi vides, quod applicatio principij sit falsa speculatiuè, vera tamen practicè, scilicet in ordine ad inferendam conclusionem practicè veram; quia accessus ille ad Liam verè fuit honestus, vtpotè actus prudentiæ; cùm Iacob, non nisi temerè, de Libani mala fide suspicari potuisset: Quandoquidem in eo casu quilibet vir bonus, & prudens, iis tunc occurrentibus circumstantiis consideratis, ità, sicut Iacob, practicè iudicasset, & secundùm tale iudicium practicum, seu secundùm talem conscientiam operans fuisset.

18 Vndè verò cognosci possit, quod conscientia, quæ est falsa speculatiuè, seu ratione obiecti absolutè spectati, sit practicè vera, & proxima regula moralis operationis honestæ: Respondetur cognosci posse exiodè, si ex duobus practicis principiis indubiè veris per reflexionem intellectus colligi possit: verbi gratia honestum est, accedere ad mulierem quæ hic, & nunc prudenter existimatur mea, sed hæc à me hic, & nunc prudenter existimatur mea: Ergò honestum est, accedere ad eam.

19 Hinc, licet huiusmodi iudicium, seu ratiocinationis conclusio sit falsa secundùm quid (nempe secundum obiectum præcisè spectatum) est tamen, absolutè loquendo, certa, vera, & recta conscientia; quia, sicuti dicebam, per bonam ratiocinationem ex principiis practicis absolutè veris colligi potest: Tum quia talis conscientia est regula proxima honestæ operationis, atque propriè, & directè actos virtutis prudentiæ, quæ, vtpotè virtus, semper inclinat ad verum. Ità vt quilibet discurrens modo, quo suprà dicebam, licèt sit dubius (non quidem negatiuè, sed positiuè, scilicet per positiuum actum opinionis) dubietate speculatiua, seu sit dubius speculatiuè, vt dubietas talis positiua, scilicet per prædictum positiuum actum opinionis, cadat suprà obiectum (sicuti patet in syllogismi, propositione minore) tamen sit certus practicè, vt suprà actum (cùm sit actus prudentiæ) certò cadat honestas moralis, seu actus certò sit honestus moraliter, sicuti patet in eiusdem syllogismi conclusione.

20 Suppono quintò, quod opinio probabilis sit, vel ab intrinseco propter rationem, vel ab extrinseco propter auctoritatem Doctorum.

21 Opinio probabilis ab intrinseco propter rationem est, quæ certitudinem non habet, nititur tamen firmæ rationi; & contrà se rationem conuincentem non habet: Nàm si contra se rationem conuincentem haberet, non opinio, sed error esset.

22 Contingere verò potest, vt tibi ratio aliqua in contrarium conuincens videatur, non tamen propterea opinio illa probabilitatem amittit; quia, licet tu non possis rationem illam in contrarium soluere, poterit forsan alius: Quod tu tibi rationabiliter persuadere debes; cùm sæpè multæ rationes tibi videantur insolubiles, quæ ab alio facilè soluuntur: Quapropter imprudenter ageres, si ob hanc causam aliorum opiniones, quæ vt probabiles, circumferuntur, tu improbabiles iudicares; Vasquez 1. 2. *quæst.* 19. *disp.* 62. *cap.* 4. *num.*8. Sanch. *lib.*1. *moral. cap.*9. *num.*6. & alij, quos citabam *in Tractatu de conscientia probabili, dubit.* 1. *num.*4.

Contingere etiam potest, quod aliqua opinio sit probabilior, tibi non sic videatur, vel quia eius rationes, & authores non noueris, vel quia tibi contrariæ rationes probabiliores videntur. Ad actiones tamen humanas, seu morales regulandas (vt rectè dixit Caietanus, quem citat, & sequitur Anton. Perez. *certamin. Scholastic.* 10. & Villalobos *in summa tom.*1. *tract.* 1. *difficult.* 4. *n.*8.) non tam attendere debes, qualis opinio in se sit, sed qualis tibi videatur: Quod inde patet, quia fieri potest, vt opinio sit in se vera, & tu tamen secundum illam rectè agere non possis; quia eam apprehendis, vt falsam, & è contra vt opinio sit in se falsa, & tu tamen è contra secundùm eam rectè agere possis, quia eam apprehendis, vt veram. 23 24

Dixi, quod *opinio probabilis sit, quæ nititur firmæ rationi*: Quod intellige in ordine ad virum professionis peritum, qui rationes opinionis contrariæ, licet alioquin communis, perspexerit, & dissolueris. Vasquez *citato cap.* 4. *in principio*, Sanchez *citato cap.* 9. *num.* 9. & alij, quos in eadem *Dubitat.* 1. *numero* 11. citabam. 25

Quod tamen limitauerim, nisi viri docti singularem opinionem alij postea discutientes, tanquam improbabilem, & erroneam condemnauerint; quia tunc ei non potest sua opinio non valdè suspecta de falsitate reddi, licet ob suam intellectus tenuitatem, vel ob suam affectus prauitatem id minimè agnoscat, vt ibidem dicebam. 26

Opinio verò probabilis ab extrinseco est, quæ nititur graui authoritati: Authoritas grauis hic censetur, quæ est saltem vnius viri probi, & Docti, qui talem doctrinam non temerè, & inconsideratè, sed post perpensas, & dissolutas rationes, quæ in oppositum afferri possent, complexus est: Quod quidem ab illo tàm probo, & Docto factum esse alij plerumque, præsertim indocti, præsumere possunt. Ea tamen opinio non facilè censeri debet probabilis, quam vnus, & non plures Doctores contra communem inuenerunt, eandemque autem postea alij Doctores examinantes, communi calculo, tanquam improbabilem (adductis rationibus, vel Principum decretis, ad quæ priores illi Doctores vel non attenderunt, vel solidè non responderunt) reiicinnt. Vide, quæ dicebam eadem *Dubit.*1. vide etiam S. Thomam *quodlibet.*3. *art.* 10. 27

Suppono sextò, quod opinio probabilior sit. 28

Primò ea, cui lex eo loco recepta assistit; quia iudex in mandatis habet, vt iudicet secundum leges, *l. nemo, Cod. de sent. & interlocut. cap.* 1. *de constitut. & cap. in istis, dist.*4.

Adde (quamuis contrarium dixerint Vasquez *vbi suprà cap.*2. & Sanchez *lib.*1. *moral. cap.*.. *num.* 48.) Quod si à litigantibus, eorumque Procuratoribus, & Aduocatis quid minus dictum, vel quid omissum fuerit, iudex possit supplere, & proferre, quod nouit, legibus, & iuri publico conuenire, iuxta titulum *Cod. vt quæ desunt Aduocatis*, & notat Glossa *ibi* & Abb. *in cap. Raynutius, de testament. num.*11. quatenùs ait: *Vbicumque aliquod ius ex deductis in iudicium competit parti, licet pars ignoret, potest, & debet iudex ex officio supplere, cùm ipsi notorium sit*: Licet illa, quæ pertinent ad factum, in sententia omnium iudex proferre non debeat, nisi quorum publicam notitiam ex actis, vel instrumentis acceperit; Abbas *in cap. bona, de postul. Prælat. num.* 9. 29

30 Secundò ea, cui loci consuetudo fauet, *l.1.Cod. quæ sit longa consuetudo:* Quia in dubio consuetudo est optima legum interpres, *l.si de interpretatione, ff.de legib.* & docet Abb. *in cap.1.de constitution. n.24.*

31 Tertiò ea, quam Doctores in eo genere periti communiter sequuntur, vti dixit Aristoteles 1. *Topicorum cap.1.* ibi: *Probabiliora sunt, quæ videntur omnibus, vel pluribus, vel sapientibus, & iis, vel omnibus, vel pluribus, vel maximè notis, & illustribus*, non præcisè ex eo, quod ab iis ea defenditur, sed ex eo, quod præsumi debet, quod efficaciorem rationem pro se habeat, cùm plures Doctores ad ipsam defendendam confluxerint, vnde si firmo fundamento careat, licet opinio communis sit, iudicanda non erit opinio probabilior. Quin si simpliciter fundamento careat, simpliciter ei credendum non est. Ioan. Lupus *in cap. per vestras, de donat. inter vir. & vxor. notab.3. §.20. num.12.* & alij complures.

32 Communis autem opinio iudicanda est, non ex numero opinantium, cùm fieri soleat, quod vnius Doctoris dictum plures Doctores sequantur, nulla noua ratione moti, sed auium, vel pecudum more. Quapropter tunc potius opinio singularis, quàm communis dici debebit: nisi præterea nonnulli ex professo quæstionem tractantes, firmis rationibus eamdem opinionem stabiliant. Nauarr. *cap.27. n.286. & seqq.* Alciat. *de præsumpt. regul.1. præsumpt.51.n.2.* Menoch. *de præsumpt. lib.2. præsumpt.71. num.39.* & Azorius *lib.2. cap.8. circa finem.*

33 Cæterùm inter Doctores ex professo quæstionem tractantes inuenies plures, qui suam opinionem communem esse prætendant: Quo casu non facilè nosse poteris, quænam opinio verè communis sit, nisi euoluas Doctores, & videas, quod multo plures doctiores stent pro vna, quàm pro altera opinione: Quando verò non facilè cognosci potest, quænam opinio verè communis sit, tunc iudex adhærere poterit ei, cui magis voluerit, nec tenebitur in Syndicatu: Baldus, Abbas, & alij, quos citat, & sequitur Mascardus *de probation. concl.1143. num.10.* Quinimmò, sicuti infrà dicam, neque tenebitur in Syndicatu, si sequatur opinionem probabilem, relicta probabiliori; quia cùm probabiliter operetur, fundatè, seu prudenter, atque adeò sine culpa mortali operatur.

34 Quartò ea, quam rationes firmiores stabiliunt: quod adeò verum est, vt si ratio efficax opinionem minus communem stabiliat, communiori præferri debeat. Nauarrus *in summa cap.12.num.10.* quatenus ait, quod à communi sententia non sit recedendum, nisi sit in contrarium Textus expressus, vel ratio aliqua efficax. Mascard. *de probation. concl.1143. num 3. & 5.* Azor. *lib.2. cap.10. q.2. & cap.13. circa finem*, Sanchez *de matrimonio lib.3. disput.44. n.2* & patet *ex l.1.§.neque, Cod. de veter. iur. enucl.* ibi: *Sed neque ex multitudine authorum, quod melius, & æquius est iudicari debet; cùm possit vnius forsan, & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua in parte superare.* Quem Textum commendant Abbas *in cap.1. de constitution.* & Ioan. Andreas *ibidem.* Patet etiam *ex cap. Capellanus, de feriis,* vbi cum duæ fuerint opiniones Pontifici propositæ, posteriorem Pontifex elegit, eo quod, vt inquit ipse, meliori, & subtiliori rationi nitebatur.

35 Quapropter cum Sanchez *cit.cap.9.n.9.* Vasquez 1. 2. *tom.1. disput 62. cap.4. n.12.* Azorio *tom.1. cap.17. quæst.6.* & aliis arbitror, quod vnius grauis Doctoris dictum ad constituendam opinionem probabilem tam sibi, quàm aliis aduersus communem sufficiat, non solùm casu quo res, pro qua est opinio, agitata non sit ab Authoribus, vel agitata à paucis, in quo conueniunt Doctores; sed etiam casu quo agitata sit à multis, & ex professo, & perpensis omnibus ex vtraque parte rationibus, si firmæ nitatur rationi, quæ ab aliis sufficienter soluta non est: Sic enim contra communem, seu communiter receptam opinionem sæpius in Scholis opiniones probabiles introductæ sunt, & quidem merito, cùm quod multis reconditum, & abstrusum erat, alicui aliquando manifestetur, sicque Ecclesia Dei in dies illuminetur. Et cùm, vt rectè dixit Glossa *in cap. ad nostram, de consuetudinibus, interdum reueletur minori, quod maior nescit:* Ad quod probandum est optimus Textus *in cap. si habes 24. quæst.3. & in cap. esto subiectus, dist.95.*

Quamuis vt plurimum talis singularis Doctor debet timere, ne decipiatur, & potius credere, quod erret, quàm quod iudicio aliorum communi præferri debeat; cum potius prudentia petat, quod aliorum iudicio communi se subiciat, quàm quod contra illud sapere prætendat; præsertim, si postea alij Doctores ipsius opinionem examinantes, tanquam improbabilem communiter condemnent. 36

Hinc, si in libro alicuius Doctoris neoterici reperias aliquas propositiones contra communem, non debes illas iudicare improbabiles, sed potius probabiles, donec non noueris, illas à Sede Apostolica improbabiles iudicatas esse; quia, si ex consilio talis Doctoris verbotenus prolato rectè moueri poteras ad operandum, qualiter mouetur discipulus sequendo grauis, & pij Magistri opinionem; Abb *in cit. cap Capellanus,* Imola *in cap. per tuas 2. de Simonia* & Nauarr *cons.2. de pœnit. & remission.* à fortiori rectè moueri poteris ex consilio eiusdem Doctoris typis mandato. Cùm tunc maturiùs proferatur, & ab aliis viris Doctis approbatum sit; Azor. *lib.2. cap.17. quæst.4. & 5.* & Villalob. *tom.1. tract.1. difficult.6. n.1.* 37

Dixi, *alicuius Doctoris Neoterici*; quia loquendo de Doctore antiquo, dubitari potest, an eius opinio, licet suo tempore probabilis fuerit, nunc antiquata & à Sede Apostolica reprobata sit. Quapropter homo indoctus non multum ei fidere debebit. Sanchez *cit. cap.9. n.10. & 11.* Vasquez *disput.62. cap.4. num.17. & 18.* Villalob. *tom.1. tract.1. difficult.9. num.1.* & alij passim. 38

Aduerte tamen, quod vt opinio Doctoris alicuius singularis aduersus communem probabilis censeatur, requiritur, quod resolutoriè doceatur, non autem sufficit contra Ioannem Sancium *disput.44. num.62.* quod incidenter, & occasione alicuius argumenti dicta sit; quia (sicuti rectè docet Mascard. *de probation.* vbi suprà) quæ dicuntur incidenter, forsan dicuntur ad calorem, non ad probationem; vt propterea confessio, incidenter, vel ad alium finem facta, non præiudicet confitenti: Gloss. *in cap. pœnitentibus, dist.10.* & Doctores *in cap. Au si clerici, in princ. de iudic.* 39

Nec sufficit contra eumdem Sancium *vbi suprà num.69.* si in indice libri (etiam cum assignatione rationis) dicta sit; quia index ab Authore non tam diligenter inspicitur, & sæpè non ab Authore, sed ab alio tertio conficitur. 40

Nec sufficit (quin multò minus) ad opinionem aliquam probabilem constituendam factum vnius Doctoris, etiam Religiosi, & pij; quia sæpè is ad tale factum moueri potest ex dispensatione, quam tu non noueris, vel ex passione, aut ex inaduertentia aliqua: Præsertim cùm non semper vir Religiosus, & pius operetur, quod honestum est; Ioan. Sancius *loco suprà citato num.71.* Quamuis sufficiat, si plures viri pij, & Docti id absque vllo scrupulo efficiant; quia tunc præsumi debet, quod id se liceat; Ioan. Sancius *ibidem verb. dubium, num.3.* 41

Quintò, si cætera sint paria, præferri debet opinio benignior, iuxtà Regulam 56. Digestorum, v.g. quæ fauet promissori, vt scilicet in casu dubio non adstringatur ad dandum; *leg.quidquid, ff.de verb.oblig.* Item, 42
si partium iura sint obscura, præferri debet opinio, quæ 43
fauet Reo, *regul.11. in 6.* Ita vt Actore non probante, absolui debeat. Item etiam si sit opinio singularis contra communem, præferri debet opinio, quæ fauet fidei, 44
Religioni,

Religioni, Saluti animæ, vel cuicumque alteri causæ piæ, testamento, libertati, doti, vel simili. Item, quæ defendit valorem matrimonij, & in vniuersum quæ defendit valorem actus, etiamsi sit contra reum in fauorem actoris, iuxta ea, quæ dicam infrà petitione sequenti, in Corollariis, post Corollarium secundum.

46 Suppono septimò, quod conscientia falsa, errans, seu erronea sit, quæ ex falso, seu erroneo practico principio colligitur; v. g. hæc: Cultus Religionis est actus honestus, & gratus Deo, sed pro Religionis augmento mentiri, est actus Religiosus: Ergo pro Religionis augumento mentiri, est actus honestus, & gratus Deo: Quæ practica ratiocinationis conclusio, seu conscientia, per se, & simpliciter loquendo, est falsa, seu erronea, deducta ex falso, & erroneo practico principio, scilicet quod pro Religionis augumento mentiri sit actus religiosus, & honestus.

47 Vbi aduerte, quod conscientia falsa, errans, seu erronea subdiuidatur in inuincibilem, & vincibilem. Inuincibilis est, cuius error moraliter non potest vitari, ideoque non est voluntarius, atque adeò non imputatur ad culpam. Vincibilis autem est, cuius error è contra moraliter potest (atque adeò & debet) vitari, ac proindè voluntarius est induectè, sicque imputatur ad culpam: Et ideò voluntas talem conscientiam sequendo peccabit, sequendo verò conscientiam inuincibiliter errantem, non peccabit, vti dicebam.

48 An autem faciat opus moraliter bonum, qui v. g. ob errorem inuincibilem causâ Religionis mentitur?

Et ratio dubitandi est; quia cùm omnis actus humanus in indiuiduo sit moraliter bonus, vel malus, videtur ex vna parte affirmandum: Ex altera autem parte videtur negandum, quia omnis actus humanus est elicitus secundum prudentiam. At conscientia falsa, seu errans, deducta ex falso practico principio, non potest esse actus virtutis prudentiæ: Ergo, &c.

Respondetur tamen, quod talis actus voluntatis (quæ ob errorem inuincibilem causa Religionis vult mentiri) sit aliquo modo moraliter bonus, & honestus, scilicet secundum affectum, & intentionem finis honesti: Quamuis non sit etiam talis secundum applicationem medij; quia mentiri, cùm sit ab intrinseco malum, non est medium idoneum ad bonitatem, & honestatem moralem religionis. Qui tamen defectus cùm sit incognitus, & propterea inuoluntarius, ad culpam non imputatur: Quapropter conscientia ista inuincibiliter errans est actus prudentiæ, non simpliciter, sed secundum quid, quatenus scilicet in ipsa seruatur recta intentio finis honesti; sicque voluntas talem conscientiam sequendo, aliquo modo benè agit, nempè secundum affectum, & intentionem finis honesti; quamuis secundum applicationem ad opus deficiat, qui tamen defectus propter ignorantiam inuincibilem excusatur à culpa, sicuti suprà dicebam.

49 Sequitur quintò, quod conscientia certa, recta, seu vera præcipiendo, vel prohibendo obliget voluntatem, ita vt, si voluntas in operando talem conscientiam non sequatur, peccet; quia voluntas, si in operando suam proximam regulam non sequatur, peccat; at conscientia prædicta rectè præcipiens, vel prohibens est proxima regula voluntatis operantis, aliasque potentias mouentis ad operandum, sicuti suprà dicebam, & docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 19. *art.* 3. & 4. ab aliis communiter receptus: Ergo peccat voluntas, si conscientiam prædictam rectè præcipientem, vel prohibentem non sequatur in operando.

50 Dixi, quod conscientia prædicta (ducta scilicet ex synderesi) sit regula proxima voluntatis, sicque & actionum moralium; quia regula remota (& quidem prima, ac principalis) est lex æterna, & diuina; vnde, veluti quidam radius, descendit naturalis ratio, seu dictamen rationis, iuxta illud *Psalm.* 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, & videri poterit S. Thomas *vbi suprà cit. art.* 4.

Suppono octauò, quod quidam Doctores, inter quos Vasquez 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *disput.* 64. *cap.* 2. Sanchez *lib.* 1. *moral. cap.* 9. *num.* 47. Torres *de iustitia disput.* 45. *num.* 9. & Perez *certamin. Scholast. dubit.* 2. *cap.* 16. *n.* 17. & *seqq.* distinguunt de iudice supremo, & de iudice inferiori, & asserunt, iudicem supremum debere semper iudicare iuxta id; quod ipsi probabilius videtur; quia eo ipso, quo quis iudex est, ipsius iudicio committitur res iudicanda: Nam si ex opinione, vel iudicio aliorum sententiam ferret, non tam ipse, quàm alter in iudicando iudex esset. At si iudex sit inferior, & videat suam opinionem non esse ita receptam, timeatque consequenter, fore illam à iudice superiore reuocandam, affirmant posse tunc iudicem iuxta opinionem aliorum probabilem, relicta opinione propria, quæ videtur ipsi probabilior, sententiam ferre. Ratio est, quia non committitur iudici res iudicanda cum tanto dispendio suæ æstimationis, & honoris. Tum quia, cùm ipsius sententia debeat facilè reuocari, nullius effectus esse videtur pro illo, pro quo illa fertur, & de quolibet iudice, seu supremo, siue inferiori, quod debeat in iudicando sequi opinionem, quæ videtur ipsi probabilior, docent Bannez 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *dubit.* 1. *ad* 2. Valentia *tom.* 3. *disput.* 5. *quæst.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3. & Villalobos *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 15. *num.* 6. Ratio est, quia iudex tenetur ferre sententiam in fauorem illius, qui ius firmius censetur habere; sed hoc ipso, quod probabilius ita putatur, ius firmius is habere censetur: Ergo, &c. His suppositis, sit. 51

Difficultatis resolutio.

Respondetur negatiuè; eo quod in vniuersali loquendo, stantibus diuersis opinionibus de iure Partium, possit iudex, siue supremus, siue inferior, relicta opinione, quæ videtur ipsi probabilior, ferre sententiam secundum opinionem aliorum probabilem, quæ ab illis iudicatur probabilior. 52

Probatur; quia iudex operans ex opinione probabili, licet minus probabili, & minus tuta; relicta opinione, quæ videtur ipsi probabilior, non operatur ex capite suo, temerè, non fundatè, seu sine fundamento, & sic imprudenter, seu contra virtutem prudentiæ, sed operatur ex probabili ratione, vel ex probabili opinione aliorum Doctorum, fundatè, seu cum fundamento, & sic prudenter, seu iuxta virtutem prudentiæ: Ergo non peccat, atque adeò non debet subiacere syndicatui; quia sic puniretur absque culpa: Quod est iniquum, & contra rectam rationem. 53

Confirmatur; quia cùm opinio aliorum sit forsan reuera probabilior, quin & forsan vera: interdum enim reuera probabilius, quin & verum est, quod minus probabile, seu verum non apparet; non est, cur iudex (siue supremus, siue inferior) non possit secundum opinionem illam, relicta opinione propria, quæ ipsi videtur probabilior, ferre sententiam, seu iudicare: Nam, si alij iudices secundum illam opinionem iudicantes rectè procedunt, non est, cur & ipse, deponendo suam conscientiam, & putando, nescire se soluere rationes, quas sciant soluere alij, sicque aliis se conformando, non etiam rectè procedat; cùm velle, quod reguletur à viris prudentibus in casu non moraliter certo, sit actus prudentiæ, & ab omnibus laudabilis. 54

Confirmatur secundò; quia sicuti dicebam *in Tract. de conscientia probabili, seu opinante*, & concedunt etiam aduersarij, inter quos Vasquez vbi suprà *disput.* 62. *cap.* 9. *num.* 47. quilibet Doctor interrogatus respondere potest ex aliorum opinione, si responsum ipsius faueat interroganti. Ergo & iudex, etiamsi supremus, interrogatus à partibus litigantibus de iure suo, poterit ex aliorum opinione respondere; cum responsum ipsius non nisi vni soli parti necessariò fauere debeat. 55

56 Et hoc (sicuti ibidem dicebam) adeò verum est, vt cessante scandalo, possit iudex, siue supremus, siue inferior, modo secundùm vnam, modo secundum alteram opinionem (etsi contraria sit probabilior) iudicare; quod, si forsan adesset scandalum, tunc quidem peccaret quicumque iudex, peccato tamen scandali, non item peccato iniustitiæ contra eam partem, contra quam iudicauit; ita vt ei ad restitutionem teneatur. Doctores, quos sequuntur Ioannes Valer. *in different. vtriusq. fori, verb. opinio, differ. 3. n. 5.* & Diana *part. 2. tract. 2. resolut. 3.*

57 Confirmatur tertiò ex iis, quæ dicam infrà *petitione sequenti.*

Ad oppositum aduersariorum fundamentum (quod suprà supposito quinto referebam) Respondetur, rem committi quidem iudicandam iudicio iudicis, sed non secundum opinionem, quæ ipsi iudici, sed secundum opinionem, quæ aliis viris Doctis probabilior videtur: Sic enim multò magis expedit, & magis conueniens est partibus litigantibus, & etiam ipsi Principi Rempublicam gubernanti. Doctores, quos sequitur Salas 1.2. *tract. 8. disput. vnica, sect. 12. num. 114. & 120.*

58 Quapropter, si opinio iudicis ab omnibus probabilior, seu (vt ita dicam) in se speculatiuè verior iudicetur (quod ferè impossibile moraliter est) tunc iudex secundum illam iudicare debet; quia tunc pro illa est ius non solùm probabilius, seu firmius, sed etiam ferè certum. At cùm quis ex litigantibus solùm ex iudicis opinione, quæ ipsi iudici probabilior videtur, ius firmius habet, non censetur tunc is absolutè ius firmius habere: Et ideò tunc non cogitur iudex pro illo sen-

59 tentiam ferre, nisi casu quo iudex arbiter sit, & à litigantibus sub conditione, quod iudicet iuxta suum iudicium, eligatur; tunc enim non poterit iuxta opinionem aliorum iudicare; Doctores, quos sequitur Montesinus *in 1. 2. tom. 5. disputat. 29. quæstion. 5. num. 13.* & Diana *part. 1. tract. 2. resolut. 3.* Nisi in casu, quo iudex vtramque opinionem æquè, vel ferè æquè probabilem opinetur; quia tunc, siuè iuxta vnam, siuè iuxta alteram opinionem iudicet, semper iuxta propriam opinionem, seu iuxta proprium iudicium censebitur iudicare.

60 Ex his sequitur, quod in casibus sequentibus; Primò, an vnius testis omni exceptione maior in causis criminalibus faciat semiplenam probationem: Secundò, an in causa capitali, quando delictum est tantum semiprobatum, possit iudex interrogare reum ex præcepto, obligando eum ad responsionem veritatis: Tertiò, an iudex, vel eius ministri possint incarcerare reum in alieno territorio repertum: Quartò, an fructus industriales bona fide consumptos, bonæ fidei possessor restituere teneatur: Quintò, an filij committentium crimen læsæ maiestatis diuinæ, vel humanæ, geniti priùs quàm parentum delictum commissum fuerit, afficiantur pœnis, quæ iure statutæ sunt in filios ipsorum: Sextò, an filij expositi debeant legitimi reputari: Septimò, an iuspatronatus præscriptione possit acquiri: Octauò, an pater filiam naturalem dotare teneatur: Nonò, an tempore pestis fieri possit testamentum cum minori numero testium: Decimò, an beneficij collatio facta infami, sit ipso iure nulla, & in casibus similibus possit iudex modo secundum affirmatiuam, modò secundum negatiuam opinionem (licet minùs probabilem) contra probabiliorem, & communiorem opinionem iudicare, absque eo, quod propterea subiici debeat syndicatui; quia, cùm ille (sicuti dicebam) sequendo opinionem probabilem, relicta probabiliori, & communiori, non peccet, iniquè, & contra rectam rationem puniretur.

Vide, quæ dicam infrà *Petitione sequenti*, & quæ dicebam *Tractatu de conscientia probabili, seu opinante, dubit. 2. & 5.* per totas.

61 Vide etiam Martinum Delrio *in disquis. magic. Append. 1. lib. 5. quæst. 1.* vbi in casu de non danda tortura ex solo dicto socij criminis sine aliquo alio adminiculo, subdit in terminis, quod hanc sententiam communem (cùm sit iuri, & rationi magis consentanea) iudex in vtroque foro sequi debeat. Quod si tamen contrariam Dyni, Cyni, & aliorum Doctorum sententiam sequatur, syndicatui non subiacet, quia dici non potest ex capite suo vel temerè processisse; cùm grauium Doctorum, & quorumdam iudicium praxim, doctrinamque (licet minus probabilem, vel tutam) secutus sit.

Vide etiam & Ioannem Sancium *in select. disput. 44.* 62
num. 72. vbi in genere ait, quod iudex non subiaceat syndicatui, eo quod iuxta probabilem opinionem, relicta probabiliori, & communiori, sententiam ferat; quia cùm iuxta probabilem opinionem operatur, prudenter agit; sicque syndicare iudicem, eo quod iuxta probabilem opinionem sententiam tulerit, esset eum punire absque culpa: quod est iniquum, & contra rectam rationem. Ideoque Doctores oppositum sentientes, cùm punctum veritatis satis non attingant, reiiciendi sunt. Et quidem in principiis moralibus, cùm 63
principia moralia non sic attingant iurisperiti, sicut attingunt Theologi, minus fidendum est iurisperitis, quàm Theologis.

Cæterum, dixi quod, *stantibus diuersis opinioni-* 64
bus de iure Partium, possit iudex, relicta opinione quæ videtur ipsi probabilior, ferre sententiam secundùm opinionem aliorum probabilem, quæ ab illis iudicatur probabilior; quia quid dicendum sit in casu, si constet, vnam Partem probationes, tam iuris, quàm facti, efficaciores habere: Et quid dicendum sit in casu, si non constet, ex parte facti probationes esse æquales, sed id sit sub opinione: Et quid dicendum sit in casu, si probationes sint æquales, sit tamen sub opinione, cui ius magis faueat: Et quid tandem dicendum sit in casu, si vna pars excedat alteram in probationibus facti, altera autem excedat in probationibus iuris, videri poterunt, quæ dicebam in dicto tractatu de conscientia probabili, seu opinante *Dubit. 2. num. 1. & seqq.*

PETITIO.

An idem dicendum sit de agente morali, quod scilicet possit similiter, sicuti iudex, in suis actionibus moralibus sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori?

SVMMARIVM.

1 *Agens moralis similiter sicut iudex potest in suis actionibus moralibus sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. Quod facere etiam potest in articulo mortis; quia qui agit probabiliter siue ex opinione propria, siue alterius, agit non temerè, sed cum fundamento, agitque prudenter.*

2 *Item alij ex illa opinione probabili agunt prudenter, sicque sine peccato.*

3 *Homo non tenetur in moralibus, ad hoc, vt non peccet (bene tamen de consilio) agere quod est optimum, neque etiam tenetur, ad hoc, vt etiam non peccet (bene tamen etiam de consilio) sequi opinionem tutam, sed sufficit, si sequatur opinionem probabilem; quia opinio probabilis æquè, si non materialiter, tuta formaliter sit. Vide plura exempla recensita.*

4 *Homo si in agendo teneretur sequi semper opinionem, quæ probabilior ipsi videtur, & licitè non posset operari ex opinione aliorum probabili, subiret grauem, & moraliter impossibilem obligationem; sicque Deus præciperet, quod moraliter est impossibile.*

5 *Item rectè operatur, & iurisdictionẽ accipit tam à Republica in rebus sæcularibus, quàm ab Ecclesia in rebus*

bus Ecclesiasticis is, qui habet titulum coloratum, quin & in sententia nonnullorum Doctorum, ne similiter in Republica, vel in Ecclesia inconuenientia sequantur, etiam cùm non habet titulum coloratum, rectè operatur, & iurisdictionem accipit ex errore communi; consequenter rectè operabitur ex opinione probabili Doctorum.

6 *Quis interdum non solùm potest, sed etiam debet operari secundùm opinionem probabilem, relicta probabiliori.*

7 *Operans de facto ex opinione minùs communi, & minùs probabili, scilicet speculatiuè, in praxi operatur ex opinione communiori, & probabiliori, cùm de facto sit opinio communior, & probabilior, quod homo in praxi possit operari ex opinione minùs communi, & minùs probabili, relicta communiori, & probabiliori. Vide exempla ibi allata.*

8 *Ecclesia, Summus Pontifex, & stylus Curiæ de facto non semper in praxi sequitur opinionem communiorem, & probabiliorem, vt v.g. in dissoluendo ex aliqua causa matrimonio rato, in dispensando ex aliqua causa voto castitatis, &c.*

9 *Pius Secundus anno 1464. sub pœna excommunicationis præcepit super controuersia, an Christi Sanguis in Passione per separationem à corpore fuerit à Verbo seiunctus, ne quis alteram partem, donec ipse auctoritate Apostolica controuersiam definiuerit, condemnare præsumat, & tamen incomparabiliter multò probabilior est opinio dicentium, quod dictus Sanguis non fuerit à Verbo dimissus.*

10 *Genus partium in humana natura quadruplex est, videlicet essentialium, vt anima, & corpus. Integralium, vt quatuor humores, scilicet sanguis, flegma, flaua, & atra bilis. Ornantium, vt dentes, vngues, capilli. Excrementitiarum, vt lacrymæ, fæces, vrina, saliua, & sudor. A Verbo assumptæ fuerunt partes primæ, non postremæ.*

11 *Sanguis in sententia Durandi non fuit à Verbo assumptus immediatè; quia secundùm ipsum non est pars actu corporis humani, cùm ex Aristotele sit vltimum alimentum, quod est tantum in potentia pars: & Verbum non assumpsit immediatè nisi quod est actu pars humanæ naturæ.*

12 *Sanguis in sententia Caietani duplex est, nutrimentalis, & integralis, seu perfectus, hunc asserit mansisse semper vnitum, illum negat immediatè assumptum.*

13 *Sanguis Christi, secundùm doctrinam maioris, fuit quidem hypostaticè vnitus Verbo, antequam fuit separatus à corpore, sed per talem separationem dimissus fuit à Verbo, quia alioquin Deus in triduo diceretur effusus, & terræ commixtus.*

14 *Sanguis Christi totus secundùm Diuum Thomam fuit assumptus à Verbo, & post separationem à corpore non fuit dimissus.*

15 *Verbum certò assumpsit immediatè aliquem sanguinem: Ità vt contraria opinio Durandi, & aliorum dicatur à Capreolo temeraria, & hæretica, à Medina intolerabilis error, ab aliis, &c.*

16 *Primò, quia est contra communem loquendi modum Sanctorum Patrum, & Conciliorum, qui dicunt eodem modo Verbum assumpsisse carnem, & sanguinem.*

17 *Secundò Clemens VI. in extrauagant.* Vnigeniti, *ait, quod & modica gutta sanguinis, ob vnionem ad Verbum sufficeisset pro redemptione totius generis humani. Quod quidem intelligi debet de vnione ad Verbum immediata.*

18 *Tertiò, quia sequeretur non eodem modo ex vi consecrationis fore Verbum per concomitantiam sub speciebus vini, ac est sub speciebus panis: nam sub speciebus panis est per concomitantiam immediatam corporis immediatè suppositi ab ipso Verbo, sub speciebus autem vini solùm esset per concomitantiam mediatam corporis.*

19 *Quartò, quia sequeretur contrà Concilia, & Sanctos Patres, fore in Christo hypostasim aliquam creatam: nam sanguis est natura substantialis, consequenter necessariò habet aliquam hypostasim.*

20 *Quintò, quia sanguis est pars integrans humanam naturam, & non purum alimentum.*

21 *Verbum probabilius assumpsit immediatè totum sanguinem; quia distinctio illa sanguinis nutrimentalis, & integralis non habet sufficiens fundamentum, cùm totus sanguis hoc ipso quod viuenti incorporatur, vim habeat nutriendi, & simul integrandi naturam.*

22 *Nullus Christi sanguis in triduo per separationem à corpore seiunctus, seu dimissus fuit à Verbo.*

23 *Propositio cuiusdam Theologi, qui in publica concione dixerat, Christi Sanguinem in Passione effusum à Diuinitate separatum fuisse, de mandato Clementis VI. tanquam hæretica, damnata fuit per Fratrem Nicolaum Morellum Inquisitorem. Sed dicta condemnatio non fuit authentica.*

24 *Verbum, posito, quod immediatè supposites sanguinem suo corpori coniunctum, probabilissimè sequitur, quod illum in Passione, vtpotè statim post Resurrectionem reassumendum non dimiserit: Ob hanc enim ipsam rationem non dimisit corpus, quia statim post Resurrectionem illud erat reassumpturum.*

25 *Sanguis non solùm ordinatur ad nutriendum, sed etiam ad integrandum corpus.*

26 *Christus cùm esset temperatissimæ complexionis, non opus erat, quod in sanguine, vel in aliis humoribus excessum haberet.*

27 *Sanguinis Christi aliquid in multis locis seruatur; vndè Pius II. asserit: Veritati fidei non repugnare, quod aliqua particula Christi sanguinis ob ipsius Passionis memoriam in terris remanserit, loquitur tamen permissiuè.*

28 *Sanguinis aliquid si maneat à Christi corpore separatum, non manet hypostaticè vnitum Verbo (quemadmodum nec præputium) quia illud, vtpotè exiguum, non est ad integrandum Christi corpus necessarium, sicque non reassumendum; neque ex vi consecrationis dictus exiguus sanguis adest sub speciebus vini; nec præputium sub speciebus panis.*

29 *Verbum immediatè assumpsit reliquos humores, sicut sanguinem, quia cæteri humores sunt de integritate corporis humani.*

30 *Verbum immediatè assumpsit spiritus vitales, & animales; quia licèt sint fluxibilis naturæ, nihilominùs integrant corpus.*

31 *Verbum immediatè assumpsit elementa, si hæc non virtualiter, sed formaliter sint in mixto.*

32 *Verbum immediatè assumpsit vngues, dentes, & capillos, quia & etiam hi ornant corpus humanum, & satis probabile est, quod Verbum assumpserit corpus, non solùm quoad partes integrantes, sed etiam quoad partes ornantes.*

33 *Verbum non debuit eodem modo immediatè assumere lacrymas, sudorem, &c. quia multa excrementa non fiebant, ex præsupposita materia vnita Verbo, sed ex alimento nondum in corporis partes integrales conuerso, &c.*

34 *Afferuntur responsiones ad fundamenta aduersariorum, & primò ad fundamentum Durandi dicitur, sanguinem, & alios humores esse partes integrantes corpus humanum, & partes in potentia, quatenus sunt transmutabiles in alias partes. Vide ibi, quæ dicuntur ad reliqua.*

35 *Deus quod semel assumpsit, nunquam dimisit de par-*

tibus essentialibus intelligi debet, quatenus necesse erat ad integrandum, & ornandum.

1 RESpondetur affirmatiuè, quia & multò magis, vt infrà dicam ad tertium argumentum; ita vt agens moraliter possit in agendo, etiam in articulo mortis, sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, etiam aliorum. Quæ est sententia Doctorum communior, vti videre est in citato tractatu de conscientia probabili, seu opinante *disp. 5. num. 4. & seqq.*

Probatur, quia qui agit probabiliter, siue ex opinione propria, siue ex opinione aliorum, cùm agat non temerè, sed cum fundamento, agit prudenter: Ergò sine peccato, sicuti suprà dicebam.

2 Confirmatur, quia alij ex illa opinione sibi probabili agunt prudenter, sicque sine peccato: Ergò & ipse prudenter aget deponendo conscientiam, quod nesciat ipse soluere rationes, quas sciunt soluere alij, sicuti suprà etiam dicebam: præsertim, quia sæpè opinio, quæ alicui videtur probabilior, & tutior, non est in se talis,
3 cùm sæpè verum videatur, quod non verum. Præsertim etiam, quia non tenetur homo in moralibus, ad hoc, vt non peccet, benè tamen de consilio, agere, quod est optimum, sed sufficit, si agat quod est bonum; neque etiam tenetur, ad hoc vt etiam non peccet; benè tamen etiam de consilio, sequi opinionem tutam, sed sufficit, si sequatur opinionem probabilem, cùm opinio probabilis æquè sit formaliter, si non materialiter, sicuti infrà explicabo in responsione ad primum argumentum, verbi gratia, licèt tutior, & consultior sit opinio dicentium, quod homo secundùm quosdam Doctores teneatur sub mortali elicere actum contritionis, vel dilectionis Dei super omnia statim ac peruenit ad vsum rationis, & secundùm alios Doctores, quod teneatur singulis diebus festiuis; Item quod in peccatum mortale lapsus teneatur sub mortali sacramentaliter confiteri, statim ac copiam Confessoris habuerit: Item quod teneatur, siue in Sacramento Confessionis, siue extrà, dolere de peccatis singulis distinctè, & de grauioribus dolere magis, seu intentiùs: Item quod teneatur in Sacramento Confessionis dolere de peccatis per contritionem, vel per attritionem putatam contritionem, & cum proposito explicito de non ampliùs in futurum peccando: Item secundùm Syluestrum, & alios, quod Sacerdos teneatur sub mortali recitare Matutinum priùs quàm conficiat rem sacram: Item secundùm Suarez *de relig. tom. 2. lib. 4. cap. 15. num. 7.* Tannerum *in 2. 2. S. Thomæ, disp. 5. quæst. 1. dub. 5. num. 148.* & alios, quod obligatus ad horas canonicas, teneatur sub mortali Sabbatho Sancto, tribus diebus Rogationum, & die Sancti Marci Euangelistæ recitare priuatim Litanias cùm precibus, & orationibus, si non interfuerit publicis, & similia: Nihilominus adhuc poterit homo licitè, saltem sine mortali, sequi in praxi opinionem oppositam probabilem, quamuis minùs tutam: scilicet, quod teneatur tantùm sub mortali elicere actum contritionis in periculo mortis, & tunc, casu solo, quo sacramentaliter confiteri non potuerit. Item quod licitè possit, siue in Sacramento Confessionis, siue extra, dolere de peccatis omnibus in communi, seu in confuso, & cum dolore æquali, etiam remississimo, vero tamen, & reali. Item quod in peccatum mortale lapsus licitè possit sacramentaliter confiteri tantùm semel in anno, & per solam attritionem putatam attritionem, & cum proposito solùm implicito de non ampliùs in futurum peccando. Item quod Sacerdos sine mortali possit conficere rem sacram absque eo, quod priùs recitauerit Matutinum. Item quod obligatus ad horas canonicas, possit sine mortali Sabbatho sancto, tribus diebus Rogationum, & die Sancti Marci Euangelistæ non recitare priuatim Litanias cùm precibus, & orationibus, si non interfuerit publicis, & similia. Vasquez *opusc. de benefic. cap. 4. §. 1. art. 2. dub. 1. num. 58.* Molfes. *in summa tom. 1. tract. 5. cap. 1. num. 56.* & Carolus Macigni *de horis canonicis cap. 29. num. 18.*

Confirmatur secundò, quia si homo in agendo teneretur sequi semper opinionem, quæ probabilior ipsi videtur, & licitè non posset operari ex opinione aliorum probabili, subiret grauem, & moraliter impossibilem obligationem, sicque Deus præciperet quid moraliter impossibile, ponderandi scilicet in agendo omnium opinionum probabilitatem maiorem. Item subiret obligationem variandi opus singulis horis; cùm facilè possit contingere, quod modò adhæreat vni, modò adhæreat alteri contrariæ opinioni, tanquam probabiliori. Item & subiret scrupulos infinitos, & valdè probabile periculum insaniendi. 4

Confirmatur tertiò, quia rectè operatur, & iurisdictionem accipit tàm à Republica in rebus sæcularibus, quàm ab Ecclesia in rebus Ecclesiasticis, iuxtà textum *in leg. Barbarius, ff. de offic. Prætoris*, is qui cùm adest error communis, & titulus coloratus, quin & in sententia nonnullorum Doctorum propter eandem rationem, ne similiter scilicet in Republica, vel in Ecclesia inconuenientia sequantur, etiam cùm non adest titulus coloratus; rectè, inquam, operatur, & iurisdictionem accipit tam à Republica in rebus sæcularibus, quàm ab Ecclesia in rebus Ecclesiasticis, iuxtà textum *in leg. Barbarius*, Is qui tunc operatur ex errore communi. Ergò rectè etiam operabitur, & iurisdictionem accipiet tam à Republica in rebus sæcularibus, quàm ab Ecclesia in rebus Ecclesiasticis, is qui operatur ex opinione probabili Doctorum, cùm tunc non operetur ex errore, sed ex opinione, & non vulgi, sed virorum literatorum, quæ virorum literatorum opinio præualere debet errori communi vulgi, sicuti per se patet. 5

Vbi aduerte, cùm dixi, quod si sit error communis cum titulo colorato, quin vel etiam si sit opinio probabilis Doctorum, quod in rebus sæcularibus Respublica, & in rebus Ecclesiasticis Ecclesia tribuat iurisdictionē, id intelligendum esse quoad ea, quæ sunt de iure positiuo; quia hæc sunt ab Ecclesia, non tamen quoad ea, quæ sunt de iure Diuino, quia hæc sunt à Deo, non autem ab Ecclesia. Vnde v.g. si quis Sacerdos vulgò communiter putetur esse, cùm reuera non sit, legitimus, & approbatus Confessor: vel ab aliquibus viris doctis probabiliter iudicetur posse, cùm reuera non possit, absoluere à casibus reseruatis, faciet absolutiones validas, quia tunc deficit potestas iurisdictionis, quam cùm sit de iure positiuo, sicque ab Ecclesia, supplere potest Ecclesia. Non tamen similiter faciet absolutiones validas, is quis, cùm reuera non sit, tamen communiter vulgo reputatur, vel ab aliquibus viris doctis iudicatur Sacerdos, quia tunc deficit potestas ordinis, quam cùm sit à Deo, & non ab Ecclesia, supplere non potest Ecclesia.

Confirmatur quartò, quia interdum quis non solum potest, sed etiam debet operari secundum opinionem probabilem, relicta probabiliori, sicuti dicam infrà in corollariis post corollarium secundum. 6

Confirmatur quintò, quia de facto quando quis operatur ex opinione minus communi, & minus probabili, scilicet speculatiuè, in praxi operatur ex opinione communiori, & probabiliori, cùm de facto sit opinio communior, & probabilior, quod homo in praxi possit operari ex opinione minùs communi, & minùs probabili, relicta communiori, & probabiliori, verbi gratia, si sit opinio minùs communis, & minùs probabilis, quod non teneat restituere, quamuis sit opinio in contrarium cōmunior, & probabilior, scilicet speculatiuè, quod teneat restituere; in praxi tamen est opinio communior & probabilior, quod non teneat restituere, quia in tali casu melior est conditio possidentis, & possessio præualet rationibus fortioribus in contrarium. 7

Confirmatur sextò, quia de facto etiam non semper in praxi, Ecclesia, Summus Pontifex, & stylus Curiæ sequitur opinionem communiorem, & probabiliorem 8

bilitem, vt verbi gratia, in dissoluendo ex aliqua causa matrimonio rato, in dispensando ex aliqua causa voto castitatis, etiam solemni Religionis; in conferendis beneficiis; in permittendo idque per ordinem ad cultum, opinionem minùs probabilem, & minùs communem contrà Immaculatam Beatæ Virginis Mariæ Conceptionem, quin & in damnando eos, qui talem opinionem (quamuis minùs probabilem, & minùs communem) tanquam erroneam, vel hæreticam, &c. damnarent.

9 Adde, quod aliam Bullam, quæ reperitur in collectione priuilegiorum Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, super controuersiam, an Christi Sanguis in Passione per separationem à Corpore fuerit à Verbo seiunctus, seu dimissus, edidit Pius II. anno 1464. vbi sub pœna excommunicationis præcipit, ne quis alteram partem, donec ipse auctoritate Apostolica controuersiam definiuerit, condemnare præsumat; cùm, vt ex dicendis patebit, incomparabiliter multò probabilior sit opinio dicentium, quod dictus sanguis tunc non fuerit à Verbo dimissus; & tamen, hoc non obstante, sub pœna excommunicationis præcipit Pontifex, ne quis alteram opinionem licet minùs, imò ferè nihil probabilem, priusquam ipse controuersiam auctoritate Apostolica definiuerit, condemnare præsumat: Quæ res, vt meliùs intelligatur.

10 Aduerte primò, quod quadruplex sit genus partium in humana natura; Essentialium, vt Anima, & Corpus; integralium, vt quatuor humores, sanguis scilicet, flegma, flaua, & atra bilis: ornantium, vt dentes, vngues, capilli; excrementitiarum, vt lacrymæ, fæces, vrina, saliua, & sudor. Sicut autem certum est, quod à Verbo assumptæ fuerint partes primæ, quia eæ essentialiter constituunt humanam naturam; sic etiam similiter certum est, quod à Verbo assumptæ non fuerint partes postremæ; quia hæ non spectant, neque ad integritatem, neque ad ornatum humanæ naturæ: Quod etiam inde patet; quia non reassumuntur cum corpore glorioso. Controuersia igitur solùm est de partibus mediis, & præcipuè de sanguine, cuius nomine veniunt cæteri humores.

11 Aduerte secundò, quod prima sit sententia Durandi *in 4. dist. 10. quæst. 1. num. 19.* Richardi *in 3. dist. 2. art. 2. quæst. 1. ad 1.* Gabrielis *in Canone Missæ, lectione 43.* & *in supplemento in 4. dist. 44. quæst. 1. dub. 3.* negantium, sanguinem fuisse à Verbo assumptum immediatè; quia sanguis (inquiunt ipsi) non est pars actu corporis humani, cùm ex Aristotele sit vltimum alimentum, quod est tantùm in potentia pars. Vnde S. Thom. *in 3. part. q. 31. art. 5. ad 1.* assignat discrimen inter carnes, neruos, & ossa, & inter sanguinem, quod carnes, nerui, & ossa sint actu partes corporis, non transmutabiles in alias partes, sanguis verò sit in potentia totus, transmutabilis in qualcumque viuentis partes. At Verbum non assumpsit immediatè, nisi quod est actu pars humanæ naturæ. Ergò, &c.

12 Secunda sit sententia Caietani *quæst. 54. art. 2. in fine,* & aliorum distinguentium duplicem sanguinem, vnum nutrimentalem, & hunc negant immediatè assumptum fuisse à Verbo. Alterum integralem, seu perfectum, & hunc asserunt, mansisse semper vnitum Verbo, quia sanguis prior (inquiunt ipsi) non est de integritate humanæ naturæ, sicuti est posterior; vnde non reassumitur ille

13 prior in corpore glorioso. Tertia sit sententia Maior. *in 4. dist. 43. quæst. 1.* Abulensis *paradox. 2. cap. 43.* & quorundam aliorum tempore Pij II. volentium, sanguinem Christi fuisse quidem hypostaticè vnitum Verbo, antequam fuerit separatus à corpore. At post talem separationem dimissum fuisse à Verbo; quia alioquin, inquiunt ipsi, Deus in triduo diceretur effusus, & terræ commixtus, sicuti dicebatur iacens in sepulchro, & descendens

14 ad inferos. Quarta sit sententia S. Thomæ *quodlib. 5. art. 5.* Capreoli *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. ad 5.* Soti *dist. 10. quæst. 1. art. 2.* Medinæ *quæst. 5. art. 2.* Dominici de Dominicis *lib. de Sanguine Christi,* Suarez *in 3. part. disp. 15. sect. 6.* & Vasquez *disp. 36. cap. 4.* affirmantium, totum Sanguinem Christi fuisse assumptum à Verbo, & illum post separationem à Corpore non fuisse dimissum à Verbo.

Aduerte tertiò, quod Verbum certò assumpserit immediatè aliquem sanguinem, ità vt contraria opinio Durandi, & aliorum dicatur à Capreolo temeraria, & hæretica, à Medina intolerabilis error, à Suarez erronea, à Vasquez digna temeritatis, & erroris nota: à Caprera *quæst. 5. art. 2. disp. 2.* digna erroris, & hæresis censura. Et quidem ad minus digna est temeritatis nota. 15

Primò, quia est contra communem loquendi modum Sanctorum Patrum, & Conciliorum; qui dicunt eodem modo Verbum assumpsisse carnem, ac sanguinem, sed Verbum immediatè assumpsit carnem: Ergò immediatè assumpsit & sanguinem. 16

Secondò, quia Clemens VI. *in extrauag. Vnigeniti,* ait, quod & modica gutta sanguinis ob vnionem ad Verbum suffecisset pro redemptione totius Generis humani. Neque intelligi potest Pontifex de vnione ad Verbum mediata, quæ talis erat, vt opus Christi esset infiniti valoris ob dignitatem personæ operantis; quia hanc vnionem ad Verbum mediatam habebant etiam lacrymæ, & sudor: Cùm tamen Pontifex infinitatem pretij pro nobis oblati tribuat soli sanguini propter infinitatem, scilicet rei oblatæ, quæ non erat in lacrymis, & in sudore. 17

Tertiò, quia sequeretur, non eodem modo ex vi consecrationis fore Verbum per concomitantiam sub speciebus vini, ac est sub speciebus panis. Nàm sub speciebus panis est per concomitantiam immediatam corporis immediatè suppositati ab ipso Verbo, sub speciebus autem vini solum esset per concomitantiam mediatam Corporis: Vnde fit, quod si in triduo Passionis consecratio facta fuisset, nullo modo Verbum adfuisset sub speciebus vini, quia in triduo Passionis Sanguis erat separatus à Corpore: Ergò non potuisset Verbum adesse sub speciebus vini per concomitantiam corporis; sicque nullo modo Verbum adfuisset sub speciebus vini, si non fuisset Verbum vnitum immediatè sanguini. 18

Quartò, quia sequeretur contrà Concilia, & Sanctos Patres, fore in Christo hypostasim aliquam creatam. Nam sanguis est natura substantialis: Ergò necessariò habet aliquam hypostasim, cùm substantia naturaliter existere non possit sine aliqua hypostasi: Ergò si non esset immediatè vnitus Verbo; ità vt subsistat sine hypostasi Verbi, subsisteret hypostasi propria, atque adeò hypostasi creata, quæ consequenter esset in Christo. 19

Quintò, quia sanguis, vt ait S. Thomas *quæst. 54. art. 2. ad 3.* est pars integrans humanam naturam, & non purum alimentum; cuius rei signum est; quia reassumitur cùm corpore glorioso: Et ratio est, sanguis quia non tantùm deseruit corpori, vt nutrimentum, sed etiam, vt principium multarum operationum, quæ ad integritatem, & perfectionem humanæ naturæ requiruntur, sed Verbum assumpsit humanam naturam integram, & perfectam: Ergò Verbum cum illa assumpsit omnes partes, quæ illam substantialiter integrant, & complent. 20

Aduerte quartò, quod Verbum probabiliùs assumpserit immediatè totum sanguinem, quia distinctio illa sanguinis nutrimentalis, & integralis, non habet sufficiens fundamentum, cùm totus sanguis hoc ipso, quod viuenti incorporatur, vim habeat nutriendi, & simul integrandi naturam, cumque Sancti Patres, sicut & Clemens VI. indifferenter loquantur de quocumque sanguine, qui est in corpore humano, inter quos Nazianzenus *orat. 50.* quatenùs ibi ait: *Verbum verè Caro factum est, quia assumpsit Corpus ex carne, ossibus, & sanguine constans.* Tùm quia ex opposita sententia ferè sequuntur eadem absurda, quæ suprà dicebam. 21

Aduerte

22 Aduerte quintò, quod nullus Christi Sanguis in triduo per separationem à corpore, seiunctus, seu dimissus fuerit à Verbo. Quod est contra Capreram loco supra citato, & alios, quatenus aiunt, sanguinem nutrimentalem in triduo, vtpote amplius non assumendum, fuisse à Verbo separatum. Et quidem, si loquamur de Christi Sanguine absolutè, seu de omni sanguine, Vasquez, & alij recentiores tenent, id esse certum de fide,
23 tum ob authoritatem Clementis VI. supra relatam. Tum quia de mandato eiusdem Clementis VI. tanquam hæretica per Fratrem Nicolaum Morellum Inquisitorem damnata fuit propositio cuiusdam Theologi, qui in publica Concione dixerat, Christi Sanguinem in Passione effusum, à Diuinitate separatum fuisse; cuius rei meminit Dominicus de Dominicis vbi supra.

At minùs rectè: Tum propter auctoritatem Pij II. qui, sicuti dicebam, super hanc controuersiam edidit an. 1464. specialem Bullam, in qua sub excommunicationis pœna præcipit, ne quis, donec auctoritate Apostolica controuersiam definiuerit, alteram partem condemnare præsumat. Tum quia condemnatio illa Clementis VI. non fuit authentica.

24 Ad summum igitur (si loquamur, inquam, de sanguine absolutè, seu de omni sanguine) est tantùm certum theologicè, itavt sit quædam tantùm theologica conclusio, ex certis principijs probabilissimè deducta, quia posito, quod verbum, vti supra dicebam, immediatè supposicet sanguinem suo corpori coniunctum, probabilissimè sequitur, quod illum in Passione, vtpote statim post Resurrectionem reassumendum, non dimiserit. Ob hanc enim ipsam rationem non dimisit Corpus, quia statim post Resurrectionem erat illud resumpturum. Cuius rei rationem reddit S. Thomas *q. 50. art. 2.* quia quod Deus semel per gratiam concedit, nunquam sine culpa nostra adimit. Vnde gratiam adoptionis semel nobis concessam nunquam sine culpa nostra reuocat. Cùm igitur vnio hypostatica sit maxima gratia Dei naturæ humanæ concessa (vtpote gratia substantialis) permanentior sit, quàm gratia adoptionis accidentalis, non potuit semel concessa absque culpa reuocari: sed nulla ex parte Christi culpa præcessit: Ergo non potuit hypostatica vnio sanguininis ad Verbum per separationem à Corpore dissolui. Præsertim, quia hypostatica vnio sanguinis ad Verbum non pendet ex vnione Sanguinis ad Corpus.

25 Dices ex Caprera: Hæc ratio tantùm probat de sanguine qui debebat in Corpore glorioso reassumi: Sed sanguis nutrimentalis non debebat cum Corpore glorioso reassumi: Ergo.

Respondetur, nego minorem: quia talis sanguis non solùm ordinatur ad nutriendum, sed etiam ad integrandum corpus. Præterquam quod sanguis nutrimentalis non differt ab integrali, sicuti supra dicebam.

26 Instabis: Christus post Resurrectionem non reassumpsit, nisi illum sanguinem, qui satis erat ad integritatem humanæ naturæ: sed potuit Christus in vita habere plus sanguinis, quàm opus esset ad integritatem humanæ naturæ: Ergo necesse non fuit, quod Christus reassumeret totum sanguinem, quem habebat priùs in vita.

Respondetur, nego minorem: quia Christus cùm esset temperatissimæ complexionis, non opus erat, quod in sanguine, vel in aliis humoribus excessum haberet. Adde, quod esto in vita habuerit aliquid superflui humoris, potuit illum reassumere in corpore glorioso ad replendas corporis vacuitates, quæ in vita replebantur partibus excrementitiis, quia (sicuti rectè inquit S. Thomas *in 4. distinct. 44. quæst. 1. artic. 2. ad 1. quæstiuncul. ad 2.*) intestina resurgentium erunt plena non turpibus superfluitatibus, sed nobilibus humiditatibus.

27 Vrgebis: In multis locis seruatur, quod sanguinis Christi. Vnde Pius II. (sicuti refert supplementum Gabriel. in Bulla ad Abbatem S. Mariæ Santonensis Diœcesis) asserit, veritati fidei non repugnare, quod aliqua particula sanguinis Christi ob ipsius Passionis memoriam in terris remanserit.

Respondetur, quod Pontifex loquatur permissiuè, sed esto, sicuti nonnulli volunt, in terris remanserit aliqua particula sanguinis Christi, id factum est ex singulari prouidentia Dei, ad hoc, vt ex his vestigiis altiùs Christi Passionis memoria in nobis conseruaretur.

Cæterùm, si quis sanguis maneat à Christi corpore separatus, arbitror illum non manere hypostaticè vnitum Verbo, quemadmodum nec præputium: quia ille cùm, vtpote exiguus, non sit ad integrandum Christi Corpus necessarius, sicque non reassumendus, non est cur maneat vnitus Verbo: sicut etiam puto, quod neque dictus exiguus sanguis ex vi consecrationis adsit sub speciebus vini, quemadmodum nec præputium sub speciebus panis: vel quia non manent sub proprijs formis sanguinis, & carnis, vel quia ex vi consecrationis non adsunt nisi caro, & sanguis, quæ Christi Corpus integrant in actu, vel in potentia. Quod addo propter consecrationem, quæ facta fuisset in triduo, quando sanguis, & caro non integrabant Christi corpus in actu, sed tantùm in potentia. 28

Aduerte sextò, quod Verbum immediatè assumpserit reliquos humores, sicut sanguinem. Quod tamen est minùs certum, ex certis tamen principijs probabilissimè deductum: quia cæteri humores sunt de integritate corporis humani, sicuti sanguis. 29

Hinc sequitur, quod immediatè assumpserit spiritus vitales, & animales: idque propter eandem rationem. 30

Non obstat, quod sint fluxibilis naturæ, quia & hi integrant corpus humanum.

Sequitur secundò, quod etiam immediatè assumpserit elementa, si hæc secundùm probabilem nonnullorum Philosophorum opinionem non virtualiter, sed formaliter sint in mixto. 31

Sequitur tertiò, quod etiam immediatè assumpserit vngues, dentes, & capillos: quia & etiam hi ornant corpus humanum. Et satis probabile est, Verbum non immediatè assumpsisse corpus quoad partes integrantes, sed etiam quoad partes ornantes. Tum quia hos nunquam erat dimissurum Verbum, cùm hos retineat in Corpore glorioso, in quo quidquid est substantiale, satis probabile est, immediatè vniri Verbo, seu subsistere hypostasi Verbi, ne maneat in Christo aliqua hypostasis creata, iuxta ea quæ supra dicebam. Tum quia aliquot ex his partibus in Christo gignebantur ex præsupposita materia hypostaticè vnita Verbo: Ergo satis probabile est, illam materiam, dum sustentat nouam formam, manere simul cum noua vnione ad formam hypostaticè vnitam Verbo. 32

Dices: Ergo eodem modo debuisset Verbum immediatè assumere lacrymas, sudorem, &c. quia etiam hæc fiebant ex præsupposita materia vnita Verbo. 33

Respondetur, nego consequentiam: quia multa excrementa non fiebant ex præsupposita materia vnita Verbo, sed ex alimento nondum in corporis partes integrales conuerso, vt lacrymæ, & reliqua excrementa. Tum quia, quamuis aliqua pars excrementitia fieret ex præsupposita materia vnita Verbo: tamen quia illa tanquam inutilis, erat extra corpus emittenda, non erat opus, quod vniretur Verbo, seu quod assumeretur à Verbo. Contra verò, quamuis vngues, dentes, & capilli fiant ex vaporibus excrementitijs, tamen, quia manent in corpore tanquam ornamenta, assumebantur à Verbo, seu vniebantur Verbo.

Aduerte septimò, quod pro responsione ad fundamentum primæ sententiæ Durandi, & aliorum, S. Thomas *in 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 1. ad 3.* distinguit duplex genus partium corporis humani: quod scilicet aliæ sunt ita partes, vt non sint transmutabiles in alias partes, vt ossa, caro, nerui, &c. Aliæ sunt ita partes, vt sint transmutabiles in alias partes, vt sanguis, & alij humores 34

humores) qui sunt & actu partes, quatenus integrant corpus humanum, & in potentia partes, quatenùs sunt transmutabiles in alias partes. Ad fundamentum secundæ sententiæ Caietani, & aliorum patet ex dictis suprà. Ad fundamentum tertiæ sententiæ Maior. Abulensis, respondetur, quod possint illæ prædicationes admitti propter communicationem Idiomatum, iuxtà illud Psalmi: *Vt aqua effusus sum.* Respondetur secundò, quod denominationes, quæ non conueniunt, nisi parti (quales sunt in argumento signatæ, quæ conueniunt sanguini, vt pars est) non conueniant Verbo. Quæ verò conueniunt toti (vt iacere in sepulcro, descendere ad inferos, &c.) conueniant Verbo.

35 Cùm igitur ex Damasceno communiter à Theologis dicitur: *Quod Deus semel assumpsit, nunquam dimisit:* de partibus essentialibus intelligi debet simpliciter, de partibus autem integrantibus, & ornantibus intelligi debet in tantum, in quantum (vtporè integrantes, & ornantes) statim post resurrectionem, vt ex eis corpus gloriosum integrum, & ornatum existat, reassumendæ erant.

OBIECTIONES.

SVMMARIVM.

1 *Operans non eligendo, cùm possit opinionem tutiorem, non videtur velle errare, neque se peccandi periculo exponere; quia eligendo opinionem aliorum probabilem, eligit opinionem æquè tutam formaliter ac si operaretur ex opinione sua probabiliori: Quandoquidem formalis securitas opinionis stat in hoc, quod operans ex illa Deum non offendat.*

2 *Regula quod in dubiis, ne quis errandi periculo se exponat, tutiorem viam eligere teneatur, intelligi debet de consilio, seu de conuenientia, non autem de præcepto, seu de necessitate.*

3 *Regula prædicta intelligi debet de dubio negatiuo, quando scilicet operans est pendulus, seu anceps, & nullam habet rationem, seu motiuum operandi probabile, quia tunc operando operatur temerè, & imprudenter, vtporè sine fundamento, atque adeò cum peccato, non autem de dubio positiuo, quando scilicet operans probabilem rationem, seu probabile motiuum operandi habet.*

4 *Item intelligi debet de dubio practico, quia in eo quis obligatus est sequi partem tutiorem; quandoquidem omnis actus humanus rectus, & honestus debet esse ex virtute prudentiæ, quæ consistit in iudicio mentis definientis, quid hîc & nunc licitè fiat, vel non fiat.*

5 *Opinio probabilior, relicta probabili, sequenda est de consilio, non de præcepto.*

6 *Operari qui vult secundum opinionem aliorum, iudicium suum probabile, vel probabilius de sua obligatione suspendere debet, & potest, cùm enim tale iudicium non sit euidens, non necessariò trahit intellectum.*

7 *Quis simul habere potest duos assensus prima facie inter se contrarios, vnum scilicet nitentem principio intrinseco ipsius rei, alterum nitentem principio extrinseco, scilicet authoritati Doctoris, vel etiam nitentem alteri principio intrinseco eiusdem rei, ita vt pugnantia, seu contrarietas saluetur secundum diuersa motiua, sicque non sit propriè pugnantia, seu contrarietas inter illos. Vide plura exempla.*

1 OBiicies: sic operans, non eligendo scilicet, cùm possit, opinionem tutiorem, videtur velle errare, seque peccandi periculo exponere: Ergò de facto peccat.

Respondetur: Nego antecedens; quia eligendo opinionem aliorum probabilem, eligit opinionem æquè tutam formaliter, ac si operaretur ex opinione sua probabiliori: Nàm inter opiniones probabiles neutra est tutior, seu securior formaliter, sed vtraque est æquè tuta, seu secura formaliter: Quandoquidem formalis securitas opinionis stat in hoc, quod operans ex illa Deum non offendat: Cùm igitur, operans ex opinione probabili nullo modo Deum offendat, sequitur, quod, sic operans, sit æquè tutus, seu securus formaliter, ac si operaretur ex opinione probabiliori. Quapropter quando dicitur, quod vna opinio sit tutior, seu securior, quàm altera, non intelligitur de securitate formali, sed de securitate materiali; nempe, quod qui sequitur opinionem probabiliorem, non solum non attingit culpam formaliter, quæ moraliter imputetur: sed nec etiam attingit culpam materialiter, quæ moraliter non imputetur, sicuti contingit, si sit vna opinio probabilior obligans ad restitutionem, & sit altera opinio probabilis deobligans à restitutione. Tunc enim si fiat restitutio, nulla potest esse dissonantia ad legem diuinam, nec formalis, quæ moraliter imputetur ad culpam, nec etiam materialis; quæ moraliter non imputetur ad culpam. At si non fiat restitutio, poterit esse ad dictam legem diuinam, quæ de facto dictabat restitutionem faciendam esse, dissonantia aliqua, tametsi ratione probabilis ignorantiæ; non formalis, quæ moraliter imputetur ad culpam: sed tantùm materialis, quæ moraliter non imputetur ad culpam. Cæterùm non obligatur homo sequi, quod in se tutius est, sicuti suprà dicebam in confirmatione prima, præsertim, quia, quando operatur ex opinione probabili, de facto operatur ex opinione probabiliori, & communiori; cùm de facto opinio probabilior, & communior sit, quod homo possit operari ex opinione probabili, relicta probabiliori, sicuti etiam suprà dicebam in confirmatione quarta.

Obiicies secundò: In dubiis, ne quis errandi periculo se exponat, tutiorem viam eligere tenetur, *cap. iuuenis, de sponsal. cap. ad audientiam, & cap. significasti 2. de homicid.* Quapropter *in cap. si quis autem, dist. 7. de pœnit.* dicitur: *Tene certum, & dimitte incertum.* 2

Respondetur, istam regulam intelligi de consilio, seu de conuenientia, non autem de præcepto, seu de necessitate. Sic Nauarr. *in cit. cap. si quis autem, num. 34.* & *in summa cap. 27. n. 281.* S. Antoninus *part. 1. tit. 3. cap. 10. §. 10* & alij, iuxtà ea, quæ suprà dicebam *in cit. confirmatione prima.*

Respondetur secundò, dictam regulam intelligi de dubio negatiuo, quando scilicet operans est pendulus, seu anceps, & nullam habet rationem, seu motiuum operandi probabile, quia tunc operando operaretur temerè, & imprudenter, vtporè sine fundamento, atque adeò cum peccato. Quapropter in tali casu, cùm sit propriè dubium, non est, nisi vna tantùm pars tuta, seu secura formaliter: non autem intelligi de dubio positiuo, quando scilicet operans probabilem rationem, seu probabile motiuum operandi habet, quia tunc non temerè, sed prudenter, vtporè cum fundamento, atque adeò sine peccato operatur. Et ideò in tali casu, quia scilicet operatur ex ratione, seu motiuo rationabili, sicque ex opinione probabili, vtraque pars est æquè tuta, seu secura formaliter. 3

Respondetur tertiò, dictam regulam intelligi de dubio practico, in hoc enim etiam dubio concedo, quod sis obligatus sequi partem tutiorem, verbi gratia, si dubites, seu incertus sis, an tibi hîc, & nunc licitum sit, talem contractum facere, peccabis, si facias, quia committeres te periculo peccandi: Quandoquidem omnis actus humanus rectus, & honestus debet esse prudens, seu ex virtute prudentiæ. Prudentia autem consistit in iudicio mentis definientis, quid hîc, & nunc licitè fiat, vel non fiat, seu omittatur. Et ideò Apostolus *ad Roman. 14.* inquit: *Quod non est ex fide, pecca-* 4

tum est; scilicet, quod non fit cum determinato iudicio intellectus, seu cum determinata conscientia, licitum scilicet esse, quod hîc & nunc fit, vel non fit, seu omittitur, id peccatum est. Non autem intelligi de dubio speculatiuo, verbi gratia, si dubites, vel incertus sis tantùm, an talis contractus secundum se, & suapiè natura iustus sit, necnè. Quia in dubio speculatiuo non est necesse, quod sequaris partem tutiorem, siquidem sequendo partem minùs tutam, attamen speculatiuè probabilem, formare potes conscientiam, seu iudicium moraliter certum, licitum esse tibi hîc, & nunc operari secundùm opinionem, etiam aliorum, speculatiuè minùs tibi probabilem, conformando te illis, & certò tibi persuadendo, quod soluent illi rationes in oppositum, quas tu soluere nescis pro tunc, iuxta ea, quæ dicam in responsione ad quartum argumentum.

5 Obiicies tertiò: *In cap. Capellanus, de feriis*, sequutus est Pontifex, quod secundo loco ipsi propositum fuit; quia, inquit, meliori, & subtiliori rationi nitebatur: Ergò sequenda semper est opinio probabilior, relicta probabili.

Respondetur, vt supra: distinguo consequens, de consilio, seu de conuenientia, concedo: de præcepto, seu de necessitate, ità vt ad id obligetur agens morale, si de opposita opinione rationem probabilem habet, nego. Sic Doctores, quos citabam *in tract. de conscientia probabili, dubit.* 5. & Syluester *verb. opinio, circà finem, quæst.* 1. Præsertim si loquamur non de iudice, sed de agente morali in suis actionibus moralibus; quia agentis moralis non est, inter partes litigantes definire, seu ius dicere iuxtà merita causæ, & sine acceptione personarum, sed potiùs est, sibi consulere, & magis sibi, quàm aliis; cum charitas sit ordinata, & incipiat à semetipso. Quare retorquetur potiùs argumentum.

6 Obiicies quartò: Non videtur, qua ratione id fieri possit, quia sequens quis opinionem probabilem aliorum, vel retinet opinionem propriam, quæ probabilior ipsi videtur, vel non. Si dicas primum, impossibile videtur, quod possit operari secundùm opinionem aliorum; quia vt rectè operetur, formare debet iudicium practicum de bonitate obiecti, idest, iudicare debet, quod hîc & nunc licitum sibi sit operari. Sed hoc iudicium pugnat cum altero iudicio probabiliori, quod habet, sibi talem operationem licitam non esse: Ergò. Et quamuis quodlibet ex duobus istis iudiciis diuersum motiuum habeat, non tamen fit, quod prædicta duo iudicia inter se non pugnent: Ergo simul esse non possunt. Si dicas secundum, quod scilicet quis, quando secundum opinionem aliorum vult operari, non retineat, sed relinquat opinionem propriam. Contra est, quia, præterquam quod id est contra plures, & graues Doctores asserentes, non esse necessarium, & apparebit mox infrà, videtur esse impossibile; quia intellectus non facilè dimouetur ab assensu, quem verum existimat; cùm intellectus, proposita veritate obiecti, libertatem non habeat in operando: Ergo quomodocumque dicas, non potest quis, relicta opinione sua probabiliori, sequi opinionem aliorum probabilem.

Respondetur primò in sententia eorum, qui docent, quod quis operans secundum opinionem aliorum, non possit retinere opinionem propriam, ex eo, quia alioquin essent duo assensus contrarij simul: Quod repugnat, vt dicitur in argumento, & explicatur sic magis: Iudicat quis, cum quid agit, vel non agit, seu agere omittit, se esse ad restitutionem obligatum, altera opinione tenente, non esse obligatum: Esse, & non esse obligatum, contradictionem inuoluunt: Ergò non possunt ab eodem intellectu simul iudicari. Tametsi fieri possit, quod quis simul iudicet suam opinionem esse probabiliorem altera, & alteram esse probabilem. At hoc iudicium non dirigit operationem se solo, nec est iudicium probabile, de quo loquimur, sed est iudicium euidens. Euidenter enim iudicat, sibi probabilius apparere, se ad restitutionem esse obligatum, & aliorum opinionem deobligantem apparere probabilem. Quod autem huiusmodi iudicium insufficiens sit ad regulandum operationem se solo, patet, quia, si probabilius iudicabat, se ad restitutionem esse obligatum, ad hoc vt à tali obligatione liberetur, iudicare debet, se non esse obligatum: Non enim sufficit, si iudicet, alios sentire, se non esse obligatum, si ipse non sentiat, se non esse obligatum: Aliàs ex opinione aliorum operando, contra propriam conscientiam operaretur: Ergò si retineat propriam opinionem probabilem, vel probabiliorem de sua obligatione, simul assentiri non potest, se non esse obligatum, sed ad summum assentiri poterit, alios iudicare, se non esse obligatum. Quod non est sufficiens ad honestandam suam operationem: Respondetur, inquam, primò in sententia eorum, qui docent, quod quis operans secundùm opinionem aliorum, non possit retinere opinionem propriam, non obstare argumentum; quia cùm quis operari vult secundum opinionem aliorum, iudicium suum probabile, vel probabilius de sua obligatione suspendere debet, & potest: Cùm enim tale iudicium non sit euidens, non necessariò trahit intellectum. Sic complures Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib. 1. moralium, cap. 9. num. 41.* quatenus inquit, quod non possit Medicus consulere contrà propriam opinionem, subiugens. *Quod intellige, retento eo dictamine, quia attendens, contrarium asserere doctiores, posset prudenter id deponere, ac iam medicinam consulere.*

Respondetur secundò, in sententia eorum qui docent, quod quis operans secundùm opinionem aliorum non sit necessarium, vt relinquat, sed retinere possit opinionem propriam, non obstare etiam argumentum, quia simul quis habere potest illos duos assensus primâ facie inter se contrarios, vnum scilicet nitentem principio intrinseco ipsius rei, alterum nitentem principio extrinseco, scilicet auctoritati Doctorum, vel etiam nitentem alteri principio extrinseco eiusdem ipsius rei, ità vt pugnantia, seu contrarietas dictorum duorum assensuum saluetur secundum diuersa motiua, sicque non sit propriè pugnantia, seu contrarietas inter illos, quia propriè pugnantia, seu contraria, & contradictoria sunt, quæ dicuntur de eodem respectu eiusdem secundùm idem, non autem secundum diuersa. Vnde in diuinis, verbi gratia, filius est æqualis Patri secundùm Diuinitatem, non æqualis secundùm humanitatem. Et Deus est Vnus, & non Vnus, sed Trinus. Vnus secundùm naturam, non Vnus, sed Trinus secundum Personas. Et in creatis potest vnum corpus esse æquale, & non æquale alteri corpori, æquale secundum longitudinem, vel profunditatem verbi gratia, non æquale secundum latitudinem: Ergò sic & in casu nostro, quin & multò magis, cùm intellectus non affirmet, vtramque opinionem esse certam, sed vtramque esse probabilem, seu substineri posse probabiliter, idque per diuersos actus ex diuersis motiuis prouenientes. Quare non est mirum, quod quis possit propriam speculatiuam opinionem retinere, & contra illam operari; quia speculatiua illa propria opinio eo ipso, quod est incerta, & forsan etiam falsa, non potest esse regula operationis. Consequenter operans sequi debet aliam regulam, eamque moraliter certam, scilicet quod in dubiis quæstionibus circa mores quilibet operari possit secundum opinionem, quam viri docti defendunt, vt probabilem, sicque in praxi tutam formaliter. Neque tunc operatur is

contrà

contrà propriam conscientiam, cùm conscientia non sit speculatiua aliqua opinatio, sed practicum moraliter certum iudicium de agendo, quod scilicet propter dictas rationes possit homo licitè operari secundùm opinionem, etiam aliorum, speculatiuè probabilem, relicta etiam propria probabiliori. Quamuis, si secus operaretur, esset certior, magisque à peccati periculo, seu potiùs dicam, ab apparentia talis periculi remotus materialiter. In quo valet iuris regula 31. in 6. *Qui certus est, certiorari vlteriùs non oportet.*

COROLLARIA.

SVMMARIVM.

1 *Opinione stante, quæ tanquam probabilis à nonnullis viris doctis defenditur, quod scilicet fœmina in anno 50. seu vir in 60. libera sit à ieiunio, in dicta ætate neuter eorum tenetur ieiunare, quia cùm talis opinio speculatiuè sit probabilis, non est cur non sit in praxi tuta formaliter.*

2 *Probabilitas practica differt solùm à speculatiua tanquam effectus à sua causa, quod enim quis opere exequitur licitè, vel illicitè, oritur ex eo, quia scilicet speculatiuè iudicauit posse id fieri licitè, vel illicitè.*

3 *Vir sexagenarius secundùm Sanchez, sicut & fœmina sexagenaria à ieiunio excusatur, siue ieiunium sit ex præcepto Ecclesiæ, siue sit ex voto, contra alios.*

4 *In agendo non solùm potest quis sequi opinionem aliorum probabilem, relicta propria probabiliori, sed etiam si sit casus grauis necessitatis, debet sequi dictam opinionem aliorum, licet parum, quin & ferè nihil probabilem, relicta propria, licet multò probabiliori, quia redditur quammaximè tuta formaliter in praxi.*

5 *Putans, quod iudex legitimè interroget de crimine viri alicuius grauis, & honesti, vel Reipublicæ non mediocriter necessarij, sed id ipse certò non sciat, sed in dubium aliquantulum reuocet, poterit non respondere ad mentem iudicis interrogantis, sibi persuadens, quod in tali casu possit probabiliter æquiuocare.*

6 *Mulier si contrahens bona fide matrimonium inualidè posteà non facilè possit simul cum proprio nouum consensum expressum à marito obtinere, sufficiet, si ipsa de reddendo debito petita, affectu materiali accedat ad copulam.*

7 *Moriturum, si exhibeat signa doloris, Sacerdote absente, poterit postea Sacerdos veniens in præsentia illum absoluere.*

8 *Opinio benignior, si cætera sint paria, v.g. quæ fauet promissori, est præferenda.*

9 *Item præferri debet opinio, quæ fauet Fidei, Religioni, & animæ saluti.*

10 *Item si Partium iura sint obscura, potiùs fauendum est reo, quàm Actori.*

11 *Iudex, Actore non probante, debet reum absoluere, non quidem pronunciando esse illum innocentem, sed crimen de illo non esse probatum, &c.*

12 *Iudex etiam in criminalibus, secundùm Sanchez, existente opinione æque probabili (siue ex parte iuris, siue ex parte facti) potest sicut in ciuilibus sequi opinionem, quam magis voluerit; vel imponere partem pœnæ, nisi consuetudo, vel statutum aliter ferat. Sed contrarium est multò probabilius.*

13 *Opinio singularis alicuius Doctoris probabili rationi nitens, præferri debet opinioni communi contrariæ, si opinio illa singularis defendat valorem matrimonij.*

14 *Idemque dicendum, si faueat causæ piæ, testamento, libertati, doti, vel simili, & in vniuersum si defendat valorem actus etiam contra reum in fauorem Actoris, quia præsumptio iuris, & veritatis stat pro dictis causis.*

15 *Puer infidelium si petat baptismum, & dubitetur de eius vsu rationis, paterque renuat, est baptizandus, si commodè non possit expectari, contrà Henriquez, quia in dubio fauendum est Fidei, Religioni, animæ, & similibus.*

16 *Parentes si offerant Baptismo puerum, & is baptizari renuat, & consideratis indiciis dubium maneat de rationis vsu consecuto, licet baptizandus non esse videatur propter reuerentiam Sacramenti, ne forsitan inualidè administretur, baptizandus etiam est, quia pro salute animæ standum est, saltem si periculum sit in mora.*

17 *Confessionem qui petiit, absolui potest in articulo mortis.*

18 *Amplia, id fieri posse etiam sine conditione, quia quotiescumque quis operatur probabiliter, iudicans hîc, & nunc se non delinquere, operari potest absolutè.*

19 *Testis, qui deponit, moribundum signa doloris dedisse, si sit qualiscumque, etiam non Christianus, admittitur fauore animæ.*

20 *Moribundus si christianè vixerit, etiamsi nulla signa doloris dederit, absoluendus est secundùm aliquos sub conditione; quia in articulo mortis præsumitur doluisse.*

21 *Item in casu necessitatis in articulo mortis baptizandum est sub conditione in aqua rosacea, cùm satis probabile esse videatur, quod elementa non sint virtualiter, sed formaliter in mixto.*

22 *Iudicis opinio si saltem ab omnibus probabilior iudicetur (quod ferè est impossibile) tunc iudex saltem ne syndicatui subiaceat, secundùm illam iudicare debet, cùm tunc pro illa parte sit ius non solùm probabilius; seu firmius, sed etiam fermè certum.*

EX dictis sequitur, quod stante opinione, quæ sicuti 1
videre est apud Sanchez *de matrim. lib. 7. disput. 7.* tanquam probabilis à nonnullis viris doctis defenditur, quod scilicet fœmina in anno 50 sicut vir in 60. libera sit à ieiunio; fœmina quinquagenaria, sicut vir sexagenarius, non teneatur ieiunare; quia cùm talis opinio speculatiuè sit probabilis, non est, quidquid in contrarium ibi dixerit Sanchez, cur non sit in praxi tuta formaliter. Quandoquidem probabilitas 2
practica differt solùm à speculatiua, tanquam effectus à sua causa: Quod enim quis opere exequitur licitè, vel illicitè, oritur ex eo, quia scilicet speculatiuè iudicauit, posse id fieri licitè, vel illicitè. Qui igitur iudicat speculatiuè, aliquid licitè se posse operari propter rationem probabilem, id tutò formaliter executioni poterit mandare. Aliàs speculatio illa probabilis, si impedita esset ad opus, nihil operaretur, nulliusque fructus, seu momenti foret. Quamuis (vt fatear) interdum, si scilicet peccati periculum adsit, prædicta speculatiua opinio probabilis de consilio executioni mandari non debeat.

Vide Sanchez *loco suprà citato*; vbi subdit, quod 3
vir sexagenarius, sicut & fœmina sexagenaria, ob eandem rationem à ieiunio excusetur, siue ieiunium sit ex præcepto Ecclesiæ, siue sit ex voto, vt si verbi gratia, vouerit per totum suæ vitæ tempus certis anni, mensis, vel hebdomadæ diebus ieiunare. Quamuis quoad hoc dissentiant alij, quos citat, & sequitur Laymanus *tractat. 8. cap. 3. num. 2.* forsan ex eo, quia ieiunium ex voto, cùm sit de iure diuino, fortius obligat, quàm ieiunium Ecclesiasticum, quod est de iure positiuo.

4 Sequitur secundò, quod non solùm possit quis in
agendo sequi opinionem aliorum probabilem, relicta
propria probabiliori, sed etiam, si sit casus grauis neces-
sitatis, debeat sequi dictam opinionem aliorum, tametsi
parum, quin & ferè nihil probabilem, relicta propria, ta-
metsi multò probabiliori; quia ratione talis necessitatis
opinio aliàs parum, quin & ferè nihil probabilis, reddi-
tur quammaximè tuta formaliter in praxi. Sotus *de se-
creto tegendo membr. 3. quæst. 1. conclus. 3.* Nauarr. *in cap.
inter verba, edit. 1. corollar. 3 1. num. 135.* Sanchez *de
matrimon. lib. 2. disp. 36. num. 8. & lib. 1. moral. cap. 9.
num. 25.* & Villalobos *in summa tom. 1. tract. 1. disp. 8.*
5 vt si v. g. quis putet, quod index legitimè interroget
de crimine viri alicuius grauis, & honesti, vel Reipu-
blicæ non mediocriter necessarij, sed id ipse certò non
sciat, sed in dubium aliquantulum reuocet, poterit
non respondere ad mentem iudicis interrogantis; sibi
persuadens, quod in tali casu propter dictam rationem
6 possit probabiliter æquiuocare. Item si mulier, con-
trahens bona fide matrimonium inualidè, postea non fa-
cilè possit simul cum proprio nouum consensum ex-
pressum à marito obtinere, sufficiet, si ipsa de reddendo
7 debito petita affectu maritali ad copulam accedat. Item
si moriturus exhibeat signa doloris, Sacerdote absente,
poterit postea Sacerdos veniens, in præsentia illum ab-
soluere; quia sicuti dicebam, in his, & similibus casi-
bus grauis necessitas opinionem, aliàs parum, quin &
ferè nihil probabilem, reddit quammaximè tutam for-
maliter in praxi.

Huic doctrinæ fauent, quæ dicebam *tract. de conscient.
probabili, seu opinante, dubit. 1. circà finem.*

8 Primò, quod scilicet, si cætera sint paria, præferri
debet opinio benignior, iuxtà Regul. 56. Digestorum,
verbi gratia, quæ fauet promissori, vt scilicet is in casu
dubio ad dandum non obstringatur, *leg. quidquid, ff.
de verb. obligat. & leg. semper in obscuris, ff. de regul.*
9 *iur.* Item præferri debet opinio, quæ fauet fidei, Re-
ligioni, & animæ saluti, quia huiusmodi causæ sunt
quammaximè fauorabiles; cùm summa sit ratio, quæ
facit pro Religione; *leg. sunt personæ, ff. de relig. sumpt.*
10 *funer.* Item si partium iura sint obscura, potiùs fauen-
11 dum est reo, quàm Actori: *regul. 11. in 6.* Quapropter
iudex, Actore non probante, debet reum absoluere,
non quidem pronunciando, esse illum innocen-
tem: Cùm enim causa sit dubia, talis sententia pe-
riculo erroris subiaceret: Sed crimen de illo non
esse probatum; quia, cum non sit certa culpa, non
debet locum habere pœna. Tum quia in crimina-
libus probationes debent esse luce meridiana cla-
riores.

12 Quamuis Sanchez, & alij teneant, quod etiam in
criminalibus, existente opinione æquè probabili siue
ex parte iuris, siue ex parte facti, possit iudex, sicut
in ciuilibus, iuxtà ea, quæ dicebam *in cit. tractatu,
dubit. 2.* sequi opinionem, quam magis voluerit, vel im-
ponere partem pœnæ, nisi consuetudo, vel statutum
aliter ferat.

At contrarium, quod dicebam contra Sanchez pro-
pter rationes dictas, est multò probabilius.

13 Secundò, quod opinio singularis alicuius Doctoris
probabili rationi nitens præferri debeat opinioni com-
muni contrariæ, si opinio illa singularis alicuius Docto-
ris defendat valorem matrimonij; Ostiensis, Abbas,
Felinus, Decius, Sanchez *de matrim. lib. 2. disput. 18.
num. 7.* Nauarrus *in summa cap. 17. num. 187.* & alij, quos
citabam *in dicto Tractatu de conscientia, dubit. 1. num. 46.*
14 Idemque dicendum putant, si faueat causæ piæ, testa-
mento, libertati, doti, vel simili, & in vniuersum si de-
fendat valorem actus, etiam contrà reum in fauorem
Actoris; quia præsumptio iuris, & veritatis stat pro
dictis istis, & similibus causis, vt rectè probat Barbat.
in consil. 6. scriptum est præclarè *col. 2. vers. est nouum,
vol. 1.*
15 Tertiò, quod si puer, de quo, examinatis indiciis,
dubitatur (dubio scilicet siue positiuo, siue negatiuo)
an vsum rationis adeptus sit, petat, renuentibus pa-
rentibus infidelibus, baptizari, licèt Henriquez *lib. 2.
cap. 25. num. 3.* putet, quod tunc baptizandus non sit,
quia in dubio potior est conditio patris habentis fi-
lium in patria potestate, baptizandus est, si commodè
non possit expectari, donec certiùs appareat de rationis
vsu consecuto; quia sicut dicebam, in dubio inclinan-
dum est in fauorem fidei, Religionis, & animæ salutis;
cùm maior sit iniuria, maiusque sit detrimentum, si
puero, qui fortè rationis vsum consecutus Sacra-
mentum petit, illud denegetur, quàm sit iniuria,
& detrimentum patris, si fortè puer nondum ratio-
nis vsum adeptus, ab eius voluntate, & potestate
abstrahatur. Sotus *in 4. distinct. 5. artic. 5. § sed
alterum*, & Suarez *3. part. disput. 25. de Baptismo,
sect. 3.*

Quartò, quod simili ratione, si parentes offerant 16
Baptismo puerum, at is baptizari renuat, & conside-
ratis indiciis, dubium maneat de rationis vsu conse-
cuto, licet baptizandus non esse videatur propter re-
uerentiam Sacramenti, ne forsan inualidè administre-
tur, sicut docent nonnulli, inter quos Suarez *citat.
sect. 3. circà finem*, baptizandus etiam est, quia, si-
cuti dicebam, & docent Sotus vbi suprà, & alij, pro
salute animæ, saltem si periculum sit in mora, stari
debet; siquidem, vt euitetur periculum damnationis
æternæ, quod puer subiret, si tunc non baptizare-
tur, minùs æstimari debet periculum, ne baptismus
puero renuenti inualidè administretur, saltem sub
conditione; quia cùm Sacramentum institutum sit
in salutem hominis, maior ratio haberi debet spiri-
tualis necessitatis hominis, quàm reuerentiæ Sacra-
menti, quod propterea, vt ità dicam, cedit iuri
suo.

Quintò, quod qui petiit confessionem, absolui po- 17
test in articulo mortis. Valentia *tom. 4. disp. 7. quæst. 11.*
Sanch *de matrim. lib. 2. disp. 36. num. 8.* Henriquez *lib. 5.
cap. 1. § 7.* Pontius *de matrim. lib. 4. cap. 25. num. 8.* & alij,
quos citabam *cit. tract. de conscientia probabili, seu opi-
nante, dubit. 1. num. 51.* contra Cuquetum *de confession.
per literas, cap. 7.*

Quod adeò verum arbitror, vt absolui possit etiam 18
sine conditione; quia, quotiescumque quis operatur
probabiliter, iudicans hîc, & nunc, se non delinque-
re, operari potest absolutè; cùm verò dicitur, quod
Sacramentum, si de eius valore dubium sit, admi-
nistrari debeat sub conditione, non intelligendum est
de dubio negatiuo, & proprio, ità vt huiusmodi du-
bium sit, num signa moribundi sint ex dolore pecca-
torum, an autem ex angustia mortis, tunc solùm
moribundus sub conditione absoluendus sit. Docto-
res, quos sequitur Ioan. Sancius *in selectis disp. 44.
num. 31.*

Cæterum testis, qui deponit, moribundum signa 19
doloris dedisse, sufficit, si sit qualiscumque, etiam sci-
licet non iuratus, quin etiam neque baptizatus, seu
neque Christianus. Idque propter salutem animæ, quæ
(sicuti dicebam) est quammaximè fauorabilis. Vt 20
propterea nonnulli velint, quod sub conditione mo-
ribundus absoluendus sit, etiamsi nulla doloris signa
dederit, dummodò Christianè vixerit; quia cum
tunc in articulo mortis non censeatur immemor suæ
salutis, præsumitur de peccatis suis elicuisse dolo-
rem, quem per præteritum christianum suum viuen-
di modum aliquo modo sensibilem facit Confessori
in ordine ad Sacramentalem absolutionem: Item 21
propterea nonnulli alij velint, quod sub condi-
tione etiam baptizandum sit in aqua rosacea, vel
simili; cùm satis probabile esse videatur, quod
elementa non sint virtualiter, sed formaliter in
mixto.

Extrà hos casus vltrò concedo (sicuti suprà in diffi- 22
cultatis resolutione dicebam) quod, si saltem iudicis
opinio

opinio ab omnibus probabilior iudicetur, quod ferè est impossibile, tunc iudex saltem, ne syndicatui subiaceat, secundum illam iudicare debeat; cùm tunc pro illa parte sit ius, non solùm probabilius, seu firmius, sed etiam ferrè certum, & ex alio capite iudicis officium sit, sine acceptione personarum ius dicere inter partes, & iudicare secundum merita causæ.

An autem (quod similiter sequi possit opinionem probabilem, relicta probabiliori) dicendum sit etiam de medico; de Aduocato, vel Procuratore, de Doctore consulente, vel docente, de confessario absoluente, de Sacramentum quodlibet administrante; de rem ad se pertinere prætendente; de Principe bellum inferente, de suadente, vel consulente, ac tandem de milite adiuuante. Videri poterunt, quæ dicebam *in cit. tractatu de conscientia probabili, seu opinante, dubit. 3. 4. 6. 7. & seqq.*

SECTIO XXXIX.

An Inquisitores torquere possint reum sine Episcopo, vel è contra?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores torquere non possunt reum sine Episcopo, ita vt si sine eo torquerent hæreticum, vel è contra, omnia forent ipso iure nulla, & confessio rei sic torti non sibi noceret.*

2 *Hoc ipsum habent Instructio Hispalensis, & Toletana, & id seruatur etiam in Tribunali Inquisitionis Hispanicæ.*

3 *Hoc ipsum etiam tradit Pegna dicens, quod Episcopus & Inquisitores interuenire debent non solùm ad pronunciandam tormenti sententiam, sed etiam ad ipsius tormenti executionem, nisi per infirmitatem, vel per aliam iustam causam alter excusetur.*

1 RESpondetur *ex Clement.* 1. §. *propter, de hæretic.* negatiuè; ita vt, si Inquisitores sine Episcopo torquerent hæreticum, vel è contra, omnia forent ipso iure nulla; sicque reus ita tortus crimen fateretur, dicta confessio, tametsi fuerit ratificata, reo confesso non obesset. Zanard. *in director. Theologic. part. 2. cap. 6. quæst. 41.* Vmbert. Locat. *in Prax. Inquisitor. verb. Tortura, n. 7. & seqq.* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *de hæres. quæst. 186. n. 67. & 68.*

2 Hoc ipsum habet Instructio Hispalensis edita anno 1484. & altera Instructio Toletana edita anno 1561. *num.* 48 Quapropter etiam in Tribunali Inquisitionis Hispanicæ sic supradicta seruantur, vt non solùm Inquisitores cum Episcopo torturæ sententiam simul proferant, sed etiam, quando reus actu torquetur, sint similiter simul præsentes cum Episcopo, vel eius Procuratore, & raro alius, vt torturæ præsto sint, vicem suam committant.

3 Hoc ipsum etiam tradit Pegna *in director. Inquis. part. 3. comment. 39. n. 151. lit. B.* quatenus ait, quod Episcopus, & Inquisitores interuenire debeant non solùm ad pronunciandam tormenti sententiam, sed etiam ad ipsius tormenti executionem, nisi per infirmitatem, vel per aliam iustam causam alter excusaretur. Idque vbique videatur obseruandum, & Simanch. *in Enchiridion. cap. 52. n. 28.* subdens, quod prædicto tormento, seu prædictæ torturæ nemo præsens esse debeat, præter iudices, Tabelliones, & tortores, iuxta dictam Instructionem Toletanam *num.* 55. & probat præter alios Suarez de Paz *in Praxi tom. 1. cap. 3. part. 5. §. 12. n. 84.* & Villadiego *in Politica cap. 3. n. 315.*

SECTIO XL.

An Inquisitores torquere saltem possint testem sine Episcopo, vel è contra?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores licet sine Episcopo non possint torquere reum, & è contra, possunt tamen sine eo, & è contra torquere testes.*

RESpondetur: Quamuis de iure communi neque Inquisitor sine Episcopo, neque Episcopus sine Inquisitore possit torquere reum; sicuti præcedenti sectione dicebam, quilibet tamen per se sine altero potest torquere testem. Qua de re vide, quæ diffusè dicam infra *Dubitat. 199. de testibus, sect. 21. in petitione.* 1

Sed vt sciantur cætera, quæ pertinent ad materiam de tortura in communi, sint petitiones sequentes.

PETITIO PRIMA.

Ad quid introducta sit tortura?

SVMMARIVM.

1 *Tortura introducta non est in pœnam commissi criminis; quia cùm nondum sit plenè probatum, puniri non potest; sed introducta est in subsidium probationis.*

2 *Tortura reo inferri non potest, nisi quando crimen est semiprobatum, vel nisi quando vrgent vehementia indicia, ita vt sit ferè moraliter certum, quod ipse fuerit Auctor criminis.*

3 *Non obstat interdum fieri, vt innocens torqueatur: Respondetur enim per instantiam interdum etiam fieri, vt innocens damnetur, non tamen propterea omne iudicium tolli debet; quia id est per accidens.*

4 *Tortura reo inferri neque potest, nisi solùm in delictis grauioribus, quæ pœna corporali mortis, mutilationis, vel triremis puniuntur: Non autem in delictis leuioribus, quæ pœna leuiori, videlicet exilij, pecuniarum, &c. castigantur.*

5 *Tortura reo inferri neque potest ad extorquendam delicti confessionem, etiamsi illud confiteri nolit quando legitimè per testes de delicto conuictus fuerit.*

6 *Excipe, quando reus malitiosè, vt scilicet iustæ sententiæ executionem impediat, ad superius Tribunal appellat.*

7 *Excipe secundò, quando per semiplenam probationem, vel per æquipollentia indicia reus putatur.*

RESpondetur: Tortura introducta non est in pœnam commissi criminis; quia crimen, cùm nondum sit plenè probatum, puniri non potest; sed introducta est in subsidium probationis, *l. 1. & toto titulo, ff. l. 1. & tot. tit. Cod. de quæstionib.* vt quia sufficiens, & plena probatio nondum habetur, Ipse reus (quod ad sufficientem, & plenam probationem requiritur) suppleat veritatem confitendo. Doctores communiter apud Clarum *quæst. 64. num. 6.* & apud Couarruuiam *pract. quæst. q. 23.* 1

Hinc sequitur, quod tortura reo inferri non possit, nisi quando crimen est semiprobatum, vel nisi quando vrgent vehementia indicia; ita vt sit ferè moraliter certum, quod ipse fuerit Auctor criminis. Si enim in tali casu reus torqueri non posset, improbi homines audacter delinquerent, quando putarent, quod testibus, vel 2

externis indiciis facilè conuinci non possint. Secus, si viderint, quod ex indiciis, vel ex vno teste torturæ subiici potuerint; quia tunc propterea à delinquendo se continebunt. Accedit, quod multa crimina, eo quod paucis, vel nullis scientibus, committuntur, non possent puniri: Quod cederet in magnum Reipublicæ detrimentum; quia sic omnia criminibus adimplerentur: homines enim callidi, & audaces operam darent, quod testes idonei, & alia sufficientia criminis indicia remouerentur.

3 Non obstat, si dicas, interdum fieri, vt innocens torqueatur: Ergo.

Respondetur enim per instantiam, interdum etiam fieri vt innocens damnetur, non tamen propterea omne iudicium tolli debet; quia id est per accidens, atque præter intentionem. Et in rebus humanis non omnia incommoda vitari possunt, sed satis est, si ea media adhibeantur, quibus maiora incommoda vitentur, quamuis iisdem mediis interdum minora incommoda per accidens, & præter intentionem admisceantur.

4 Sequitur secundò, quod tortura reo inferri neque possit, nisi solùm in delictis grauioribus, quæ pœna corporali v. g. mortis, mutilationis, vel triremis, &c. puniuntur, non autem in delictis leuioribus, quæ pœna leuiori, v. g. exilij, vel pecuniæ, &c. castigantur. DD. communiter, quos sequitur Clar. *quæst*.64. *num*.4. & Gomez *tom*.3. *cap*. 13. *num*.2. quia reo nondum conuicto non potest inferri pœna tanta, vel maior, quàm inferretur, si de delicto esset conuictus; sicque tortura ad eliciendam criminis confessionem instituta, non debet esse tanta, vel maior pœna, quàm sit illa, quæ in eiusdem criminis condemnationem inferretur. Quapropter à tortura iniquè reo delata poterit reus de iure appellare. Abbas *in cap*. 1. *n*. 2. *de confessis*.

5 Sequitur tertiò, quod tortura reo inferri neque possit ad extorquendam delicti confessionem, etiamsi illud confiteri nolit, quando legitimè per testes de delicto conuictus fuerit, vt de illo condemnari possit, sicuti colligitur *ex l. Diuus, ff. de quæstionib.* & *ex l. quoties, Cod eodem*, & docent Clar. *quæst*. 64. *num*.8. Nauarr. *cap*. 18. *n*. 59. & alij passim; quia cùm tortura (quemadmodum suprà dicebam) introducta sit in subsidium ob defectum plenæ probationis, frustrà inferretur reo per testes legitimè conuicto; cùm confessio necessaria non sit ad condemnandum reum, nisi in casu, quo de delicto per testes legitimè non fuerit conuictus.

6 Excipe, quando reus malitiosè, vt scilicet iustæ sententiæ executionem impediat, ad superius Tribunal, sicuti, si non sit confessus, teste Nauarro vbi suprà, in Italia, & Regno Castellæ permittitur, appellat; quia tunc, si delictum esset atrox, verbi gratia latrocinium, vel sacrilegium, &c. & expediret, quod reus ibi puniatur, posset, vt impediatur ipsius iniqua appellatio, ad eliciendam confessionem torqueri, est igitur in quibusdam locis consuetudo, vt id fiat ad impediendam malitiosam appellationem, si reus scilicet per testes omninò conuictus, delictum suum insuper confiteatur. Nauarr. *cit. cap*. 18. *num*. 59. & Clarus *quæst*. 64. *n*. 7.

7 Excipe secundò, quando per semiplenam probationem, vel per æquipollentia indicia reus putatur, iuxta ea, quæ suprà dicebam, quod socios habuerit, vel quod alia delicta commiserit; quia tunc etiam ad hæc expiscanda reus torqueri poterit, moderatè tamen pro ratione causæ, & indiciorum. Doctores, quos sequitur Clarus *quæst*. 64. *num*. 8. subdens, sic seruari passim in Italia, & in Gallia.

PETITIO II.

An ad reo torturam inferendam sufficiat semiplena probatio?

SVMMARIVM.

1 *Probatio semiplena sufficit ad torturam reo inferendam.*

2 *Probatio semiplena est, cum vnus testis omnis exceptione maior deponit, se verbi gratia audiuisse aliquem blasphemantem, vel vidisse aliquem occidentem, &c.*

3 *Depositio testis non maioris omni exceptione, qualis est infamis, &c. non est sufficiens ad torturam, quamuis sit sufficiens ad capiendam informationem de auctore delicti.*

4 *Probatio semiplena sufficit quidem ad reo torturam inferendam, si tamen reus torqueri possit; quia de iure nonnulli torqueri prohibentur, puta impuberes, senes, quartana, vel morbo gallio laborantes, &c. vel si periculum abortus immineat, vt mulier prægnans, &c. vel Doctor, vir illustris, aut in dignitate constitutus, eorum filij, & miles.*

5 *Amplia, quod neque leuiter possunt torqueri, nisi in criminibus exceptis, vt hæresis, proditionibus, læsæ maiestatis, veneficij, &c.*

6 *Amplia quod si in aliis criminibus non exceptis torti fuerint, & confessi, quamuis postridie confessionem ratificauerint, neque possint condemnari; quia ipsorum confessio, vtpotè per iniuriam extorta, est irrita, & nulla.*

7 *Amplia, vt neque per eamdem confessionem possit institui Inquisitio contra ipsos; quamuis prædicti possint terreri verbis, quibus si confessi fuerint, eorum confessio, tanquam spontanea, valida erit.*

8 *Tortura, & torturæ terror de iure paria censentur; id tamen intellige de terrore proximo, vt cùm quis spoliatur, & ligatur, non autem de remoto, qui scilicet solùm in verbis, & nuda machina demonstratione sistat, quamuis si extorta fuerit confessio per metum, non sit sufficiens, nisi secuta ratificatione.*

Respondetur affirmatiuè. Patet ex iis, quæ dicebam suprà *Petitione* 1. & docent communiter Doctores, quos sequitur Clar. *quæst*. 21. *num*. 2. & Gomez *cap*. 13. *n*. 7. 1

Est autem semiplena probatio; cùm vnus testis omni exceptione maior, contra quem scilicet nulla sit exceptio, deponit, se audiuisse hunc tali loco, & tempore blasphemantem, vel se vidisse occidentem, aut furantem, &c. Quod si non fuerit testis omni exceptione maior, sed v. g. minor viginti annis, infamis, excommunicatus, inimicus, aut mulier, &c. vel non audiuerit blasphemantem, neque viderit occidentem, aut furantem, &c. sed audiuerit à fide dignis, ipsius depositio non erit indicium sufficiens ad torturam reo inferendam. Quapropter grauiter peccabit iudex, qui ex tali indicio, absque vllo alio probationis adminiculo reum torquebit; quia ei contra ius iniuriam grauem infert, & propterea ad compensationem damni secuti tenetur. 2 3

Quamuis huiusmodi indicium sit sufficiens ad capiendam informationem de authore delicti, & seruatur in praxi.

Cæterùm, cùm dixi, quod ad reo torturam inferendam sufficit semiplena probatio, intellige, si reus torqueri possit; quia de iure nonnulli torqueri prohibentur, vel ob minorem ætatem, vt impuberes (qui scilicet nondum quatuordecim annos adimpleuit; *l.* 1. §. *impuberes, ff. ad senat. consult. Syllan.* quamuis hic possit terreri, & virgis castigari) vel ob debilitatem, vt senex, 4

quartana,

quartana, vel morbo gallico laborans, &c. *l. si quis in graui, §. ignoscitur, ff. eodem*, quamuis & hi possint terreri, ostensis ipsis tormentorum loco, quin & leuiter etiam aliquando torqueri: vel ob periculum abortus, vt mulier prægnans, quæ etiam post partum torqueri non poterit, nisi quando vires recuperauerit; vel ob priuilegium, vt Doctor, Consiliarius Principis, vir illustris, Nobilis, seu Ordinis Equestris, aut in dignitate constitutus, eorumque filij, & Miles. Clar. *quæst.* 64. Gomez *cap.* 13. *n.* 3. & alij passim.

5 Quod adeò verum est, vt hi nequè etiam leuiter (quamuis contra ipsos sit semiplena probatio) torqueri, vel terreri possint, nisi in criminibus exceptis, vt hæresis, proditionis, læsæ maiestatis, veneficij, &c. *l. etsi excepta, Cod. de malef. & math.* & docet Glossa *ibi verb. demonstrantur*, Gomez *cap.* 13. *n.* 3. Martin. Delrio *lib.* 5. *disquis. magic. sect.* 9. Clar. *quæst.* 64. *n.* 9. Paul. Ghirland. *de quæstion. & tortura, quæst.* 6. Binsfeld. *de confess. malefic. concl.* 6. & Guid. à Suza *de indiciis, & tortura, circa finem.*

6 Quinimmò adeò verum est, vt si in aliis criminibus, scilicet non exceptis, torti fuerint, & confessi, quamuis postridie confessionem suam ratificauerint, neque possint condemnari; quia ipsorum confessio, vtpotè per iniuriam extorta, est irrita, & nulla; consequenter irrita, & nulla erit etiam ratificatio, quæ ex illa sequitur, *l. non dubium, Cod. de legibus, & l. penultima, ff. de quæst. à paritate rationis*, ibi: *Confessio facta in tormentis, non præcedentibus indiciis, est nulla, etiamsi sequatur ratificatio.*

7 Quinimmò etiam adeò verum est, vt ex huiusmodi confessione propter eamdem rationem dictam neque possit institui inquisitio contra ipsos. Doctores, quos sequitur Nauarrus *rubric. de indiciis, n.* 86.

Quamuis prædicti possint terreri verbis; & si confessi fuerint, ipsorum confessio, tanquam spontanea, valida erit; *l. item apud Labeonem, §. quæstionem, ff. de iniuriis*, ibi: *Quæstionem intelligere debemus, & tormenta, & corporis dolorem ad eruendam veritatem.* Nuda ergo interrogatio, vel leuis territio non pertinet ad hoc edictum: Et docet Glossa *ibi*, quam sequuntur communiter Doctores ibidem, & Gomez *loc. suprà cit.*

8 Non obstat, si dicas: De iure paria censentur tortura, & torturæ terror, seu comminatio, *argum. l. nouissimè, ff. quod fals. tutor. author.* Ergo huiusmodi confessio sic per comminationem extorta censeri valida non debet.

Respondetur enim, illud intelligi de terrore proximo, vt cùm quis spoliatur, & ligatur, sicuti patet *ex dicta l. item apud Labeonem*, non autem de remoto, qui scilicet solum in verbis, & nuda machinæ demonstratione sistat, & vlterius non progrediatur; quia in tali casu prædicta confessio ex citatis iuribus spontanea præsumetur.

Quamuis, si moraliter ex circumstantiis constet, quod reuerà non fuerit talis, sed extorta per metum (ita vt prædictæ confessionis causa fuerit metus) non sit, nisi secuta fuerit libera ratificatio, sufficiens indicium ad condemnandum reum.

An autem ad torturam reo inferendam præter semiplenam probationem sint sufficientia alia indicia minora, quàm semiplena probatio, sit propterea.

PETITIO III.

An ad reo torturam inferendam sufficiat de authore criminis publica fama?

SVMMARIVM.

1 *Tortura vt reo inferri possit, secundum probabiliorem sententiam, non sufficit publica fama, de authore criminis, contra eos, qui dicunt sufficere, dummodo sit per duos testes probata.*

2 *Fama in criminalibus non probat, sed se habet tanquam accusator, mouens iudicem ad vlteriorem informationem capiendam, estque indicium fallax, & remotum.*

3 *Reus si esset iam malæ famæ de similibus criminibus prius commissis, & fama publica postea grauaretur in præsenti crimine, posset torqueri; quia fama prior fortificatur nouo adminiculo.*

4 *Quod tamen intellige, si reus possit torqueri.*

Respondetur, quod quamuis nonnulli, quos sequitur Gomez *cit. cap.* 13. *num.* 10. affirment, dummodo tamen iuxta ea, quæ suprà dicebam, per duos testes fuerit probata: Probabiliùs nihilominus negent alij, quos sequitur Iul. Clar. *quæst.* 21. *num.* 1. nisi sit aliquibus aliis adminiculis fortificata; vt si verbi gratia ei accedat aliquis testis minùs idoneus; verbi gratia assertio socij, mulieris, infamis, excommunicati, vel minoris, &c. aut si appareat aliquod vestigium facinoris in veste, in armis, vel in re aliqua simili. 1

Probatur; quia fama in criminalibus non probat, sed se habet tanquam accusator mouens iudicem ad vlteriorem informationem capiendam. Estque cùm oriri possit ab hominibus fide non dignis, indicium fallax, & remotum. Præbet tamen ad cognoscendam veritatem iudici aliam viam, scilicet per Inquisitionem, sicuti dicebam. 2

Cæterùm, si reus iam esset malæ famæ de similibus criminibus prius commissis, & fama publica postea grauaretur in præsenti crimine, posset ex dictis talis reus torqueri; quia fama prior adiuncta posteriori fortificatur nouo adminiculo, sicque facit vehementem præsumptionem, vt torqueri possit. Videatur Clarus *loco suprà citato.* 3

Quod tamen iuxta ea, quæ suprà petitione secunda dicebam, intellige, si reus possit torqueri. 4

PETITIO IV.

An ad reo torturam inferendam sufficiat rei confessio extraiudicialis, seu extra iudicium?

SVMMARIVM.

1 *Confessio rei extraiudicialis sufficit ad reo torturam inferendam, vt si saltem apud duos se criminis auctorem dixerit, dummodo tamen torqueri possit.*

2 *Idem dic de confessione facta coram iudice incompetente, qui scilicet non habet potestatem cognoscendi causam, eo quod reus non sit ipsi subiectus.*

3 *Non tamen etiam dicas de confessione facta sacerdoti tanquam locum Dei tenenti ad obtinendam remissionem peccatorum; quia nullum in foro exteriori talis confessio effectum operatur.*

4 *Reiiciuntur plures Doctores dicentes, confessionem extraiudicialem ita valere ad torturam, vt si reus in tortura idem confiteatur, possit exinde ad pœnam ordinariam condemnari, tametsi confessionem non ratificet, quia confessio in tortura facta, præcedentibus indiciis, vt valeat, semper perseuerantiam, & ratificationem requirit.*

5 *Reus propter huiusmodi confessionem extraiudicialem potest ad aliquam pœnam extraordinariam condemnari; quia videtur in iniuriam alterius de crimine se iactasse.*

Respondetur affirmatiuè, dummodo tamen, sicuti *cit. Petitione* 2. dicebam, reus torqueri possit, vt si v. g. apud aliquos, saltem apud duos, de crimine se iactauerit, vel se criminis authorem esse dixerit. Gloss. 1

in

in l. cap. quinto, ff. de adulter. Bartolus, Baldus, & alij, quos citat, & sequitur Gomez *tom. 3. var. cap. 13. n. 8.* Felin. *in cap olim, de rescript. n. 5.* Sylu. *verb. indicium, quæst. 2.* Angel. *num. 2.* Tabiena *num. 1.* Clar. *quæst. 21. num. 31.* Hippolyt. de Marsiliis *in Practica, § diligenter, n. 76.* Rodriq. *in summa tom. 2. cap. 162. n. 1.* Penna *in director. part. 3. comment. 110. lit. M,* Simancb. *in Enchirid. tit. 56. num. 14.* Aldret *de disciplin. tuend. lib. 2. cap. 8. n. 3.* Sanch. *in opusc. tom. 2. lib. 6. cap. 3. dub. 15. n. 8.* Binsfeld. *in comment. de malef. & math. leg. 9. de indiciis, §. 9.* Miranda *in ordin. iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 7. concl. 1.* Zanard. *in director. Theol. part. 3. cap. 55.* Sousa *in aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 39. n. 91.* Ioseph de S. Maria *in Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. § 8.* Farinac. *quæst. 37. num. 47.* Carret. *in pract. leg. obseruar. n. 121.* & Menoch. *de præsumpt. lib. 1. quæst. 89. n. 14. & seqq.* Quamuis iuxta ea, quæ de publica fama *Petit. præcedenti* dicebam, debeat hoc (si reus se dixisse, negauerit) per duos testes omni exceptione maiores probari. Quia debet omninò huiusmodi indicium constare; cùm enim crimen ex tali indicio, quamuis ipsum indicium constet, non certò concludatur, si ipsum etiam indicium non constat, æquitas non patitur, vt reus propter tale indicium, non certum scilicet, sed dubium, ad eliciendam criminis confessionem torqueatur.

2 Idemque dicas de confessione facta coram iudice incompetente, qui scilicet non habet potestatem cognoscendi causam, eo quod reus non sit ipsi subditus, seu subiectus, vel eo quod causa ab ipsius Tribunali sit exempta; quia licet ex tali confessione reus à proprio iudice, sicuti patet *ex cap. at si clerici, de iudiciis,* non possit condemnari, potest tamen torqueri, tanquam ex indicio, quod magnam criminis præsumptionem infert; quamuis talis confessio non debeat esse extorta metu tormentorum, sed tantum metu probationum, vel debeat esse prorsus spontanea. Penna *in direct. Inquis. part. 3. comment. 118. in Appendic,* Genuens. *in Prax. Archiepisc. cap. 8. num. 3.* & alij, quos citat, & sequitur Miranda *in ordin. iudic. tom. 2. quæst. 26. art. 7. conclusion. secunda.*

3 Non tamen idem etiam dicas de confessione facta sacerdoti, tanquam Dei locum tenenti, ad obtinendam remissionem peccatorum; quia talis confessio, tametsi iniquus sacerdos eam diuulget, ita vt crimen in publicum deueniat, & omnibus constet, nullum ad torturam, quin neque ad inquisitionem, neque etiam ad vllam informationem effectum operatur. Doctores communiter *argum. cap. si sacerdos, de offic. ordinar.* & inter alios Bald. *in l. Archigerontes, Cod. de Episc. audient.* quia quod pœnitens sic confitetur sacerdoti, non dicit ei tanquam homini, sed tanquam Deo ipsi, & iudicium prorsùs diuinum exercent: Ergo nihil potest sacerdos de eo testari, tanquam homo: Quin id debet esse ita secretum, atque ita diceoti non nocere, ac si soli Deo dictum fuisset; alioquin reuelatio eius, & quidquid ex vi talis reuelationis agitur, cederet in iniuriam Dei, cui tale secretum commissum est, & in iniuriam Sacramenti confessionis, quam odiosam redderet. Videatur præter alios Sotus *de secreto membr. 3. quæst. 1. concl. 5.*

Cæterum, quod Mascard. *de probation. lib. 1. concl. 353. n. 24.* Villagut. *in Praxi lib. 7. cap. 14 concl. 3.* alij complures Doctores cum Bartolo *in l. 1. §. Diuus Seuerus, ff. de quæstion.* inquiunt, confessionem scilicet extraiudicialem, seu extra iudicium, & extra confessionis Sacramentum (de qua suprà dicebam) ita valere ad torturam, vt si reus in tortura idem confiteatur, possit exinde ad pœnam ordinariam, tametsi postea confessionem non ratificet, condemnari, mihi minus probatur; quia confessio in tortura, præcedentibus indiciis facta, vt valeat, semper, cùm semper tormentorum vi censeatur facta, perseuerantiam, & ratificationem requirit.

Accedit, quod talis confessio non est efficacior, quàm semiplena probatio; sed si reus post semiplenam probationem torqueatur, & in tortura confiteatur, adhuc post torturam requiritur ratificatio: Ergo multò magis requiritur in casu, de quo loquimur.

Atque sic docent Penna *in director. part. 3. comment. 110.* Anton. Gomez *tom. 3. var. cap. 13. n. 8.* Simancha *de cathol. institut. tit. 65. num. 70.* Becanus *in 2. 2. S. Thomæ, quæst. 10. concl. 2. n. 9.* Petr. Caballus *resolution. crimin. centur. 1. cas. 81. n. 6.* Suarez de Paz *in Praxi tom. 1. part. 5. cap. 3. §. 12. n. 16.* Carthar. *de interrogat. Reor. lib. 4. cap. 1. num. 153.* Guagnin. *tom. 1. lib. 1. defens. 30. dubit. 35. n. 6.* Baiard. *in addit. ad Iul. Clar. quæst. 64. n. 136.* & Miranda *in ordin. iudiciar. tom. 2. quæst. 26. art. 7. concl. 1.*

Non nego tamen, quod reus propter huiusmodi 5 confessionem (scilicet extraiudicialem, seu extra iudicium, & Sacramentum confessionis) possit ad aliquam pœnam extraordinariam condemnari; quia sicuti rectè Abbas, & alij Doctores communiter *in cap. quàm sit graue, de excessib. Prælator.* docent, videtur in iniuriam alterius reus se de crimine iactasse. Vide eosdem Doctores, quos suprà citabam. Vide etiam quæ suprà dicebam *sect. 20.*

PETITIO V.

An ad reo torturam inferendam sufficiat duorum, vel trium sociorum assertio?

SVMMARIVM.

1 *Tortura vt reo inferri possit, sufficit duorum, vel trium sociorum assertio.*

2 *Socij tamen criminis id deponere debent cum iuramento, quia tunc agunt tanquam testes.*

3 *Limita id intelligendum esse, cessante suspicione de malignitate.*

4 *Dictum vnius socij non facit indicium, etiamsi iurauerit, nisi alter simul infamia, vel graui suspicione talis criminis laboret.*

5 *Reus quotiescumque crimen est tale, vt regulariter sine sociis non committatur, de sociis etiam per tormenta interrogari potest, quia sic exigit bonum publicum.*

6 *Reus consultum est, vt ante condemnetur, & post sententiam per confessarium disponatur, quod omnes socios, quos præsciuerit in criminibus perseuerare, in bonum publicum sponte manifestet.*

7 *Indicium sufficiens ad torturam neque est assertio ipsius vulnerati etiam in ea persistentis vsque ad mortem, quando nemo suæ salutis immemor iudicatur.*

8 *Indicium sufficiens ad torturam, quin neque ad capturam faciendam est, si recenter occisus sanguinem mittat per vulnus ad præsentiam huius, & non ad præsentiam aliorum; quia id prouenire potest ex naturali antipatia.*

9 *Idem etiam dic de indicio per aquam, vtpotè sortilegam.*

RESpondetur affirmatiuè (si scilicet torqueri possit, 1 vti *Petitione 2.* dicebam.) Ita vt quotiescumque duo, vel tres capitis crimen fatentur, & aliquem criminis socium fuisse produnt, possit iste capi, & torqueri. Doctores communiter, quos sequitur Clar. *quæst. 21. num. 10.* vbi subdit, quod sic etiam seruetur in regno Neapolis, & Franciæ.

2 Aduerte tamen, quod socij debeant id deponere cum iuramento, quia tunc agunt tanquam testes.

Aduerte secundò, quod debeat intelligi, quando non 3 est iusta suspicio, id ex malignitate ortum habere.

Aduerte

4 Aduerte tertiò, qood dictum vnius socij tantùm, etiamsi iorauerit, noo faciat, oisi alter simul infamia, vel graui suspicione talis criminis laboret, indicium sufficiens ad torturam; quia per se est testis singularis, & minùs idoneos. Qui tameo cum fama, vel alio adminiculo potest facere vehementem præsomptionem, vt sic sufficiat ad torturam. Doctores, quos sequitur Clarus *vbi suprà n.4.*

5 Aduerte quartò, qood reus, qootiescumque crimen est tale, vt regulariter sine sociis non committatur, vel constat, aut fama est, qnod socios habuerit, de sociis, etiam per tormenta ioterrogari possit; quia sic exigit boaum publicum, vt scilicet crimina compescantur. Doctores passim, quos sequitur Gomez *cap. 12. n. 16.*

6 Aduerte quintò, quòd consultum sit, vt reus ante coodemnetur, & post sententiam per confessarium disponamr, quod omnes socios, quos putauerit io criminibus perseueraturos, io bonum publicum sponte manifestet; quia sic ad socios expiscandos non magoa, neque multa tormenta necessaria erunt.

7 Aduerte sextò, quod ooo sit similiter iodiciom sofficieos ad torturam assertio ipsius vulnerati, etiam in ea persistentis vsque ad mortem, quando nemo suæ saluris immemor iudicatur. Doctores communiter ex textu expresso *in l. si quis in graui, ff. ad senat. consult. Syllan.* Et meritò; quia non dixit iuratus, sicut debet testis dicere. Et quia, cùm tunc temporis homo vix sit in se, præsumitur ea errore dixisse: Est tamen sufficiens indicium ad capturam; & ad informationem capiendam prædicti vulnerati assertio, tametsi ooo iure scripto, sed consuetudine, sicuti testatur Gomez *cap. 13. num. 16.*

8 Aduerte septimò, quod quidqoid dixerint quidam in contrarium, hoo est ad torturam, quin neque ad capturam faciendam indicium sufficiens, si recenter occisus saoguinem emittat per vulnus ad præseotiam huius, & non ad præsentiam aliorum; quia in criminalibus, & in re proximo tam præiudiciali indicium debet esse iam olim probatum, & vsitatum; quale oon est iodicium prædictom, vtpotè omnis incertum, & oobis ignotum, an proueniat à causa oaturali, vt ea impressione animæ affectuum quadam io sanguinem, & spiritum, ad auertendum à se aliquid sibi contrarium per antipathiam naturalem: an à Deo in detestationem homicidij, & vt sic homicida occultus aperiatur; ao tandem à dæmone in ruinam, & perditionem alicuius miseri innocentis.

9 Idemque propter eamdem rationem dicendum de indicio per aquam, quo à iudicibus fœminæ sortilegij suspectæ soleot certo modo ligatæ in aquam proiici, quæ, si mergantur, absoluuntur, si non merganrur, torturæ subiiciuntur; quasi hoc indicium sufficiens sit ad inferendam torturam. Et quidem, si id est à dæmone, sicut omninò esse videtur, incertum est, an ille, permittente sic Deo, id faciat io ruinam, & perditionem alicuius miseri similiter innocentis.

PETITIO VI.

An ad reo torturam inferendam sufficiat sola fuga post delictum arrepta?

SVMMARIVM.

1 *Sola fuga post delictum sufficiens est ad reo torturam inferendam, si aliàs torqueri non prohibeatur.*

2 *Fugiens post delictum, si citatus compareat, abstergit omnem suspicionem.*

3 *Fugitiuus torqueri multò magis potest, si cum fuga concurrat fama, vel communis suspicio, vel aliquod aliud indicium, adminiculum, suspectio, seu præsumptio.*

4 *Sola fuga tunc non est sufficiens ad torturam, si qui reus fugit, quando scit contra se capi informationem, vel dum accusatur, vel citatur.*

5 *E fuga è carcere etiam attentata, contra fugientem indicium de delicto, propter quod detinebatur, oritur ad torturam, si reus non animo redeundi talem fugam arripuerit.*

RESpoodetur affirmatiuè, ita vt & in hoc casu etiam 1
captus reus torqueri possit; si de iure torqueri oon prohibeatur, iuxtà ea, quæ dicebam *Petitione* 2. Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 65. num.* 28. Eymericus à Rosbach *in tract. crimin. tit. 5. cap. 9. num. 2. & seqq.* Ioseph de sancta Maria *in Tribun. Relig. tract. 5. cap. 2. §. 9.* Miranda *in ordin. indic. tom. 2. q. 26. art.* 8. Clarus *in practica, §. final. quæst. 21. n. 18.* Gomez *tom. 3. var. cap. 13. n. 10.* Mascard. *de probat. lib. 2. concl.* 819. *n. 4.* & *conclus.* 831. *n. 9.* & alij Doctores communiter ex textu expresso *in l. lege Cornelia, ff. ad Senat. conf. Syllan.* 2
Quamuis si, qui fugam talem arripuit, citatus compareat, abstergat omnem suspicionem: iidem Doctores, qui suprà, etiam communiter.

Vbi aduerte, quod & torqueri multò magis potest, 3
qoi etiam quomodocumque fugam arripuit, si cum fuga (sicut ordinariè solet) coniungatur fama, vel communis suspicio, vel aliquod aliud indicium, adminiculum, suspectio, coniectura, seu præsumptio; Doctores etiam iidem, quos suprà citabam, & addentes ad Clarum *quæst. 21. n. 18.*

Adoerte secundò quod (si qui fugam arripuit, eam 4
arripuerit, cùm viderit de se capi ioformationem, vel dum accusatur, vel citatur, &c. sola fuga tunc non sit sufficiens indicium ad torturam, quia cùm se peti videt, habet, etiamsi fuerit innocens, rationabilem causam timendi, sicque fuga tunc non est vehemens, & sufficiens indicium ad torturam, neque tunc habet vim semiplenæ probationis; cùm tunc ex alia causa, sicuti dicebam, fuga possit procedere. Doctores, quos sequitur Clarus *loco suprà cit.* & Doctores, quos ego suprà citabam. Videri etiam poterunt Sousa *in aphor. Inquis. lib. 2. cap. 26. n. 34.* & Farinac. *quæst. 30. n. 85.* qui tamen volunt, qood ex fuga è carcere etiam attentata, contra fugientem, indicium de delicto, propter quod detinebatur, oriri ad torturam, si reus oon animo reuertendi fugam talem arripuerit.

PETITIO VII.

An ad reo torturam inferendam sufficiat inimicitia grauis?

SVMMARIVM.

1 *Ad reo torturam inferendam sufficit inimicitia grauis, si cum ipsa concurrant indicia ex ipsa pendentia. Vide exempla talium indiciorum.*

RESpondetur affirmatiuè; dummodò tamen non sit 1
sola, sed sit cum aliis Indiciis ex ipsa pendentibus cooioncta, vt si v. g. priùs minatus fuerit, & minas suas exequi consueuerit, vel si parauerit arma, & visus fuerit circà illum locum tuoc temporis, quando homicidium commissum fuisse iodicatur. Doctores communiter cum Bartolo *in l. finali, ff. de quæstionib.*

Cæterùm adoerte iuxtà ea, quæ dicebam petitione secunda, quod in hoc casu etiam reus quidem torqueri possit, si tameo torqueri de iure non prohibeatur.

PETITIO VIII.

An ad reo torturam inferendam sufficiat inconstantia, & titubatio, vel mendacium illius, dum circa causæ principalia examinatur?

SVMMARIVM.

1 *Tortura vt reo inferri possit, sufficit inconstantia, & titubatio, vel mendacium illius, dum circa causa principalia examinatur, dummodo tamen adiungantur aliqua alia indicia. Spectata etiam hic conditione causa, & persona.*

1 Respondetur affirmatiuè; dummodò tamen adiungantur aliqua alia indicia, ita vt sola inconstantia, & titubatio, vel solum mendacium rei, indicium ad torturam sufficiens non sit. Doctores communiter, quos sequitur Clarus loco *suprà cit. n. 39.*

Aduerte tamen, quod hic spectari debeat conditio causæ, & personæ; quia nonnulli sic in examine perturbantur, vt confundantur, & vix sciant, quid dicant. Vide etiam, quæ dicam *Petitione sequenti, in fine.*

PETITIO IX.

An ad reo torturam inferendam sufficiat, si reus visus fuerit exire cum gladio stricto ex aliquo loco, vbi reperiatur aliquis recenter occisus?

SVMMARIVM.

1 *Tortura vt inferri possit, sufficit si reus visus fuerit exire cum gladio stricto ex aliquo loco, vbi reperiatur aliquis recenter occisus. Si tamen de iure torqueri non prohibeatur.*

1 Respondetur affirmatiuè: Estque etiam communis sententia Doctorum, quos sequitur Gomez *cap. 13. num. 11.*

Cæterum aduerte, quod in hoc casu sicut in præcedenti & omni alio, reus quidem torqueri possit, sicuti dicebam, si tamen torqueri de iure non prohibetur, iuxta ea, quæ dicebam suprà petitione secunda.

PETITIO X.

An ad reo torturam inferendam sufficiat, si facto aliquo magno furto, cuius ignoratur author, quis inops, ibi sæpè versari consuetus, de repente diues appareat?

SVMMARIVM.

1 *Tortura vt inferri possit, sufficit si facto aliquo magno furto, cuius ignoratur auctor, quis inops ibi sæpè versari consuetus, de repente diues appareat, si aliàs de iure torqueri non prohibeatur.*

1 Respondetur affirmatiuè; si scilicet, iuxta ea, quæ dicebam *cit. Petit. 2.* torqueri de iure non prohibeatur, quia ex his circumstantiis concurrentibus contra talem oritur magna præsumptio, seu suspicio, quæ propterea sufficiens sit ad torturam inferendam. Doctores communiter, quos sequitur Gomez *cit. cap. 13. n. 13.*

PETITIO XI.

An ad reo torturam inferendam, sufficiat, si res sublata reperiatur apud illum?

SVMMARIVM.

1 *Tortura inferri potest reo, si res sublata reperiatur apud illum, si aliàs de iure torqueri non prohibeatur.*

2 *Excipe, si reus dicere possit vnde eam habuerit.*

3 *Excipe secundò, si non sit malæ, sed bonæ famæ.*

Respondetur affirmatiuè, si scilicet torqueri de iure non prohibeatur, vti dicebam. Doctrina etiam communiter, quos sequitur idem Gomez *loco suprà citato n. 12.* & Clarus *q. 21. n. 41.* 1

Excipe, si reus dicere possit, vnde eam habuerit, ita vt sic elidat omnem præsumptionem, seu suspicionem, quæ est contra ipsum. 2

Excipe secundò, non sit malæ, sed bonæ famæ Quia interdum fieri potest, quod res aliena sit apud aliquem, nesciente illo, & sine culpa illius. 3

PETITIO XII.

An præter indicia supradicta, dari possint alia, quæ similiter ad reo torturam inferendam sufficientia sint? vbi etiam an detur casus, in quo possint Inquisitores torquere reum, & non imponere illi abiurationem de vehementi?

SVMMARIVM.

1 *Indicia præter supradicta, alia dari possunt sufficientia ad reo torturam inferendam: Totum enim hoc negotium relinquitur prudentiæ iudicum.*

2 *Reus vt torqueri possit, non sufficit omne indicium, sed debet esse graue, quod legitimè commissi criminis suspicionem, ac veluti præsumptionem iudici ingerat.*

Respondetur affirmatiuè; tametsi indicia, quæ dixi, sint præcipua, vt adnotant Doctores; quia totum hoc negotium relinquitur prudentiæ iudicis, qui in re tanti momenti, considerata qualitate causæ, personæ, &c. cum magna circumspectione procedere debet, ne proximo contra ius torturam inferat, vel maiorem, quàm par, & æquum fuerit; Clarus *q. 64. n. 13.* Martinus Delrio *lib. 5. disquisit. magic. sect. 3.* Francisc. Brunus *de indic. & quæst part. 1. quæst. 3. n. 1.* Binsfeldius *de confess. malef. membr. 2. post 5. conclusionem*, & Antonius de Canario *tract. de quæstionib. & torment. membr. 2. n. 8.* 1

Quapropter ad reum torquendum regula generalis dari poterit, non quodlibet indicium sufficere, sed debere esse graue, quod legitimè (scilicet per duos testes probatum) commissi criminis suspicionem, ac veluti præsumptionem iudici ingerat. Simanch. *de Cathol. Instit. tit. 65. n. 15.* Farinac. *in practic. criminal. quæst. 37. num. 3. & 13.* Antonius de Canario *citato membr. 2.* & sumitur *ex l. 1. in principio, ff. de quæstionib.* 2

In specie autem ex dictis indicia ad reum torquendum sufficientia sunt, quæ suprà referebam, & refert etiam Clarus *quæst. 21. num. 13. & seqq.* Gomez *lib. 3. cap. 13. num. 7. & seqq.* & Martinus Delrio *loco suprà citato.*

An

An autem detur casus, in quo possint Inquisitores torquere reum, & non imponere illi abiurationem de vehementi?

Respondetur (quamuis negent nonnulli ex Instructione Matriliana anno 1561. *cap.* 46. *& seqq.* quatenus habet, quod contra reum, qui per indicia non potest absolui simpliciter ab instantia, seu accusatione, sit procedendum vel per purgationem, vel per abiurationem, vel per torturam: Et consequenter, quod quotiescumque possunt Inquisitores torquere reum, si nolint torquere, possint illi imponere abiurationem de vehementi:) Probabiliùs tamen negent alij cum Pegna *in director. Inquisit. part.* 3. *commentar.* 39. quatenus ait, euenire sæpè posse, quod aliqua indicia concurrant contra reum, ex quibus tuto non possit imponi abiuratio de vehementi, cùm ea sit grauissima pœna propter periculum relabendi: sint tamen indicia sufficientia ad torturam infligendam, quæ non est adeò periculosa, vt per eam veritas indagetur, & ab ore ipsius delinquentis, si fieri potest, eruatur; sicque tunc seueriùs possit procedi ad imponendam abiurationem, & alias pœnitentias. Non igitur eo ipso, quod reus potest torqueri, potest illi imponi abiuratio de vehementi; cùm aliquando dentur indicia sufficientia ad infligendam torturam, & non ad imponendam abiurationem de vehementi, sicuti suprà dicebam cum Pegna.

Non obstat Instructio Matriliana, quam pro se adducebant aduersarij; quia loquitur illa de eo, quod communiter accidere consueuit, iuxtà *l. quoad ea, de Regul. Iur.* & leges accommodantur ad ea, quæ frequentius accidunt.

PETITIO XIII.

An reus possit pluries torqueri? vbi etiam, an licet reus fuerit tortus, possint ei Inquisitores imponere abiurationem tantùm de leui?

SVMMARIVM.

1 *Reus non potest pluries torqueri, si competenter secundum indiciorum grauitatem tortus fuerit; quia si reus in tortura nihil confessus est, videntur prius habita indicia infirmata, & elisa.*

2 *Excipe, si priùs habita indicia sint grauissima, quæ per torturam toleratam, vtpotè insufficientem, adhuc non videantur infirmata, & elisa; quia tunc iterum torqueri poterit.*

3 *Excipe secundò, si superuenerint noua indicia, quia tunc iterum ob hæc torqueri poterit.*

4 *Excipe tertiò, si confessus in tortura, postridie quando deposito tormentorum metu, in loco iudicij ad ratificationem confessionis suæ interrogatus reuocet confessionem; quia & tunc etiam torqueri poterit; quia aliàs totum hoc remedium de tortura foret frustratorium.*

5 *Accedit, quod per talem reuocationem indicia non sunt sufficienter infirmata, & elisa, cùm illa variatio nouum indicium inferre videatur.*

6 *Accedit secundò, quod retractatio confessionis factæ in tortura infirmat ipsam torturam.*

7 *Tortus ter, & ter in tortura confessus, ter etiam ad ratificandum ductus, si reuocauerit, condemnari non potest, quinimmò plerumque absolui debet.*

8 *Tortus bis, & bis etiam confessus, si bis etiam reuocauerit ductus ad ratificandum, tertiò secundum alios non est torquendus.*

9 *Alij id asserunt relinquendum esse arbitrio iudicis.*

10 *Alij verò nullo pacto tertiò torquendum esse, quam sententiam satis piam fatentur etiam aduersarij.*

11 *Iudices cauere debent, ne inferant talia tormenta, quæ moraliter sufferri non possint, qualiacumque sint delicta. Et quid cum reo propterea agendum sit.*

12 *Reus tortus, & negatiuus poterit iterum torqueri, si superuenerint noua indicia, quæ specie, & substantia differant ab indiciis primis, scilicet indicia noua, (licet adinueniantur aliis testibus) non sint eadem, ac prima, sed sint diuersa in specie, & substantia.*

13 *Noua indicia superuenientia, vt reus possit torqueri, debent esse talia, quæ per se sufficiant ad torturam, sicque debent esse indicia propinqua; quamuis & remota si multiplicentur, & adminiculentur inter se, possint etiam constituere indicium sufficiens.*

14 *Reus in casu, quod ex nouis indiciis superuenientibus iterum torqueatur, donandus est de nouo copia indiciorum, & de nouo audiendus, quemadmodum ante primam torturam factam fuit.*

RESpondetur negatiuè; si scilicet competenter secundùm indiciorum grauitatem tortus fuerit. Est sententia communis Doctorum; quia si reus in tortura nihil confessus est, per torturam toleratam, & per illam constantiam videntur priùs habita indicia infirmata, & elisa. 1

Excipe, si priùs habita indicia sint grauissima, quæ per torturam toleratam, & per illam constantiam (vtpotè ad dicta indicia non competentem, seu non sufficientem) non videantur sufficienter infirmata, & elisa; tunc iterum torqueri poterit, ad competentiam scilicet, seu sufficientiam indiciorum, quæ dicebam. 2

Excipe secundò, si superuenerint noua indicia; quia tunc etiam iterum ob hæc torqueri poterit; *l. vnius, §. reus, ff. de quæstion. in principio*, & notat Glossa marginalis *in l. repeti, ff. eodem*, Ioan. Maior *in 4. dist.* 15. *q.* 22. *dub.* 5. Gomez *cap.* 13. *n.* 25. *in fine*, Ioan. Royas *tract. de heretic. assertion. cap.* 31. *n.* 298. Antonius de Canario *tract. de quæstion. & torment. membr.* 6. & alij, quos infrà citabo. 3

Excipe tertiò (quidquid in contrarium dixerint aliqui ex quadam Instructione Hispalensi anno 1484. *num.* 15.) si confessus in tortura, postridie, quando deposito tormentorum metu, in loco iudicij ad ratificationem confessionis suæ interrogatur, reuocet confessionem suam; quia & tunc etiam, tametsi noua indicia non superuenerint, torqueri similiter poterit. Cantera *in quæst. crimin. cap.* 2. *de probat. per testes, q.* 1. *n.* 67. vbi ait, talem Instructionem Hispalensem non seruari in praxi. Simanch. *de Institut. Catholic. tit.* 65. *n.* 80. vbi idem ait, subditque, dictam Instructionem Hispalensem contrarium non prohibere. Clarus *q.* 21. *n.* 36. & *q.* 64. *n.* 43. Peguera *in praxi cap.* 12. §. 12. *n.* 9. Bossius *tit. de tortura num.* 34. Aldrete *de discipl. tuend. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 26. Suarez de Paz *in praxi tom.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. §. 11. *n.* 17. Villagut *in practica lib.* 7. *cap.* 7. *concl.* 3. Binsfeld. *in comm. de malef. & math. leg.* 7. *q.* 1. *concl.* 14. Becanus *in* 2. 2. *S. Thomæ, q.* 10. *n.* 16. Miranda *in ordin. iudic. tom.* 2. *q.* 26. *art.* 18. *conclus.* 2. Michael. Zanard. *in director. Theol. part.* 3. *cap.* 82. Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 2. *cap.* 39. *n.* 39. Ambrosinus *de process. inform. lib.* 4. *cap.* 5. *n.* 12. Guazzin. *tom.* 2. *lib.* 1. *defens.* 30. *cap.* 36. *n.* 4. Queued. *de indic. & tortur. part.* 2. *cap.* 7. *n.* 2. Villadiego *in politic. cap.* 3. *n.* 311. & alij communiter. Et ratio est, quia alioquin totum hoc remedium de tortura foret frustratorium, seu vt dici solet; deseruiret de ventos. Quilibet enim, si putaret, quod ampliùs propterea torqueri non posset, confessionem suam nunquam ratificaret, sed semper reuocaret. 4

5 Accedit, quod per talem reuocationem indicia non sunt sufficienter infirmata, & elisa, cùm illa variatio nouum indicium inferre videtur.

6 Accedit secundò, quod retractatio confessionis factæ in tortura infirmat dictam torturam, vt perindè sit, ac si nulla præcesserit; interim indiciis, seu præsumptionibus prioribus in suo vigore permanentibus.

7 Vt autem in re tam odiosa non procedatur absque termino, qui ter tortus, & ter in tortura confessus, ter etiam ad ratificandum ductus reuocauit, condemnari non potest, quinimmò plerumque absolui debet; Doctores communiter, quos sequitur Gomez *cap.* 13. *num.* 17. Martin. Delrio *lib.* 5. *disquisit. magic. sect.* 9. Clarus *quæst.* 21. *num.* 36. *in fine*, & Farinac. *quæst.* 31. *num.* 99.

8 Et hoc, quod modò dixi, adeò verum est, vt reum, etiamsi bis tortus, & bis confessus, bis confessionem reuocauerit, tertiò non torquendum esse sentiant contra Binsfeldium *in commentar. de malef. & math. leg.* 7. *q.* 1. *concl.* 14. Iulium Clarum *in praxi* §. *finali*, *quæst.* 21. *n.* 36. Ludouicum Pegueram *in practic. crimin. cap.* 12. §. 12. *n.* 9. Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 13. *n.* 8. Queuedum *de indiciis, & tortur. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. Suarez de Paz *in prax. crimin. tom.* 1. *part.* 5. *cap.* 3. §. 12. *n.* 19. Mirandam *in ordin. iudic. tom.* 2. *quæst.* 26. *artic.* 18. *concl.* 1. & Ambrosinum *de processf. informat. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 14. & alios, Cantera *in quæst. crimin. cap.* 2. *de probat. per testes*, *quæst.* 1. *num.* 67. Locatus *in prax. Inquis. verb. tortura*, §. *sed pone*, Simanch. *de cath. instit. tit.* 65. *num.* 81. Penna *in direct. Inquis. part.* 3. *comment.* 39. Chartar. *de Interrog. Reor. lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 13. & 161. Sousa *in aphor. Inquis. lib.* 2. *cap.* 39. *num.* 39. Farinac. *quæst.* 38. *n.* 106. Damauder. *in praxi crimin. cap.* 38. *n.* 12. & Sanchez *in opuscul. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 15. *n.* 14.

9 Quamuis nonnulli velint, id relinquendum esse arbitrio iudicis, qui cùm considerauerit grauitatem delicti, qualitatem rei, & quod grauia præcesserint indicia, rectè arbitrari poterit, reum etiam tertiò torquendum esse; sic Doctores, quos sequitur Baiard. *in addit. ad Iul. Clar. quæst.* 21. *n.* 140.

10 Alij verò velint, reum nullo pacto tertiò torquendum esse (quam sententiam satis piam fatentur etiam aduersarij, vt Miranda *loco suprà cit.*) excepto casu, quod is bis leuissimè tortus fuerit, & præterea noua indicia superuenerint. Sic Simancha, Penna, & Sousa *vbi suprà*, & videri poterit etiam Guazzin. *tom.* 2. *lib.* 1. *defens.* 30. *cap.* 14. *num.* 6.

11 At quidquid sit, an scilicet reus bis tantum, vel etiam ter ad summum torquendus sit, illud omninò aduertant iudices, quod licet eò grauiora tormenta reo inferri possint, quo maiora contra eum indicia habentur, ordinariè tamen, & nisi grauissima indicia criminis habeantur, cauere debent, ne tormenta sint talia, vt moraliter loquendo, sufferri non possint; ideoque cogatur reus ad confitendum crimen; quia cùm talis confessio quodammodo inuoluntaria censeatur, non potest in iudicio æstimari; ideoque condemnatio sequetur non propter confessionem, sed propter indicia, quæ sicuti suppono, ad condemnandum reum sufficientia non sunt, atque adeò contra ius, & contra iustitiam sequetur. Doctores, quos sequitur Antonius de Canario *de quæst. & torment. membr.* 5. *n.* 20.

Non obstat, si dicas, quod extorta talis confessio, altero die coram iudice, & notario ratificari debet.

Respondetur enim, quod cùm reus sciat, similia tormenta, nisi in confessione persistat, sibi inferenda fore, non poterit ratificatio omninò libera censeri; sicque redit eadem difficultas, quam suprà dicebam. Vide, quæ dicebam suprà *sect.* 28. & *sect.* 33.

12 Cæterùm cum dixi in exceptione secunda, quod reus tortus, & negatiuus possit iterum torqueri, si superuenerint noua indicia, intellige (quidquid in contrarium dixerint nonnulli, quos sequitur Queued. *de indic. & tortur. part.* 2. *cap.* 7. *num.* 6. citans pro sua sententia Antonium Gomez *tom.* 3. *var. cap.* 13. *num.* 7. & 8.) casu, quo interuenerint noua indicia, quæ specie, & substantia differant ab indiciis primis, scilicet indicia noua, licet adiuuentur aliis testibus, non sint eadem, ac prima, sed sint diuersa in specie, & substantia, v. g. vt rectè exemplificat Iul. Clarus *in practic.* §. *finali*, *q.* 64. *num.* 46. si reus sit tortus ex indicio famæ, & posteà superueniant alij testes probantes famam, reus non possit iterum torqueri: Possit autem iterum torqueri, si interueniant alia noua indicia remota præter famam; Simanch. *de cath. instit. tit.* 65. *n.* 75. Penna *in direct. Inquis. part.* 3. *comment.* 39. *n.* 156. Casonus *de indic. tit. de tortura*, *cap.* 14. *num.* 8. Vmbert. Locat. *in praxi*, *verb. tortura*, §. *nota*, Villadiego *in politica cap.* 3. *n.* 321. Bertazzol. *consil.* 274. *n.* 21. *vol.* 2. Bossius *tit. de tortura*, *n.* 42. Ludouic. Bologninus *in addit. ad tractat. Guid. de Suzar. de indic. & tortur. num.* 61. Damhauderus *in praxi cap.* 38. *n.* 5. Caball. *in resolut. crimin. centur* 2. *cas.* 93. *num.* 43. & Brunus *in tract. de indic. & tortur. part.* 2. *q.* 5. *n.* 63.

Vbi aduerte, quod noua indicia superuenientia, vt reus iterum possit torqueri, debeant esse talia, quæ per se sufficiant ad torturam, Vinc. de Franchis *par.* 4. *decis.* 577. & alij, quos sequitur Guazzin. *tom.* 2. *lib.* 1. *diff.* 30. *cap.* 23. *n.* 4. & *seqq.* Sicque debeant esse indicia propinqua, & non remota. Natta *consil.* 407. *num.* 12. *vol.* 2. & alij, quos sequitur Guazzin. *vbi suprà*. Quamuis & ipsa indicia remota, si multiplicentur, & adminiculenter inter se, possint etiam instituere indicium sufficiens ad torturam, saltem leuem; Petr. Caball. *centur.* 2. *cas.* 193. *n.* 5. Queuedus *loco suprà citato*, & alij passim. 13

Aduerte secundò, quod in casu, quod reus ex nouis indiciis superuenientibus iterum torqueatur, donandus sit de nouo copia indiciorum, & de nouo audiendus, quemadmodum ante primam torturam factum fuit: cùm in vtroque casu militet eadem ratio. Penna *in director. Inquis. part.* 3. *comment.* 14. & alij, quos sequitur Chartar. *de interrogat. reorum lib.* 4. *cap.* 1. *n.* 198. & 199. 14

Item, an liceat reus fuerit tortus, possint ei Inquisitores imponere abiurationem tantùm de leui?

Respondetur affirmatiuè; Cantera *in quæstion. crimin. cap.* 1. *de hæretic. n.* 95. Genuens. *in prax. cap.* 18. *n.* 13. & *cap.* 68. *n.* 12. & alij passim.

PETITIO XIV.

An reus aliquando ex solis indiciis, condemnari possit ad pœnam ordinariam? Vbi etiam quid dicendum in causa fidei?

SVMMARIVM.

1 *Reus aliquando ex solis indiciis condemnari non potest ad pœnam ordinariam, etiamsi illa faciant indicium indubitatum.*

2 *Vide ibi plura exempla de egrediente de domo occisi cum facie pallida, & ense cruentato.*

3 *Item si reus deprehendatur in eodem lecto decumbens, sicut patet ex Holopherne, &c. adhuc enim per talia indicia non habetur de crimine commisso certitudo.*

4 *Reus in huiusmodi casibus posset condemnari ad pœnam extraordinariam minorem, prout iudex iudicauerit, & causa postulauerit.*

5 *Excipiuntur tamen nonnulli casus à iure approbati, in quibus iudex potest ex solis indiciis condemnare reum ad pœnam ordinariam.*

RESpondetur negatiuè, etiamsi illa faciant indicium, quod Doctores vocant indubitatum, ita vt ex tali indicio 1

indicio violentissima contra reum præsumptio, seu sus-
2 picio capiatur: v. g. si reus visus sit facie pallida com ense cruento egredi è domo, quæ vnum tantum aditum habeat, & in qua reperiatur aliquis recenter occisus. Fieri enim potest, quod alius fecerit, vel quod, si ipse
3 quidem fecerit, causa defensionis tamen fecerit. Item si reus deprehendatur in eodem lecto decumbens, sicuti patet ex Holopherne, qui *cap. 13. Iudith*, licet amore captus, improbus, & post epulas lætus, & vino plenus Iudithам mulierem pulcram nimis, coi etiam Dominus gratiam contulerat, solam, & sponte consentientem, & de nocte, & in cubiculo clausam etiam habuerit, nihil tamen turpe, vel obscœnum in eam commisit. Ratio nostræ Responsionis negatiuæ est: Quia adhuc per talia indicia non habetur de crimine commisso certitudo, quæ haberi debet in criminalibus, in quibus propterea dicitur, quod debeant probationes esse luce meridiana clariores, vti colligitur ex textu *in leg. absentem, ff. de pœnis*, & docent cum Bartolo ibi communiter Doctores.

4 Posset tamen reus in huiusmodi casibus condemnari ad pœnam extraordinariam minorem, prout iudex iudicauerit, & causa postulauerit. Doctores, quos sequitur Clarus *loco suprà citato num.* 40. Vbi subdit, sic etiam esse receptum in praxi, & positum in arbitrio iudicis, vt talem reum iudex vel ad pœnam extraordinariam condemnet, vel ad grauem torturam submittat. Etsi contrarium in puncto iuris probabilius tenuerim *dubit.* 193. *sect.* 3. contra Clarum.

5 Cæterùm excipiuntur nonnulli casus à iure approbati, in quibus iudex possit ex solis indiciis condemnare reum ad pœnam ordinariam: Qua de re tamen dicam infrà *dubit. sequenti sect.* 4. *&* *dubit.* 217. *petitione* 4. & videri præter alios poterit Gomez *cap.* 12. *num.* 15. videri etiam poterunt, quæ dicam *dubit.* 198. *sect.* 20. *coroll.* 5. Quid autem dicendum in causa fidei? Vide *dubit.* 195. *sect.* 73.

PETITIO XV.

An, & quid dicendum de tortura inter Regulares?

SVMMARIVM.

1 *Indicia criminis an sint sufficientia ad torturam relinquitur arbitrio iudicis: At vt religiosus torqueatur, non sufficit quodlibet indicium, nisi sit graue, illudque legitimè comprobatum.*

2 *Testis vnus omni exceptione maior sufficit ad torquendum, si deponat de visu. Seciùs, si reus sit bonæ famæ; quia tunc requiruntur vltrà testem de visu plura indicia, nisi indicium vnum esset ità vehemens, vt solum sufficeret.*

3 *Reus non statim torqueri debet, ac indicia sunt sufficientia ad torturam, præsertim religiosus, sed debet ei dari copia indiciorum, & dilatio temporis, vt se defendere possit.*

4 *Reus si in defensione, qua se purgat ab indiciis, defecerit, damnandus erit ad torturam, cum intimatione sententiæ.*

5 *Appellatio à sententia torturæ suspendit effectum eiusdem; seciùs si appellatio censeatur friuola.*

6 *Torqueri multi non possunt in iure ob priuilegia ipsis concessa, nisi in criminibus exceptis, scilicet hæresis, læsæ maiestatis, vel proditionis, &c. Hi enim sunt mulieres prægnantes, minores 14. annis, senes, milites, Decuriones, Nobiles, constituti in magna dignitate, & Doctores.*

7 *Religionum magistri torqueri non possunt nisi in criminibus exceptis; quia sunt Doctores.*

8 *Reus torqueri non debet, si crimen sit plenè probatum, vel si alia viâ veritas haberi possit, quamuis tale crimen neget, quia tortura adinuenta est in subsidium veritatis habendæ.*

9 *Tortura casus inter Religiosos rarissimus esse debet.*

10 *Reus si ad superiorem malitiosè appellet, vel si putetur habuisse socios, aut alia crimina commisisse, torquendus est.*

11 *Reus torquendus non est, si pœna imponenda ob delictum sit minor, vel æqualis torturæ.*

12 *Religiosus est mitiùs torquendus, quàm laicus; idque non solùm propter metum excommunicationis, sed etiam ob reuerentiam status religiosi.*

13 *Prelatus licet non possit torquere religiosos, stante iure communi per ministros laicos, potest tamen, si consuetudo sit, vt ij etiam per laicos torqueantur.*

14 *Tortura inferenda reo religioso non debet esse talis, vt moraliter is resistere non possit, quia tunc confessio, vtpotè inuoluntaria, nulla censeretur.*

15 *Religiosus semel tortus, licèt reus communiter de nouo possit torqueri, si indicia per propriam torturam non fuerint enacuata, non est iterùm torquendus.*

RESpondetur, & dico primò, licet an indicia criminis ab aliquo commissi sint sufficientia ad torturam, relinquatur arbitrio iudicis, Angelus, Syluester, Armilla, Tabiena *verb. indicium*, & alij communiter, quos sequitur Sanchez *tom. 2. consil. moral. lib. 6. cap. 3. dub.* 14. *num.* 6. Nihilominùs regulariter loquendo, præsertim inter Religiosos, non quodlibet indicium sufficiens est, nisi sit graue, illudque legitimè, scilicet per duos testes comprobatum; Farinac. *in pract. crimin. quæst.* 37. *n.* 7. *&* 13. & alij passim. 1

Vnus tamen testis omni exceptione maior, si testetur de crimine viso, sufficiens erit. Doctores iidem, quos suprà citabam. 2

Excipe, nisi reus esset bonæ famæ; quia tunc præter testem vnum supradictum, alia indicia requiruntur. Sanchez *vbi suprà num.* 5. Boët. *decis.* 103. Alderet. *de discipl. regul. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 11. & alij multi.

Quamuis possit indicium vnum esse ita vehemens, v. g. si religiosus iuuenis reperiatur cum fœmina in loco secreto apto ad peccandum, vt illud solum vnum sufficiat. Angelus, Syluester, Armilla, Tabiena, & alij, quos sequitur idem Sanch. *loco supra cit. num.* 5. & Cardinal. de Lugo *de contract. lib. disp.* 77. *sect.* 13. *num.* 154.

Dico secundò, non statim ac indicia sunt sufficientia ad torturam, reus torqueri debet, præsertim inter religiosos, inter quos, vt infrà dicam, benignius agendum est: sed debet ei dari copia indiciorum, & dilatio temporis, vt se possit defendere. Quod si in defensione defecerit, damnari debebit ad torturam, & ipsi intimari sententia, à qua si non appellet (appellatio enim à sententia torturæ suspendit effectum torturæ. Doctores communiter, quos sequitur Sanch. *cit. lib. 6. cap. 8. dub. 2. n. 16.*) vel si appellet, appellatio tamen censeatur friuola, debebit torqueri. Sanch. *vbi sup. cap. 3. dub. 4. n.* 4. & Portell. *in dub. regul. verb. tortura, n.* 11. 3 4 5

Dico tertiò, cùm in iure sint multi priuilegiati, qui torqueri non possunt, nisi in criminibus exceptis, scilicet hæresis, læsæ maiestatis, vel proditionis, &c. quales sunt, vt videre est apud Clarum, & Gomez, quos sequitur Sanchez *vbi sup. n.* 12. Card. de Lugo *n.* 155. *& seqq.* & Fagundez *in decalog. lib. 8. cap.* 21. *num.* 14. mulieres prægnantes, minores 14. annis, senes, milites, Decuriones, Nobiles, constituti in magna dignitate, & Doctores, fit, quod Generales, & Prouinciales, quia sunt constituti in magna dignitate, & Magistri Religionum, quia sunt Doctores, tali priuilegio, præsertim cùm simus in materia fauorabili, frui, & potiri possint. Doctores, quos sequitur Portellius *vbi suprà num.* 12. 6 7

Dico quartò, reus torqueri non debet, si crimen sit plenè probatum, vel si alia viâ veritas possit haberi, quamuis reus tale crimen neget; quia tortura solùm adinuenta est in subsidium veritatis habendæ: Ergò 8

cùm veritas iam habita sit, vel aliundè haberi possit,
9 reus torqueri non debet, præsertim inter Religiosos; cùm apud illos vsus torturæ rarissimus esse debeat, iuxtà ea, quæ dicentur infrà, & docent præter alios Aldret.
10 *cit.cap.*17.*n.*8. & Portellius *vbi suprà num.*4. Excipe, si reus malitiosè appellet ad superiorem, ad hoc vt executionem iustæ sententiæ impediat, vel si putetur habuisse socios, aut alia commisisse crimina; Iul. Clar. Nauarr. & alij communiter, quos suprà citabam.

11 Dico quintò: Neque reus torqueri debet, si pœna propter delictum ipsi imponenda, vel æqualis, vel minor sit pœna torturæ; quia iniquum est, quod ob delictum, ob quod v. g. Religioso imponenda esset pœna ieiunij, mortificationis, &c. vel etiam priuatio officij, &c. imponatur pœna torturæ, quæ est atrocissima. DD. passim, quos sequitur Aldret. *loc. suprà cit.* & Portell. *num.*2.

Dico sextò: Religiosus est mitiùs torquendus, quàm
12 laicus; idque non solùm propter metum excommunicationis, si scilicet in tortura modus excedatur: sed etiam propter reuerentiam status religiosi. Boer. *vbi suprà part.*2. *cap.*36. Syluest. *verb. Inquisitio* 2. *dict.* 9. & Armilla *eodem verbo num.*12.

13 Dico septimò: Licet stando in iure communi Prælatus non possit torquere religiosum per ministros laicos, sed per alium religiosum; aliàs tàm Prælatus, quàm minister laicus essent excommunicati; excepto si non reperiretur religiosus, qui sine periculo læsionis membrorum torquere sciuerit, *cap. vniuersitas, de sent. excommun.* & docent præter alios Syluest. *verb. excommunicatio*, § 6. *dicto* 11. & Nauarr. *in summa cap.*27. *num.*86. consuetudine tamen oppositum obseruatur. Nauarr. *ibidem*, & alij communiter, quos sequitur Sanchez 2. *tom. consil. moral. lib.*6. *cap.*8. *dub.*2. *num.*15. Idque propter rationem iam dictam, quod scilicet non facilè inter religiosos reperitur Religiosus, qui sine periculo læsionis membrorum artem torquendi nouerit.

14 Dico octauò: Quod præsertim in ordine ad religiosos, qui sicuti dicebam, mitiùs torqueri debent, locum habet, licet eo grauiora tormenta reo inferri possint, quò maiora contra ipsum indicia habentur. Inferenda tamen ipsi non sunt tormenta talia, quibus moraliter loquendo resistere non queat; quia tunc confessio, vtpotè prorsus inuoluntaria, nulla censetur, vt proptereà ob talem confessionem reus condemnari non possit; Doctores, quos sequitur Thomas de Iesu *de visitation. regul. tract.*3. *cap.*15. & nos suprà diffusius dicebamus.

15 Dico nonò: Licèt reus semel tortus, iterùm (si scilicet indicia contra ipsum per priorem torturam euacuata non fuerint) torqueri possit; hoc tamen inter religiosos laudabile non est; Rodoriquez, & alij, quos sequitur Portell. *vbi suprà n.*8. quia, sicuti dicebam, inter religiosos mitiùs, quàm inter laicos agi debet.



DVBITATIO CXCIII.

De probatione requisita in crimine hæresis.

VT autem hæc dubitatio clariùs explicetur, videnda est sectio sequens.

SECTIO PRIMA.

An crimen hæresis debeat plenè, & concludenter probari: An verò sufficiant solùm iuris præsumptiones?

SVMMARIVM.

1 *Hæreticus, vt tanquam hæreticus condemnetur, requiritur plena, & concludens probatio. At ad condemnandum illum tanquam suspectum, sufficiunt solùm iuris præsumptiones: Quod probatur ex iure, & ex ratione, quia huiusmodi crimen est valdè graue, & valdè grauibus pœnis punitur.*

2 *Probationes in reliquis criminibus debent esse luce meridiana clariores.*

3 *Reus cùm præsumptionibus suspectus reddatur, nulla iniuria afficitur, si sic suspectus declaretur.*



RESPONDETVR, Ad condemnandum hæreticum, tanquam hæreticum, requiritur plena, & concludens probatio. Ad illum verò condemnandum, tanquam suspectum, sufficiunt solùm iuris præsumptiones. 1

Prior pars est Deciani *tract. crimin. lib.*5. *cap.*35. *n.*20. *vers. immò quod non sufficiant*, Royas *tractat. de hæretic.* 2. *part. assert.*6. *n.*150. Simanch. *de cathol. institut. tit.*50. *rubr. de præsumpt. n.*21. *& seqq.* Farinac. *quæst.*187. *n.*2. & 38. & aliorum.

Probatur primò auctoritate, ex textu *in cap. literas, de præsumpt.* ibi: *Quo circà mandamus, quatenùs cum propter solam suspicionem, quamuis vehementem nolumus illum de tam graui crimine condemnari.*

Secundò probatur ratione, quia huiusmodi crimen est valdè graue, & valdè grauibus pœnis punitur: Ergò par est, ne quis ex sola præsumptione illius, illud commisisse declaretur.

Confirmatur, quia in reliquis criminibus requiruntur probationes luce meridiana clariores. Doctores communiter ex textu *in l. sciant cuncti, Cod. de probation.* & *in cap. sciant cuncti* 2. *quæst. vltima*: Ergò multò magis in crimine hæresis, reliquis criminibus grauiori. 2

Posterior pars est Pegnæ 2. *part. direct. comment.*80. *vers. sed hanc sententiam*, Alber. *tractat. de agnoscend. assertion. cathol. & hæretic. quæst.*34. *num.*56. Menochij *consil.* 82. *num.* 144. *lib.* 1. Simanchæ *loco suprà citato num.* 21. Royas *num.* 304. Farinacij *num.* 9. & 40. & aliorum. 3

Patet, quia, cùm reus præsumptionibus suspectus reddatur, nulla iniuria afficitur, si sic suspectus declaretur, & vt talis, abiuratione, & pœna extraordinaria puniatur, iuxtà textum *in cap. accusatus, in principio, de hæretic. in* 6. ibi: *Licet ante abiurationem suam hæresis crimen plenè probatum non fuerit contrà ipsum.*

SECTIO II.

Quotnam modis crimen hæresis probatur?

SVMMARIVM.

1 *Hæresis crimen tribus modis probatur. Et primò probatur scriptura commissum esse, quando nempe probatur scriptura aliqua continens hæresim, esse alicuius, vel quia eam scripsit propria manu, vel quia eam dictauit, vel quia subscripsit seriò, & accuratè. Secus si non seriò, & non accuratè.*

2 *Hæresis crimen probatur secundò commissum fuisse verbis, si probentur verba hæresim clarè continentia, affectiuè, & ex animo ab aliquo esse prolata, si proferens non sit aliàs suspectus, vel Generis, vel Nationis, &c.*

3 *Hæresis crimen probatur tertiò commissum esse factis, si probetur aliquis exercuisse facta, quæ manifestè errorem contineant, ità vt in bonam partem illa desumi non possint; quia cùm hæresis in animo consistat, & animus factis potiùs, quàm verbis declaretur, factis etiam hæreticus satis probatur.*

REspōdetur: tribus modis, scriptura, verbis, & factis, quia his tribus modis crimē hæresis cōmitti potest. 1

Primò,

Primò, probatur, crimen hæresis commissum esse scriptura, si probes alicuius scripturam hæresim continentem ab ipso dictatam, vel propria manu scriptam, velsub scriptam fuisse, seriò, & accuratè.

Dixi: *Seriò, & accuratè*; quia secus dicendum est, si dictata, scripta, vel subscripta fuerit in chartulis, seu memorialibus indigestis, & inemendatis, quibus non sit vltima manus imposita: Nàm tunc non ex animo errandi, sed potiùs ex ignorantia processisse censeri debet. Nauarrus *lib. 5. consilior. cons. 6. num. 1. & seqq. de hæreticis*, & alij, quos sequitur Farinacius *quæst. 187. num. 11.*

2 Secundò, probatur, crimen hæresis commissum esse verbis, si probes, verba, hæresim clarè continentia, affectiuè, & ex animo esse ab aliquo prolata.

Dixi: *Clarè continentia*; quia si dubia sint, cùm nemo in dubio præsumatur malus, interpretari debent, vt potiùs delictum excludant, quàm includant. Pegna *3. part. directorij quæst. 6x. comment. 111. vers. sed cum in dictis*, Royas *de hæretic. part. 1. num. 200. & seqq.* & alij, quos sequitur Farinacius *quæst. 187. num. 14.*

Quod tamen intellige cum Pegna, Royas, & Farinacio *vbi suprà*, si proferens non sit aliàs suspectus, vel Generis, vel Nationis, &c.

3 Tertiò, probatur, crimen hæresis commissum esse factis; si probes, aliquem exercuisse facta, quæ manifestè errorem contineant; ità vt in bonam partem illa desumi non possint, qualia sunt v. g. se circumcidere, purificationem Iudæorum facere, communionem ab hæreticis more suo recipere, consolationem in extremis postulare, idolo, dæmoni, vel Mahometo reuerentiam exhibere, & similia. Quia, cùm hæresis in animo consistat, & animus factis potiùs, quàm verbis declaretur *ex textu in cap. delecti, de appellat.* fit, quod factis etiam hæreticus satis probetur. Eymeric. *2. part. direct. quæst. 34. num. 1. ibidem*, Pegna, Paramus *de origine S. Inquisitionis lib. 3. quæst. 9. num. 117.* Simanch. *de cathol. Institut. tit. 20. rubrica de hæresi, num. 15.* & alij communiter, quos citat, & sequitur Farinacius *quæst. 187. num. 16.*

Quibus autem testibus hæc scriptura, hæc Verba, vel facta probari debeant, vt reus, tanquam hæreticus, condemnari possit, dicetur infrà *dubit. 198.*

SECTIO III.

An aduersus hanc scripturam, & aduersus hæc verba, vel facta admitti possit probatio in contrarium?

SVMMARIVM.

1 *Probatio aliqua in contrarium si admitti possit aduersus hanc scripturam, & aduersus hæc verba, & facta, nulla alia esse potest, nisi probando, quod non ex animo, & voluntate assentiendi talibus erroribus, sed ex ignorantia, vel simplicitate, &c. illa exteriùs quis simulauerit.*

2 *Quod tamen difficillimè probari potest, cùm intentio soli Deo nota sit.*

3 *Probatio aliqua in contrarium potest esse solùm coniecturaliter, idque si te illa ex timore præstitisse, & remoto timore statim quamprimùm potueris ab illa iniquitate recessisse, & pœnitentiam pro illius remissione ab Inquisitoribus petiisse.*

4 *Confitens verba, vel facta hæreticalia, & negans intentionem, si spontè, & non præuentus citatione id fecerit, non vt hæreticus, sed vt de hæresi suspectus vehementer, & sic in pœnam extraordinariam abiurationis, condemnari debet.*

5 *Confitens verba, & facta hæreticalia exercuisse, si veniat citatus, & neget animo, & intentione sic credendi fecisse, nullam rationabilem causam huius negatæ intentionis adducendo, probabiliùs tanquam hæreticus negatiuus puniendus est, contra nonnullos; quia conuictus de hæreticali verbo, vel facto spontaneo, satis conuincitur de mala intentione.*

6 *Hæresis probatio si cessaret ex negata intentione ex verbis, vel factis hæreticalibus, cuilibet hæretico aperiretur via vitandi condemnationem.*

7 *Item aduersarij admittunt, quod reus in tali casu condemnari debeat ad abiurationem de vehementi, & ad aliam pœnam extraordinariam; vt exilij, pecuniæ, fustigationis, vel triremis, si post torturam in negatiua persistat.*

8 *Neque obstat fundamentum aduersariorum, quod scilicet ex præsumptionibus nemo debeat saltem ad pœnam corporalem, & ordinariam condemnari; quia verba, & facta hæreticalia non præsumptiones delicti, sed legitimæ probationes illius dici debent.*

9 *Præsumptio duplex est, vna iuris, altera iuris, & de iure, seu ab ipso iure approbata.*

10 *Probatio in contrarium licet admittatur aduersus præsumptionem iuris, non admittitur tamen contrà præsumptionem iuris, & de iure, habens enim contrà se præsumptionem iuris, & de iure, torquendus non est; sed ad pœnam ordinariam condemnandus.*

11 *Ius ipsum reputat, esse hæreticum illum, qui verba, vel facta hæreticalia præstat, & hæc est præsumptio iuris, & de iure, & meritò, quia nulla alia viâ, cùm intentio soli Deo nota sit, Catholici ab hæreticis distingui possunt.*

1 SVppono, quod si aliqua probatio admitti potest in contrarium, illa nulla alia esse possit, nisi probando, quod non ex animo, & voluntate assentiendi talibus erroribus, sed ex ignorantia, vel simplicitate ob lucri amorem, aut mali timorem, aut ob alium respectum humanum exteriùs illa simulaueris.

2 Suppono secundò, quod & hoc ipsum difficillimè probari possit, cum intentio soli Deo nota sit. His suppositis.

3 Respondetur, quod solùm coniecturaliter id probare possis, idque, si te illa ex timore præstitisse, & remoto timore, statim, quamprimum potueris, ab illa iniquitate recessisse, & pœnitentiam pro illius remissione ab Inquisitoribus petiisse, probes. Ità vt extrà hunc casum aduersus hanc vehementiam, & violentam præsumptionem non possis probationes verisimiles adhibere; cùm in his verbis, & factis contra fidem tàm manifestis ignorantia rarò præsumatur. Doctores quos sequitur Royas *tract. de hæretic. part. 1. n. 3x6.* & Farin. *in locis suprà citatis.*

4 Hinc sequitur, quid respondendum sit ad illam quæstionem, an confitens verba, vel facta hæreticalia, & negans intentionem, tanquam negatiuus hæreticus, condemnari, ac proindè Curiæ sæculari tradi debeat? Respondetur enim ex dictis quod si spontè, priusquam denunciatus sit, compareat, non vt hæreticus, sed solùm, vt de hæresi suspectus vehementer, & sic in pœnam extraordinariam, scilicet abiurationis de vehementi, & aliam pecuniariam condemnari debeat. quia qui sic se manifestat, veritatem integrè manifestare præsumi debet; cùm ex illa dimidiata confessione nullam vtilitatem consequi potuerit.

5 At, si iam citatus veniat, & hæreticalia dicta protulisse, vel hæreticalia facta exercuisse fateatur, neget tamen id ex intentione, & animo sic credendi fecisse, nullam rationabilem causam huius negatæ intentionis adducendo (quamuis Simancha *de catholic. institut. cap. 65. num. 52.* Cantera *in quæst. crimin. rubric. de hæretic. cap. 1. dub. 6.* Pegna *2. part. directorij, commentar. 59. vers. quod si non compareant sponte*, Lazarius *tract. de blasph. quæst. 6. num. 13.* Decian. *in tract. crimin. lib. 5. cap. 16. num. 19.* & alij

alij putent, quod tunc reus torquendus, & si in negatiua persistat, vt de hæresi suspectus condemnandus sit, quia cùm de mala intentione ad hæresim requisita non videatur conuictus, neque confessus, non est vt hæreticus puniendus:) Probabilius tamen videtur oppositum, quod docent Albet. *tract. de agnoscend. assertion. cathol. quæst. 8. num. 18. quæst. 32. num. 17. & quæst. 34. num. 57.* Repertorium *verb. confessio, vers. nota singulare.* Royas *tract. de hæretic. part. 1. n. 276. 277. 573. & 574.* Graff. *lib. 4. decis. cap. 18. num. 28.* Torreblanc. *de magia lib. 3. cap. 5. n. 49.* & Ioseph Sesse *in decision. reg. Aragon. tom. 4. decis. 448. num. 3.* vbi etiam testatur de praxi, quod scilicet reus in tali casu sic intentionem negans, & hæreticalia verba protulisse, vel hæreticalia facta exercuisse confitens, tanquam hæreticus negatiuus puniendus, sicque Curiæ sæculari relaxandus sit.

Probatur, quia conuictus de hæreticali verbo, vel facto spontaneo, satis conuincitur de mala intentione, cùm verbum, vel factum malum, ex mala intentione dictum, vel factum esse supponatur, *cap. 1. de præsumpt.* Ergò dum iste talis non probat contrarium, huic claræ, & manifestæ probationi standum erit.

6 Confirmatur, quia si ex negata intentione cessaret hæresis probatio ex verbis, vel factis hæreticalibus, cuilibet hæretico aperiretur via vitandi condemnationem, cùm quilibet hæreticus se excusare posset, quod scilicet absque mala intentione verba illa protulerit, vel facta exercuerit, quod videtur absurdum.

7 Confirmatur secundò, quia aduersarij ipsi admittunt, quod reus in tali casu condemnari debeat ad abiurationem de vehementi, & ad aliam, vt exilij, pecuniæ, fustigationis, vel triremis pœnam extraordinariam, si post torturam in negatiua persistat; & reddunt rationem, quia per torturam non sufficienter purgatur tàm vehemens prauæ intentionis suspicio, quæ ex verbis, vel factis hæreticalibus prouenit: Ergò signum est, quod reus in tali casu, de quo loquimur, non sit torquendus, sed tanquam hæreticus condemnandus. Consequentia probatur, quia tortura ad purganda indicia assumitur: Ergò si per nullam torturam hæc indicia, cùm sint tàm vrgentia, purgari possunt, adhiberi illa non debet, sed statim ad condemnationem procedi.

8 Neque obstat fundamentum aduersariorum, quod scilicet ex præsumptionibus nemo debeat, saltem ad pœnam corporalem, & ordinariam condemnari (sicut & habet communis sententia Doctorum, quos citat, & sequitur Farinac. *quæst. 86.* per totam) non, inquam, obstat, quia verba, & facta hæreticalia non præsumptiones
9 delicti, sed legitimæ probationes illius dici debent. Vt omittam, quod duplex sit præsumptio, vna iuris, altera
10 iuris, & de iure, seu ab ipso iure approbata: Et quod, licet aduersus præsumptionem iuris probatio in contrarium admittatur, non tamen admittatur aduersus præsumptionem iuris, & de iure. Doctores communiter, quos citat, & sequitur Gomez *3. variar. cap. 12. rubr. de probat. delicti, num. 15. & 26.* vbi expressè communem sententiam sequendo ait, quod habens contrà se præsumptionem iuris, & de iure, torquendus non sit, sed ad pœnam ordinariam condemnandus, quamuis secus, si contrà se solùm præsumptionem iuris, vel hominis habeat.

11 Quod autem in præsenti casu sit præsumptio iuris, & de iure patet, quia ius ipsum reputat esse hæreticum illum, qui verba, vel facta hæreticalia præstat, iuxtà textum *in cap. hæreticus 24. quæst. 3.* ibi: *Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ, Principatusque sui gratia, falsas, vel nouas opiniones, vel gignit, vel sequitur:* & iuxtà textum *in cap. inter hæresim, in principio, eadem causa, & quæstione,* vbi idem habetur: Et meritò, quia nulla alia viâ, cùm interior soli Deo nota sit, Catholici ab hæreticis distingui possunt: Ergò, qui contrà se hanc præsumptionem iuris, & de iure, seu ab ipso iure approbatam habet, non est torquendus, sed, vt impœnitens negatiuus, Curiæ sæculari relinquendus, vti suprà dicebam.

SECTIO IV.

An duæ imperfectæ, seu semiplenæ probationes iungantur ad vnam perfectam integram, seu plenam probationem in crimine hæresis efficiendam, vt exindè reus ad pœnam ordinariam condemnari possit?

SVMMARIVM.

1 *Reus in crimine hæresis condemnari potest ad pœnam extraordinariam, non solùm ex duplici imperfecta, seu semiplena probatione; sed etiam ex præsumptionibus, & dubitatis indiciis.*

2 *Probationes duæ imperfectæ, seu semiplenæ non iunguntur secundùm probabiliorem sententiam ad vnam perfectam, integram, seu plenam probationem in crimine hæresis efficiendam, ità vt reus possit condemnari ad pœnam ordinariam, contra nonnullos Doctores contrarium sentientes; cùm enim qualibet earum in suo ordine diuersa sit, non apparet, quomodo cum altera coniungi possit ad vnam integram, seu plenam efficiendam.*

Dixi, *ad pœnam ordinariam:* Quia certum est, quod condemnari possit ad pœnam extraordinariam (nedum ad torturam) non solùm ex duplici imperfecta, seu semiplena probatione, sed etiam ex præsumptionibus, & dubitatis indiciis, *cap. accedens, de accusation. cap. de hoc, de simonia, cap. afferte, de præsumpt. & cap. significasti, de adulteriis.* Hoc posito; 1

Respondetur, quod licet affirment nonnulli, quos sequitur Repertorium Inquisit. *verbo probationes, vers. sed quæritur,* ibi, & Mandos. *in addit. litt. F.* quando scilicet vtraque probatio ad eundem finem tendit, quod in præsenti materia semper locum habet, cùm omnes actus hæreticales conueniant in hoc, quod delinquentem à gremio, & vnitate Ecclesiæ remoueant: Probabilius tamen iuxtà ea, quæ dicam infrà *dub. 198. sect. 14. 15. & 16.* negent Gomez *tom. 3. var. cap. 12. num. 25.* & Farinac. *de reo confesso, & conuicto quæst. 86. num. 12.* cum Gloss. *in cap. veniens 1. de testibus,* scilicet quod duæ imperfectæ, seu semiplenæ probationes coniungi nunquam possint ad vnam integram, seu plenam probationem efficiendam, vt exindè reus ad pœnam ordinariam condemnari possit. 2

Probatur, quia cùm quælibet ex prædictis probationibus in suo ordine diuersa sit, non appatet, quomodò cum altera coniungi possit ad vnam integram, seu plenam probationem efficiendam, vt exindè reus ad pœnam ordinariam condemnari possit. Vide, quæ dicam infra *citata dubit. 198. sect. 14. 15. 16. & 20. & dubit. 217. petit. 4.* Vide etiam, quæ dicebam suprà *dubit. praced. sect. 40. petit. 14.*

SECTIO V.

An in fauorem rei, & contrà accusatorem, & fiscum sufficiat probatio, quæ ex præsumptione, vel aliis indiciis, vel ex semiplena probatione oritur?

SVMMARIVM.

1 *Reus vt ad pœnam ordinariam condemnari non possit, sufficit probatio ad fauorem rei, & contrà accusatorem, & fiscum, quæ ex præsumptione, vel aliis indiciis,*

diciis, vel ex semiplena probatione oritur, quantumuis accusator, & fiscus haberent probatam suam intentionem, quia ex supradicta probatione defensiua, probatio fisci obnubilatur.

1 REspondetur cum Bartolo *in l. non solùm, §. sed vt probari, n. 2. ff. de nou. oper. nunciation.* Abbate *in cap. in præsentia, de probat. n. 6.* Felino *ibid. n. 13.* Decio *n. 152.* Parisio *n. 51.* Menoch. *de præsumption. lib. 5. præsumpt. 48. n. 8.* & Farin. *q. 86. n. 76.* sufficere, vt reus ad pœnam ordinariam, quantumuis accusator, & fiscus haberent probatam suam intentionem, condemnari non possit.

Probatur, quia ex supradicta probatione defensiua (*inquiunt* prædicti Doctores) probatio fisci obnubilatur, vt proinde non sit luce meridiana clarior: Ergò non sufficit, vt exindè reus ad pœnam ordinariam condemnari possit.



DVBITATIO CXCIV.

De sententia ferenda in crimine hæresis.

VT autem in hac dubitatione explicanda distinctiùs procedamus, sit

SECTIO PRIMA.

An sententia in communi (tàm scilicet absolutoria, quæ absoluit reum, quàm condemnatoria, quæ illum condemnat) ferri debeat ex consilio Peritorum?

SVMMARIVM.

1 *Sententia in communi tàm absolutoria, quàm condemnatoria ferri debet ex consilio peritorum, quod probatur ex iure, & ratione, quia res, quæ tractatur, est valdè grauis.*

2 *Periti huiusmodi, qui siue in Theologia, siue in iure canonico esse possunt, vel ciuili, tenentur mandato Inquisitoris consilium præstare, tametsi ipsis nullum salarium assignatum sit, & nulla pecunia detur, quia in cit. cap. vt commissi, de hæretic. in 6. absolutè dicitur, quod Inquisitores in virtute obedientiæ peritis iniungere possint, vt consilium præstent.*

3 *Peritis prædictis totus processus legi, & manifestari debet, quia aliàs ij non poterunt iuxtà merita causæ consilium præstare.*

4 *Peritis prædictis tamen manifestari non debent nomina testium, & delatorum. Tum quia sæpè dari potest integra notitia processus absque hac manifestatione: Tum & præcipuè, quia consuetudine receptum est.*

5 *Testium tamen qualitates omninò debent peritis manifestari, scilicet an testes sint viri graues, & probi, vel è contra, an sint viles, & improbi, infames, socij criminum, inimici, &c.*

6 *Inquisitor causa legitima interueniente, nempe si dubium sit de inimicitia inter eos, & periti supradictas personas satis nouerint, potest, & debet delatorum nomina peritis manifestare, quia tunc talis manifestatio ad decidendam causam videtur necessaria.*

7 *Theologorum opinio in determinando qualitatem culpæ contra fidem anteponenda est opinioni Canonistarum. Secus tamen in procedendo, & imponendo pœnam, quia hæc illi præfertur.*

8 *Inquisitores, si ex parte iuris sint diuersæ opiniones, secundum probabiliorem sententiam tenentur sequi opinionem magis probabilem. Secùs tamen si ex parte iuris opiniones sint æquè probabiles; quia tunc tenentur sequi illam, quæ magis fauet reo, cum in dubio standum sit pro reo.*

REspondetur affirmatiuè Zanch. *tract. de hæret. cap. 15. n. 5.* Simancħ. *de cathol. Instit. tit. 41. rubrica de ministris, n. 15.* Pegna *3. part. direct. comment. 126. in fine, vers. periti verò,* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 24. n. 10.* Farinac. *quæst. 185. num. 190.* & alij communiter.

Probatur primò authoritate, *ex textu in cap. statuta, §. iubemus, de hæret. in 6.* ibi: *de ipsorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus.* Et ex textu *in cap. vt commissi, eod. tit.* ibi: *Aduocandi quoque, prout expedierit, peritos quoslibet, vt vobis assistant, & in huiusmodi sententiis præbeant consilium opportunum, ac eis quod super his verbis humiliter pareant, in virtute obedientiæ iniungenda.*

Secundò probatur ratione, quia cùm res, quæ tractatur, sit valdè grauis, expedit, vt ad eam definiendam multorum consilium adhibeatur.

Aduerte tamen, quod hi periti, qui siue in Theologia, siue in iure canonico, vel ciuili, esse possunt, teneantur, mandato Inquisitoris consilium præstare, tametsi ipsis nullum salarium assignatum sit, & nulla pecunia detur; quia *in cit. cap.* vt commissi, absolutè dicitur, quod Inquisitores in virtute obedientiæ peritis iniungere possint, vt consilium præstent, nulla solutionis mentione facta: Et meritò, quia fidei negotium omnes defendere, & procurare, independenter à solutione quacumque tenemur. Quamuis si forsan offeratur salarium, vel pretium, possit illud pro labore impenso licitè recipi, cùm nulla in hoc appareat indecentia. Doctores communiter *in locis suprà citatis.* 2

Aduerte secundò, quod prædictis peritis totus processus legi, & manifestari debeat, quia aliàs ij non poterunt iuxtà merita causæ consilium præstare, & habetur *in cap. fin. §. iubemus, de hæret. in 6.* ibi: *Siue Episcopus, siue Inquisitores processerint, aliquibus aliis personis prouidis, & honestis, iurisque peritis (quas ad hoc vocari, & eis per totum processum, super quo deliberandum est, seriosè manifestari, ac integraliter explicari, & ipsorum consilio, ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus) exprimantur, &c.* Et tradunt Eymer. *3. part. directorii quæst. 79.* & ibi Pegna *comment. 128.* Paramus *de origin. Inquisit. lib. 3. quæst. 4. rubric. de forma, & ordine iudic. sancti officij, num. 56.* & alij passim. 3

Non tamen hinc inferas, quod & nomina testium & delatorum etiam peritis manifestari debeant. Tùm quia sæpè sæpius integra notitia processus dari potest absque hac manifestatione. Tùm, & præcipuè quia, licet *in cit. cap. statuta,* exprimi nomina peritis, & non reis, præcipi videatur, ità consuetudine receptum est. Pegna *3. part. direct. quæst. 80. comment. 129.* & alij, quos citat, & sequitur Farinac. *quæst. 185. num. 196.* 4

Aduerte tertiò, quod qualitates tamen testium omninò debeant peritis manifestari, scilicet an testes sint viri graues, & probi, vel è contra, an sint viles & improbi, infames, socij criminum, inimici, &c. vt hinc periti cognoscant, quantum singulis testibus deferendum, vel detrahendum sit, & ex hac cognitione inferant, an causa sit ritè probata, necne. Pegna. & Farin. *in loc. suprà cit.* 5

Aduerte quartò, quod causa tamen legitima interueniente, nempe, si dubium sit de inimicitia inter eos, & periti supradictas personas satis nouerint) possit, & debeat Inquisitor reorum, testium, & delatorum nomina peritis manifestare, quia tunc talis manifestatio ad decidendam causam videtur necessaria, vel saltem valdè conueniens; quamuis debeat Inquisitor in tali casu peritis sub iuramento, quinimmò, si opus fuerit, sub pœna excommunicationis, secretum indicere, iuxtà textum *in cap. statuta, de hæretic. in 6.* Pegna, & Farinac. *vbi suprà.* 6

Aduerte quintò, quod in determinando qualitatem culpæ contra fidem anteponenda sit opinio Theologorum opinioni Canonistarum, anteponenda autem è contra sit opinio Canonistarum opinioni Theologorum in procedendo, & in imponendo pœnam. Doctores, quos sequitur Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 17. quæst. 3.* iuxta 7

regulam, quod standum sit semper peritis in arte.

8 Aduerte sextò, quod si ex iure sint diuersæ opiniones, probabilius sit, quod Inquisitores teneantur sequi opinionem probabiliorem. Quod si ex parte iuris sint opiniones æquè probabiles, sequi tenentur illam, quæ fauet magis reo; cùm in dubio fauorabiliores sint partes Rei, adeò quod si ex parte facti, secundùm quod probatur, detur æquale dubium, tunc reus sit absoluendus, quia in dubio quilibet præsumitur bonus, & delictum non præsumitur, nisi probetur: Quapropter actore non probante, reus absolui debet, vti in tractatu de conscientia dubia diffusè probabam.

SECTIO II.

An si Inquisitores ad sententiam in communi, (tam scilicet absolutoriam, quàm condemnatoriam) procedant, nullo Peritorum consilio requisito, sit illa nulla? vbi etiam quid dicendum de captura?

SVMMARIVM.

1 *Sententia Inquisitorum est nulla tam absolutoria, quàm condemnatoria, si ipsi procedant nullo peritorum consilio requisito; quia in iure expressè præcipitur Inquisitoribus, hos peritos aduocare, & ex eorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedere.*

2 *Textus in cit. cap. vt commissi, de hæretic. non obstat; quia verba illa prout expedierit: non referuntur ad solam definitiuam sententiam ferendam, quasi tunc liberum Inquisitoribus sit, iudicare, an expediat, peritos vocare; sed referuntur ad totam causam, in qua quotiescumque Inquisitoribus expedire visum fuerit vocare peritos, facultas eis conceditur vocandi.*

1 RESpondetur, quod ex probabiliori sententia Doctorum, quos sequitur Morla *in Empor. Iur. tit. 12. q. 10. n. 2.* nulla sit; quia *in cit. cap. vt commissi*, & *in cit. cap. statuta*, Inquisitoribus expressè præcipitur, hos peritos aduocare, & ex eorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedere; sed præceptum, seu mandatum videtur inducere formam, cuius omissio annullat actum: Ergo.

Confirmatur, quia in casu nostro petere consilium peritorum videtur requiri pro forma; sicuti dicebam, & vlteriùs probari posset *ex cap. nouit. de his quæ fiunt à Prælato. & ex cap. cum in veteri, de elect.* vbi irritatur electio propter omissum consilium: Et ex Glossa *in cap. non est, de consuet. in 6.* vbi ait, quod si sententia proferenda sit cum alterius consilio, & eo non expectato proferatur, sententia non valeat, neque appellatione opus sit: Sed forma deficiente, actus non subsistit, sicuti patet *ex cap. delecta, de rescript.* Ergo, &c.

2 Obiicies textum *in dicto cap. vt commissi*, vbi Inquisitoribus datur facultas vocandi peritos (prout expedierit) quasi tacitè insinuatur, non esse vocandos, si visum fuerit, non expedire.

Respondetur, hunc textum non obstare; quia verba illa: *Prout expedierit*: non referuntur ad solam definitiuam sententiam ferendam, quasi tunc liberum Inquisitoribus sit, iudicare, an expediat, peritos vocare, hoc enim eorum iudicio, & voluntati non videtur remissum, cùm expressè ad hanc sententiam ferendam Pontifex dicat: *Iubemus peritos adduci, & ex eorum consilio se velle, vt ad sententiam, vel condemnationem procedatur.* Sed referuntur ad totam causam, in qua quotiescumque Inquisitoribus expedire visum fuerit, vocare peritos, facultas eis conceditur vocandi.

Quamuis contra prædictam sententiam affirmatiuam quis dicere possit, quod si aliunde habenti potestatem mandetur, consilium petere, propter illius omissionem actus non debeat censeri nullus; at ita contingit in casu nostro; Ergo. Maior est Abbatis *in cap. ex parte de constitutionib. circa finem*, Syluestri *verb. consilium, q. 1. & 3.* Salas *de legib. disp. 16. sect. 10. n. 43.* & aliorum; quia in tali casu præsumitur mandari consilium, vt actus præstetur rectè, non autem vt præstetur validè. Minor probatur; quia sicuti patet *ex cap. finali, de hæretic. in 6.* Pontifex præcepit Inquisitoribus, vt in sententia adhiberent peritorum consilium, qui tamen Inquisitores priùs ab aliis Pontificibus, præsertim ab Vrbano IV. & Clemente IV. sicuti præter alios adnotauit Zanard. *in director. Theolog. part. 2. præcept. 1. cap. 6. quæsit. 6* & Moscoutius *de maiest. milit. Eccles. part. 1. cap. 11.* potestatem sententiandi contra hæreticos absque votis consultorum habebant: Ergo, &c.

An autem Inquisitores teneantur etiam adhibere consilium peritorum in captura?

Respondetur negatiuè. Doctores communiter, quos sequitur Pegna *in director. part. 3. comment. 17.* & Sousa *in apho ism. Inquisit. lib. 2. cap. 26. n. 16* Quatenùs inquit, quod quando adsunt sufficientes probationes ad capturam, petere possit fiscalis ab Inquisitoribus, quod reus comprehendatur. Qui Inquisitores de peritorum consilio, quid opus sit deliberent, quamuis sine eorum consilio id possint facere.

Videatur etiam præter Pegnam, & Sousam vbi suprà Instructio Toletana anno 1561. n. 3. & in hoc casu locutus est textus *in cap. vt commissi, de hæretic. in 6.* qui dat facultatem Inquisitoribus vocandi peritos, prout expedierit, quasi tacitè insinuans, eos non esse vocandos, si iudicatum fuerit, non expedire: Quod est valdè notandum ad hoc, vt iste textùs concordetur cum altero textu *in cap. finali, §. iubemus, eodem tit.* qui in sententia ferēda, vti suprà dicebā, iubet Inquisitoribus, cōsultores vocare.

SECTIO III.

An Inquisitores in ferenda sententia in communi (tam scilicet absolutoria, quàm condemnatoria) debeant sequi consilium peritorum, seu consultorum?

SVMMARIVM.

1 *Inquisitores in ferenda sententia in communi, tam scilicet absolutoria, quàm condemnatoria, sequi debent, secundùm aliquos, consilium peritorum; sed oppositum est multò probabilius; neque enim obligantur consilio peritorum acquiescere; sed possunt, si sic æquius iudicabunt, sententiam in contrarium ferre, & aliàs sufficit, si consilium sit requisitum, licet non obtemperatum.*

2 *Periti si vocati inter se non conuenirent, nō esset cuius consilium sequendum sit, maximè cùm nulla in hoc casu obligatio sit sequendi maiorem partem.*

3 *Inquisitores si consilium peritorum sequi tenerentur, iudices potiùs essent ipsi periti, quàm Inquisitores.*

4 *Inquisitores, & Ordinarius si fuerint conformes, quāuis consultores discrepent, & sint numero plures, decretum Inquisitorū, & Ordinarij executioni mādatur.*

5 *Inquisitores licet non teneantur de necessitate sequi consilium peritorum, tenentur tamen sequi illud ex quadam decentia.*

SVppono, quod debeant petere, *ex textu in cap. vt commissi, §. aduocandi*, & *in cap. fin. ad med. de hæret. in 6.* difficultas igitur est, an debeant sequi, ita vt prædicta vota non sint cōsultiua, sed definitiua, seu decisiua.

Affirmant Alber. *tract. de agnoscendis assertionibus catholicis quæst. 16. n. 11. & seqq.* Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 24. n. 10.* Sousa *in Aphorism. Inquis. lib. 1. cap. 1. n. 14. & lib. 2. cap. 36. n. 9.* & alij, quos citat, & sequitur Farin. *q. 185. n. 192.* & Homobon. de Bonis *tract. de statib. part. 1.* 1

part. 1.*cap.* 8.*ex textu in cap. statuta, de haret. in* 6. ibi: *Et ex ipsorum consilio ad sententiam, vel condemnationem procedi volumus*. Quæ verba iudicare videntur obligationem sequendi consilium peritorum, quia si possent Inquisitores à consilio peritorum recedere, ipsorum Inquisitorum sententia non diceretur procedere ex consilio peritorũ, sed potius contrà consilium illorum: Ergo. Et ità seruatur in Inquisitione Lusitana, sicuti testatur Sousa *loc. suprà cit.* His tamen non obstantibus

Respondetur, multò probabilius esse oppositum; quod scilicet Inquisitores non obligentur consilio peritorum acquiescere, sed possint, si sic æquius iudicabunt, sententiam in contrarium ferre. Tabiena *verb. Inquisitor*, *n.* 12. Lucerna Inquisit. *verb. aduocat.* 4. & ibi Pegna *in annotat.* Zeech. *in summa tom.* 1. *tit. de haret. cap.* 11. *n.* 14. Treutsan. *lib.* 1. *decis.* 35. *n.* 4. Cened. *collect.* 27. *n.* 2. *in* 6. *decret.* Barjola *in nphor. lit. V. verf. votu consiliarum*, Barbos. *in collectan. tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 2. *cap.* 11. *num.* 8. Pegna 3. *part. director. comment.* 127. *per tot.* Royas *tract. de haret. part.* 1. *n.* 409. & *part.* 2. *n.* 166. Simancb. *de cathol. Instit. tit.* 41. *rubr. de ministris, n.* 14. Campeggius apud Zaneh *cap.* 15. Bus sat. *consil.* 90. *n.* 36. & *seqq.* Locat. *in opere iudic. verb. consiliũ, n.* 5. & alij: Et ità seruatur in Inquisitione Hispanica, sicuti patet ex quadam Matritiana instructione quam infrà citabo.

Probatur, quia *in supradict. cap.* statuta solùm mandatur, quod sententia procedat ex consilio peritorum, sed hoc satis rectè intelligi potest ex consilio peritorum requisito, tamersi non obtemperato: Ergò ità dicendum. Minor patet, cùm non sit ratio vrgens, vel euidens in contrarium. Consequentia probatur, quia hæc explicatio, cùm sit benignior, & Inquisitorum dignitati conuenientior, afferi potiùs debet; vnde, & patet ad fundamentum aduersariorum.

2 Confirmatur, quia si periti vocati inter se non conuenirent, non esset, cuius consilium ab Inquisitoribus sequendum sit. Quod si dicas, maioris partis: Contra est; quia, cùm talis obligatio non constet, & nullibi reperiatur, non est, cur asseratur: Ergò.

3 Confirmatur secundò, quia si Inquisitores consilium peritorum sequi tenerentur, iudices essent potiùs ipsi periti, quàm Inquisitores; cùm Inquisitores iuxtà peritorum consilium sententiam necessariò proferre deberent, & solùm exequutionem concessam habere viderentur.

4 Confirmatur tertiò, ex quadam Matritiana Instructione *cap.* 66. ibi: *In omnibus casibus, in quibus contigerit discordia sententiarum, seu opinionum inter Inquisitores, & Ordinarium, vel aliquem ipsorum, vel in definitione causa, vel in quolibet alio actu, vel sententia interlocutoria, causa ad Senatum mitti debet; sed si Inquisitores, & Ordinarius fuerint conformes, quamuis Consultores discrepent, & fiat numero plures, decretum Inquisitorum, & Ordinarij executioni mandetur.*

5 Aduerte tamen, quod licet Inquisitores non teneantur de necessitate sequi consilium peritorum, teneantur tamen sequi illud ex quadam decentia, DD. communiter ex Ancharano *in cap. si ad Episcopum, notabil.* 8. *verf. circa secundum, lib.* 6. ità vt quotiescumque Inquisitoribus, & Ordinario manifesta ratio in contrarium non vrgêt, nimius sit, quod ipsi consilio peritorum (præsertim si omnes periti in consilio præstando conuenerint) acquiescant: non quia peritorum consilium, seu suffragium sit decisiuum, cùm non sit, nisi cõsultiuum, vt dicebam, sed quia, cùm tale consilium sit multorum, veritati illud conforme esse præsumitur. Et quoad hoc vide Pegnam *in director. Inquisit. part.* 3. *comment.* 127. quem sequitur Barjola, *vbi suprà*. Quatenùs ait, quòd non sit tutum, Inquisitores, si sint Theologi, recedere à suffragiis consultorum. Vide etiam Zanardum *in direct. Theolog. part.* 2. *prec.* 1. *cap.* 6. *quæst.* 42. quatenùs inquit, quod sit periculosum, & reprehensione dignum, Inquisitores discordare à votis consultorum in tribus casibus. Primò, quando cum consultoribus consentit Episcopus. Secundò, quando omnes consultores sunt in vno, eodemque voto. Tertiò, quando maior pars consultorum consentit in Innocentiam Inquisiti.

Multa alia præterea vide suprà *sectione prima*.

SECTIO IV.

Quinta sententia in communi (tàm scilicet absolutoria, quàm condemnatoria) ferri debet in scriptis?

SVMMARIVM.

1 *Sententia in communi tam scilicet absolutoria, quàm condemnatoria ferri debet in scriptis, vt sic de eius iustitia constet, & occultari non possit; quod si aliter sententia lata fuerit, nullius illa est effectus.*

2 *Sententia predicta ex conuenientia quadam ferri etiam debet de die, & non de nocte. At id non est de necessitate, cùm nullibi reperiatur cautum, necessariò de die sententiam ferendam esse.*

Respondetur cum Pegna 3. *part. director. comment.* 40. *n.* 165. *verf. praterea in scriptis*, Decian. *tract. crimin. lib.* 5. *cap.* 38. *n.* 20. Boëtio *decis.* 159. *n.* 10. Farinac. *q.* 185. *n.* 166. & aliis affirmatiuè, vt sic de eius iustitia constet, & occultari non possit. 1

Quod adeò verum est, quidquid dixerit in contrariũ Brunus *tract. de haret. lib.* 4. *cap.* 10. quod si aliter sentẽtia lata fuerit, nullius illa sit effectus, *ex texta in Clem. sæpè, de verb. signific.* Ibi: *Sententiam diffinitiuam, citatis ad id, licet non peremptoriè, partibus, in scriptis, & prout magis sibi placuerit, stans, vel sedens proferat.* Et notat ibi Gloss. *verbo in scriptis*, quam sequuntur DD. *in loc. suprà cit.*

Aduerte, quod & prædicta sententia (nisi multitudo negotiorum aliter fieri permittat) ex conuenientia quadam ferri etiam debeat de die, & non de nocte: Dixi, *ex conuenientia quadam*: Quia reuera non est id de necessitate; cùm nullibi reperiatur cautum, necessariò de die sententiam esse ferendam. Abb. & Felin. *in cap. consuluit, de offic. deleg.* quos citat, & sequitur Pegna *loco suprà cit. verf. iam sententia reorum*, & Farinac. *num.* 165. 2

SECTIO V.

An sententia in communi (tàm scilicet absolutoria, quàm condemnatoria) ferri debeat ab ipsismet Inquisitoribus?

SVMMARIVM.

1 *Sententia in communi, tàm scilicet absolutoria, quàm condemnatoria, proferri non debet ab ipsismet Inquisitoribus, sed fieri potest per Notarium, vel per aliam personam: Quod & de consuetudine seruatur: Cùm enim publicetur in Ecclesia, vel in alio loco publico, par est, quod assumatur Notarius, vel alia persona vocem claram habens ad prædicta sententiæ publicationem faciendam.*

2 *Denunciationum nomine licet intelligatur intimatio sententiæ notificatio sententia, non tamen illius publicatio: Nihilominus cùm simul reo intimetur, & publicetur sententia, quando ei publicè legitur, fit, quod per alios ab Inquisitoribus, id fieri possit.*

Respondetur negatiuè; & multò minus pro Tribunali: Pegna 3. *part. directorij, comment.* 40. *circa finem verf. & quanquam*, Royas *singul.* 94. *n.* 1. & *seqq.* Simanch. *de cathol. institut. tit.* 6. *rubr. de sententiis, n.* 1. Brunus *tract. de haretic. lib.* 4. *cap.* 10. & Farinac. *q.* 185. *n.* 171. ita vt prolatio talis sententiæ, illiusque recitatio non necessariò fieri debeat ab ipsismet Inquisitoribus, sed fieri possit per notariũ, vel per aliã personam. Quod & de consuetudine seruatur; quia cùm huiusmodi sententia in Ecclesia, vel in alio loco publico, vbi innumerus populus concurrit, publicari soleat, par est, quod assuma- 1

assumatur notarius, vel alia persona, vocem claram habens, ad prædictæ sententiæ publicationem faciendam. Et est id conforme textui *in cap. vt commissi, de hæretic. in 6.* vbi Inquisitoribus conceditur facultas committendi citationes, & denunciationes sententiarum. Et licet
a nomine denunciationum intimatio, seu notificatio sententiæ reo facta intelligatur, non tamen illius publicatio, sicuti tenent Doctores, quos citat, & sequitur Decian. *tract. crimin. lib. 5. cap. 38. n. 16.* Nihilominus, cùm simul reo intimetur, & publicetur sententia quando ei publicè legitur, fit, quod per alios ab Inquisitoribus id fieri possit, & ita decreuit Vrbanus IV. in constitutione sua, quæ incipit, *Licet ex omnibus, vers. vt ergo*, apud Pegnam *in fine directorij*, inter literas Apostolicas, & tradunt Doctores *in locis suprà citatis.*

Dixi de sententia in communi, tam scilicet absolutoria, quàm condemnatoria; dicam nunc de sententia in particulari, & primò de absolutoria; deindè de condemnatoria: Quare sit.

SECTIO VI.

An, & quid dicendum de sententia in particulari, & priùs de absolutoria?

SVMMARIVM.

1 *Sententia absolutoria si proferri debeat eo quod contra delatum nihil probatum sit, errores de quibus iste fuit accusatus, non debent specialiter, & particulariter exprimi, & publicari, quia in tali casu delati errores exprimere nullius esset vtilitatis.*

2 *Reus non debet in hac sententia absolutoria, vt innocens & à culpa immunis proferri, sed solùm ab instantia iudicij absolui, eo quod nihil contra illum probatum fuerit; quia contingere potest, vt quod modò probatum non est, postea probetur, & reus modò absolutus, postea condemnetur.*

3 *Excipe, quod solùm in vno casu delatus potest declarari innocens, & vt talis absolutè absolui, si scilicet manifestè probatum fuerit, quod delator, & testes falsum deposuerint; quia tunc non videtur adesse probabile periculum retractandi sententiam absolutoriam.*

4 *Probatio si proueniat ex eo, quod tales dicta sua retractauerint, maxima circumspectione videndum est, ne forte pretio corrupti id fecerint.*

1 RESpondetur, & dico primò: si ferri debeat sententia absolutoria, eo quod contra delatum nihil probatum sit, errores, de quibus iste fuit accusatus, non debent specialiter, & particulariter exprimi, & publicari. Pegna 3. *part. directorij, comment. 37. vers. attendentes*, ex quadam Matriliana Instructione, & alij, quos citat, & sequitur Farinac *q. 185. n. 175.*

Probatur; quia in tali casu delati errores exprimere nullius est vtilitatis, quin potius ei absoluendo damnum afferre videtur; cùm possit id audientibus suspicionem generare: Ergo.

2 Dico secundò, in hac sententia absolutoria non debet reus, vt innocens, & à culpa immunis proferri, sed solum ab instantia iudicij absolui, eo quod scilicet nihil contra illum probatum fuerit. Eymer. 3. *part. direct. rubr. de forma absoluendi delatum, n. 243.* & ibi Pegna *comment. 37. vers. e aueatur*, Scacc. *de iudic. cap. 59. n. 1.* & alij, quos citat, & sequitur Farinacius, *q. 185. n. 172.*

Probatur; quia contingere potest, vt quod modo probatum non est, postea probetur, & reus modò absolutus, postea condemnetur: At decens non est, quod diuersæ sententiæ in eodem iudicio proferantur. Ergo, vt hæc diuersitas, quoad fieri possit, vitetur, expedit, quod delatus non absolutè absoluatur, neque absolutè vt innocens declaretur, sed solùm absoluatur ab instantia iudicij, & declaretur, nihil contra ipsum probatum esset. Quæ absolutio, & declaratio contraria non est condemnationi, quæ postea ex nouis probationibus succedere poterit.

Excipe, quod solùm in vno casu delatus possit declarari innocens, & vt talis absolutè absolui, si scilicet manifestè probatum fuerit, quod delator, & testes falsum deposuerint: Quia tunc non videtur adesse probabile periculum retractandi sententiam absolutoriam; cùm constet de iniquitate delatoris, & testium, & constet etiam de innocentia delati. Pegna 3. *part. directorij, commentar. 37. in fine, vers. quod verò*, & alij, quos refert, & sequitur Farinacius *loc. cit. n. 173.* 3

Dixi, *si manifestè probatum fuerit, quod delator, & testes falsum deposuerint*; quia si probatio proueniat ex eo, quod tales dicta sua retractauerint, maxima circumspectione videndum est, ne fortè pretio corrupti id fecerint. Pegna, & Farinacius *vbi suprà.* 4

SECTIO VII.

An, & quid dicendum de sententia in particulari, & posteriùs de condemnatoria?

SVMMARIVM.

1 *Sententia in particulari condemnatoria, declarata delinquentis heresi, simul etiam declarantur pœnæ tali crimini ipso facto annexæ, & ideo non est necesse, vt exprimas illas: Quamuis secus dicendum de pœnis inferendis, quæ cùm iam à iure latæ non sint, specialem requirunt expressionem.*

2 *Sententia condemnatoria debet exprimere specialem errorem, de quo reus fuit notatus; item, & criminis inuestigationem, vt citationes, admonitiones, confessiones, probationes, legitimas inducias ad pœnitendum competentes, obduratum rei animum in erroribus, & reliqua.*

3 *Actus publicus, & Rei traditio Curiæ sæculari debet fieri publicè, & in die festo ab Inquisitoribus, ad hoc, vt multi intersint, & exemplo aliorum cautiores reddantur, & à delinquendo remoueantur.*

RESpondetur: Si de sententia condemnatoria loquamur, declarata delinquentis hæresi, simul etiam declarantur pœnæ tali crimini ipsô iure annexæ, ita vt illas exprimi, necesse non sit. Quamuis secus dicendum de pœnis inferendis; quæ, cùm iam à iure latæ non sint, specialem requirunt expressionem, ac condemnationem. Vmbert. Locat. *in iudic. Inquisit. verb. sententia, num. 10.* Decianus *tract. crimin. lib. 5. cap. 38. n. 15. vers. & ideo quoad pœnas impositas.* Farinac. *q. 185. n. 164. & seqq.* & alij passim. 1

Aduerte tamen hic, quod in sententia condemnatoria exprimi debeat specialis error, de quo reus fuit notatus: item & criminis inuestigatio, vt citationes, admonitiones, confessiones, probationes, legitimæ induciæ ad pœnitendum competentes, obduratus Rei animus in erroribus, & reliqua, quæ ad iustum processum conficiendum requiruntur; Doctores communiter, quos sequitur Pegna *in direct. Inquisit. part. 3. comment. 40.* 2

Aduerte secundò, quod actus publicus, & Rei traditio Curiæ sæculari debeat fieri publicè, & in die festo ab Inquisitoribus, ad hoc vt multi intersint, qui videntes, exemplo aliorum cautiores reddantur, & à delinquendo remoueantur. Param. *de origin. Inquisit. lib. 3. quæst. 4. numero 36.* & Salsed. *in Pract. crimin.* Dias *cap. 114. lib. 5.* Videri etiam poterit Ioan. Andr. *in cap. vt commissi, de hæretic. in 6.* & Instructio Toletana anno 1561. 3

SECTIO

SECTIO VIII.

An reus absolutus, & tanquam innocens declaratus, si postea superueniant nouæ criminis probationes, possit, non obstante priori sententia absolutoria, de nouo inquiri, examinari, & condemnari?

SVMMARIVM.

1 *Reus absolutus, & tanquam innocens declaratus, si postea superueniãt noua criminis probationes poteſt, non obſtante priori ſententia abſolutoria, de nouo inquiri, examinari, & condemnari, quia ſentẽtia in hoc crimine fauore fidei nunquam tranſit in iudicatum.*

2 *Probationes ſuperuenientes coniungi poſſunt cum præcedentibus inſufficientibus, ob quarum inſufficientiam reus abſolutus fuit ab inſtantia iudicij.*

1 REſpondetur affirmatiuè. Pegna 3. *part. direct. rubr. de 1. modo finiendi proceſſum, comment.* 37. *verſ. ſed quid ſi abſoluatur, & comment,* 92. Seacc. *tract. de iudic. cap.* 95. Royas *de hæret. part.* 2. *n.* 384. Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 31. Simanch. *de cathol. Inſtit. tit.* 60. *n.* 13. & alij, quos citat, & ſequitur Farinac. *q.* 185. *n.* 197.

Probatur, quia ſententia in hoc crimine fauore fidei nunquam tranſit in iudicatum. Quod & definiuit etiam Pius V. anno 1567. in ſua Conſtitutione, quæ incipit, *Inter multiplices curas.*

Quamuis igitur in aliis criminibus reum poſt ſententiam abſolutoriam abſolutum non liceat de eodem crimine examinare, inquirere, & punire: in crimine tamen hæreſis contrarium dicendum eſt in fauorem fidei; cùm in crimine hæreſis ſententia abſolutoria nunquam tranſeat in rem iudicatam: Quod contra Repert. Inquiſitor. *verb. abſolutio*, & ibi Mandoſium *in addit. lit. E.* procedit, etiamſi reus fuiſſet abſolutus de crimine hæreſis, tanquam innocens, vti dicebam, & præter alios notat etiam Scaccia *loco ſuprà citato*, & tradit Inſtructio Hiſpalenſis anno 1484. *num.* 3.

2 Hinc ſequitur, quod probationes ſuperuenientes coniungi poſſint cum præcedentibus inſufficientibus, ob quarum inſufficiẽtiam reus abſolutus fuit ab inſtantia iudicij, quia licet citatio, & litis conteſtatio, tunc facta, pereant, eo quod, perempta inſtantia, pereant acta ordinaria, quæ inſtantiam illam ſequuntur, *l. cum lite mortua, ff. iudicat. ſolui*, & *leg. properandum, §. & ſi quidem, de iudic.* non tamen pereunt, quæ litis deciſionem ſpectant, quales ſunt confeſſiones, probationes, teſtium declarationes, & ſimilia, ex textu *in citata l. properandum, §. vlt.* & *l. iubemus, Cod. de liberal. cauſ.* & tradunt Simanch. *de cathol. Inſtit. tit.* 18. *rubr. de defuncto, n.* 20. Pegn. 3. *part. direct. queſt.* 62. *comment.* 95. *verſ. quod ſi fortaſſe*, & alij, quos citat, & ſequitur Farinac. *q.* 185. *num.* 200. Idem etiam docent Royas *de hæretic. part.* 2. *aſſert.* 49. *n.* 385. *& ſeqq.* & Souſa *in aphoriſm. Inquiſ. lib.* 2. *cap.* 37. *n.* 31. Et fauet ſupradicta Inſtructio Hiſpalenſis anno 1484. *num.* 5.

Quamuis alij iſtam Inſtructionem Hiſpalenſem intelligant de eo, qui fuit abſolutus ab inſtantia iudicis, non autem de eo, qui fuit abſolutus in totum, vel definitiuè, ne repugnet ſcilicet iuri communi, ex *l. libellorum*, & *leg. ſi cui, §. 1. ff. de accuſation.* & *ex cap. de his, eodem tit.* Videantur præter Repert. Inquiſit. & Mandoſium, etiam Decius *conſil.* 137. & Brunus *de hæretic. lib.* 4. *cap.* 8.

At his non obſtantibus, putant probabilius Royas, Souſa, Scaccia, & alij, quos ſuprà citabam, quod poſſint Inquiſitores in fauorem fidei abſolutum (ſiue ab inſtantia iudicis, ſiue in totum, vel definitiuè) condemnare, ſi iterum de eodem crimine ſuperuenerit probatio plenior, poſſintque condemnatum pœna arbitraria (eo quod ſcilicet delictum non fuerit plenè probatum) condemnare pœna ordinaria, modo quo infrà dicetur *ſect. ſequent.* ſi iterum de eodem crimine ſuperuenerit probatio legitima, ſicque ſeruetur in Inquiſitione Hiſpanica ex eadem ſupradicta inſtructione Hiſpalenſi: Et videri etiam poteſt inſtructio Toletana anno 1561.

SECTIO IX.

An condemnatus pœna arbitraria, eo quod legitimæ criminis probationes non extiterint, poſſit iterùm, ſi ſuperueniat poſtea legitima criminis probatio, pœna ordinaria puniri?

SVMMARIVM.

1 *Reus, ſi pœna arbitraria eſt executioni mandata, ob tale crimen legitimè probatum, nullo modo pœna ordinaria puniri poteſt; ſed à pœna ordinaria detrahi debet quantum importat pœna arbitraria; quia alias pro vno crimine grauius, quam dignum ſit, puniretur.*

2 *Reus, ſi pœna arbitraria non ſit executioni mandata, ſi ſuperuenerit legitima probatio, pœna ordinaria condemnari poterit, quia tunc eſt noua ſententia, & nouum iudicium, & pœna non excedit delictum.*

REſpondetur, quamuis Lucas de Peña, & Iacob. Belloniſ apud Royas *de hæretic. part.* 2. *n.* 392. abſolutè, & ſimpliciter affirment, diſtinguo: vel pœna arbitraria eſt executioni mandata, vel non. 1

Si primum, nullo modo reus ob tale crimen legitimè probatum, pœna ordinaria puniri poteſt, ſed à pœna ordinaria detrahi debet, quantum importat pœna arbitraria. Ratio, quia alias reus pro vno crimine grauius, quàm dignum ſit, cùm puniatur pœna ordinaria commenſorata crimini, & præterea pœna alia arbitraria, puniretur, contra textum *in cap. non offeramus* 24. *quæſt.* 1.

Si ſecundum, reus ſuperueniente legitima probatione, pœna ordinaria puniri poterit: Ratio, quia tunc eſt noua ſententia, & nouum iudicium, & pœna non excedit delictum. Doctores, quos ſequitur Royas *tract. de hæret. cit. part.* 2. *aſſert.* 50. *n.* 391. Farin. *quæſt.* 185. *n.* 199. 2

Qui tamen *n.* 9. rectè limitat ſupradictam ſententiam in caſu quo pœna ordinaria delicti ſit capitalis, quia per primam pœnam, etſi corporalem, non minuitur hæc ſecunda, neque hæc ſecunda compenſatur cum prima, ſed imponi poteſt tota pœna ordinaria; cùm talis pœna diuiſibilis non ſit.

Et *citato n.* 7. inquit, quod ſimiliter abiurata vehementi hæreſis ſuſpicione, ſi dentur nouæ, non plenè concludentes probationes nouorum lapſuum poſt dictam abiurationem commiſſorum, de iuris rigore tales probationes etiam coniungi poſſint cum præcedentibus ad vnam conſtituendam plenam probationem, cùm neque hic ſententia tranſeat in rem iudicatam, iuxta ea, quæ ſuprà dicebam.

An autem indicia ſuperuenientia coniungenda ſint cum indiciis, ex quibus reus priùs fuerat tortus?

Reſpondetur cum Farinacio, & Simancha *de cathol. Inſtitut. tit.* 18. *rubr. de defunct. num.* 20. quod ſi reus fuit abſolutus ex eo quod in tortura perſtiterit, & nihil confeſſus fuerit, tunc indicia quæ per torturam fuerunt ſufficienter purgata, & ſublata, nullam vim habeant, ſed veluti mortua ſint, vt propterea coniungi non poſſint cum aliis indiciis, aut probationibus ſuperuenientibus, ſecùs ſi reus, tortura non illata, fuit abſolutus ex eo quod contra ipſum in indicio deducta non fuerint indicia ſufficientia ad condemnandum: Quia tunc imperfecta probatio primæ inſtantiæ coniungitur cum probatione ſuperueniente, ſecundùm veram, communem, & vſu receptam ſententiam Bartoli, Abbatis, Oſtienſis, Felini, Alexandri, & Alciati in locis per eum citatis.

SECTIO X.

An sententia hæretici delinquentis condemnatoria fieri debeat in præsentia iudicis sæcularis, ità vt si aliter fiat, nullius valoris sit?

SVMMARIVM.

1 *Sententia hæretici delinquentis condemnatoria licet videatur affirmandum, quod fieri debeat in præsentia iudicis sæcularis, ita vt si aliter fiat, nullius valoris sit, ex multis iuribus, quæ allegantur: Probabilius tamen est oppositum; quia præsentia iudicis sæcularis in casu, de quo loquimur, solum requiritur, vt sententia pronunciata statim, & sine dilatione executioni mandetur.*

2 *Omissio modi, & forma præscripta in pronuncianda sententia illam annullat, si illa scilicet sit substantialis: At in præsenti præsentia iudicis sæcularis ad valorem sententiæ substantialis non est.*

3 *Præsentia prædicta iudicis sæcularis præscribitur aliàs iurisdictionem habenti, quia Episcopus, & Inquisitor in crimine hæresis iurisdictionem quasi ordinariam, & potestatem inquirendi, examinandi, & condemnandi delinquentes ratione officij sibi commissi habent.*

4 *Præsentia hæc iudicis sæcularis si substantialis, & necessaria esset, facilè posset iudex sæcularis hæretici condemnationem impedire prolationi sententiæ non comparens, sicque ipsi Inquisitores quammaximè à potestate sæculari dependerent.*

5 *Stylus seruandus in sententiis condemnatoriis videri poterit apud Eymeric. Peñam, & alios.*

6 *Inquisitores seruare debent, etiam quoad iudicia præparatoria, stylum cuiuscumque Inquisitionis.*

1 Videtur, esse affirmandum *ex textu in cap. ad abolendam, de hæretic.* vbi Pontifex ait, hos tradi, & relinqui debere Curiæ sæculari, debita pœna puniendos. Quod fieri posse non videtur, nisi iudex sæcularis præsens fuerit. Item *ex textu in cap. excommunicamus, §. damnati, eodem titulo,* ibi: *damnati* (scilicet de crimine hæresis) *præsentibus sæcularibus potestatibus, aut eorum Balliuis relinquantur, animaduersione debita puniendi.* Item *ex textu in cap. nouimus, de verb. signific.* Vbi de Clerico degradando, & Curiæ sæculari tradendo dicitur, quod cùm ab Ecclesiastico foro fuerit proiectus, eius degradatio, sæculari potestate præsente, celebranda sit: Ergò iudex Ecclesiasticus hanc præsentiam Curiæ sæcularis in remissione delinquentis, ei facta, omittens, delinquere videtur, ità vt prætereà nulla sit ipsius remissio, vtpotè contrà formam, & modum sibi præscriptum iam facta, cùm ea cessante, corruat actus, qui talem formam, & modum requirebat. Argumento *l. cum hi, §. si prætor, ff. de transact. cap. quia propter, de election. cap. nihil, & cap. primates 1. quæst. 1.* vbi sententia data sine accusatore, & sine eo, quod reus delictum fuerit confessus, aut fuerit per testes conuictus, decernitur irrita, vtpotè contrà formam, & modum præscriptum pronunciata. His tsmeo non obstantibus.

Respondetur, dicendum esse oppositum (posse scilicet absque iudicis sæcularis præsentia sententiam condemnatoriam validè pronunciari.) Dn.ores quos sequitur Pesia *3. part. directorij, comment. 48. num. 210. vers. ac præsente potestate Curiæ sæcularis.*

Probatur, quia præsentia iudicis sæcularis in casu, de quo loquimur, solùm requiritur, vt sententia pronunciata, statim & sine dilatione executioni mandetur: Ergò prædicta sententia independenter à præsentia iudicis sæcularis pronunciata erit valida. Antecedens probatur, quia iudex sæcularis in crimine hæresis iudicando, vtpotè Ecclesiastico, nullo modo se intromittere potest. Consequentia patet, quia ex dictis non ob sententiæ pronunciatæ valorem, sed ob eius executionem præsentia iudicis sæcularis expostulatur.

2 Atque hinc patet ad fundamentum in contrarium: Concedo enim, quod omissio modi, & formæ præscriptæ in pronuncianda sententia, illam annullet, si sit scilicet illa substantialis: At in præsenti præsentia iudicis sæcularis ad valorem sententiæ, substantialis non est; cùm non pro sententia, sed pro debita illius executione requiratur, vti dicebam.

3 Accedit, quia prædicta iudicis sæcularis præsentia præscribitur alias iurisdictionem habenti: Ergò præscribi non potest, vt substantialis, sed solùm, vt accidentalis, vt proindè, si absit, non possit actum vitiare, iuxtà Gloss. *in Clement. 1. verb. inhibentes, de iurepatron.* quam sequuntur communiter Doctores.

Quod autem prædicta iudicis sæcularis præsentia præscribatur aliàs iurisdictionem habenti, patet: Quia Episcopus, & Inquisitor in crimine hæresis iurisdictionem quasi ordinariam, & potestatem inquirendi, examinandi, & condemnandi delinquentes ratione officij sibi commissi habent: Ergò præsentia iudicis sæcularis in casu, de quo loquimur, requiri non potest, vt substantialis, & sic, vt sententiæ valori necessaria.

4 Accedit secundò, quod si hæc iudicis sæcularis præsentia substantialis, & necessaria esset, facilè posset iudex sæcularis condemnationem hæretici impedire, prolatinoi sententiæ non comparens, sicque ipse Inquisitor à potestate sæculari quammaximè dependeret, quod in fidei, & potestatis Ecclesiasticæ detrimentum permultum cedere videtur.

Hinc sequitur, quod si iudex sæcularis præsens esse non possit, vel nolit, possit Inquisitor in eius absentia sententiam proferre, & per Notarium eam intimare, & condemnatum eius potestati relinquere: At si iudex sæcularis facilè præsens condemnationi esse possit, non possit Inquisitor eius præsentiam in prolatione sententiæ condemnatoriæ subterfugere. Quia id ad minus conuincere videntur textus iuris, quos supra adducebam.

5 Cæterùm quoad stylum in sententiis condemnatoriis, & absolutoriis seruandum, videri poterit etiam Eymer. *3. part. direct. n.* 141. & ibi Peña, Paramus *de origine Inquisitionis lib. 3. quæst. 4. rubric. de expeditione processus in causis fidei,* & Simanch. *de catholic. Institution. tit. 6. de sententiis.*

6 Qui rectè subdunt, quod iudicia præparatoria tractari debeant ab Inquisitoribus secundùm stylum cuiuscumque Inquisitionis.

INDEX



INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ in hac priori Parte de Officio Sanctæ Inquisitionis, & hæresi, continentur.

Prior numerus paginam littera p. *Posterior marginales numeros littera* n. *designat.*

Notabilium.

vbi

Clericus

Et

Delictum

Dos.

Dubitans, & Dubium.

Dubitans

Episcopus

Facultas

Index Rerum,

Filiæ

Inſtitutor.

Intendens, & intentio.

Ioſue.

Irregularis, & Irregularitas.

L

Laicus.

Mandator, & Mandatum.

Manifeſtans.

Manuſcriptum.

Maritus.

Matrimonium.

Melliera

Persona.

Index Rerum,

Pœna

Potestas.

Potestas.

Præceptum.

Prædicans.

Prædium.

Præfatio.

Pragmatica.

Prælatus.

libros

Religio

Reus

Rex.

Rusticus.

S

Sacerdos.

Index Rerum,

Sequestratio



FINIS.